


37
28
B
2





THEOLOGIA
PATRUM
DOGMATICA,
SCHOLASTICO-POSITIVA,
TOMUS SECUNDUS,

THEOLOGIA PATRUM DOGMATICA, SCHOLASTICO-POSITIVA,

AUCTORE R. P.

ANTONIO BOUCAT BITURICO,

Ordinis S. Francisci de Paula Religioso, Provinciæ Franciæ Professo atque Alumno, & veterano apud Parisios in sacra Theologia Professore.

TOMUS SECUNDUS,


CONTINENS TRACTATUS



De Voluntate Dei Prædestinante & Reprobante.
De Sanctissima Trinitate.
De Deo Creatore & Præmotore.
De Actibus, tum bonis, tum malis.



EDITIO PRIMA VENETA
accuratior & emendatior.



PRÆFATIO

In Tractatum Quintum infrascriptum de SS. Trinitatis Mysterio.

SANCTUS AUGUSTINUS, de mirabili SS. Trinitatis mysterio disserens lib. 1. de Trinitate c. 3. ait: " In iis ubi quæritur unitas Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur. " Non est igitur animus tantum mysterium hic scrutari; namque, ut commune fert adagium, *Scrutator Majestatis opprimetur a gloria*. Et sane quid perageret indocta mortalium temeritas? Quid ratiocinaretur ubi undequaque terminus simul & excessus? Terminus quidem in personis: excessus vero, & ineffabilitas atque infinitas nedum in natura, sed & in personis in unica essentia subsistentibus: Quid denique perscrutaretur ubi cuncta sunt ineffabilia, juxta illud Apostoli Rom. 11. de divina Trinitate: *O altitudo divitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*

Quocirca abscedat hic humana ratio, nihil quippe, inquit D. Bernardus, epistola 9. ad Abailardum, magis contra rationem, quam ratione ineffabilia conari transcendere mysteria: Nihil magis contra fidem, quam credere nolle quidquid non possis ratione attingere. Ne miremini igitur si quæcumque molitur humana mens, nusquam tamen individuæ Trinitatis arcanum adaperire valeat, quinimmo quotquot neglecta Ecclesiæ voce novas, recentesque vias ingredi ausi sunt, subito, caligantibus oculis, veritatis perillustre sidus amisere.

Et vero carnalium Judæorum mentem fugit tanti Mysterii cognitio; vel ipsos latuit Philosophos; a Paganis prorsus abscedit; ast leve tamen certamen si cum ipsis duntaxat foret dimicandum. Longe gravius, acriusque cum infesta hominum hæreticorum cohorte exardescit prælium. Oppugnandi auget ardorem horribile Noetianæ hæreseos portentum: cæci furoris incendium parat Sabellius: majores movet tragædias Arius; flammas accendit Macedonius; fovet atque longius protrahit perduellium pestilentiam dogmatum Servetus; laethiferum propinat venenum infelix Socinus; cujus Discipuli tanta impietate Trinitatem SS. insectati sunt, ut ab hac fide etiam primorum sæculorum Patres alienos esse prædicare non dubitaverint.

Inimicum hominem zizanias in agro Domini disseminantem, illuminati scripturarum face, perpetua innixi traditione, sententiis Patrum roborati; accincti denique & Conciliorum, & summorum Pontificum decretis, pro virili, duce Doctore Angelico, debellare conabimur.

SERIES DISSERTATIONUM,

Articulorum, Sectionum, Punctorum, Conclusionum & Argumentorum quæ in hoc secundo Tomo continentur.

TRACTATUS QUARTUS.

De voluntate Dei, prædestinante, & reprobante.

TRACTATUS QUINTUS.

4. Ex

Dilun-

TRACTATUS SEPTIMUS.



TRACTATUS QUARTUS
DE VOLUNTATE DEI
PROVIDENTE, ORDINANTE, PRÆMIANTE ET PUNIENTE.



EATUS AUGUSTINUS, l. 3. de Trinit. c. 4. de voluntate Dei differens ait: " Voluntas Dei " est prima & summa causa omnium " corporalium specierum atque motionum. Nihil " enim fit visibiliter & sensibiliter, quod " non de interiore, invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris, aut " jubeatur, aut permittatur, secundum " ineffabilem justitiam præmiorum atque " pœnarum, gratiarum & retributionum. " Rursus, l. 5. de Civ. Dei, c. 9. 4. " Omnia Dei voluntati subdita sunt, cui " etiam voluntates omnes subjiciuntur, " quia non habent potestatem, nisi quam " ille concedit. Causa itaque rerum quæ " facit, nec fit, Deus est. " Satanas tamen ab initio rebellis, perpetuas movet contra hanc suavem simul & tremendam voluntatem tragœdias; Hæretici quippe ad spiritus erroris attendentes, omnia moliti sunt ad evacuandam in hoc puncto fidem. Et vero, ausu temerario dixerunt Deum suis non sufficienter providere creaturis necessaria ad vitam, tum naturalem, tum supernaturalem: Alii enim Deum nostra non considerare autumant: Alii nolle omnes & singulos homines salvos fieri: Alii prædestinare necessario, quosdam quidem ad vitam, quosdam vero ad mortem. Igitur ad fidem strenue defendendam contra infensissimos istos hostes quatuor potissimum tractanda & enucleanda occurrunt. Primum quidem de voluntate Dei secundum se. Alterum de voluntate providente. Tertium de voluntate præmiante. Quartum denique de voluntate reprobante seu puniente. Unde sit

---

DISSERTATIO PRIMA
DE
VOLUNTATE DEI SECUNDUM SE
contra impios illam calumniantes.

QUIDAM impii, præ multitudine peccatorum de salute sua desperantes, non

non sentiunt de Deo in bonitate. Sed contra quod dicitur Psalm. 118. *Bonus es tu, & in bonitate tua doce me justificationes tuas.*

Dogma de voluntate Dei, eaque bona, quatuor probatur argumentis.

PRIMO, quia de facto est voluntas in Deo.

Secundo, quia Deus se vult.

Tertio, quia vult alia a se.

Quarto, quia vult alia a se liberrime.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum sit in Deo voluntas, & quotuplex

CONCLUSIO CATHOLICA.

Est voluntas in Deo.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura.*

DARI in Deo voluntatem testantur Scripturarum omnes, nedum paginæ, sed & litteræ, quæ nihil aliud sunt quam divinæ voluntatis interpretes; & vero sic intonat Propheta.

I. Psal. 103. *Omnia quæcumque voluit, fecit.*

II. I. Mach. 3. *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.*

III. Matth. 26. *Fiat voluntas tua.*

IV. Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistit?* Et 12. *Ut probetis quæ sit voluntas Dei.* Ergo datur voluntas in Deo: hoc est de fide: ita docent unanimiter Patres.

Secundo, *ex Conciliis.*

OMNIA Concilia contra Monothelitas adunata definiunt duas esse in Christo voluntes, unam divinam, humanam alteram. Quatuor Romæ celebrata, in primis Lateranense sub sancto Martino summo Pontifice, & Martyre; item sextum generale, hoc de fide declararunt. Septimum & octavum OEcumenicum confirmarunt Decreta contra Monothelitas lata, sicut & Toletanum.

Tertio, *ex rationibus D. Thomæ.*

D. THOMAS plures & egregias affert pro hoc momento rationes, 1. 1. q. 19. art. 1. Sed præcipue 1. contra Gent. c. 72.

Prima sic exponitur. Deus est intelligens, ergo & volens: probatur consequentia. Eo ipso quod Deus perfectissime intelligit, summum cognoscit bonum: sed bonum est objectum voluntatis: igitur si est intelligens, est volens; quicumque enim cognoscit bonum, illud vult, illud amat & diligit.

Secunda. Quicumque cognoscit bonum, inclinationem & habitudinem habet ad illud, quia bonum perficit naturam; hinc natura quærit & appetit, si bonum sit absens; quiescit vero & complacet, si sit præsens: sed Deus, ut dictum est, summum cognoscit bonum: ergo illud vult, immo sibi complacet in illo.

Tertia. Quod convenit omni enti, & ad ipsius consequitur essentiam, convenit perfectissime Deo. Atqui convenit cuilibet enti appetere bonum, inanimatis quidem, per inclinationem, sic lapis naturaliter tendit deorsum; animatis vero, per sensum, ut belluæ; creaturis autem ratione præditis, per voluntatem, & hoc nobilius est; quia voluntas non agit cæco modo, verum potius per intellectum directa: cæterum est domina sui actus: igitur cum Deus sit ens entium, maxime illi convenit, & velle & habere voluntatem.

Quarta. Qui intelligit veritatem perfectissime, videt illam maxime delectabilem: sed delectatio pertinet ad voluntatem: igitur cum Deus perfectissime cuncta cognoscat, perfectissime utique vult bonum cognitum: igitur voluntas est in Deo.

Quinta. Agentia spiritualia habent formam, qua moventur ad operandum propter finem; finis enim est principium in agibilibus: sed voluntas est etiam principium, si quidem est in eadem linea finis; nam bonum est ejus objectum; intellectus quidem illam movet, sed proponendo: objectum vero, attrahendo; voluntas vero tendit in bonum: igitur est voluntas in Deo.

Sexta. Datur in Deo amor perfectissimus;

simus; Spiritus sanctus, ut fides docet; est amor Patris & Filii, immo procedit per voluntatem; quicumque enim se intelligit & cognoscit, se amat juxta illud tritum axioma: *Amor meus pondus meum*. ergo est voluntas in Deo, & quidem perfectissima.

CONCLUSIO SECUNDA.

Voluntas duplex distinguitur in Deo, una beneplaciti, signi vero altera. *Ita D. Thomas hic q. 19. art. 6. & 11.*

PRIMO quidem explicatur Conclusio. Voluntas in Deo est re una; si quidem est unicus actus in ipso, immo voluntas est ipsa essentia Dei, inquit D. Thom. 1. contra Gentes, c. 73. alias si esset quid a divina essentia realiter distinctum, illi adveniret, & esset accidens, quod implicat; relinquitur ergo ipsam esse multiplicem ratione volitorum. Dicitur beneplaciti, cum consideratur ex parte Dei, qui vere & sincere aliquid vult: signi vero, ex parte effectus, qui suam designat causam: ista voluntas dicitur metaphorica, quippe quæ in Deo non inveniatur; namque effectus extra causam suam est; quia tamen consulere & operari bonum, argumentum est, idque maximum, bonum esse in voluntate alicujus, ideo consilium & operatio boni, voluntatis nomine celebrantur atque donantur.

Iterum conclusionis sensum explanare juvat. Voluntas beneplaciti utique duplex distinguitur. Alia prima, seu antecedens; alia secunda, seu consequens. Antecedens illa est, qua Deus vult aliquid bonum in genere & secundum se, nondum attentis circumstantiis; sicut enim Rex vult ut omnes subditi vivant v. g. ita Deus vult ut omnes & singuli homines salvi fiant; & ideo hæc de salute omnium voluntas, antecedens dicitur, quatenus prius est velle bonum in genere, quam in particulari. Consequens ea est, qua Deus ponderatis omnibus circumstantiis, vult aliquid & determinate & efficaciter; unde attendens ad iniquitates hominum, obduratos & in malo pertinaces reprobare statuit: quod quidem isto potest illustrari exemplo. Judex vult ut omnes cives vivant; verum attentis pessimorum criminibus, ultimis eos affici suppliciis & mori definit.

Rursus aperitur quæstionis status. Voluntas signi quintuplex est; quinque enim sunt signa, quibus voluntas Dei manifestatur; tria quidem pro bono, videlicet operatio, præceptum, & consilium; Deus quippe bonum operatur, illud præcipit, illud ipsum inspirat, consulit & suadet: duo vero circa malum, nempe prohibitio & permissio; prohibet quidem peccatum, permittit tamen ne lædatur libertas.

Jam probatur conclusio auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura sacra.*

LEGITUR 1. ad Timoth. 2. 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*. Ecce voluntas antecedens. Apoc. 2. 17. *Vincenti dabo manna absconditum & nomen novum*. Et iterum alia scriptura, Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi*. Ecce voluntas consequens. Rursus Phil. 2. 13. *Deus operatur in nobis velle & perficere*, inquit, Apostolus: Deut. 6. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: & istud Matth. 19. 29. *Qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem ... centuplum accipiet & vitam æternam possidebit*. Ecce voluntas signi per operationem, præceptum & consilium pro bono. *Declina a malo*. Ecce prohibitio. Et *ibunt in adinventionibus suis*. Ecce mali permissio. Igitur est in Deo voluntas beneplaciti & signi, & quidem multiplex.

Secundo, *ex sanctis Doctoribus.*

Chrysostomus Hom. 1. in Epist. ad Ephesios, pag. 766. explicans illa verba, *Secundum beneplacitum voluntatis suæ*, ait: " Ubique enim beneplacitum est voluntas antecedens. Nam est alia voluntas. Velut voluntas prima est, ut ne qui peccaverunt, pereant. Voluntas secunda, ut qui mali sunt facti, pereant. Non enim illos necessitate impulsus pœnis afficit; sed ex voluntate sua. Ejusmodi aliquid & in Paulo videmus, ut cum dicit: *Volo omnes homines esse sicut & me ipsum*. Rursus: *Volo adolescentiores nubere, filios procreare*. Beneplacitum

„ citum ergo primum voluntatem nominat, nempe vehementem voluntatem; voluntatem cum cupiditate conjunctam, quæ & firma animi persuasio dicitur.

Damascenus eidem consentit veritati, l. 1. c. 29. “ Sciendum est, inquit, Deum, præcipua, & antecedente voluntate velle omnes salvari, & regni sui compotes fieri. Non enim nos ut puniret condidit, sed ut participes simus ipsius bonitatis, tanquam bonus. Peccantes porro puniri vult tanquam justus. Itaque prima illa voluntas antecedens dicitur, & beneplacitum, quod ex ipso est. Secunda autem consequens voluntas, & permissio ex nostra causa ortum habens: eaque duplex, altera dispensatione quadam facta, & ad salutem erudiens; altera cum desperatione conjuncta, ad absolutam pœnam pertinens. Atque hæc in illis accidunt, quæ in nostra potestate sita non sunt. Eorum autem, quæ in nobis sita sunt, bona quidem primario vult Deus, ut secundum beneplacitum: mala autem, quæ revera mala sunt, neque primario, neque consequenter vult; sed libero arbitrio permittit.

„ *Anselmus*, l. de voluntate Dei. Hugo Vict. tract. 1. sum. sent. c. 13. Petrus Lombardus, l. 1. dist. 45. voluntatem antecedentem & consequentem beneplaciti similiter agnoscunt.

D. Thomas, hic 1. p. q. 19. art. 6. ex professo idem docet, & sic loquitur. “ Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam justitiæ suæ. „

Rursus ibidem art. 11. “ In Deo distinguitur voluntas proprie & metaphorice dicta. Voluntas enim proprie dicta vocatur voluntas beneplaciti. Voluntas autem metaphorice dicta, est voluntas signi eo quod ipsum signum voluntatis voluntas dicitur. „

Tertio, *ex ratione*.

ILLA voluntas est beneplaciti, quæ habet bonitatem divinam pro objecto, in qua semper & maxime Deus sibi complacet: atqui bonitas Dei maxime relucet in eo quod velit Deus ut salventur homines, & de facto multos salvet; bonum enim est sui diffusivum: non minus affulget in eo quod velit ut reprobi & in malo pertinaces, damnentur; ad summum enim bonum pertinet & propellere & removere sibi contraria, justos vero & in virtute perseverantes actu salvare. Igitur est vere in Deo voluntas beneplaciti antecedens & consequens; immo & voluntas signi; effectus siquidem istius voluntatis, non unus, sed multiplex est, ut operatio, præceptum & consilium pro bono; prohibitio vero & permissio pro malo; illam quippe hæc omnia & notificant, & indigitant: igitur voluntas beneplaciti & signi egregie in Deo optimo maximo reperitur.

D. Thomas ibidem art. 12. explicat & probat voluntatem signi, his verbis: “ Dicendum, quod hujusmodi signa voluntatis dicuntur ea, quibus consuevimus demonstrare nos aliquid velle. Potest autem aliquis declarare se velle aliquid vel per ipsum, vel per alium. Per se ipsum quidem, in quantum facit aliquid vel directe vel indirecte, & per accidens. Directe quidem, cum per se aliquid operatur; & quantum ad hoc dicitur esse signum operatio. Indirecte autem, in quantum non impedit operationem. Nam removens prohibens dicitur movens per accidens .... & quantum ad hoc dicitur signum permissio. Per alium autem declarat se aliquid velle, in quantum ordinat aliud ad aliquid faciendum vel necessaria inductione, quod fit præcipiendo, quod quis vult, & prohibendo contrarium, vel aliqua persuasoria inductione, quod pertinet ad consilium. Quia igitur his modis declaratur aliquem velle aliquid, propter hoc ista quinque nominantur interdum, tanquam signa voluntatis. Quod enim præceptum, consilium & prohibitio dicantur Dei voluntas, patet per id quod dicitur Matth. 6. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*. Quod autem permissio & operatio dicuntur Dei voluntas, patet per Aug. qui dicit in Enchirid. c. 95. nihil fit nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel faciendo. „

Se-

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES I. contra primam conclusionem. Voluntas est potentia: sed potentia non est in Deo, quippe quæ sit accidens: igitur neque voluntas.

Respondeo distinguendo. Voluntas est accidens in creaturis, concedo: in Deo, nego. Ita D. Thomas, l. I. contra Gentes, c. 73. Hoc est inter Deum & creaturas discrimen, quod Deus non sit habens, sed sit omnia; unde in eo non est aliud potentia, aliud essentia entitative; & ideo non distinguitur realiter neque a voluntate; neque a cœteris suis perfectionibus: Et vero sapientia illi non advenit, non bonitas, non sanctitas; sed est ipsa sapientia, ipsa bonitas, ipsa sanctitas; igitur nullum in eo accidens, sed omnia substantia, omnia Deus.

Oppones 2. Potentia dicit imperfectionem; 1. quia egreditur de non actu ad actum, unde & limitationem importat. 2. se habet ad suum actum ut perfectibile ad suum perfectivum: non igitur habet omnem in se perfectionem: sed voluntas est potentia: ergo non est in Deo; omnis quippe imperfectionis labes ab eo prorsus est removenda.

Respondeo 1. Voluntatem in Deo non dici potentiam respectu actus essentialis, seu amoris, quem Deus habet pro se ipso secundum se, & ut præintelligitur personis; quia ut sic, nullus concipitur actus a voluntate Dei emanare: unde D. Thomas, I. contra Gent. c. 73. docet voluntatem in isto sensu esse ipsam Dei essentiam, quæ quia cum æquivaleat omnibus creaturarum perfectionibus, ideo denominatur voluntas, in quantum sicut voluntate nostra volumus & amamus, ita & Deus se ipsum vult & amat; respectu vero actus rationalis, voluntas divina dicitur quidem formaliter potentia, sed semotis potentiæ creatæ imperfectionibus; sed in eo solum sensu quo est principium activum & fœcundum, nusquam vero ut dicit aut limitationem, aut perfectibilitatis labem.

Respondeo 2. distinguendo: Potentia sapit & importat imperfectionem, ut est creata & limitata, concedo: secundum se spectata, nego. Sub isto respectu solummodo dicit agendi principium; quia vero est in Deo & infinite perfecta, quinimmo & ipsa natura fœcundissima, ideo est semper in actu agibilium: igitur a suo non perficitur actu; siquidem entitative est ipse actus & omnia. Et sic patet solutio ad utramque confirmationem. Enimvero si concipitur in Deo actus ut egrediens, & tanquam perficiens principium, a quo procedit, sane non est cum fundamento in re, sed duntaxat propter nostrum concipiendi modum imperfectum, quatenus scilicet divina concipimus sicut creata, adeoque ut quid limitatum, tametsi divinum sit semper illimitatum & infinitum.

Instabis. Voluntas se movet ad finem, adeoque egreditur de potentia ad actum: ergo dicit potentialitatem: igitur nequit esse in Deo.

Respondeo distinguendo. Voluntas creata egreditur de potentia ad actum, concedo: increata, nego. Utraque se movet ad finem, sed aliter atque aliter; creata quidem, quia non est semper in actu, immo est ad objectum extra se & a semetipsa realiter distinctum; increata vero est actus purus & habet objectum intra se, quinimmo est ipsa bonitas & objectum suum, unde est semper in actu suorum amabilium, numquam vero in potentia, quatenus potentia dicit vel objecti, vel actus absentiam. Solutio est D. Thomæ, qui hic q. 19. art. 1. ad 3. sic respondet. " Dicendum, quod voluntas, cujus objectum principale est bonum, quod est extra voluntatem, oportet quod sit mota ab aliquo: sed objectum divinæ voluntatis est bonitas sua quæ est ejus essentia: unde cum voluntas Dei sit ejus essentia, non movetur ab alio a se, sed a se tantum. "

Iterum instabis. Voluntas est appetitus & inclinatio in bonum: sed appetitus potentialitatis labem importat; non enim habemus quod appetimus: igitur nusquam est ponenda in Deo voluntas.

Respondeo distinguendo. Appetitus concupiscentiæ dicit imperfectionem, concedo; quia fertur in rem absentem: appetitus fruitionis & complacentiæ, nego. Voluntas movetur dupliciter 1. in objectum absens, & hoc per desiderium: 2. in præsens, in quantum complacemus & gaudemus de possessione boni, quod quidem quo perfectius est, eo & ar-

dentius illud possidere peroptamus: isto modo suam appetit Deus bonitatem, scilicet per ineffabilem complacentiam: hoc autem ipsum est summæ perfectionis argumentum. Ita D. Thomas ibid. ad 2. his verbis: "Dicendum, quod voluntas „ in nobis pertinet ad appetitivam partem, quæ licet ab appetendo nominetur, non tamen hunc solum habet actum, ut appetat, quæ non habet: sed etiam ut amet quod habet, & delectetur in illo. Et quantum ad hoc voluntas in Deo ponitur, quæ semper habet bonum quod est ejus objectum, cum sit indifferens ab eo secundum essentiam, ut dictum est.

Oppones 3. Voluntas est in omne bonum, etiam creatum; quandoquidem bonum in tota sua latitudine, est voluntatis objectum: sed voluntas in Deo non potest esse circa creata, alias foret in potentia ad actum; non enim Deus amat semper creaturas, immo quasdam odio habet, ut peccatores, quos deinde diligit, si pænitentiam agant, & sic esse in Deo quid potentiale, quod est impossibile.

Respondeo distinguendo minorem. Voluntas divina non potest esse circa creaturas secundum se spectatas, concedo: ut divina bonitas in eis relucet, nego; scriptum est enim: *omnia propter semetipsum operatus est Dominus*: Quia vero se solum in omnibus respicit, ideo a nullo dependet. Ad aliud; modo diligit, modo non diligit, distinguo; per mutationem creaturæ, concedo: per mutationem sui, nego. Est unicus & perpetuus in Deo actus actualissimus, & nunquam in potentia, se extendens modo ad unum, modo ad alterum: sicut ergo sol lucens illuminat creaturam de novo productam, nihil reale & absolutum acquirendo, sed solum immutando creaturam, quam perficit: ita Deus nihil acquirit diligendo, nihil etiam deperdit cum odio peccatorem habet; nihil utique cum misericordia motus, illum justificat. Cæterum Deus est semper in actu amabilium respectu objecti primarii, essentiæ scilicet, & perfectionum suarum, quas quidem ab æterno vult & diligit; unde cum aliquæ de novo producuntur creaturæ, Deus profecto non transit de potentia ad actum; siquidem ab æterno suam diligebat bonitatem, sed dilectio ejus se extendit ad illas.

Dices 4. Voluntas est ad finem a quo dependet, quia ab illo movetur, & in eo quiescit: sed Deus non habet finem, cum potius sit omnium finis, & quidem omnimode independens: igitur non est voluntas in Deo.

Respondeo distinguendo minorem. Deus non habet finem a se distinctum, concedo; est enim ipsa sua bonitas, quæ quidem est summum amoris erga se motivum, & in ipsa quiescit & beatificatur, ipsa vero propter suam excellentiam & fœcunditatem est finis omnium: non habet finem qui sit a se indistinctus, nego. Sic docet D. Thomas ibidem ad 1. "Licet nihil aliud a Deo sit finis Dei, tamen ipsemet est finis respectu omnium, quæ ab eo fiunt, & hoc per suam essentiam, cum per suam essentiam sit bonus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur in Deo voluntas & quidem propter tria.

1. SCRIPTURA in omnibus ferme paginis hoc docet; *omnia*, inquit Propheta, *quæcumque voluit fecit Dominus*, Psal. 103. Hoc ipsum agnoscit & definit sexta Synodus generalis.

2. Eamdem prædicant certatim Patres veritatem; in primis S. Chrysostomus Hom. 1. in Epist. ad Ephes. Damascenus & alii.

3. Ratio tum naturalis, tum elevata probat voluntatem in Deo reperiri: naturalis quidem; namque omne intelligens appetitum habet & pondus ad id quod amabile cognoscit, illud ipsum vult, illud approbat, illo perfrui congaudet; elevata vero, quia cuncta divinæ subjici voluntati fides ostendit.

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD OBJECTIONES.

1. VOLUNTAS in creatis est quidem potentia pura, quæ modo est in actu, modo non; potentia, quæ bonum extra se quærit, ut ab illo perficiatur: at vero in Deo eatenus dicitur potentia, quatenus est principium & causa rerum: potentia, sed semper in actu; potentia etiam

etiam se movens versus finem, sed a se indistinctum; potentia, sed quæ sit actus purus, unde est semper in actu amabilium, consequenter & ab omni imperfectionis labe pura.

2. Non diffitemur voluntatem Dei creaturas etiam spectare, sed ut objecta suæ prosecutionis & amoris secundaria, a quibus nusquam specificatur.

3. Neque negamus etiam voluntatem Dei ad creaturas se seextendere aliquo modo ut ad finem: at non ut ad finem a quo dependeat, bene vero ut ad finem in quo sua propria relucet bonitas, quemque & ad se ordinat, & propter semetipsum vult.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Deus se velit & amet necessario, ita ut sit primarium suæ voluntatis objectum.

CONCLUSIO.

Deus se vult & amat, & est primarium suæ voluntatis objectum.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura sacra.*

SCRIPTUM est Matth. 3. 17. *Mihi bene complacui.* Isa. 45. 24. *Mihi curvabitur omne genu.* Deut. 32. 39. *Videte quod ego sim solus.* In his & similibus locis Deus quærit gloriam suam, quod summum est amoris erga se argumentum. Et iterum aliæ Scripturæ, 1. Joan. 4. 16. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo.* Joan. 14. 31. *Et ego diligo Patrem*, inquit Christus.

Secundo, *ex sanctis Doctoribus.*

Unanimiter asserunt & docent esse summum bonum infinite amabile, adeoque seipsum supra omnem modum diligit, quia bonum est, & amoris & voluntatis objectum. Audi quid Sancti dicunt: Augustinus l. 8. de Trin. c. 3. *Bonum hoc & bonum illud, tolle hoc & illud, & vide ipsum bonum, si potes: ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni ... Sic amandus est Deus, non hoc & illud bonum, sed ipsum bonum.*

Concinit Richardus Vict. l. 2. de Trin. c. 5. ubi sic de Deo loquitur: "Ei autem qui „ vere omnipotens est, expetendorum nihil „ deesse potest. Ubi enim omnipotentia est, „ nulla plenitudo, nulla perfectio deesse „ potest."

Boetius, Prosa 10. v. 3. de Deo dicit: "Ne hunc rerum omnium Patrem illud „ summum bonum, quo plenus esse perhibetur, vel extrinsecus accepisse, vel „ ita naturaliter habere præsumas, quasi habentis Dei, habitæque beatitudinis diversam cogites esse substantiam. „ Nam si extrinsecus acceptum putes, „ præstantius id quod dederit eo quod acceperit, existimare possis. Sed hunc esse „ rerum omnium præcellentissimum dignissime confitemur."

His assentitur *Bernardus*, Serm. 83. in Cant. "Legi quia Deus charitas est, non „ quia honor est, vel dignitas, legi. „ Non quia honorem non vult Deus, qui „ ait, si ego Pater, ubi est honor meus? „ Verum id Pater. Sed si sponsum exhibeat, puto quia mutabit vocem, & dicet: si ego sponsus, ubi est amor „ meus?"

Tertio, *ex D. Thomæ rationibus.*

Prima sic exponitur. In Deo est voluntas & inclinatio; sed id quod primario sese offert illi, est ipsa ejus essentia, quæ est summum bonum: igitur Deus se vult, & quidem primario.

Secunda non minus urget. Velle est operatio, quæ quidem habet objectum, quia operatio est ad aliquid: sed velle est ipsa Dei essentia: igitur se vult Deus principaliter; igitur id omne quod est essentia divina, est objectum voluntatis Dei primarium, adeoque & personæ, & attributa; hæc enim omnia sunt Deus.

Tertia hæc additur. Principale volitum, est causa volendi & motivum: sed principale & primarium voluntatis divinæ motivum, est ejus essentia, tum quia sola est summum bonum, tum quia Deus omnia operatur propter se, & est finis omnium; tum quia etiam non potest seipsum negare: igitur se vult primario, cætera vero propter se, & in ordine ad seipsum.

Quarta, eaque validissima, hæc est. Virtus attingit objectum ad æqualitatem, & finis movens potentiam, debet esse ejusdem ordinis, ejusdemque perfectionis & dignitatis: sed voluntas Dei est infinita & ipse Deus: igitur essentia divina debet esse & ipsius finis movens, & objectum primarium: essentia quippe divina est per omnia æqualis voluntati: igitur Deus se vult & quidem primario.

Quinta denique. Deus se amat: ergo & se vult. Consequentia patet; enimvero amor est pondus in amatum. Probatur antecedens ex D. Thoma lib. 1. contra Gent. c. 91. " Hoc enim est, inquit, " proprie de ratione amoris, quod amans " bonum amati velit, Deus autem vult bo- " num suum. " 2. quia se vult ut est bonum suum, hinc ait Exod. 3. 14. *Ego sum qui sum*. & Apoc. 1. 8. *principium & finis*. & ideo Is. 45. 24. *Mihi curvabitur omne genu*. Hinc & Paulus dicit: *Omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum*, & iterum, *soli Deo honor & gloria*. 3. Quia naturale est unicuique, suum velle bonum: namque quo magis amans & amatum sunt unita, eo major est ipse amor: porro Deus est sua bonitas: igitur se amat, & quidem infinite, immo ineffabiliter & necessario; ipse enim est summum bonum, nec potest se negare. Revera quidem ea ratione creaturas amamus libere quia sunt quid a nobis distinctum, nec omnem perfectionum plenitudinem habent. Huic rationi accedit altera. Non datur in nobis aut deliberatio aut electio ad amandam nostram naturam, eo quod sit bonum, & a nobis indistinctum, & menti nostræ semper præsens: a fortiori nec in Deo; quippe qui sit suum esse, ipsa bonitas, ipsa sapientia, & omnia.

Solvuntur objectiones.

OBIJCIES I. Amor est ad alterum: sed Deus non est alter a semetipso: igitur neque se vult, neque se amat.

Respondeo distinguendo majorem. Amor concupiscentiæ & amicitiæ, concedo: amor complacentiæ, nego. Primus est ad bonum absens, unde vocatur amor desiderii: alter ad bonum præsens, & vocatur amor fruitionis & complacentiæ: iste est in Deo. Ita D. Thomas supra citatus: hoc ipsum innuit etiam 1. contra gentes c. 91. his verbis: " A Dio- " nysio dicitur, quod amor est unitiva " virtus. Quanto ergo id, unde amans " est unum cum amato, est majus, tanto " est amor intensior. " Deus autem est summum bonum, immo ipsa bonitas: igitur se vult & amat maxime.

Oppones 2. Amor respicit bonum abstrahendo quod sit præsens; in hoc enim differt a gaudio, quod est de bono præsenti: sed Deus respicit semper bonum præsens; est enim ipsa bonitas: ergo se velle & amare non videtur.

Respondeo distinguendo. Amor creaturæ respicit bonum absens, concedo: amor Dei, nego. Amor creaturæ est inops & indigens, unde est extaticus, compellitque animum ad egrediendum quasi extra se, ut quærat bonum quo perficiatur & satietur: sed amor Dei est plenus & ipsa bonitas; consequenter Deus est semper in actu suorum amabilium, nihil quærens extra se, cum sit ipse omnia. Unde Aug. inducit Christum ad Christianum sic loquentem: " Non tu me mutabis in te sicut " cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in " me. "

Quod autem non sit contra rationem amoris habere objectum præsens, docet D. Thomas 1. con Gent. c. 91. his verbis: " Amor est alicujus rei, non minus cum " habetur, sed magis quia bonum aliquod " fit nobis affinius cum habetur. Unde & " motus ad finem in rebus naturalibus ex " propinquitate finis intenditur . . . . . " Quanto id ex quo est unio, est magis " intimum vel unitum amanti, tanto amor " fit firmior. Id autem unde omnia Deo u- " niuntur, scilicet Dei bonitas, est maxi- " mum & intimum Deo, cum ipse sit sua " bonitas. Est igitur in Deo amor non " solum verus, sed etiam perfectissimus, " & firmissimus. "

Ad id quod dicitur, gaudium differre ab amore in eo quod habeat bonum præsens, est solum discrepantia secundaria; primaria siquidem est quod sit dilectio resultans ex bono amato; amor vero est inclinatio & pondus in amatum, & est causa gaudii; in tantum quippe gaudemus, in quantum delectamur de bono possesso: possidemus autem per amorem, ad quem solum pertinet unire.

Obji-

Objicies 3. Justitia divina est Deus: sed Deus non videtur amare justitiam: & probatur: Justitia non est bonitas, namque punit; bonitas vero benefacit omnibus.

Respondeo, Deum favere justitiæ & velle ut mali puniantur; sanctitas enim tanta opponitur iniquitati: unde nego antecedens. Ad probationem distinguo: Justitia non est bonitas, entitative; nego: formaliter, subdistinguo; non est explicite, concedo, quia conceptum habet diversum: connotative, nego. Bonitas exigit suum propellere contrarium, unde exigit justitiam: justitia vicissim bonitatem includit; est enim ipsa bonitas cuncta ordinans, volens omne sanctum & perfectum, fugiens vero & propulsans omne malum: contraria quippe se mutuo expellunt.

Instabis: Saltem Deus suam non amat bonitatem necessario prout terminatur ad creaturas; sic enim est quid liberum.

Respondeo distinguendo: Non amat necessario suam bonitatem secundum connotata, concedo; ista quippe sunt creaturæ: non amat secundum se, nego. Licet Deus sit liber ad se communicandum ad extra, attamen est semper ipsa bonitas summumque bonum, quod est primarium suæ voluntatis objectum. Unde cum necessario se amet, utique & suam bonitatem, tametsi non amet nisi libere terminum suæ bonitatis secundarium, scilicet creaturam.

Objicies 4. D. Thomas de potentia q. 10. art. 2. ad 5. dicit Spiritum Sanctum procedere a Patre & Filio libere per amorem: igitur Deus seipsum amat libere tantum, & non necessario.

Respondeo distinguendo: Se amat libere, idest voluntarie, spontanee, & non coacte, concedo: libere libertate indifferentiæ, nego. Primum intendit solum D. Thomas, vult enim Spiritum Sanctum procedere per amorem, adeoque non coacte.

Dices: Saltem Deus non amat primario attributa; quippe quæ sequantur ad essentiam.

Respondeo negando sequelam: Cum enim attributa non sint accidentia, sed ipse Deus, consequenter amantur a Deo tanquam ad primarium objectum spectantia.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus se vult & amat, & quidem necessario.

Primo: Hujus-ce veritatis prædicator & Evangelista est ipse Christus; ait enim, Joan. 14. 31. *Ego diligo Patrem.*

Secundo: Hoc ipsum docent Patres; cujus rationem hanc egregiam afferunt: Deus est summum bonum; summe & infinite perfectus: igitur se diligit, & quidem necessario: non enim, inquit Apostolus, potest se negare.

Tertio: Id non una aut altera ratio, sed multiplex confirmat, quas hic in particulari texere supervacaneum foret: unum tantummodo præ oculis habendum est; bonum esse voluntatis objectum, illudque ad mensuram virtutis & potentiæ attingitur: cum ergo nedum aliquod, sed omne bonum sit Deus, cum voluntas divina vim habeat in amando infinitam; se amare, & quidem necessario, consequens est.

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD DIFFICULTATES OCCURRENTES.

Primo OBJICITUR: Amor est ad alterum: amor respicit bonum abstrahendo a præsentia objecti; quæ omnia imperfectionis labem redolent, adeoque a Deo prorsus eliminanda. Verum in promptu responsio adest, animadvertendo hæc & similia tantummodo dici de amore creato, nusquam vero de increato qui suum sibi identificat objectum; amor quippe divinus est ipsa bonitas. Addo amorem concupiscentiæ inopem esse & ad alterum, immo & bonum absens appetere; at vero amor Dei ad se terminatus nusquam est concupiscentiæ, sed complacentiæ; nusquam ad alterum, sed est idem realiter cum suo objecto: est ipse Deus.

Secundo objicitur: Deus suam non amat justitiam, non enim bonitas sola terminat amoris actum. Respondeo justitiam esse eandem cum bonitate entitatem, nec ab ea nonnisi virtualiter distingui: addo bonitatem relucere in justitia tum distri-

distributiva præmii, tum vindicativa, quatenus in utraque summa perfectio affulget.

Tertio: D. Thomas affirmat quidem Spiritum Sanctum procedere per amorem libere: sed τὸ libere in eo intelligit sensu quod non procedat coacte: igitur libere, idest voluntarie, sed non prævia electionis indifferentia a Patre simul & a Filio procedit, quippe sit summum bonum, adeoque omnem voluntatis divinæ adimplens capacitatem.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Deus velit alia a se libere, & amet creaturas.

CONCLUSIO PRIMA.

Deus vult alia a se, & suas diligit creaturas.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura sacra.*

DEUS ipse hanc nobis mirabilem revelat veritatem, Jerem. 31. dicens: *Perpetua charitate dilexi te*. Hinc Apostolus Eph. 2. 4. ait: *Deus propter nimiam charitatem qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, vivificavit nos in Christo*. Rursus 1. Joan. 3. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filii Dei nominemur & simus*. Sic intonat ipse Christus, Joan. 16. 27. *Pater amat vos, quia vos me amastis*. Denique Sap. 11. *Diligis omnia quæ sunt, Domine, qui amas animas*.

Secundo, *ex Patribus.*

Augustinus de cathechizandis rudibus c. 11. n. 7. " Quæ autem major causa est „ adventus Domini, nisi ut ostenderet „ Deus dilectionem suam in nobis, com„ mendans eam vehementer, quia cum „ adhuc inimici essemus, Christus pro no„ bis mortuus est? hoc autem ideo, „ quia finis præcepti & plenitudo Legis, „ est charitas: ut & nos invicem diliga„ mus, & quemadmodum ille pro nobis „ animam suam posuit, sic & nos pro „ fratribus animam ponamus; & ipsum „ Deum, quoniam prior dilexit nos, & „ Filio suo unico non pepercit, sed pro „ nobis omnibus tradidit eum, si amare pi„ gebat, saltem nunc redamare non pigeat.„

Rursus, l. 1. de Gen. ad litt. c. 8. „ Duo „ quippe sunt propter quæ amat Deus „ creaturam suam, ut sit, & ut maneat.„ Et in Psal. 89. v. 5. " Disce amare „ in cratura Creatorem, & in factura „ Factorem.„ Et Manual. c. 10. " Da spe„ ciosissime præ filiis hominum, ut amem „ te quantum volo, & quantum debeo; „ immensus es, & sine mensura debes „ amari, præsertim a nobis, quos sic „ amasti, sic salvasti; pro quibus tanta & „ talia fecisti. O amor qui semper ardes, „ & numquam extingueris, dulcis Chri„ ste, Jesu bone, charitas, Deus meus, „ accende me toto igne tuo.„

Leo Magnus Ser. de Nat. Dom. diserte hoc probat momentum. " Salvator... „ liberandis omnibus venit. Exultet San„ ctus, quia propinquat ad palmam: gau„ deat peccator, quia invitatur ad ve„ niam: animetur Gentilis, quia voca„ tur ad vitam.„ Et Ser. 2. de Epiph. ostendit amorem Dei erga homines in revelatione dilectissimi filii sui, his verbis: " Agnoscamus ergo, dilectissimi, in „ Magis adoratoribus Christi, vocationis „ nostræ, fideique primitias: & exultan„ tibus animis beatæ spei initia celebre„ mus: exinde enim in æternam hæredi„ tatem cœpimus introire.„

Bernardus suum eidem veritati addit calculum l. 5. de Consid. c. 4. " Jam se, „ o bone Pastor, vernuis vilissimus, odio „ dignissimus, sempiterno tamen confidit „ amori, quoniam se sentit amare: im„ mo quia se amari præsentit, non reda„ mare confunditur.„ Et Serm. 69. in Cant. " Ex propriis quæ sunt penes „ Deum agnoscit, nec dubitat se amari „ quæ amat. Ita est amor Dei; amorem „ animæ parit, & illius præcurrens in„ tentio, intentam animam facit, solli„ citudo, sollicitum: igitur qualem te pa„ raveris Deo, talis oportet appareat ti„ bi Deus; *Cum sancto sanctus eris, „ & cum innocente innocens eris*. Quidni „ & æque cum amante amans, & cum „ vacante vacans, & cum intento in„ tentus, & cum sollicito sollicitus? „ Denique ait, *Ego diligentes me diligo*.„

D. Thomas ex professo dirimit quæstionem

ſtionem 1. p. q. 19. art. 2. " Dicendum
" quod Deus non ſolum ſe vult, ſed
" etiam alia a ſe.... Si res naturales
" in quantum perfectæ ſunt, ſuum bonum
" aliis communicant, multo magis pertinet
" ad voluntatem divinam, ut bonum ſuum
" aliis per ſimilitudinem communicet,
" ſecundum quod poſſibile eſt. Sic igitur
" vult & ſe eſſe, & alia: ſed ſe ut finem,
" alia vero ut ad finem: in quantum
" condecet divinam bonitatem, etiam alia
" ipſam participare. " Idem ibidem q.
" 20. art. 2. Deus omnia exiſtentia amat.
" Nam omnia exiſtentia in quantum ſunt,
" bona ſunt... amor Dei eſt infundens
" & creans bonitatem in rebus. " Igi-
" tur ex D. Thoma Deus vult & amat
alia a ſe.

Tertio, *ex ratione, eaque multiplici.*

Prima ſic procedit. Deus vult & amat omne quod eſt bonum; quia bonum eſt voluntatis objectum: ſed omnes creaturæ ſunt bonæ, juxta illud Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: igitur Deus vult & amat alia a ſe.

Secunda. Quod appetit Deus, hoc ipſum vult & amat; ſed Deus deſiderat cor hominis, juxta illud Prov. 23. 26. *Fili mi, præbe mihi cor tuum.* Ergo Deus vult & amat alia a ſe.

Tertia. Deus amat quod illi placet uſque ad delicias: atqui ſic illi placent creaturæ rationales, juxta illud Prov. 8. 31. *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Ergo, &c.

Quarta. Amare, eſt velle bonum alterius, & illi facere; atqui ſic ſe habet Deus ad hominem. Et probatur: 1. Vult ipſius ſanctificationem, juxta illud. 1. Theſſ. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* 2. Gloriam, juxta illud Matt. 25. 34. *Poſſidete regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* 3. Unionem, fœdus, & deſponſationem, juxta illud Oſ. 2. *Sponſabo te mihi in ſempiternum.* Ergo Deus vult & amat alia a ſe, immo omnia extra ſe, juxta illud Sap. 11. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.*

Quinta ſic delineatur. Qui dat creaturis neceſſaria ad vitam tum habendam tum fovendam, ſane vult & amat alia extra ſe: atqui Deus optimus maximus dat creaturis & vivere; ſcriptum eſt quippe Act. 17. 28. *In ipſo enim vivimus, movemur & ſumus*: quod certe magnum eſt ejus bonitatis argumentum; ſiquidem creaturæ, quatenus Dei effectus, ſunt bonitatis ſupremæ effuſiones: hinc & providet Dominus neceſſaria ad vitam; ſic enim intonat Pſaltes regius Pſal. 144. 16. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Rurſus Pſal. 146. 9. *Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Ergo, &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Deus vult & amat creaturas libere.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura ſacra.*

HABETUR Pſalmo 93. 1. *Deus ultionum libere egit.* Et iterum alia Scriptura Epheſ. 1. 11. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Et de Chriſto Iſaias c. 53. v. 7. ait: *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Rurſus Joan. 10. 18. *Poteſtatem habeo ponendi animam, & iterum ſumendi eam.* Sed qui libere agit, qui cuncta ſecundum conſilium voluntatis ſuæ operatur; vult & amat libere creaturas: Igitur Deus vult alia extra ſe libere.

Secundo, *ex ſanctis Doctoribus.*

Ambroſius, l. 2. Exaemer. c. 2. ſic lo-
" quitur: De Creatore omnium dubitant
" utrum plures cœlos facere potuerit, de
" quo ſcriptum eſt: *Dominus autem cælos*
" *fecit*: & alibi: *Omnia quæcumque voluit,*
" *fecit.* Quid enim difficile eſt ei, cui
" velle feciſſe eſt? " Porro facere quæ
" placent, & ad nutum operari, eſt age-
re libere: Ergo, &c.

D. Thomas hic. 1. p. q. 19. art. 3. ex
profeſſo docet noſtram concluſionem. Sic
" enim loquitur: Cum bonitas Dei ſit
" perfecta, & eſſe poſſit ſine aliis, cum
" nihil ei perfectionis ex aliis accreſcat,
" ſequitur quod alia a ſe eum velle, non
" neceſſarium abſolute. "

Ter-

Tertio, *ex ratione ulteriori & quidem multiplici*; *sed uno conclusa argumento*.

DEUS non dependet ab ulla creatura: ergo non necessitatur ad amandum aliquid extra se. Probatur antecedens: Rex non pendet a subdito, Dominus a servo, Creator a creatura, summum & infinitum bonum a bono aliquo partiali & finito: sed Deus est Rex Regum, sed est Dominus dominantium, sed est summum bonum a quo cætera bona; deinque est per se beatus, bonorum nostrorum non indiget teste Propheta: igitur Deus non amat alia extra se necessario, sed tantum libere.

Solvuntur Objectiones contra primam Conclusionem.

OBJICIES 1. Velle Dei est ejus essentia: igitur Deus volendo, solummodo se vult, nusquam vero cætera.

Respondeo distinguendo: Velle Dei terminatum ad seipsum, est ejus essentia, concedo: velle terminatum ad creaturas, subdistinguo; est Dei essentia ex parte volentis, concedo: ex parte voliti, nego. Velle Dei terminatum ad creaturas, non est ipsa Dei essentia nisi ex parte Dei volentis, sed bonitas tantummodo participata. Quoniam igitur vult seipsum, sequitur velle & alia a se, eo quod creaturæ ejus participent bonitatem: ita D. Thomas hic 1. p. q. 19. art. 2. ad 1. his verbis: " Deus licet non sit ali-,, quid aliud a se, vult tamen aliquid ,, aliud a se. ,,

Instabis. Volitum movet agens, illudque perficit: sed Deus non movetur ad operandum nisi a semetipso, nec indiget bonorum creaturæ: igitur non vult creaturas; non enim potest aut moveri, aut perfici ab eis.

Respondeo distinguendo. Volitum distinctum a volente movet & perficit agens, concedo: volitum a volente indistinctum, nego. Bonitas creaturæ non movet Deum ad sui amorem, quatenus creatura est, sed quatenus ipsa Dei bonitas participata; & ideo amat se Deus, dum suas diligit creaturas; unde neque aliquid accipit ab eis, neque ab eisdem dependet. Solutio est D. Thomæ ibidem ad ,, 2. " Cum Deus alia a se non velit, ,, nisi propter finem, qui est sua bonitas... ,, non sequitur quod aliquid aliud moveat ,, voluntatem ejus, nisi bonitas sua. ,, Ratio est quia agens omne propter finem aliquem operatur: porro Deus omnia propter semetipsum operatus est; & ideo a quocunque est independens.

Instabis. Deus sibi sufficit: igitur non vult alia a se; ideo quippe aliquid extra nos appetimus, quia multa nobis desunt bona.

Respondeo distinguendo. Deus sibi sufficit, & ideo non amat aliud nisi propter se, concedo: & nullo modo amat, nego. Immo ex eo quod Deus sibi sufficiat, debet amare id omne in quo sua relucet bonitas, & cum creaturæ sint ejus bonitatis imagines & expressiones, ideo illas amat propter se. Solutio est D. Thomæ ibidem ,, ad 3. " Dicendum quod ex hoc quod ,, voluntati divinæ sufficit sua bonitas, ,, non sequitur quod nihil aliud velit; ,, sed quod nihil aliud vult, nisi ratione ,, suæ bonitatis. ,,

Oppones 2. Sicut tristitia & ira sunt passiones, ita & passionis nedum nomen, sed & labem sibi vindicat amor: sed in Deo nulla est aut tristitiæ aut iræ passio: igitur nec amoris: igitur non est amor in Deo ad creaturas.

Respondeo argumentum nimis probare; exinde enim sequeretur Deum ne quidem semetipsum amaturum esse: igitur distinguo. Amor in creaturis est passio, concedo: in Deo, nego. Amor est passio in nobis propter duo: 1. quidem, quia secundum materiale, radicem in appetitu sensitivo habet: 2. quia nonnumquam, immo & sæpissime per excessum amamus: sed in Deo ista duo momenta locum non habent; neque enim ad amandum movetur a rebus sensibilibus; neque a via aut veritatis aut justitiæ vel minimum deflectere potest: igitur si amor secundum suum formale, quod est velle alteri bonum, spectetur, optime & recte invenitur in Deo; quippe qui & creaturis velit bonum, & ipsis quidquid sunt, misericorditer conferat, juxta illud Act. 17. 28. *In ipso enim vivimus, movemur & sumus*. Non sic profecto ratiocinandum de tristitia & ira: utraque enim in suo formali conceptu importat imper-

imperfectionis labem; illa enim est de bono perdito, ista vero supponit tristitiam, & conjunctum habet excessum; unde neutra in Deo reperiri valet. Ita D. Thomas hic q. 20. art. 1.

Instabis. Amor congregat alia bona in se, ex Dionysio, l. de div. nom. c. 4. sed Deus bonorum nostrorum non indiget: igitur non amat alia a se.

Respondeo distinguendo: Amor creaturæ, concedo; cum enim sit pauper, indiget aliis, unde amat ut congreget in se alia bona, quibus ditior evadat: amor divinus, subdistinguo; congregat, idest ad suam ordinat gloriam, concedo: congregat, ut aliquid accipiat ab eis, nego. Sic docet D. Thomas ibidem, art. 1. ad 3. " Etiam, inquit, amor divinus est " vis concretiva absque compositione quæ " fit in Deo, in quantum aliis bona vult: " intellige, propter suam gloriam.

Urgebis. Amare propter se aliquid, est solum amare seipsum: sed Deus vult & amat creaturas solummodo propter bonitatem suam, quæ relucet in eis: igitur se solum vult & amat Deus, & non creaturas.

Respondeo distinguendo majorem: Amare aliquid propter se, est solum amare seipsum finaliter, concedo: est nullo modo alia amare, nego. Cum Deus agat tantum propter se, certum est se solum amare ut finem ultimum, in quo ultimate quiescit ipsius dilectio: sed nihil prohibet quominus alia amet, cum velit & faciat bonum creaturis, quæ quidem divinam participant bonitatem, sed non sunt ipse Deus.

Insistes. Amor Dei est æternus: sed Deus non amat creaturas ab æterno, alias essent ab æterno; quandoquidem amor Dei est effectivus & causa rerum: igitur non vult alia a se.

Respondeo distinguendo. Amor Dei est æternus in se, subjective, & ex parte principii a quo fluit, concedo; est enim ipse Deus: est æternus terminative, subdistinguo, ad intra, concedo; habet enim pro termino Spiritum sanctum; ad extra, nego. Deus amat quidem creaturas præsentes & futuras ab æterno, & ideo ab æterno decrevit eas producere, hinc sunt illi præsentes in æternitate: sed voluntas & amor fuit, ut producerentur tantum in tempore. Sic respondet D. Thom. ibid. ad 2.

Oppones 3. Deus non videtur amare creaturas irrationales; & probatur: non amat amore amicitiæ; hic enim est solum ad creaturas spirituales, quæ sunt capaces redamare, quod quidem exigit amicitia: neque amore concupiscentiæ; siquidem amor iste dicit imperfectionem, scilicet bonum absens: igitur nullo modo.

Respondeo negando sequelam: ad probationem distinguo; Deus non amat creaturas irrationales amore concupiscentiæ, ut dicit boni alicujus absentiam, concedo: ut concupiscentia dicit velle bonum alteri, & simul facere; illudque ordinate ad seipsum, nego. Sic solvit argumentum D. Thomas ibidem ad 3. " Non amat creaturas irrationales amore " amicitiæ, sed amore concupiscentiæ, " in quantum ordinat eas ad rationales " creaturas, & etiam ad seipsum, non " quasi eis indigeat, sed propter suam " bonitatem, & nostram utilitatem; " concupiscimus enim aliquid & nobis " & aliis. "

Dices 4. Ideo Deus vult alia a se, quia vult omnia propter se: sed hæc ratio nulla est: & probatur; si Deus vult omnia propter se, sequitur unicam esse in ipso virtutem, nempe amorem: falsum consequens, ergo & antecedens.

Respondeo negando minorem: ad probationem distinguo: erit solum in Deo virtus amoris, si eodem modo agat propter bonitatem, concedo: si modis diversis, nego. Deus in omnibus agit & propter se, & suam propter bonitatem, sed diversimode, diversoque respectu agit propter eam: in vindicta quidem bonitas apparet ut propellens malum: in visione beatifica, ut est prima & summa veritas: in misericordia, ut salvans & eripiens a miseriis, & licet sit unica perfectio in Deo, quod est ejus essentia, cuncta ditans & suis replens benedictionibus, plures tamen distinguuntur perfectiones cum fundamento in re, eo quod essentia æquivaleat omnibus a parte rei distinctis creaturarum perfectionibus: igitur est unicus quidem in Deo amor, quia sicut unico intellectu omnia intelligit, ita & unica voluntate vult omnia: ista vero voluntas habet actum virtualiter multiplicem, ad diversa se extendentem. Ita D. Thomas hic q. 19. art. 2. ad 4.

Instabis. Saltem Deus non amat peccato-

catores : hoc ipsum prædicat Propheta, qui Deum sic alloquitur, Psal. 5. V. 7. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem* : ergo, &c.

Respondeo distinguendo : Neque vult, neque amat Deus peccatores quatenus mali sunt, concedo : secundum quod habent in se aliquid boni, nego. Porro peccatores non sunt simpliciter & ex omni parte mali, quippe qui habeant & esse & vivere, immo nonnunquam vacant aliquibus operibus moraliter bonis, succurrunt proximo, operiunt nudos : igitur sub eo potissimum respectu, quo sunt boni, possunt & amari. Sic docet D. Th. hic q. 29. art. 2. ad 4. " Nihil, inquit, „ prohibet unum & idem secundum quid „ amari, & secundum aliquid odio haberi. Deus autem peccatores, in quantum sunt naturæ quædam, amat. In „ quantum vero peccatores sunt, non „ sunt, sed ab esse deficiunt, & hoc in „ eis a Deo non est, unde secundum hoc „ ab ipso odio habentur. „

Objicies 5. Si Deus amaret creaturas, amaret amore affectivo : atqui eas non amat amore affectivo : & probatur ; amor ille radicem habet in appetitu sensitivo, item extaticus est : porro Deus neque sensum habet appetitus, neque extra se fertur & egreditur; igitur suas non amat creaturas amore affectivo.

Respondeo negando minorem : ad probationem distinguo. Amor affectivus in hominibus fundatur seu radicatur in appetitu sensitivo, quia constant anima & corpore, concedo : in creaturis mere spiritualibus, nego. A fortiori nec in Deo. Amor affectivus formaliter dicit solummodo velle bonum alteri ; & sub isto respectu de Deo prædicatur, tametsi dicatur potius effectivus, quatenus Deus amando semper infundit bonitatem. Dictum est supra, amorem solius creaturæ esse extaticum ; cum enim creatura sibi non sufficiat, quærit alia extra se.

Instabis. Si Deus amaret creaturas, eas amaret æqualiter ; cum enim agat secundum conatum suæ virtutis, quæ est infinita, deberet infinite amare : atqui non amat æqualiter, quod certe apparet ex inæqualitate donorum, quæ sunt diversa in diversis. Ergo, &c.

Respondeo distinguendo. Si Deus amaret creaturas, eas æqualiter difformiter diligeret, concedo : æqualiter uniformiter, nego. Amat æqualiter omnia, quatenus cuilibet creaturæ confert necessaria & essentialia ad illum constituendam in esse talis creaturæ, sed difformiter ; quædam enim naturam habent digniorem, quibus majora confert bona. Solutio est D. Augustini qui tract. 110. in Joan. sic loquitur : " Omnia diligit Deus quæ fecit, „ & inter ea magis diligit creaturas rationales : & ex illis eas amplius, quæ „ sunt membra Unigeniti sui : & multo „ magis ipsum Unigenitum suum. „ His collimat D. Thomas qui hic 1. p. q. 20. art. 3. docet ex professo Deum unico quidem voluntatis actu omnia amare, sed multiplici donatione eaque diversa pro diversis, quæ nequeunt recipere nisi ad mensuram, eo quod sint entia finita, unde sic concludit : " Cum enim amor Dei „ sit causa bonitatis rerum, ut dictum „ est, non esset aliquid alio melius, si „ Deus non vellet uni majus bonum „ quam alteri.

Diluuntur argumenta contra secundam Conclusionem.

Objicies 18. Deus videtur ex necessitate velle quidquid vult. Et probatur. Dionysius apud D. Thom. hic q. 19. suam sic aperit mentem, & dicit : „ Sicut sol noster non ratiocinans, aut præeligens, „ sed per ipsum esse illuminat omnia „ participare lumen ipsius valentia ; ita „ & bonum divinum per ipsam essentiam omnibus existentibus immittit „ bonitatis suæ radios. „ Sed agens non præeligens, non agit libere : ergo cum, ex Dionysio, Deus non magis præeligat quam sol, sequitur eum non agere libere, sed potius omnia ex necessitate velle.

Respondeo 1. Comparationem Dei cum sole esse solum inadæquatam ; vult tantum Dionysius ut sicut sol ex officio suo illuminat omnia, ita Deus propter suam bonitatem benefaciat omnibus ; quia vero bonum est sui diffusivum, ideo Deus, qui est summum bonum, & ex natura bonitas, se diffundit omnibus, sed libere ; siquidem eo ipso quo est summum bonum, sibi ipsi sufficit, non indigens aliquo : igitur libere amat creaturas.

Resp-

Respondeo 1. distinguendo. Deus non agit præeligendo, prout electio inquisitionem importat, concedo: Hoc enim soli convenit creaturæ, quæ multa ignorat, quæque in exequendo sæpius infirma est; ideo quippe & inquirit, & media ad finem assequendum non sine labore, immo & non sine anxietate quærit. Deus præeligendo operatur, quatenus electio dicit assumptionem alicujus creaturæ ad gloriam suam, vel ostendendam, vel propagandam, ut bonorum suorum effusionem, quæ quidem conceditur uni & negatur alteri, nego. Scriptura ut plurimum loquitur de electis. Eo prorsus sensu Christus Joan. 15. 16. suos sic alloquitur Apostolos: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Et Matth. 25. 34. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi*: Igitur electio formaliter sumpta est in Deo, quandoquidem sub ista consideratione, non inquisitionem, sed uni, & non alteri, aliquam conferre gratiam importat.

Objicies 2. Consilium formaliter sumptum inquisitionem importat, proindeque non est in Deo: igitur non vult Deus alia a se libere; nam velle libere, est velle per deliberationem rationis; jam vero deliberatio dicit potentialitatem; namque dicit egredi de potentia ad actum: quæ quidem omnia imperfectionem maxime redolent.

Respondeo distinguendo. Consilium & deliberatio non sunt in Deo secundum inquisitionem & potentialitatem, concedo: secundum ordinationem, nego. Consilium & deliberatio formaliter sumpta important ordinationem mediorum cum fine, quæ quidem ordinatio est finis & effectus simul tum consilii, tum deliberationis. Quod autem homines procedant per inquisitionem, & successive moveantur ad agendum, ex eorum proficiscitur limitatione, ex quo manifeste sequitur, consilium ut inquisitionem complectitur, nusquam in Deo optimo maximo reperiri, bene vero ut ordinationem importat, quæ sane competit supremæ & divinæ sapientiæ, cujus proprium est cuncta a fine usque ad finem & fortiter attingere, & suaviter disponere.

Oppones 3. Deus vult alia propter suam bonitatem: sed vult suam bonitatem necessario: ergo & alia.

Respondeo distinguendo. Vult alia propter suam bonitatem, ut media ad ipsam ordinata tanquam ad finem, concedo: vult alia tanquam finem, nego. Vult bonitatem suam ut finem, adeoque necessario; cætera ut ordinata ad finem, adeoque libere; quia finis, scilicet bonitas divina, potest esse sine eis. Solutio est D. Thomæ hic q. 19. art. 3. ad „ 2. " Dicendum quod licet Deus ex „ necessitate velit bonitatem suam, non „ tamen ex necessitate vult ea, quæ vult „ propter bonitatem suam: quia bonitas „ ejus potest esse sine aliis. „

Instabis: Quicquid Deus vult, naturaliter vult, item & ab æterno: sed quod procedit naturaliter & ab æterno, procedit necessario; siquidem aliter fieri non potest: igitur Deus vult alia a se necessario.

Respondeo distinguendo. Quæ sunt ad intra, quales sunt perfectiones divinæ, Deus vult necessario, concedo: quæ sunt ad extra, subdistinguo; naturaliter vult, idest non coacte, sed voluntarie, concedo: idest necessario, nego. Tametsi Deus vult ab æterno quidquid vult ad extra, vult tamen libere, quia sicut voluit ab æterno ut Petrus esset, ita potuit ab æterno velle, ut Petrus non esset. Ita D. Thomas ibid. ad 3. " Non „ est naturale Deo velle aliquid aliorum „ quæ non ex necessitate vult: neque „ tamen innaturale, aut contra natu„ ram, sed est voluntarium. " & ad „ 1. " Dicendum, quod ex hoc quod „ Deus vult ab æterno quidquid vult, „ non sequitur quod necesse est eum illud „ velle, nisi ex suppositione. „

Nova fit instantia. Si Deus vellet alia a se libere, posset illa nolle, & sic esset contingentiæ labes in Deo; quandoquidem possibili posito in actu non sequitur absurdum: sed non potest dici in Deo reperiri contingentiam, alias mutaretur: igitur omnia vult necessario. Confirmatur: Quod est indifferens ad utrumlibet, indiget ab alio determinari: sed Deus non determinatur ab alio, cum ipse potius determinet omnia: igitur non vult alia a se libere.

Respondeo distinguendo: Si Deus posset nolle

nolle alia a se, per defectum in se, concedo: si solum per defectum in alio, nego. Ideo Deus potest nolle creaturas, quia iis non indiget, unde manet in se immutabilis; contingentia arguit quidem defectum, sed solum in creatura, a qua Deus non dependet: nos vero libere volumus alia propter duo. Primo, quia non habent totam rationem boni: secundo, quia perficimur ab objecto amato, & ideo mutamur, sive amando quod antea non amabamus, sive alia meliora quærendo. Solutio est D. Thomæ ibidem art. 3. ad 4. ubi dicit solem, quantumvis causam necessariam, quandoque tamen effectum contingentem producere; quandoque etiam nullum, defectu recipientis influxum; quia passum non est bene dispositum: sic arbor mala bonos non producit fructus. Unde sic concludit D. Thomas: " Et similiter; quod Deus ,, non ex necessitate velit aliquid eorum ,, quæ vult, non accidit ex defectu ,, voluntatis divinæ, sed ex defectu ,, qui competit volito secundum suam ,, rationem: quia scilicet est tale, ut sine ,, eo esse possit perfecta bonitas Dei; qui ,, quidem defectus consequitur omne bo- ,, num creatum. ,,

Ad Confirmationem distinguo. Quod est indifferens ad utrumlibet, indiget ab alio determinari, si sit indifferens per defectum, ut dictum est modo de creatura, concedo; unde debet ab alio determinari: si sit indifferens per perfectionum & bonorum abundantiam, nego. Sic Deus est indifferens; unde seipsum determinat. Sic prædicat D. Thomas ibidem ad 4. " Causa, quæ est ex se contin- ,, gens, oportet quod determinetur ab ,, aliquo exteriori ad effectum. Sed vo- ,, luntas divina quæ ex se necessitatem ,, habet, determinat seipsam ad volitum, ,, ad quod habet habitudinem non neces- ,, sariam. ,,

Iterum instabis. Omnia scit Deus necessario, etiam alia extra se: ergo & vult.

Respondeo negando paritatem, quia res cognoscuntur quatenus sunt in sciente per imagines & species suas; Deus autem habet necessario omnium rerum ideas; sunt enim ipsa ejus essentia, ut diversimode participata & participabilis; unde cum cognoscat se necessario, & suam essentiam, scit utique ea quæ potest facere; igitur necessario cognoscit omnia, sed vult res per suæ effusionem bonitatis extra se. Porro non tenetur se diffundere; tum quia sibi sufficit, tum quia si extra se diffunderetur, quantum participabilis ejus bonitas est, infinite se communicaret, & sic creaturæ forent in perfectionibus infinitæ, quod manifeste implicat; nulla quippe creatura produci potest, qua aliam longe meliorem in infinitum Deus condere non queat. Solutio est D. Thomæ ibidem art. 6.

Adhuc insistes. Ex eo quod Deus sit impeccabilis, necessario odit peccatum: igitur cum eadem prorsus sit lex contrariorum, necessario amat actum bonum, quem elicit creatura: ergo Deus quædam vult necessario extra se & amat.

Respondeo negando paritatem. Et vero Deus ex necessitate quidem odit peccatum, tum quia est illi oppositum, quia seipsum negare non potest: sed amat libere creaturas, quatenus bonas, quippe quæ bonitatem duntaxat finitam & limitatam habeant; unde voluntatem divinam, quæ alias sibi sufficit, aut rapere aut necessitate attrahere ad sui amorem non valent. Porro non est de essentia libertatis secundum se spectatæ, ut aliquis possit peccare, vel non peccare; hoc enim solis competit creaturis, quæ sunt defectibiles; nec mirum, ex nihilo prodeuntes, etiam in nihilum proprio abeunt pondere: Quid plura? homo per peccatum originale corruptus est. Igitur solum est de essentia libertatis ut sic, ut humana voluntas suum possit ponere vel non ponere actum. Denique cum Deus sit summum bonum, ab omni creatura prorsus independens est, adeoque nulla compellitur necessitate ad illam aut producendam, aut productam amandam.

Solutio est D. Thomæ qui hic 1. p. q. 62. art. 8. ad 3. diserte ostendit non solum per impeccabilitatem non tolli Dei libertatem, sed potius adornari, in quantum facit ut Deus velit res salvato ordine finis, & semper secundum justitiæ regulas. " Liberum arbitrium, inquit, sic ,, se habet ad eligendum ea quæ sunt ,, ad finem, sicut se habet intellectus ,, ad conclusiones. Manifestum est autem quod ad virtutem intellectus per-

tinet

„ tinet ut in diversas conclusiones procedere possit secundum principia data : „ sed quod in aliquam conclusionem procedat prætermittendo ordinem principiorum, hoc est ex defectu ipsius : unde „ quod liberum arbitrium diversa eligere possit servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus; sed „ quod eligat aliquid divertendo abordine „ finis, quod est peccare, hoc pertinet ad „ defectum libertatis. Unde major libertas „ arbitrii est in Angelis qui peccare non „ possunt, quam in nobis qui peccare possumus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus amat alia extra se, sed libere.

PRIMO quidem. Deus amat alia extra se juxta illud Sap. 11. *Diligis omnia quæ sunt*. Hanc reddit rationem Scriptura Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. Si bona, profecto cuncta diliguntur a Deo : nam bonum est voluntatis objectum. Eandem veritatem propugnat Augustinus l. de Catec. Rud. c. 4. Eandem Leo Magnus Serm. de Nat. &c.

Secundo. Deus amat alia extra se libere; scriptum est enim Psal. 93. 1. *Deus ultionum libere egit*. Ratio D. Thomæ est, quia creatura quantumvis perfecta, nec omne bonum est, nec aliquid perfectionis Deo addere potest : igitur amatur ab eo libere.

SYNOPSIS SOLUTIONUM
AD ARGUMENTA IN CONTRARIUM.

PRIMO dices : Deus sibi sufficit, & ab alio moveri non potest ad aliquid faciendum; motivum enim est ejusdem ordinis cum moto : præterea amor est passio, & congregat bona ut ditior evadat; quæ quidem omnia summam arguunt imperfectionem : denique neque creaturas irrationales, neque peccatores amare videtur Deus; cum nihil ad ejus gloriam conferant : quid plura ? si amat alia extra se, amat propter se : igitur semetipsum, non creaturas diligit.

Respondeo. Deus sibi sufficit, & ideo amat creturas propter se & libere. Ad secundum : Non movetur ab alio, sed a sua propria bonitate, quatenus in creatura collucet. Ad tertium : Amor creatus est passio; quia vel in appetitu sensitivo ex parte radicatur, ut in homine, vel excessum habet, ut in Angelis apostatis apparuit, congregat utique & extaticus est : at vero amor divinus est ipse omne bonum. Ad quartum : Deus amat & creaturas irrationales & peccatores, non certe secundum quod aliquem implicant defectum, sed ut in eorum esse se prodit bonitas divina. Ad quintum : Deus diligit se in creaturis tanquam ultimum suæ dilectionis finem, nihilominus amat & creaturas, juxta illud Jer. 31. 3. *Perpetua charitate dilexi te*.

Secundo. Deus amat quidem creaturas libere : at non ut libere importat inquisitionem, sed summam independentiam, summumque dominium. Amat propter se : non tamen necessario, quandoquidem objectum ejus orga nos amoris est bonitas finita. Amat libere : sed absque sui mutatione; enimvero, contingentia & mutatio se tenent ex parte creaturæ. Denique Deus necessario quidem odit peccatum : sed non ideo diligit necessario creaturam : non enim eadem est utriusque ratio. Inest Deo libertas contradictionis ad extra, sed non contrarietatis. Ex quo manifeste sequitur necesse esse Deum odio prosequi peccatum, amore vero libero bonum creatum, qualis est creatura.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum sit libertas in Deo, & qualis.

CONCLUSIO.

Deus est liberrimus. Et est de fide.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura*.

I. PSAL. 140. *Omnia quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra*.

II. Rom. 9. 18. *Cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat*.

III. 1. Cor. 12. *Hæc operatur unus atque idem*

idem spiritus, dividens singulis prout vult.

IV. Jacob. 1. 18. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis.* Sed facere quod sibi placet, misereri cujus vult, dividere & distribuere dona ad suæ voluntatis nutum, est esse liberrimum: igitur cum ex Scriptura Deus sic operetur, manifestum est eum gaudere libertate perfectissima.

Secundo, *ex Patribus*.

Hieronymus in Cap. 1. Epist. ad Philemonem. ℣. 14. ait: " Si Deus voluntarie „ & ex necessitate bonus est, debuit hominem faciens, ad suam imaginem & „ similitudinem facere, hoc est, ut ipse voluntarie & non ex necessitate bonus „ esset. Qui autem asserunt ita eum debuisse fieri, ut malum recipere non posset, „ hoc dicunt: talis debuit fieri qui necessitate bonus esset, & non voluntate. „ Quod si talis fuisset, qui bonum, non „ voluntate, sed necessitate perficeret, „ non esset Deo similis, qui ideo bonus est, quia vult, non quia cogitur. „

Epiphanius Hær. 23. n. 5. " Deus Pater „ hominem, & cætera omnia pro sua voluntate procreavit. „

Macarius Hom. 25. p. 205. dicit hominem, eo ipso ad imaginem Dei esse factum, quod sit liber, ac sui juris, quoniam ut Deus liberi est arbitrii, & quod „ vult facit .... ita & tu liberi es arbitrii. „

Ambrosius hic annumerandus est, qui l. 1. Exaem. c. 5. ait: " Principium & origo substantiæ universorum, idest ex voluntate ejus & potestate. Omnia enim ex „ ejus voluntate cœperunt, quia unus „ Deus pater, ex quo omnia. Etenim „ tanquam ex suo fecit, quia unde voluit, „ fecit ... & quandiu vult, omnia „ ejus virtute manent, atque consistunt. „ In ipsum est finis eorum; nam cuncta in „ Dei voluntatem recurrunt & ejus arbitrio „ resolvuntur. „

Non omittendus Augustinus l. de Nat. & Grat. c. 7. n. 8. „ Quia enim Dominus Lazarum suscitavit, sine dubio potuit: quia „ vero Judam non suscitavit, numquid „ dicendum est, non potuit? potuit ergo, sed noluit. Et l. 22. de civ. Dei; „ c. 30. " Certe Deus ipse nunquid quoniam peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est? „

Devotus quoque Bernardus testis egregius. Namque l. de gratia & libero arb. sic loquitur " Verum libertas a necessitate æque „ & indifferenter Deo, universæque tam „ malæ quam bonæ rationali convenit creaturæ. „

D. Thomas id docet ex professo 1. p. q. 19. art. 3. l. contr. Gent. c. 81. 82. 83. 88.

Tertio, *ex Rationibus D. Thomæ*.

Prima. Ille est liber ad extra, qui bonorum nostrorum ad sui nominis exaltationem non indiget: atqui res sic se habet. Probatur, & quidem dupliciter. 1. Licet Deus ad extra se se manifestare voluerit, ad hoc nulla vi aut necessitate compulsus fuit, maxime vero cum sibi sit, teste Tertulliano, sufficientissimus, nempe & beatitudo, & solium, & regnum: igitur vel creaturas producere non opus habuit, vel si produxerit, libere procul dubio egit. 2. Ex hypothesi quod eas ad gloriam suam condere decreverit, ad nullas in particulari alligatus, potuit istis vel aliis possibilibus ad nutum uti. Quid plura? creaturæ quæcumque, ad objectum tantummodo secundarium gloriæ Dei spectant; unde necessariam non habent cum ipso connexionem: igitur Deus fuit liberrimus operando ad extra. Hæc ratio est D. Thomæ, lib. 1. contra Gentes c. 81. " Voluntas autem non ex necessitate fertur in ea quæ sunt ad finem, si finis sine his esse possit. Non „ enim habet necesse medicus, ex suppositione voluntatis quam habet de sanando, illa medicamenta adhibere infirmo, „ sine quibus potest nihilominus infirmum „ sanare. Cum igitur divina bonitas sine „ aliis esse possit, quinimmo nec per alia „ sibi aliquid accrescat, nulla inest ei necessitas, ut alia velit, ex hoc quod vult „ suam bonitatem. „

Secunda. Ille est liber ad extra & circa creaturas, qui iis ablatis, adhuc remanet summum bonum, adhuc totam, eamque essentialem habet in se bonitatis rationem: atqui sublatis omnibus creaturis, remanet adhuc in Deo tota & essentialis ratio bonitatis; quandoquidem ipse est summum bonum: igitur est perfecte liber

ber in ordine ad creaturas. D. Thomas ibidem hanc affert rationem: " Solum igitur „ illud bonum voluntas secundum sui ra„ tionem non potest velle non esse, quo „ non existente tollitur totaliter ratio bo„ ni: tale autem nullum est præter Deum. „ Potest igitur voluntas, secundum sui „ rationem, velle non esse quamcumque „ rem, præter Deum. „

Tertia. Ille est liber ad extra, qui se habet ad creaturas ut artifex ad artificiata: namque liberum est artifici facere quod vult; atqui Deus sic se habet ad creaturas, dicente Paulo Rom. 9. Sicut figulus luti potestatem habet facere vas aliud in honorem, aliud vero in contumeliam: ita & Deus. Sic docet D. Thomas ibidem. " Res, inquit, procedunt a Deo, „ sicut artificiata ab artifice ... Sed ar„ tifex quamvis velit se habere artem, „ non tamen ex necessitate vult artificiata „ producere; ergo nec Deus ex necessita„ te vult alia a se.

Quarta. Ille est perfecte & extrinsece liber, qui seipsum determinat ad volendum unum potiusquam aliud; & vero ubi non est libertas, agentia manent ex se determinata ad unum; sic sol manet ad lucendum semper determinatus; sed Deus seipsum determinat ad quod vult; hinc quidam & non omnes electi: hinc ab æterno Deus se determinavit ad quasdam producendas creaturas, & ad quasdam in statu meræ possibilitatis relinquendas; immo, nisi suum ad præsentes direxisset decretum, nusquam habuissent esse. Jam vero si forent necessariæ, forent utique & Deo coæternæ, dicam, & ab eo independentes, quippe quæ fluerent a Deo ut proprietates fluunt a cujuslibet rei essentia, adeoque ut quid essentiæ divinæ necessario connexum, quod sane implicat. Hæc ratio colligitur ex D. Thoma qui ibid. c. 88. ait: " Voluntas di„ vina in his ad quæ non secundum naturam „ suam determinatur, inclinatur quodam„ modo per suum intellectum .... Sed ex „ hoc homo dicitur præ cæteris animalibus „ liberum arbitrium habere, quia ad volen„ dum judicio rationis inclinatur, non im„ petu naturæ, sicut bruta: ergo in Deo „ est liberum arbitrium. „

Quinta. Ille est liber, qui est suarum operationum ad extra dominus: sed Deus est suarum operationum ad extra dominus; talem potest enim producere creaturam vel non producere: igitur est liber ad extra. Hæc ratio colligitur ex D. Thoma, qui ibidem c. 88. ait: " Ho„ mo per hoc quod habet liberum arbi„ trium, dicitur suorum actuum dominus: „ hoc autem maxime competit primo „ agenti, cujus actus ab alio non depen„ det. „

Sexta. Libertas competit omni creaturæ spirituali, quæ triplici gaudet universalitate; scilicet in essendo, quia fit quodammodo omnium recipiendo in intellectu species rerum; in judicando, de omnibus judicium fert, videns quid sit bonum, quidve malum; in appetendo, bona particularia appetit ad nutum & per electionem, unde licet velit necessario finem & beatitudinem in communi, non tamen media; quippe quæ sub electione cadant. Sed Deus est simpliciter & in omni linea universalissimus; in essendo quidem, cælum & terram implet: in judicando, scit quod est in creatura, juxta illud Psal. 35. 15. *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*. Denique & in appetendo, tanto liberior quanto magis ab omnibus creaturis independens: igitur est liberrimus ad extra.

Septima, eaque a priori. Libertas sita est potissimum in indifferentia objecti, in indifferentia intellectus & voluntatis: in prima quidem; eo enim ipso quo objectum non habet totam boni rationem, profecto se habet indifferenter ad animam, quæ ipsi ex necessitate non alligatur: secunda sequitur ad istam; nusquam enim bonum particulare & contingens judicat intellectus necessario amandum: ad utrumque vero consequitur indifferentia voluntatis, quæ eligit & amat objectum libere, eo scilicet modo, quo illi proponitur: enimvero fertur secundum judicium in amatum, adeoque libere. Sed si hæc ita sint de objecto creato respectu creaturæ rationalis, a fortiori respectu Dei, qui est Dominus, adeoque independens: qui est omnipotens, adeoque nihil expectans a creatura; infinite se amans, adeoque non replebilis per creaturam; solum quippe bonum infinitum potest illum satiare: igitur est ad extra liberrimus.

Octava ex D. Bernardo l. de Gratia

& libero arb. c. 3. desumitur. Triplex, ipso teste, est libertas, scilicet a necessitate, a peccato, & a miseria: sed illa triplex est eminentissime in Deo. A necessitate quidem; a nulla quippe ligatur creatura, etiam sanctissima, quia omnis creatura tanquam nihilum ante illum, ut ait Propheta Psal. 38. 6. A peccato; *mundi sunt oculi tui*, inquit Habac. 1. 13. *ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris*. A miseria denique, quia dives est, etiam in misericordiis, invocantibus illum, ait Apostolus Rom. 10. 12. Igitur, &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Libertas Dei est ipsemet actus Dei necessarius, connotans creaturas, ad quas habet habitudinem non necessariam.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura sacra.*

PRIMO, Deus dicitur simplex: ita habetur Sap. 7. 22.

Secundo. Idem Deus dicitur omnipotens Gen. 28. 3. Dominus exercituum, Jerem. 30. 9. Psal. 93. 1. libere agere: Dictum est enim supra, non esse in Deo distinctionem realem inter naturam seu essentiam & operationem.

Tertio. Celebris est locus 1. Cor. 12. *Hæc operatur*, inquit Apost. *unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult*. Igitur idem actus, quo Deus vult se & suas perfectiones necessario, vult & alia a se libere.

Secundo, *ex Patribus, & sanctis Doctoribus.*

Cyrillus l. 19. Thesau. pag. 189. sic loquitur: "Est autem, inquit, simplex Deus „ natura sua, nihilque in eo compositum. „

Junilius Africanus Episcopus l. 2. de partibus divinæ Legis c. 19. ait " Deus simplex est, nec est in eo aliud essentia, „ quam voluntas. Unde & omnia nomina operationis ejus, licet inter se definitionibus differant, apud ipsum tamen „ nulla differentia, vel diversitas invenitur. Itaque & essentia vel natura facit, quia ei nihil accidens est; & tamen „ etiam voluntate, quia nihil necessitate „ efficit, aut coactus. „

Adstipulatur D. Thomas 1. contr. Gent. c. 82. " Voluntas, inquit, Dei, uno & „ eodem actu vult se & alia. Sed habitudo ejus ad se, est necessaria, & naturalis: habitudo autem ejus ad alia est „ secundum convenientiam quandam, non „ quidem necessaria, & naturalis, neque „ violenta, aut innaturalis, sed voluntaria. „

Idem 1. p. q. 19. art. 3. ad 5. " Voluntas „ divina, quæ ex se necessitatem habet, „ determinat seipsam ad volitum, ad quod „ habet habitudinem non necessariam. „ Igitur libertas Dei est actus necessarius, connotans creaturas ad quas habet habitudinem non necessariam, sed maxime liberam.

Tertio, *ex ratione multiplici.*

Prima sic exponitur. Actus Dei necessarius, omnem in se includit bonitatem, omnem in operando virtutem; siquidem energiam infinitam habet: igitur idem in se manens, potest terminari ad creaturas, easque vel producendo, vel etiam destruendo immutare; nulla quippe virtus additur actui in perfectionibus & in efficacia infinito, alias nec ipse, nec ejus virtus foret infinita: igitur libertas Dei sita est in actu necessario, prout connotat creaturas ad quas absolutam non habet habitudinem.

Secunda: Deus est immutabilis, immotus, in se manens, omnia movet: igitur idem actus necessarius, est liber ad extra, in quantum de se sufficit ad immutandas creaturas absque aliquo superaddito, sed simpliciter tangendo creaturam: sicut igitur sol illuminat hominem de novo natum per simplicem radii extensionem ad illum, sicut Verbum terminare cœpit sanctam humanitatem, quando formata est, nihil recipiendo, sed tantum suam extendendo virtutem ad terminandam naturam de novo productam; ita & eadem Dei operatio immutat creaturas, illas tum tangendo, tum suam extendendo virtutem ad eas, nihil de novo recipiendo, quia est ex se plenus, & ideo immutabilis.

Tertia: Eadem essentia divina propter dila-

distinctionem virtualem inter seipsam & operationes notionales, est simul communicabilis, & incommunicabilis: communicabilis quidem, secundum se, omnibus personis, incommunicabilis vero, Filio & Spiritui sancto, ut dicit paternitatem: igitur & idem actus a fortiori poterit esse liber & necessarius; liber quidem, ut connotat creaturas, a quibus Deus non dependet; necessarius vero, ut connotat essentiam divinam.

Quarta: Deus ex se, & essentialiter est ens necessarium & independens: igitur ex se, & per ipsum actum in se necessarium, est liber, quia per ejusmodi actum formaliter est independens.

Quinta: Idem actus fertur in objectum primarium & secundarium, maxime si nihil accipiat a secundario: sed objectum primarium divinæ voluntatis, est summum bonum, & ipsa essentia divina; secundarium vero, creatura, a qua actus Dei nihil accipit; neque enim Deus recipit speciem aut perfectionem ab objecto creato, sicut voluntas creata, quæ speciem habet & perfectionem a bonitate emendicata: ergo.

Solvuntur objectiones contra primam conclusionem.


OBJICIES 1. Hieronymus Epist. 146. ad Damasum de filio prodigo sic loquitur: "Solus Deus est in quem peccatum non „ cadit: cætera cum sint liberi arbitrii, „ possunt in utramque partem, suam „ flectere voluntatem. „ Idem in explanatione Symboli ad eumdem, quæ habetur tomo 9. sub titulo Epist. 17. dicit Jovinianum sustulisse arbitrii libertatem, eo quod assereret hominem non posse peccare: "Nos vero dicimus, inquit, ho- „ minem semper & peccare, & non pec- „ care posse, ut semper nos liberi con- „ fiteamur esse arbitrii. Unde similiter se- „ quitur Deum non esse liberi arbitrii, „ eo quod peccare non possit. „ Igitur ex Hieronymo Deus non est liber, quia non est illi potentia ad oppositum.

Respondeo solutionem patere ex dictis in articulo præcedenti. Unde respondeo distinguendo consequens. Deus non est liber libertate contrarietatis, quæ est ad bonum & malum, concedo; soli enim creaturæ defectibili competit: libertate contradictionis, quæ est ad actum & non actum, nego; potuit enim condere vel non condere creaturas. Hieronymus loquitur de prima libertate tantum, quando dicit Deum non esse liberum, quia tamen competit creaturæ posse deficere, recte probat libertatem esse in nobis, etiam per hoc quod possumus bonum & malum eligere. Secundus locus non est, inquit Estius in 1. dist. 45. §. 2. Hieronymi, sed Pelagii, apud Innocentium Papam de hæresi frustra se purgantis per quamdam fidei confessionem suam: unde non ponderat.

Opponens 2. Ille non est liber, qui non est indifferens ad actum, & non actum: atqui Deus non est indifferens ad actum & non actum: Et probatur. 1. Si esset indifferens ad actum & non actum, foret potentialitas in eo, quod repugnat. 2. Deus est summum bonum, & consequenter sui diffusivum; igitur Deus necessario vult, saltem aliquas creaturas; nam & de illo dicitur, proprium ejus esse misereri semper & parcere. 3. Vult necessario ut sol v. g. luceat. Igitur non est indifferens ad actum & non actum.

Respondeo distinguendo minorem. Deus non est indifferens ad actum, & non actum, indifferentia potentiæ, concedo: indifferentia actus & positionis, nego. Duplex distinguitur indifferentia, altera potentialis, altera actualis: prima consistit in eo quod agens possit reduci ad actum, vel non actum circa aliquod objectum; sic quando volumus aliquid, egredimur & prosilimus de potentia ad actum: secunda in eo potissimum sita est, quod agens possit suum extendere actum ad aliquem novum terminum; vel non extendere. Illa non est in Deo, siquidem est actus purus; bene vero illa, quia Deus est ab omni creatura independens: unde

Ad primum, distinguo. Si Deus esset indifferens indifferentia potentiæ, posset ponere actum vel non ponere, adeoque separari a suo actu, sicut creaturæ, quæ non sunt semper in actu, concedo: si esset indifferens indifferentia actus, nego. Est igitur semper in actu, unde nulla est in eo potentialitas: igitur actus divinus est liberrimus ad extra, quia potuit, si Deus voluisset, non terminari



ad creaturam, quia sibi sufficiens est Dominus.

Ad secundum, distinguo. Deus est summum bonum, & ideo communicatur necessario ad intra per processionem Spiritus sancti, qui est terminus adæquatus ejus voluntatis, volentis & amantis, concedo: ad extra, subdistinguo; communicatur necessario necessitate suppositionis, concedo: necessitate absoluta, nego. Supposito quod Deus ad extra se se manifestare voluerit, necessario diffundi debet; quandoquidem diffusio in bonis plurimum elucet. Quid plura? Bonitatis divinæ effusio recte quidem prolatur, cum Deo proprium esse misereri prædicemus: verum & liberrimus fuit in sui ad extra communicatione, quia sibi sufficientissimus est. Solutio est D. Thomæ 1. cont. Gent. c. 83. ubi ex professo probat Deum quædam velle ad extra necessario, sed tantum necessitate suppositionis, & hypothetica.

Ad tertium, distinguo. Deus vult, ut sol necessario luceat, necessitate se tenente ex parte solis, determinati ab agente superiori ad unum; quia hoc ejus competit naturæ, concedo: necessitate se tenente ex parte Dei creantis, nego: potuit enim Deus non creare solem, sed ex suppositione quod voluerit ut hic mundus conderetur, sic ordinavit, ut quædam agentia sublunaria moverentur necessario, quædam vero libere; omnia conformiter naturæ finis, & exigentiæ.

Instabis. Atqui Deus non est indifferens indifferentia etiam actus: & probatur. 1. Actus quo Deus vult creaturas, idem est ac actus quo Deus seipsum vult; est enim unicus actus in Deo, quo sese, & alia vult: igitur & semper necessarius. 2. Actus, quo Deus vult creaturas, est ab æterno, & semper in actualitate: igitur & necessarius, quia ille actus non potuit manere suspensus, alias foret in Deo potentialitas, sicut creaturæ accidit; modo enim esset in actu, modo non.

Respondeo negando subsumptum. Ad primam probationem, distinguo. Actus idem est entitative, concedo; namque quidquid est in Deo, Deus est: idem est formaliter, nego. Revera quidem actus Dei, reduplicative ut necessarius, connotat essentiam divinam; sed reduplicative ut liber, connotat creaturas, quæ quidem distinctio quodammodo virtualis, sufficit ut actus sub uno respectu sit absolutus, sub alio vero liber.

Ad secundum, distinguo. Actus Dei est ab æterno, & ab æterno Deus se determinavit libere ad producendas tales vel tales creaturas, concedo: & non libere, sed necessitate compulsus ad hoc se determinavit, nego. Jam ad aliam respondeamus difficultatem, sic distinguendo; voluntas Dei non potuit manere suspensa, suspensione actus, concedo; suspensione objecti, nego. Deus quidem non potuit manere in se circa aliquid suspensus, namque ab æterno voluit libere quæ sunt & quæ futura sunt; igitur nulla fuit in Deo actus suspensio, sed tantum objecti, quatenus quædam non condere decrevit.

Rursus instabis. Actus specificatur ab objecto primario: sed objectum actus divini primarium est ineffabilis Dei essentia, quæ simpliciter & absolute est necessaria: igitur & actus ex omni parte necessarius. Confirmatur; creatura nequit esse objectum Dei primarium; quis enim aut dicere aut probare poterit Dei actum a creatura specificari? maxime vero cum actus ille creaturam solummodo connotet, & divinam importet in recto seu principaliter essentiam: porro actus denominatur ab eo quod primario dicit: igitur actus Dei est simpliciter & absolute necessarius, & nullo modo liber.

Respondeo distinguendo. Actus Dei dicit primario essentiam, ut est necessarius, concedo: ut consideratur respective ad creaturas, subdistinguo; dicit primario essentiam, connotantem creaturas, concedo: non connotantem, nego. Cum actus liber sit attributum respectivum, connotat creaturas; sed primario & in recto dicit essentiam divinam, ut perfectionibus refertam, ut independentem & omnipotentem; in hoc enim potissimum Deus liber est, quod sibi & sufficiat & sit summum bonum: quinimmo tametsi nullæ forent creaturæ, maneret semper liber, quatenus si vellet, aut si sibi placeret, eas produceret. Et sic patet responsio ad confirmationem: enimvero creatura neque est objectum voluntatis divinæ primarium, neque spe-

ſpecificat libertatem divinam ; ſed ipſa potius eſſentia Dei , ut independens & omnipotens , in quantum quidquid vult , poteſt facere .

Inſtabis adhuc . Exinde ſequitur eſſentiam divinam eſſe objectum liberum , quia eſt objectum voluntatis divinæ ut liberæ , adeoque erit contingens , & poterit eſſe vel non eſſe , ſicut objectum libertatis : ſed abſurdum conſequens : ergo & antecedens .

Reſpondeo diſtinguendo : Eſt objectum liberum efficienter , concedo : formaliter , ſubdiſtinguo ; ut connotat creaturas , & ratione termini , concedo : ratione ſui , nego . Eſſentia divina eſt objectum actus Dei liberi efficienter , in quantum Deus poteſt facere quidquid vult ; ſed non eſt paſſive & terminative , niſi ut connotat creaturas ; enimvero cum libertas ſit attributum reſpectivum , debet connotare creaturas , quibus dominatur ; & ideo tota contingentia ſe tenet ex parte termini , ſeu creaturæ , quæ poteſt immutari ad placitum Dei . Nec mirum , actus liber Dei nihil accipit a termino , ſed dat illi quod eſt , & ideo nequit ſpecificari a creatura , & ab ipſa dependere , niſi improprie , & ut a conditione ſine qua non , ſed nullo modo realiter .

Diluuntur Objectiones adverſus ſecundam Concluſionem militantes .

OBJICIES . Actus neceſſarius eſt totaliter neceſſarius : igitur actus liber , etiam in Deo , eſt a neceſſario formaliter diſtinctus .

Reſpondeo diſtinguendo . Actus neceſſarius eſt totus neceſſarius entitative & in ordine ad Deum , concedo : eſt totus neceſſarius & non eminenter liber , connotando creaturas , nego . In ſe quidem eſt totus neceſſarius ; eſt enim ipſe Deus ; ſed eminenter liber eſt , in quantum poteſt immutare creaturam . Ratio a priori aſſignatur , quia Deus non eſt liber libertate potentialitatis ſicut creatura , quæ egreditur de potentia ad actum : ſed libertate actus , & puræ independentiæ ; & ideo actus liber idem eſt cum neceſſario ; enimvero Deus eſt ens neceſſarium & plenum , & ideo a creaturis independens & liber .

D. *Thomas* 1. contr. Gent. c. 82. totum explicat myſterium , his verbis : " Eſſe ad utrumlibet poteſt dupliciter convenire alicui virtuti , uno modo ex parte ſui , alio modo ex parte ejus ad quod dicitur ; ex parte quidem ſui , quando nondum eſt conſecuta ſuam perfectionem per quam ad unum determinetur : unde hoc in imperfectionem virtutis redundat , & oſtenditur eſſe potentialitas in ipſa . Ex parte autem ejus ad quod dicitur , invenitur aliqua virtus ad utrumlibet eſſe , quando perfecta operatio virtutis a neutra dependet , ſed tamen utrumque eſſe poteſt : ſicut aliquis qui diverſis inſtrumentis uti poteſt æqualiter ad idem opus perficiendum : hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet , ſed magis ad ejus eminentiam , in quantum utrumlibet oppoſitorum excedit . Sic autem eſt in divina voluntate reſpectu aliorum a ſe .

Inſtabis . Actus liber non eſt formaliter neceſſarius ; igitur eſt diſtinctus ſaltem virtualiter a neceſſario .

Reſpondeo diſtinguendo conſequens : eſt virtualiter diſtinctus ſecundum quid , concedo : ſimpliciter , nego : eſt quidem ſecundum quid , cum dicat connotationem ad creaturas , quam quidem non dicit actus reduplicative ut neceſſarius ; unde per analogiam ad creata , in quibus actus liber & neceſſarius diſtinguuntur realiter , diſtinguimus per mentem in Deo actum liberum & neceſſarium ; ſed non perfecte diſtinguuntur ejuſmodi actus ; ad eandem quippe pertinent lineam ex eo ſcilicet quod Deus ideo ſit liber a creaturis & independens , quia eſt ens a ſe , ens plenum & ſibi ſufficiens .

Rurſus inſtabis . Per actum liberum , creationis , v. g. Deus denominatur intrinſece liber & Creator : igitur actus liber addit aliquid ſuper neceſſarium ; & probatur , quia denominatio nova & intrinſeca non fit ſine nova forma ; ergo , &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Deus denominatur intrinſece liber a proprio actu , concedo : a novo ſuperaddito , nego . Argumentum nimis probat : ſequeretur enim actum liberum in Deo novam fore entitatem additam actui neceſſario . quod eſt contra fidem : quippe unicus eſt in Deo

ctus, qui quidem est simul intellectivus & volitivus, simul liber & necessarius; sed dicitur multiplex a multiplici officio, a multiplici virtute & exercitio: Igitur Deus denominatur intrinsece liber ab actu necessario, quatenus est sibi sufficiens & independens, & omnipotens: denominatur Creator immutando creaturam, adeoque per dependentiam in termino, & per virtutem omnipotentem ex parte sui, quæ quidem denominatio fundatur in actione reali ex parte Dei, & in mutatione reali creaturæ, ex qua resultat relatio intrinseca in termino producto, extrinseca vero solum in Deo, quæ tamen sufficit ut denominetur realiter & intrinsece Creator & liber, quia hæc denominatio ex parte Dei fundatur in actione reali, quæ immutat creaturam.

Urgebis adhuc. Si actus liber est ab actu necessario indistinctus, si idem est, non potest afferri ratio cur Deus velit aliquid: si enim quis roget quare hoc velit? respondetur quia vult: si petatur quare velit? dicetur adhuc quia vult: sed ille circulus est vitiosus: igitur non est admittendum quod actus liber sit idem ac necessarius.

Respondeo, circulum non esse vitiosum: quærenti enim cur hoc sit? respondetur, quia Deus vult: quærenti vero cur velit, respondetur quia Deus immutavit creaturam, quæ ejus subjiciebatur dominio.

Persistes. Si Deus immotus manens dicitur liber & Creator per denominationem intrinsecam, etiam creaturam quam voluit, potest nolle: sed non potest nolle creaturam, ita ut aliter se habeat Deus: igitur si absurdum consequens, ergo & antecedens.

Respondeo negando sequelam; Creator enim non est sicut creatura, quæ mutatur, modo unum volendo, modo alternata vice nolendo; quippe qui liber sit libertate actus, non potentiæ: igitur immobilis permanendo immutat creaturam secundum suum æternum propositum & beneplacitum; unde si quod libere voluit atque decrevit, postea nollet, ipse mutaretur, quod quidem est omnino impossibile: igitur denominatur Deus intrinsece liber, sed denominatione fundata in mutatione creaturæ, & in ipsa sua operatione, quæ est eminenter absoluta & relativa. At vero a nullo denominaretur nolle in hypothesi, quia non potest separari ab actu, nec a connotatione termini, quem semel & ab æterno ordinavit ad aliquem finem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus est liberrimus ad extra.

PRIMO, Apostolus hanc celebrat veritatem Rom. 9. 18. his verbis: *Cujus vult miseretur, quem vult indurat.*

Secundo, astipulantur Patres, Hieronymus, Augustinus, Epiphanius: iste hæresi 23. n. 5. ait: "Deus pater hominem, & cætera omnia pro sua voluntate procreavit."

Tertio, ratio suffragatur. Omnium instar sit ista: Quælibet creatura, quinimmo omnes simul, bonum sunt tantummodo finitum: porro nullo bono finito satiari potest voluntas, præsertim si sit divina, quæ quidem quia infinite perfecta, objectum infinite bonum exigit: ergo libertas est in Deo respectu creaturarum, & ad extra; maxime vero si attendamus Deum, ablatis omnibus creaturis, manere in se omnibus numeris & perfectionibus absolutum.

Actus liber in Deo, est ipse actus Dei necessarius connotans creaturas: & vero, sub ista reduplicatione non habet necessariam cum creaturis connexionem: tum quia omnem habet perfectionem: igitur sicut est speculativus & practicus, ita potest esse liber & necessarius.

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD OBJECTIONES.

PRIMO. Objectum primarium voluntatis divinæ, est quidem necessarium; est enim essentia divina; sed non sic secundarium, videlicet creatura, unde actus divinus eam immutando liberrimus manet.

Secundo. Deus non est indifferens indifferentia potentiali & suspensionis, sed objecti quod potest esse vel non esse, & hoc sufficit, ut actus sit liber.

Tertio. Quædam Deus vult operari necessa-


ceſſario, ut ignem comburere, ſolem lucere: ſed ut ignis, & ſol ſint, habent a Deo qui ad ea producenda vel non producenda, liberrimus fuit: unde quod ejuſmodi creaturæ ſint ad unum determinatæ, promanavit a Deo qui ita voluit: quod Propheta Regius egregie explicat, cum ait: *Omnia quæcumque voluit, fecit Dominus in cœlo & in terra*.

Quarto objicitur contra ſecundam concluſionem: Actus intrinſece & ſecundum ſe neceſſarius non poteſt eſſe ſimul & liber: hæc enim duo opponuntur. Reſpondeo ſub diverſo reſpectu id fieri, unde nulla ſequitur implicantia. Et vero ut reſpicit eſſentiam divinam, neceſſarius eſt: liber vero quatenus immutat creaturas, quod quidem libere fit, cum ab eis non dependeat Deus.



DIS-

DISSERTATIO SECUNDA
DE
VOLUNTATE DEI PROVIDENTE
in ordine, tam naturali quam superna-turali, contra impios.



X omnibus Dei attributis, inquit Contensonius dissertat. de Provident. c. 1. ,, nullum est vel Deo ,, dignius, vel homini amabilius di- ,, vina Providentia. ,, Merito a providentia Deo nomen impositum est, quia ipsa sola est ,, veluti cæterorum attributorum compendium. In ipsa splendet infinitas, dum ,, ad omnia sese extendit: immutabilitas, dum mutat opera, non decreta: ,, æternitas, nam supra tempus est, cujus ordinatione perseverat dies: immensitas, ubique enim tota est, quæ omnibus assistit, & singulis: sapientia, ,, nam omnia scit, omnia curat, nihil obliviscitur; nihil discit novi; scit præterea ,, quæ fecit, scit præsentia quæ producit, scit ,, futura quæ decernit, videt intra se, & ,, extra se res emittit: omnipotentia, potest enim id omne quod vult: cujus subjectum est nihil ex quo quasi ex utero ,, generat mundum.

,, *Sed* quid dicam de bonitate, & clementia? Ejus indoles est bona facere: ,, tota se effundit dum hominem facit; ,, tota exire videtur, licet tota intra ,, Deum sit: intra Deum sistere nequit, ,, nec patitur ipsum sine germine manere ,, in seipso. Quomodo intra Deum sisteret? quæ Filium Dei incarnari compulit, Spiritum sanctum mitti, Patremque misisset, si fuisset qui mitteret; ,, & quia mittere non potuit, venire fecit.

,, Quinetiam Providentia non solum attributorum omnium compendium, sed ,, etiam temperamentum est, Severior ,, esset justitia, nisi eam providentia leniret; fortior omnipotentia, nisi temperaret; ardentior zelus, nisi quinquaginta sæculorum injuriis iratum Deum ,, contineret; terribilior Majestas, nisi illa hominem ad colloquium Dei admitteret, homini Deum redderet familiarem; districtior vindicta, nisi ipsa parceret, dum ulcisci potest: percit ab initio mundi, & perseverat ,, parcere, & ingratis benefacere non ,, cessat. Divitem se esse gaudet, ut ,, donet, & donando exhauriret se libenter, nisi esset infinita. O quam ,, mirabile attributum! sed quam amabile! laudari magis debet gustando, quam ,, loquendo. ,,

Providentia, Visio a longe dicitur: quandoque sapientia, attingens omnia a fine ad finem fortiter, & cuncta suaviter disponens: nonnunquam cura, & veluti de nobis sollicitudo: persæpe ordinatio rerum in finem. Hanc tamen inficiari non erubuit Epicurus; sic enim loquitur in Physica sectione 2. c. 5. apud Stanlejum editionis Lipsiæ. " Sequitur quæstio, an per se, an alicujus numinis providentia regatur mundus? itaque existimare in primis non oportet aut motum ,, cœli, aut æstivam hybernamque solis ,, conversionem, aut solis lunæque defectum, aut ortum occasumve astrorum, ,, aut alia hujuscemodi ideo fieri, quod sit ,, præfectus aliquis, qui sic disponat, disposueritve, ac simul beatitudinem, immortalitatemque possideat. ,, Impii existimant Deum ad hæc inferiora non attendere: Sed contra quod dicitur, Jerem. 1. 11. *Quid tu vides, Jeremia? Et dixi, virgam vigi antem ego video. Et dixit Dominus ad me, bene vidisti, quia vigilabo.*

Dogma de voluntate Dei, in omnibus providentis, quatuor potissimum argumentis comprobatur.

PRIMO, Quia datur Providentia, quæ dat omnibus necessaria ad vitam temporalem.

Secundo, Quia datur Providentia generalis, quæ vult omnes homines salvos fieri, & quæ dat posse salvari.

Tertio, Quia datur Providentia specialis, quæ dat operari salutem.

Quarto, Quia datur Providentia specialissima, quæ actu salutem confert atque largitur.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum detur in Deo Providentia, quæ det necessaria ad vitam temporalem, & requisita naturæ cujuslibet entis.

PROVIDENTIA duplex distinguitur, una quæ bona ad vitam naturalem fovendam suppeditat, & dicitur naturalis: altera quæ confert media ad salutem conducentia, & supernaturalis vocatur. De prima impræsentiarum tractamus: unde fit

CONCLUSIO PRIMA.

Datur in Deo providentia quæ gubernat omnia, tribuens unicuique quod competit ipsi: Et est de fide.

Probatur multipliciter.

Primo, *ex veteri Testamento.*

I. JOB. 34. habetur: *Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?* Et Psal. 144. *Implet omne animal benedictione*. Hinc idem Propheta Psal. 15. 11. divinam invocat Providentiam, dicens: *Dirige in conspectu tuo viam meam*. Eandem agnoscit & confitetur Psal. 72. 27. his verbis: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me.*

II. *Proverb.* 17. Sermo fit de Providentia quæ gubernat omnia, quæ ad omnia se extendit, etiam usque ad secreta & interiora cordis. *Cor regis*, inquit Salomon, *in manu Dei, quocumque voluerit, inclinabit illud*. Cui concinit illud Christi oraculum Matth. 6. 33. *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis.*

III. *Sap.* 8. legitur de divina sapientia quod attingat omnia a fine usque ad finem: & c. 14. *Tu autem Pater gubernas omnia providentia.*

Secundo, *ex novo Testamento.*

I. MATTH. 5. 6. *Respicite*, inquit Christus, *volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; & Pater vester cœlestis pascit illa: nonne vos magis pluris estis illis? . . nolite ergo solliciti esse, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? . . . scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

II. Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ*. Igitur omnia curat Deus.

III. Matth. 10. 29. *Nonne duo passeres asse veneunt: & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt*: Igitur etiam ad minima vigilat Deus & omnibus providet.

Tertio, *ex Nominibus Dei.*

Nomina explicant rerum naturas, igitur & a nominibus Dei probatur Providentia.

Deus vocatur primum & supremum Ens; Hebraice, Emmanuel, idest nobiscum Deus; Græce, Θεὸς, idest videns & providens; Latine, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis: sed si est nobiscum, est ad succurrendum; si videt omnia, est ad regenda & dirigenda ad finem universa quæ sunt in cœlo & in terra: Si Pater misericordiarum, est & ut impediat miseriam, & ut inflictam auferat: si Deus totius consolationis, est ut nos eruat a malis præsentibus & custodiat a futuris, ut unicuique necessaria tribuat, tum ad operationem, tum ad vitam; hinc Act. 17. legitur: *In ipso vivimus, movemur & sumus*. Igitur ipsa

ipsa Dei nomina, suam in omnibus mirabilem indicant providentiam.

Quarto, *ex Traditione*.

A mundo condito apparet ubique Providentia: In cœlis, sol, luna, & stellæ lucere non desinunt: in elementis, verno succedit æstivum tempus; æstivo autumnum; autumno hiemale. In bestiis terræ, fuerunt semper aliæ ad usum, aliæ ad cibum, aliæ ad honestam recreationem. In hominibus, fuit perpetua successio, perpetua protectio, & in individuorum multiplicatione, perpetua naturæ humanæ conservatio. Deus ubique adfuit hominibus: in lege naturæ per inspirationem eos gubernavit: in lege veteri, per Judices, per Reges, per Duces, & Prophetas: novissime diebus istis, per Filium: a Christo præter ordinem in mundo ineffabilem divinæ providentiæ semper & sine fine præconem, quot homines & creaturæ, tot istius mirabilis providentiæ testes: *Cæli enarrant gloriam Dei*, inquit Propheta Psal. 18. 1. *& opera manuum ejus annuntiat firmamentum*. Ipsi barbari furtiva voce, & quasi ex impetu naturæ erumpente, Deum omnium provisorem magnificum invocant. Veniamus nunc ad auctoritates.

Ex primo Sæculo.

Dionysius de cœl. Hier. c.4. ait: " Omnia quæ sunt, Providentia fruuntur, quæ manat e supersubstantiali & caussa omnium divinitate; non enim essent, nisi entium essentiæ & principii res illæ participes forent. " Quem locum eleganter exponit Maximus Martyr in c. 4. de cœl. Hier. dicens: " Nihil in rebus esse, quod non particeps Dei sit, ejusque Providentiæ. Ex quo concluditur, malum carere extantia, quoniam Dei non est particeps. "

Ex secundo Sæculo.

Irenæus l. 2. c. 45. " Quid autem si quis interroget nos, si omnis numerus omnium, quæ sunt facta, & quæ fiunt, scitur a Deo? & si secundum illius providentiam unusquisque eorum eam, quæ secundum se est, accepit quantitatem? nobisque consentientibus, & confitentibus, quia nihil omnino horum, quæ facta sunt, & quæ fiunt, & fient, Deum fugit: sed per illius providentiam unumquodque eorum, & habitum & ordinem, & numerum, & quantitatem accipere, & accepisse propriam, & nihil omnino neque vane, nec, ut provenit, factum, aut fieri: sed cum magna aptatione & consonantia sublimi; & esse admirabilem rationem & vere divinam, quæ possit hujusmodi & discernere & causas proprias enuntiare. "

Clemens Alexandrinus similia prædicat, Strom. 6. pag. 486. " Constat jam supplicium magis, quam confutationem mereri illum omnem, qui Providentiam esse non putat, ac revera esse Atheum. "

Ex tertio Sæculo.

Tertullianus l. 2. contra Marcionem totis viribus defendit Providentiam, c. 24. " Nemo te sustinebit improvidentiam adscribentem Deo, ei quem Deum non negans confiteris & providum. Hæc enim illi propria divinitas constat. "

Lactantius revincit Epicurum, Providentiam negantem. " Si est Deus, *inquit*, utique providens est. " Rursus l. 2. c. 5. astruit adhuc Providentiam.

Origenes l. 6. contra Celsum, probat cuncta suavi gubernari providentia Dei iis ex Apostoli verbis Rom. 11. 36. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*: " Quibus, inquit, ostendit principium subsistendi rerum omnium in eo quod dixit, *ex ipso*; conservationem autem, cum ait, *per ipsum*; finem denique, cum dicit, *in ipso*. "

Ex quarto Sæculo.

S. Ephrem Syrus in hoc adhæret cæteris Patribus, Sermone de divina gratia pag. 78. " Si enim cuncta ejusdem essent generis atque similia, tunc res non providentia, sed natura sic disponi censeremus. " Probat esse Providentiam ex diversitate creaturarum.

Paulinus Nolanus Epist. 38. ad Jovium, sic canit:

Quid

Quid soboles, virtusque Dei, & sapientia Christus,
Nonne satis vanis curas erroribus aufert?
Nosque simul monitis, & factis edocet, unum
Cuncta Deum regere; & nihil sine mente putemus
Principis esse Dei: dicens non arbore frondem,
Aere non volucrem sine jussu decidere? Et cum
Omnipotens verbo sternit mare vel pede calcat, &c.

Nemesius Philosophus Christianus, l. de Natura hominis c. 42. divinam sic astruit Providentiam. " Bonus est Deus. Quod ,, si est bonus, etiam beneficus est: si ,, beneficus, erit & providens. ,, Ibidem fuse probat Providentiam ex ordine tempestatum, & Deum attendere ad omnia.

Ex quinto Saeculo.

Cyrillus Alexandrinus l. 9. in Joan. pag. 793. explicans illa verba Pauli, Act. 17. *In ipso vivimus, movemur, & sumus*, ait: ,, Cuncta enim vivificat, scilicet Deus, ,, cum secundum naturam vita sit, om- ,, nium opifex, proprietatis suae vim in- ,, explicabili ratione iis infundens. Non ,, enim aliter conservari, & in eo quod ,, sunt, retineri poterant ea quae ortum ,, e nihilo sortita sunt. Alioqui statim ,, ad propriam naturam, hoc est nihilum ,, rediissent, ni necessitudine ipsa, quam ,, cum eo, quod est, habent, ortus sui ,, naturam superarent. ,,

Chrysostomus eodem modo loquitur, hom. in Joan. pag. 580. " Et si decies mille ,, tales esse mundos oporteat, aut etiam ,, infinitos, idem manet sufficiens omni- ,, bus, non tantum ad illos producendos, ,, sed etiam ad conservandos postquam fa- ,, bricati sunt. Etenim lucis vocabulum ,, hoc loco non solum procreationem si- ,, gnificat; sed etiam providentiam, qua ,, illum in statu suo continet. ,, Idem fuse tractat hom. 2. in Epist. ad Hebr. explicans illa verba c. 1. *Portans omnia verbo virtutis suae.*

Gregorius Nazianzenus alios sequitur, Orat. 1. contra Jul. " Deus, velut per ,, orbem quendam, mundum hunc agit & ,, gubernat universum; resque adeo no- ,, stras tam agitabiles, quam inconcussas ,, quae mutationibus cientur, & in alia ,, vertuntur, & aliter atque aliter se ha- ,, bent, quamquam Providentiae ordine fi- ,, xae sint, & immobiles: tametsi per ,, contraria progrediantur, quae rationi ,, quidem procuranti omnia manifesta sunt, ,, nobis autem ignota. ,,

Theodoretus caeteris accedit, l. 2. p. 38. " Quantae ipsum injustitiae condem- ,, nas, dum ei talia per calumniam im- ,, pingis! Quid enim res omnes procrea- ,, vit, si curam earum nollet gerere? ,, aut quid tandem caussae habet, cur non ,, provideat? an cum possit, non vult? ,, atqui posse illum quidem, quae ab eo ,, sunt facta testantur, &c.

Hieronymus mira utique in c. 1. Habacuc col. 348. de Providentia loquitur: ,, Sicut igitur in hominibus, etiam per ,, singulos Dei currit Providentia: sic in ,, caeteris animalibus generalem quidem ,, dispositionem, & ordinem, cursum- ,, que rerum intelligere possumus, v. g. ,, quomodo noscatur piscium multitudo, ,, &c.

Ambrosius 6. Hexaemer. c. 4. " Omnia, ,, *inquit*, penetrat divina Sapientia, im- ,, plet omnia. Idque locupletius ex irra- ,, tionalium sensibus, quam ex rationa- ,, bilium disputatione colligitur.... Haec ,, commendat Leaenae catulos suos, & im- ,, mitem feram materno mollit affectu, ,, &c. Ostendit Providentiam ex anima- ,, lium industriis.

Augustinus l. 4. de Gen. ad litt. c. 12. suum addit calculum: ejus auctoritatem S. Prosper Sent. 227. sic refert: " Creato- ,, ris namque potentia, & omnipoten- ,, tis, atque omnitenentis virtus caussa ,, subsistendi est omni creaturae: quae vir- ,, tus ab eis, quae creata sunt, regendis si ,, aliquando cessaret, simul & illorum ,, cessaret species omnisque natura conci- ,, deret. ,,

Salvianus inter omnes eminet pro defendenda Providentia, initio 1. l. de gubernatione Dei. " Omnes, *inquit*, Re- ,, ligionis expertes vi ipsa, & quadam ,, necessitate compulsi & sentiri omnia a ,, Deo & moveri & regi dixerunt. ,, Et initio 2. l. de ejusdem gubernatione pro-

probat per Scripturam providentiam Dei in omnibus. Proverb. 25. 3. " *In omni loco oculi Domini contemplantur malos & bonos*. " Ecce, *inquit*, habet præsentem, " ecce intuentem, ecce in omni loco cura ac provisione vigilantem. Idcirco " enim & bonos ab eo considerari, & " malos dixit: ut probaret scilicet nihil " ab eo negligi quem ostenderet universa rimari. " Et alibi, Psal. 32. *Oculi Domini super timentes eum, ut eripiat a morte animas eorum, & alat eos in fame*. Psal. 33. *Et oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala ut perdat de terra memoriam eorum*. Ubi, generalem esse in omnes Domini visionem; sed meritorum fieri disparilitate diversum...... *Cum sis ergo justus*, ait liber Sapientiæ 12. 15. *juste omnia disponis, & cum magna reverentia disponis nos*, & apud Jeremiam 23. 24. *Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? Nunquid non cælum & terram ego impleo? dicit Dominus.* Cur autem impleat, ipse declarat, *quia vobiscum sum*, inquit, *ut salvos faciam vos*. Cui illud Psal. 35. consonat; *Homines & jumenta salvabis Domine*. Et illud 1. Petri. 5. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in ipsum, quoniam ipsi cura est de vobis*.

Boetius l. 3. de consol. prof. 12. vocat Providentiam " clavum atque gubernaculum, quo mundana machina stabilis, " atque incorrupta servatur.

S. Prosper contra Epicureos canit:

> *Omnem autem hanc molem mundi qui condidit, ipse*
> *Et regit: utque nihil non ortum sumpsit ab illo:*
> *Sic nihil est quod stare queat factore remoto*.

Ex sexto Sæculo.

Fulgentius l. de fide ad Petr. c. 3. Providentiam probat ex bonitate Dei. " Nisi, *inquit*, summe bonus esset, non se " gubernandis rebus quoque infimis præstitisset. "

Ex septimo Sæculo.

Isidorus Hispalensis l. 1. synon. divinæ Providentiæ delineat effectus. " Quanto " enim, *inquit*, in hoc sæculo frangimur, " tanto in perpetuum solidamur: quanto " in præsenti affligimur, tanto in futuro " gaudebimus, si hic flagellis atterimur, " purgati in judicio inveniemur. Semper Deus hic vulnerat, quos ad salutem " perpetuam parat; & sic, divina dirigente Providentia, justis omnia cooperantur in bonum. "

Ex octavo Sæculo.

Damascenus l. 2. de Fide c. 29. " Etenim, *inquit*, solus Deus natura bonus " est, & sapiens. Igitur quatenus est bonus, " providet. Qui enim non providet, non est " bonus. Nam & homines, & bestiæ propriorum fœtuum Providentiam habent " naturali quodam instinctu: & qui non " providet, vituperari solet. Quatenus " autem sapiens est, optime rebus prospicit. "

Constantinus Pogonata Imperator, Epist. ad Agathonem Papam, & refertur in sexta Synodo pag. 9. de Deo sic loquitur: " Ipse novit futura, & sic quæ nobis " conducibilia sunt, pro bona sua voluntate perficit.

Mitto alios innumeros subsequentium sæculorum, qui una voce, & uno quasi calamo scribunt Deum esse summum provisorem, omnium gubernatorem: hoc omnes Theologi docent, hoc Albertus Magnus, hoc Alexander Alensis, hoc Bonaventura; ad omnium instar sit Div. Thomas.

Sanctus Doctor ex professo tractat de Providentia Dei 1. p. tota quæstione 22. In articulo primo probat Providentiam Deo convenire: In secundo, ad omnia se extendere: In tertio, immediate & per seipsum cuncta ordinare, in executione vero uti ut plurimum Angelorum bonorum, tum aliarum creaturarum famulatu: In quarto, Providentiam omnia movere & dirigere ad fines suos conformiter cujuslibet entis naturæ, movendo causas necessarias necessario, liberas vero libere. Sic loquitur art. 2. " Necesse est ponere " Providentiam in Deo. Omne enim bonum, quod est in rebus, a Deo creatum est. " Sic loquitur in articulo 2. " Deus omnia cognoscit, & universalia " & particularia. Et cum cognitio ejus " com-

„ comparetur ad res ſicut cognitio artis „ ad artificiata, ut ſupra dictum eſt, neceſſe eſt quod omnia ſupponantur ſuo „ ordini, ſicut omnia artificiata ſubduntur ordini artis. „ Sic in art. 3. " Deus „ immediate omnibus providet, qui in „ ſuo intellectu habet rationem omnium „ etiam minimorum, & quaſcumque cauſas aliquibus effectibus præficit, dedit „ eis virtutem ad illos effectus producendos. Unde oportet, quod ordinem illorum effectuum in ſua ratione præhabuerit.... Sunt aliqua media divinæ „ Providentiæ: quia inferiora gubernat „ per ſuperiora. „ Sic in art. 4. " Ad divinam Providentiam pertinet omnes „ gradus entium producere. Et ideo quibuſdam effectibus præparavit cauſas neceſſarias ut neceſſario evenirent, quibuſdam „ vero cauſas contingentes ut evenirent „ contingenter ſecundum conditionem proximarum cauſarum. „

Ex antiquis Philoſophis, qui licet Pagani, Providentiam tamen agnoverunt.

Plato l. 10. de Legibus dicit: " Deos, „ quia in omni virtute perfecti ſunt, „ omnium curam, tanquam ipſis maxime „ congruentem, ſuſcipere. „ Et in Timæo: " Bonus erat, ſcilicet Deus, „ bono autem nulla unquam in aliqua re „ ſubrepit invidia. „

Atticus Platonicus apud Euſebium l. 15. de præp. pag. 468. diſputans contra Ariſtotelem, qui volebat mundum a nullo productum, ait, Providentiam ex hoc dogmate de medio tolli. " Cum Plato „ ita ratiocinaretur, ei quod non ortum „ habuit, neque factore opus eſſe, neque curatore ullo, ut bene habeat: ne „ mundo Providentiam auferret, negavit ortum non fuiſſe. „

Socrates apud Xenophontem Apomnemon. pag. 466. ſic Providentiam extollit: " Sine qua nihil differremus a cæcis. „ Quod autem alterna requie opus habemus, noctem indulſit ad quietem aptiſſimam...... Quoniam ſol, qui eſt „ ſplendidiſſimus, diurnas horas, ac reliqua omnia nobis indicat, &c. „

Alexander Peripateticus apud Cyril. l. 3. contra Iulian. pag. 82. ait: " Nihil „ eorum, quæ in mundo ſunt, abſque „ Providentia geritur. Nam omnia plena ſunt divino numine, idque omnia „ quæ ſunt, pervadit, idcirco quæcumque ſunt, ex Dei voluntate ſunt. „ Quod omnium, quæ cernuntur in rebus, teſtimonio conſtare dicit. Etenim rerum, quæ fiunt, ordo ſemper eodem modo ſe habens, ingens argumentum eſt, non illa fortuito fieri.

Plotinus Platonicus de Providentia ſic diſputat, ut refert Auguſtinus l. 10. de civ. Dei c. 14. " Eam a ſummo Deo, „ cujus eſt intelligibilis, atque ineffabilis „ pulchritudo, uſque ad hæc terrena, & „ ima pertingere, floſculorum, atque foliorum pulchritudine comprobavit. Quę „ omnia quaſi abjecta, & velociſſime „ pereuntia, decentiſſimos formarum ſuarum numeros habere non poſſe confirmat, niſi inde formentur, ubi forma „ intelligibilis, & incommutabilis ſimul „ habens omnia perſeverat. „

Seneca l. 4. de Benef. c. 7. divinæ Providentiæ ingratos hoſtes ſic refellit: " Natura, *inquit*, hæc mihi præſtat. „ Non intelligis te, cum hoc dicis, mutare nomen Dei? Quid enim aliud eſt „ natura, quam Deus, & divina ratio „ toti mundo, & partibus ejus inſerta? „ c. 8. " Quocumque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. Nihil „ ab illo vacat. Opus ſuum ipſe implet. „ Ergo nihil agis ingratiſſime mortalium, „ qui te negas Deo debere, ſed naturæ: „ quia nec natura ſine Deo eſt: nec „ Deus ſine natura, ſed idem eſt utrumque, nec diſtat.

EX RATIONIBUS.

Primo, *ex Phyſicis.*

PRIMA ſe tenet ex parte cœlorum, qui vere enarrant gloriam Dei, tum multitudine corporum cœleſtium, tum motu vario ſiderum: tum eorumdem diverſis influxibus, quorum alia frigida, quæ temperant quorumdam calorem ardentiorem: alia calida, quæ priorum viciſſim influxus acerbiores ad utilitatem mortalium temperant. Omnia concentum & harmoniam tantam faciunt, ut opus naturæ vere dicatur opus intelligentiæ, cuncta moventis & dirigentis ad bonum Univerſi.

Secunda ex parte terræ deducitur, quæ eſt infinitis prope referta plantis & arbori-

boribus, quæ virtutem præbent, aliæ ad sanitatem amissam recuperaudam, quædam ad habitam fovendam, nonnullæ etiam ad jucunditatem, ut flores odorem suavem spirantes. Unde hæc omnia? nisi a provida natura naturante, quæ est Deus, quæ cuncta fecit propter hominem, juxta illud Apostoli: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*.

Tertia ex parte aquarum, quæ vim habent producendi miram piscium multitudinem ad cibandos homines. Quot loricati & quasi ornati ad prælium? Quantus etiam inter ejusdem generis & speciei ordo? Diceres mare rempublicam, ubi fortiora monstra veluti præsunt cæteris. Unde generationum alternata certo tempore vicissitudo? Unde apparatus natantium repetitis vicibus, ut cæteros trahant ad certa loca & litora, ut possint ab hominibus capi ad escam, nisi a Providentia?

Quarta ex parte aeris, in quo veluti in cœlo mira varietate volucres, specie diversæ, plagas mundi lustrant, ut recreent homines, modo concentibus, modo præliis, & quasi joco ad jucunditatem agitatis, modo etiam exercendo quamdam inter se venationem; modo denique ad vitam hominis delectu ciborum suaviter alendam: Quis fecit hæc, & a tot sæculis conservat, nisi Deus ens providens?

Quinta ex parte animalium, quorum industriæ, tum ad vitæ defensionem, tum ad ejusdem conservationem seu nutritionem, non est numerus. Quædam unguibus se defendunt, quædam cornibus, quædam pedibus; quædam celeritate & sagacitate paratas vitant insidias, omnes, etiam ferocissimæ belluæ, fœtus fovent, cibant & defendunt: omnes providæ, & ab ipsa Providentia, ut cibos inveniant, edoctæ. Quid de Formicæ prudentia dicam? nonne congregat frumentum in horrea pro hyemis tempore? Quid de Apum labore & vigilantia in mellis formatione? Quid de aliorum docilitate in famulando? Elephantes, quantumvis terribiles, serviunt hominibus: Equi ad nutum obediunt: blanditur canis hero; itane fortitudinis immemores ipsæ feræ sine Providentia dirigente mansuescere non desinent?

Sexta ex creatione hominis, qui compendiose mundus, & veluti universus orbis est, deducitur. Subsistit cum lapidibus, vegetat cum arboribus, sentit cum animalibus, intelligit cum Angelis: ad Dei similitudinem factus, ut præsit volatilibus cœli & piscibus maris, cæterisque terræ animantibus: Immo Providentia emicat in varietate tum vultus hominum, tum corporis figura. Sic sentit, sic scribit Julius Firmicus l. 1. astronomicorum c. 4. " Consideremus, inquit, conciliationem generis humani, & retractando inveniemus quam nefaria, quam impia poterant illic scelera committi, si cunctorum una facies Populos illos æqua similitudinis formatione confunderet. Ad sororem frater deceptus similitudine, quasi maritus intraret, traheretque alius contracti impudentia alieni juris uxorem, &c.

Secundo, *ex rationibus Metaphysicis*.

Prima. Omne quod est propter finem, ad illum ordinatur; primo ad particularem, singula enim suis feruntur ponderibus, ignis sursum, lapis deorsum, sol ad illuminandum; deinde ad ultimum in quo cuncta quiescunt: sed ad hoc requiritur Providentia; & probatur: omne quod movetur, ab alio movetur: igitur datur Providentia, quæ ad singula sese extendit. Hæc ratio colligitur ex D. Thoma hic 1. p. q. 1. art. 3.

Secunda petitur ex harmonia totius universi & pace, quæ definitur ab Augustino, tranquillitas ordinis; sed sicut in musica diversi instrumentorum sonus, diversæque cantorum voces ad unum nusquam confluent concentum absque dirigente, ita pariter creaturæ ad universi concordiam sine Providentia, quandoquidem prima causa cæteras applicat ad actum. Igitur datur Providentia, quæ singulis creaturis necessaria providet. Enimvero muscæ, & similes supra modum viles creaturæ, suum habent finem: apponuntur quidem in figura & mundi imagine, verum ut cætera magis elucescant. Quinimmo veluti subtilior apparet artifex, dum parvulis adaptat muscis grandis elephantis organa, tum ad cibos pro vita vel fovenda vel augenda quærendos, tum ad seipsas contra hostium impetus defendendas.

Tertia affulget in universi pulchritudine. Quæ quidem pulchritudo in modo, specie & ordine posita est, inquit S. Thomas.

mus. In modo quidem, quatenus quælibet creatura habet necessaria, ut suæ naturæ conformiter operetur; & vero, Inter aves quædam unum in nidificando morem gerunt & modum, quædam etiam alterum. In specie, bestias & genio & inclinatione diversas non semel intuemur & videmus. In ordine, quodlibet ens ad suum pergit finem. Igitur ultro fatendum est supremam dari rationem, qua cuncta mirum in modum & reguntur & gubernantur. Igitur datur Providentia.

Quarta sic proponitur. Quodlibet ens, quantumvis vile, est bonum, adeoque a Deo productum secundum omnes rationes tam individuales & specificas, quam genericas: ergo a Providentia Dei regitur & gubernatur; conservatio quippe est iterata productio, maxime vero quia omne ens creatum dependet immediate a primo motore tam in esse quam in operari. Ita D. Thomas hic art. 9.

Quinta. Omne creatum debet ad certum finem dirigi, alias omnia forent casualia, quod est impossibile: ipsa siquidem animalia eodem modo sæpe agunt, & semper in essentialibus, aves ejusdem speciei eodem modo nidificant, apes mellificant, &c. Sed ens inferius non potest se solo pervenire ad finem, nisi a superiori reducatur ad actum. Ipsa monstra cedunt in utilitatem naturæ, & sicut umbræ in tabella quasi demonstrant imaginis expressæ pulchritudinem, sic & imperfectæ creaturæ per modum oppositionis, delineant perfectiores, juxta illud tritum effatum: contraria juxta se posita, magis elucescunt. Ipsa mors præmatura, ordinante Providentia, inservit saluti; scriptum est enim de Justo: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*. Igitur datur Providentia, quæ ad omnia attendit. Ista ratio est D. Thomæ hic 1. par. q. 103. art. 1.

Sexta. Causæ particulares habent Providentiam. Aves congregant pro hyeme, belluæ etiam ferocissimæ, nutriunt & defendunt fœtus: ergo datur suprema Providentia; quandoquidem particulares providentiæ a prima promanant, juxta illud axioma: Quod est per se primo tale, cætera non sunt talia nisi per ordinem ad illud. Hæc ratio est utique D. Thomæ, qui 3. contra Gent. c. 75. sic loquitur: " Omnes causæ secundæ in hoc „ quod causæ existunt, divinam similitudinem consequuntur: invenitur autem „ hoc communiter in causis producentibus aliquid, quod curam habent eorum, quæ producunt; sicut animalia „ naturaliter nutriunt fœtus suos: Deus „ igitur curam habet eorum quorum causa existit. „

Denique, juvat Providentiam compendiosis verbis cum R. P. Contensonio Ordinis sancti Dominici probare. Sic enim discurrit tomo 1. disser. 11. c. 1. de Providentia speculat. " Providentiam, *inquit*, „ mundus prædicat universus, si elementa, si rupes, si plantæ loqui scirent, „ loquentium vox una hæc esset, datur „ Providentia. Quia sicut nec navis sine „ gubernatore, nec tabella sine pictore, „ nec sine architecto palatium, nec sine „ Rege Imperium, nec sine Duce exercitus, ita nec sine Providentia mundus. „ Nullus est etiam homo tam ferus, tam „ incultus, tam plumbeus & obtusus, „ cui ignota sit Dei Providentia. Agnoscit eam colonus dum projicit sementem, quam ei committit. Agnoscit „ vinitor, cujus palmites Providentiæ sinus magis quam terræ excipit. Agnoscit corvus cujus pullos invocantes Providentia nutrit. Hæc Providentia nutrit pastores, ut pascant oves; erudit „ artifices, ut calleant artes; subjicit sibi Reges, ut subdant populos; ditat „ opulentos, ut succurrant pauperibus; „ evehit nobiles, ut defendant populos. „ Totus mundus est liber Providentiæ. „ Hunc legunt Docti, ut doctiores sint; „ hunc legere possunt, etiam qui nesciunt „ legere, unde qui Providentiam negant, „ divinitatem de medio tollunt. Nam ut „ recte Salvianus l. 4. de Provid. " Prope est ut cui aspectum adimunt, etiam „ substantiam tollant; ut quem dicunt „ omnino nihil cernere, omnino etiam „ dicant non esse.

Tertio, *ex rationibus moralibus*.

PRIMA potest sic proponi: Absque Providentia nulla subsistit religio; nullus tamen inter homines tam ferus est, qui aliquam, saltem apparentem, non agnoscat religionem. Probatur antecedens ex Lactantio qui l. de Ira Dei sic habet: " Si Deus nihil unquam boni tribuit, „ intel-

„ intellige per Providentiam, si colentium obsequio nullam gratiam refert, „ quid tam vanum, tam stultum quam „ templa ædificare, sacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, „ ut nihil assequamur? „

Secunda : Si nulla est Providentia, quorsum homo, etiam ex impetu, invocat Deum ad auxilium in tribulationibus? " In repentinis enim perturbationibus, „ inquit Nemesius l. de facultate animæ „ c. 44. sine electione & deliberatione, „ Dei numen invocamus, velut natura „ nos sine doctrina ad Dei opem perducente. „ Cur & ipsæ belluæ ut primum vulneratæ, mox herbas ad medelam quærunt? unde hoc nisi a Providentia docente, quæ & ipsas instruit, ut feritatis naturalis oblitæ mansuescant & blandiantur benefactoribus? hoc ipsum experientia comprobat quotidiana.

Tertia : Si nulla est Providentia, unde patientia Martyrum, qui tamen supremo invocato numine, modo a vinculis, invitis custodibus soluti sunt, ut Petrus, qui dormiens inter duos milites ab Angelo liberatus est, eo quod tota Ecclesia invocavisset pro ipso Dominum; modo corde impavido ungulas feroces, & craticulas ardentes vicerunt. Hinc generosa Machabæorum mater l. 2. Mach. c. 7. sic hortabatur filios ad moriendum pro Patriis Legibus : *Supra modum autem*, inquit Scriptura, *mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat : singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia, & femineæ cogitationi masculinum animum inferens, dixit ad eos : Nescio qualiter in utero meo apparuistis : neque enim ego spiritum & animam donavi vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi : sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter Leges ejus*,

Chrysostomus Hom. 18. in 1. Cor. p. 355. istam explanat rationem, his verbis : " Etenim quis non miretur, *inquit*, cum „ is, qui & homo sit, & communis naturæ particeps, & in mediis hominibus versetur, tanquam adamas inter „ tot malorum perpessiones invictus perseveret? Cum inter ignes, atque gladios, & feras positus adamante fortior „ apparet, & omnia propter pietatis „ professionem superat? Quando contumeliis afficitur, & benedicit? Quando „ male audit, & collaudat? Quando vexatur, & pro injuriam sibi facientibus „ precatur? Quando insidiis sibi factis illis ipsis, qui sibi bellum inferunt & insidiantur, beneficia rependit? Nam & „ hæc & his similia, plus cœlis ipsis, „ gloriam Deo conciliant. „ Certe tanta patientia est a Deo providente, & ad omnia attendente.

Quarta. Non frustra invocatur divinum numen, ipsi idololatræ invocant Deos conflatiles. Certe homo a creatione mundi invocavit Deum. Enos invocavit specialiter, ut legitur Gen. 4. & ante ipsum Abel, qui obtulit sacrificium. Obtulit & Noe & odoratus est Dominus in odorem suavitatis, immo obtinuit ut ultra non deleret Deus mundum aquis diluvii : Ipsum non semel deprecatus est Abraham : non semel Isaac : non semel Jacob, & exauditi sunt. Clamavit ad eum populus in captivitate Ægyptiaca & liberatus est. Oravit pro populo suo Esther, & a morte imminenti liberavit eum Dominus. Susanna ingemuit, & aspiciens cœlum exaudita & purgata est a calumnia Senum. David fusis lacrymis petitiones iteratas emisit ad cœlum, & ab insidiis Saul qui ipsum quærebat ad necem solutus, incolumis evasit. Oravit Centurio, oravit Cananæa, & omnes obtinuerunt petitionis effectum. Orat quotidie Ecclesia & invocat Providentiam. " Protector, *inquit*, in te sperantium „ Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum : multiplica super nos misericordiam tuam : ut te rectore, te „ duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. „ Et iterum : " Deus cujus providentia in „ sui dispositione non fallitur : te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoveas, & omnia nobis profutura concedas. „ Prima quidem Oratio est Dominicæ tertiæ post Pentecosten ; secunda vero septimæ. Sed si non est Providentia, inutilis est oratio, cum nec attenturus, nec exauditurus sit Dominus : quinimmo cuncta casu & fiant

&

& eveniant; quod sane ita absurdum est, ut nequidem cogitare fas sit: ergo, &c.

Ad concludendam istam probationum seriem, quintam subjicio rationem, & est Nemesii, qui l. de Provid. c. 44. sic discurrit: " Tres has solum quispiam caussas „ afferre potest, ob quas nulla sit singularum rerum Providentia. Aut enim „ ignorare Deum, bonum esse ut illorum etiam curam gerat: aut nolle: „ aut non posse. Atqui ignorantia quidem, & inscitia prorsus a beata illa „ substantia est alienissima. Est enim cognitio ipsa, & sapientia, & scientia. „ Quinam vero sapiens homo nescire hoc „ potest, si singularia omnia pereant, „ etiam universalia peritura? Nam ex „ particularibus omnibus conflantur universalia. „ Ex quo principio sequitur quod cum Deus cognoscat omnium entium necessitates, cum omnibus benefacere velit, est enim ipsa bonitas; omnibus utique provideat, quippe qui potentissimus est ad succurrendum.

Ab Exemplis.

PRIMUM, providentiæ pro necessariis cuilibet enti exemplum, est æque antiquum ac ipsa mundi creatio: siquidem creatis primis parentibus providit illis Deus de fructibus Paradisi, ut essent eis in escam, ut habetur Gen. 2. 15.

Secundum, est adhuc erga primos parentes; cum enim per peccatum se nudos esse cognovissent, ut parceret eorum pudori Deus & provideret, fecit eis tunicas pelliceas, Gen. 3. 21.

Tertium, est erga Jacob. Deus enim præsciens famem brevi futuram, ne ab ipsa consumeretur & cum familia periret; permisit Josephum venundari Ismaelitis, qui etiam iterata vice, eum Ægyptiis vendiderunt: sed Prophetiæ dono illustratus, futura prænuntiavit Pharaoni, qui eum constituit totius regni sui provisorem; ipse vero & Patrem & fratres advocavit, ut in Ægypto commorantes, commode possent vivere.

Quartum, est in favorem Danielis, ad quem misit Dominus Abacuc ex Judæa in Babylonem, ut prandium, pro messoribus paratum, ferret & daret Danieli, in lacu leonum gementi; Spiritu enim Dei raptus ad locum, cibavit Prophetam esurientem.

Quintum, est pro Elia, cum enim fugeret a facie Jezabel, dormiens contristatus sub umbra juniperi, apparuit ei Angelus, qui & ipsi porrexit subcinericium panem; ipse vero ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei, 3. Reg.

Sextum, est erga turbas sequentes Christum, quas iterum atque iterum multiplicatis panibus & piscibus pavit, ne deficerent in via. Quid dicam de pullis corvorum invocantibus Deum, qui pascit ea, qui & dat jumentis escam ipsorum? Quid de orphanis & viduis, quæ absconditis eleemosynis non semel sustentantur? Quid de variis in Ecclesia afflante Deo ad redemptionem captivorum erectis & fundatis congregationibus? Quid memorem innumera alia tum charitatis, tum providentiæ exempla, ab Historicis nedum sacris, sed & profanis relata? Norunt omnes Filiam Romanam ubera lacte manantia, proprio exhibuisse Patri, ut vitam ipsi aleret temporalem. Obstetrices Ægypti, sæviente in Hebræorum masculos Pharaone, incolumes servasse. Quinimmo ad unum maxime charitatis erga pauperes momentum Supremus in fine sæculorum Judex respiciet; adeo providus Pater qui nedum consilio, sed & magno vitæ æternæ præmio homines ad succurrendum proximo compellit.

CONCLUSIO SECUNDA.

Providentia Dei est certa, & falli aut impediri nequit.

Probatur Auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura sacra.*

PRIMO. Sap. 8. de Sapientia quæ est pars Providentiæ legitur: *Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.*

Secundo. De voluntate Dei quæ est etiam pars Providentiæ, habetur Rom. 9. 19. *voluntati enim ejus quis resistit?*

Tertio. De mediis quibus utitur Deus providens legitur, quoniam omnia serviunt ei; & Psal. 148. *Laudate Dominum...*

num. . . . ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. Ergo providentia Dei est certa & infallibilis, siquidem attingit omnia a fine usque ad finem, adeoque nequit deficere in ordinatione. Nihil illi resistit, sed omnia illi famulantur: hoc ipsum Ecclesia prædicat in Oratione Dominicæ septimæ post Pentecosten: *Deus cujus Providentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoveas, &c.*

Secundo, *ex Patribus & sanctis Doctoribus*.

AUGUSTINUS in Psal. 110. n. 2. sic loquitur de certitudine voluntatis Dei providentis: " Non sic constituta sunt opera Domini, ut creatura in arbitrio constituta Creatoris superet voluntatem, etiamsi contra ejus faciat voluntatem. Non vult Deus ut pecces, nam prohibet: tamen si peccaveris, ne putes hominem fecisse quod voluit, & Deo accidisse quod noluit: sicut enim vult ut homo non peccet, ita vult peccanti parcere ut revertatur & vivat; ita vult postremo in peccato perseverantem punire, ut Justitiæ potentiam contumax non evadat. Ita quidquid elegeris, Omnipotenti non deerit, unde suam de te compleat voluntatem. "

Idem Enchir. c. 100. " Propterea magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem, quia non fieret, si non fineret, nec utique nolens finit, sed volens. "

Gregorius Magnus suffragatur l. 6. moral. c. 12. explicans illud Job 12. " Qui comprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia pravorum dissipat: ait: Sæpe nonnulli humana sapientia inflati dum desideriis suis divina judicia contraire conspiciunt, astutis ei reluctari machinationibus conantur, sed inde voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare contendunt; atque omnipotentis Dei consilio dum resistere nituntur, obsequuntur, & ejus consiliis humana facta etiam tunc congrue serviunt, cum resistunt. " Et postea refert historiam Josephi a fratribus venditi ne foret eorum Dominus, de qua Gen. 37. & subdit " ideo a fratribus venditus fuerat Joseph ne adoraretur; sed ideo est adoratus, quia venditus. "

D. Thomas hic 1. part. q. 19. art. 6. probat voluntatem Dei semper impleri. Ibi docet aliquid posse fieri extra ordinem causæ particularis, non tamen extra ordinem causæ universalis, quia omnes causas particulares suo concludit dominio, & ideo effectus qui impeditur in causa particulari, semper alio modo adimpletur sub causæ universalis imperio: sic stella, quæ impeditur a productione alicujus effectus, suæ operationis sub alio respectu habet terminum. v. g. Si equus non producit equum, influxus causæ universalis, qui semper remanet, facit ut producat mulum: postea subdit: " Cum igitur voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde quod recedere videtur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium: sicut peccator, qui quantum est in se recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus justitiam punitur. "

Rursus ibidem q. 22. art. 4. ad 2. " In hoc est, inquit, immobilis, & certus divinæ Providentiæ ordo, quod ea quæ ab ipso providentur cuncta eveniunt eo modo quo ipse providet sive necessario, sive contingenter. " Ergo, &c.

Tertio, *ex ratione, eaque multiplici*.

PRIMA sic exponitur. Providentia est ordinatio efficax rerum ad finem: sed hæc in Deo non potest falli: & probatur. Primo, quia Deus perfecte cognoscit & finem & media: secundo, quia habet pro fine summum bonum, habet suam gloriam. Ex hoc quod cognoscat omnia, assumit media apta ad finem consequendum: ex hoc vero quod & summum bonum & gloriam suam habeat pro fine, semper voluntas ejus adimpletur; ergo providentia nequit falli.

Secunda hæc est. Providentia pertinet principaliter ad intellectum; siquidem est actus prudentiæ & sapientiæ, porro ad sapien-

sapientem pertinet ordinare: sed actus ille est Deo perfectissimus, ergo & certissimus. Probatur minor, est actus perfectissimus prudentiae, tum quia procedit ab intellectu divino, qui cuncta cognoscit: tum quia intellectus Dei omnes habet virtutes ad dirigendum efficaciter actum suum ad finem; enimvero habet intelligentiam, habet sapientiam, habet scientiam; habet consilium seu prudentiam: unde sapientia aeterna dicit, Prov. 8. 15. *Per me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt*. Ergo &c.

Tertia. Providentia non solum ad intellectum, verum etiam & ad voluntatem pertinet; quandoquidem est ordinatio practica rerum ad finem: sed Providentia etiam ex parte voluntatis, infallibilis est. Probatur, 1. quia voluntas divina est causa universalis, unde si ejus influxus non cadit in unum, cadit in alterum, sola causa particularis potest impediri ne traducat effectum. 2. Voluntas Dei est causa rerum; attingit enim omnes rationes tum genericas, tum specificas, immo & individuales, cuncta quippe ab ipsa dependent & in esse, & in fieri & in conservari; siquidem est primum movens: igitur est intelligibilis, quia & universalis, omne respiciens bonum in tota sua latitudine sumptum. Hinc merito dicit Augustinus, peccatorem, qui Deo quatenus bono adaperte resistere satagit, ipsius adimplere voluntatem, quatenus in voluntatem justitiae, quae vult puniri reos, prolabitur.

Quarta. Ideo homines sunt incertae Providentiae, quia vel non cognoscunt omnia ad finem conducentia, vel sufficientes non habent vires ad exequutionem; vel quia etiam a fortiori impediuntur: sed ex dictis liquet ejusmodi defectus non posse reperiri in Deo: & vero ignorantia non cadit in ipsum, scientiarum Dominus est. Non deficit virtus, est omnipotens: nihil potest illi resistere, fortis est in praelio, & solo verbo virtutis suae portat omnia: igitur certa est ipsius Providentia.

Accedit quinta, quae in hac forma proponitur. Humana fallitur Providentia in eo maxime quod in propositis instabiles admodum, & fluctuantes simus, sed haec imperfectionis labes nusquam in Deo invenitur, juxta illud Malach. 3. *Ego enim Dominus & non mutor*; sanctus est, non irascitur ut homo, inquit Augustinus; igitur nec utique mutatur, ex quo quidem momento sequitur omnia nostra charitati providae Dei committenda esse, suadente Propheta Psal. 54. 23. *Jacta curam tuam super Dominum, & ipse te enutriet. Non dabit in aeternum fluctuationem justo*. Et iterum alia scriptura Rom. 8. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Unde, & quomodo? nisi quia providentia suaviter cuncta disponit pro nobis.

Solvuntur Objectiones militantes contra primam Conclusionem.

OBJICIES 1. 1. Cor. 9. Apostolus dicit, *Non est Deo cura de bobus*: igitur non est Providentia, alias se extenderet ad omnia. Confirmatur: Hieronymus in 1. Caput Habacuc col. 348. sic loquitur: *Absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut scias per momenta singula quot nascantur culices, quotve moriantur: quae cimicum, & pulicum & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum praeda cedere debeant*; ergo, &c.

Respondeo distinguendo. Non est cura specialis de bobus, concedo: generalis, nego. Apostolus excludit solummodo providentiam specialem, & gratiae, ab animalibus; quia vera Providentia dirigit ea ad finem dumtaxat naturalem, ideo veluti nulla, comparative & appretiative ad providentiam gratiae, reputatur. Ita D. Thomas hic q. 22. art. 2. ad 5. " Dicendum, quod quia creatura rationalis habet per liberum arbitrium dominium sui actus, ut dictum est, speciali quodam modo subditur divinae Providentiae, ut scilicet ei imputetur ad culpam vel meritum, & reddatur ei aliquid ut poena vel praemium, & quantum ad hoc curam Dei Apostolus a bobus removet, non tamen ista quod individua irrationalium creaturarum ad Providentiam non pertineant. "

Ad confirmationem eadem est responsio: quod autem Hieronymus velit solum exaltare specialem Providentiae curam erga homines, subdit: " Non sumus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in

„ in nos ipsos injuriosi simus, eandem ratio-„ nabilium, quam irrationabilium provi-„ dentiam esse dicentes. „ Quibus verbis etiam indigitat se loqui in objectione in aliena & non in propria sententia. " Non simus „ tam fatui adulatores Dei, ut dum po-„ tentiam ejus etiam ad ima detrahi-„ mus. „ Vult ergo Providentiam etiam ad ima sese extendere, quod quidem patet ex verbis immediate antecedentibus ea quæ in objectione referuntur. " Sicut „ igitur, inquit, in hominibus etiam „ per singulos Dei currit Providentia; „ sic in cæteris animalibus generalem „ quidem dispositionem & ordinem, cur-„ sumque rerum intelligere possumus; „ verb. gr. Quomodo nascatur piscium „ multitudo & vivat in aquis: quo-„ modo reptilia, & quadrupedia orian-„ tur in terra, & quibus alantur ci-„ bis. „

Quum igitur subjungit: " Absurdum est „ ad hoc Dei deducere majestatem, ut „ sciat per momenta singula quot nascan-„ tur culices, &c. „ vult solum ut assumantur exempla gravia & non vilia, quæ vel ipsi homines horrescunt, ad probandam Providentiam, quæ quidem ex splendidioribus creaturis magis emicat. Unde in forma distinguo. Absurdum est, idest, non convenit hæc dicere; quandoquidem apud pusillos vilesceret Providentia, illam demonstrando per vermes & culices, aliasve viliores creaturas, quæ tamen sicut ens, ita & motum ab ipsa recipiunt, concedo. Idest, non est Providentia generalis, etiam pro minimis, nego. Siquidem omne ens est a Deo, & ab ipso dependet tum in esse, tum in conservari.

Objicies 2. Providentia est pars prudentiæ; sed prudentia non est in Deo; enimvero dicit imperfectionem, videlicet consilium & mediorum inquisitionem: ergo, &c. 2. Providentia est temporalis, namque respicit res temporales, porro omne quod est in Deo, æternum est. 3. Providentia est virtus composita, quippe quæ pertineat ad intellectum & voluntatem: sed in Deo non est quid compositum; quandoquidem est ens simplex: Igitur nec Providentia.

Respondeo distinguendo primum. Providentia non est in Deo, ut dicit inquisitionem, concedo; scit enim Deus cuncta quæ fiunt & sunt, nec indiget consilio: non est, prout importat ordinationem rerum ad finem, nego. Audiendus est de hoc momento D. Thomas, qui 1. part. q. 22. art. 1. sic loquitur: " Præ-„ cipere de ordinandis in finem quorum „ rectam rationem habet, competit Deo: „ secundum illud Psalm. *Præceptum posuit*, „ *& non præteribit*. „

Ad secundum distinguo. Providentia secundum executionem est temporalis, concedo: secundum ordinationem, nego. Deus ab æterno cuncta suaviter ordinavit, in quantum in se præhabens rerum rationes & ideas, quasdam decrevit producere, quasdam vero relinquere in statu puræ possibilitatis: sic solvit argumentum D. Thomas ibidem ad 2.

Ad tertium distinguo: Et voluntas in Deo est eadem cum intellectu entitas, concedo, unde non est compositio nisi rationis, quæ non tollit simplicitatem: secus, nego. Audiamus D. Thomam ibidem ad 3. " Providentia, inquit, est in „ intellectu, sed præsupponit voluntatem „ finis..... Et tamen si Providentia ex „ æquali respiceret voluntatem & intel-„ lectum divinum, hoc esset absque de-„ trimento divinæ simplicitatis, cum vo-„ luntas & intellectus in Deo sint „ idem. „

Objicies 3. Providentia sollicitudinem parit: sed sollicitudo in Deo nusquam reperiri potest: igitur nec Providentia. Confirmatur. Melius est quædam nescire quam scire, ut dicit Aug. Enchir. c. 17. tum quia intelligens rimando vitia quandoque etiam ipse coinquinatur: igitur Providentia non est in Deo, saltem quoad omnia. Confirmatur 2. Magis convenit Regi rerum inferiorum curam committere ministris, quam istud negotium per se gerere; unde hanc adimplet per Angelos provinciam Deus, juxta illud Psal. *Qui facit Angelos suos spiritus, & Ministros suos ignem urentem*. Rursus Luc. 1. 26. *Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph*. Et iterum alia Scriptura Heb. 1. 14. *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis*. Igitur Providentia non in Deo, sed in sanctis Angelis residet.

Respondeo distinguendo antecedens. Providentia humana quæ fit inquirendo, sollicitu-

licitudinem parit & auget dolorem, concedo: Providentia divina, nego. Hominibus vel deficiunt ad exequendum vires, vel occurrunt impedimenta, vel etiam media fugiunt mentem; hinc labor, hinc inquisitio, hinc vigilantia, ut cuncta ad bonum confluant finem: sed non sic in Deo: sicut enim per unum verbum ullo absque labore universa condidit, eadem & pari facilitate ordinat ad finem & conservat; cuncta siquidem ejus obediunt imperio, universorum Dominus est, non est qui possit ejus resistere voluntati.

Ad secundum, distinguo. Melius est nobis hominibus vitia nescire, concedo: quia impedimur a consideratione majorum, tum quia propter cordis pravitatem quandoque etiam ex cura & attentione ad vitia & sordida suggerente diabolo, & adjuvante concupiscentia, inducimur ad peccatum: melius est Deo, nego. Sicut enim nihil potest ignorare, ita nec aliquid non curare; alias aliquod ens foret ab ipso independens. Cæterum sicut radius solaris transit per lutum, ipsum mundando, sese ab omni macula servando immunem; ita Deus curando vilissima, non inquinatur, quinimmo immunda reddit munda. Solutio est D. Thomæ, hic art. 3. ad 3. " Hoc, inquit, (loquendo de „ defectu & distractione), non habet „ locum in Deo, qui simul omnia uno „ intuitu videt, & cujus voluntas ad ma- „ lum flecti non potest. „

Ad tertium, distinguo. Providentia est in Angelis sanctis quoad executionem, concedo: quoad ordinationem, nego. Providentia, ut est ordinatio rerum in finem, in solo Deo præexistit, quia solus ipse Creator & conservator est, solus prima causa, & primum mobile, cetera movens. Porro ad magnificentiam utitur ministris fidelibus, Angelis quidem pro Mysteriorum executione; hominibus vero, pro Sacramentorum administratione: immo ipsis dæmonibus, ad cruciandos reprobos, & hoc ad exaltationem justitiæ suæ vindicativæ, ut ipsos tortores homines habeant, quos tanquam magistros & præceptores audire voluerunt; enimvero delicti ea lex est, ut per quid aliquis peccat, per hoc & puniatur. Ita colligitur ex D. Thoma, hic art. 3. " Quantum „ ad secundum, inquit, scilicet execu- „ tionem, sunt aliqua media divinæ Pro- „ videntiæ: quia inferiora gubernat per superiora. „

Objicies 4. Si daretur Providentia, nulla essent fortuita, nulla casualia: atqui tamen in mundo multa videntur monstra, multa casualia. Igitur non est Providentia. Confirmatur 1. Entia necessaria non indigent gubernari; siquidem sunt ad unum determinata. 2. Nec agentia libera, quia sunt suorum actuum domini; ad ipsa spectat suas ad finem ordinare operationes.

Respondeo distinguendo. Nulla essent casualia respectu causæ primæ, concedo: respectu causæ secundæ, nego. Omne fortuitum est a causa secunda, quæ deficit; nusquam vero a prima, quæ propter suam universalitatem semper producit effectum ad suam gloriam, quam quidem primario & principaliter in omnibus intendit operibus. Sol, v. g. suum semper exhibet influxum, & emittit in arborem, sed ventus urens illam deficcat; hinc non defectu solis, sed deficiente causa particulari, arbor paucos admodum vel nullos edit fructus. Sic profecto summus rerum provisor dat quidem cuilibet virtutem, ut ex se det fructum in tempore; verum arescit arbor, hoc ipsum ad pulchritudinem universi, & ad suam dirigit gloriam; eadem & simili prorsus ratione sinit monstra generari, ut entia perfecta per opposita magis elucescant. Sic solvit difficultatem D. Thomas, hic art. 2. ad 1.

Ad primam confirmationem, nego entia necessaria non indigere moveri. Moventur igitur & ad suos ordinantur fines, necessario quidem, sed conformiter suæ naturæ. " Cælum ipsum vide, inquit Pater Contensonius tomo 1. Theo. disser. „ 11. c. 1. de provid. specul. 1. quam „ late tenditur, quam rapide volvitur, „ vel quod in nocte astris distinguitur, „ vel quod in die sole lustratur; jam „ scies quam sit in eo summi moderato- „ ris mira & divina libratio. Vide & „ annum, ut solis ambitus faciat; & „ mensem vide ut luna auctu, senio, & la- „ bore circumagat. Quid tenebrarum & „ luminis dicam recursantes vices, ut „ sit nobis operis & quietis alterna re- „ paratio? Quid cum ordo temporum hac

„ frugum stabili varietate distinguitur, „ nonne auctorem suum parentemque testantur? Jam Providentia quanta est, „ ne hyems sola glacie ureret, aut sola „ æstas ardore torreret, autumni & veris inserere medium temperamentum, „ ut per vestigia sua anni revertentis innoxii transitus liberentur. Mari intende, lege litoris stringitur. Quidquid „ arborum est vide, quam e terræ visceribus animatur. Aspice oceanum, refluit reciprocis æstibus, vide fontes, manant venis perennibus. Fluvios intuere, eunt semper exercitis lapsibus. „ Quid loquar apte dispofita recta montium, collium flexa, porrecta camporum? Quidve animantium loquar adversus sese tutelam multiformem? alias „ armatas cornibus, alias dentibus septas, „ & fundatas ungulis, & spicatas aculeis, aut pedum celeritate liberas, aut „ elatione pennarum. „ Requiritur igitur Providentia quæ cuncta in suo ordine & conservet, & ad suos moveat fines. Solutio est Div. Thomæ, hic art. 2. ad 3.

Ad secundam confirmationem, distinguo: Agentia libera se movent, ut prius mota a primo movente, concedo; ut non mota, nego. Cum igitur primum movens & providens moveat eorum conformiter naturæ, nulla sequitur libertati injuria; sed certe esset contra naturam agentis liberi creati, si se moveret independenter a Deo. Sic respondet D. Thomas ibidem ad 4. " Quia ipse actus liberi „ arbitrii reducitur in Deum sicut in „ causam, necesse est ut ea quæ ex libero arbitrio fiunt, divinæ Providentiæ „ subdantur. Providentia enim hominis „ continetur sub Providentia Dei, sicut „ causa particularis sub causa universali. „

Insurges. Ad provisorem perfectissimum pertinet opera perfecta facere: sed multa sunt in operibus mundi imperfecta; & probatur; inter homines alii sunt parvæ staturæ, alii claudi, & sic de cæteris, quod non potest esse a Deo; ita Arnobius 2. con. Gent. pag. 86. " Procul hæc habeat, ut eadem rursus, frequentiusque „ dicamus, tam immanis & scelerata „ persuasio, ut ille solus rerum Deus „ omnium virtutum caput, benignitatis „ & columen..... Perfecta omnia faciens, & integritatis suæ conservantia „ mansiones, aut aliquid fecerit claudum; „ & quod eminus esset a recto: aut ulli „ rei fuerit miseriarum, aut discriminum causa: aut ipsos actus, quibus vita transigitur & celebratur humana, „ ordinaverit, jusserit, & a sua fluere „ constitutione præceperit. Minora hæc „ illo sunt, & magnitudinis ejus destruentia potestatem. „

Respondeo Arnobium in hoc graviter errare, cum nedum Scriptura & Patres, sed & Philosophi Pagani agnoverint Providentiam ad omnia sese extendere. Maxime vero, quia hanc varietatem de majori & minori perfectione ordinet provisor, ut cætera magis elucescant; immo & defectus naturales eo permittit fine, ut magis elucescat universi pulchritudo, quod sane summam indigitat Providentiam, ad quam solam pertinet in bonum ipsos defectus convertere. Unde

Respondeo in forma. Defectus non sunt a summo Provisore primario intenti, concedo: secundario, quatenus sicut umbra in tabella inservit ad ostensionem pulchritudinis tabellæ, ita defectus cedunt in bonum universi, nego. Præterea licet inter ipsos homines quidam sint subtiliores, & præ cæteris habiles; tametsi quidam patiantur defectus, omnes tamen in essentia & natura sunt perfecti, & ideo semper mirabilis est omnium artifex, & provisor. Enim vero hoc est inter provisorem particularem & universalem discrimen, quod primus attendat solummodo ad finem particularem, unde si artifex deficit in opere, non consequitur finem intentum, & ideo contemnendus: sed secundus habet pro fine bonum universale, unde effectus particulares deficientes vel in partibus, vel etiam in essentia, ut monstra, adhuc cedunt in bonum universale, ad ostensionem scilicet pulchritudinis mundi. Potest igitur Provisor universalis, absque sui honoris & decoris periculo, permittere defectus; secus vero particularis. Ita D. Thomas ibidem q. 22.

Respondet Augustinus l. de Gen. ad litt. imp. c. 5. ad difficultatem, his verbis: " Et divisit Deus inter lucem & tenebras, ne vel ipsæ privationes non haberent ordinem suum, Deo cuncta re-

„ gente,

,, gente, atque administrante, sicut in ,, cantando interpositiones silentiorum certis, moderatisque intervallis, quamvis ,, vocum privationes sint, bene tamen ,, ordinantur ab iis, qui cantare sciunt, ,, & suavitati universæ cantilenæ aliquid ,, conferunt. Et umbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt; ac non ,, specie, sed ordine placent. Nam & ,, vitiorum nostrorum non est auctor Deus: ,, sed tamen ordinator est, cum eo loco ,, peccatores constituit, & ea perpeti ,, cogit, quæ merentur. Ad hoc valet, ,, quod oves ponuntur ad dexteram, hædi autem ad sinistram. Quædam ergo & ,, facit Deus, & ordinat: quædam vero ,, tantum ordinat.,,

Instabis. Atqui ejusmodi defectus refunderentur in Deum, ergo nulla solutio. Probatur antecedens. Si esset Providentia, non essent innumera, quæ oculis perpetuo subjiciuntur, mala. Et vero fulmina passim cadunt, montes irruunt, arboribus occurrunt, loca sacra sicut profana indiscriminatim subvertunt, homines etiam justos feriunt. Quid de tempestatibus, quibus rerum omnium ullo veluti absque ordine, volvitur eventus, loquar? In naufragiis bonorum, malorumque fata sunt mixta, merita admodum confusa, & ut dicit Ecclesiastes, iniqui pro tribunali in loco justitiæ sedent: quod quidem Propheta Jerem. 12. suspirans deplorat, dicens: *Justus es Domine, si disputem tecum... quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur, & inique agunt?* Et Psal. 72., *Mei pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.. pacem peccatorum videns*. Ipsi Prophetæ demirantur, quod justi sint oppressi, dum bene est impiis, & de hoc gementes conqueruntur; ergo, &c.

Respondeo distinguendo sicut prius; & mala physica cedunt in pulchritudinem universi, & ad ipsius Dei optimi maximi gloriam, concedo: & non cedunt, nego. Creator Dominus tollit maturas segetes, optima aufert oliveta, & alia ejusmodi permittit mala, non solum ad ostensionem potentiæ, cui omnia tum ortu, tum etiam interitu servire debent, verum etiam & ad bonum electorum; *diligentibus* quippe *Deum*, inquit Apostolus, *omnia cooperantur in bonum*, namque ut ipse ait Christus Dominus Joan 15. 2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum*, Pater, *& omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat*. Succinit Gregorius Magnus, dicens: " Deum nonnumquam bona tollere, ne aut stabulum pro domo, aut ,, exilium pro patria sumamus.,, Collimat admodum Salvianus l. 2. de Provid. his verbis: " Absit ut hoc argumento ,, putemus a Deo negligi, per quod confidimus plus amari.,,

Minutius Felix Ethnico objicienti paupertatem & miseriam servorum Dei, ut tolleret Fidem & Providentiam, sic respondet: " Quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria: & tamen quis potest pauper esse, ,, qui non eget, qui non inhiat alieno, ,, qui Deo dives est? Magis pauper ille ,, est, qui cum multa habeat, plura desiderat; & quod corporis humana vitia ,, sentimus & patimur, non est pœna, ,, malitia est. (Loquitur de infirmitatibus.) Fortitudo enim infirmitatibus ,, roboratur.... quam pulchrum spectaculum Deo, cum Christianus cum dolore ,, congreditur, cum adversum minas, & ,, supplicia, & tormenta componitur; ,, cum strepitum mortis & horrorem carnificis irripiens inculcat?.... Christianus miser videri potest, non potest ,, inveniri.,,

Ad id vero quod dicitur Sanctos magnis, plurimisque affici ærumnis, dum impiis, ut plurimum omnia arrident; respondeo distinguendo. Justi afficiuntur & subjiciuntur pœnis, ad melius, quatenus Deus, quos amat, castigat, & a defectuum labe purgat, concedo: visitat justos ad interitum & perniciem, nego. Unde quidam antiquus Pater discipulo igne tribulationis commoto & probato ajebat: " Si charitate aurum es, ignis ,, ille terram abstergit: si bonis operibus Christi frumentum, illo eodem igne ,, paleas amittis: si virtutis soliditate ,, ferrum, profecto deperdis rubiginem. ,, Quoniam impii aliqua bona nonnumquam operantur, eos etiam bonis quibusdam temporalibus non semel remunerat Deus.,, Sic respondent ad argumentum propositum Patres, sic Gregorius l. 3. moral, c. 5." Aromata, inquit, odo-

,, rem

„ rem suum cum incenduntur, expendunt: „ ita viri sancti omne quod de virtutibus „ redolent, in tribulationibus effundunt. „ Et Bernardus " Crudelior est omni indigna- „ tione hæc misericordia Domini quæ par- „ cit peccatoribus, nec corrigit per fla- „ gella. „

Iterum instabis. Atqui nulla mala deberent evenire, si esset Providentia, saltem mala culpæ, nempe peccata; ergo: probatur antecedens: Provisor, si potest, debet impedire operum suorum & corruptionem & interitum; quandoquidem de gloria summi & perfectissimi artificis est, ut opus suum servetur & perseveret: igitur, si foret Providentia, nullum utique foret peccatum; quippe quod bonum naturæ corrumpat, & reddat hominem æternæ damnationis reum.

Respondeo negando antecedens; ad probationem distinguo. Provisor particularis debet impedire operum suorum exterminium, concedo: Provisor generalis, nego. Primus finem habet particularem, qui si deficiat, totum deficit: alter vero præter istum, generalem utique & universalem respicit, universi scilicet pulchritudinem & bonum: cum igitur & potentia supremi artificis in interitu creaturarum reluceat, quia corruptio unius est generatio alterius, & justitia in vindicta malorum affulgeat; non est inconveniens, Providentiam permittere multos prolabi in peccatum, & postea damnari; siquidem & in hoc providet tum libertati hominis, qui potest facere mala, vel non facere; tum justitiæ suæ, quæ est in laudem bonorum, in vindictam vero malorum.

Diluuntur Objectiones quæ contra secundam Conclusionem proponuntur.

OBJICIES. Illud est discrimen inter providentiam & prædestinationem, quod prædestinatio sit infallibilis; definitur enim, præparatio mediorum, quibus liberantur certissime quicumque liberantur; secus Providentia. Et probatur ex D. Thoma, qui q. 26. de veritate art. 1. sic loquitur: " Providentia ordinem in finem respicit tantum: unde per Dei „ providentiam omnes homines ad beati- „ tudinem ordinantur; sed prædestinatio „ respicit etiam exitum vel eventum ordi- „ nis, unde non est nisi eorum qui glo- „ riam consequuntur. „ Quibus verbis docet prædestinationem suum semper sortiri effectum, secus providentiam: sed providentia quæ caret fine intento, non est certa: igitur ex D. Thoma, Providentia non est certa, sed sola prædestinatio, quippe quæ sola respiciat formaliter exitum.

Respondeo 1. negando majorem, ad probationem distinguo. Et D. Thomas loquitur de Providentia generali eaque antecedente, qua vult Deus omnes salvos fieri, concedo: de consequenti, nego. Quod loquatur solum de priori, patet, quia loquitur de Providentia, quæ ordinat omnes, etiam reprobos ad salutem & beatitudinem; hæc certe respicit solum in genere finem, & consequenter solum media sufficientia, quibus quidem homines in statu salutis constituit; unde ex hac etiam parte Providentia certa est, quatenus finem intentum & præconceptum habet. Revera quidem, omnes homines habent ejus munere posse salvari; quod solum providentia generalis intendit: quia vero multi pro innata libertate & fragilitate, divinæ ut plurimum obnituntur gratiæ, ideo multos reprobat Deus. At res non sic se habet pro prædestinatione; quippe quæ solum respiciat exitum; hinc & infallibilis est etiam ex parte mediorum: Providentia generalis est quidem certa ex parte finis generalis, sed tamen secundum quid incerta: non certe ex parte sui, quandoquidem in omnibus, etiam in reprobis eatenus finem habet proximum & immediatum, quatenus dat eis posse salvari, ultimum vero, prout gloriæ suæ in puniendo consulit. Cæterum prædestinatus respondet & obedit gratiæ, quocirca prædestinatio, etiam ex parte creaturæ, quam Deus præscit bonum finaliter operaturam, est certissima; & hæc est inter Providentiam generalem, de qua loquitur D. Thomas, & prædestinationem, discrepantia.

Respondeo 2. negando majorem, ad probationem distinguo aliter, Providentia non habet semper certitudinem operis, concedo: certitudinem finis, nego. Certitudo duplex distinguitur, alia operis, & est ea, ad quam de se tendit opus, sic gratia sufficiens de se tendit ad salutem,

siqui-

siquidem est medium ad hoc, in quantum ejus ope voluntas præparatur a Domino ad hunc effectum: alia est certitudo finis, & hæc est a Providente, qui vult finem. Deus autem suam habet pro fine & gloriam & suorum attributorum manifestationem in operibus ad extra; licet igitur opus gratiæ suo frustretur fine in reprobo, non tamen providens, qui etiam in reprobis gloriatur per justam vindictam, quam exigit & justitia & sanctitas læsa. In prædestinatione vero est semper certitudo, non solum finis, sed etiam operis; quia est præcise de mediis, ut conducentibus ad felicem exitum: & hoc ipsum intendit D. Thomas.

Instabis. Peccator resistit voluntati Dei, juxta illud Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*. Et iterum alia Scriptura Isa. 5. 4. *Quid debui facere vineæ meæ & non feci? expectavi ut faceret uvas & fecit labruscas*. Igitur Providentia non est certa, siquidem sua frustratur expectatione, vult bonum, & ideo pulsat per gratiam ad cor; at sæpius non vult intelligere peccator ut bene agat.

Respondeo distinguendo. Peccator resistit voluntati Dei, secundum lineam bonitatis, & relabitur in eam secundum lineam justitiæ, concedo: & non relabitur, nego. Ita D. Thomas supra citatus; cujus ratio est; Providentia respicit bonum universale, scilicet gloriam Dei, unde peccator quantumvis malus, manet semper sub dominio Providentiæ, sive se convertat, quia Deus vult omnium salutem, sive semper & pertinaciter peccet, quia Deus vult malos puniri.

Rursus instabis. Providentia etiam respicit bonum particulare, alias non foret Providentia: sed sæpe deficit bonum particulare. Enimvero Deus vult omnes & singulos homines salvos fieri, & tamen non omnes de facto salvantur: vult famelicos saturari, nemo tamen non videt avaros homines, vel denegare sibi necessaria ad vitam, vel sæpius etiam ea quibus esuriens sustentari queat, tollere. Igitur non est certa Providentia.

Respondeo 1. distinguendo. Providentia respicit voluntate antecedenti bonum particulare, concedo: voluntate consequenti, subdistinguo; respicit eo modo quo cujuslibet congruit naturæ hominis & gloriæ Dei, concedo: secus, nego. Vult quidem Deus voluntate antecedenti omnes & singulos homines salvari: attentis tamen circumstantiis, vult reprobos damnari & puniri; hoc exigit ejus gloria: præ oculis semper habendum est, Deum non moveri ad agendum a creaturis, sed a sua bonitate; unde ordo Providentiæ est ordinatio rerum ad finem qui est ipse Deus: & ideo voluntas ejus semper uno aut altero modo adimpletur, quia nihil ipsam fugit. Vult voluntate antecedenti famelicos saturari; sed attentis circumstantiis quandoque vult aut puniri propter præcedentia peccata, aut probari per mortificationem, ut vitam promereri valeant æternam: & sic Providentia est semper certa.

Respondeo 2. distinguendo, quandoque deficit bonum seu finis operis, concedo: finis providentis, nego. Causa particularis quandoque deficit a fine particulari quem intendit, sed nunquam causa universalis; cum enim habeat pro objecto bonum universale, semper illud invenit, tum in bonitate & præmiando; tum in justitia & puniendo.

Instabis adhuc. Providentia respicit res sublunares, & ideo dicitur Providenria & non aliter; non enim dicitur Deus sibi providere: quia cum sit omnia, nihil indiget: sed quotidie deficiunt creaturæ a fine intento a Providentia. Enimvero vult v. g. Deus arborem producere fructus, & ecce ventus urens flores desiccat & arescit arbor. Vult hominem in virtute exerceri, & ipse pro sua innata libertate, quandoque vult, quandoque non: immo Providentia circa actus liberos numquam apparet certa & infallibilis, alias tolleretur libertas humana. Cum igitur effectus liberi arbitrii sint contingentes, debet esse & Providentia contingens, saltem quatenus respicit actus humanos.

Respondeo distinguendo. Providentia respicit res sublunares, & cuncta movet conformiter eorum naturæ, concedo; secus: nego. Unde si quædam deficiant a fine proprio particulari, non est culpa Providentiæ. Solutio est D. Thomæ hic 1. p. q.22. art.4. ad 1. his verbis: "Effectus di„vinæ Providentiæ non solum est aliquid „evenire quocumque modo, sed aliquid „evenire vel contingenter, vel necessa„rio. Et ideo evenit infallibiliter, quod „divina Providentia disponit evenire in„fallibiliter & necessario. Et evenit

con-

„ contingenter quod divinæ Providen-
„ tiæ ratio habet ut contingenter eve-
„ niat. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur Providentia quæ dat necessaria ad vitam tum fovendam, tum etiam augendam & defendendam.

PRIMO, Hanc veritatem indicant utriusque Testamenti paginæ. Replet Deus, inquit Propheta, *omne animal benedictione*: cui concinit illud Apostoli act. 17. *In ipso vivimus, movemur & sumus*.

Secundo, Hoc ipsum confirmat traditio, Patrum sententiis firmata: Unum inter omnes Clementem Alexandrinum testem appello, Strom. 6. pag. 486. " Constat, in-
„ quit, jam supplicium magis, quam con-
„ futationem mereri illum omnem qui Pro-
„ videntiam esse non putat. „

Tertio. Hoc utique egregius universi inter partes, tametsi contrarias, concentus conclamat: hoc experientia comprobat quotidiana: non enim hominibus solum, sed & belluis providet Deus necessaria ad vitam: hoc inclinatio & conatus cujuslibet creaturæ ad aliquem finem bonum: hoc ipsa creatoris providentis in adversis subito erumpens invocatio, ut ad auxilium veniat. Cæterum est certa & infallibilis in sui dispositione Providentia, quippe quæ attingat omnia a fine usque ad finem fortiter. Potens est ad faciendum, efficax ad benefaciendum, infinite dives, & ideo plena pro se & superplena pro aliis.

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD EA QUÆ IN CONTRARIUM OBJICI POSSUNT.

PRIMO. Quando Apostolus ait, non inesse Deo curam de bobus, & siliquis, non ideo excludit Providentiam, nisi specialem, quæ ad æternam conducit salutem, cujus quidem belluæ non sunt capaces.

Secundo. Providentia ut sic, neque sollicitudinem, neque consilium & inquisitionem, quæ aliquem important defectum dicit, sed ordinationem rerum in finem, quod sane Deo egregie convenit.

Tertio. Nonnumquam apparent in natura monstra, in hominibus peccata, etiam in Angelis iuvenit Deus pravitatem: at defectus tum physicus, tum moralis refunditur in causam secundam quæ deficit; nusquam vero in primam. Quinimmo permittit Deus mala, inquit Augustinus, ut inde eveniant bona; & in his plurimum splendet ipsa Providentia.

Quarto. Ultro fatemur creaturas quandoque deviare a fine particulari, minime vero ab universali, qui est gloria Dei: sed utrique ipsa mala tum pœnæ, tum etiam culpæ serviunt; unde manet Providentiam esse certam, nec in sui dispositione unquam falli.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum detur in ordine supernaturali Providentia generalis, quæ det posse salvari omnibus & singulis hominibus.

CONCLUSIO.

Datur Providentia generalis, quæ vult omnes & singulos homines salvos fieri, seu quæ dat omnibus & singulis posse salvari.

ANTEQUAM ulterius progrediamur, observandum est duplicem esse in Deo voluntatem, ut supra notavimus; alteram improprie dictam, quæ vocatur voluntas signi, quando scilicet Deus aliquo signo suam manifestat voluntatem puta consilio aut præcepto; alteram proprie dictam quæ appellatur beneplaciti, qua Deus vult sincere aliquid: & hæc duplex distinguitur, una antecedens qua vult aliquam rem secundum se consideratam & a circumstantiis abstractam; sic Judex vult omnes vivere: alia consequens, qua Deus vult rem ponderatis circumstantiis; sic Judex qui vult omnes vivere, inquit D. Thomas hic q.19. art. 1. attendens ad scelera, vult malos puniri & non vivere. Impræsentiarum sermo est de voluntate beneplaciti, eaque antecedente; & dicimus Deum velle omnes salvos fieri.

Pro-

Probatur auctoritate, exemplis & ratione.

Primo, *ex veteri Testamento.*

Ex Libris Legalibus.

I. GEN. 1. habetur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Sed Deus vult servare & secum habere imaginem suam vivam reparatam qualis est omnis homo: igitur Deus vult sincere omnes homines salvos fieri.

II. *Deut.* 6. 5. legitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; quod quidem præceptum renovatur Matth. 22. 37. Sed amor Dei tendit ad unionem æternam, juxta illud Osee 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Jam vero omnes homines, nullo excepto, tenentur amare Deum, omnibus imponit Deus hoc præceptum: omnes igitur vult salvare, cum omnibus exhibeat & præcipiat medium, quo illi uniantur in æternum.

III. *Deus* vult ut Judæi, nationes barbaras ad fidem provocent, ut recipiant venientes ad fidem, & ipse Matathias, ut legitur 1. Machab. 2. devictis hostibus, jussit circumcidi omnes quos victoria fecerat Israelis servos: igitur, vult Deus omnes & singulos salvos fieri; ad quid enim jussio ut adducantur & provocentur Gentes ad fidem?

Ex Libris Sapientialibus.

I. LEGITUR Prov. 8. 31. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Nulla exceptione facta, sed universim loquitur Deus de omnibus hominibus: quis autem sanæ mentis dicet, Deum eos ipsos qui sunt & sui amoris & deliciarum objecta velle perdere? maxime vero cum voluntas antecedens de salute hominum reguletur per præscientiam, qua Deus omnes homines intuetur ut redemptos: igitur Deus vult omnes & singulos homines salvari; igitur dat omnibus posse salvari.

II. *Idem* Deus in misericordiis plurimum dives, omnem hominem sic alloquitur, Prov. 23. 26. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* Sed implicat Deum velle indiscriminatim damnari, quos sollicitat & appellat ad vitam: ergo, &c.

III. Sap. 6. 8. *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus:* Unde Augustinus l. 2. Confess. c. 11. " O tu „ bone Omnipotens, qui sic curas unum- „ quemque nostrum, tanquam solum cu- „ res, & sic omnes, tanquam singulos. „ Ubi esset illa cura æqualis, si Deus aliquos vellet absolute perdere? igitur omnes vult sincere salvari.

Ex Libris Prophetalibus.

I. EZECH. 33. 11. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat.* Si vult ut convertatur, certe non vult ut reprobetur.

II. *Ibidem* 18. 27. *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium, & justitiam, ipse animam suam vivificabit ... vita vivet, & non morietur.* Certe si quem perdere vellet Deus absolute, maxime impium; & tamen promittit illi gratiam, immo & vitam æternam, si pœnitens resipiscat: ergo Deus vult omnes salvos fieri.

III. *Prophetæ* hortantur omnes homines, nulla exceptione facta, ad pœnitentiam, etiam ipsos Idololatras: hinc Elias increpavit Achab propter peccata, & Elisæus Joram; Daniel suasit Nabuchodonosori, peccata quæ commiserat, eleemosynis redimere: unde sequitur istud argumentum. Ille vult omnes homines salvos fieri, qui omnes vocat ad pœnitentiam: sed Deus omnes homines vocat ad pœnitentiam: etiam impios, etiam ingratos, juxta illud Ezech. 18. 23. *Numquid voluntatis meæ est mors impii .... & non ut convertatur a viis suis & vivat?* Ergo.

Secundo, *ex novo Testamento.*

Ex Evangelio.

I. MATTH. 11. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ibi Christus vocat ad vitam omnes sine exceptione peccatores: igitur vult omnes salvos fieri.

II. *Idem Christus* dicit Matth. 9. 14. *Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Si quem a salute vellet exclusum Dominus, maxime peccatores: sed Christus asserit se venisse

nisse vocare illos ad salutem: igitur Deus vult eos salvos fieri.

III. *Rursus* Christus Dominus sic loquitur Matth. 9. 13. *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*. Et iterum Luc. 19. 10. *Venit quærere, & salvum facere quod perierat*. Sed omnes & singuli homines peccati ægritudine laborant, omnes peccato Adami a gloria ceciderunt; & tamen Christus dicit se esse medicum pro male habentibus, quærere id omne quod perierat; nullam quippe facit exceptionem: igitur Deus vult & quidem sincere omnes salvos fieri.

Ex Epistolis.

I. APOSTOLUS Rom. 3. ait: *An Judæorum Deus tantum, nonne & Gentium?* ibid. c. 10. *Non est distinctio Judæi & Græci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum*: unde c. 10. 34. *Non est personarum acceptor Deus*. Sed si Deus nollet omnes salvos fieri, esset tantum, absit dicere, Deus & Pater quorumdam, scilicet electorum, non esset in misericordiis erga omnes dives, immo foret personarum acceptor; quæ quidem omnia Deo convenire non possunt: igitur Deus vult omnes salvos fieri.

II. *Idem* 2. Ephes. *Ipse est pax nostra*, loquitur de Christo, *qui fecit utraque unum .... faciens pacem:* & Coloss. 1. *In ipso complacuit .... reconciliare omnia*: item 2. Petr. 3. *Nolens*, scilicet Deus, *aliquos perire, sed omnes ad pænitentiam reverti*. Ad quid Christus reconciliasset omnia, si quosdam vellet absolute perire? Omnia reconciliavit: igitur omnes vult salvos fieri; quinimmo clare dicit Apostolorum Princeps, Deum nolle aliquos perire.

Celeberrimus est locus 1. Timot. 2. in quo Apostolus & nostram exhibet conclusionem, & eandem dilucide probat. *Deus*, inquit, *omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Igitur Deus, teste divo Paulo, vult omnes homines salvos fieri, quandoquidem ejus Providentia absque ulla exceptione ad omnes se extendit; quod certe non foret verum, si nonnullos ex necessitate ad mortem & interitum prædestinatos esse constaret: vult Deus omnes & singulos salvos fieri, cujus rei argumentum est, quod Christus sit Mediator omnium & Redemptor. Profecto non foret, si aliquos ex mero placito, & absque peccato Deus vellet absolute damnari. Quid plura? vult Deus omnes homines salvos fieri, quia Christus dedit semetipsum pro omnibus. Hanc celebrat & inculcat veritatem Apostolus: & hanc probat 1. Cor. 15. his verbis: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus*. Unde ex Apostolo, tantam habet in salvando mors Christi fortitudinem, quantam in perdendo habet peccatum: atqui peccatum, una excepta Deipara, omnes & maculat & maculavit; igitur redemptio sese ad omnes & singulos homines extendit: igitur Deus vult omnes salvos fieri.

Tertio, *ex Patribus Græcis*.

Ex primo Sæculo,

DIONYSIUS Eccles. hier. c. 2. dicit Deum salutem omnium desiderare, immo & velle omnes ad agnitionem veritatis venire.

Ignatius Ep. 6. ad Philadelph. dicit: " Amatorem hominum esse Deum nostrum, & velle omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; propter quod & solem oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. "

Ex secundo Sæculo.

JUSTINUS Martyr & Philosophus in Apologiis apud Damascenum titulo 92. disputans contra eos, qui asserebant animam quidem salvari, minime vero corpus, quod resurrecturum negabant, " Quæ est, inquit, illa discretio? ... an invidum faciunt Deum, qui bonus est, & salvari vult omnes? "

Ex tertio Sæculo.

CLEMENS ALEX. 7. Strom. sic loquitur. " Ad universi salutem Deus, utpote universorum Dominus, ordinat omnia tum generatim, tum particulatim. ", & pag. 300. probat Deum velle omnes salvari, quia est Salvator omnium.

Ori-

Origenes l. 4. contra Celsum paulo post initium idem probat a redemptione omnium; & Iesum vocat " Medicum universorum, quantum in ipso est; Salvator enim, inquit, venit omnibus hominibus. "

Ex quarto Sæculo.

S. BASILIUS in Psal. 29. explicans illud Prophetæ: *Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus*: ait: " Quid ergo dicit, nempe hoc ipsum esse, quod vult Deus omnes fieri vitæ participes, quæ etiam calamitates accidunt, eas non de ipsius voluntate fieri? "

Gregorius Nazianzenus orat. 25. dicit: " Omnia omnibus esse communiter proposita, solem, stellas, terram, rationem, Legem, Prophetas, ipsas etiam Christi propassiones, per quas omnes reformati sumus, nullo penitus excepto, qui Adamo participavimus. "

Ex quinto Sæculo.

CHRYSOSTOMUS Hom. 2. in Epist. ad Heb. sic discurrit: " Quantum in Deo est, omnes salvos esse voluit. "

Cyrillus Alex. l. 2. ad Imperatrices ait: " Quantum ad voluntatem Dei pertinet, & ad infinitam ejus naturæ benignitatem, omnes essemus filii. "

Ex sexto Sæculo.

NON desunt in hoc sæculo qui eandem tenuerint doctrinam: fuit enim universalis Ecclesiæ Græcæ consensus. Etiam 8. sæculo Damascenus l. 2. de fide ort. c. 22. eam edocet veritatem, Deum velle voluntate antecedente omnes salvos fieri.... ibid. c. 24. ait: " Deus antecedenter vult omnes homines salvos fieri. " 10. sæculo Oecumenius explicans illa verba Pauli, *Deus vult omnes salvos fieri*; " Si ergo, inquit Deus vult, quare non fit quod vult? quia illi nolunt. " 11. sæculo Theophylactus explanans eadem verba Apostoli, subdit: " Cum dixisset, scilicet Paulus, Deum velle omnes salvos fieri, hoc jam confirmat inquiens, popter hoc enim vel Filium suum mediatorem misit, ut reconciliet ille seipsum hominibus. Quare igitur, non servati sunt omnes? quia nolunt ... dedit seipsum pretium redemptionis pro omnibus etiam Gentibus.

Unde formatur istud argumentum: ille vult omnes homines salvos fieri qui omnes vult ad agnitionem veritatis venire, quique propter hoc proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: atque ex Patribus Græcis Deus vult omnes & singulos homines ad agnitionem veritatis venire, & propter hoc Christus fudit pro omnibus sanguinem: ergo, &c.

Quarto, *ex Patribus Latinis.*

Ex primo & secundo Sæculo.

CLEMENS Romanus 1. ad Cor. num. 7. sic loquitur: " Fixis oculis respiciamus in sanguinem Christi, qui propter salutem nostram effusus, toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit. "

Ex tertio Sæculo.

CYPRIANUS Epist. 52. " Scriptum est, inquit, *Deus mortem non facit, nec lætatur in perditione vivorum*; qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denuo ad vitam æternam redire. "

Ex quarto Sæculo.

HIERONYMUS in c. 1. Epist. ad Ephes. dicit Deum velle omnes homines salvos fieri.

Ambrosius, l. de Paradiso c. 18. refellit Gentiles qui exprobrabant Christo, quod Judam elegisset Apostolum, quem proditorem futurum præcognoscebat. " Venerat, inquit, Dominus Jesus ommes salvos facere peccatores, & etiam circa impios ostendere suam debuit voluntatem, & ideo nec proditorem debuit præterire, quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quod omnes voluit liberare. "

Ex quinto Sæculo.

S. PROSPER in resp. ad 2. object. Vincentii: " Sincerissime credendum atque

" pro-

„ profitendum est, Deum velle ut omnes homines salvi fiant. „ Et in resp. ad objecta Gallor. Sent. 8. " Qui dicit quod „ non omnes homines velit Deus salvos „ fieri, sed certum numerum prædestinatorum, durius loquitur quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes vult salvos fieri, atque ad agnitionem veritatis venire. „

Ex sexto Sæculo.

S. LEO. Serm. 11. de Passione.

Primasius in Epist. ad Timoth. verba, *vult omnes homines salvos fieri*, interpretatur de omnium & singulorum salute. " Constat „ Deum omnia bona velle .... omnium „ hominum Deus est, & ideo cupit omnes salvari quos fecit. At fecit omnes & „ singulos. „ Idem Ecclesia Lugdunensis 9. sæculo in opusc. de tribus Ep. docet. Idem sæc. 12. Anselmus. Idem sæculo 13. Honorius Augustodunensis in l. de prædestin. & lib. arb. Et sic patet ex traditione omnium sæculorum Deum velle omnes salvos fieri, quod adhuc fusius patebit ex opinione omnium Scholarum Catholicarum a Christo usque ad nos.

Quinto, *ex Augustino specialiter, ejusque fidelissimis Interpretibus, Prospero & D. Thoma Aquinate.*

QUONIAM Calvinus & Novatores obruti auctoritate Augustini, conantur eam detorquere in pravum suum sensum, juvat exponere tanti Doctoris mentem ex professo: & hoc per textum & interpretes omni exceptione majores, SS. scilicet Prosperum & Thomam.

Augustinus lib. de spir. & litter. cap. 32. n. 52. sic loquitur: " Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen ut eis „ adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur: quod cum sit, infideles quidem „ contra voluntatem Dei faciunt, cum „ ejus Evangelio non credunt: nec ideo „ tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno & summo bono, malisque „ pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis „ misericordiam contempserunt. „ Certe nihil est efficacius ad probandum Deum velle omnes & singulos homines salvos fieri, cum ex hac voluntate concludat Augustinus, infideles non solum inexcusabiles esse quod Evangelio non crediderint; verum etiam pœnis æternis juste puniendos pro infidelitate affirmet.

Respondent Calvinus & Beza ad hunc locum, Augustinum non loqui in propria, sed in Pelagianorum sententia: hanc responsionem sequitur Jansenius Yprensis.

Sed contra, manifestum est S. Augustinum loqui ibi ex propria sententia: enimvero hanc in eo capite sibi proponit difficultatem. " Vel, inquit, fides, qua „ in Deum credimus, est a natura, vel „ a gratia: si primum, cur non omnes „ credunt, cum sit idem Deus, omnium „ Creator? Si secundum, cur etiam fides non datur omnibus, cum Deus velit „ omnes salvos fieri? „ & respondet: " Non omnes habere credendi voluntatem, quia licet vocatio Dei sit communis omnibus, cum Deus velit omnes „ salvare; nihilominus non ademit liberum arbitrium, quo homo vel bene, „ vel male uti potest. „ Quid clarius Augustinum loqui ex propria sententia, cum respondendo, dicat vocationem omnibus esse communem?

Iterum probatur Augustinum loqui in propria sententia: Primo, quia propositam sibi difficultatem non aliter solvit, quam subjiciendo verba laudata in textu allato pro conclusionis probatione: atqui Augustinus non potest dici solvere quæstionem ad fidem pertinentem, solum ex principiis hæreticorum: ergo, &c.

Secundo, quia Augustinus contra eam doctrinam, in eo capite 32. traditam, objectionem sibi proponit initio capitis 33. & idem respondet; quod certe non faceret, si quæ prius scripserat, non tradidisset ex propria sententia.

Tertio, Illud non est dictum in sensu Pelagianorum divinæ hostium gratiæ, ad quod probandum producuntur loca Scripturæ, quæ gratiæ necessitatem indigitant, quæque singularis gratiæ & misericordiæ confessionem continent: atqui hoc facit Augustinus; ibidem enim hunc adducens in probationem Psalmistæ locum: *Benedic anima mea Dominum, & noli oblivisci omnes retributiones ejus*: ait: " Non est dictum tribu-

„ tributionis, sed retributionis ejus, qui „ tribuit bona pro malis. „ Nunquid vero agnovere Pelagiani & Semipelagiani gratiam sic tribui malis operibus, qui e contra dicebant in meritis bonæ voluntatis præcontineri, nam & in hoc Augustinus ostendit gratiæ gratuitatem, quia Deus eam confert etiam peccatoribus indignis, ut illos convertat.

Dices. Augustinus caput sequens sic incipit: " Hæc disputatio, si quæstioni illi „ solvendæ sufficit, sufficiat. „ His verbis Augustinus videtur declarare, ea quæ dixerat in capite præcedenti, non sufficere ad solvendam quæstionem: igitur, inquit Jansenius, non locutus est ex propria sententia, cum asseruit Deum velle omnes & singulos salvos fieri.

Respondeo negando consequentiam. Cum enim in capite præcedenti S. Augustinus quæstionem proposuisset, quomodo fides sit donum Dei, & quomodo eam non omnes habeant, siquidem vult Deus omnes salvare, illam solvit quæstionem, respondendo vocationem ad fidem communem esse omnibus, & tamen non omnes credere, eo quod præter gratiam, requiratur usus liberi arbitrii; tum initio capitis 33. contra responsionem suam sibi proponit objectionem verbis allatis, quam quidem sub finem capitis clare explanat: " Si, inquit, quæratur cur „ uni ita suadetur, ut persuadeatur, id-„ est, cur uni gratia specialis detur, „ alteri non ita; „ tunc ad hanc quæstionem solvendam agnoscit non sufficere illa quæ prius in capite 32. attulerat, sed ait exclamandum esse cum Apostolo *o altitudo divitiarum! &c.* Itaque tantum abest ut ex his verbis concludi possit S. Augustinum solutionem allatam in capite 32. tanquam non suam exposuisse, quinimmo inde manifestum est, ipsum fuisse propria mente locutum, quandoquidem contra illam solutionem proponit & facit instantiam, quam & ipse solvit, respondendo scilicet, ex duobus æquali gratia donatis, & in iisdem circumstantiis positis, unum credere, quia vult; alterum non, quia non vult: quare nolit? dicit, *o altitudo! &c.* est enim mysterium; & bene, quia Patres & Theologi non intendunt Mysteria comprehendere, sed solum explicare.

Augustinus pluribus aliis in locis suam aperit mentem circa istud momentum, probando Deum velle omnes & singulos homines salvos fieri, quia Christus mortuus est pro omnibus. Sic enim loquitur libro de Catech. rud. c. 26. n. 52. " A „ pœnis sempiternis Deus misericors vo-„ lens homines liberare, si sibi ipsis non „ sint inimici, & non resistant misericor-„ diæ Creatoris sui, misit Unigenitum „ Filium suum, hoc est, Verbum suum „ æquale sibi, per quod condidit omnia „ .... ut quemadmodum per unum homi-„ nem qui primus factus est .... mors in-„ travit in genus humanum .... sic per „ unum hominem, Jesum Christum qui „ etiam Deus est Dei Filius, deletis om-„ nibus peccatis præteritis, credentes in „ eum omnes in æternam vitam ingrede-„ rentur. „ In hoc loco voluntas conditionata salvandi homines, astruitur, maxime cum dicit, si non sibi sint inimici, si divinæ non obnitantur misericordiæ; quandoquidem Augustinus eodem semper innixus principio, loquitur; videlicet Deum velle omnes quidem salvare, sed non adimendo liberum arbitrium: potest igitur homo aut credere aut non credere vocanti; verum si neque audit neque credit, reus est. Enimvero si non poneret gratiæ sufficienti obicem, & intus per eam audiret, utique & crederet, unde & salvaretur, teste Augustino. Mens tanti Doctoris iterum atque iterum sese prodit ore fidelissimorum interpretum, immo & ejus discipulorum, Divi scilicet Prosperi, & Divi Thomæ.

D. Prosper jam citatus est, sed & iterum introducitur loquens l. 2. de vocatione Gent. cap. 25. " Sive igitur nova contemplemur „ sæcula, seu prima, seu media, ratio-„ nabiliter & pie creditur, omnes homi-„ nes salvos fieri, Deum velle, semper-„ que voluisse ... „ Et c. 28. " Est ma-„ nifestum quod diversis atque innumeris „ modis omnes homines vult Deus salvos „ fieri: sed qui veniunt, Dei auxilio diri-„ guntur, qui non veniunt, sua pertina-„ cia reluctantur. „

D. Thomas hic q. 19. art. 6. explicans verba B. Pauli 1. ad Tim. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ait: " Deus antecedenter „ vult omnem hominem salvari, sed con-„ sequenter vult quosdam damnari secun-„ dum exigentiam suæ justitiæ. „

Sexto, *ex Orationibus & Deprecationibus Ecclesiæ*.

PRIMO, Christus ipse ut refertur Joan. 17. oravit specialiter pro Apostolis suis: *Non pro mundo rogo*, ait, *sed pro his quos dedisti mihi*: ibidem pro aliis: *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt*: deinde pro omnibus, juxta illud Isai. 53. 12. *Et pro transgressoribus rogavit*: immo & pro ipsis persecutoribus, ut refertur Luc. 23. 34. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*.

Secundo. Apostoli passim in suis Epistolis hortantur fideles ut orent Deum pro omnium salute, & multis in locis Paulus, maxime vero in prima ad Tim. 2. ubi sic loquitur: *Obsecro igitur primum omnium fieri Obsecrationes, Orationes, Postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus; pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate; hoc enim bonum & acceptum coram Salvatore nostro Deo*. Præcipit ut pro omnibus, absque ulla exceptione, fiant Orationes generaliter, deinde specialiter pro Regibus, & qui dignitate cæteris præcellunt: igitur censet Apostolus Deum velle homines salvos fieri; alias frustra funderentur preces pro omnibus.

Tertio. Ecclesia quotannis in die Parasceves, orat in genere & in particulari pro omnibus hominibus, etiam pro Paganis, etiam pro Judæis & pro Hæreticis.

Oremus: *Et pro Hæreticis, & Schismaticis, ut Deus & Dominus noster eruat eos ab erroribus, &c.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes & neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni hæretica pravitate deposita, errantium corda resipiscan:, &c.

Oremus: *Et pro perfidis Judæis, ut Deus & Dominus noster auferat velamen de cordibus eorum, ut & ipsi agnoscant Dominum nostrum Jesum Christum*.

Oremus: *Et pro Paganis, ut Deus omnipotens auferat iniquitatem a cordibus eorum*. Igitur Deus vult sincere omnes & singulos homines salvos fieri; ideo enim vult fieri pro eis deprecationes, ut intuitu meritorum & Christi & Ecclesiæ, largiatur gratias ad salutem, quas alligat orationibus Sanctorum, inquit Divus Thomas. Unde dicitur de Christo: *Exauditus est pro sua reverentia*. Nec mirum, obtinuit gratias sufficientes pro omnibus ad salutem. Jam vero ad quid oratio pro omnibus, si gratiæ non sunt pro omnibus?

Apostolus 1. ad Tim. 2. concludit Deum velle omnes homines salvos fieri, quia fit oratio pro omnibus; ibidem infert simul orandi pro omnibus necessitatem, quia Deus vult omnes salvare: *obsecro*, inquit, *igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes .... pro omnibus hominibus ... hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri*.

Chrysostomus probat etiam Deum velle omnium salutem, quia oportet pro omnibus orare. Sic loquitur explicans locum Apost. 1. ad Tim. 2. " Imitare Deum „ tuum; si omnes ille vult salvos fieri, „ merito pro omnibus oportet orare. „

S. Prosper eundem loquitur sermonem in respons. 2. ad objectiones Vincentianas. " Sincerissime credendum est Deum velle ut omnes salvi fiant, siquidem Apostolus præcipit ut pro omnibus hominibus supplicetur; ex quibus quod „ multi pereant, pereuntis est meritum; „ quod multi salventur, salvantis est donum. „

Septimo, *ex factis Providentiæ*.

PRIMO. Providit Deus universim media generalia; siquidem, teste Augustino, erat condens naturam, & largiens gratiam. Ipsa dirigente Providentia, & cognitio & cultus Dei ab Adam ad posteros transmissa sunt: In lege quidem naturæ Deus per instinctum & inspirationem de his momentis edoceri voluit homines: In lege Mosaica per Prophetas, novissime vero diebus istis locutus est nobis in Filio: Igitur concreata est Ecclesia cum primis parentibus; refulsit in Abel, crevit in Seth, in Enos apparuit cum cultu solemniori, solatium ipsius fuit Lamech, servata est simul & transmissa ad alios post diluvium per Noe, in Abraham nova promissa recepit, typum habuit perpetuitatis

in

in sacrificio Melchisedech, illustrata est per patientiam Job, floruit in Moise & in Concilio Seniorum, Legem habuit scriptam per Moisen, magnalia Dei prædicaverunt Prophetæ, in omnem terram exivit sonus Apostolorum ubique Deum prædicantium, sermonem confirmantium signis & portentis: vicit undequaque veritas furentes hostes, ita ut sanguis Christianorum factus sit, inquit Tertullianus, semen Christianorum; Crux in fronte Regum rutilat, ait Augustinus, ubique Prædicatores, & ab initio mundi Evangelistæ; ipsi cœli enarrant gloriam Dei: sic ordinavit Providentia, ut omnibus provideret ad salutem.

Secundo: Fecit & hoc Providentia pro infidelibus; ut primum enim homines a via veritatis defecerunt, clamavit in plateis Sapientia providens; *si quis sitit, veniat ad me*. Clamavit per Abraham Pharaoni; flagellatus Deum agnovit, utinam & coluisset! Clamavit per Joseph, qui factus in Ægypto magnus, docuit Principes Sapientiam. Clamavit per Israel, qui, ibi demoratus per quadringentos & amplius annos, colebat & prædicabat Deum. Quid debuit ergo Providentia facere pro Ægyptiis, Idololatris, & non fecit? Heu! cognoverunt, sed non sicut Deum glorificaverunt, & ideo evanescentes in cogitationibus, factum est insipiens cor eorum.

Clamavit per Prophetas, maxime per Danielem, qui in conspectu Nabuchodonosoris, Darii, Baltassaris, loquebatur de testimoniis Dei, & non confundebatur. Audierunt utique & Cyrus, & Artaxerxes Longimanus, aliique Medorum & Persarum Reges a populo captivo, Deum esse: audierunt Reges Ninivitæ, dum haberent Israel captivum: audierunt Reges Syriæ a Machabæis per centum & sexaginta circiter annos: Audierunt & Reges Ægypti, qui testes fuere prodigiorum Dei. Quorsum non crediderunt, nisi quia noluerunt? Audierunt & postea ab Apostolis fidem ultimæ terræ Nationes. Igitur Providentia sese ubique prodit: Piscatores Philosophos suaserunt, Martyres converterunt ad Deum Persecutores; veritas omnium fortior, ubique devicit.

Clamat & nunc sine fine Providentia ore Prædicatorum & Missionariorum, per omnem terram dispersorum, quorum labores, persecutiones, lacrymæ, quandoque & sanguis effusus, testantur quid Providentia operetur pro salute infidelium. Quondam misit Petrum ad Cornelium, Philippum ad Eunuchum Reginæ Candacis Æthiopum, Paulum ad Macedones: Nunc etiam omnes interius movet ad bonum, obedientes illuminat, dociles prævenit, dicente Domino, Isa. 65. 2. *Invenerunt, qui non quæsierunt me; dixi: ecce ego*. Ex quibus concludit D. Thomas Providentiam dare omnibus & singulis, etiam infidelibus, posse salvari. Sic loquitur q. 14. de verit. art. 11. ad 1. " Si quis in „ sylvis enutritus ductum naturalis ratio„ nis sequeretur in appetitu boni & fu„ ga mali, certissime tenendum est quod „ ei Deus vel per internam inspirationem „ revelaret ea quæ ad credendum sunt „ necessaria, vel aliquem fidei Prædica„ torem ad eum dirigeret, sicut misit Pe„ trum ad Cornelium. „

Tertio. Providentia etiam suis prævenit gratiis interioribus simul & exterioribus obduratos. Fecit prodigia & signa stupenda Moises coram Pharaone, ut ejus in malo pertinaciam omnibus modis aut cohibere aut superare valeret. Fecit & in conspectu impii Baltassaris Daniel, qui sententiam ejus mortis nedum legit, sed & publicavit: quidni & a via prava obduratus Rex inflexerit? Nec defuit Providentia sacrilego Antiocho; audivit quippe perfidus princeps & exercitus & duces suos prorsus contritos; testis fuit fidei generosæ matris & septem filiorum Machabæorum, quibus cessere iterata tormenta, nusquam vero ipsi tormentis; quid plura? Antiochus morbo horrendo & insanabili percussus & flagellatus est; expectabat quidem Providentia, ut dignos pœnitentiæ fructus faceret; sed heu miserum & infelicem! fecit labruscas; ore quidem Deum confitebatur, corde vero & mente abnegabat; & ideo hæc sequitur sententia 2. Mach. 9. 13. *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus*. Neque etiam Neroni, Trajano, aliisque impiis & idololatris Imperatoribus Providentia defuit: & vero loquebatur Martyrum & miraculis & mirabilibus virtutum exemplis; hinc multi obediebant fidei; quinimmo fidem susceptam sanguinis effusione lubenti admodum animo defendebant; igitur qui pertinaces permansere, sua culpa perie-

 runt:

runt ; hinc Beatus Stephanus increpat Pharisæos de obduratione injusta, Act. 7. his verbis : *Dura cervice & incircumcisi cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto restistitis*. Et ipse Christus ait : *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos sub alas? & noluisti*. Quid plura? Nemini deest Providentia in necessariis ad salutem : hoc Scriptura, hoc Patres docent ; & inter omnes Augustinus in Psal. 6. " Dedit eos, inquit, in re-„ probum sensum ; nam ea est cæcitas „ mentis, in eam quisque datus fuerit, „ ab interiori Dei luce secluditur, sed „ non penitus cum in hac vita est. „ & tract. 53. in Joan. quærit cur Judæi obcæcati non possent credere. " Si a me „ quæratur, inquit, cito respondeo, quia „ nolebant. „ Astipulatur S. Prosper l. de voc. Gent. his verbis : " Credimus „ nullis hominibus opem gratiæ in to-„ tum fuisse subtractam. „ Rursus in responsione 25. ad object. Vinc. " Nemi-„ ni Deus correctionis adimit viam, ne-„ que quemquam boni possibilitate spo-„ liat. „ Idem docet D. Thomas, q. 24. de verit. art. 11.

Quarto. Providentia nequidem deficit pueris, etiam iis qui in utero materno moriuntur. Deus enim vult illos salvos fieri, siquidem Apostolus iterum atque iterum prædicat Christum pro omnibus mortuum, immo ideo mortuum pro omnibus, quia omnes in Adamo mortui sunt; igitur & pro pueris : sed cum aliena voluntate peccaverint, etiam aliena voluntate eis parantur media ; alia intrinseca in ipsis parentibus, ut matres satagant ad hoc ut pueri accedant ad baptismum ; alia extrinseca, cum enim ipsi infantes gratię actualis usum defectu usus rationis pro tunc nequeant habere, Deus exhibuit aquam ubique communem pro baptismo : voluit ut ab omnibus possent baptizari, etiam a mulieribus, etiam a Paganis ; hoc ipsum celebrat & commemorat Auctor operis de vocat. Gent. l. 2. c. 2. hanc enim sibi proponit quæstionem. " Cum omnes ho-„ mines velit Deus salvos fieri, quid est „ quod alienatur a salute perpetua tanta „ infantium multitudo ? „ & respondet : " Non irreligiose arbitror credi, neque „ inconvenienter intelligi quod isti pau-„ corum dierum homines ad illam perti-„ neant gratiæ partem, quæ semper uni-„ versis est impensa nationibus, qua si uti-„ que bene uterentur eorum parentes, „ etiam ipsi per eosdem juvarentur. „ Igitur concludendum est, Deum, quantum in se est, salvo jure sapientiæ, quæ permittit mala ne perturbetur ordo universi, & lædatur liberum hominis arbitrium, providisse sufficienter omnium saluti.

Octavo, *ex Conciliorum sententia & definitione*.

CONCILIUM Moguntinum, ann. 848. celebratum sub Rabano, damnat Gotescalcum, eo quod docuisset prædestinationem necessitantem ad mortem, quasi Deus nollet omnes homines, sed solum aliquos salvari. Extat epistola synodica Rabani in tomo Conciliorum, in qua referuntur capita damnationis, & remissio Gotescalci ad Hincmarum, Rhemorum Archipræsulem.

Concilium Carisiacum, celebratum anno 853. præsidente Hincmaro, hanc suscepit provinciam adamussim examinandam, & omnibus æqua lance pensatis, quatuor capitula condidit, in quibus astruit Deum velle omnes salvare, & Christum pro omnibus mortuum : sic habet cap. 3. " Deus „ omnipotens omnes homines sine excep-„ tione vult salvos fieri, licet non om-„ nes salventur : quod autem quidam sal-„ vantur, salvantis est donum : quod au-„ tem quidam pereunt, pereuntium est „ meritum.

Concilium Tridentinum quæstionem ultimate definivit sess. 6. ubi de Christo loquens ait : " Ipse propitiatio non pro nostris „ tantum, sed pro totius mundi deli-„ ctis : „ si pro omnium delictis, vult omnes salvos fieri : alias ad quid redemptio valeret?

Nono, *ex Theologorum Sententiis*.

PRIMUS, D. Thomas, qui hic q. 19. ar. 6. ad 1. rursus in c. 1 Epist. 1. ad Tim. iterum hic q. 23. art. 2. & 3. docet Deum velle omnes salvos fieri.

Secundus, Guillelmus Antissiodorensis l. 10. c. 17. idem dicit.

Tertius, Alensis 1. p. q. 6. membro 6. subscribit.

Quartus, S. Bonaventura in 1. dist. 46. q. 1.

q. 1. suffragatur. Hoc ipsum pronuntiant subsequentes.

Quintus, Scotus in 1. dist. 46.

Sextus, Richardus de Media-villa in 1. dist. 46. q. 1.

Septimus, Durandus in 1. dist. 47. q. 1.

Octavus, Hærucus in 1. dist. 46. q. 2. art. 1.

Nonus, Ægidius in 1. q. 46.

Decimus, OKamus in 1. dist. 46. q. 1.

Undecimus, Guillelmus de Subione in 1. dist. 47. Succinunt alii permulti dicentes, Deum velle voluntate beneplaciti & sincere omnes & singulos homines salvos fieri. Ergo, &c.

Decimo, *ex ratione eaque multiplici*.

PRIMA sic se habet: Deus vult eos salvos fieri, pro quibus suum tradidit Filium; pro quibus Christus Dominus mortuus est: atqui Deus pro singulis suum tradidit Filium dilectum, juxta illud Rom. 8. 32. *Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: Atqui Christus Jesus pro singulis mortuus est; *ipse est enim* inquit Joannes, *propitiatio, non solum pro nostris, sed pro totius mundi delictis*: unde Augustinus l. 2. de symb. ad Catec. c. 8. Salvatorem inimicos sic alloquentem inducit, " Videte vulnera quæ infixistis, " agnoscite id latus quod pupugistis, quo-" niam & per vos & propter vos aper-" tum est; nec tamen intrare voluistis. " Et Epiphanius l. de Hæresib. hæres. 55. " Pro toto mundo, inquit, se obtulit, " ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare. " Igitur Deus vult omnes & singulos homines salvos fieri.

Secunda, quæ multas alias continet. Deus vult omnes & singulos homines salvos fieri, quia hoc exigit amor Dei, hoc bonitas, hoc justitia, hoc misericordia, hoc sapientia. Amor quidem; quippe qui tendat ad unionem: igitur Deus vult ut sibi uniatur homo unione perfectissima, adeoque in gloria, juxta illud Osee 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum*. Bonitas, quia bonum est sui diffusivum, inquit Dionysius; & ex Augustino, Deus bonus est ex se, justus dumtaxat ex nobis; unde quantum est de se, vult sincere se communicare in gloria omnibus hominibus; misericorditer vult omnes salvos fieri. Ita Origenes l. contra Celsum, Methodius lib. de resurr. Cyrillus Hierosf. catec. 18. Chrysostom. hom. 2. in Epist. ad Heb. Paulinus Epist. 2. Aug. tract. 12. in Joan. Cyrillus Alex. l. 2. ad Imperatrices, Guillelmus Antissiodorensis l. 10. de Providentia c. 15. Alensis 1. p. q. 16. membro 2. Scotus in 1. dist. 46. & D. Thomas supra relatus. Hoc etiam exigit justitia: enimvero si Deus nollet omnes salvos fieri, possent quodammodo excusationem habere reprobi de peccatis, dicendo se non potuisse aliter facere quam damnari, siquidem nolebat Deus, quod absit dicere, eos salvos fieri. Sapientia postulat; siquidem attingit omnia a fine ad finem fortiter, & disponit suaviter, dirigendo quamlibet creaturam ad finem suum. Hoc denique misericordia: Deus enim creaturam eruere a miseria damnationis congaudet, unde exardescit adversus eos, qui dicunt eum nolle ut impii credant & salveutur: Sic enim loquitur Ezech. 18. 23. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis & vivat?*

Tertia. Eo modo vult Deus omnes homines salvos fieri, quo mercator in navi vult omnes servare merces, & judex omnes vivere, inquit D. Thomas, hic q. 19. art. 6. & q. 23. Sed mercator sincere & quantum in se est, vult omnes servare merces, licet consequenter adveniente tempestate, consentiat eas projici in mare ut propriam salvet vitam: judex vult omnes vivere, tametsi accedentibus criminibus, teneatur punire reos. Ergo similiter Deus, quantum in se est, vult omnes & singulos homines salvos fieri, licet insurgente peccatorum tempestate, consequenter velit prævaricatores projici in lacum, & morte puniri æterna.

Quarta. Deus præcipit omnibus & singulis ut illum ament, ut bona opera faciant, ut declineut a malo; lex enim ista, *Declina a malo & fac bonum*, omnes obligat: sed qui vult media, vult & finem; maxime vero Deus qui semper agit sapienter: igitur vult omnes salvari.

Quinta. Qui non solum præcipit media ad finem obtinendum, verum etiam dat media intrinseca ad illum finem, certe illum finem vult sincere: sed Deus non solum dat leges & præcepta pro mediis ad fa-

salutem, prohibendo malum & præcipiendo bonum; verum insuper dat omnibus gratias sufficientes ad virtntem exercendam, qua possint homines vitam consequi æternam; ad quid enim illa sollicitatio, *Prabe fili mi, cor tuum mihi*? Ad quid inspirationes interiores? ad quid minæ & terrores, ne peccatores præcipites ruant in peccata? ad quid mors Christi pro omnibus? ad quid prædicatores, in omnem terram missi? hæc enim & alia infinita beneficia sunt effectus voluntatis, quam Deus habet de salute omnium. Igitur vult omnes salvos fieri.

Sexta. Ille vult sincere omnes salvos fieri, qui hoc vult amore effectivo, & non puræ complacentiæ; qui dat omnibus inclinationem ad finem supernaturalem; siquidem non potest dici illam inclinationem esse frustraneam, foret autem, si multos nollet salvari; sed Deus vult amore effectivo, & non simplicis complacentiæ, salutem omnium; sed Deus dat singulis per gratiam, inclinationem ad finem supernaturalem. Probatur ista minor quoad utramque partem. Primo quidem vult Deus amore effectivo omnes salvari; omnibus dat media ad salutem, extrinseca quidem, leges scilicet atque præcepta; intrinseca vero, gratias nimirum prævenientes. Etenim, si Deus vellet solum voluntate complacentiæ omnium salutem eo quod hoc ipsum illi gratum foret, non magis vellet omnium hominum salutem, quam ipsorum dæmonum; quis enim dubitat, jucundum illi fore, si dæmones non peccassent; sed fuissent & justi & sancti? Secundo, omnem elevavit hominem ex misericordia ad finem supernaturalem; igitur & dedit illi virtute suæ gratiæ inclinationem ad hunc finem: in isto sensu Tertullianus dicit animam naturaliter Christianam. Igitur Deus vult sincere omnes salvos fieri.

Jam vero Deus vult omnes salvos fieri, si Christus mortuus est ut omnibus præberet media ad salutem: si hoc Scriptura & Patres dicant: si exempla & beneficia Providentiæ comprobent: concludamus igitur dari providentiam in ordine supernaturali, quæ dat omnibus posse salvari.

Solvuntur Objectiones.

Primo, *ex Scriptura prodeuntes.*

Objicies. Isaiæ 6. Deus sic loquitur Prophetæ: *Vade, & dices populo huic: audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem & nolite cognoscere: excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.* Quibus positis fit istud argumentum. Ille non vult sincere omnes homines salvos fieri, qui obdurat cor Judæorum, ne convertantur & sanentur: atqui ex Isaia vult Deus ut Judæi obcæcentur & obdurentur, ne resipiscant, & sanentur: ergo non vult omnes & singulos salvos fieri.

Respondeo 1. opponendo Scripturam Scripturæ; Ezech. 18. idem Dominus ait: *Numquid voluntatis meæ est mors impii?* & 1. ad Tim. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri.*

Respondeo 2. distinguendo. Et sic loquitur Dus ut per os Prophetæ manifestet, & arguat abusum gratiarum, a Judæis perfidis contemptarum, & in futurum contemnendarum, concedo: sic loquitur, quia non vult eos salvos fieri, nego. Obduratio fit per resistentiam repetitam gratiæ, & per magnum Dei contemptum; talis fuit obduratio Judæorum, juxta illud Stephani Act. 7. 51. *Dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis; sicut Patres vestri, ita & vos.* Obduratio igitur non est signum Deum noluisse Judæorum salutem, aut ipsos caruisse gratiis; immo hoc arguit gratiarum multitudinem, quas ingrati contempserunt; hinc & per contemptum, induratum est cor eorum. Sic Pharao obduratus est resistendo gratiis & magnis prodigiis pro conversione ipsius a Moyse factis; ea enim est omnium Patrum ratio, Deus loquitur interius per gratiam, dum foris intonat per signa. Judæos autem de quibus loquitur Isaias, multas jam gratias habuisse, patet ex capite immediate antecedente, ubi sic conqueritur de illis Deus: *Nunc ergo habitatores Jerusalem & viri Juda, judicate inter me & vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ,*

&

& non feci? an quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas? & nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ; auferam sepem ejus, & erit in direptionem. Igitur locus pro objectione adductus, est solummodo ad declarandum gratiarum abusum, & quomodo Judæi seipsos obdurare voluerint: ideo mittit ad eos Deus Prophetam, ut annunciet scelera eorum, si forte resipiscant, juxta illud ibidem c. 6. v. 8. *Audivi vocem Domini dicentis, quem mittam? & quis ibit nobis? & dixi, ecce ego, mitte me.* Quia vero prævidebat Deus eos novis criminibus & consueta in peccatis pertinacia non credituros, hoc ipsum revelat Prophetæ, revelando novum gratiarum contemptum, his verbis: *Excæca cor populi hujus .... ne convertatur & sanem eum.* Idest, de novo rejiciet me, & verbum meum populus iste vacuum obnitendo, reddet, & ideo penitus obdurabitur, & non convertetur, postea punitiones prædicit, si forte attriti redeant ad cor.

Respondeo 3. distinguendo. Deus obdurat Judæorum corda permissive, concedo: positive, nego. Deus a peccatore abjectus recedit ab eo; finit, inquit Augustinus, eum magis ruere in peccata, juxta illud Psal. 35. 4. *Noluit intelligere ut bene ageret:* Et iterum Psal. 80. 13. *Ibunt in adinventionibus suis:* & alia Scriptura Rom. 1. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum ... tradidit .... in passiones ignominiæ ... tradidit ... in reprobum sensum.*

Respondet D. Thomas Comment. in cap. 6. Isaiæ, sic explicando Prophetam. " *Audite audientes.* Hic ponitur Sententia. " Primo, ponitur Sententia obdurationis; " non obdurat autem immittendo malitiam, sed non impertiendo gratiam; & " quia non se volunt ad gratiam convertere. Secundo, quæritur sententiæ duratio ibi, *& dixi, &c.* circa primum " tria facit: Primo, ponitur sententiæ " pronuntiatio a Domino, quantum ad " sensus disciplinabiles; scilicet auditum, " qui deseruit disciplinam, unde dicit, *audite*, auribus exterioribus audientes Christum, vel alium prædicantem, *& nolite intelligere*; quasi dicat, quia non vultis, " non intelligitis; permissivum est: & " quantum ad visum qui servit intentioni, *& videte visionem*, Christum corporaliter, vel magnalia Dei, *& nolite cognoscere*; permissivum est, & non imperativum, infra 42. *Quis cæcus, nisi servus meus?* Secundo, ponitur sententiæ acceptatio a Propheta, unde dicit: *O Domine*, ex quo pulchritudo Gentium intratura est, Rom. 1. percute cæcitate " Israel, *excæca cor* interius, *& aures aggrava*, ne percipiant, *& oculos ejus claude*, ne cognoscant, Joan. 9. *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant:* " vel est Verbum Domini, & est sensus, " *excæca*, idest, excæcatum prædica. " Quid clarius? Solum igitur Propheta describit statum infelicem, ad quem Judæi per nefanda idololatriæ peccata redacti fuut; lamentabilem utique, ad quem eorum filii, Christum crucifigendo, adducendi forent. Postea vero Angelicus Doctor delineat omnia, maxime punitiones, quas quidem Deus, ad vindicandam Filii sui mortem infligere altissimo decreverat concilio.

Ex his profecto liquet oraculum, ab Isaia allatum, nullam ex parte Dei obdurationem inducere; sed summam potius arguere misericordiam, cum Deus, etsi infidelitatis Judæorum præscius, attamen prædicatorem Prophetam, qui eos ad pœnitentiam compelleret, mittat ut a viis pravis tandem aliquando recederent. Sensus igitur genuinus ille est; *Vade & annuntia populo meo scelera eorum*: obcæca cor populi, hoc est; scio illos ex resistentia sermonibus tuis, pejores evasuros: attamen argue, obsecra, & increpa in omni patientia, si forte audiant, & sanem eos. Hac clara & sana Prophetiæ explicatione, absque negotio diluuntur cætera, quæ ex obduratione procedunt, argumenta.

Oppones 2. Ille non vult omnes & singulos homines salvos fieri, qui non vult exaudire peccatores pœnitentes: atqui Deus non vult eos exaudire, juxta illud 2. Mach. 9. 13. de Antioc. *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.*

Respondeo 1. Quandoque Deum in vindictam peccatorum præcedentium, rejicere deprecationem ficte supplicantis peccatoris, sicut Rex sæpius offensus, tandem dat locum iræ & vindictæ, propter in-

gratitudinem relabentis; qui enim redit semper ad peccatum, non promeretur veniam.

Respondeo 2. distinguendo. Deus non exaudit pęnitentes, qui labiis dumtaxat illum honorant, sicut Christus dicit de Judæis: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*, concedo: vere pęnitentes, nego. Antiochus labiis solum dolebat de peccatis, nempe propter morbum insanabilem, quo percusserat eum Dominus in pœnam crudelitatis erga Sanctos, quorum impius ille fuderat sanguinem; unde recte dicit Propheta de ejusmodi peccatore, Psalm. 108. *Oratio ejus fiat in peccatum*; siquidem Deum orare cum affectu ad peccatum, est illum irridere: sic deprecabatur Antiochus, cujus cor erat a Deo penitus alienum. Quod autem Deus exaudiat vere pęnitentes, audi Christum de Publicano loquentem Luc. 18. 14. *Descendit hic justificatus in domum suam*: Et iterum alia Scriptura Luc. 15. 7. *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente*: Et adhuc Matth. 18. 11. *Venit enim Filius hominis salvare quod perierat*.

Respondet D. Thomas ad difficultatem, quare Deus non exaudiat semper orationem 2. 2. q. 28. art. 15. his verbis: " Quædam non negantur; sed ut congruo dentur tempore differuntur, ut Aug. dicit super Joannem. Quod tamen potest impediri, si in petendo non perseveras; & propter hoc dicit Basilius, ideo quandoque petis & non accipis, quia perperam postulasti vel infideliter, vel leviter, vel non conferentia tibi. "

Objicies 3. Deus prohibet ne fiat oratio pro multis peccatoribus: ergo non vult omnes homines salvos fieri; alias non praeriperet media salutis. Probatur antecedens. Jerem. 7. prohibet Deus ne oretur pro Judæis, sicut & 1. Reg. 16. prohibet Samueli ne eum pro Saule deprecetur, & 1. Joan. ultimo, *est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis*: ergo, &c.

Respondeo 1. argumentum probare quidem multos se præbere indignos gratiis Dei per ingratitudinem multiplicatam, & pertinaciam in malo; hinc deprecatio prohibetur solum pro eis qui nolunt a peccato recedere, nempe pro Judæis & Saule in peccato obstinatis, sicut & pro peccato impęnitentiæ finalis, de quo loquitur Joannes; ad quid enim oratio, pro eo qui vult perseverare, & de facto perseverat in peccato, qui omnia sacra, & ipsum Deum irridet? sed ejusmodi status supponit multas gratias jam datas: & vero Deus novas dare uberiores non renuit, nisi quia pluribus abusus est peccator, & resistere semper paratus est: gratiæ autem iterum atque iterum ante obdurationem effusæ, sunt effectus voluntatis, quam Deus habet salvandi omnes: obduratus aliquas gratias habet, tametsi debiliores: ad quid enim tot sollicitationes interiores, tot inspirationes & terrores, si Deus vellet absolute perdere animam? *Numquid voluntatis meæ*, inquit, *est mors impii ... & non ut convertatur a viis suis & vivat?* Unde &c.

Respondeo 2. in forma. Deus prohibet ne fiat oratio pro multis, eo quod videat illos in malo obstinatos, & incorrigibiles, concedo: eo quod nolit eos salvos fieri, nego. Quod autem ejusmodi derelictio supponat gratias plurimas, jamjam & datas & effusas, audiamus ipsum Jeremiam, cui dixerat Deus c. 7. ℣. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc*: sed ante ℣. 3. *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: bonas facite vias vestras, & studia vestra: & habitabo vobiscum in loco isto*. Sed ecce obduratio & causa subtractionis gratiæ, multitudo peccatorum grandium; a versu 8. usque ad versum 16. *Ecce vos confiditis*, inquit Propheta, *vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis; furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim ..... Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista in qua invocatum est nomen meum .... Tu ergo noli orare pro populo hoc*: Et ℣. 17. *Nonne vides quid isti faciunt in civitatibus Juda, & in plateis Jerusalem?*

Ad alia, eadem est responsio. Saul erat obduratus, & iterata inobedientia projecerat Dominum, de quo ipse conqueritur Samuel, quod præcepto illius ingratus non obedivisset: quia vero Deus prævidebat orationem Prophetæ inutilem fore, ideo dicit non esse lugendum infelicem hunc principem, qui nihilo-melior factus, oblitus fuerat Deum Patrum suorum, qui & inobedientiæ peccato addiderat crudelitatem, persequendo David, regni sui defensorem: quid mirum igitur, si

si in malo obstinatus, projiciatur, ne regnet amplius super Israel? In tertio loco sermo habetur de impœnitentia finali; sicut igitur inutilis est insanienti, & omnia promiscue rejicienti, medicina pro sanitate corporis restauranda; ita & gratia oblata peccatori pertinaciter & finaliter vitiis pravis adhærenti.

Objicies 4. Si Deus vellet omnes & singulos homines salvos fieri, reciperet pro eis sacrificia: atqui non recipit pro omnibus sacrificia; & probatur: Heb. 10. 26. habetur: *Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia*: ergo Deus non recipit sacrificia pro omnibus peccatoribus.

Respondeo 1. negando minorem. Ad probationem, distinguo: Non relinquitur pro quibusdam peccatoribus hostia, idest, non prodest illis ad conversionem, eo quod nolint se pœnitere, concedo: idest, nullum datur eis medium ad salutem, nego. Apostolus loquitur de impœnitentia finali; hoc ipsum patet ex his quæ de ultimo judicio subjungit: *Mihi vindicta, & ego retribuam .... judicabit Dominus populum suum; horrendum est incidere in manus Dei viventis*. Solutio est etiam D. Thomæ qui in caput 10. Ep. ad Heb. lectione 3. sic loquitur: " *Jam non relin-* „ *quitur hostia pro peccatis*; idest, hostia „ quam Christus obtulit, pro remissione „ peccatorum, non est nobis inutilis, „ quia illis dimittuntur peccata, qui de „ ipsis pœnitent. Matth. 26. *Hic est* „ *sanguis novi Testamenti, qui pro multis* „ *effundetur*, scilicet efficaciter: sed de „ malis dicitur, Isai. 49. *In vacuum labora-* „ *vi, sine causa & vane fortitudinem meam* „ *consumpsi*. „

Respondeo 2. distinguendo aliter eandem minorem. Non relinquitur hostia pro peccatis, idest, hostiæ veteris legis abrogatæ sunt per hostiam novæ legis, concedo: secus, nego. Apostolus probat hic sacrificium Crucis terminasse figuras, & sacerdotium Salvatoris tantum superare excellentia sacerdotium Aaron, quantum veritas supereminet figuræ: sic enim ibidem loquitur: *Et omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias quæ numquam possunt auferre peccata: hic autem*, scilicet Christus, *unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*.

Respondeo 3. ad eandem minorem, distinguendo adhuc aliter. Non relinquitur hostia pro peccatis, idest, non reiteratur noster baptismus, sicut suum renovabant Judæi, concedo: non datur gratia pro peccatoribus, nego. Apostolus ibi probat nostrum baptisma esse majoris efficaciæ veteris legis baptismo; quippe qui esset vacuum & egenum elementum, & ideo reiterabatur; secus vero noster: ita D. Thomas ibid. lect. 3. " Sed post, jam „ non est pro peccatis hostia; ante enim „ reparationem, quæ facta est per Christum, „ relinquebatur hostia illa quæ expectabatur: „ sed nunc jam non expectatur alia mors „ ejus; ita nec post baptismum semel acce- „ ptum expectatur alius baptismus. „

Respondeo 4. locum Apostoli posse intelligi de sacrilega communione; qui enim abutitur tanto Sacramento, ubi aliam inveniet pro peccatis delendis hostiam? unde postquam Paulus dixit: *Non relinquitur pro peccatis hostia*, statim subdit: *Quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

Secundo, *ex Augustino*.

OBJICIES. Augustinus l. de Cor. & grat. c. 15. explicat illud Apostoli 1. ad Tim. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri*, de voluntate metaphorica: In Enchir. ad Laurentium c. 103. de generibus singulorum, ita ut sensus sit; aliqui utriusque sexus & omnis conditionis, salvabuntur: ibidem c. 102. illud intelligit per distributionem accommodam, idest, qui salvantur, voluntate Dei salvantur; D. Thomas Comment. in Epistolam primam ad Tim. sequitur Augustini mentem. Igitur locus ille Pauli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, non intelligitur pro singulis generum.

Respondeo 1. in genere, distinguendo: & sancti Doctores non excludunt voluntatem beneplaciti antecedentem de salute omnium, concedo: & excludunt, nego.

Solummodo intendunt locum Apostoli plures subire sensus, & intelligi debere secundum distributionem accomodam. Div. Thomas in cap. 2. primæ ad Tim. lect. 1. dicit Paulum intelligi posse vel de voluntate signi loquentem, " Et ita, *inquit*, „ Deus vult omnes homines salvos „ fieri, quia omnibus proposuit salutis „ præcepta; vel de voluntate beneplaci„ ti; „ & sic, *inquit iterum*, quatuor „ modis exponi potest: Primo, ut sit lo„ cutio causalis; sicut Deus dicitur ali„ quid facere, quia facit facere, sicut ad „ Rom. c. 8. *Spiritus postulat pro nobis*, „ idest, postulare nos facit: sic ergo Deus „ vult omnes salvare, quia scilicet facit „ Sanctos suos velle quod omnes salvi fiant. „ Secundo, ut sit distributio accomoda, „ *omnes*, idest omnes qui salvabuntur; „ quia nullus salvatur nisi per voluntatem „ ejus, sicut in una schola Magister do„ cet omnes pueros civitatis, quia nullus „ docetur, nisi ab eo. Tertio, ut sit di„ stributio accomoda pro generibus singu„ lorum, non pro singulis generum; id„ est, nullum genus hominum excipit a „ salute. Quarto, ut secundum S. Da„ mascenum intelligatur de voluntate an„ tecedente, non de consequente. „ Addit S. Doctor Apostolum ita loqui, ut intelligatur de voluntate antecedente: eamdem explicationem profert, hic 1. p. q. 19. art. 6. ad 1.

D. *Augustinus* illum Apostoli interpretatur locum juxta quadruplicem sensum. Juxta primum quidem, idest, in sensu causali, l. de Correp. & grat. c. 15. juxta secundum, in Enchir. ad Laur. c. 103. & l. de præd. SS. c. 8. juxta tertium, in capite citato Ench. ad Laur. juxta quartum, in l. de Spirit. & litt. c. 32. & in libro de Catechiz. rudibus: qui quidem sensus non sunt inter se incompossibiles; tametsi voluntas signi possit esse absque voluntate beneplaciti, non tamen ista sine prima; supponit enim semper & consilium & præceptum boni.

Respondeo 2. iterum distinguendo. Deus non vult omnes homines salvos fieri, ex Augustino, in sensu Pelagianorum & Semipelagianorum, concedo: in sensu Catholico & servatis gratiæ juribus, nego. Pelagiani Deum omnes salvos fieri secundum naturæ merita, & independenter a gratia velle contendebant: Semipelagiani dependenter utique a natura, ita ut ipsa incboaret bonum salutis, perficeret vero gratia, tanquam naturæ pedissequa, immo & quasi ancilla; quod quidem damnat Concilium Arausicanum II. can. 13. Et in hoc utroque sensu negat Augustinus Deum velle omnes & singulos homines salvos fieri: ita refert ipse Aug. l. 4. contra Julian. c. 8. & Fulgentius lib. de Incarn. & grat. c. 29.

Instabis. Concilium Valentinum III. rejicit Canonem tertium Concilii Carisiaci, quo Patres synodici asseruerant Deum velle voluntate antecedente omnes homines salvos fieri: qua ratione? ea profecto, qua existimat hoc esse doctrinæ Augustini contrarium: igitur ex Valentino Concilio mens Augustini est, Deum nolle omnes homines salvos fieri.

Respondeo 1. Patres Valentinos nullam ibi facere mentionem de Augustino, sed simpliciter in can. 3. perstringere Concilium Carisiacum, his verbis: " Capitu„ la quatuor fratrum nostrorum minus „ prospecte suscepta . . . . . explodimus. „

Respondeo 2. distinguendo, Et Concilium Valentinum non attigit mentem Patrum Concilii Carisiaci, concedo: & attigit, nego. Quidam inter Patres Valentinos, in ore habebant Hincmarum: Enimvero res tum civiles, tum Ecclesiasticæ, occasione Gotescalci, tunc temporis non modicum turbatæ erant; unde factum est, ut Hincmarum in fide suspectum habere voluerint aliqui, credentes ipsum propugnasse in Concilio, Deum velle salutem, etiam reproborum, quasi ex inferno meritis Christi, & erui, & liberari possint; qua de causa quatuor capitula Carisiaca PP. Valentini exploserunt; quod autem ita senserint isti Patres, patet ex eo quod errorem supposititium Concilii Carisiaci ut refellant, probant illa Osee 13. sententia, *Ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne*, Christum esse inferorum victorem & dominatorem, minime vero liberatorem aut Salvatorem.

Respondeo 3. Hincmarum, Concilio Valentino peracto, librum de prædestinatione ad sui defensionem in lucem edidisse, in quo c. 27. suum aperit sensum, demonstrando se nec docuisse, nec existimasse Deum ita velle omnes homines salvos fieri, ut sit redemptio in inferno: unde graviter conqueritur quod Patres Va-

Valentini, & sibi, & Concilio Carisiaco hunc affixerint errorem : igitur Concilium Valentinum non satis sensum Carisiaci ponderavit, cum ejus capitula explosit.

Respondeo 4. iterum atque iterum distinguendo. Et Concilium Tullense, apud Saponarias correxit Valentinum, declarando quæstionem non fuisse adamussim eliquatam, & ideo nondum finitam, concedo : & quæstio fuerat secundum omnes juris apices examinata, & eliquata, nego. Sic autem loquitur Tullense Concilium, c. 10. " Relecta sunt in eadem „ Synodo capitula super quibus quorum- „ dam fratrum sensus dissentire proban- „ tur; unde convenit inter Episcopos ut „ Deo favente pace ac tranquillitate re- „ cuperata conveniant, ut probatis san- „ ctarum Scripturarum atque catholico- „ rum Doctorum sententiis quæ sanio- „ ra sunt concordi unanimitate sequantur. „

Rursus instabis. Ecclesia Lugdunensis l. de verit. tenenda scripturarum c. 2. dicit exprefse capitula Carisiaca esse doctrinæ S. Augustini opposita, qua de causa illa rejicit. " Hæc, inquit, cum legisse- „ mus graviter perculsi & confusi om- „ nino vidimus in iis Scripturæ sanctæ „ certissimam veritatem, & Beatissimo- „ rum Patrum, præcipue S. Augustini re- „ verendam, & in omni Ecclesia recep- „ tissimam auctoritatem, novo conatu & „ ausu nimis temerario impugnari, & „ quantum in ipsis fuit, improvide atque „ insolenter labefactari. „

Respondeo 1. ad istam instantiam, distinguendo sicut prius. Et Ecclesia Lugdunensis sumpsit capitula Carisiaca in sensu alieno, a Patribus Concilii Carisiaci intento, concedo : in genuino, nego. Putabat cum Patribus Valentinis Concilium Carisiacum definitione sua statuisse mortem Christi pro salute omnium hominum ita esse universalem, ut ad damnatos reduplicative ut damnatos sese extenderet; & reprobi salvari possint per merita Christi a vinculis gehennæ. Augustinus l. de Hær. n. 79. refert hanc fuisse quorumdam hæresim, " Alia est, *inquit*, „ hæresis quæ asserit, descendente ad in- „ feros Christo, credidisse incredulos & „ omnes exinde liberatos. „ Hanc etiam refellit Gregorius Magnus, hom. 22. in Evang. dixit Dominus, inquit, *omnia* „ *traham ad me*; omnia enim traxit, qui „ de electis suis apud inferos nullum re- „ liquit; neque enim infideles præpara- „ vit.... unde etiam recte per Osee di- „ cit : *Ero mors tua, o mors, morsus tuus* „ *ero inferne*: ex eo etenim quod morde- „ mus, partem abstrahimus, partemque „ relinquimus..... quia ex inferno par- „ tem abstulit, & partem reliquit, mo- „ mordit infernum. „ Eundem errorem, eodem prope modo perstringit V. Beda in 1. Epist. S. Petri.

Respondeo 2. aliam adhibendo solutionem. Ecclesia Lugdunensis loquitur dubitanter, & nihil determinando, aut saltem neminem condemnando, concedo : damnando absolute capitula Carisiaca, nego. Enimvero lib. de tribus Epist. c. 22. solummodo negat Deum velle omnes homines salvos fieri in sensu Pelagianorum & Semipelagianorum; quippe qui dicerent eum ita velle, ut expectaret voluntatis conatum naturalem, ad illos salvandos : minime vero in sensu Catholico ; namque ibidem subdit. " Qui vult omnes „ homines salvos fieri..... quantum in „ ipso est.... bonitate Creatoris, & c. „ 23. " Quod autem ibi simpliciter in- „ telligitur Deum velle omnes homines „ salvos fieri, bonitate scilicet Creato- „ ris, ita (ut putamus) fideliter potest „ recipi, si hanc voluntatem bonitatis „ suæ erga salutem hominum non creda- „ tur humana obsistente voluntate imple- „ re non posse, sed obsistente humana „ iniquitate implere nolle. „

Eadem Ecclesia c. 20. est sui ipsius interpres. " Si inveniuntur aliqui Patres, qui „ etiam pro impiis in sua impietate per- „ mansuris Dominum crucifixum dicant : „ Quis non videat potiorem illam esse „ auctoritatem, quæ tam evidenti ratio- „ ne, & tam multiplici scripturarum at- „ testatione firmatur? „ Postea subjungit: " Si autem placet ut etiam istorum sen- „ tentia ex pietate veniens, propter pa- „ cem & venerabilem pietatem Beatissi- „ morum Patrum non renuatur : nul- „ la ergo contentione pro aliis adver- „ sus alios litigetur : non una sententia „ pro altera damnetur : & quia vere fie- „ ri potest, ut ignorantiam & imperitiam „ nostram in hac re aliquid lateat, nihil te- „ mere definiatur ; ut, quolibet quis „ acquie-

„ acquiescat modo, non sit hæreti- „ cum, nisi contentione hæreticum „ fiat. „

Instabis adhuc. Prudentius Tricassinus in Tractatoria ad Episcopum Senonensem capitulis Carisiacis alia opposuit tenenda; asserens omnes salvari quos Deus vult salvare, dicente Propheta: *Omnia quæcumque voluit Deus fecit in cælo & in terra*. Sanguinem etiam Christi pro omnibus quidem ex toto mundo in eum credentibus esse fusum, & non pro aliis; & hoc effatur Prudentius, putans hanc esse Augustini doctrinam: igitur ex multis omni exceptione majoribus Galliæ Episcopis, ea Augustini doctrina fuit, quod Deus non velit sincere omnes & singulos homines salvos fieri: Sic autem loquitur Prudentius in Canone tertio Tractatoriæ. " Ut „ crederet & confiteretur cum omnibus Ca- „ tholicis Sanguinem Domini nostri Jesu „ Christi, pro omnibus hominibus ex to- „ to mundo in eum credentibus fusum, „ non autem pro aliis. „ Rursus can. 4. dicit: " Deum omnipotentem, omnes „ quoscumque vult salvare, & neminem „ posse salvari ullatenus, nisi quem ipse „ salvaverit; omnes autem salvari, quo- „ scumque ipse salvare voluerit, ac per „ hoc, quicumque non salvantur, non es- „ se voluntatis illius ut salventur, dicen- „ te Propheta: *omnia quæcumque voluit* „ *Dominus fecit*. „

Respondeo 1. Auctoritatem Prudentii in hoc momento nullius esse ponderis; quandoquidem ipse subscripserat Concilio Carisiaco, unde a multis accusatur de levitate in Canonibus, quos opponit in sua Tractatoria ad Wenilonem, Archiepiscopum Senonensem, in qua assensum se præbere ordinationi Æneæ ea lege dicit, ut ipse Æneas subscribat quatuor his capitulis. " Quibus, *inquit*, Ecclesia Ca- „ tholica adversus Pelagium, ejusque hæ- „ reseos sequaces pugnavit ac vicit. 1. „ Ut liberum arbitrium in Adam merito „ inobedientiæ amissum: ita nobis per „ D. N. J. C. redditum, &c. 2. Ut „ crederet atque fateretur.... quosdam „ Dei gratuita misericordia prædestina- „ tos, &c. 3. Ut crederet & confitere- „ tur cum omnibus, Sanguinem D. N. „ J. C. &c. 4. Deum omnipotentem, &c. „ Auctor Annalium Bertinianorum, immo & Auctor admonitionis, in aversa pagina libri ipsius S. Prudentii contra Joannem Scotum in M. S. codice Monasterii Altivillarensis exaratæ, plurimum demirantur sanctum Præsulem post suam Concilio Carisiaco subscriptionem, sic fuisse locutum.

Hincmarus in l. de prædest. c. 21. de hoc momento maxime conqueritur. " Pru- „ dentius, *inquit*, cui capitulo cum aliis „ tribus de quibus ratio agitur, in con- „ ventu Episcoporum Domnus scripsit „ Prudentius: „ Postea autem in Epistola ad Wenilonem suum Archiepiscopum de ordinando Ænea Parisiorum Episcopo directa, quatuor ponens capitula, ita de hoc primo dicit: " Unde miramur, cum „ in præfata Synodo capitulis superius me- „ moratis subscripserit.... tam incon- „ sulte & inconsuete, sine probabili col- „ latione, contra regularum instituta hu- „ jusmodi scriptum pro ordinationis con- „ sensu Coepiscopi sui ad Archiepisco- „ pum & Coepiscopos suos transmise- „ rit. „

Respondeo 2. sicut supra; & S. Prudentius abnegat Deum velle omnium salutem in sensu tantum Pelagiano, concedo: in sensu Catholico, nego. Quod enim loquatur solum in sensu opposito Pelagianis, patet ex initio ejus Tractatoriæ ad Wenilonem; asserit enim se consentire ordinationi Æneæ ea lege ut subscriberet quatuor capitulis, " quibus Ecclesia Ca- „ tholica adversus Pelagium, ejusque hæ- „ reseos sequaces pugnavit ac vicit: „ Et hoc ut intacta servaretur doctrina Beati Augustini contra Pelagianos. Igitur luce clarius apparet eum contra istos insurgere, minime vero adversus Concilium Carisiacum, de quo nullam facit mentionem: quia vero videbat Ecclesiam Gallicanam circa sensum quatuor capitulorum Carisiaci divisam, quatuor alios œconomiæ causa adhibet in Tractatoria, & hoc potius ad fidem suam explicandam, quam ad condemnandos Canones prædictos. Igitur nulla aut levitatis, aut inconstantiæ labe inurendus est sanctus Præsul.

Instabis. Concilium Valentinum & Ecclesia Lugdunensis abjiciunt capitula Carisiaca secundum mentem Hincmari, immo & aliorum Concilii Carisiaci Patrum composita: atqui illi Patres in sensu opposito doctrinæ S. Augustini locuti sunt;

non

non enim capitula in sensu Pelagianorum conscripserunt: igitur Concilium Valentinum & Ecclesia Lugdunensis propugnant Deum in nullo prorsus sensu velle salutem omnium; siquidem explodunt sensum & Concilii Carisiaci & Pelagianorum.

Respondeo, ut dictum est, Valentinum Concilium & alios Præsules Hincmaro adversantes, non attigisse ipsius sensum, sed eam illi imputasse doctrinam seu sententiam, quæ dicit Deum velle omnes & singulos salvare voluntate consequenti; quinimmo damnatos a gehenna æterna intuitu meritorum Christi velle salvare, quasi foret in inferno redemptio; qui sensus duplex, nec cum sententiis Patrum, nec cum scripturis Sanctis cohæret; quem quidem nec Hincmarus, nec Concilium Carisiacum propugnaverunt. Hac posita explicatione ac distinctione, omnia facile in unitate & fidei & pacis concordant atque conveniunt.

Tertio, *ex D. Thoma*.

OBJICIES. D. Thomas, opusculo de præscientia & prædestinatione, asserit voluntatem Dei de salute omnium, esse solum voluntatem signi & metaphoricam; sic enim loquitur c. 6. " Deus dicitur ,, velle aliquid dupliciter: uno modo ,, proprie, & sic dicitur velle aliquid, ,, cujus voluntas vere in eo est quod sibi ,, complacet; & hoc dicitur voluntas beneplaciti, quæ semper in omnibus infallibiliter impletur, & de hac loquitur scriptura Isaiæ 46. *Omnis voluntas mea fiet*. Alio modo dicitur velle aliquid metaphorice, idest per similitudinem, eo quod ad modum volentis se ,, habet; in quantum præcipit, consulit, ,, prohibet, vel permittit aliquid, & hæc ,, dicitur voluntas signi, quæ non semper ,, impletur, de qua dicit Apostolus 1. ad ,, Tim. 2. *Qui vult omnes homines salvos fieri*; cum tamen omnes salvi non fiant, ,, sed multi damnentur. ,,

Respondeo 1. istud opusculum non esse D. Thomæ; siquidem non invenitur inter alia opuscula: deest quoque in editione Romana.

Respondeo 2. distinguendo D. Thomam. Vult Deus omnes salvos fieri voluntate signi, includente beneplacitum, concedo: excludente, nego. Omnis voluntas beneplaciti potest etiam dici voluntas signi; nec mirum, quod enim Deus vult, illud ipsum aliquo manifestat signo; puta præcepto, consilio, vel operatione; unde voluntas beneplaciti quandoque dicitur & voluntas signi; sed non e converso, voluntas signi dicitur, saltem semper, voluntas beneplaciti: licet enim Deus permittat malum, non tamen vult: unde prohibitio & permissio respectu mali solum voluntatem signi, & non beneplaciti spectant. Solutio est ipsius D. Thomæ, qui in Commentario in c. 2. Epist. 2. ad Tim. lect. 1. sic loquitur: " Velle po- ,, nitur quandoque pro voluntate beneplaciti, quandoque pro voluntate signi: ,, Pro voluntate signi vult salvare omnes, ,, quia omnibus proposuit salutis præcepta, consilia & remedia. Pro voluntate ,, beneplaciti, sic exponi potest quatuor ,, modis, &c. ,, Et concludit Deum velle voluntate antecedente vere & sincere omnes salvos fieri.

Instabis. Velleitas non est proprie voluntas: sed D. Thomas, hic 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. loquens de voluntate Dei pro salute omnium, ait: " Magis potest ,, dici velleitas, quam absoluta voluntas. ,, Igitur ex D. Thoma, Deus non vult sincere omnium salutem. Confirmatur. Ibidem dicit Deum illam velle tantummodo secundum quid: ergo voluntas Dei de hoc momento est simplex desiderium, simplex complacentia, & non vera & sincera voluntas.

Respondeo distinguendo. Voluntas de salute omnium, est tantum velleitas, hoc est, non est voluntas absoluta & consequens, concedo: hoc est, non est voluntas vera & conditionata, nego. Dicitur velleitas, quatenus est voluntas conditionata, Deus enim, quantum in se est, vult omnium salutem, inquiunt Origenes l. contra Celsum, Methodius l. de resurrectione, Cyrillus Hierosf. cat. 18. Chrysostomus hom. 2. in Epist. ad Heb. Paulinus in Epist. 2. Augustinus tract. 12. in Joan. Sed illa voluntas est conditionata: vult Deus omnium & singulorum salutem, secundum se & in abstracto consideratam; vult vero singulorum in particulari, supposito quod ejus pareant & obediant mandatis. Igitur vult sincere singulorum hominum salutem, voluntate antecedenti. Quia vero multi de facto prævaricun-

ricantur, sequitur illam voluntatem non esse omnino completam, & ideo dicitur velleitas secundum se, ubi D. Thomas hic q. 19. art. 6. & in 4. dist. 17. q. 2. art. 1. ad 3. sic loquitur: " Quamvis vo-„ luntas completa non possit esse de im-„ possibili, tamen voluntas conditionata, „ quæ & velleitas dicitur, potest esse de „ impossibilibus. „

Ad Confirmationem distinguo similiter, voluntas de salute omnium est solummodo voluntas secundum quid, eo scilicet sensu, quia est pure antecedens, nec ad omnes attendit circumstantias; unde dicitur voluntas generalis, concedo: non est vera & sincera voluntas, nego: Quod enim non sit inane & vacuum desiderium, patet ex eo quod Deus præparet omnibus media ut possint suam operari salutem. Divus Thomas est sui ipsius interpres hic 1. p. q. 19. ad 1. ubi sic se explicat. " Considerandum est, quod unumquod-„ que secundum quod bonum est, sic est „ volitum a Deo. Aliquid autem potest „ esse in prima sui consideratiune, se-„ cundum quod absolute consideratur bo-„ num, vel malum: quod tamen prout „ cum aliquo adjuncto consideratur, quæ „ est consequens consideratio ejus, e con-„ trario se habet: sicut hominem vivere „ est bonum, & hominem occidi est ma-„ lum, secundum absolutam consideratio-„ nem; sed si addatur circa aliquem ho-„ minem, quod sit homicida, vel vivens „ in periculum multitudinis, sic bonum „ est eum occidi, & malum est eum vi-„ vere; unde potest dici quod judex ju-„ stus antecedenter vult omnem hominem „ vivere, sed consequenter vult homici-„ dam suspendi. Similiter Deus antece-„ denter vult omnem hominem salvari: „ sed consequenter vult quosdam damna-„ ri secundum exigentiam suæ justitiæ; „ neque tamen id quod antecedenter vo-„ lumus, simpliciter volumus, sed secun-„ dum quid: quia voluntas comparatur „ ad res, secundum quod in seipsis sunt; „ in seipsis autem sunt in particulari: „ Unde simpliciter volumus aliquid, se-„ cundum quod volumus illud, conside-„ ratis omnibus circumstantiis particula-„ ribus: quod est consequenter velle; „ unde potest dici quod judex justus sim-„ pliciter vult homicidam suspendi, sed „ secundum quid vellet eum vivere; sci-„ licet in quantum est homo; unde ma-„ gis potest dici velleitas, quam absolu-„ ta voluntas. Et sic patet &c. „ Observes velim, benevole lector, D. Thomam non dicere voluntatem Dei antecedentem esse velleitatem, sed posse dici velleitatem comparative ad consequentem & completam: igitur ex ipso voluntas antecedens est vera beneplaciti voluntas, alias S. Doctor sibi ipsi contradiceret.

Iterum instabis. S. Thomas ibidem art. 6. probat ex professo voluntatem Dei semper impleri; quærit enim in titulo utrum voluntas Dei semper impleatur? Et respondet affirmative, adducitque in probationem illud Psal. 113. *Omnia quæcumque voluit Deus fecit*; Et in corpore, dicit voluntatem pure antecedentem non adimpleri: idem repetit ad 1. ubi asserit voluntatem consequentem suum semper sortiri effectum: " Quicquid Deus simplici-„ ter vult, fit, licet illud quod antece-„ denter vult, non fiat. „ Igitur ex D. Thoma voluntas Dei de salute omnium non est vera, sed solum metaphorica voluntas.

Respondeo distinguendo, voluntas Dei semper impletur, quoad se, & quoad finis intentionem, concedo: ex parte hominis, nego. Voluntas divina respicit bonum universale, & sub isto respectu semper impletur; omnia siquidem cedunt in gloriam Dei, immo ipse peccator, qui recedit ab ista voluntate ut bonitas est, incidit in eam ut justitia est, & illam adimplet, quatenus peccatores obstinatos pœnis subjici æternis statuit & vult, sicque suum in omnibus assequitur finem. Revera quidem cum omnia propter semetipsum operetur Deus; suam utique in omnibus adinvenit gloriam: si vero voluntas divina consideretur ex parte hominis, quem ad beatitudinem dirigit, quandoque non adimpletur propter peccatoris resistentiam, juxta illud Act. 7. 51. *Vos semper Spiritui sancto resistitis*. Solutio est D. Thomæ, qui hic q. 19. art. 6. in cor. sic loquitur: " Cum igitur voluntas Dei sit „ universalis causa omnium rerum, im-„ possibile est, quod divina voluntas suum „ effectum non consequatur. Unde quod „ recedere videtur a divina voluntate se-„ cundum unum ordinem, relabitur in „ ipsam secundum alium, sicut peccator, „ in

„ in quantum in se, recedit a divina voluntate peccando, & incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus justitiam punitur. „

Respondeo 2. iterum distinguendo. Voluntas Dei consequens non semper adimpletur, nego: antecedens, subdistinguo; non adimpletur semper in individuo & in particulari, concedo: in generali, nego. Voluntas antecedens, qua Deus vult salutem omnium, semper utique adimpletur; sed suo modo, in quantum scilicet dat omnibus media sufficientia ad salutem; jam vero cum sit generalis, respiciens salutem secundum se & in abstracto, nihil aliud exigit quam dare omnibus posse suam operari salutem: sic minister regis, qui solum in genere cuncta providere debet, suum vere adimplet officium, muniendo urbem aliquam contra hostium impetus; unde licet civitas succumbat postea victoris armis, defectu magnanimitatis civium, non ideo providentia Ministri defuit, nec est ipsius culpa si urbs capta est: ita & voluntas divina suam habet efficaciam, cum sufficienter provideat saluti. Si vero comparetur respectu voluntatis consequentis, quæ est de re particulari, quæque habet efficaciam ex parte sui, & ex parte termini, cui providet, dicetur non habere effectum; sed melius dicendum non habere tantum effectum; deinde non debet habere effectum completum, nisi jungatur voluntati consequenti, quæ respicit res in individuo.

Solutio colligitur ex D. Thoma ibidem ad 1. ubi docet voluntatem antecedentem comparative ad consequentem, dici voluntatem secundum quid, quia non respicit res complete & in individuo, sed secundum se & in genere: quod autem sit vera voluntas, patet ex eo quod ibidem subdit: " Illud verbum Apostoli, quod „ *Deus vult omnes homines salvos fieri*, &c. „ potest tripliciter intelligi. Uno modo, „ ut sit accommoda distributio secundum „ hunc sensum, Deus vult salvos fieri „ omnes homines, qui salvantur; non „ quia nullus homo sit, quem salvum fieri non velit, sed quia nullus salvus sit, „ quem non velit salvum fieri, ut dicit „ Aug. Secundo, potest intelligi, ut fiat „ distributio pro generibus singulorum, & „ non pro singulis generum, secundum „ hunc sensum, Deus vult de quolibet „ statu hominum salvos fieri mares & fœminas, Judæos & Gentiles, parvos & „ magnos: non tamen omnes de singulis „ statibus. Tertio, secundum Damascenum intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente: „ quæ quidem distinctio non accipitur ex „ parte ipsius voluntatis divinæ, in qua „ nihil est prius vel posterius, sed ex parte volitorum. „

Ex Ratione.

OBJICIES 1. Provisor attendit ad omnia, & cuncta perducit ad finem bonum, si potest, & si vult: sed Deus est provisor omnipotens; ergo si vellet omnium hominum salutem, omnes de facto salvarentur; quod tamen non fit, cum multi sint reprobi: igitur non vult sincere & vere singulorum salutem.

Respondeo distinguendo. Provisor perducit omnia ad finem generalem & universalem, concedo: ad finem bonum particularem, subdistinguo; si sit Provisor particularis, concedo: si universalis, rursus subdistinguo; si causa secunda non ponat obicem, concedo: si ponat, nego. Deus est solum provisor generalis, habens pro fine bonum universale & gloriam suam, quem quidem finem semper obtinet, etiam in reprobatione peccatorum propter duo: Primo, quia est de pulchritudine universi quod sint umbræ & tenebræ, ut lux appareat magis, & sanctitas electorum, per oppositionem ad nequitiam malorum: 2. Quia relucet justitia in vindicta, & pœnis reproborum. Provisor particularis respicit finem particularem, & ideo homo debet satagere, ut per bona opera certam suam faciat vocationem & electionem: ad hunc etiam finem respicit Providentia, sed non tollendo liberum arbitrium; unde si peccator resistendo impediat gratiæ effectum, sua culpa perit, juxta illud Osee 13. 9. *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.*

Instabis. Intentio generalis est vaga & imperfecta: igitur si Deus vult omnium salutem, debet velle solum efficaciter, ut omnes & singuli de facto salventur.

Respondeo 1. negando absolute antecedens: Minister enim regni, qui habet pro fine bonum publicum, est maxime perfectus & laude dignus, cum ita provi- det

det omnibus, ut quælibet civitas habeat necessaria, quibus cives & vitam conservare, & hostium impetus propellere queant: si post hanc Providentiam ita stulti sint, ut voluntarie rejiciant cibos, quibus vita fovetur & alitur, vel si cives ita ignavi & fœminei evadant, ut ultro absque ulla defensione se dent hostibus, omnes rei, omnes culpandi sunt, Minister vero omni laude dignus. A fortiori laudanda Providentia, quæ præparat omnia necessaria ad salutem, & dat omnibus posse salvari; hinc Deus sic effatur per Prophetam Isaiam c. 5. ℣. 4. *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci ei? an quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?*

Respondeo 2. distinguendo antecedens. Intentio generalis est vaga in causa secunda, concedo: in causa prima, nego. Ista enim attingit omnes rationes rerum & singulis providet; unde non est causa universalis per virtutis defectum, sed per efficaciæ plenitudinem.

Iterum instabis. Provisor perfectus debet perducere opus intentum ad perfectionem: ergo si Deus vellet omnium salutem, omnes & singulos homines perduceret infallibiliter & efficaciter ad salutem: igitur voluntas antecedens, utpote inefficax, non est vere in Deo de salute omnium.

Respondeo distinguendo. Provisor perfectus debet operari salutem quam intendit, si creatura, quæ cooperari debet, non ponat obicem, concedo: si ponat, nego. Dictum est ex Augustino, Deum sic velle omnium salutem, ut non adimat liberum arbitrium; & ideo lex Providentiæ ea est, ut libere peccator consentiat vocanti: ex quo fit ut quando obnititur, Providentia careat effectu particulari, sed non universali, qui est gloria Dei: quæ quidem etiam emicat in reprobatione peccatorum; summam enim decet sanctitatem nullum tolerare peccatum, sed puniendo propellere. Igitur perfectio Provisoris ubique splendet & coruscat.

Oppones 2. Voluntas antecedens de salute omnium est imperfecta, adeoque penitus a Deo removenda. Probatur. Illa voluntas est imperfecta, quæ providet media solum sufficientia, quæque numquam habent effectum, numquam vero efficacia: sed gratiæ sufficientes, & præparatæ & datæ per voluntatem antecedentem, sunt ejusmodi; siquidem gratia sufficiens definitur ea quæ caret semper effectu: ergo, &c.

Respondeo negando antecedens, scilicet voluntatem antecedentem imperfectam esse. Illa enim voluntas non est imperfecta, quæ operatur id omne quod in suo ordine debet facere: sed talis est in Deo voluntas antecedens; cum enim respiciat bonum salutis solum in abstracto & secundum se, præcisis omnibus circumstantiis, nihil ab illa exigitur, nisi ut præparet media, & det omnibus posse suam operari salutem; quod quidem vere adimplet per gratias sufficientes, quibus præparatur voluntas a Domino ad bonum faciendum; & sic voluntas antecedens suum habet finem intentum, adeoque in suo ordine admodum perfecta est.

Ad probationem, distinguo. Illa voluntas est imperfecta, quæ providet solum media sufficientia, si debeat alia dare, concedo: si non debet, nego. Ad voluntatem consequentem solam spectat dare media efficacia; sola quippe respicit operationem & actum in individuo, sola dat actu operari bonum: voluntas vero antecedens dat tantum posse operari; unde cum illud posse, & quidem proximum præbet, manet in se perfectissima. Cæterum jampridem diximus, voluntatem antecedentem dici imperfectam solum comparative ad consequentem, seu potius minus perfectam: ergone erit in Deo plus & minus? minime; nam ut bene observat D. Thomas, hic q. 19. art. 6. "Non „ est prius & posterius in Deo, non di„ cuntur duæ in eo voluntates ex parte „ sui, quasi antecedens distinguatur reali„ ter a consequente; sed tantummodo ex „ parte volitorum. „

Ad id quod dicitur: Gratia sufficiens illa est quæ numquam habet effectum, negatur: in ista enim definitione, est maxima allucinatio, & quidem propter multa. Legitur enim præparari voluntatem a Domino, quæ operatio tribuitur a Concilio Arausicano II. c. 9. gratiæ prævenienti, quæ est in nobis sine nobis, quæque est gratia sufficiens; unde illam sic definimus: Gratia sufficiens ea est, qua præparatur voluntas a Domino ad bonum faciendum; est enim veluti potentia & primum operationis principium: quis autem sanæ mentis dicet, oculum inutilem ad

ad videndum esse, eo quod det solum posse videre, & non det actu videre, absque luminis solaris & concursus Dei adjuvantis ope? Ita pariter gratia sufficiens dat posse bonum, cum gratia efficax det actu operari bonum: igitur non est inutilis, dando posse bonum, immo plurimum necessaria est.

Secundo. Gratia sufficiens suum semper habet finem, qui est & excitare, & præparare; quod autem peccatori illi resistat, & impediat effectum ulteriorem & perfectum, scilicet operationem ad quam tendit, mediante gratia efficaci, producendam; non inde sequitur non dare posse operari bonum, adeoque esse inutilem: maxime vero quia gratia efficax, secundum multorum sententiam, eadem est entitative cum gratia sufficiente, & ab ea solummodo penes gradum discrepat; unde falsum est gratiam sufficientem carere semper effectu, etiam completo, scilicet operatione; hunc enim non se sola quidem, sed tamen adjuvante, & media gratia efficaci, producit in his, qui ejus non obnituntur motioni. Voluntas antecedens pari & simili ratione effectum quandoque completum assequitur, nimirum cum non ponitur obex: tunc enim gratiam efficacem & uberiorem, quam Deus offert quoties sufficienter humanam prævenit voluntatem, suscipit homo; sic ordinante & decernente voluntate consequenti. Igitur voluntas antecedens simul dat gratiam sufficientem, & præparat seu offert efficacem. Revera quidem quoties Deus pulsat ad cor, & movet ad bonum, toties præparat & offert media, eaque efficacia ad illud operandum; si vero executioni non mandetur præconceptum opus, culpa est peccatoris, qui ponit obicem; sin minus, voluntas consequens dat actu facere bonum per gratiam efficacem, juxta illud Jerem. 30. 21. *Applicabo eum & accedet ad me*: & iterum alia Scriptura Ezech. 36. 27. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*.

Instabis. Sapiens non dat media ad bonum iis, quibus prævidet & certo scit fore inutilia: sed Deus scit gratias sufficientes inutiles fore reprobis: igitur non dat eis media sufficientia, adeoque non vult illos salvos fieri; quandoquidem ex gratia sufficiente omnibus data, concluditur Deum velle omnes & singulos homines salvos fieri.

Respondeo negando absolute antecedens. Nonne Pater, etiam prodigo Filio, dat necessaria ad honeste vivendum, & hoc ut quantum in se est eum removeat a malo, & conducat ad bonum, & hoc ut suo patris munere fungatur, & hoc ut provideat omnibus, & filius non pereat defectu Providentiæ paternæ, & hoc ut gratiis ac beneficiis, si fieri potest, virum probum & justum efficiat? sic Deus erga homines se gerit. Pater est, sed misericordiarum, & ideo etiam prodigis peccatoribus bona elargitur paterna, provocat ad virtutem, vocat ad se, terret, minatur, omnibus modis conversionem quærens. Præscit quidem multos Spiritui sancto suo, dura cervice & incircumcisis cordibus, pro libertate innata, & pravitate restituros; attamen, quantum in se est, vult sanare & perficere peccatores, ut sint inexcusabiles. Jam vero non semper peccator procul facit gratias sufficientes, quandoque audit Patrem & convertitur: audivit Paulus, audivit Magdalena, multi non semel impræsentiarum audiunt & sequuntur Dominum.

Urgebis. Si mercator posset salvare merces, quæ certo committuntur naufragio, omnia ad hoc moveret & tentaret, nec ulla ad hunc finem conducentia omitteret media: ergo si Deus vellet omnes salvare, omnibus daret non solum media sufficientia, quibus salvari possent; verum & efficacia, quibus omnes actu & de facto salvarentur; quæ cum multis desint ejusmodi media efficacia, dicendum est Deum nolle omnium salutem.

Respondeo negando paritatem. Ratio discriminis ea est, quod mercator sit provisor particularis, sibi consequenter proponens finem tantummodo particularem, qui quidem est servare merces; unde si vel naufragio, vel alio periculo pereunt, prorsus frustratur & spe lucri, & omni intento; quamobrem ipsius est omnia tentare, ut illas servet incolumes. At vero Deus est provisor universalis, habens pro fine bonum universale; & ideo cuncta ita ordinat, ut quælibet creatura suæ conformiter naturæ operetur. Jam vero cum volente Deo, sit in potestate hominis consentire vel non consentire gratiæ, non mirum videri debet, quod mul-

ti resistendo, suam non assequantur salutem: nec inde sequitur aliquis in Providentia divina defectus, cum suum semper attingat finem ultimum, videlicet gloriam Dei, quæ ubique & in omnibus, quinimmo in ipsa peccatoris punitione & reprobatione affulget.

Ex morte Christi.

OBJICIES 1. Inter omnes rationes, quibus probamus Deum velle omnes & singulos salvos fieri, una palmaris est, quod Christus sit mortuus pro omnibus: sed Novatores hoc negant; & sic probant: Matth. 26. habetur, Sanguinem Christi effusum esse solummodo pro multis: v. 28. *Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro* MULTIS *effundetur in remissionem peccatorum*: Igitur non pro omnibus.

Respondeo 1. distinguendo: Et hic *multis* idem est ac pro omnibus, concedo: & non est, nego. Ita Chrysostomus, homil. 83. in Matth. Theophylactus in eundem locum. Et vero *multis* in eodem sensu sumitur in illo loco, ac in isto Rom. 5. 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*. Siquidem agitur de gratia redemptionis, quæ superabundavit, ubi regnavit delictum: sed sumitur pro *omnibus* a Paulo, ita intelligi & apud Matthæum debet.

Respondeo 2. iterum distinguendo: Sanguis Christi effusus est solum pro multis, & non pro omnibus, efficaciter, concedo: sufficienter, nego. Non pauci, modo ex fragilitate, modo ex aperta malitia, gratiæ eos ad bonum compellenti & allicienti obnituntur; hinc sua culpa completo redemptionis effectu defraudantur, non tamen omni; cum gratia sufficiens adsit omnibus adultis, ut possint bonum. Ita D. Thomas explicat Matthæi locum. Simili prope modo solvit difficultatem Concilium Carisiacum can. 4. dicendo, in iis qui salvantur, salvantis esse donum, in reprobis vero qui pereunt, pereuntium esse meritum & culpam.

Oppones 2. Pro illis tantum Christus mortuus est, pro quibus oravit; siquidem oratione promeruit gratias ad salutem necessarias: sed Christus non oravit pro omnibus: & probatur. Joan. 17. loquitur ipse Christus Patri: *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi . . . . non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Igitur non oravit saltem pro Paganis & Infidelibus, qui non credunt in ipsum.

Respondeo distinguendo. Tunc Christus non oravit pro mundo & pro infidelibus, modo speciali quo oravit pro Apostolis, concedo; fundebat enim orationem specialem & pro Discipulis, & pro eis qui credituri erant in ipsum: Pro primis sic orabat: *Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*: Pro aliis vero sic deprecabatur: *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te*. Non rogavit alibi pro mundo, nego. Oravit & pro ipsis tortoribus immo pro ipsis Judæis, ut habetur Lucæ 23. *Pater*, inquit, *dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*. Et iterum alia Scriptura, Isaiæ 54. v. 12. *Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus oravit*.

Instabis. Si Christus orasset pro omnibus, omnes salvarentur: siquidem semper exauditus est, juxta illud Joan. 11. 42. *Ego*, inquit ipse Christus Patri, *sciebam, quia semper me audis*: & Heb. 5. 7. *Exauditus est pro sua reverentia*: ergo si orasset pro omnium salute, omnes salvarentur; omnium enim impetrasset salutem.

Respondeo distinguendo. Omnes salvarentur, si gratiæ non ponerent obicem, concedo: si ponant, nego. Præ oculis semper habenda est ista S. Augustini sententia, Deum ita velle omnes & singulos homines salvari, & Christum esse pro singulis mortuum, ut nulli liberum adimat arbitrium: quidam audiunt vocantem, & salvantur; multo plures sua obdurant corda & credere renuunt; vel si credunt, fidem factis negant, & pereunt. Jam vero quare alii gratiæ obediant, alii vero adversus cœli rorem nec udescant? noli judicare, si non vis errare. Cæterum Christum semper exauditum fuisse constat, cum intuitu ejus meritorum Deus repararit hominem lapsum, reparatum vocet ad vitam, vocatum adjuvet gratiis sufficientibus, adjutum uberioribus gratiis iisque efficacibus, roborare paratus sit; quinimmo illas offert: unde si multi pereunt sua malitia pereunt; ideoque non culpa-

pandus Redemptor, sed semper laudandus.

Instabis. Videretur quis imprudenter petere pro amico gratiam, quem certo sciret illa abusurum: sed Christus sciebat quinam forent electi, quinam vero reprobi: igitur non oravit pro salute reproborum; omnis quippe imperfectionis & ignorantiæ labes removenda est a Christo; siquidem est ipsa sapientia incarnata. Confirmatur ex Augustino, qui l. 21. de civ. Dei. c. 24. n. 1. dicit: " Denique si de aliquibus ita certa esset, *Ecclesia*, ut qui sint illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo; tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso. "

Respondeo distinguendo: Si sit provisor particularis, concedo; cum enim finem habeat tantum particularem, imprudenter oraret, si prævideret orando, nihil profuturum: si sit provisor generalis, nego, hic enim habet pro fine bonum universale, quod debet velle secundum se, & voluntate antecedenti: unde non in vanum & imprudenter laborat præparando omnibus media, quibus possint salvari, ut qui pereunt, absque ipsius culpa pereant: unde peccatores propria malitia sese defraudant magno salutis bono, inquit Augustinus. Præterea in hoc relucet adhuc misericordia & charitas Christi, qui oravit pro ipsis inimicis & ingratis; hinc merito dicet in judicio, ut habetur Isa. 5. 4. *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?*

Ad Augustini auctoritatem, dico Ecclesiam orare tantummodo in genere pro omnium salute. Et vero, si sciret quinam sint in inferno, nusquam preces pro eis funderet; hoc quippe foret inutile: & hic est genuinus S. Doctoris sensus. Et vero, quandiu reprobi sunt in via, licet provisor tales esse cognoscat, vult tamen ut deprecationes fiant pro eorum salute; quandoquidem omnis viator, quantumvis malus, potest & proficere & emendari: hinc l. 1. Reg. c. 16. Samuel oravit pro Saule, quem noverat reprobatum: hinc & Christus oravit pro transgressoribus & perfidis Judæis. Nec mirum, viatores, etiam impii, habent per merita Salvatoris, gratias sufficientes, quibus suam possunt operari salutem.

Hac solutione explicatur etiam Concilium Valentinum III. & ipsa Ecclesia Lugdunensis, cum dicunt Christum mortuum non esse, nec orasse pro reprobis; sic enim distinguimus: non mortuus est pro reprobis, ut educerentur ex inferno, concedo: pro reprobis, in via consideratis, nego. Promeruit enim eis gratias sufficientes, ut possint & emendari & salvari.

Instabis. Augustinus tract. 100. in Joan. verbis expressis asserit Christum non orasse pro omnibus: ergo, &c.

Respondeo distinguendo ut supra. Non oravit tunc pro omnibus oratione amicabili, eaque speciali, concedo: alibi & oratione generali, quæ quidem terminatur ad præparationem mediorum pro salute operanda, nego. B. Augustinus loquitur solum in primo sensu, quandoquidem locum Joannis 17. ubi Christus dicit, *non pro mundo rogo*, interpretatur. Solutio est D. Thomæ comment. in istud Joannis caput lect. 2. his verbis: " Dicendum quod Christus quantum est de se pro omnibus oravit. " Unde cum 3. p. q. 21. art. 4. ad 2. ait Christum non orasse pro omnibus, intelligendus est per distributionem accommodam; hoc est, non oravit oratione speciali, oratione directa per voluntatem absolutam, & ad gratias efficaces terminata, eo quod reproborum prævideret resistentiam, adeoque & gratiæ uberioris oblationem prorsus eis inutilem; namque ibidem in corpore articuli loquitur solum de voluntate absoluta & oratione speciali: " Ideo, *inquit*, omnis absoluta voluntas, etiam humana Christi fuit impleta, & per consequens omnis ejus oratio fuit exaudita, " &c.

Oppones 3. Augustinus l. 1. de adulterinis conjugiis c. 15. n. 6. ait: " Non omnis qui homo est, etiam Sanguine Christi redemptus est. " Et B. Bernardus Epist. 90. ad Innocentium Summum Pontificem, Abaillardum sic alloquitur: " Non potes gratias agere cum redemptis, qui redemptus non es. " Ergo, &c.

Respondeo distinguendo. Non omnis homo redemptus est quoad sufficientiam, nego: quoad efficaciam, subdistinguo; defectu & culpa peccatoris, concedo: defectu Christi & pretii ab ipso dati, nego.

Meruit ut omnibus darentur media sufficientia ad salutem: meruit ut omnibus offerrentur & efficacia: quod autem multi rejiciantur, & pereant, pereuntium est culpa, inquit Concilium Carisiacum.

Ad majorem explicationem observandum est aliquem dici redemptum multipliciter. Primo, quia habet media sufficientia, ut possit salvari. Secundo, quia pervenit ad finem. Tertio, quia per gratiam liberatur a peccato & a servitute diaboli. Quarto, quia prædestinatus est. Primum redemptionis modum docet Augustinus l. 6. contra Julian. c. 4. & est pro singulis generum. Secundum explicat tractatu in Psal. 65. Tertium innuit S. Prosper responsione 1. ad objectiones Vincentianas. Et quartum Carmine de ingratis c. 13. Eo prope modo explicandus est Bernardus: enimvero loquitur solum Abaillardo per comminationem, dicendo non esse redemptum, idest prædestinatum, si in erroribus quos defendebat, perseveraret.

Dices. Si Christus mortuus est pro omnibus, quatenus omnibus & singulis promeruit gratias sufficientes, sequitur mortuum esse etiam pro Dæmonibus: absurdum consequens: ergo & antecedens. Probatur sequela. Redemptio utpote infiniti valoris, est pretium sufficiens, etiam pro Angelis apostatis: ergo &c.

Respondeo negando sequelam; ad probationem, distinguo. Redemptio est infiniti valoris, sed non applicata est Dæmonibus, concedo: & applicata est, nego. Christus ordinavit meritum suæ passionis solummodo ad salutem hominum, & applicavit, dando singulis gratias sufficientes: at vero neutrum facit pro Angelis malis, & ideo non est paritas.

Instabis. Si, ut aliquis dicatur redemptus, requiritur ut recipiat gratias, quas promeruit Christus, sequitur non omnes redemptos esse. Probatur: Concilium Tridentinum dicit omnes non recipere beneficium mortis Christi. Ergo, &c.

Respondeo negando sequelam; ad probationem, distinguo. Non omnes recipiunt beneficium mortis Christi, quoad media sufficientia, nego: quoad efficacia, subdistinguo; & hoc quia ponunt obicem, & rejiciunt gratiam oblatam, concedo: præcise quia Christus non promeruit omnia necessaria ad salutem, nego. Quod autem promeruerit, patet; siquidem ubi abundavit delictum, superabundavit gratia. Quod vero reprobi hunc impediant passionis effectum, liquet ex Isaia Propheta, cujus ore Christus de hoc ipso conqueritur, dicens c. 63. 4. *Dies ultionis in corde meo*. Et iterum c. 49. v. 4. *In vanum laboravi*.

Rursus instabis. Si Christus pro omnibus mortuus est, & singulos redemit, singuli salvabuntur: & probatur ex Augustino, qui Epist. 102. dicit nullum, pro quo Christus mortuus est, damnari.

Respondeo negando antecedens; ad probationem, distinguo. Nullus pro quo Christus mortuus est efficaciter, damnatur, concedo; pro quo mortuus est sufficienter tantum, nego. Vult solum Augustinus eos qui non ponunt obicem gratiæ Christi, non damnari; redemptio enim nullum inveniens ex parte ipsorum impedimentum, completum sortitur effectum, & operatur salutem, ad quam terminatur: pro aliis vero Christus dicitur fudisse Sanguinem solummodo sufficienter, non quidem defectu sui, sed culpa peccatorum, qui gratias efficaces oblatas, ut sibi indulgeant, abjiciunt.

Persistes. Latum est discrimen inter Semipelagianos & Catholicos: sed illi dicebant Christum mortuum fuisse solum sufficienter etiam pro electis, & generaliter pro singulis hominibus: & igitur Catholici non debent dicere Christum sufficienter mortuum pro omnibus; quandoquidem & propter hoc Patres perstringunt Semipelagianos.

Respondeo distinguendo minorem. Semipelagiani dicebant Christum mortuum esse sufficienter & indifferenter pro omnibus, ita ut voluntas humana proprio & naturali conatu determinaret gratiam ad opus, concedo: ita ut voluntas præparetur a Domino ad opus bonum faciendum per gratiam prævenientem & excitantem, nego. Non erant igitur hæretici in eo quod dicerent Deum velle omnium salutem, & Christum mortuum pro singulis hominibus; sed in eo quod assererent Deum determinari a voluntate humana ad opus, hominemque propriis viribus suam incipere salutem; & sic patet quanta sit inter Semipelagianos & Catholicos discrepantia; isti enim, nullo excepto, docent voluntatem præparari a Domi-

Domino per primam gratiam, quæ est in nobis sine nobis.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur Providentia supernaturalis qua dat posse salvari.

PRIMO. Hoc non in uno loco asserit Scriptura; maxime cum Deus, Ezech. 33. dicat: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat.* Unde Apost. 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Celeberrimus est Isaiæ locus: *Quid debui facere vineæ meæ & non feci?*

Secundo. Id ipsum docet Patrum traditio; hoc tradit Ignatius Epist. 6. ad Philadelphenses; hoc Justinus Martyr in Apologiis; hoc Aug. l. de spir. & litt. c. 32. hoc D. Thomas, hic 1. 2. q. 19. art. 6. His adde Concilium Carisiacum can. 3. Tridentinum sess. 6.

Tertio. Ratio multiplex affertur. Exigit hoc Dei bonitas quæ est de se diffusiva: exigit promissio; promisit enim daturum se nobis, Luc. 1. exigit amor, namque ait Proverb. 8. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*: exigit sapientia, ipsius enim est ordinare & conducere ad finem creaturas: finis autem creaturæ rationalis est Deus intuitive visus & possessus. Igitur datur Providentia quæ dat & posse salvari, & media sufficientia ad salutem consequendam.

SYNOPSIS SOLUTIONUM AD OBJECTIONES.

PRIMO. Cum Deus aut obdurationem operari videtur in peccatore, aut ab eo præripere media salutis, ut sacrificium & orationem; ostendit solum his & similibus sententiis comminatoriis, committere peccatorem sibi ipsi ut in adinventionibus suis ad interitum abeat, eo quod dura cervice & incircumciso corde obnitatur vocanti ad pœnitentiam; unde cum ait per Isaiam, *Obcæca cor populi hujus*, ostendit, inquit D. Thomas, inutilitatem correptionis, & quod pejor ex voluntaria obcæcatione & nova resistentia peccator evadet: declarat tum sacrificii, tum orationis vacuitatem, eo quod peccator non vult intelligere ut bene agat, de quo plurimum conqueritur, dicens Judæis obduratis act. 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis.*

Secundo. Scimus Patres quandoque dicere Deum nolle omnes salvos fieri: sed loquuntur de voluntate quæ ad singulas attendit circumstantias: igitur attenta multorum perseverantia in malo, Deus vult eos pœnas pro peccatis æternas luere.

Tertio. Provisor generalis finit hominem libere agere, unde malum tametsi prævisum non tenetur præpedire: hanc explanat rationem Augustinus l. de spir. & litt. c. 32. dicens: " Vult Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium."

Quarto. Ne miremini si Patres quandoque dicant omnes non esse redemptos, per hoc solum quippe innuere volunt multos sua culpa redemptionis beneficium & fructum non recipere, quia nimirum gratiæ ad bonum compellenti obsistunt; ita declarat Carisiacum, ita utique dicit Tridentinum.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum detur Providentia specialis, quæ det operari salutem.

GRATIA efficax ea est, quæ facit facere: unde quæritur impræsentiarum an Deus ita provideat hominum saluti, ut det, aut saltem offerat gratias efficaces, quibus adjutus homo, actus supernaturales ad salutem necessarios producat, quos quidem viribus naturæ nullus elicere potest, ut docent omnes Theologi in tractatu de gratia, pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO.

Datur Providentia specialis, quæ dat, vel offert gratias efficaces, & adjutoria, quibus homo possit operari salutem, faciendo bona opera, & de facto ea operetur.

Probatur auctoritate, exemplis seu factis, & ratione.

Primo, *ex Scriptura sacra.*

I. PSALMO 32. *Oculi Domini super timentes eum, ut eripiat a morte animas eorum, & alat eos in fame.* Psal. 33. *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum.* Psal. 35. *Homines, & jumenta salvabis, Domine.* Psal. 76. *Dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelsi.*

II. *Isaia* 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.* Et c. 24. *Ducam cæcos in viam quam nesciunt.* Ezechielis 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis.*

III. 1. *Cor.* 12. *Deus operatur omnia in omnibus.* Ad Philip. 1. *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere.* Et 1. Petr. 5. *Omnem*, inquit Princeps Apostolorum, *sollicitudinem vestram projicientes in ipsum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Unde sic argumentor.

Ille facit operari salutem, qui vigilat ut nos eripiat a morte peccati: qui audit preces justorum, ut succurrat in necessitatibus: qui vult omnes salvare, & obedientes salvat: qui omnia bona opera producit in nobis: qui dat velle & perficere: qui cæcos ducit in viam bonam, & cui est cura de nobis in omnibus: atqui Deus hæc omnia bona operatur in nobis: ergo est providentia specialis, quæ facit ut faciamus, & nostram operemur salutem.

Secundo, *ex Factis & Exemplis.*

PRIMO. Adam sanavit sapientia, & Deo adjuvante, operatus est bona. *Sap.* 9. & 10.

Secundo. Noe vir justus placuit Deo, & gratia protegente, se & mundi reliquias servavit. *Gen.* 8.

Tertio. Abraham gratia auxiliante credidit, & reputatus est illi ad justitiam: Pater multarum Gentium est factus, benedictus est a Deo. *Gen.* 12.

Quarto. Nabuchodonosor Danielis consilio, eleemosynis sua redemit peccata, & humiliatus agnovit Deum cœli; immo ut pie creditur, fidelis mortuus est. *Dan.* 4.

Quinto. Jonas missus ad civitatem Niniveo, prædicavit, ordinante Deo, pœnitentiam, & Rex cum populo conversus, placavit pœnitentia Dominum. *Jon.* 3.

Sexto. Prophetæ missi sunt ad Judæos. *Clama*, inquit Deus provideos, Isa. 58. *ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Et hoc ut recederet populus a peccato, & conversus ad Dominum suam operaretur salutem.

Septimo. Missus est Nathan Propheta ad David, & monitus Rex peccator, egit pœnitentiam in cilicio & cinere. 2. *Reg.* 12.

Octavo. Christus respexit Petrum, qui & postea flevit amare culpam suam.

Nono. Magdalenam vocavit Jesus & convertit *Luc.* 7. item & Matthæum *Marc.* 2. & multos alios. Quinimmo & Apostolos misit in universum mundum, ut docerent omnes Gentes & baptizarent eas, & credentes salvarentur. *Matth.* 28.

Decimo. Petrus missus est ad Cornelium, ut eum erudiret in fide *Act.* 10. Philippus ad Eunuchum Reginæ Candacis *ibid.* 8. Paulus ad Macedonas *ibid.* 16. Igitur Providentia nulli deest, ut unusquisque suam operetur salutem, ad hunc sane finem Deus dat Legem, mittit Prædicatores. Quid plura? Loquitur interius, & omnes vocat ad vitam, alios lege naturali, alios lege Evangelica, omnes gratia & inspirationibus: omnibus denique offert media efficacia, quibus salutem operentur. Ergo, &c.

Tertio, *Ex Patribus.*

LACTANTIUS l. de ira Dei c. 13. de hoc momento loquitur: " Propositis igitur bonis, malisque, tum demum opus " suum peragit sapientia: & quidem bo" num appetit ad utilitatem, malum re" jicit ad salutem. Ergo sicut bona in" numerabilia data sunt homini, quibus " fru-

„ frui posset, sic etiam mala, quæ ca- „ veret. „ Quibus verbis docet sapientiam Dei ita esse ergal omnes providam, ut det & bonum appetere & malum fugere.

Nemesius Philosophus Christianus c. 44. iisdem insistens vestigiis ait: " Necessi- „ tate aliqua compulsi, statim ad divinum „ numen precesque confugimus: velut na- „ tura ipsa, sine cujusquam institutione, „ nos ad Dei implorandam opem trahen- „ te. „ Et ecce aliud providentiæ specialis pro nostra operanda salute argumentum, siquidem ipsius beneficio quilibet invocat Deum, & rogat ut ferat salutis opem.

Paulinus Epist. 38. dicit omnia cedere in utilitatem & salutem hominis, ipsa mala, ipsas dæmonum tentationes & impetus; & hoc quia Providentia cuncta dirigit ad bonum & salutem hominum. " Omnia, „ inquit, Dei facta, pulcherrima sunt; „ & non est malum, quod bonum non „ habeat auctorem, qui cuncta per mun- „ dum nostris usibus præparavit, & no- „ stris utilitatibus egit: & ita istius uni- „ versitatis opus condidit, ut alia ad ser- „ viendum, alia ad exercendum, alia ad „ dominandum creaverit. Itaque corpo- „ reis, animalibusque naturis homines ra- „ tione dominamur. Sed ne ipsa potesta- „ tis nostræ licentia resolvamur, utiliter „ exercemur adversis, aut spiritibus dæ- „ monum, aut difficultatibus negotiorum, „ aut ipsorum sæpe elementorum motibus, „ videlicet ut exagitati, curis prudentiæ, „ & metu divinitatis acuamur. „

Augustinus l. 1. de grat. Chr. c. 25. sic pronuntiat: " Non solum Deus posse no- „ strum donavit atque adjuvat, sed etiam „ velle & operari operatur in nobis: non „ quia nos non volumus, aut nos non „ agimus, sed quia sine ipsius adjutorio „ nec volumus aliquid boni, nec agimus. „ Et hom. 23. inter 50. " Ut adulterium non „ committeres, suasor defuit ... locus & „ tempus defuit, & ut hæc deessent, ego „ feci. „

Eidem suffragatur veritati D. Thomas. 1. 2. q. 112. art. 3. ubi docet, facienti quod in se est, Deum non denegare gratiam. Intelligit efficacem, quia supponit hominem facere quod in se est, viribus gratiæ prævenientis. Et q. 14. de veritate art. 11. ad 1. sic loquitur: " Si aliquis in „ sylvis enutritus ductum naturalis ratio- „ nis sequeretur in appetitu boni & fuga „ mali, certissime tenendum est, quod ei Deus „ vel per internam inspirationem revelaret „ ea quæ ad credendum sunt necessaria, „ vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum „ dirigeret, sicut misit Petrum ad Cor- „ nelium. „ Igitur ex D. Thoma datur providentia specialis, quæ dat operari salutem; siquidem facienti quod in se est, non denegat gratiam.

Quarto, *ex ratione, eaque multiplici*.

PRIMA sic procedit: Qui vult finem, vult & consequentia ad finem, alias non ageret sapienter: sed Deus vult omnium salutem; cum omnes elevaverit ad finem supernaturalem: Igitur dat, vel offert media, quibus homo & tendere in finem, & illum prosequi & assequi possit.

Secunda. Deus impossibilia non jubet, sed dat & posse & facere, juxta illud Concilii Tridentini sess. 6. c. 11. " Deus impossi- „ bilia non jubet, sed jubendo monet, „ & petere quod non possis, & adjuvat ut „ possis. „ Sed eo ipso quod Deus impossibilia non jubet, dat posse proximum & immediatum per gratiam sufficientem; actuale vero & conjunctum cum actu per efficacem saltem offert. Igitur datur providentia specialis, quæ dat operari salutem.

Tertia sic est: Deus proponit omnibus Legem adimplendam: igitur parat, igitur providet & offert gratias ad præcepta in lege contenta adimplenda: unde si non adjuvetur peccator, est sua culpa, inquit Augustinus l. 2. de pecc. meritis & remiss. c. 17. quia gratiam oblatam ad operandum bonum rejicit. Idem dicit D. Thomas l. 3. contra Gent. c. 159. " Licet aliquis, „ *inquit*, per vires liberi arbitrii nec prome- „ reri, nec acquirere possit gratiam, po- „ test tamen seipsum impedire ne eam reci- „ piat. Deus enim quantum in se est, pa- „ ratus est dare gratiam efficacem, sed il- „ lam rejicit peccator, & ideo culpabilis „ & pœna dignus est. „

Quarta. Gratia efficax facit facere, & operatur bonum in nobis atque nobiscum, juxta illud Arausicani 2. can. 9. " Quoties bo- „ na agimus, Deus in nobis, atque nobis- „ cum, ut operemur, operatur. „ Sed Deus offert omnibus & singulis adultis

gratiam efficacem ut suam operentur salutem: & probatur. Dat singulis gratias sufficientes: ergo singulis offert efficaces; nam ea solum intentione pulsat ad cor per gratiam sufficientem, ut homo velit, & faciat bonum per efficacem, quam quidem recipit, si non ponit obicem.

Quinta. Operari salutem, est declinare a malo, & facere bonum: sed Deus deterret hominem a malo, videlicet comminando pœnas; provocat vero ad bonum magnitudine præmiorum, immo etiam mala ordinat ad salutem: igitur datur providentia specialis, quæ facit operari salutem; unde Eccli. 15. habetur: *Non dixeris; per Deum abest; qua enim odit ne feceris*.

Augustinus l. 11. de Genesi ad litt. c. 11. istam explanat rationem; sic enim de Deo loquitur: " Cum eos vitiis propriis ma-„ los futuros esse præsciret, non eos ta-„ men creare destitit, utilitati deputans „ eorum, quos in hoc genere creavit, ut „ ad bonum proficere nisi malorum com-„ paratione non possent; si enim non es-„ sent, nulli rei utique prodessent. „ Rursus serm. 254. de temp. " Alios coro-„ nat; alios damnat; nusquam errat. A-„ lios probat; de aliis probat; omnes or-„ dinat. Quid faciunt in hoc mundo ho-„ mines mali? in fornace aurificis palea „ quid facit? „ Et iterum serm. de diver-„ sis c. 5. " Nisi Deus antiquioribus sæ-„ culis servaret sua patientia peccatores, „ unde nascerentur hodie tot fideles? Alii „ mali servantur, ut boni inde nascan-„ tur. Igitur ex Augustino datur providentia, quæ miris & occultis, sed semper veris modis providet saluti.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES. Rom. 9. habetur de Jacob & Esau: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui*: Quo posito sic arguitur: Si foret providentia specialis, quæ daret vitam consequi æternam, omnibus succurreret, ut suam operarentur salutem: atqui videtur non succurrere omnibus, ut suam operentur salutem; & probatur: Antequam quidquam boni aut mali agant homines, quosdam eligit Deus, quosdam vero reprobat; quosdam amat, quosdam odio habet; ut patet exemplo Jacob & Esau allato ab Apostolo: ergo, &c.

Respondeo 1. multos interpretari locum Apostoli de bonis temporalibus: Dicitur enim quod major serviet minori, & hoc secundum intentionem Isaac, benedicentis filios, quibus quidem & honores, & bona temporalia, benedicendo, promittebat, ut probavit eventus pro Jacob. Ex eo enim ortæ sunt Tribus Israel; ex Tribubus vero orti sunt & Reges, & Duces & Prophetæ: & ex illis omnibus ipse Christus Rex Regum & Dominus Dominantium. Nec mirum, Isaac moriens, nusquam intendit maledicere Esau, cum & benedictionem dederit; sic enim habetur Gen. 27. *Benedicens illi*, (scilicet Jacob), ait: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini. Et serviant tibi populi, & adorent te Tribus: esto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ . . . . . Cumque ejulatu magno fleret*, (scilicet Esau), motus Isaac dixit ad eum: *In pinguedine terræ & in rore cæli desuper erit benedictio tua*.

Respondeo 2. Non posse dici Deum odio habere aliquem hominem secundum se consideratum: siquidem Gen. 1. legitur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: & Sap. 11. *Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti*: Rursus Prov. 23. hunc ad omnem venientem in mundum dirigit Deus sermonem: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi*: Omnes homines provocat ad pœnitentiam, & ad observationem mandatorum; unde ibidem subdit, postquam cor hominis expostulavit: *Et oculi tui vias meas custodiant*. Si igitur aliquem odit Deus, solum propter peccata abhorret. Et vero quare hodio habuit Esau, nisi quia opera ejus erant mala? Dicit enim Scriptura de eo Gen. 27. *Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione qua benedixerat ei pater*: Unde livore & invidia in alia peccata prolapsus est, & postea in reprobationem.

Respondeo 3. & in forma, negando minorem: ad probationem, distinguendo. Reprobat Deus malos propter peccata præ-

prævisa, & ideo antequam quidquam agant in tempore, concedo: reprobat absque causa, nego. Nihil novi advenit Deo in cogitatione, & ideo scit ab æterno quinam futuri sint fideles gratiæ, quinam vero futuri peccatores obstinaces, præscit impœnitentes, illosque reprobat: unde secundum hanc considerationem, antequam quidquam mali faciant, impœnitentes odio habet, sed non exequitur vindictæ judicium, nisi peractis & consummatis in tempore peccatis. Solutio est D. Thomæ in comment. in cap. 9. Epist. ad Rom. lect. 2. " Præscientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ quæ præparatur reprobis: in quantum scilicet, Deus proponit se puniturum malos propter peccata."

Instabis. Ibidem Apostolus subdit: *Cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat*. Ergo Providentia non adest omnibus, ut suam operentur salutem; siquidem multos indurat Deus, ut legitur de Pharaone, Exod. 1. *Dixit Dominus ad Moisen: ingredere ad Pharaonem: ego enim induravi cor ejus*. Confirmatur. Multi docent prædestinationem ante prævisa merita, & non pauci, reprobationem negativam ante prævisa demerita; si reprobatio est ante prævisa demerita, profecto non apparet quomodo Deus det operari salutem, aut saltem offerat.

Respondeo 1. Apostolum sic loqui, ut probet Judæis Romæ commorantibus justitiam legis non sufficere, & eos in vanum laborare qui salutem in quibusdam cæremoniis legalibus constituentes, gratiam per Christum conferendam non expectabant, quod quidem erat peccatum Pharisæorum, qui in se & in justitia quadam mere extrinseca confidentes, aspernabantur cæteros. Ostendit autem Apostolus sufficientiam nostram ex Deo & dilecto Filio suo esse, gratiam esse gratuitam, & ideo misericordiæ donum; unde ibidem Apostolus in persona Dei dicit: *Miserebor, cujus misereor: Et misericordiam præstabo, cujus miserebor. Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Idest, gloriari non debemus de bonis operibus; si enim viam currimus mandatorum, hoc ipsum habemus per gratiam prævenientem & adjuvantem, per gratiam Christi cor dilatantem, ut sublimitas sit Dei, juxta illud Psal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*.

Respondeo 2. ad primam partem. Cujus vult, miseretur Deus, quia nullum bonum possumus facere sine gratia Dei a quo omne donum, concedo: cujus vult, miseretur, ita ut ipsius providentia quibusdam non succurrat, nego. Solutio est D. Thomæ, hic 1. p. q. 19. art. 6. ubi explicans illud Apostoli 1. ad Tim. 2. *D.us vult omnes salvos fieri*, dicit hoc posse intelligi in eo sensu, quod nullus salvetur & faciat bonum, nisi in quantum vult Deus, quia est prima causa boni: idem repetit in comment. in c. 9. Epist. ad Rom. lect. 2. & 3. Non sensus est igitur providentiam aliquos aspernari, & eis non consulere, siquidem omnibus dat gratiam sufficientem Deus, & simul offert efficacem pro bono faciendo & operando, ad quod provocat per gratiam primam; si vero peccator gratiæ obnitatur prævenienti, & rejiciat efficacem, sua culpa cadit & reprobatur, juxta illud Osee 13. *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum*: Et ideo

Respondeo iterum ad eandem partem: cujus vult miseretur, quia præscit Deus bona opera justorum propter quæ eos eligit & prædestinat, peccata vero reproborum propter quæ eos reprobat, concedo: secus, nego. D. Thomas hic in Comment. Lect. 3. refert hanc solutionem & tribuit Glossæ: post quam enim hæc verba Apostoli retulit, *Moysi enim dicis: miserebor, cujus misereor*: ait: " Exponitur autem hæc auctoritas in Glossa dupliciter; & secundum hoc ex auctoritate hac, dupliciter solvitur quæstio, & objectio. Uno modo sic: *Miserebor cujus misereor*, idest illius qui est dignus misericordia: & ad majorem expressionem, iterat dicens: *Misericordiam præstabo cujus miserebor*, idest, cui dignum judico misereri, sicut & in Psalmo centesimo secundo, dicitur, *misertus est Dominus timentibus se*..... alio modo potest intelligi, ut aliquis dicatur dignus misericordia, non propter aliqua merita præcedentia gratiam, sed propter merita subsequentia, puta ut dicamus, quod Deus dat alicui gratiam, & proposuit eam ab æterno illi se daturum, quem præscivit ea bene fore

,, usu-

„ usurum : & secundum hoc intelligit Glos„ sa, quod miseretur, cui miserendum est: „ unde dicit : *miserebor*, *cujus miserebor*, „ idest, illius miserebor, vocando, & „ gratiam apponendo, cui præscius ero „ quod misericordiam daturus essem, „ sciens illum convertendum, & apud „ me permansurum.

Respondeo ad aliam partem. Quem vult, Deus indurat, permissive, concedo : positive, nego. Deus intentator malorum est; unde inquiunt sancti Doctores, non indurat impertiendo malitiam, sed subtrahendo gratiam, qua se reddit indignum peccator per suam resistentiam : ita D. Thomas in eodem Comment. lectio. 3. “ Ad „ bona inclinat (Deus) hominum vo„ luntates directe, & per se, tanquam „ auctor bonorum : ad malum autem di„ citur inclinare, vel suscitare homines „ occasionaliter, in quantum scilicet Deus „ homini aliquid proponit vel interius, „ vel exterius, quod quantum est de se, „ est inductivum ad bonum : sed homo „ propter suam malitiam perverse utitur „ ad malum : Rom. 2. *Ignoras quoniam* „ *benignitas Dei*, *ad pœnitentiam te addu-* „ *cit? secundum autem duritiam tuam*, & „ *impœnitens cor*, *thesaurizas tibi iram in* „ *die iræ*. Et Job. 24. *Dedit ei Deus lo-* „ *cum pœnitentiæ*, & *ille abutitur eo in su-* „ *perbiam*. Et similiter Deus quantum est „ de se, interius instigat hominem ad „ bonum, puta Regem ad defendendum „ jura regni sui, vel ad puniendum re„ belles : sed hoc instinctu bono malus „ homo abutitur secundum malitiam cor„ dis sui. Et hoc patet Esai. 10. ubi di„ citur de Assur : *Ad gentem fallacem* „ *mittam eum & contra populum furoris mei* „ *mandabo illi*, *ut auferas spolia*, &c. Et „ post : *Ipse autem non sic arbitrabitur*, & „ *cor ejus non ita existimabit ; sed ad con-* „ *terendum erit cor ejus*. Et hoc modo „ circa Pharaonem accidit, qui cum a „ Deo excitaretur ad regni sui tutelam, „ abusus est hac excitatione in crudelita„ tem. „ Igitur ex D. Thoma, Deus dat gratiam peccatori ; dedit & Pharaoni, quem portentis movit ad bonum ; sed peccator resistit, & sic seipsum indurat.

Ad Confirmationem, respondemus non esse hic locum examinandi, utrum prædestinatio sit ante prævisa merita, reprobatio vero negativa ante prævisa demerita, quia suo ordine infra agemus ex professo de illo utroque momento. Sufficit impræsentiarum dicere, 1. Deum elevasse homines ad finem supernaturalem; 2. Velle sincere singulos salvos fieri ; 3. Omnibus dare ad hunc finem media sufficientia ut possint salvari, & offerre efficacia ut suam operentur salutem; Quid plura? *Voluntatem timentium se faciet*, inquit Propheta Regius, Ps. 144. 19. Et ex ipso D. Thoma, Præscientia peccatorum, esse potest aliqua ratio reprobationis ; sed peccator sua culpa cadit, & reprobatur juxta illud Osee 13. 5. *Perditio tua Israel*.

Objicies 2. Gratia operis non datur omnibus : ergo Providentia non dat omnibus suam operari salutem. Probatur antecedens ex S. Augustino, qui Epist. ad Vitalem sic loquitur : “ Scimus gratiam non „ omnibus dari : „ Et l. 2. de peccat. meritis c. 5. “ Cur, *inquit*, Deus illum „ adjuvet, illum non adjuvet, penes ip„ sum est ; & æquitatis tam secretæ est „ ratio, excellentia potestatis. „

Respondeo distinguendo. Gratia operis non omnibus datur, sed omnibus offertur, concedo : & non offertur, nego. Cum homo sit liber & relictus in manu consilii sui, sufficit quod providentia offerat illi gratiam operis, ut dicatur omnibus providere media salutis. Enimvero si eam non recipit homo, est sua culpa, & quia ponit obicem, juxta illud Psal. 118. *Priusquam humiliarer*, *ego deliqui*. Solutio est etiam D. Augustini qui l. 26. de natura & gratia dicit : *Deus justum non deserit*, *nisi deseratur*.

Instabis. Sine gratia efficaci homo nequit operari bonum : ergo si non datur omnibus, providentia deficit : atqui deest multis, maxime quia non est in hominis potestate illam habere ; nam ut homo aliquod incipiat operari bonum, debet illam prius recipere.

Respondeo negando consequentiam : Dictum est enim sufficere ut providentia det omnibus gratiam sufficientem, & offerat efficacem. Ad id quod dicitur non esse in hominis potestate advocare gratiam, respondet D. Thomas Deum non deficere in necessariis, modo creatura non ponat obicem.

SY-

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur Providentia quæ facit operari salutem.

PRIMO, Ex Apostolo probatur : ait enim 1. Cor. 12. *Deus qui operatur omnia in omnibus* : & Philip. 2. *Operatur in vobis & velle & perficere* : rursus 1. Petr. 5. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum quoniam ipsi cura est de vobis.*

Secundo, Ex PP. in primis ex Aug. qui Hom. 23. inter 50. ait : " Ut adulterium non committeres, suasor defuit, locus & tempus defuit, & ut hæc deessent, ego feci. "

Tertio, Ex ratione. Qui vult finem, dat consequentia ad finem : igitur cum Deus velit hominem salvari, utique & dat operari salutem.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO, Objicitur, Roman. 9. Deus antequam Esau quicquam mali egisset, odio eum habebat.

Secundo, Ibidem habetur Deum quosdam obdurare. *Cujus vult*, inquit Apostolus, *miseretur, & quem vult indurat.*

Tertio. Gratia operis deest multis.

Respondeo ad primum : Deus odio habebat Esau, idest minus diligebat.

Ad secundum dico, Deum indurare permissive, sed non positive impertiendo malitiam, quæ non habet causam efficientem, sed tantummodo deficientem.

Ad tertium, distinguo : gratia operis deest multis, eorum culpa, concedo ; deest enim eo quod ipsi ponant obicem ; deest defectu provisoris, nego : ait enim Deus Isaiæ 5. 4. *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?*

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum detur Providentia specialissima, quæ det actu & finaliter operari salutem.

CONCLUSIO.

Datur Providentia specialissima, quæ dat actu & finaliter operari salutem.

Probatur auctoritate & rationibus.

Primo, *ex Scriptura sacra.*

Ex veteri Testamento.

PRIMO. Psalmo 115. 15. habetur : *Pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum ejus* : Quorsum pretiosa? nisi quoniam magna gratia est, & amoris Dei erga electos specialissimi maximum argumentum.

Secundo. Scriptum est utique Psal. 30. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te* : rursus Psal. 16. 15. *Satiabor cum apparuerit gloria tua* : & Psal. 67. 21. *& Domini Domini exitus mortis* : & iterum Psal. 120. 8. *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum*. Porro, cœlestis multitudo dulcedinis, bona mors & perseverantia finalis, omnis justi desiderii votum adimpletum, exitus felix & faustus promanans a solo Domino, cujus est custodire, hoc est facere bonum introitum & felicem dare exitum, est summa gratia, quæ animam Deo irrevocabiliter conjungit : sed hanc elargitur & operatur Providentia : igitur datur Providentia specialissima, qua electi suam finaliter operantur salutem.

Tertio. Nec desunt aliæ pro eodem momento sententiæ. Sap. 4. 11. legitur de justo : *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*; ibidem c. 10. v. 17. *Reddidit justis mercedem laborum suorum, & deduxit illos in via mirabili* : & iterum alia scriptura, Cant. 2. 11. *Jam hiems transiit, imber abiit*, & adhuc Sap. 10. 10. *Justum deduxit*, Dominus, *per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei*. Sed rapere justum e mundo ne malitia mutet cor ejus, sed eum deducere ad regnum perpetuum & eumdem ab omnibus sæculi nequam periculis eripere, pertinet ad providentiam spe-

specialem, immo specialissimam: ergo &c.

Ex novo Testamento.

PRIMO. Christus ipse eandem nos edocet veritatem, maxime Matth. 20. 16. *Multi enim*, inquit, *sunt vocati*, *pauci vero electi*: & iterum Joan. 15. 16. suos sic alloquitur Apostolos: *Posui vos ut eatis*, *& fructum afferatis*, *& fructus vester maneat*. Jam vero si pauci sint electi, si quibusdam tantum detur ut bonorum operum fructus maneat, certe perseverantia est magna gratia: sed hæc est providentiæ beneficium: igitur datur providentia specialissima, quæ confert actu & finaliter salutem.

Secundo. Celebris est pro eadem veritate locus ille Apostoli Rom. 8. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, *iis qui secundum propositum vocati sunt sancti*: sed ad providentiam pertinet omnia ita ordinare, ut cedant saluti nostræ. Igitur agnoscenda est providentia specialissima, quæ dat nobis actu & finaliter operari salutem.

Tertio. Joan. 17. Christus orat specialiter Patrem, & pro Apostolis, & pro his qui erant credituri in ipsum: *Non pro mundo rogo*, inquit.... *sed pro his quos dedisti mihi*.... *Pater sancte serva eos in nomine tuo*.... *Non pro eis autem rogo tantum*, *sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*, *ut omnes unum sint*, *sicut tu Pater in me & ego in te*. Igitur datur providentia specialissima quæ tribuit gratias ad faciendum bonum usque ad vitæ finem. Quod quidem innuit Concilium Arausicanum II. Can. 10. his verbis: *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum*, *ut ad finem bonum pervenire*, *vel in bono possint opere perdurare*, *&c.*

Secundo, *ex sancto Augustino*.

Primo, Augustinus Libro de dono persev. ubique dicit Perseverantiam a Deo dari per summam misericordiam quæ confert omnia, ad salutem consequendam necessaria: c. 17. n. 41. sic loquitur. „ Videte jam a veritate quam sit alienum „ negare donum Dei esse perseverantiam „ usque in finem hujus vitæ: . . . sed „ mirabilior & fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quod etiam „ parvulis, quibus obedientia non est illius ætatis ut detur, datur hæc gratia. „

Secundo. Libro de Corr. & Grat. c. 11. n. 32. ait. " Tanto amplius datur per „ Jesum Christum Dominum nostrum, „ quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit, sine quo permanere non possumus, etiam si velimus; verum etiam „ tantum ac tale sit ut velimus. Fit „ quippe in nobis per hanc Dei gratiam „ in bono recipiendo, & perseveranter „ tenendo, non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus. „ Loquitur de gratia Christi, quæ superabundat gratiæ Adami, in eo quod illa non solum dat posse, sed & actu velle bonum, & in ipso perseverare. Nam ibidem n. 32. sic prosequitur: " Nunc vero sanctis in regnum Dei per „ gratiam prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, „ sed tale, ut his perseverantia ipsa donetur. „

Tertio. Libro de corr. & g. c. 7. n. 13. explicat illam mirabilem providentiam quæ dat actu salutem. " Quicunque „ ergo ab illa originali damnatione, ista „ divinæ gratiæ largitate discreti sunt, „ non est dubium quod & procuratur eis „ audiendum Evangelium; & cum audiunt, credunt, & in fide, quæ per „ dilectionem operatur, usque in finem „ perseverant; & si quando exorbitant, „ correpti emendantur. „

Unde sic argumentor. Providentia specialis pro salute actu consequenda est illa, quæ dat non solum posse bene agere, sed & actu bene agere; quæ ita providet adultis, ut si quando exorbitant, corrigat & emendet ut semper stent; quæ etiam pueris favet, ut post acceptam baptismi gratiam, moriantur, ne malitia provectioris ætatis pervertat sensum eorum, & animam ad interitum ducat: atqui, ex Augustino, talis datur Providentia: igitur datur Providentia specialissima quæ dat actu salutem.

Ex Divo Ambrosio.

DIVUS AMBROSIUS fuse probat in libro de Bono mortis, Providentiam Dei

Dei specialiter saluti electorum consulere : ibidem ostendit mortem proficere homini ad beatitudinem & felicitatem consequendam : juvat varias multasque exquisitas ipsius rationes afferre.

Ad Providentiam specialem pertinet mala in bonum convertere : atqui hoc facit Providentia, quæ quidem de omnibus ita disponit, ut mors ipsa, licet omnium terribilissima, cedat in bonum electorum: igitur datur Providentia specialis quæ dat actu salutem ; namque perseverantia in hoc præcipue sita est, quod mors hominem cum Deo immobiliter conjungat. Probatur minor variis D. Ambrosii rationibus.

Prima est, quod mors sit allevamentum & finis miseriæ ; sic propugnat D. Ambrosius l. de Bono mortis, c. 2. " Itaque, *inquit*, si plena oneris vita, utique finis ejus allevamentum est, allevamentum autem bonum mors, mors autem finis.... Neque enim aliter gavisus est & Simeon, qui responsum acceperat non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini..... *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace*..... Ita dimitti petit, quasi a vinculis quibusdam ad libertatem festinaret. " Sed a Providentia cuncta disponente fortiter & suaviter, habet mors quod sit bona, quod sit pax & requies, tollendo quæ possint illam amaram reddere. Ergo, &c.

Secunda. Vita præsens onerat nos & miseriis & peccatis; ab his vero incommodis nos solvit mors, & ideo pretiosa : ita Ambrosius ibidem. " Sunt enim velut vincula quædam corporis hujus, & quod est gravius vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad injuriam captivitatis astringunt quadam lege peccati. Denique in exitu ipso videmus quemadmodum anima decedentis paulatim solvat se vinculis carnis, & ore emissa evolet, tanquam carcereo corporis hujus exuta gurgustio. Denique festinabat & sanctus David de loco hoc peregrinationis exire dicens : *Advena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei : remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero* : " Sed unde desiderium dissolvi & esse cum Christo, nisi a Providentia speciali quæ amara naturæ in dulcia convertit, ita ut anima etiam exultet in Deum vivum, & omnia arbitretur ut stercora ? tunc lætabunda relinquit terram, ut ad cœlum de passionibus & de mundo triumphans ascendat.

Tertia. Mors est lucrum ; namque est fuga malitiæ. " Quid est mors, *inquit ibidem Amb. c. 4.* nisi sepultura vitiorum, virtutum suscitatio? Unde & ille ait : *Moriatur anima mea morte justorum* : idest, consepeliatur ut sua vitia deponat, justorum assumat gratiam, qui mortificationem Christi in corpore suo atque anima circumferunt. " Sed & hoc est a Providentia, quæ omnia ordinat ut homo passiones compescat, & moriendo moriatur vitio; quot enim moriuntur, & tamen non immutantur! juxta illud Apostoli, 1. Cor. 15. 51. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* : Multi peccatores migrant e vita, sed cum amore vitiorum & cum iisdem vitiis quibus in vita servierunt.

Quarta. Mors est finis laboris & requies. " Mors, *inquit, Amb. ibidem c. 3.* solutio est animæ & corporis : solutio autem ista quid agit aliud, nisi ut corpus resolvatur, anima autem convertatur in requiem suam? ... Erat Paulus dicens : *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*... Certe Apostoli moveor auctoritate dicentis : *Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis*..... Imitatur igitur mortem, qui se a communione carnis hujus abducit, atque illis vinculis solvit, de quibus dicit Dominus per Isaiam : *Solve omnem colligationem injustitiæ, dissolve obligationes violentarum commutationum, dimitte confractos in remissionem, & omnem circumscriptionem iniquam disrumpe*. " At quomodo mors operatur in nobis vitam per abnegationem nostri, nisi adhuc operante Providentia, quæ pœnitentiam salutarem inspirat & præparat? Igitur datur Providentia quæ facit omnia cooperari in bonum, & quæ dat salutem.

Quinta. Mors est finis pœnarum : ita Ambr. ibidem c. 3. " Quid est aliud hæc vita, nisi plena laqueorum ? inter laqueos ambulamus, inter plurimas versamur tentationes... Nulla firmitudo sententiæ, nulla constantia. In die nox desideratur, in nocte dies quæritur ; " ante

„ ante escam gemitus, inter cibos fletus, „ lacrymæ, dolores, timores, sollicitu„ dines : nulla requies a perturbationi„ bus, nulla a laboribus reclinatio, iræ „ & indignationis motus horridior, ple„ rique cupiunt mortem, & non impe„ trant ; si autem impetraverint, gratu„ lantur ; quia sola est mors requies vi„ ro. „ Sed quæ mors requiem dat ? idem Amb. ibid. c. 4. dicit illam es„ se, quæ est transitus... a corruptione „ ad incorruptionem, a mortalitate ad „ immortalitatem, a perturbationibus ad „ tranquillitatem. „ Verum habet a Providentia speciali mors, quod sit transitus ad vitam & tranquillitatem. Ambrosius ibidem c. 8. dicit quod mors est dulcis somnus, quod in ea sit vera laus & benedictio ; c. 9. quod mala omnia & infirmitates tollat, quod bona conservet & augeat, quia per eam renovatur in melius homo, quod sit mors peccati & bonorum omnium aggregatio, sic ordinante Providentia, quæ medelam fert, hostis unde læserat. Igitur datur Providentia, cujus opere omnia cooperantur in bonum, & quæ dat actu salutem, juxta illud Sap. 3. 6. *Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum*. Et illud Hebr. 11. 33. Sancti *per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*.


SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur Providentia specialissima quæ dat actu salutem.

PRIMO. Egregiam hanc veritatem multis in locis declarat Scriptura, maxime Sap. 4. 11. cum ait de justo : *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus* : rursus ibidem c. 10. v. 17. *Deus reddidit justis mercedem laborum suorum, & deduxit illos in via mirabili*.

Secundo. Idem docet Aug. in libro de dono perseverantiæ, sed & in libro de correptione & gratia c. 11. n. 32. “ Tanto, *inquit*, amplius datur per c. 6. „ 10. fit quippe in nobis per hanc Dei „ gratiam.... non solum posse quod vo„ lumus, verum etiam velle quod pos„ sumus.... n. 34. Nunc vero sanctis in „ regnum Dei per gratiam Dei præde„ stinatis, non tantum tale adjutorium „ perseverantiæ datur, sed tale ut eis „ perseverantia ipsa donetur. „

Tertio. Hoc itidem variis rationibus probat Ambrosius in libro de bono mortis. Scriptum est enim, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*.



DIS-

DISSERTATIO TERTIA

DE VOLUNTATE DIVINA

suaviter prædestinante, contra Incredulos.



RÆDESTINATIO c. 2. l. 6. hypognosticon apud Augustinum his verbis sic delineatur: " Prædestinatio quippe „ a præveniendo & „ prævidendo, vel „ præordinando futurum aliquid dicitur. Et ideo Deus cui præscientia „ non est accidens, sed essentia fuit semper & est, quicquid antequam sit, sic „ præscit, & propterea prædestinat, „ quia quale futurum sit, præscit. Ideo „ & Apostolus: *nam quos præscivit*, inquit, *prædestinavit*. Sed non omne quod „ præscit, prædestinat. Mala enim tantum præscit: bonum vero & præscit „ & prædestinat. Quod ergo bonum est, „ præscientia prædestinat, idest priusquam sit in re, præordinat. Hoc cum „ ipso auctore esse cœperit, vocat, ordinat, disponit: unde & sequitur, *nam quos prædestinavit, hos & vocavit*. Jam „ igitur apertius disseramus, quid loquamur, quo modo erga humanum genus „ præscientia sua & prædestinatione Deus „ generaliter in quo non est iniquitas, „ utatur? Massæ itaque humani generis, „ quæ in Adam & Evæ prævaricatione „ damnabilis, mortalisque facti est, non „ conditione divina, generaliter, sed ex „ debito pœnæ excruciatusque gehennæ „ debentur: venia vero non merito, sed „ Dei justi judicis misericordiæ largitate „ confertur. Quia ergo justus & misericors Deus, præsciusque est futurorum, & ex hac damnabili massa, non „ personarum acceptione, sed judicio æquitatis suæ irreprehensibili, quos præscit gratuita misericordia præscit, præparat, idest, prædestinat ad vitam æternam, cæteros autem, ut prædixi, „ debita pœna punit, quos ideo punit, „ quia quid erant futuri, præscivit, non „ tamen puniendos ipse fecit, vel prædestinavit, sed tantum, ut dixi, in „ damnabili massa præscivit. Quod si a „ me quæris scire, cur ita duos Deus „ differentes faciat, si personarum acceptor non est, quia aut generaliter punire debet justitia, aut misericordia liberare? contende cum Paulo; immo „ si audes, argue Paulum, qui dixit, „ Christo in se loquente, *o homo tu quis es qui respondeas Deo?* „

Beatus Augustinus prædestinationem in duplici sumit sensu: primo quidem pro decreto quo Deus aliquod bonum facere statuit; deinde vero pro transmissione rationalis creaturæ ad gloriam; istam l. de dono perseverantiæ c. 14. n. 35. sic definit. " Præparatio mediorum quibus „ certissime liberantur quicumque liberantur. „ De hac in isto tantum sensu impræsentiarum agimus.

Dictum est supra, plurimos circa prædestinationem errasse, existimantes Deum quosdam prædestinare ineluctabiliter ad vitam, quosdam vero ad mortem; ita ut nulli relinqueretur libertas ad bonum & malum operandum. Sed contra Ezech. 18. 23. dicitur: *Nunquid voluntatis meæ est mors impii: dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis & vivat?*

Ad stabiliendum dogma Catholicum de prædestinatione sanctorum quatuor potissimum peragenda nobis occurrunt.

Primo quidem, ostendere juvat sententiam prædestinationis necessitantis ortum & progressum habuisse ab Indoctis, doctrinam B. Augustini in pravum penitus sensum detorquentibus.

Secundo, probandum est S. Augustinum nusquam docuisse prædestinationem necessitantem.

Tertio, Exponendæ sunt variæ opiniones

nes Theologorum Ecclesiæ sanctæ Romanæ, nec abs re erit ostendere illos, tametsi secundum modum sese explicandi quandoque discrepantes, attamen in petra fidei omnes esse conjunctos.

Quarto, denique agendum est in particulari de prædestinatione Sanctorum. Unde sit

ARTICULUS PRIMUS.

De origine & progressu hæresis Prædestinatianorum.

JANSENIUS l. 8. de hæresi Pelagiana c. 23. asserit nullos fuisse Prædestinatianos, & dogmata quæ illis imputantur esse objectiones Gallorum contra Beati Augustini de efficacitate gratiæ doctrinam: sed hæc opinio communiter rejicitur in scholis, opposita vero probabilior habetur, Verum ut ordine procedamus, agendum est, primo quidem de origine, deinde vero de progressu hujus hæreseos, seu de iis qui palam tum dictis tum scriptis illam propugnavere.

SECTIO PRIMA,

Historia Critica hæresis Prædestinatianorum. Ortus,

PRÆDESTINATIANI ab erroribus circa divinam prædestinationem sic dicti, duces habuerunt anonymos quosdam, qui tempore D. Pauli, ut refertur Rom. 9. existimabant gratiam Christi tollere libertatem; quibus quidem respondet Paulus, neque volentis neque currentis, sed miserentis Dei esse viam hominis, quippe qui, quamvis liber, nihil tamen pro salute sine gratia aut operari aut consequi possit. Origenes meminit quorumdam, qui vitam humanam ferreis quibusdam & ineluctabilibus fati vinculis necti propugnabant. Hæresis Prædestinatiana sic prælusa, palam se prodere cœpit in monachis Adrumetinis, inter quos schisma quoddam circa gratiæ efficaciam subortum, magnas movit tragœdias: quidam enim aut ex inscientia, aut ex præoccupatione, doctrinam D. Augustini de efficacia gratiæ non intelligentes, inde libertatis extinctionem, postea tum correptionis tum exhortationis inutilitatem consequi effutiebant. Altiores habuit in Lucido Presbytero radices, qui eo devenit, ut crederet, immo & defenderet Deum quosdam quidem necessario ad vitam, quosdam vero ad pœnam prædestinare. Sex potissimum capitulis prima fronte innixa apparuit hæc hæresis.

Primum, ut refertur in Concilio Arelatensi, & apud R. P. Deschamps Societatis Jesu Theologum l. de hæresi Janseniana his exprimitur terminis: Deus non omnes homines ad hoc creavit ut salvarentur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus.

Secundum: Post primi hominis lapsum, ex toto liberum arbitrium extinctum est.

Tertium: Christus non est mortuus pro salute omnium.

Quartum: Præscientia Dei hominem compellit ad mortem, & voluntate Dei perit qui perit.

Quintum: Post baptismum recte susceptum, moritur in Adam quicumque deliquerit.

Sextum: Alii deputati sunt ad mortem, alii ad vitam, ita ut malos Deus compellat ad malum.

Hæc scribunt & referunt Genebrardus in chronico sub Zosimo, Baronius ad annum 490. Sigebertus ad annum 415. Flodoardus l. 3. hist. Eccl. Rhem. c. 14. & alii.

Progressus.

HÆRESIS Prædestinatiana sæculo nono brevi crevit in magnam arborem. Quidam enim monachus nomine Gotescalcus eam fortiter & tenuit & ardentiori zelo propugnavit; primo in Italia, deinde in Germania, favente & patrocinante Eberardo comite, suos sparsit errores: repulsus, in Galliam venit, ubi plures etiam inter Ecclesiæ proceres habuit patronos, ita ut Galliarum Ecclesiæ hinc inde, aliæ doctrinam Augustini defendendi motivo, aliæ, quod pejus est, adhærentes quibusdam sententiis durioribus circa voluntatem Dei & mortem Christi, divisæ apparuerint. Nulla tamen a fide defecit, quinimmo pax vicit in cordibus Epi-

Episcoporum ex utraque parte pugnantium : quandoquidem ponderatis omnibus in unitate fidei humiliter & prompte convenisse compertum habemus. Acrius exarsit controversia sæculo decimo quinto ; Lutherus enim & Calvinus palam tum voce, tum scripto docuerunt prædestinationem necessitantem aliam ad vitam, aliam vero ad mortem. Eorum insistens vestigiis Synodus Dordracena, repulso Arminio, prædestinationem necessitantem confirmavit. Ab his non discedunt hodie multi Protestantes sive Galliæ, sive Germaniæ, aliarumque Europæ regionum. Eis adhærere videtur Jansenius, qui in suo fucato Augustino gratiam efficacem ad bonum necessario propellentem, concupiscentiam vero ad malum trahentem defendit. Prædestinatianos fuisse refert R. P. Alex. Hist. sæculi 1. art. 10. & ante ipsum, præter auctores supra citatos, Suares tom. de gratia prolog. 5. c. 5. n. 1. Alphonsus a castro, Hæref. 1. prædest.

Interitus seu proscriptio.

APOSTOLUS Rom. 9. insurgit contra eos, qui vel ex efficacia vel ex necessitate gratiæ, inferebant fatum libertati humanæ contrarium. Eosdem revincit Origenes, & vix natus est error aliquis circa hoc momentum, ut Patres citius & absque mora, opere & sermone partes liberi arbitrii desendendas susceperint. Augustinus perstrinxit Prædestinatianos in libris de libero arbitrio & de prædestinatione Sanctorum. Patres Concilii Arelatensis compresserunt Lucidi temeritatem, qui opera Fausti Regiensis ad cor rediens, suos ipse ejuravit & damnavit errores. Incertior sane res est de Gotescalco, contra quem Rabanus adunavit Moguntiæ Synodum, ubi ille damnatus remissus est ad Hincmarum Rhemorum Archipræsulem, qui adunato ad hunc effectum Concilio Carisiaco, sententia lata hunc proscripsit Monachum, propter perversas doctrinas. Iste vero in carcere pœnitentiæ causa reclusus, finem prædicandi perversa fecit. Patres Tridentini fortiter se gesserunt adversus Protestantes, & liberum arbitrium negantes a communione Ecclesiæ, censura ipso facto incurrenda, resciderunt : contra ejusmodi heterodoxos permulti scripserunt Theologi, inter quos eminet Bellarminus. Denique Innocentius decimus, Alexander septimus, Clemens nonus, Innocentius duodecimus, & Clemens undecimus quasi uno calamo doctrinam Jansenii quinque propositionibus contentam, eamque veluti Prædestinatianorum erroribus affinem, iterato fulmine percusserunt. Utinam percussa, non revivisc at amplius in perniciem animarum.

SECTIO SECUNDA.

Utrum de facto fuerint Prædestinatiani.

CONCLUSIO.

De facto extiterunt Prædestinatiani, unde hæresis prædestinatiana non est, ut perperam quidam autumant, merum commentum.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo *quidem, ex Scriptura Sacra.*

ROman. 9. Apostolus impugnat errorem quorumdam, qui fatum & necessitatem inducebant in animam, ex efficacia tum gratiæ tum præscientiæ Dei. *Dicis itaque mihi, voluntati ejus quis resistit?* Dixerat prius, *non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in universa terra : ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat. Dicis itaque, &c.* Respondet Apostolus, non quidem negando electionem secundum propositum, neque etiam admittendo fatum & necessitatem, sed adorando mysterium. *O homo*, inquit, *tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic?* Igitur ex Apostolo quidam erant, etiam circa ipsius tempora, qui prædestinationem necessitantem, tum ad bonum, tum ad malum admitterent.

Secundo, *ex Origene.*

ORIGENES l. 3. Periarchon expresse loquitur de quibusdam hæreticis, qui loco Apostoli mox laudato abutentes, fatalem ejus-

ejusmodi prædestinationem in actus humanos inducere non erubescebant. *Iis*, inquit, *præcipue nituntur haretici, dicentes non esse in nostra potestate ut salvemur; sed naturas esse animarum tales quæ in omni genere vel pereant, vel salventur, nec ullo modo possit anima quæ mala facta est, bona fieri; aut quæ bona fuerit, mala effici*. Certe in his duobus punctis præcipue versatur hæresis prædestinatiana; nimirum quod quidam sint determinati & ordinati ad bonum & vitam, quidam vero ad malum & mortem: igitur hæc hæresis non est phantasma.

Idem l. 7. c. 8. explicans illum Apostoli locum: *Quos præscivit, hos prædestinavit*, ait, *si ad communem referatur intelligentiam hoc quod dicit, quia quos præscivit, hos & prædestinavit, ingentem fenestram patefaciemus iis, qui negant esse in hominis potestate, ut salvus fiat*. Igitur jam grassari incipiebat Origenis temporibus hæresis prædestinatiana.

Tertio, *ex dissidio Monachorum Adrumetinorum*.

Monachi Adrumetini doctrinam D. Aug. de gratia non intelligentes, inferebant ex efficacia gratiæ liberum adimi arbitrium, inutilem esse correptionem, hominem necessario esse ad bonum aut malum determinatum. Ita scribit ipse Augustinus Ep. 46. ad Valentinum Monasterii Præsulem. *Nobis*, inquit, *retulerunt, Cresconius scilicet & Felix Monachi, Monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eo quod quidam in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium*. Porro sanctus doctor ad illos & instruendos & etiam refellendos scripsit duos libros, unum de gratia & libero arbitrio, alterum vero de correptione & gratia. Ergo hæresis prædestinatiana non est ficticia, cum inter Monachos Adrumetinos quidam ex efficacia gratiæ inferrent necessitatem ad vitam, ex concupiscentia vero fatalem destinationem ad mortem æternam.

Quarto, *ex Conciliis*.

Arausicanum 2. Can. 25. sic habet: *Aliquos vero ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si qui sunt, qui tantum malum credere velint, cum detestatione anathema illis dicimus*. Quibus verbis Patres anathemate percellunt eos, qui fucato & tacito nomine hæresim prædestinatianam propugnabant.

Concilium Arelatense ann. 475. congregatum, item & Lugdunense quod isti successit, agunt solummodo contra Prædestinatianos, eorumque dogmatibus notam inurunt: ita colligitur ex libris & Epistola Fausti ad Leontium, quorum operum præfatio hunc habet titulum: *Professio fidei contra eos, qui dum per solam Dei voluntatem alios dicunt ad vitam attrahi, alios in mortem deprimi; hinc fatum cum Gentilibus asserunt, inde liberum arbitrium cum Manichæis negant*. Ibidem Faustus, cui demandata fuerat provincia scribendi adversus Prædestinatianos, sic prosequitur: *Pro sollicitudine Pastorali, Beato Papa Leonti, in condemnando prædestinationis errore, Concilium summorum Antistitum, congregatis universis Galliarum Ecclesiis præstitistis. Quod vero ad ordinanda quæ collatione publica doctissime protulistis, operam infirmis humeris curamque mandastis ... parum sanctæ existimationi vestræ consuluistis, & me judicio charitatis, vos periculo electionis onerastis ... in quo quidem opusculo post Arelatensis Concilii subscriptionem, novis erroribus deprehensis adjici aliqua, Synodus Lugdunensis exigit*. Tria ibi refert Faustus. Primo quidem ex commissione se scribere contra Prædestinatianos asserit. Secundo, Concilia Arelatense & Lugdunense adunata fuisse contra eos. Tertio illorum opinionem continere hæresim. Baronius ad ann. 490. meminit Epistolæ Fausti, meminit & istorum Conciliorum: ergo, &c.

Concilium Carisiacum sub Hincmaro Rhemensium Episcopo, damnat ex professo Prædestinatianos. Idem præstitit Tridentinum, cum anathemate percussit Lutheranos & Calvinistas propter multos errores, maxime vero propter prædestinationem necessitantem alios ad vitam, alios vero ad mortem; quem errorem Synodus Dordracena in Batavia contra Arminium definitione speciali docet & defendit. Igitur fuerunt Prædestinatiani, immo Calvinus cæterorum hæreticorum plagiarius, in hoc momento voluit veterem illam renovare hæresim.

Quin-

Quinto. *Ex variis Scriptorum Ecclesiastico-rum sententiis.*

1. PROSPER Tiro, S. Prospero coævus, in Chronico ad annum 415. expresse dicit hæresim Prædestinatianorum palam erupisse Augustini temporibus, occasione ipsius doctrinæ de gratia efficaci in pravum sensum usurpatæ: ita quoque referunt multi codices. 2. Arnobius junior in Psal. 108. meminit hæresis, quæ a Deo alios prædestinari ad benedictionem, alios vero ad maledictionem propugnat 3. S. Fulgentius l. 2. de verit. prædest. & gratiæ c. 1. dicit plures in quæstione gratiæ & libertatis non tenere discretionem, sed ita unum asserere, ut alterum auferre satagant. 4. Evodius Ticinensis Episcopus, qui paucis annis ante Concilium Arausicanum florebat, lib. 2. epist. 19. ad Constantium, tacitò nomine refellit eos, qui dicebant non aliam inesse homini potestatem nisi eligendi malum: & hoc est capitale Prædestinatianorum dogma. 5. Hincmarus l. de præd. c. 1. hæresim hanc ex professo impugnat, illamque nomine & re extitisse non in uno loco docet. Hoc refert utique codex manuscriptus sancti Victoris apud Parisios, in quo quidem extat appendix quatuor hæresum, addita a Gennadio Massiliensi ad librum D. Augustini de hæresibus, ubi hæresis prædestinatiana cum suis viciſſim dogmatibus describitur. Ibidem habetur eandem ortam fuisse paulo ante Nestorium, anno scilicet 428.

Sexto, *ex aliis momentis quibus iterum hujus hæreseos ortus annotatur.*

AUCTORES omni exceptione majores, hæresim prædestinatianam ortum habuisse versus Cælestini Papæ tempora, non sine fundamento observant: igitur Prædestinatianorum hæresis non est ficticia. Probatur antecedens. Primo ex Hincmaro, qui in Epistola sua ad Nicolaum primum sic loquitur. " Ex veteri hæresi prædestinatiana, quæ primum in Africa & postea in Gallia per idem tempus quando & Nestoriana hæresis est exorta, & tempore Cœlestini Papæ, ipsius auctoritate & instinctu est revincta." Secundo Photius in sua Bibliotheca Codice 54. ait: " Post sancti Augustini mortem, cœperunt quidam in clero impium illud dogma asserere, male etiam loqui de S. Augustino, atque adeo conviciis incessere tanquam arbitrii libertatem tollendam docuisset. Verum Cœlestinus Pontifex Romanus de sancto viro, & contra eos qui hanc hæresim resuscitarent, ejus ore Episcopis scribens, errorem nuper revocatum cohibuit." Tertio, Auctor Prædestinatus de Pseudonimo libro, qui D. Augustino ascriptus est, ita loquitur. " Tandem aliquando ad manus nostras pervenit liber, qui Augustini mentitur titulo, cum se hæreticum ostendit in textu. Hunc librum sibi aliquando oblatum summus Pontifex Cœlestinus ita execrationi habuit, ut eum perpetuo damnare juberet silentio.

Septimo, *ex ratione.*

ILLA HÆRESIS non est ficticia, quæ impugnata est a multis Patribus, quæ fuit proscripta a Conciliis, quæ turbavit pacem Ecclesiæ, quæ refertur a gravissimis auctoribus, quæque revixit in modernis hæreticis: atqui talis est hæresis prædestinatiana. Siquidem constat ex dictis impugnatam fuisse a Patribus, a Conciliis &c. ergo non est ficticia & phantastica.

Respondetur ad objectiones.

Objicies. Nullus auctor meminit hæresis Prædestinatianorum temporibus S. Pauli & Origenis: igitur frustra laudantur ambo & commemorantur in probationibus, pro existentia talis hæresis.

Respondeo distinguendo; nullus auctor mentionem facit de hæresi Prædestinatianorum circa tempora Pauli & Origenis, quoad nomen concedo: quoad realitatem, nego. Testis est Apostolus in probatione laudatus, qui propugnat electionem gratuitam contra eos, qui ex ea inferebant liberi arbitrii extinctionem. Testis & Origenes, qui multos ex illo Apostoli loco *quos præscivit & prædestinavit*, non esse in hominis potestate ut salvus fieret, concludisse commemorat. Testes omnes Patres qui contra fatum Ethnicum

scripsere, ut Irenæus, Augustinus & alii. Quid plura? Omnes primorum sæculorum Patres habemus accusantes tum Gentiles, tum Manichæos de errore fati, ex quo sumpsit exordium hæresis prædestinatiana. Et vero quidam a nomine fati declinantes, subtilius dixere verbis paululum remissioribus, non esse in homine liberum arbitrium, nec in eodem potestatem seipsum salvandi, non quidem ex vi cogente siderum, sed ex præscientia & ordinatione Dei, alios ad mortem, alios vero ad vitam compellentis. Hinc ista opinio non fatum, sed mutuando nomen a præscientia præordinante, dicta est prædestinatiana. Nonne decursu temporum multi ita de præscientia Dei sensere & fatum aliis quidem mediis, sed tamen vere propugnare fategerunt?

Respondeo 2. aliter distinguendo, nullus auctor meminit hæresis Prædestinatianorum versus Pauli & Origenis tempora, eo quod nondum fuerat sub tali nomine proscripta, concedo: eo quod nullus invalesceret error tum circa liberum arbitrium, tum circa præscientiam Dei, nego: Et vero unde Origenes, unde Augustinus, unde Anselmus & alii sancti Doctores in componenda libertate cum præscientia tam insudarunt, nisi ut duplicem errorem, alterum ex fato ethnico, alterum ex Pelagio naturæ supra modum indulgente, devitandum pro virili docerent esse.

Instabis. Si fuisset hæresis Prædestinatianorum, maxime quinto sæculo. Atqui nulla fuit tali tempore. Et probatur: Si ejusmodi hæresis apparuisset quinto sæculo, de illa mentionem faceret Augustinus; siquidem observavit in libro de hæresibus alias antiquiores. Atqui nullam de ea facit mentionem, ergo, &c.

Respondeo negando minorem; ad probationem, distinguo majorem. Si hæresis talis extitisset quinto sæculo mentionem implicitam de ea faceret Augustinus, concedo: explicitam, subdistinguo. Si habuisset Duces & Defensores validos, concedo: sin minus; nego. Mentionem implicitam facit sanctus Doctor; siquidem refert, ut dictum est, Monasterium Adrumetinum turbatum fuisse, occasione earum rerum, quæ scripserat & de efficacia gratiæ & de electione secundum propositum, ita ut quidam inferrent perimi liberum arbitrium, inutilemque esse correptionem, quia vero bona fide, & omni semota pertinacia, suum prodebant sensum, instructione quidem opus habebant, sed ab hæresi erant immunes, propter duo. Primo, quia sua dogmata non propugnabant pertinaciter. Secundo, quia Ecclesia nihil adhuc expresse determinaverat circa istud momentum; & ideo Augustinus charitate fragrans, hæreseos labem eorum dogmati inurere noluit. Cæterum Philastrius Brixiensis l. de hæresibus, hæresi 67. expresse docet hæresim Prædestinatianorum exortam fuisse ante Augustini & Monachorum Adrumetinorum tempora, videlicet occasione loci Apostoli de induratione Pharaonis, *Rom.* 9.

Urgebis iterum. Ideo asseritur hæresim Prædestinatianorum apparuisse circa Augustini tempora, & quidem cum majori strepitu & expressius quam prioribus sæculis, quia Augustinus scripsit librum alterum de gratia & libero arbitrio, alterum de correptione & gratia contra errorem Monachorum Adrumetinorum: atqui hoc non est verisimile, & probatur. Primo, quia ipse Augustinus l. 2. retrac. c. 66. testatur librum de gratia & libero arbitrio scripsisse contra eos qui ut salvarent liberum arbitrium, negabant gratiam, scilicet Pelagianos. 2. Monachi Adrumetini Catholice sentiebant de gratia. Sic enim Valentinus Præsul in Epistola ad S. Augustinum de fidei puritate suorum Monachorum scribit: *Servi tui Flori hæc fides est Pater, non sicut fratres illi sunt locuti; impræsentiarum audierunt ab eo dictum, non juxta merita nostra dari donum pietatis, sed per gratiam Redemptoris.*

Respondeo. Negando minorem: ad probationem distinguo. Augustinus scripsit librum alterum de gratia & libero arbitrio, alterum de correptione & gratia contra Pelagianos; & simul contra errorem Monachorum, concedo: nullo modo scripsit contra errorem Monachorum, nego. Contra Pelagianos quidem, qui ut salvarent liberum arbitrium, negabant gratiam, scripsit primario librum de gratia & libero arbitrio, sed secundario ad instructionem Monachorum. Scripsit vero librum de correptione & gratia directe contra errorem Monachorum, qui ex efficacia gratiæ inferebant correptionem esse inutilem. Sic enim loquitur l. 2. retr. c. 66. *Propter eos, qui cum defendi-*

fenditur Dei gratia putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negant Dei gratiam, asserentes eam secundum merita nostra dari; scripsi librum cui titulus est de gratia & libero arbitrio; ad eos autem scripsi Monachos Adrumetinos in quorum Monasterio de hac re cœperat contentio.

Ad alteram probationem distinguo. Fides aliquorum Monachorum erat pura, concedo: omnium, nego. Divisum quippe in duas partes Monasterium erat, alii enim bene sentiebant de gratia Christi, ut Valentinus Præsul & Florus: alii in pravum sensum doctrinam Augustini detorquentes, pravas contra libertatem eruebant consequentias, ut Felix & Crescentius; quia vero magna erat, ut ipse fatetur Augustinus, inter illos contentio, quid mirum, si multi Catholice de gratia opinabantur, quidam contra perverse, defectu scilicet aut sagacitatis animi, aut etiam humilitatis & pietatis?

Oppones 2. Præses Maguinius & alii non pauci dogmata Prædestinatianorum tanquam mere conficta habent, nec aliud quam objectiones Gallorum adversus S. Augustini de efficacitate gratiæ doctrinam præ se ferre propugnant. Et vero Massilienses, ut referunt SS. Prosper & Hilarius in suis ad B. Augustinum Epistolis, objiciebant sancto Præsuli gratiam pro ut ab illo propugnatam liberum prorsus adimere arbitrium, immo & quoddam fatum prorsus horrendum in vitam inducere humanam. Igitur hæresis prædestinatiana est merum commentum.

Respondeo 1. retorquendo argumentum. Ergo quia hæc & similia Massilienses objiciebant Augustino, jam prædestinatiana extabat hæresis, quandoquidem istas objectiones, seu potius improperia a Prædestinatianis eo sane mutuati sunt scopo, ut exosam omnibus redderent tanti Doctoris de efficacia gratiæ doctrinam, sicque unico veluti ictu seu impetu Augustinum prosternere confidebant; nimirum ostendendo ipsius de gratia opiniones, esse hæreticorum profliganda & abominanda dogmata.

Respondeo 2. distinguendo: Dogmata Prædestinatianis affixa sunt objectiones Gallorum, simul & Prædestinatianorum errores, concedo: & non sunt, nego. Massilienses ut paucis efficaciam gratiæ, ejusque ad initium fidei necessitatem explod✓rent, ex ea liberi arbitrii subsequi interitum prædicabant, nec in hac sola sistebant calumnia, verum etiam ex gratia præveniente & efficaci prædestinationem necessitantem, aliosque Prædestinatianorum nævos inferre non dubitabant*. Et vero Augustinus librum de gratia & libero arbitrio non scripsit adversus Semipelagianos, siquidem nondum suos promebant errores, nec a fortiori librum de correptione & gratia, non enim gratiam per se efficacem, sed solum indifferentem & naturæ pedissequam admittebant; unde nec ex gratia inferebant inutilem esse correptionem. Superest igitur B. Augustinum scripsisse librum istum pro instructione Monachorum Adrumetinorum, adeoque contra Prædestinatianorum errores, quos jam aut propugnare, aut saltem prædicare tentabant.

Objicies 3. SS. Hilarius & Prosper hæresim Prædestinatianorum nusquam impugnarunt, sed solummodo Gallorum objectiones, ut vindicarent B. Augustinum a variis calumniis, immo altum est apud eos de illo momento silentium. Sed si ejusmodi extitisset hæresis, de ea profecto sermonem instituissent sancti Præsules, ostendendo improperia Augustino facta, ex hæreticorum officina prodiisse, ut exosa ejus redderetur de gratia doctrina: ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem. Hilarius & Prosper hæresim Predestinatianorum non impugnarunt, immediate & directe concedo: mediate & indirecte, nego. Dictum est errorem Prædestinatianorum usque ad Augustini tempora non fuisse proscriptum ab Ecclesia tanquam specialem hæresim, eo quod Duces alicujus nominis & defensores non haberet, sed partim ex dubiis illiteratorum, partim ex contentione & dissidio aliorum, partim etiam ex multorum obmurmuratione nascens, paulatim sed sine strepitu serpebat in mundo. At vero hæresis Semipelagiana graves habebat Duces, Episcopos scilicet & Abbates omni exceptione majores; hinc non mirum, si toti incumbere visi sint Hilarius & Prosper, in refutandis eorum objectionibus, ut a nævis defenderent S. Augustini doctri-

nam de efficacia gratiæ ; quamobrem omissis opinionibus virorum obscuri nominis, quales tunc erant Prædestinatiani, solummodo de objectionibus Gallorum solvendis satagebant, de hoc momento potissimum loquebantur. At probando objectiones Massiliensium non sequi ad doctrinam B. Augustini, simul refellebant Prædestinatianorum dogmata, quippe quæ erant conclusiones, quas male inferebant Semipelagiani ex principiis Augustini de gratia efficaci. Propter has & similes rationes, SS. Hilarius & Prosper non petierunt a B. Augustino contra Prædestinatianos auxilium, siquidem nulli litterati, saltem palam & scriptis defendebant eorum hæresim ; bene vero contra Semipelagianos.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Extiterunt Prædestinatiani, & hæresis Prædestinatiana non est commentum.

Primo. Hoc indigitare videtur Apostolus Rom. 9. impugnat enim errorem quorumdam qui fatum in actiones humanas inducebant. *Dicis itaque mihi, voluntati ejus quis resistit?*

Secundo. Permulti Patres hanc denotant hæresim. In primis Origenes l. 3. Periarchon. Aug. Epist. 46.

Tertio. Hoc ipsum sufficienter declarant Concilium Arausicanum 2. Can. 25. Arelatense, Carisiacum. His accedunt gravissimi auctores, nimirum Hincmarus Epist. ad Nicolaum primum. Evodius Ticinensis Episcopus l. 2. Epist. 19. ad Constantium, &c.

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD OBJECTIONES.

Primo. NON diffitemur auctores expressam non fecisse mentionem de hæresi Prædestinatianorum tempore Origenis, immo nec Augustini, quæ licet concepta nondum tamen erat declarata ; quippe quæ apertos non haberet Duces: attamen nedum in mentibus, sed & in collationibus, ut ex dissidio Monachorum Adrumetinorum liquet, serpere incipiebat.

Secundo. Non desunt quidem qui asserant dogmata Prædestinatianorum, esse Massiliensium improperia adversus Augustinum: verum unde objectiones Gallorum ortum ducebant, nisi ab hæresi prædestinatiana ? Isti enim ut doctrinam B. Aug. exosam redderent, eam Prædestinatianorum dogmata complecti per fas & nefas contendebant,

---

SECTIO SECUNDA.

An Lucidus Presbyter quinto sæculo adhæserit Prædestinatianis.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multipliciter.

PRIMO. Ex Historicis in articulo præcedenti relatis, ita Baronius, Sigebertus, & ex recentioribus Sirmondus, Pater Alexander & alii.

Secundo. Ex Epistola Fausti Regiensis Episcopi ad Lucidum, in qua sex capita proponit illi damnanda, quæ errores Prædestinatianorum, de quibus supra, complectuntur: quæ quidem Epistola a Concilio Arelatensi approbata est : namque Leontius, qui huic præsidebat Concilio, istam mandaverat Fausto provinciam, ut si fieri posset, ad meliora revocaret errantem.

Tertio. Ex libello ipsius Lucidi ad Epistolam Fausti sic respondentis. " Proinde „ juxta prædicandi recentia statuta Con„ cilii, damno vobiscum sensum illum, „ qui dicit, humanæ obedientiæ laborem „ divinæ gratiæ non esse jungendum ; qui „ dicit, post primi hominis lapsum ex „ toto arbitrium voluntatis extinctum ; „ qui dicit, quod Christus Dominus & „ Salvator noster, mortem non pro om„ nium salute susceperit; qui dicit, quod „ præscientia Dei hominem violenter „ compellat ad mortem ; vel quod Dei „ pereant voluntate, qui pereunt ; qui „ dicit, quod post acceptum legitime ba„ ptismum, in Adam moriatur quicunque „ deliquerit ; qui dicit, alios deputatos „ ad mortem, alios ad vitam præde„ stinatos. „ Observes velim benevole lector, Faustum in præfatione librorum ad Leontium Arelatensem Episcopum, testari

testari istam errores Lucidi confutandi accepisse provinciam.

Quarto. Ex Conciliis. Arelatense tertium & Lugdunense testimonium perhibent veritati, nedum enim Lucidi proscripserunt errores, verum etiam Patres Synodici tum suffragiis tum subscriptionibus approbant Fausti Epistolam qua Lucido minatur anathema, nisi citius suos ejuret errores. De his Synodis mentionem faciunt Baronius ad annum Christi 490. num. 16. 17. 33. &c. Sigebertus & alii tam veteres quam recentiores historici, unde fieri non potest, esse, ut quidam autumant, purum commentum. Igitur Lucidus adhæsit Prædestinatianis. Sic utique propugnat Binius in suis ad Concilium Arelatense & Lugdunense observationibus.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES. Dicta in probationibus sunt commenta Fausti Semipelagiani. Et ideo nulla fide digna. Igitur Lucidus non adhæsit Prædestinatianis.

Respondeo 1. Hominem posse deficere in uno, & bene agere in altero. Photius licet Schismaticus, & Sozomenus tametsi hæreticus, pro multis tamen Historiæ momentis audiuntur & ponderant, quidni & Faustus licet Semipelagianus audietur contra Prædestinatianos, maxime cum motivo fidei eos in ore haberet, tum quia hanc susceperat a Leontio provinciam refutandi Lucidum? Præter auctores supra laudatos in probationibus, Malderus antisynodi c. 1. docet Dordracenam Synodum convenire in dogmatibus de libero arbitrio cum Prædestinatianis proscriptis, sic enim loquitur de Capitulis Dordracenis: *De primo quod est de ipsa prædestinatione & reprobatione, reperimus in Epistola Fausti ad Lucidum, approbante toto Concilio Arelatensi tertio tanquam Catholica Fidei Canones ejusmodi, anathema illi, qui per Dei præscientiam in mortem deprimi hominem dixerit, &c.*

Respondeo 2. Epistolam Fausti, qua compulit Lucidum suos ejurare errores, ut in antiquis Codicibus legitur, munitam esse subscriptione non solum Fausti, sed & aliorum Galliæ Episcoporum in pietate & eruditione nulli secundorum, scilicet Auxonii, Pauli, Eutropii, Pragmatii, Patientis, Euphrongi, Megetis, Claudii, Lucadii, & Juliani. Addo quod Semipelagianismum nondum erat ab Ecclesia damnatum quum scripsit Faustus contra Prædestinatianos, unde perperam objicitur eum fuisse Semipelagianum ad declinandum ipsius auctoritatem contra Lucidum, maxime vero cum ipse Lucidus in sua retractatione fateatur se male sensisse de libero arbitrio propter præscientiam Dei quam conciliare cum libertate humana non posse, asserebat.

Instabis. Henricus Canisius dicit Episcoporum subscriptionem non inveniri in Epistola Lucidi in manuscripto codice ex Bibliotheca Monasterii sancti Galli, igitur ruit ultima responsio.

Respondeo R. P. Morinus Faustum primo misisse suam Epistolam propria solum manu subscriptam ad Lucidum, remissam vero postea fuisse ad Episcopos supra laudatos, qui quidem in Concilio adunati, ut multa alia pertractarent negotia, eidem subscripserunt; unde non mirum si in quibusdam codicibus Epistola appareat sola Fausti & Lucidi manu subscripta, in aliis vero qui eam cum actibus Concilii referunt, omnium Episcoporum subscriptione munita affulgeat illa eadem Epistola. Et sic præclare admodum absque negotio omnes omnino conciliantur codices.

Respondeo 1. Fidem non esse adhibendam codici S. Galli, siquidem apparet corruptus, quippe qui non referat subscriptionem Fausti in suo loco, namque multas alias materiæ discretæ quæstiones exponit, antequam de subscriptione faciat mentionem.

Rursus instabis. Plurima reperiuntur in Epistola Fausti, & in libello Lucidi in quo suos ejurat errores, fidei prorsus contraria, igitur fides non est adhibenda Epistolæ Fausti & libello Lucidi. Igitur Lucidum adhæsisse Prædestinatianis commentum est: probatur antecedens; in Epistola Fausti hæc habentur: *Anathema illi qui hominem cum fideli confessione solemniter baptizatum, & asserentem Catholicam fidem, postmodum per diversa hujusmodi oblectamenta lapsum in Adam & originale peccatum fuisse asseruerit*. Propositio autem contraria eaque catholica est, qui post baptismum labitur, periit in Adam & per originale peccatum, quatenus per peccatum

catum actuale renovat Adæ peccatum. Istud vero legitur in libello Lucidi *damno sensum illum qui dicit ab Adam usque ad Christum, nullos ex gentibus per primam Dei gratiam, idest, per legem naturæ, in adventum Christi fuisse salvatos, eo quod liberum arbitrium in primo homine perdiderint.*) Ex quo quidam concludunt Lucidum per legem naturæ intelligere naturæ vires, adeoque ipsum in hoc adhærere Pelagianis: deinde vero liberum arbitrium per peccatum Adæ totaliter extinctum esse indigitare: sed istæ duæ propositiones manifestam involvunt contradictionem: igitur non sunt in Epistola Fausti convenientia adversus Lucidum testimonia.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo minorem. Propositiones sunt erroneæ in sensu extraneo concedo: in sensu proprio, nego. Sensus connaturalis anathematis quod invenitur in Epistola Fausti idem est ac iste Canonis 17. Sess. 6. Concilii Tridentini: (*Si quis iustificationis gratiam nonnisi Prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, anathema sit.*) Et vere, homo post baptismum lapsus in peccatum mortale, non periit propter peccatum originale, siquidem remissum fuit in baptismo, sed propter peccatum actuale & personale, de quo non egit pœnitentiam.

Quoad Lucidum, dico intelligere per legem naturæ gratiam datam ante adventum quidem Christi, sed tamen ex meritis Christi prævisis concessam; ita colligitur ex verbis ejusdem libri infra: (*Per rationem & ordinem sæculorum alios lege gratiæ, alios lege Moisis, alios lege naturæ quam Deus in omnibus cordibus scripsit in spe adventus Christi fuisse salvatos. Tamen ab initio mundi ab originali nexu, nisi intercessione sacri Sanguinis non absolutos.*) Ad aliud innuit Lucidus liberum hominis arbitrium in Adamo deperditum, distinguo, & hoc intelligit solummodo quoad perfectionem, sed non quoad entitatem. Ita utique censet Augustinus, & merito; siquidem primus homo per lapsum amisit facilitatem ad eligendum & faciendum bonum, qua gaudebat antea in statu innocentiæ.

Urgebis adhuc. Concilia de quibus supra, nimirum Arelatense & Lugdunense, suspecta sunt & incerta, quandoquidem nullus de his meminit ante Hincmarum. Ergo negotium damnationis Lucidi propter hæresim Prædestinatianorum, nulla certa fide constare potest. Igitur a primo ad ultimum manet, quæ dicuntur contra Lucidum esse conficta.

Respondeo. Epistolam Fausti ad Leontium, a quo acceperat provinciam refutandi errores Lucidi, fidem facere sufficientem; & vero, quomodo Faustus, vir alias sanctitate insignis, ut refert Andreas Dusaussay quarto Calendas Octobris; de illo enim dicit quod sancto fine quievèrit, quod multis doctrinæ & piæ conversationis titulis sit gloriosus, quod Ecclesia Rejensis ex antiquo more cultu sanctitatis eum veneretur. Quomodo, inquam, vir tot numeris absolutus imposuisset Galliæ Episcopis, qui adhuc superstites, non ignorabant quid actitatum fuerat in utroque Concilio contra Prædestinatianos adunato? Quomodo tales Episcopi, quorum laus in ore versatur Historicorum, maxime Baronii, qui ad annum Christi 490. num. 17. & seq. multa refert de eorum & pietate & eruditione, tantum passi fuissent serpere in Galliarum Provinciis commentum?

Quinimmo, propter veteres & novas maxime Prædestinatianorum de die in diem grassantes hæreses Leontius, ita refert Pater Alex. dissert. 5. ad sec. 5. quotannis Synodum congregabat ex Hilarii summi Pontificis decreto, & tamen nullus auctor, saltem illorum temporum, meminit istius momenti, ergone propter aliquorum silentium res falsa?

Respondeo 1. Baronium, Sirmondum & alios permultos, ut Malderum in Antisynod. c. 1. Alvarez de Origine hæresis Pelagianæ c. 23. & 24. mentionem facere de Conciliis allatis, cæterum celebrata sunt in urbibus celeberrimis, unde neminem latere potuerunt. Si igitur Faustus in hoc illusisset publico, multi profecto statim contra ipsum insurrexissent: quod cum factum fuisse non legatur, stat veritas Conciliorum & condemnationis Lucidi propter errorem Prædestinatianorum. Igitur Lucidus adhæsit Prædestinatianis.

Persistes. Fausti libri erroribus Semipelagianorum scatentes apparent; immo approbati sunt a Patribus Concilii Arelatensis,

tensis, quod patet ex Epistola Fausti ad Leontium. (*In quo quidem opusculo*, inquit, *post Arelatensis Concilii subscriptionem, novis erroribus deprehensis, adjici aliqua Synodus Lugdunensis exegit.*) Sed Epistola erroribus plena, & Concilia illam approbantia, nullius sunt ponderis, igitur non patet ex his momentis Lucidum adhæsisse Prædestinatianis: maxime vero cum præcipua hujus assertionis fundamenta, Epistola scilicet Fausti, Concilium Arelatense & Lugdunense, nulla fide sint digna.

Respondeo 1. Dato & non concesso quod Faustus Semipelagianismum in suis libris caute & subtiliter sparserit, immo quod & Patres tum Arelatenses, tum Lugdunenses approbaverint ipsius opera, hoc ipsum probaret Lucidum reum fuisse hæreseos Prædestinatianorum, quandoquidem Semipelagiani illam tanquam liberi arbitrii destructricem fortiter impugnabant. Addo iterum tunc temporis Semipelagianismum nondum fuisse ab Ecclesia proscriptum. Et ideo ipsius defensores dignos esse, quibus fides adhibeatur contra Prædestinatianos. Præterea nullus potest cum fundamento asserere Patres Arelatenses & Lugdunenses aliquem edidisse Canonem pro Semipelagianismo, nullus probabit eos proposuisse ac definivisse tanquam fidei regulam, initium bonorum operum, maxime fidei esse a viribus naturæ. Igitur auctoritas utriusque Concilii in toto suo robore manet contra Lucidum.

Respondeo 2. Negando Patres Arelatenses approbasse libros Fausti, quandoquidem Concilii subscriptio de qua mentionem fecit Faustus, spectat tantum ipsius Epistolam ad Lucidum directam, quod patet ex Epistola ejusdem Fausti ad Leontium, in qua sic loquitur: " Quod „ pro sollicitudine pastorali, beate Papa „ Leonti, in condemnando Prædestinationis errore Concilium summorum „ Antistitum congregastis, universis Galliarum Ecclesiis præstitistis. Quod vero ad ordinanda ea quæ collatione „ publica doctissime protulistis, operam „ infirmis humeris, curamque mandastis, „ parum, ut reor, tanto negotio, parum sanctæ existimationi tuæ vestræ „ consuluistis. „ Ex quo sequitur Faustum libros suos tum de gratia, tum de libero arbitrio post Synodum Arelatensem in lucem protulisse, sic enim exigebat Leontius; & ideo ejusmodi libros subscriptione Concilii munitos fuisse, nulla sufficienti probatione constat.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Lucidus adhæsit Prædestinatianis.

Primo. Hoc patet ex Epistola Fausti Regiensis Episcopi ad ipsum Lucidum.

Secundo. Ex libello ejusdem Lucidi ad Faustum.

Tertio. Idipsum testantur Concilium Arelatense tertium & Lugdunense, Baronius & alii.

SYNOPSIS OBJECTIONUM.

Primo. Perperam quidem autumant commenta esse, ea quæ dicuntur de Lucido a Fausto, licet enim foret tunc Semipelagianus, potest verissima referre, maxime cum Semipelagiani odio haberent Prædestinatianos.

Secundo. Non negamus Epistolam Lucidi fidei expressivam, primum a solo tantum Fausto subscriptam, verum postea a cæteris Episcopis subsignatam dicimus: unde diversa fuere exemplaria, quidni & diversi codices?

Tertio. Suspecta sunt Concilia Arelatense & Lugdunense: ergo, &c.

Respondeo negando; gravissimi enim viri, ut Baronius & alii mentionem expressam de his faciunt.

SECTIO TERTIA.

Utrum Gotescalcus adhæserit Prædestinatianis nono sæculo.

GOTESCALCUS natione Germanus, & secundum quosdam Italus, professione Monachus Abbatiæ Orbacensis in Diœcesi Suessionensi, mente ferinus, quietis impatiens, ut refert Flodoardus l. 3. Hist. Rhem. c. 14. doctrinæ S. Augustini studuit. Familiaris erat cum Valfrido Abbate Monasterii Augier divitis, & cum Lupo Ferrariensi etiam Abba-

Abbate, ut patet ex Epistola tertia ejusdem Lupi ad ipsum Gotescalcum, qui quidem a Riggoldo Rhemensium Corepiscopo contra regulas ordinatus est Presbyter anno 847. & hoc absque licentia Rothadi Suessionum Episcopi. Postea peregrinationis fucatæ devotionis motivo e Monasterio nullis munitus obedientiæ litteris egrediens, Romam primo venit, deinde per omnia divagans loca specie larvata Verbum Dei Barbaris prædicandi, exitiosos Prædestinatianorum errores in Germania disseminavit. Rabanus de hoc certior factus opusculum contra illum conscripsit, quem & in Moguntina Synodo damnavit. Sed in hæresi pertinacem comperiens, remisit ad Hincmarum ipsius Metropolitanum, qui correptum in carcerem detrudi curavit, ne in posterum alicui fieret petra scandali & offensionis; ita Baronius ad annum Christi 848. & alii complures tum Historici, tum Theologi. Quidam tamen Gotescalcum ab errore purgare satagunt. Quibus & lubenti animo subscriberemus, si salvo veritatis jure numquam aut prætermittendo, aut offendendo fieri posset.

CONCLUSIO.

Gotescalcus Prædestinatianorum errorem nono sæculo renovavit.

Probatur unico sed efficaci argumento.

HÆRESIS Prædestinatianorum in hoc potissimum consistit; quod statuat quosdam necessario destinatos esse ad vitam, quosdam vero ad mortem & damnationem, quod etiam Christus mortuus sit tantum pro electis: atqui utrumque errorem tenuit, scripsit & prædicavit Gotescalcus, igitur renovavit Prædestinatianorum errores. Minor in qua solum est difficultas probatur multis momentis.

Primo. Ex Rabano quem Trithemius vocat *virum in divinis Litteris eruditissimum, cui nec Italia similem, nec Germania peperit æqualem*. Rabanus igitur scribens ad Heberardum Comitem, rogat ut non patiatur Gotescalcum apud se vel in territorio suo commorari, monens pravos disseminare errores; de eo enim sic scribit: *Quemdam Gotescalcum hac dicere, quasi Deus prædestinatione sua cogat homines interire*. Idem patet in Epistola sua ad Hincmarum a Patre Sirmondo edita pag. 26. de eodem sic scribit: *Bonum mihi videtur, si vobis placet, quod supra memorato hæretico, nulla detur occasio atque licentia scribendi, atque cum aliquo disputandi, antequam, si possibile sit, ejus mens & sensus ad Catholicam redeat doctrinam*. Certe non ex alia hæresi insimulatur Rabanus Gotescalcum, quam de Prædestinatiana, quem utique paterno adhortatur affectu, ut desinat perdere animas.

Secundo. Ex Hincmaro qui in Epistola sua ad Nicolaum primum summum Pontificem, dicit hunc Monachum ejectum ex Italia, fugisse in Dalmatiam; peragrasse Pannoniam, Norvejam: & ubique suos sub nomine Prædestinationis seminasse errores.

Tertio. Ex Concilio Moguntino in quo, præsidente Rabano, proscriptus est Gotescalcus propter prædictos Prædestinationis errores, sic enim habet Epistola Synodalis a Rabano ad Hincmarum conscripta, tom. 3. Con. Gall. p. 66. " Notum sit, *inquit*, dilectioni vestræ quod „ quidam gyrovagus Monachus, nomine „ Gotescalco, qui se asserit Sacerdotem „ in vestra Parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, novas „ superstitiones, & noxiam doctrinam de „ Prædestinatione Dei introducens, & „ populos in errorem mittens: dicens: „ quod Prædestinatio Dei, sicut in bono sit, ita & in malo: & tales sint „ in hoc mundo quidam, qui propter „ Prædestinationem Dei, quæ eos cogat „ in mortem ire, non possint ab errore „ & peccato se corrigere: quasi Deus „ eos fecisset ab initio incorrigibiles esse, & pœnæ obnoxios in interitum ire. „ Hanc ergo opinionem nuper in Synodo „ apud Moguntiam habita, ab eo audientes, & incorrigibilem eum reperientes, „ annuente atque jubente piissimo Rege „ nostro Ludovico, decrevimus eum cum „ perniciosa sua doctrina damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis „ in vestra Parochia, unde primum inordinate decessit, & non sinatis eum amplius errorem docere, & seducere populum Christianum, quia jam multos, „ ut audivi, seductos habet.

Quarto. Ex Concilio Carisiaco qui hanc tulit sententiam contra Gotescalcum.

Præ-

Frater Gotescalce, Sacro-sanctum Sacerdotalis Mysterii officium, quod irregulariter usurpasti, & in cunctis majoribus ac pravis actibus, atque perversis doctrinis ea hactenus abuti non pertimuisti, judicia Spiritus sancti, cujus gratia munus est Sacerdotale officium, per virtutem Sanguinis Domini nostri Jesu Christi noveris tibi esse, si quo modo suscepisti, sublatum ut ne ulterius eo fungi præsumas penitus interdictum, &c. Observes velim, damnari Gotescalcum propter perversas doctrinas, quænam sint, eadem Synodus declarat in quatuor Capitulis, in quibus proscribit dogmata Prædestinatianorum.

In primo quidem declarat Deum quidem præscivisse perituros, (sed non ut perirent, inquit, prædestinavit.)

In secundo, liberum arbitrium sanari per gratiam, & gratia præventum ad bonum quidem valere, ad malum vero si gratia destituatur.

In tertio, Deum velle omnes & singulos homines salvos fieri.

In quarto denique Christum pro singulis hominibus fudisse sanguinem.

Quinto. Nullos habuit Gotescalcus saltem certos & alicujus nominis defensores, & ex hoc momento quomodo fucum faciunt quidam, & præcipue novatores, dicendo veritatem oppressam in Gotescalco? Et vero non habuit summos Pontifices. Siquidem Nicolaus primus qui multa audierat de eo, & de ipsius in duobus Conciliis condemnatione, nihil movit pro ipsius apologia, & purgatione. Non Concilia, namque undecim celebrata sunt inter Carisiacum & Valentinum tertium, interque numeratur unum Romanum, & alterum Suessionense, quæ quidem veritatis patrocinia suscepissent, si in Gotescalco comperissent violatam veritatem & oppressam innocentiam. Immo ubique altum de Gotescalco silentium. Non ipsam Ecclesiam Lugdunensem, quæ si quid egit aut dixit in ejus favorem, inscia patrocinata est. Ut primum enim certior facta est de erroribus Monachi, vehementer eum reprehendit & objurgavit. Quod quidem momentum ex multis patere constat.

AMULO Lugdunensis Archiepiscopus in Epistola ad Gotescalcum pag. 42. ipsum sic alloquitur: " Septimo loco prorsus ,, duo gravia mala in tuis nobis moribus ,, plurimum displicuerunt. Unum quod ,, Sacerdotes Dei & Rectores Ecclesia- ,, rum tantis injuriis & conviciis & ma- ,, ledictis laceras, tanto despectu & con- ,, tumacia conculcas, utique spiritu erro- ,, ris & superbiæ miserabiliter deceptus, ,, ut omnino nihil Christianæ patientiæ, ,, nihil Christianæ reverentiæ habere vi- ,, dearis. Nam inter cætera, omnes qui ,, insaniæ sensuum tuorum zelo fidei resi- ,, stunt, hæreticos appellare non metuis, ,, eosque de bono & erudito viro, atque ,, Catholico Episcopo Rabaniticos nuncu- ,, pare præsumis.

Idem in eadem Epist. pag. 19. eum increpat quod male sentiat & loquatur de Prædestinatione. " Quarto loco displi- ,, cet nobis valde, quia tam dure & in- ,, disciplinate & immaniter de divina ,, Prædestinatione sentis & loqueris in ,, damnatione reproborum, ut omnes il- ,, los qui ad sinistram ponendi sunt in die ,, judicii, & cum diabolo atque Ange- ,, lis ejus pro malis meritis suis æterno ,, igne damnandi, ita sunt divinitus ad ,, interitum prædestinati, ut eorum pror- ,, sus nullus aliquando potuerit, nullus ,, possit salvus esse. Quod sentire & di- ,, cere, quid est aliud quam in Deum gra- ,, viter & horribiliter blasphemare? Sic ,, illis ejus Prædestinatio hanc necessita- ,, tem irrevocabiliter imposuit, ut omni- ,, no quod ad salutem suam proficeret ,, operari non possint.

Gotescalcus non habuit defensorem Lupum Servatum Moguntinum Presbyterum. Et vero licet nonnulli asserant libellum quemdam de tribus quæstionibus opera R. P. Sirmondi in lucem editum, composuisse pro defensione illius Monachi, tamen ad Ratramnum scribens conqueritur de Lupo ægre admodum ferens quod nullo modo sibi patrocinari videatur.

Nempe, inquit, *tribus horum studui proprium indere sensum,*
Marcando, Jona, atque Lupo rutilantibus ore,
Poscens obnixe satagant, ut vera referrent,
Nemo sed excepto quid adhuc mihi reddidit uno,
Qui cum sit cautus simul & castus, est moderatus,
Sic jam terna sui librans responsa libelli,

Ut

Ut dempto neutri pleno discrimine parti Congruat.

Igitur, Ex Gotefcalco Lupus nulli parti adhæret. Sed addo Lupum scripsisse directe contra errorem Prædestinatianorum, sic enim sequitur q. 3. pag. 54. " Verum hoc quidam velut blasphemum exe-
„ erantur & damnant, quod derogetur
„ plurimum Redemptori, nisi genera-
„ liter omnes homines redemerit. Nos
„ autem salva fide, hoc est quod suo San-
„ guine Deus redemerit omnes quos vo-
„ luerit, & nulli sint redempti, nisi quos
„ ille redemerit, ita caussam in medio
„ relinquimus, ut si quilibet eundem San-
„ guinem Redemptoris prodesse aliquid
„ jam perditis valeant demonstrare, non
„ solum resistamus nihil, verum etiam li-
„ benter in eorum sententiam transea-
„ mus... Verum ne me irridendum, &
„ respuendum pronuntient quibus placet
„ omnes, sive bonos, sive malos indiffe-
„ renter a Christo redemptos, ponam
„ unum quod eum eis faciat testimonium,
„ & eos omnes ut opinor in gratiam re-
„ duxero. Joannes Constantinopolitanus
„ doctrina & sanctitate insignis Episcopus,
„ illud Apostoli, ut gratia Dei pro omnibus
„ gustaverit mortem: non pro fidelibus
„ tantum, sed pro mundo universo. Et
„ ipse quidem pro omnibus mortuus est.
„ Quid autem si non omnes credunt? il-
„ le quod suum erat implevit.

Sexto. Ex Theologis, Alvares de origine Pelag. hær. c. 30. docet Gotescalcum impegisse in errorem Prædest. idem scribunt Duvallius in Notis ad lib. Eccl. Lug. contra Scotum, Gonetus, Pater Alexander, & alii permulti.

Septimo. Ex Historicis, idem referunt Annales Fuldenses ad ann. 848. & Bertiniani, Aventinus ann. 54. Trithemius l. 3. vitæ Rabani, Flodoardus, Sigebertus, Baronius, Gravina, Ederus; hoc ipsum Usserius Calvinista Hist. Goth. pag. 45. fatetur.

Jam in forma breviter sic procedo. Ille docuit Prædestinatianorum dogmata qui de hoc non semel ab Episcopis reprehensus, immo & per nonnullos emendatus & exauctoratus est, sententia adversus ipsum in Conciliis lata, atqui liquet ex probationibus rem sic se habere. Ergo, &c.

Fit satis Objectionibus.

Objicies 1. Nulla apparent Concilii Moguntini acta. Igitur non potest colligi ex hoc momento Gotescalcum fuisse tanquam Prædestinatianum in hac Synodo damnatum. Tum quia fuit solum conventus quorumdam Episcoporum ad placitum Regis, adeoque pro materia fidei non ponderans, tum quia etiam Flodoardus & alii non dicunt Gotescalcum in hoc conventu damnatum, sed solummodo repulsum, tum quia denique nemo potest esse simul judex & pars: Rabanus autem utroque fungebatur munere in hoc negotio.

Respondeo ad primum. Distinguo, acta Concilii Moguntini non apparent in particulari, concedo: in Epistola Synodali Rabani ad Hincmarum, nego. Quando negotium aliquod summatim & compendiose pertractant Concilia Provincialia, non exprimitur causa in specialibus actibus, maxime vero si in alio authentico instrumento inscribantur: cum igitur Gotescalcus prima vice in judicium vocatus est, & statim fuerit convictus, non opus fuit processum fusioribus in actibus, quam in Epistola Synodica exprimere, maxime vero quum reus aliquis remittitur ad judicem connaturalem, sicut de facto remissus est a Patribus Moguntinis Gotescalcus ad Hincmarum Provinciæ Rhemensis Archipræsulem. Qua de causa magis dicitur repulsus quam damnatus, licet tamen revera fuerit proscriptus. Sunt innumera ejusmodi Conciliorum exempla, ut in primo Carisiaco & aliis permultis, quorum acta non apparent in tomis Conciliorum Typographiæ Regiæ.

Ad secundum distinguo, & mos fuit perantiquus ut Reges convocare possint sui Regni Episcopos, vel pro Disciplina Ecclesiastica restauranda, vel etiam ad hæreses nascentes comprimendas; quandoquidem heterodoxi pacem Ecclesiæ & Regni eodem ore & calamo conturbant, concedo: secus, nego. Omnes norunt quatuordecim Episcopos ad dedicandam Ecclesiam in Concilio Arausicano secundo adunatos, verba gratiæ afflante Spiritu sancto quasi divinitus & explicasse & definivisse. Præsules quippe pro rebus disciplinæ adunati, inde sumunt sem-

per

per argumentum explicandi & protegendi fidem quando opus est. Sane necesse erat, ut tam illustres Ecclesiæ Principes Moguntiam vocati a Rege Ludovico causam Gotescalci moverent, quandoquidem ut habetur in Carisiaco, negotia tum civilia, tum Ecclesiastica peregrinis Prædestinatianorum doctrinis turbabat.

Ad tertium distinguo. Gotescalcus fuit repulsus, quia remissus propter pertinaciam ad suum Metropolitanum, concedo: non fuit damnatus, nego; ita testatur Epistola Rabani, sic referunt Historici. Quasi vero non proscripsisset Rabanus doctrinam hæreticam in Germania grassantem, ut zizanias nascentes in agro Domini, si fieri posset, in ortu suffocaret.

Ad quartum distinguo, nemo potest esse judex & pars pro seipso, concedo: pro bono publico, nego. Omnis judex est pars contra reum, sed pars pro bono publico, ad ipsum spectat punire legum prævaricatores. Rabanus partes quidem egit contra Gotescalcum. Sed quas? non suas profecto, quippe qui nullam a Gotescalco receperat injuriam, sed partes Ecclesiæ, sed fidei læsæ per doctrinam perversam quam seminabat ille Monachus. Sicut igitur ad Pastorem pertinet arcere baculo lupos, ita ad Episcopos propulsare baculo censuræ hæresiarchas, ne corrumpant alios: quod ingemiscens Rabanus exprobravit Gotescalco, dicens eum multas animas jam tenere exitiosa doctrina captivas. De quo certum facit Hincmarum, ut ipsum provocet ad judicium plenum contra reum contumacem ferendum. Epist. Syn.

Opponet 2. In sententia rei noxii expressa sit de crimine capitali mentio, sed in sententia lata contra Gotescalcum a Concilio Carisiaco altum est de hæresi Prædestinatiana silentium, igitur non constat ex hoc momento Monachum illum istius hæreseos fuisse reum. Addit Præses Mauguinus, qui Gotescalci partes suscipit defendendas, sententiam ab Hincmaro qui in ore, inquit, habebat infelicem illum Monachum prodiisse. Concilii Carisiaci auctoritatem evacuare fatagit auctoritate Valentini, quod quidem de Carisiaco can. 4. sic loquitur. " Porro Capitula quatuor quæ a consilio fratrum „ nostrorum minus prospecte suscepta sunt, „ propter inutilitatem, vel etiam noxietatem & errorem contrarium veritati: „ sed & alia 19. syllogismis ineptissime „ conclusa ... in quibus commentum diaboli, potius quam argumentum aliquod „ fide deprehenditur, a pio auditu fidelium penitus explodimus. „

Respondeo distinguendo, non sit explicita mentio in sententia de errore Prædestinatianorum, concedo: de hæresi, nego: habetur enim & quidem expresse Gotescalcum propter perversas doctrinas damnari, non profecto de alia quam de Prædestinatiana hæresi quæstio movebatur, immo cum quatuor Canones Concilium Carisiacum contra talem condiderit errorem, non opus erat ut exprimeretur, aut nominaretur in sententia; qui quidem usus etiam nunc in Romana viget Ecclesia, quæ ut plurimum in sententiis contra hæreticos, nullam expressam de erroribus in particulari facit mentionem, sed tantummodo eos propter hæresis crimen damnat; tum quia in decursu processus non semel nominatur, & exprimitur error, qui est præcipuum controversiæ caput.

Ad aliud momentum, dico Præsidem Mauguinum videre causam Gotescalci deploratam, cum latam adversus eum sententiam, judicem videlicet Hincmarum variis insulsisque afficiendo contumeliis, declinare & a reo avertere fatagit. Et vero esto quod pro legibus Ecclesiasticis ad severitatem usque steterit Hincmarus, non inde sane malus, immo fidelis fuit Christi minister, qui verbo & exemplo præerat, forma gregis factus ex animo, addo, & Ecclesiasticæ disciplinæ acerrimus propugnator; quippe qui suam Diœcesim piissimis munierit & ordinaverit Sanctionibus. Quid plura? Patres Carisiaci, ipso teste Hincmaro l. de præd. c.2. pag. 22. pietate alias insignes, veritatem in Gotescalco & religionem vel deprimi, vel etiam penitus offendi, haud passi fuissent. Revera quidem aderant Concilio Vuenilo, & Hincmarus, ille Senonensium, hic Rhemorum Archiepiscopi: Episcopi vero complures, Fulconius Morinensium, Teudericus Cameracensium, Grothadus Suessionensium, Lupus Catalaunensium, Ragenarius Ambianensium, Immo Noviomagensium, Erpai-

Erpainus Sylvanectensium, Yrminfridus Belvacensium, Pardulus Laudunensium, Teutboldus Lingonensium, & Gernobrius Turonensi in Provincia Episcopus: Chorepiscopi quoque duo, Rigboldus & Witaus, ille Rhemorum, hic Cameracensium, & alii multi in scientia & morum integritate nulli secundi, inter quos eminebant Venilo postea Rothomagensium Archiepiscopus, Æneas atque Isaac deinde Parisiorum & Lingonensium Episcopi: & ipse Bavo Gotescalci Abbas. Qua, quæso, ratione patroni Gotescalci asserunt tantos viros cæco impetu consensisse condemnationi Monachi, alias obscuri & nullius ferme nominis, ut gratiam veluti exhiberent Hincmaro Præsuli cui resistere non auderent? Nunquid Bavo potuisset tuta conscientia silere, & suum non defendere religiosum, immo nec sui Ordinis consulere honori, ut blandiretur Hincmaro?

Ad Concilium Valentinum dictum est supra, ubi de voluntate Dei salvandi omnes, errore facti fuisse deceptum, cum exarsit contra Carisiacum: hinc Patres comperta veritate se retractasse leguntur in Concilio Tullensi.

Quoad syllogismos quos commentum diaboli vocat, dico non inveniri in actibus Concilii Carisiaci editionis regiæ. Creditur & tutius, ab aliquo additos post Concilium in codicibus, ut exosum redderet Hincmarum.

Instabis, Gotescalcus injuste fuit damnatus; igitur auctoritas Carisiaci nullius est ponderis. Probatur antecedens; nullus tanquam hæreticus damnatur, nisi contumax & errans; sed talis non fuit Gotescalcus, quandoquidem exhibuit varias fidei formulas. In breviori sic loquitur: *Cum istis electis Dei, Augustino scilicet & Hilario & Catholicis credo & confiteor, prout divinitus afflatus, &c.* Porro Ecclesia non judicat de internis, neminem certe umquam damnavit, quoties accusati professi sunt fidem. Ergo non potuit canonice damnari Gotescalcus ut hæreticus Prædestinatianus. Unde quidam asserere non dubitant Nicolaum primum propter hoc noluisse approbare Carisiacum Concilium.

Respondeo 1. Gotescalcum ita fuisse contumacem, ut teste Amulone, Rabaneticos hæreticos vocaret, cæteros qui ipsi assentiri nollent. Non desunt qui asserant usque ad mortem eum pertinaciter tenuisse Prædestinatianorum sententiam.

Respondeo 2. negando antecedens, ad probationem distinguo. Gotescalcus dixit idem credere cum electis Dei secundum suum sensum, concedo: secundum sensum sanctorum Patrum & ab Ecclesia intentum, nego. Monachus ille, ut mos est apud hæreticos, fucum faciebat catholice loquendo, ut declinaret condemnationem, sic Pelagius illusit Patres Palæstinos, Cœlestius Zosimum, Berengarius, teste Lantfranco, coram doctis catholice, hæretice vero coram simplicibus loquebatur. Quod autem sic egerit Gotescalcus, patet ex verbis Amulonis supra citatis in sua Epist. pag. 42. *Qui insania sensuum tuorum*, inquit Amulo, *zelo fidei resistunt, hæreticos appellare non metuis*.

Respondeo 3. aliter & iterum negando antecedens; ad probationem distinguo. Gotescalcus dicit credere idem cum electis quantum ad aliquid, concedo; quantum ad omnia, nego. Primo credidit prædestinationem ad peccatum & interitum, & in hoc jure merito damnatur de hæresi, cum hoc sit prædestinatianæ hæreseos palmare caput. Pro electis vero duo dicit Augustinus, qui salvantur, ideo salvantur, quia vult Deus efficaciter eos salvari misericorditer, deinde salvari per merita & bona opera libera. Primum concedebat Gotescalcus, teste Hincmaro l. de prædest. c. 14. & pro hac parte idem cum Augustino sentiebat, sed negabat opera esse libera, volebat prædestinationem imponere necessitatem, & consequenter quoddam inducere in actiones humanas fatum: pro isto momento sane hæreticus fuit, unde & juste proscriptus.

Ad replicam, ex auctoritate Nicolai desumptam, dico Statuta Provincialis Concilii obligare in provincia, ut primum promulgata sunt, maxime circa fidem, nisi summus Pontifex aliter definiat. Igitur Canones Carisiaci, contra Gotescalcum erant validi. Nicolaus intelligens Ecclesias Galliarum paululum divisas occasione Gotescalci, sua quidem approbatione non munivit Carisiacum, sed utique non improbavit; unde licet Canones non obligarent tunc pro tota Ecclesia, bene tamen pro provincia Rhemorum,

rum, & sane contra Gotescalcum, plenum obtinebant robur.

Insistes. Si Concilium Carisiacum damnasset legitime aliquam hæresim, Concilia consequentia, videlicet undecim quæ celebrata sunt a Carisiaco usque ad Valentinum tertium, maxime Romanum & Suessionense alterum, iterato anathemate proscripsissent talem hæresim. Hic enim fuit in Ecclesia usus laudabilis, ut Concilia vicina temporum alicujus Concilii congregati contra hæreticos, damnationem latam repeterent ad confirmandum in fide populum. Sic Concilium Chalcedonense iterato anathemate percellit Nestorium & suos, licet in Ephesino antea proscriptos. Sed nullum ex dictis Conciliis notam inurit dogmatibus Gotescalci: igitur non fuit legitime damnatus.

Respondeo distinguo, si illa Concilia fuissent Generalia, concedo: Si Provincialia, subdistinguo; si opus fuisset, concedo; si non opus fuisset, nego. Concilium œcumenicum est fidei regula infallibilis, & ideo attendit ad fidem universalem populi christiani, quocirca iterum atque iterum anathemate percutit hæreticos, ne populi titubent in fide, aut in moribus deficiant; sed provincialis Synodus non sic; namque ultra suam non obligat provinciam. Jam vero cum nulla erat in aliis provinciis de prædestinatione controversia, quid mirum, si sileant cuncta prædicta Concilia hæresim Prædestinatianorum? Cæterum, dictum est supra, Nicolaum primum etiam circa istud momentum nihil movere voluisse, donec & fieret appellatio & de rebus agitatis certior fieret. Quid plura? Gotescalcus non appellavit ad summum Pontificem: Igitur causa finita fuerat in Concilio Carisiaco.

Urgebis. Ecclesia Lugdunensis fide & antiquitate plurimum venerabilis defendit Gotescalcum in libro trium Epistol. siquidem ibi admittit prædestinationem ad mortem, immo & mortem Christi restringit ad electos; quæ duo sunt præcipua Prædestinatianorum dogmata. Igitur talis Ecclesia patrocinari videtur Gotescalco, qui adeo nec est damnandus, nec ut hæreticus habendus.

Quæstionem specialem de mente Ecclesiæ Lugdunensis circa prædestinationem instituemus in sectione sequenti, ubi ostendemus non impegisse in Prædestinatianorum errorem, impræsentiarum satisfaciendum est objectioni.

Respondeo negando Ecclesiam Lugdunensem favisse Gotescalco & ipsum ab errore purgasse, quinimmo, suspicata est semper eum male de prædestinatione sentire, ut probavimus supra auctoritate Amulonis; immo certior facta de ejus pravis opinionibus, non solum in nulla patrocinata est, verum etiam improbavit, rejecit, damnavit. Iterum juvat afferre Amulonis testimonium. Enimvero in Epistola sua ad Gotescalcum directa probat; " Primo, variis Scripturæ locis omnes baptizatos Sanguine Christi fuisse redemptos, deinde insurgit contra Prædestinatianos & ipsum Gotescalcum his verbis: Deus justo judicio suo prædestinat pœnas malis, prædestinat malos pœnis, nullum tamen prædestinat ut sit malus, quia non malorum, sed bonorum auctor est bonus. " Postea sic concludit ad meliorem frugem faciendam hortando Gotescalcum. " Quapropter, *inquit*, multum fraternitatem tuam hortor & moneo, & paterna pietate ac fraterna charitate persuadeo ut revertaris in temetipsum, convertaris ad cor tuum, & excutias procul a te istum errorem vanum, & laborem infructuosum, ac perniciosum, restituasque te sanctæ matri Ecclesiæ, excutias procul istum errorem; agnoscit igitur " Amulo Gotescalcum hæreticum.

Florus Ecclesiæ Lugdunensis insignis Diaconus, secundus venit in testimonium, quippe qui totis viribus & execratur & refellit Gotescalci errorem; sic enim loquitur c. 4. libri quem conscripsit contra Joannem Scotum Erigenam. Quod autem " dicit, *Joannes scilicet Scotus*, secundum præfatum Gotescalcum prædestinationis necessitatis vim: si ita hoc dicit, quasi illa prædestinatio reproborum ad interitum alicui eorum vim & necessitatem imponat ad malum, idest, ut inevitabiliter mali sint, & omnino aliud esse non possint, hoc omnino alienum est a fide catholica. " Dubitabat quidem Florus esse Prædestinatianos, sed supponendo, ut revera erat, quod multi extitissent & extarent, maxime vero quod isto pravissimo errore labo-

laboraret Gotescalcus, non solum illis non favet, sed totis viribus, ut decet Doctorem catholicum, ubique impugnat in libro laudato, & etiam in quodam sermone. " Ipsos quoque malos, *inquit*, „ non ideo perire, quia boni esse non po- „ tuerunt, sed quia boni esse nolue- „ runt. „ Postea sermonem concludit, pronuntiando Gotescalcum fugiendum esse ut hæreticum. Hæc vobis breviter rescripsi ad ea quæ insistitis. " Nunc fide- „ liter deprecor & exhortor, ut in sim- „ plicitate & sinceritate veræ fidei fun- „ dati, claudatis aures vestras adversus „ linguam nequam illius vanissimi & mi- „ serrimi hominis, scilicet Gotescalci, „ qui cum sit paratus ad contentionem, „ & contumax adversus veritatem, ma- „ luit infelix diabolico inflatus spiritu „ se a Christi Ecclesia & Sacerdotibus „ separare, quam sua profana inaniloquia „ deserere.

Instabis. Ecclesia Lugdunensis in libro ex tri. Epist. purgat ab errore Gotescalcum his verbis: *Quapropter etsi illius miserabilis Monachi improbatur levitas, improbatur temeritas, culpatur importuna loquacitas, non ideo divina neganda est veritas*. Ergo, &c.

Respondeo 1. distinguendo antecedens, Ecclesia Lugdunensis purgat ab errore Gotescalcum, quia tunc nondum erat certa de facto, concedo; & erat certa, nego. Ex dictis patet quod quando certior facta fuit, tunc ipsum projecerit & proscripserit; præterea non loquitur assertive, sed solum dubitanter & opinative; namque ibidem dicit improbandam esse ipsius & levitatem & temeritatem. Juvat audire Florum qui l. contra Joannem Scotum Erigenam c. 4. ait: *Quod autem dicis, Joannes scilicet, præfatum Gotescalcum prædestinationis necessitantis vim: Si ita hoc dicit, quasi illa prædestinatio reproborum ad interitum alicui eorum vim & necessitatem imponat, idest, ut inevitabiliter mali sint, & omnino aliud esse non possint, hoc omnino alienum est a fide catholica.*

Respondeo 2. iterum distinguendo, approbat Ecclesia Lugdunensis Gotescalcum quoad aliquem loquendi modum de prædestinatione, concedo; quoad substantiam doctrinæ, nego. Operæ pretium est observare his obscuris temporibus divisas fuisse in explicanda prædestinatione Ecclesias. Quædam quidem, & tutius, ita propugnabant non dari prædestinationem ad mortem, ut nequidem uti prædestinationis vocabulo ad significandam reproborum justam damnationem tolerarent, & hoc ut magis & magis ab hæresi Prædestinatiana discederent. Cæteræ vero quæ istam hæresim ut fictitiam & merum commentum habebant, voce prædestinationis indifferenter utebantur ad designandum Dei decretum, tum præmii pro electis, tum supplicii & pœnæ pro reprobis. Sic opinabatur Ecclesia Lugdunensis, unde non credens Gotescalcum hæreseos Prædestinatianorum vinculis obstrictum, multa movit ut eum a tali purgaret crimine, dicendo quod licet improbanda sit ejus temeritas, non ideo tamen deneganda veritas. Hoc est, tametsi dicat reprobos prædestinatos ad pœnam: hinc eundem a Concilio Carisiaco solum propter duras ejusmodi locutiones proscriptum putabat.

Quod hic sit genuinus Ecclesiæ Lugdunensis sensus, patet ex verbis immediate antecedentibus; sic enim effatur: " Si „ qui sunt, qui ex hoc scandalizati vi- „ deantur, tanquam per istud prædesti- „ nationis verbum necessitas male agen- „ di cuiquam imposita esse significetur, „ instruendi potius fuerunt & breviter ac „ lucide docendi, quod Deus neminem „ prædestinaverit ad peccatum, sed ad „ luendum supplicium pro peccato. Nec „ ista prædestinatione aliquem cogat ad „ male agendum, sed potius declaret ju- „ dicem justum qui & peccata fieri no- „ luit, & facta juste se puniturum esse „ præscivit. . . . Quapropter etsi illius „ miserabilis Monachi improbatur levi- „ tas, &c. „ Vides, pie & juste lector, quantum Ecclesia Lugdunensis aliena sit a doctrina Gotescalci, & quomodo excusat illum pro illo duntaxat vocabulo prædestinationis ad pœnam, quo abusum fuisse nondum certo sciebat.

Instabis. Lupus Servatus, Lupus Ferrariensis, Ratramnus & ipse Prudentius Trecensis eandem tenent cum Gotescalco opinionem de prædestinatione, nullus tamen eorum habetur ut hæreticus Prædestinatianus; igitur nec habendus Gotescalcus. Probatur antecedens; omnes tenent prædestinationem ad mortem, quod est capitale Prædestinatianorum dogma,

ma, Lupus Servatus quidem in libello de tribus quæst. Ferrariensis, in libello suo de quæstionibus prædestinationis ad Carolum Calvum directo, Ratramnus in 2. lib. de prædest. Prudentius denique in libro quem scripsit contra Joannem Scotum Erigenam. Ergo, &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo, omnes citati tenent prædestinationem ad pœnam in sensu catholico, & solum ad explicandas reproborum penas, concedo. In sensu erroneo, ut Gotescalcus, nego. Solutio patet ex dictis modo pro justificatione Ecclesiæ Lugdunensis. Rem totam explicat Lupus Servatus in suo libello, q. 2. ubi sic loquitur: " De his prædestinationem Dei dici horrent *plerique* atque refugiunt: in quibus & quædam præclara Præsulum lumina ... Qui si attenderent, sicut in Adam illo voluntate peccante omnes peccaverunt: ita prius illo absque vitio existente, omnes absque vitio extitisse, Deum autem non homini necessitatem casus intulisse ... Creator ... impleret ipse quod voluit, bene utens & malis tanquam summe bonus, ad eorum damnationem quos juste prædestinavit ad penam, & ad eorum salutem quos prædestinavit ad gloriam. Igitur negant prædestinationem necessitantem ad malum, & solo prædestinationis nomine, quod indifferens ad significandum præmium vel supplicium reputant, uti minime verentur. Eodem prorsus modo censet Lupus Ferrariensis. Porro Ratramnus lib. 2. de Prædest. fuse quidem probat auctoritate D. Augustini prædestinationem ad penam, verum liberam, & nullo modo necessitantem. Æstimamus, inquit, quod non paucis Ecclesiasticorum doctorum sententiis monstratum sit malos ad pœnam prædestinatos, non tamen ad peccatum. Siquidem ex eo quod Deus præscivit eos peccatores futuros, & in suis peccatis perseveraturos, prædestinavit, idest, præordinavit ad supplicium. Quæ tamen præordinatio, sive prædestinatio non eos necessitate quadam constringit, vel impellit ad penam ... tales novit eos quos ad penas disposuit, ut digni essent de quibus sic disponeretur: propria enim voluntate deliquerunt.

Et infra: " sed quoniam nonnulli fortassis cum audiunt iniquos ad pœnam prædestinatos, arbitrantur quadam necessitate ad eam trahi, nec ab hac necessitate aliquo modo posse mutari, non inconveniens nobis videtur manifestius id patefieri, ut & prædestinatio malorum ad pœnam doceatur, nec tamen ideo ad eam perveniant, quia prædestinati sunt, sed causa perventionis ex culpa sit delinquentis, non ex necessitate prædestinantis. „

Prudentius eodem sensu loquutus est cum aliis; siquidem reprehendit Joannem Scotum, non quia uteretur verbo prædestinationis ad pœnam reproborum designandam, sed quia cum accepisset ab Hincmaro ann. 851. Gotescalcum refutandi provinciam, simulans se catholicum, multos propugnaret errores. Ut primum enim vulgatus est Scoti liber, Wenilo centum circiter propositiones, & magna ex parte falsas, pravas & hæreticas ab eo excerpsit, quas & refutandas misit ad Prudentium, qui Joannem sic alloquitur. „ Blasphemias tuas, Joannes, atque impudentias, quibus in Dei gratuitam gratiam justitiamque inflexibilem procax invehe-ris, percurso tuæ perversitatis libro, quem sub nomine cujusdam Gotescalci adversus omnes Catholicos effudisti, eo molestius accepi, quo te familiarius amplectebar. *Et c. 4. de tribus hæresibus quas Joannes retulerat, ait*: De Pelagiana siquidem, quod libertatem arbitrii adeo extulerit, ut absque auxilio gratiæ Dei propriis viribus niteretur, & novimus, & detestamur. Secundam quam duabus inseris, & ex duabus compactam asseris, videlicet in prædestinationis necessitate, tam bonorum, quam malorum omnium constituta, quamque Gotescalcanam novo vocabulo nuncupas, nec defendimus, nec tenemus. Tertiam vero quam Pelagianis contrariam asseris, qua ita donum gratiæ prædicetur, ut libertas arbitrii funditus auferatur, nec legimus, nec audivimus. „ Cæterum Prudentius subscripserat Concilio Carisiaco: igitur nihil movit contra sanam prædestinationis doctrinam.

Dices, multa imponuntur Gotescalco: quomodo enim homo interrogatus tot ama-

amara scripsisset ad Amolonem, qualia illi imputantur? maxime vero cum libellum in quo sinistra mente suam explicabat fidem, in ignem projicere compulsus fuerat? 2. Hincmarus non est omnino credendus, cum citatus fuerit in Synodo Metensi ann. 861. propter aliquem nævum.

Respondeo ad primum, Hincmarum permisisse Gotescalco scribere ad Amolonem. Præterea, homo tametsi in carcere reclusus, invisitur tamen ab amicis; quid igitur prohibet hominem subtilem alias doctum, qualis erat Gotescalcus, scripsisse, immo & sine libris composuisse defensionis libellos, cum vexatio det intellectum? si in carcere edidit Fidei professionem, alia potuit & componere & scribere.

Ad secundum, Flodoardus observat Hincmarum fuisse irregulariter citatum, & Nicolaum primum hanc reprobasse Synodum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Gotescalcus adhæsit Prædestinatianis.

Primo. Hoc colligitur ex Epistola Rabani ad Eberardum Comitem, & ex Concilio Moguntino.

Secundo. Expressius ex Carisiaco & Hincmaro.

Tertio. Hoc ipsum referunt & Theologi & Historici; Theologi quidem, ut RR. PP. Cellot, Deschamps, hic in libro de Prædestinatianis, ille in l. de hær. Jansen.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

Objicitur 1. Non claret ex Conciliis Moguntino & Carisiaco proscriptum fuisse Gotescalcum; in iis quippe nulla fit mentio de hæresi prædestinatiana. 2. Patres Valentini non approbant doctrinam de prædestinatione a Concilio Carisiaco datam. 3. Nicolaus primus non approbavit istud Concilium. 4. Gotescalcus orthodoxam protulit Fidei confessionem. 5. Ecclesia Lugdunensis istius Monachi suscepit partes defendendas, & ab hæreseos labe eum purgavit.

Respondeo ad primum, patere ex Epistola Synodica Concilii Moguntini Gotescalcum in eo fuisse proscriptum: immo Concilium Carisiacum ei hæreseos notam rursus inussit.

Ad secundum. Patres Valentinos non attigisse genuinum Concilii Carisiaci sensum constat, sed eo postea intellecto se retractaverunt in Synodo Tullensi apud Saponarias.

Ad tertium hæc est responsio: Nicolaus primus Galliarum Ecclesias in materia prædestinationis commotas & veluti inter se divisas intelligens, æquum duxit approbare, aut etiam abjicere Concilium Carisiacum, cujus tamen definitio ligabat in Diœcesibus Episcoporum Concilii.

Ad quartum dico Gotescalcum voce tenus, ut fucum faceret, rectam protulisse Fidei professionem.

Ad quintum resp. Ecclesiam Lugdunensem insciam, seu ignaram facti, primum suscepisse Gotescalci partes; verum re maturius ponderata, in eum vehementer exarsisse.

SECTIO QUARTA.

Utrum Ecclesia Lugdunensis impegerit in errorem Prædestinatianorum.

ANNO 853. Hincmarus scripsit ad Amolonem Archiepiscopum Lugdunensem de actitatis in Conciliis Moguntino & Carisiaco, causa Gotescalci, cujus & refert errores; scripsit & Pardulus Laudunensis Episcopus, & suis adjunxere litteris Epistolam Rabani ad Nothingum, quæ tres Epistolæ lectæ sunt in Conventu Ecclesiæ Lugdunensis, ut quæ sentiret circa talia capita secundum Scripturam & Patres respondere dignaretur. Quibus pensatis libellum de tribus Epistolis nuncupatum, eo quod responsionem ad tres prædictas Epistolas contineret, protulit. Quidam hoc opusculum Remigio Amolonis successori tribuunt, quidam vero Floro, omnes sub nomine Ecclesiæ Lugdunensis intelligunt. Multa catholice & sine tergiversatione liber ille complectitur de prædestinatione electorum, de morte Christi pro salvatis & salvandis, etiam pro

pro baptizatis licet postea in peccato morientibus. Sed an Deus velit salvos fieri infideles, qui numquam credituri sunt in ipsum? an Christus sit mortuus pro eisdem & pro reprobis inter negationem & affirmationem hæret talis Ecclesia; & ideo in controversiam vertitur, num in hoc puncto adhæserit Prædestinatianis? pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO.

Ecclesia Lugdunensis non impegit in errorem Prædestinatianorum.

Hæc conclusio sequitur ex dictis modo, luce clarius quippe ostendimus illam Ecclesiam non adhæsisse doctrinæ Gotescalci.

Probatur tamen hoc argumento. Illa Ecclesia non impegit in errorem Prædestinatianorum, quorum execratur dogmata: quæ catholice semper loquitur, quæque in dubiis nihil pronuntiat contra fidem, sed respondet expectando humiliter quid Patres, quid Concilia, & summi Pontifices circa caput controversiæ pronuntiaturi sint. Atqui sic se gerit Ecclesia Lugdunensis: igitur non impegit in errorem Prædestinatianorum. Probo minorem quoad singulas partes.

1. *Ecclesia Lugdunensis* execratur errorem palmarem hæresis prædictæ, scilicet prædestinationem necessitantem ad mortem & peccatum. Hoc patet ex septem regulis maxime catholicis, quas exhibet ad catholice loquendum & sentiendum de prædestinatione. 1. Statuit præscientiam rerum apud Deum esse æternam. 2. Omnia subjici præscientiæ & prædestinationi Dei. 3. In operibus Dei non esse alia præscita & alia prædestinata, sed in eodem sensu sumit præscitum & prædestinatum, illud vero esse prædestinatum quod est a Deo factum, & ideo omnia bona esse præscita & prædestinata. 4. Mala culpæ, cum sint opera solius creaturæ, esse quidem præscita, sed non prædestinata. In quinta vero sic loquitur: *Omnipotens Deus eadem præscientia & prædestinatione sua, ita quosdam malos in sua iniquitate & impietate, & præscivit perseveraturos, & ob hoc juste prædestinavit perituros, ut ex ipsa certa præscientia & justa prædestinatione sua nulli necessitatem imposuerit, ut malus esset, & aliud esse non posset.* Idem confirmat in regula septima, ubi dicit divinam præscientiam & prædestinationem non nocere libertati, eo quod non impediant quin homo possit de malo in bonum mutari. Igitur Ecclesia Lugdunensis execratur errorem prædestinatianum. Hoc patet adhuc ex Epist. Amolonis ad Gotescalcum pag. 19. in qua quidem eum sic alloquitur: *Displicet nobis valde, quia tam dure & indisciplinate & immaniter de divina prædestinatione sentis.... Quid est aliud quam in Deum graviter & horribiliter blasphemare, si illis ejus prædestinatio hanc necessitatem irrevocabiliter imposuit, ut omnino quod ad salutem suam proficeret, operari non possint?* scilicet reprobi. Ergo, &c.

2. *Ecclesia Lugdunensis* semper catholice loquitur de dogmate prædestinationis; etenim regula quinta expresse defendit solummodo præscientiam & prædestinationem, quæ libertati humanæ cohærent, omnemque aliam, tanquam fidei contrariam prorsus rejicit. In septima idem repetit, & ne aliquis scandalum patiatur, eo quod dicat reprobos ad pœnam prædestinatos, declarat per illud verbum (*prædestinatos*) se non intelligere aliquid quod vim inferat libertati, sed tantummodo justitiæ Dei ordinationem, quæ ex prævisione peccatorum decernit supplicia pro malis. *Si qui sunt*, inquit, *qui ex hoc scandalizari videantur, tanquam per istud prædestinationis verbum necessitas male agendi, cuiquam imposita esse significetur, instruendi potius fuerunt, & breviter ac lucide docendi, quod Deus neminem prædestinaverit ad peccatum, sed ad luendum supplicium pro peccato.*

3. *Ecclesia Lugdunensis* in dubiis circa alia minus principalia Prædestinatianorum dogmata, scilicet de voluntate Dei & morte Christi pro salute omnium hominum, modeste & catholice suum aperit sensum, dicendo Deum velle salutem omnium electorum, & Christum pro illis mortuum, intelligendo de voluntate consequenti & efficaci; namque in probationem affert illud Prophetæ, *Omnia quæcumque voluit fecit*. Igitur loquitur solum de voluntate factiva, nec movet quæstionem de voluntate generali & ordina-

dinativa ; quod si qui sint, qui locum Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, intelligere velint de singulis hominibus, non eos damnat, immo ait eos posse hanc propugnare opinionem, modo non damnetur Augustinus; quando vero Deum solos electos velle salvare pronuntiat, loquitur de voluntate solum consequenti. Revera quidem, libro de tribus Epistolis, pag. 362. *Deus vult omnes salvos fieri*, ad solos electos restringit, quia (ut Scriptura dicit, *omnia quæcumque voluit Dominus fecit*, eodem prope modo semper argumentatur denotando voluntatem efficacem; " quid ergo restat, *inquit*, nisi ut ille, qui omnia quæcumque voluit fecit, ideo hoc non faciat, quia nolit?" *pag.* 376. Loquendo de voluntate Dei generali pro singulis, ait: " Quem sensum illorum Apostoli verborum etiam nos superius commemoravimus, & fideliter posse accipi diximus... Si cæteros, intellige *tam Angelos quam homines*, ita vult salvos fieri, ut tamen eos non salvos faciat, sed omnino perire permittat, utrumque hic evidenter apparet, & erga creaturam suam, scilicet bonitas Creatoris, & erga ejusdem creaturæ iniquitatem, severitas judicis. *Et pag.* 375. " Et licet alii quidam sancti & venerabiles Patres simpliciter illa Apostoli verba accepisse inveniantur, utrorumque tamen sententia fuerat honoranda; nec ut jam superius dictum est, una pro altera damnanda; quia & illa ex divina auctoritate vera esse demonstratur, & ista pia quadam ratione non videri falsum, vel fidei contrarium." Idem repetit l. de tenenda veritate Scripturæ, *pag.* 435.

Eadem Ecclesia non absimili modo loquitur de morte Christi pro singulis hominibus in l. de tribus Epist. c. 18. quippe quæ Christum quantum in se sufficienter passum & mortuum pro omnibus, etiam pro reprobis asserat, & in testimonium afferat verba S. Leonis, qui scribit eundem mortuum sine restrictione pro omnibus. " Ad hanc indulgentiam traditor Judas pervenire non potuit, quoniam perditionis filius, cui diabolus stabat a dextris, prius in desperationem transiit, quam Sacramentum generalis redemptionis Christus impleret. Nam mortuo pro omnibus impiis Domino, potuisset forte etiam hic consequi remedium, si non festinasset ad laqueum," *quæ verba S. Leonis ibidem sic interpretatur*. " Qui enim venerat universis credentibus omnia peccata dimittere, a generali indulgentia nec judaicum crimen voluit excludere. *Rursus c.* 20. " Si inveniuntur aliqui Patres, qui etiam pro impiis in sua impietate permansuris Dominum crucifixum dicant; quis non videat potiorem illam esse auctoritatem, quæ tam evidenti ratione, & tam multiplici Scripturarum attestatione firmatur? Si autem placet, sicut & nobis multum placet, ut etiam istorum sententia ex pietate veniens, propter pacem & venerabilem pietatem beatissimorum Patrum non renuatur. Nulla ergo contentione pro aliis adversus alios litigetur. Non una sententia pro altera damnetur. Et quia vere fieri potest, ut ignorantiam & imperitiam nostram in hac re aliquid lateat, nihil temere definiatur, ut quolibet quis acquiescat modo, non fit hæreticum, nisi contentione hæreticum fiat. Quid clarius tutiusve dici potest ad servandum fidei depositum? Igitur Ecclesia Lugdunensis non adhæsit Prædestinatianis.

Solvuntur Objectiones.

Objicies. Florus Ecclesiæ Lugdunensis insignis Diaconus, in libro quem conscripsit contra errores Joannis Scoti Erigenæ c. 5. illum reprehendit quod non admittat prædestinationem ad pœnam; & *ideo*, inquit, *tali argumentatione, sicut iste vult, non destruitur prædestinatio Dei, qua impiis irrogat æterna supplicia*: sed admittere prædestinationem ad pœnam redolet hæresim Prædestinatianorum. Videtur igitur Ecclesia Lugdunensis, cujus nomine scribit Florus, impegisse in errorem Prædestinatianorum.

Respondeo distinguendo majorem. Florus reprehendit Joannem eo quod præscientiam sine decreto ad pœnas pro reprobis admitteret, concedo: eo quod rejiceret prædestinationem necessitantem, nego. Advertendum est librum Flori eo semper niti principio, omnia, tam pro Angelis, quam pro hominibus or-

ordinari divinæ voluntatis decreto, quo utrique naturæ bona pro bonis operibus, pœnas vero pro peccatis decernit; quia, inquit, *omnia quæcumque voluit, fecit Deus in cælo & in terra*. Nomine autem prædestinationis intellexit ordinationem tum præmiorum, tum suppliciorum; nunquam vero prædestinationem necessitantem, ut notatum est in articulo præcedenti, ubi diximus Prudentium Trecensem eodem innixum fundamento, arguisse Joannem Scotum, non quidem de prædestinatione necessitante quam non admittebat; verum potius eo quod perverse de gratia Christi sentiret: ita & impræsentiarum asserimus Florum insurrexisse contra Scotum Erigenam, non quia propugnaret prædestinationem ad peccatum & ad pœnam irrevocabiliter compellentem; sed quod negaret ordinationem pœnarum, quam nomine prædestinationis exprimit, quasi aliquid posset evenire Deo nolente, & contra ipsius voluntatem. Unde ibidem subdit: *Quia etsi non est in ejus prædestinatione ulla causa pœnarum, est tamen ibi justitia, & judicium juste inferendarum pœnarum*. Igitur Florus vult solummodo decretum & ordinationem suppliciorum pro reprobis, quod est fidei maxime consonum.

Instabis. Ecclesia Lugdunensis in l. de tribus Epistolis, arguit Rabanum quod moveat quæstionem inutilem, relicto præcipuo controversiæ capite, excusat vero Gotescalcum. Igitur verisimile est istam Ecclesiam adhæsisse Prædestinatianis; tum quia non subscripsit tribus Epistolis catholicis ab Hincmaro ad seipsam missis.

Respondeo distinguendo. Ecclesia Lugdunensis seu potius Remigius ejus Præsul, errore facti deceptus, carpit Rabanum, quia credebat illum ardentiori zelo processisse contra Gotescalcum, quem volebat excusare, concedo. Secus, nego. Certe Rabanus ipso Remigio certior de causa Gotescalci erat, unde zelo secundum scientiam, in hoc se gessit negotio.

Ad confirmationem respondeo, Hincmarum non petiisse ab Ecclesia Lugdunensi subscriptionem, sed ista hoc totum fecit ut suam aperiret mentem in quæstionibus non modicum intricatis, ne error, etiam bonum intendendo finem, obreperet aut in ruinam, aut saltem in turbationem animarum. Porro ita se gessit, ut salvando sanctum Augustinum pro efficacia gratiæ, alterius opinionis defensores vel minimum offendere noluerit. Sic enim loquitur in l. de 3. Epist. pag. 376. *Quem sensum illorum Apostoli verborum, etiam nos superius commemoravimus, & fideliter posse accipi diximus: si tamen & ille sensus beati Augustini, quem ille juxta alterius divinæ Scripturæ auctoritatem diligenter inquirit, & multis ac veracibus modis exponit, pariter recipiatur; nec propter istum ille damnetur, sed potius utrique sensui, propter veracem & piam Patrum auctoritatem fideliter obediatur*.

Instabis. Ecclesia illa in libro de tenenda veritate reprehendit Concilium Carisiacum, eo maxime quod in tertio Canone definiat Deum velle salvare omnes & singulos homines: *Non dixit*, inquit, *Apostolus universaliter & generaliter, & ut ipsi addiderunt sine exceptione: sed specialiter ad eos retulit, de quibus supra dixerat, (pro omnibus hominibus, pro Regibus, & his qui in sublimitate sunt) ut quod dixit: (omnes) omnia hominum genera intelligi voluerit, omnium scilicet Gentium, sexuum, conditionum, ordinum, dignitatum: quid habet hæc intelligentia inconsequens, aut contrarium veritati?* ergo, &c.

Respondeo distinguendo: Ecclesia Lugdunensis reprehendit Patres Carisiacos pro voluntate Dei generali de salute singulorum hominum, contendendo non esse inconveniens posse etiam intelligi de voluntate absoluta, & pro generibus singulorum, concedo: damnando sensum alterum, nego. Igitur locus Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, potest intelligi in quadruplici sensu 1. Deus vult omnes electos salvos fieri, quia omnibus dat salutis voluntatem, & operatur velle & desiderare beatitudinem æternam: 2. quia nullus potest salvari, nisi per Dei voluntatem, & nisi ipse velit. 3. Quia aliqui ex omni sexu & natione & conditione salvabuntur 4. Quia vult & omnes singulos salvari, in quantum omnibus providet media sufficientia ad salutem, & ordinat ad finem supernaturalem. Augustinus hunc explicat locum juxta primum sensum l. de corr. & g. c. 15. juxta secundum in Enchirid. ad Lau-

Laurent. c. 103. & l. de Prædest. SS. c. 8. juxta tertium in Enchir. ibidem. Juxta quartum l. de spiritu & litt. c. 32. In sensu autem causali sumit locum Ecclesia Lugdunensis.

Quod autem non excludat quartum sensum ibidem subdit : *Item alius dicat & sentiat, sicut etiam a quibusdam majoribus dictum & sensum reperitur : Apostolus cum superius orare jussisset pro omnibus hominibus, pro Regibus, & his qui in sublimitate sunt, post illa omnia generaliter de universo genere humano subjunxit : (qui vult omnes homines salvos fieri) quid habet mali aut periculi etiam ista intelligentia ? neque enim qui ita sentit, putat voluntati Dei, qua vult omnes homines salvos fieri, aliquem resistere & contraire, ut non possit implere quod velit : & ambo sibi, & iste videlicet, & ille sicut diversa sentientes, fideliter atque unanimiter concordant.* Unum solummodo vult Ecclesia Lugdunensis, quod voluntas Dei semper impleatur, & in electis per gloriam, & per pœnam in reprobis qui resistunt Deo volenti salvare.

Rursus instabis. Eadem Ecclesia in eodem libro de tenenda veritate Scripturæ, absolute rejicit Canonem quartum Concilii Carisiaci, de morte Christi pro salute omnium & singulorum hominum. Sed hoc est patrocinari Prædestinatianis, qui inter alia falsa dogmata propugnabant Christum non esse pro omnibus mortuum. Ergo, &c. Probatur major: c.14. libri citati sic habet : *Sicut ergo pro illis impiis & damnatis Angelis nullatenus Dominus Jesus Christus dicendus est passus : ita pro istis impiis & damnatis hominibus, absit omnino ut passus esse credatur.* Ergo, &c.

Respondeo 1. distinguendo ; & sic loquitur Ecclesia Lugdunensis ut suam aperiat mentem, non condemnando alteram opinionem, concedo : secus, nego. Quadruplex distinguit hominum genus. c. 43. Primum est Prædestinatorum, ad quos hæc verba Christi diriguntur : *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit.* Secundum est illorum qui post baptismum susceptum impie vivunt, & impœnitentes moriuntur. Tertium, eorum qui quidem infideles sunt, sed suscepturi fidem, & in gratia morituri prævidentur. Ad quos pertinent ista verba : *Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic salvus erit.* Quartum infidelium qui in infidelitate morituri sunt, & quibus dicitur, *Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Ista autem Ecclesia c. 16. dicit Christum mortuum quidem pro hominibus primi, secundi & tertii generis, sed non pro iis qui pertinent ad quartum. Ita tamen, ut non damnet contrarium sentientes, ut patet ex dictis in probationibus.

Respondeo 2. aliter distinguendo : Ecclesia Lugdunensis dicit Christum non esse mortuum pro reprobis, quantum ad efficaciam, concedo : tametsi enim mortuus, non omnes tamen ejus mortis beneficium suscipiunt ; qui quidem sensus est catholicus & Tridentini, quique est ipse Concilii Carisiaci scopus, quem certe satis non attigit Ecclesia Lugdunensis, sic enim habetur in 4. Can. *Nullus est, fuit, vel erit homo pro quo passus non fuerit ; licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur.* Eccl. Lug. dicit non esse mortuum pro omnibus quantum ad sufficientiam, nego. Siquidem concedit Christum Dominum mortuum fuisse pro ipso Juda proditore, qui desperans laqueo se suspendit, & infelix abiit in locum suum infernalem ; non est autem major ratio pro uno reprobo quam pro aliis.

Respondeo 3. aliter adhuc distinguendo, Ecclesia Lugdunensis vult solummodo Christum non esse mortuum pro reprobis eo sensu quo Sanguis Christi possit illis proficere, ut de loco miseriæ egrediantur, concedo ; nulla enim est in inferno redemptio. Non est mortuus pro reprobis, ita ut gratias sufficientes, quibus poterant bonum facere, non habuerint per merita passionis Christi, nego. Loquitur tantum in primo sensu, quod patet ex verbis Oseæ & Beati Gregorii quæ affert in probationem, quæque duntaxat demonstrant Christum extraxisse a primis inferis animas justorum in fide Abrahæ quiescentium in limbis, sed minime ex loco inferiori damnatos. Hæc enim ibidem subjungit.

„ Quia hoc nimis est contrarium divinæ veritati, nimis adversum catholicæ fidei, quæ indubitanter credit & docet, quod Dominus noster suam passionem & mortem, atque ad inferos descensionem illis solis jam defunctis ; & quamvis apud inferos, tamen in

„ locis

„ locis tranquillitatis & lucis constitutis „ exhibuit, qui in fide futuri adventus „ ejus ac redemptionis, & in hoc sæculo vixerant, & illuc per mortem transierant. Ubi etiam tempus implendæ, „ ac perficiendæ ejusdem redemptionis „ suæ per passionem & descensionem ad „ eos Domini, pio desiderio expectabant. „ Et probat dictum istis verbis Prophetæ (*de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, o mors! morsus ero tuus inferne.*) Et postea subjicit ista magni Gregorii " verba. Quod „ ante passionem dixit, in resurrectione „ sua Dominus implevit. (Si exaltatus „ fuero, omnia traham ad me.) Omnia enim traxit, qui de electis suis „ apud inferos nullum reliquit. Omnia „ abstulit, utique electa. Neque etenim „ infideles quosque & pro suis criminibus æternis suppliciis deditos, ad veniam Dominus resurgendo reparavit: „ sed illos ex inferni claustris rapuit, „ quos suos in fide & actibus recognovit. „ Unde recte etiam per Oseam dicit: „ (*ero mors tua, o mors! morsus ero tuus inferne!*) id namque quod occidimus, „ agimus ut penitus non sit. Ex eo enim „ quod mordemus partem abstrahimus, „ partem relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors „ mortis extitit: quia vero ex inferno „ partem abstulit, & partem reliquit, „ non occidit funditus, sed momordit „ infernum: ait ergo: (*ero mors tua, o mors!*) ac si aperte dicat, quia in „ electis meis te funditus perimo. *Ero morsus tuus, inferne!* quia sublatis eis, „ te ex parte transfigo. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ecclesia Lugdunensis non adhæsit Prædestinatianis.

Primo, Quia usque ad execrationem insectatur Prædestinationem necessitantem ad mortem.

Secundo, displicet illi plurimum quod Gotescalcus tam dure scripserit de Prædestinatione.

Tertio, Non improbat opinionem eorum qui tenent Christum pro singulis suum fudisse sanguinem.

SYNOPSIS SOLUTIONUM AD OBJECTIONES.

Primo, Quandoque adversus Rabanum loquitur & scribit Eccl. Lug. contendens vel inutilem adversus Gotescalcum quæstionem, vel etiam durius hunc tractasse Monachum, sed ex hoc sequitur solum excusasse errantem, ejus benigne interpretando mentem.

Secundo, Eadem redditur responsio, cum aliquis dicit Ecclesiam illam aut proscripsisse, aut saltem improbasse Concilium Carisiacum: non enim tunc satis & sufficienter compertam habebat hujus Synodi mentem.

Tertio, Verum est Eccl. Lug. quasi negare Deum velle singulos salvos fieri, & Christum pro omnibus suum fudisse sanguinem: ast loquitur solummodo de voluntate consequenti.

ARTICULUS SECUNDUS.

De doctrina S. Augustini & ipsius commendatione.

GLORIABANTUR olim Prædestinatiani ducem se habere in sua doctrina Augustinum, quem & in hac parte in suos detorquere sensus præsumpserunt Lutherus & Calvinus, omnes enim gratiam prædestinationis necessitantem ausu temerario docuere. Pelagiani e contra omnem rejiciunt gratiam ut salvent liberum arbitrium; ea de causa eam dependentem a natura faciunt Semipelagiani, sanctum Augustinum ut amicum & Ecclesiæ Patrem eximium non agnoscunt, quin potius propter gratiæ efficaciam quam prædicabat, tanquam Prædestinatianum libertatis destructorem, totis viribus impugnant. Ut igitur tantum & tam admirabilem Doctorem ea qua par est reverentia vindicemus a calumniis tum veternis tum modernis, & quandoque etiam recentioribus, duo prælibanda & demonstranda sunt: primo quidem doctrinam D. Augustini esse omnino a doctrina Prædestinatianorum alienam. 2. S. Augustinum ita docuisse necessitatem gratiæ, ut serva-

verit jura naturæ liberæ : Denique eumdem S. Doctorem inviolabiliter propugnasse libertatem sub dominio gratiæ quantumvis efficacis & triumphantis, adeoque in omni & prædestinationis & gratiæ materia benigne, humiliter simul & alacriter esse audiendum.

SECTIO PRIMA.

Utrum Augustinus præcesserit in errore Prædestinatianos.

UNUM inter cætera abhorret Ecclesia in hæreticis Prædestinatianis & Protestantibus, quod prædestinationem necessitantem, in electis ad vitam, in reprobis ad peccatum & pœnam propugnent. Quamobrem ne audiantur districte prohibet; e contra vero alios qui salvant libertatem sub dominio gratiæ prædestinationis, non solum vult audiri ut magistros, sed tanquam patres & filios suos amantissimos. Unde sit

CONCLUSIO.

Augustinus non præcessit in errore Prædestinatianos.

Sed liberum arbitrium semper defendit, sub dominio gratiæ prædestinationis, unde audiendus est pro Prædestinatione Sanctorum.

Probatur conclusio hoc validissimo argumento. Ille non favit Prædestinatianis qui eorum principia, sicut consequentias ad ea sequentes perpetuo impugnat: atqui Augustinus perpetuo impugnat & principia & consequentias resultantes ad eorum principia. Igitur non favet Prædestinatianis, quinimmo humiliter audiendus est pro Prædestinatione Sanctorum.

Probatur minor in qua est difficultas. Principia illorum hæreticorum hæc sunt, quod Prædestinatio & ordinatio Dei, tum ad vitam, tum ad mortem & supplicium necessitet, quod Deus nolit omnes salvos fieri, quod Christus non sit mortuus pro omnibus; consequentiæ vero quod præcepta saltem multa sint impossibilia, quod homo non possit resistere gratiæ, quod mali non possint non esse mali, & justi non possint non esse boni; quod nullum remaneat dominium voluntatis super actus suos, nullaque supersit indifferentia: sed ab his omnibus abhorret Augustinus, & hanc doctrinam omnibus impugnat modis: igitur & principia & conclusiones, seu consequentias Prædestinatianorum non admittit Augustinus. Probatur minor quoad singulas partes.

Primo, *Augustinus impugnat Prædestinationem necessitantem.*

S. Doctor pluribus in locis hanc diserte adimplet provinciam: sed ex professo l. 5. de civ. Dei c. 9. n. 1. ubi Ciceronem admittentem fatum sic perstringit, atque fortiter confutat: " In libris de divinatione, Cicero, ex seipso apertissime oppugnat præscientiam futurorum: hoc totum facere videtur ne fatum esse consentiat, & perdat liberam voluntatem, putat enim concessa scientia futurorum, ita esse consequens fatum, ut negari omnino non possit. Sed quoquomodo se habeant fatuosissimæ concertationes & disputationes Philosophorum, nos ut confitemur summum & verum Deum, ita voluntatem, summamque potestatem ac præscientiam ejus confitemur. Nec timemus ne ideo voluntate non faciamus, quia id nos facturos esse præscivit, cujus præscientia falli non potest, quod Cicero timuit, ut oppugnaret præscientiam: & Stoici, ut non omnia necessitate fieri dicerent, quamvis omnia fato fieri contenderent.... Si ita est, nihil est in nostra potestate, nullumque est arbitrium voluntatis. Quod si concedimus, *inquit*, omnis humana vita subvertitur: frustra leges dantur, frustra objurgationes, laudes, &c. Postea Ciceronis perstringit sententiam & ostendit libertatem stare sub dominio præscientiæ. Unde c. 10. ibidem concludit. " (*Absit enim a nobis ejus negare præscientiam, ut liberi esse velimus, quo adjuvante sumus liberi, vel erimus.*

Rursus l. 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 5. n. 9. ait: " nec gratiæ fatum asserimus, quia nullis hominum meritis Dei gratiam dicimus antecedi. Si autem

„ qui-

„ quibusdam omnipotentis Dei voluntatem placet fati nomine nuncupare, „ profanas quidem verborum novitates evitamus, sed de verbis contendere non „ amamus. „ Hoc improperabant S. Augustino Pelagiani quod fatum sub nomine gratiæ quæ est in nobis sine nobis, induceret, quæque necessario compelleret ad bonum. Cui objectioni facit satis; unde in verbis paulo superioribus ait: „ Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus, sed „ ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo; ad bene autem pieque „ vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, „ & ad omne bonum actionis, sermonis, „ cogitationis adjuta.

„ *Rursus tract.* 53. *in Joan.* Non enim „ propterea Deus ad peccandum quemquam cogit, quia futura hominum peccata jam novit: ipsorum enim præscivit peccata non sua, quapropter si ea „ quæ præscivit ipsorum, non sunt ipsorum, non vere ille præscivit: sed „ quia illius præscientia falli non potest, sine dubio non alii, sed ipsi „ peccant, quos Deus peccaturos esse præscivit.

Secundo, *Augustinus tenet Deum velle omnes & singulos homines salvos fieri.*

Ita docet in l. de catechizandis rudibus. Sed præcipue l. de spiritu & litt. c. 32. ubi sic loquitur: " Vult Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen ut „ eis adimat liberum arbitrium, quo vel „ bene vel male utentes justissime judicentur; quod cum sit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, „ cum ejus Evangelio non credunt, nec „ tamen eam vincunt, verum seipsos „ fraudant magno & summo bono, experturi in suppliciis potestatem ejus, „ cujus in donis misericordiam contempserunt. „ Insignis est ille locus & omnem tollit æquivocationem. Confunduntur enim ii, qui & fide larvata, & fucato zelo, ut peregrinis faveant doctrinis, Augustinum in suas, quantum possunt, trahunt partes, dicendo eum asserere Deum nolle omnes homines salvos fieri, maxime infideles, illosque omni carere gratia etiam sufficiente, qua salvari queant; voluntatem Dei esse semper efficacem, adeoque illos Deum duntaxat velle salvari, qui de facto salvantur. Namque Augustinus hic docet Deum velle salutem omnium, etiam eorum qui non salvantur, etiam infidelium qui resistunt gratiæ & Dei abutuntur donis, etiam eorum qui rationem reddituri sunt in judicio de gratiis quas resistendo contempserunt, quique experturi sunt potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt.

Dices: Augustinus non semel impugnat istam Semipelagianorum propositionem, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, & ista Apostoli verba Rom. 11. (*Conclusit enim Deus omnia in infidelitate, ut omnium misereatur*,) omnium dicit electorum: ita & S. Thomas his verbis lect. 4. in cap. 11. ad Rom. " Una catena tenebrarum omnes erant colligati, „ *ut omnium misereatur*, idest, ut in omni genere hominum sua misericordia locum habeat. Sap. 11. Misereris omnium, Domine, quod quidem non est „ extendendum ad dæmones secundum errorem Origenis, nec etiam quantum ad „ omnes homines sigillatim, sed ad „ omnia genera hominum. Fit enim hic „ distributio pro generibus singulorum, „ & non pro singulis generum.

Respondeo, S. Augustinum & S. Thomam non in uno aut altero, sed multiplici loco agnoscere voluntatem de salute singulorum hominum, ut supra ostendimus: unde si quando eam impugnare videntur, est tantum in sensu opposito Semipelagianis, qui Deum ita velle omnes salvari propugnabant, 1. ut salus ortum haberet a voluntate humana in se relicta. 2. ut excluderent necessitatem auxilii quo, & gratiæ efficacis, non enim aliam quam versatilem gratiam admittebant dependentem a libero hominis arbitrio, cujus erat absque gratia præveniente inchoare salutem. 3. Ut ipsa perseverantia non esset donum Dei speciale, sed gratia tantum eatenus communis, quatenus quilibet ad finem bonum usque, seclusa providentia extraordinaria & auxiliorum specialium serie posset pertingere. Quæ tria capita incunctanter debellant sancti Doctores; unde non mirum si qua-

quandoque ad revincendos Semipelagianos voluntatem Dei de salute omnium restringant ad solos electos; tunc enim loquuntur de voluntate consequenti & efficaci, vel si nonnunquam de voluntate antecedenti, eam intellige quam bona voluntate hominis inchoantis salutem antecedi effutiebant Massilienses.

Isto prorsus modo auctoritas D. Thomę intelligenda est, eo enim loci loquitur de voluntate efficaci, loquitur de misericordia quæ actu salvat. Omnes, inquit, S. Doctor, tam gentiles, quam Judæos conclusit Deus in infidelitate permissive, hoc est, permittendo in massa perditionis per peccatum originale involvi, ut omnium misereatur: loquitur de misericordia quæ actu liberat, adeoque de efficaci. Igitur non excludit generalem, qua Deus vult singulorum misereri.

Tertio, *Augustinus docet Christum mortuum esse pro singulis hominibus.*

Sanctus Præsul sic loquitur in Psal. 95. de Christo: *Judicabit orbem terrarum in æquitate, non partem, quia non partem emit, totum judicare habet, qui pro toto pretium dedit.* Et vero secundum illud Augustini principium illos judicabit, qui propria & determinata malitia ejus bonis abusi sunt, sed si infideles nullas gratias nequidem sufficientes haberent, si Christus pro eis non foret mortuus, nec utique damnandi essent & propter contemptum gratiarum & propter legis prævaricationem, cum enim absque gratiæ auxilio nullus totam legem adimplere queat, & ipsi ne ullam quidem haberent, protecto peccarent in eo quod vitare non possent, immo & quod absurdum magis, & a christianis auribus prorsus amovendum, damnarentur. Quia vero multi, ut fucum faciant, contendunt B. Augustinum aperte docere Christum non esse mortuum pro reprobis, &c. Sanctus Doctor est sui ipsius interpres, reproborum enim duplex distinguit genus, unum eorum qui jam sunt in inferno, & pro illis non vult Christum mortuum in eo sensu quod illos extrahat ab inferno; alterum vero eorum qui sunt vel fuerunt, vel erunt in mundo, & dicit pro eis Christum fuisse mortuum, & dum sunt aut erant & futuri sunt superstites in terra, habuisse gratias, quibus poterant salvari. Sic igitur intonat l. 21. de civ. Dei c. 24. n. 1. " Cur ergo eadem perfectissima sanctitate & cuncta impetrare valentibus " mundissimis & misericordissimis precibus, etiam pro Angelis non orabunt, " quibus paratus est ignis æternus, ut " Deus sententiam suam mitiget, & flectat in melius, eosque ab illo igne faciat alienos? an erit forsitan quisquam " qui & hoc futurum esse præsumat, affirmans etiam sanctos Angelos simul " cum sanctis hominibus, qui tunc æquales erunt Angelis Dei, pro damnandis & Angelis & hominibus oraturos, " ut misericordia non patiantur, quod " veritate merentur pati? quod nemo " sanæ fidei, nemo dicturus est. Alioqui nulla causa est, cur non etiam, " nunc pro diabolo & Angelis ejus oret " Ecclesia, quam magister Deus pro inimicis suis jussit orare. Hæc igitur " caussa, qua fit ut nunc Ecclesia non " oret pro malis Angelis quos suos esse " novit inimicos, eadem ipsa caussa est, " qua fiet ut in illo tunc judicio etiam " pro hominibus æterno igne cruciandis, " quamvis perfecta sit sanctitate, non " oret. Nunc enim propterea pro eis rogat, quos in genere humano habet " inimicos, quia tempus est pœnitentiæ " fructuosæ. " Igitur ex Augustino Christus mortuus est pro reprobis, idest, meruit eis pro tempore peregrinationis gratias, quibus pœnitentiam agere poterant: sed non pro reprobis post judicium salvandis & ex inferno eruendis. Quid clarius, quid tutius, immo quid pietati conformius, aut dici, aut cogitari potest?

Dices: Julianus probabat Christum esse pro singulis hominibus mortuum illa primæ Joannis sententia: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Augustinus abnegat Juliani consequentiam ex auctoritate Apostoli deductam, & ait solum sequi ex verbis Joannis Christum esse pro Ecclesia mortuum, scilicet tract. 87. in Joan. (in Epistola sua Joannes ait: *ipse propitiator est peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed etiam totius mundi.* Totus ergo mundus Ecclesia est.)

Respondeo S. Doctorem loqui de voluntate

tate efficaci, & in sensu Semipelagianis opposito, ut modo explanatum est. Cum enim heterodoxi pro more Scripturas sacras in pravos suos detorquerent sensus, perversasque ex eis deducerent illationes, Patres ne dimittant adversarios, quandoque negant ex Scripturis sequi Christum mortuum esse pro singulis, hoc est efficaciter; cum enim, teste Tridentino, tametsi Christus pro singulis mortuus sit, non tamen omnes mortis efficaciam quantum ad gratiam victricem & finalem recipiant, bene dicitur Christum non esse pro omnibus efficaciter mortuum, hoc est, non omnes efficaciam mortis usque ad finalem perseverantiam percipere. Cæterum ex gratia de se indifferenti, quam tantummodo admittebant Semipelagiani, sequebatur nullos esse a Deo prædilectos, unde & in hoc jure merito a sancto Augustino impugnantur: mors Christi est quidem pro singulis hominibus juxta sancti Doctoris mentem, sed specialiter pro electis, cum & specialiter Christus pro ipsis oraverit, ut habetur Joan. 17.

Hac solutione facile explicantur plures aliæ S. Aug. auctoritates, ut ista l. de dono perf. c. 12. " Qui hominibus dat „ gratiam quibus vult, quoniam misericors est: & non dat quibus non vult,„ & ibid. c. 14. cum dicit aliquos parvulos non pervenire ad gratiam baptismi, quia Deus non vult. Luce enim clarius apparet Aug. loqui, & de voluntate Dei consequente quæ ad electos tantummodo terminatur, & de efficacia speciali mortis Christi pro eisdem. Ex quo solum sequitur gratiam efficacem non omnibus dari: de hac tantum loquitur Augustinus, maxime vero cum caput palmare controversiæ inter Pelagianos & sanctum Præsulem esset de gratia operis, quam ad bonum salutis operandum necessarium esse Pelagius & ejus sectatores negabant.

Quarto, *Augustinus numquam docuit præcepta aliqua esse impossibilia.*

Contrarium non in uno aut altero, sed in multiplici loco docet ille pius Pater, maxime cum ait l. 1. retr. c. 9. " vi„ des igitur jam, ut existimo, in volun„ tate nostra esse constitutum, ut hoc „ vel fruamur, vel careamus tanto & „ tam vero bono, & c. 10. n. 2. illud „ autem lumen non irrationabilium avium „ oculos pascit, sed pura corda eorum, „ qui Deo credunt, & ab amore visibi„ lium rerum & temporalium se ad ejus „ præcepta implenda convertunt, quod „ omnes homines possunt si velint. Non „ existiment novi hæretici Pelagiani se„ cundum eos esse dictum: verum est „ enim omnino, omnes homines hoc pos„ se, si velint, sed præparatur voluntas „ a Domino. „

Rursus l. de natura & gratia c. 67. n. 80. probat præcepta non esse impossibilia, alias, inquit, homo non peccaret legem transgrediendo. " Quis enim peccat, „ *ajebat Pelagianis*, in eo quod caveri „ nullo modo potest? Et ibidem c. 69. n. 83. valde autem bona sunt præcep„ ta, si legitime his utamur. Eo quip„ pe ipso quo firmissime creditur, Deum „ justum & bonum impossibilia non po„ tuisse præcipere, hinc admonemus & „ in facilibus quid agamus, & in diffi„ cilibus quid petamus. . . & petat quo „ destituitur, ut impleat quod jubetur.„ Duas affert luculentissimas rationes Augustinus, quibus probat Deum non solum impossibilia non præcipere, verum etiam non posse præcipere; quia, inquit, est & justus & bonus; foret igitur, quod absit dicere, injustus, & ne dicam iniquus, si impossibilia præciperet. Igitur ea omnia omnino Dei præcepta possibilia sunt peccatoribus, a fortiori & justis conantibus.

Quinto. *Augustinus docet necessitatem gratiæ salvo jure naturæ nostræ liberæ; ita ut non se habeat, ut inanime quoddam sub dominio gratiæ.*

Hanc propugnat veritatem l. propos. in Epist. ad Rom. prop. 61. & 62. " no„ strum est, *inquit*, credere & velle, „ Dei autem dare credentibus, & vo„ lentibus facultatem bene operandi per „ Spiritum sanctum, per quem charitas „ Dei diffunditur in cordibus nostris ut „ nos misericordes efficiat. Quod autem „ ait, igitur non volentis, neque cur„ rentis, sed miserentis est Dei, non „ tollit liberum arbitrium voluntatis, „ sed non sufficere dicit velle nostrum, nisi

„ nisi adjuvet Deus, misericordes nos „ efficiendo ad bene operandum per do- „ num Spiritus sancti : ad hoc referens „ quod superius dixit, miserebor cui mi- „ sertus ero, & misericordiam præstabo „ cui misericors fuero, quia neque velle „ possumus, nisi vocemur; & cum post „ vocationem voluerimus, non sufficit „ voluntas nostra, & cursus noster, nisi „ Deus & vires currentibus præbeat, & „ perducat quo vocat.

Idem l. 1. ad Simplic. qu. 2. ait : " Non se quisque arbitretur percepisse „ gratiam, qua bene operatus est, sed „ bene operari non posse nisi per fidem „ perceperit gratiam. & l. 7. de g. & „ lib. arb. c. 5. Non ego, sed gratia „ Dei mecum, ac per hoc, non gratia „ Dei sola, nec ipse solus : sed gratia „ Dei cum illo. Ut autem de cœlo vo- „ caretur, & tam magna & efficacissima „ vocatione converteretur, gratia Dei „ erat sola; quia merita ejus erant ma- „ gna, sed mala. Rursus in Psal. 77. ℣. „ 8. (Gratia Dei non solum operatur „ remissionem peccatorum, sed etiam „ cooperantem sibi facit hominis spiritum „ in opere bonorum factorum) &c. Et hoc modo gratiam non separat a voluntate, nec voluntatem sejungit a gratia, sed utrumque dicit agere, gratiam quidem ut primam causam adjuvantem infirmitatem nostram; voluntatem vero adjutam ut causam secundam, & gratiæ cooperatricem.

Sexto, *Augustinus docet liberum arbitrium semper manere sub dominio gratiæ etiam efficacis.*

Beatus ille Pater jura libertatis acerrime defendit, *sic loquitur Epist. 46. ad Valentinum*. Credit divinis eloquiis, quia „ & liberum est hominis arbitrium, & „ gratia Dei, sine cujus adjutorio libe- „ rum arbitrium nec converti potest ad „ Deum, nec perficere. *Et Epist. 47. ad eundem*. Fides sana neque liberum „ arbitrium negat sive in vitam malam, „ sive in bonam, neque tantum ei tri- „ buit ut sine gratia valeat aliquid, sive „ ut ex malo convertatur in bonum, si- „ ve ut in bono perseveranter proficiat, „ sive ut ad bonum sempiternum perve- „ niat, ubi jam non timeat ne deficiat.

„ *Idem l. de g. & lib. arb. c. 4. dicit :* „ Illa quæ præcipiuntur in lege Dei, ne „ fornicationes & adulteria committan- „ tur, non indicant aliud quam liberum „ arbitrium. Neque enim præciperentur, „ nisi homo haberet propriam volunta- „ tem, qua divinis præceptis obediret. „ *Et l. de fide contra Manichæos c.* 10. „ (Quis non clamet stultum esse, præ- „ cepta dare ei cui liberum non est quod „ præcipitur facere, & iniquum esse eum „ damnare, cui non fuit potestas jussa „ complere?) Probat invincibiliter esse de fide dari in homine liberum arbitrium, dicit illud consistere in eo quod homo possit eligere bonum & malum, & ideo dari præcepta & exhortationes, ut pro innata libertate homo declinet a malo ut faciat bonum; quod autem talis sit Augustini sensus, & non fucatam & dolosam admittat libertatem in spontaneitate consistentem : audi eundem l. contra Fortunatum, disp. 2. " Animæ, inquit, ra- „ tionali quæ est in homine dedit Deus „ liberum arbitrium. Sic enim posset ha- „ bere merita, si voluntate, non neces- „ sitate boni essemus. Cum ergo opor- „ teat non necessitate bonum esse, opor- „ tebat, ut Deus animæ daret liberum „ arbitrium, & qui enim cogitur neces- „ sitate aliquid facere, non peccat : ni- „ hil mali fecit, qui nihil sua voluntate „ fecit.) Voluntate aliquid facere, est, ut patet, secundum Augustinum libere & per electionem agere, ergo, &c.

Præterea certum est Augustinum in libris omnibus quos conscripsit ante natam Pelagii hæresim liberum arbitrium ubique docuisse secundum traditionem Patrum quatuor primorum sæculorum; idem peregit in libris contra Pelagianos; jam citavimus librum de gr. & lib. arb. c. 4. quem composuit contra Pelagium. Idem stabilivit liberum arbitrium c. 2. auctoritate libri Ecclesiastici, ubi dicitur ignem & aquam esse ante hominem ut apponat manum ad quod voluerit. Et in toto libro totus est ut probet dari liberum arbitrium, præsertim vero cum illud elucubraverit opus ut declinaret calumniam Pelagianorum, qui prædicabant S. Doctorem hominis destruere libertatem.

Celeberrimum est pro hoc momento testimonium quod depromitur ex lib. de spiritu & litt. c. 34. n. 60. " Quis at- „ tendat,

„ tendat, *inquit Augustinus*, & videat, „ non ideo tantum istam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter „ concreatum est, verum etiam quod virorum suasionibus agit Deus, ut velimus & credamus, sive entrinsecus per „ Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut „ ad gratiam justificantem credendo confugiat; sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire, vel dissentire „ propriæ voluntatis est. „ &c. Ex hoc patet quomodo Doctorum princeps liberum arbitrium agnoscit, quomodo illud constituit in indifferentia actus, & quidem tanta, ut homo vocatus possit resistere vocanti, quomodo omnem eliminat a voluntate in actibus ejus necessitatem. Igitur non solum non adhæsit Prædestinatianis; verum potius omnia eorum proscripsit dogmata, quippe qui nullam admittat in prędestinatione virtutem necessitantem, nullum fatum, nulla præcepta impossibilia. Quinnimmo Deum velle omnium salutem, Christum ad hoc misericorditer pro singulis sanguinem fudisse, totis viribus probat. Hinc evanescunt Pelagianorum & Semipelagianorum improperia. Hinc Augustinus & gratiæ & liberi arbitrii ut Doctor eximius celebratur.

S. Augustinus est sui ipsius interpres in solutione objectionum quæ hic expenuntur.

Obijcies. Augustinus Enchir. c. 30. sic loquitur. (*Libero arbitrio utens homo, se perdidit & ipsum.*) Igitur Augustinus non agnoscit libertatem indifferentiæ in homine lapso, sed solum in homine innocente.

Respondeo distinguendo, homo lapsus amisit peccato liberum arbitrium quoad perfectionem, quia ab hoc tempore non habet tantam facilitatem ad bonum, concedo: amisit quoad substantiam, nego, &c. Augustinus est sui ipsius interpres l. 2. contra duas Epist. Pelag. c. 5. n. 9. (*Per peccatum Hevæ*, inquit, *arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo, ad bene autem pieque vivendum non valere*, *nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, & cogitationis adjuta.*) Et l. de spiritu & litt. c. 30. firmat responsionem aureis verbis. (*Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? absit; sed magis liberum arbitrium statuimus .... ac per hoc, sicut lex non evacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam qua lex impleatur: ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem qua justitia libere diligatur.*)

Quod autem hic sit genuinus Augustini sensus, patet ex scopo S. Doctoris. Loquitur enim contra Pelagianos qui dicebant peccatum Hevæ non transmissum fuisse ad posteros, nullum esse peccatum originale, liberum arbitrium integrum esse sanum in nobis; quos errores volens perstringere, docet in sensu opposito Pelagianis, hominem in præsenti statu non habere liberum arbitrium, quale erat in Adamo, nostrum non tantum non valere ad bonum, quantum valebat in homine innocente, quod verissimum est & fidei omnino consonum.

Instabis, in Psal. 98. sic loquitur: (*Homo ...... quando vult ægrotat, non quando vult surgit.*) Ergo ex Augustino non est in homine lapso libertas indifferentiæ, alias posset surgere quando vult.

Respondeo distinguendo. Homo non potest surgere a peccato sine gratia, concedo. Sola quippe justificat impium. Non potest cum gratia, nego; jam vero cum Deus det singulis adultis gratiam sufficientem, homo ipsius ope potest semper & declinare a malo, & facere bonum; quinimmo & salvari. Talis est genuinus Augustini sensus; enimvero S. Doctor agit contra Pelagianos qui hominem non esse ægrotum sed viribus propriis omnia posse effutiebant, contendit e contra in homine a planta pedis usque ad verticem, non esse sanitatem, nec sine gratiæ auxilio posse a peccatis resurgere.

Sic S. Aug. seipsum explicat lib. de gr. & lib. arb. c. 12. " Semper inest in nobis „ voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim a justitia libera est, quando „ servit peccato, & tunc est mala: aut a „ peccato libera est, quando servit justitiæ, & tunc est bona. Gratia vero Dei „ semper bona est: & per hanc fit, ut sit „ homo

„ homo bonæ voluntatis, qui prius fuit „ voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, „ ut ipsa bona voluntas quæ jam esse cœ- „ pit, augeatur : & tam magna fiat, „ ut possit implere divina mandata quæ „ voluerit. „

Rursus exaltans liberum arbitrium, passim dicit peccatorem culpa sua non converti, eum vero non necessitari neque a concupiscentia, quia per gratiam oblatam potest illam vincere, neque ab ipsa gratia, quia potest illam rejicere. Sic enim loquitur l. de pecc. meritis c. 17. " Cum voluntate humana gratia ad- „ juvante divina sine peccato in hac vi- „ ta possit homo esse ; cur non sit ? „ possem facillime atque veracissime res- „ pondere, quia homines nolunt... no- „ lunt homines facere quod justum est, „ sive quia latet an justum sit, sive quia „ non delectat....... ideo quisque no- „ strum bonum opus suscipere, agere, „ implere, nunc scit, nunc nescit, nunc „ delectatur, nunc non delectatur, ut „ noverint non suæ facultatis, sed divi- „ ni muneris esse, vel quod sit, vel quod „ delectetur. *Et Epist.* 95. *ad Innocen- „ tium*. Satis ergo apparet, quod ad non „ peccandum, idest, ad non male agen- „ dum, quamvis esse non dubitetur arbi- „ trium voluntatis, tamen ejus potestas „ non sufficiat, nisi adjuvetur infirmi- „ tas. „ Cæterum in loco ex quo eruitur objectio, solutio invenitur. Sic enim habetur de peccatore. " Quando vult „ ægrotat, non quando vult surgit. Si „ vult, vivat intemperanter.... neces- „ sariam habet artificis medicinam. Sic „ ergo ut peccet homo, ipse sibi sufficit „ ad peccandum : ut justificetur, non sibi „ sufficit, nisi ab illo justificetur qui so- „ lus est justus. „

Iterum instabis ex Augustino, peccator non potest surgere sine gratia, & quidem efficaci, sed illa multis peccatoribus deest; igitur non possunt resurgere absolute in doctrina S. Doctoris.

Respondeo 1. Hominem posse resurgere cum gratia sufficiente, quæ nulli deest, urgente præcepto ; sed non resurget sine efficaci quæ quidem multis deest, quia ut dictum est supra ex Augustino, nolunt acquiescere vocanti. Ipsemet Augustinus variis multisque modis respondet ex professo ad istam difficultatem l. de dono perseverant. c. 8. (*Si quæritur cur in eadem causa me potius quam illum puniat, aut illum quam me potius liberet ? hoc non dico: si quæris quare ? fateor me non invenire quid dicam. Si & hoc quæris quare, quia in hac re sicut justa est ira ejus, sic & magna misericordia ejus : & sicut magna misericordia est, ita & inscrutabilia sunt judicia ejus.*) *Rursus* l. 1. contra duas Epist. Pelag. c. 20. (*Sufficit homini scire, quod non est iniquitas apud Deum.*) Et l. 1. de pecc. merit. c. 21. (*Gratia Dei cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta esse causa potest, injusta non po est ; numquid enim iniquitas est apud Deum? absit.*

Rursus instabis, Augustinus dicit inesse homini necessitatem peccandi in hoc statu : igitur videtur favere Prædestinatianis. Probatur antecedens. 1. l. adversus articulos sibi falso impositos, respondens ad ar. 6. dicit mundum esse totaliter in maligno positum, *multorum hominum talis est malitia, qualis & dæmonum*, dæmones autem necessario peccant ; igitur ex Augustino & homines. 2. l. de perfection. just. ratiocin. 9. *Per arbitrii libertatem factum est ut homo esset cum peccato : sed jam pœnalis vitiositas subsequuta, ex libertate fecit necessitatem*. 3. l. imperf. contra Julianum n. 105. *Multum erras qui vel necessitatem putas nullam esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est*. Quibus ultimis verbis probat primum Adæ peccatum libere quidem commissum fuisse, nunc vero in pœnam primi illius peccati, hominem necessario peccare. Ergo, &c.

Respondeo distinguendo, & in his omnibus locis admittit tantum Augustinus necessitatem quandam generalem seu moralem peccandi venialiter, concedo; peccandi mortaliter, nego. Agit S. Doctor contra Pelagianos qui negabant peccatum originale, quod quidem pluribus momentis eis probat, maxime ex hoc quod absque privilegio omnia venialia collective non possumus vitare, quod sane magnam arguit infirmitatem, infirmitas autem denotat peccatum originale. Loquitur igitur tantum de peccatis venialibus S. Præsul in primo loco : ait enim : *Totus quidem mundus*, sicut ait Apostolus Joannes, *in maligno positus est*. Et sic probat difficillimum esse vitare omnia peccata venialia.

lia. Dicit quidem per figuram, homines malos esse ut dæmones; sed secundum quid & non omnimode, nam ibidem subjungit: *Sed hoc inter malos homines & dæmones distat, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio: dæmonibus nulla servata est conversio.* Igitur homines ex Augustino habent liberum arbitrium, cum possint se convertere.

Ad secundum. Augustinus eodem prope modo se explicat; loquitur enim & de peccatis venialibus, & de infirmitatibus quotidianis; nam in probationem affert locum Psalmi 24. *Ad Deum*, inquit, *fides clamat, de necessitatibus erue me: sub quibus positi, vel non possumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere. Nam & ipsa libertas credentibus a liberatore promittitur. Si vos*, inquit, *filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*. Joan. 8. *Victa est vitio in quo cecidit voluntate, caruit libertate natura*; quibus verbis probat duo contra Pelagianos, scilicet peccatum originale per fragilitates humanas, quas vocat pœnales vitiositates, & importunas necessitates, siquidem cor nostrum derelinquit nos. Probat & necessitatem gratiæ medicinalis, ut habeamus libertatem filiorum Dei, qua volumus, & eligimus bonos esse. Et vero nonne concupiscentiæ motus primo primi & indeliberati, qui teste Apostolo pugnant adversus spiritum, sunt fatales necessitates, & peccati originalis infelices sequelæ atque effectus, clamante Propheta ad Deum & dicente: *de necessitatibus meis erue me?*

Ad tertium. Optime sequitur illud quod Augustinus Juliano exprobrat, eum scilicet multum errare, non agnoscendo ejusmodi miserias ut effectus peccati primi parentis; quid tamen verius? sunt enim pęnæ peccati originalis quas nos tanquam filii patris inobedientis juste patimur, & utinam prosint per patientiam ad meritum; unde bene dicit Augustinus quod non erant ejusmodi necessitates in Adamo, quia nondum peccaverat, in nobis vero propter naturam corruptam quam accepimus ab illo, sunt necessitates, in quantum, teste Apostolo, sumus natura filii iræ. Et vero non erat concupiscentia, & rebellio partis inferioris in primo homine, sed est in nobis; quo quidem argumento probat irrefragabiliter Augustinus peccatum originale: sed non loquitur de actibus humanis deliberatis, quos ubique dicit liberrimos, ut patet ex textibus quos in medium attulimus.

Quod autem hic sit germanus Augustini sensus patet ex l. 2. de pecc. remiss. & ex l. 1. ad Bonifacium c. 14. ubi dicit vitam Sanctorum culpa lethali posse esse immunem, sed non absque peccato. Porro per illud vocabulum (*sine peccato*) intelligit tantum culpas veniales, namque affert in probationem illud 1. Joan. 18. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*. Et in Psal. 129. ait: possum vitare homicidia, adulteria, furta, perjuria, maleficia, idololatriam; sed nunquid possum vitare omnia peccata? Et sermone 41. de Sanctis, asserit, innumerabilem esse peccatorum multitudinem, quinimmo vitam sanctissimorum propter vulnera a peccato originali inflicta ab omnibus nec esse mundam. Unde, inquit idem Augustinus, Propheta clamat, *delicta quis intelligit? ab occultis munda me Domine, de necessitatibus erue me. Ignorantia igitur*, inquit idem S. Doctor l. 2. de pecc. merit. c. 17. *& infirmitas vitia sunt quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum, ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est*. Ecce quomodo iterum atque iterum probat peccatum originale per ignorantias & infirmitates, quas necessitates vocat: quomodo probat per morbos necessitatem gratiæ medicinalis contra Pelagianos.

Juvat adhuc difficultatis solutionem ab ipso Augustino proferre; eandem enim sibi proponit objectionem, aut plane similem instantiæ factæ, l. 1. ad Simplic. q. 1. post medium his Apostoli verbis: *velle enim*, inquit, *adjacet mihi, perficere* „ *autem bonum non invenio. Rom.* 7. *in*„ *quit August.* videtur non recte intelli„ gentibus velut auferre liberum arbi„ trium. Sed quomodo aufert, cum di„ cat, velle adjacet mihi? certe enim „ ipsum velle in potestate est, quoniam „ adjacet nobis; sed quod perficere bo„ num non est in potestate, ad meritum „ pertinet originalis peccati. Non enim „ est hæc prima natura hominis, sed de„ licti pęna, per quam facta est ipsa mortali-

„ talitas quasi secunda natura, unde nos „ gratia liberat conditoris subditos sibi „ per fidem, &c. Hoc restat in ista „ mortali vita libero arbitrio, non ut „ impleat homo justitiam cum voluerit, „ sed ut se supplici pietate convertat ad „ eum, cujus dono eam possit implere. „ Igitur non recte profecto intelligunt Scripturas ex divo Augustino, qui credunt liberum arbitrium amissum per concupiscentiam, aliasve peccati originalis infirmitates & miserias, quæ quidem consequuntur velut quædam necessitates ad naturam corruptam: unum duntaxat S. Doctor contendit, videlicet quod primus homo innocens, utpote justus & sanus poterat in justitia perseverare, nos vero non sine gratia speciali possumus, & sic revincit Pelagianos qui gratiæ necessitatem procul faciebant.

Instabis adhuc, Augustinus liberum agnoscit arbitrium in Beatis, immo libertatem perfectissimam l. 22. de civ. Dei c. 30. *nec ideo*, inquit, *Beati liberum arbitrium non habebunt*. Sed ista libertas est solum exemptio a coactione, non a necessitate, quandoquidem Beati sunt confirmati in bono, & Deum totius justitiæ fontem necessario amant. Igitur libertas ab Augustino admissa inducit necessitatem. Igitur S. Præsul Prædestinatianis vel tantisper favere videtur.

Respondeo distinguendo, Augustinus agnoscit liberum arbitrium in Beatis, videlicet, libertatem quæ est exemptio & a malo & a passionibus, concedo: libertatem indifferentiæ, subdistinguo, contrarietatis nego, contradictionis, iterum subdistinguo; respectu creaturarum & objecti secundarii beatitudinis, concedo; respectu Dei intuitive visi, nego. Passiones & peccata, teste Augustino, sunt vincula a quibus soluti sunt irrevocabiliter Beati, & in hoc sensu sunt liberi, & quidem libertate contrarietatis, quatenus sanctitatem Dei ita participant, ut non possint peccare. Et vero non est de essentia libertatis quod aliquis possit peccare; Deus enim est liberrimus ad extra, & tamen deficere non potest: igitur posse peccare est quidem de libertate hominis lapsi; sed non Beati. His addo Beatos non esse quidem liberos libertate etiam indifferentiæ respectu Dei visi, quandoquidem summo ita replentur bono, ut in eo ineffabiliter firmentur, esse tamen respectu creaturarum constat; nec mirum, bona creata & sunt finita, & multis carent perfectionibus; igitur non nostrum satiant perfecte appetitum, quamobrem ea modo amore prosequimur, modo illis relictis, alia meliora quærimus.

Solutio est ipsius Augustini ibidem, ubi sic ait: *Nec ideo Beati liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt....... certe Deus ipse numquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est? Erit ergo illius civitatis, & una in omnibus, & inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruendi indeficienter æternorum jucunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita pœnarum.*

Unde l. 1. ad Bonifacium sic se explicat pro viatoribus: *Quis autem nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit, sed illa quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam.*

Instabis, ex Augustino non satis apparet libertas indifferentiæ sub dominio gratiæ, siquidem non potest homo resistere gratiæ efficaci. Et probatur l. de corr. & gr. cap. 12. n. 38. sic loquitur S. Doctor: *Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; infirmis servavit, ut ipso donante invictissime, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollent.* Ergo, inquiunt Lutherus & Calvinus cæterique Prædestinantes, teste Augustino, non manet libertas sub dominio gratiæ.

Respondeo 1. Perperam novatores in suas trahere partes B. Augustinum, quippe qui doceat ex professo in l. de g. & lib. arb. voluntatem manere liberam sub dominio gratiæ, immo cum ea esse liberiorem. Tridentinum ipsum est Augustini interpres, siquidem voluit opera tanti Doctoris apponi super tabulam in conspectu Patrum, ut fideles intelligerent Concilium suas depromere definitiones, maxime de gratia & libero arbitrio ex doctrina S. Aug. Porro sacra illa Synodus definivit liberum arbitrium motum a gratia posse dissentire si velit: igitur

tur & ex Augustino potest liberum arbitrium dissentire, cum doctrina Concilii sit doctrina Augustini. Unde imponunt tanto Doctori Lutherus & Calvinus probantes per Augustinum liberum arbitrium rapi ut inanime quoddam, en quomodo iniquitas mentitur sibi; Augustinus enim quasi prævidens a longe propellit hanc a se calumniam; sic enim loquitur serm. 13. de verbis Apostoli, explicans illa verba (quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei) *Dicet mibi aliquis, ergo agimur, non agimus? Agis & ageris, ipsum nomen adjutorii præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis, nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur, si non esset operator, ille non esset cooperator, non enim adjutor ille est, si nihil agatur.*

Respondeo 2. distinguendo, gratia efficax ordinaria movet indeclinabiliter, nego. Gratia perseverantiæ; subdistinguo, adæquate sumpta, concedo, inadæquate sumpta, nego. Gratia perseverantiæ finalis adæquate considerata dicit auxilium interius quo homo vult & facit bonum usque ad finem: dicit & auxilium exterius Providentiæ cuncta ordinantis, ut mors veniat in tempore quo homo amore & charitate flagrat, quod quidem auxilium movet indeclinabiliter, in quantum jungit mortem cum gratia; hoc certe non pendet ab homine, qua de causa perseverantia finalis vocatur a sacro Concilio Tridentino gratia specialis, immo dicam esse specialissimam, tum quia importat gratiarum seriem, quę & ad tentationes continuo occurrentes devincendas, & ad præcepta adimplenda necessariæ sunt; tum quia etiam figit hominem immobiliter in bono. Verum si perseverantia spectetur secundum gratiam actualem quæ movet hominem, modo ad fidem profitendam, modo ad actum amoris erga Deum eliciendum, profecto potest ei resisti, tametsi hoc non eveniat. Cæterum perseverantia finalis quandoque non importat auxilium actuale ut in iis qui apoplexia obruti moriuntur.

Certum est autem Augustinum in l. de corr. & g. c. 31. & 12. ubi loquitur de gratia indeclinabiliter movente, agere de gratia perseverantiæ finalis, quia ibi ponit discrimen inter gratiam Adæ innocentis, & gratiam Christi, quod primus homo per gratiam suam poterat perseverare si voluisset; per gratiam autem Christi, inquit, habemus non solum id quo possumus perseverare, sed quo de facto multi finaliter perseverant. Et sic evanescunt omnia Lutheri & Calvini argumenta.

Respondeo 3. Ex Augustino gratia Christi differt a gratia Adami in eo quod invictissime moveat voluntatem; gratia vero Adæ esset libero arbitrio subdita, distinguo. Et loquitur de gratia Christi adæquate, ut dicit omnem gratiam actualem efficacem tam ad bonum faciendum, quam ad finaliter perseverandum, concedo. Et loquitur de aliqua tantum gratia actuali, nego. D. Augustinus in capitibus citatis loquitur semper de gratia Christi per comparationem ad gratiam Adami: priorem quidem super istam celebrat, in eo quod non det solum posse bonum, sed & facere, & facere etiam finaliter, ut ostendat quomodo superabundet gratia Christi, quæ quidem argumentatio nihil concluderet, nisi loqueretur de gratia actuali in tota sua latitudine, scilicet ut dicit gratiam efficacem & ab bonum operandum, & ad finaliter perseverandum, immo & gratiam actualem extrinsecam, nempe providentiam extraordinariam quæ mortem cum gratia conjungit.

Cæteras objectiones ex Augustini libris depromptas contra libertatem solvimus supra, agendo de libertate & de præscientia Dei, ubi ostendimus S. Doctorem semper & ubique propugnasse libertatem indifferentiæ sub præscientia Dei.

Diluuntur de novo argumenta in contrarium.

Claritatis tamen causa difficultates jam propositas breviter resumo, & quasdam alias cæteris non absimiles subjicio, ut iterum atque iterum faciamus satis, ne aliquis remaneat circa mentem B. Augustini scrupulus.

Primo. Objicitur ex B. Aug. Epist. 107. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.*

Secundo. L. oper. imperf. c. 47. *Ipse est Adam quem nostra illa definitio quæ tibi placuit, intuebatur, cum dicerem: peccatum*

cetum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Adam quippe omnino quando peccavit, nihil ipse hab.bat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum. Igitur non est homini lapso liberum a malo abstinere.

Tertio. Beati liberum habent arbitrium, & tamen necessario amant Deum. Ait de illis Aug. l. 2. de civ. Dei c. ult. *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eo. de ectare non poterunt*. Sufficit igitur velle ad hoc ut aliquis sit liber, tametsi non habeat indifferentiam actus juxta illud Aug. l. 2. de lib. arb. c. 3. *Illud nos habere in potestate dicimus, quod cum volumus, facimus*. Rursus ibidem. *Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate*.

Quarto. Ex Aug. sufficit ad libertatem non cogi. Sic loquitur l. 1. oper. imp. c. 101. *Quomodo autem dicis eum, cujus voluntatem nos dicimus a Domino præparari, ita fieri bonæ voluntatis, ut bonum velle cogatur? quod absit ut dicatur a nobis. Viderit præclara intelligentia tua, si enim cogitur, non vult*.

Quinto. Solam necessitatem naturalem, ut vivendi & moriendi libertati adversam prædicat, eam quæ spontaneitatem & indifferentiam complectitur. Ait l. 5. de civ. Dei c. 10. *Si enim necessitas nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate; sed etiam si nolumus efficit quod potest, sicut est necessitas mortis, manifestum est voluntates nostras, quibus recte vel perperam vivitur, sub tali necessitate non esse ... Si autem illa definitur esse necessitas*, secundum *quam dicimus necesse esse ut ita sit aliquid vel ita fiat; nescio cur eam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis, Neque enim & vitam Dei & præscientiam sub necessitate ponimus; si dicamus necesse esse, Deum semper vivere & cuncta præscire*. Profecto Deus necessitate vera, immo & verissima vivit & cuncta præscit. Ergo, &c.

Respondeo ad primum distinguendo; libertatem a miseriis, puta ab ignorantia & concupiscentia granditate peccati Adæ amisimus, concedo; iis quippe defectibus si non peccasset protoparens, nusquam subjecti fuissemus: libertatem indifferentiæ, subdistinguo; promptam & facilem, concedo; realem, nego. Varias habebat præclaras dotes status Adami. In eo primi parentes erant a miseriis immunes ita ut promptam facilemque haberent ad bonum operandum potentiam, sed hæc omnia & pro se & pro posteris Adamus suo amisit peccato; ex quo ignorantia & concupiscentia; ex quo difficultas ad bonum. Ante peccatum voluntas hominis integra & sana habebat & indifferentiam actus physicam, quæ in eo potissimum sita est, quod voluntas habebat in sua potestate actum; & moralem, quæ est eadem facultas nullis irretita ad agendum impedimentis, qua de causa perfectum habebat sicut ad malum ita & ad bonum æquilibrium: remansit quidem libertas quoad se juxta illud Aug. l. 2. contra duas Epist. Pelag. c. 5. *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus*; sed amissa est libertas a miseriis, facilitas ad bonum, nec æquilibrium ad bonum faciendum & declinandum a malo habet homo, nisi gratia Christi & sanetur & adjuvetur. Sic respondet B. Aug. ibid. subdit enim: *periisse non dicimus* arbitrium, *sed ad peccandum valere in homine subdito diabolo: ad bene autem pieque vivendum non valere; nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, cognitionis, sermonis adjuta*.

Ad secundum distinguo; definitio peccati, qua dicitur illud esse a quo liberum est abstinere, eatenus soli Adæ innocenti convenit, quatenus habebat libertatem sanam ad bonum operandum nostra promptiorem & expeditiorem, concedo: itaut non conveniat homini lapso, nego. S. Doctor in infinitis prope locis libertatem indifferentiæ actus prædicat. Immo ibidem sic pronuntiat: *Multa quippe sunt, quæ agunt homines, mala, a quibus est liberum abstinere; sed nulli tam liberum est quam illi fuit, qui Deo suo, a quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio depravatus adstabat*. Sic autem loquitur S. Præsul ut probet adversariis suis, nempe Pelagianis, peccatum originale, & hoc argumento certe irrefragabili, videlicet ex difficultate boni inducta per peccatum Adæ.

Ad tertium distinguo: Beati sunt liberi & a miseriis, & a peccato, concedo: sunt liberi libertate indifferentiæ, subdistinguo; ad creaturas amandas, concedo: ad Deum diligendum, nego. Ibi S. Doctor

ctor agit utique contra Pelagianos qui duplici movebantur errore: primo quidem asserebant naturam nostram esse ex se integram & tantum valere ad bonum, quantum valet ad malum, & ad utrumque perfecto gaudere æquilibrio. Secundo gratiam prævenientem tanquam libertati adversam abnuebant, eo falso ducti principio, quod ad malum patrandum æquilibrium tolleret; hinc confidenter asserere non dubitabant, potestatem faciendi bonum, & declinandi a malo ita esse libertati essentialem, ut illa sublata, nullum remaneret liberum ad agendum arbitrium. Duo maxime propugnat Augustinus; 1. Beatos a miseriis immunes esse, nusquam vero homines, ex quo sequitur dari peccatum originale. Alterum contendit S. Doctor gratiam liberum non destruere arbitrium, cum in ipsis Beatis remaneat circa objectum beatitudinis secundarium, scilicet, ad diligendum Deum ut ejus relucet bonitas in creaturis. Denique non esse de essentia libertatis adæquate sumptæ posse peccare; quandoquidem & Deus, & Beati sunt liberi, non sine libertate contrarietatis, quæ est ad bonum & malum, sed libertate contradictionis quæ penes actum & non actum mensuratur. Quod autem Aug. nusquam neget in viatoribus libertatem indifferentiæ, passim docet, maxime l. de duabus anim. c. 11. his verbis: *Nec hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione suppliciove dignum, qui aut velit quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non potest. Nonne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis?*

Alia loca in confirmationem adducta facile explanantur sic distinguendo, illud est in nostra potestate quod volumus voluntate electiva, concedo: voluntate spontaneitatis quæ agit ut natura & non ut libera, nego: omne quippe liberum est voluntarium, sed non e contra. B. Aug. est sui ipsius interpres l. 2. de act. cum Felice c. 4. his verbis: *Cum ergo dicit: aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arborem potest; sed habet unusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala.* Igitur nomine voluntatis intelligit S. Doctor liberum arbitrium, unde l. de duab. anim. c. 12. distinguit id quod est a voluntate ut natura, sicut motus primo primus & desiderium beatitudinis in genere; omnes quippe necessario appetunt beatitudinem, & id quod est a voluntate ut libera, ut ejusdem beatitudinis in particulari volitio, eligendo scilicet pro sua beatitudine Deum; liberi quippe sumus ut beatitudinem in hoc vel alio bono reponamus. Sic intonat S. Præsul: *Quamobrem si illa anima, quidquid faciunt, si natura non voluntate faciunt; idest, si libero ad faciendum motu animi carent; si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato earum teneri non possumus.*

Ad quartum distinguo, voluntas est libera eo ipso quo est immunis a coactione tam rigorose quam late sumpta, concedo: a coactione tantum rigorose sumpta, nego. Violentia est rigorosa coactio; necessitas vero, lata; difficultas ad bonum quædam moralis necessitas: prima & secunda opponuntur libertatis essentiæ, unde utramque ab ea excludit S. Aug. tertia solummodo adversatur libertatis perfectioni, unde non perimit liberum arbitrium, nam & gratia adjuvante de medio tollitur. Augustinus hunc prodit sensum l. contra Fortun. disp. 1. *Quomodo habemus peccata, si natura contraria nos cogit facere quæ facimus? qui enim cogitur necessitate aliquid facere, non peccat: qui autem peccat, libero arbitrio peccat.* Igitur ex Aug. qui necessitate ad aliquid faciendum compellitur, cogitur.

Ad quintum, distinguo; necessitas hypothetica & consequentiæ, quæ ab ipsius voluntatis determinatione promanat, non opponitur libertati, concedo, supposito quippe quod agam, necessario operor, sed libere, quia prævia electione: necessitas antecedens, nego; hæc enim oritur ab agente extrinseco ineluctabiliter determinante voluntatem ad aliquid, & hoc independenter ab ipsa. S. Aug. loquitur tantummodo de prima necessitate dum ait: *Nescio cur timeamus ne nobis auferat libertatem voluntatis*, & hoc propter tria. Primo quidem quia ibi refellit Ciceronem negantem Dei Providentiam tanquam libertati adversam; quæ

enim sunt contingentia posse præsciri non putabat : e contra propugnat S. Doctor libertatem præscientia non offendi, quandoquidem, ut alibi non semel dicit, Deus *præscit & voluntates nostras*; porro intendit in loco pro objectione citato concordare libertatem cum præscientia. Igitur loquitur tantummodo de necessitate consequentiæ : ibidem sic loquitur *; quocirca nullo modo cogimur, aut retenta præscientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum negare futurorum præscium. Sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confitemur*. Secundo, quia ibi S. Præsul sermonem instituit de libertate indifferentiæ quæ alternata vice & ad nutum se habet ad opposita, *Manifestum est*, inquit, *voluntates nostras quibus recte vel perperam vivitur, &c.* Tertio, denique hoc patet ex exemplis quæ affert S. Aug. illam libertatem indifferentiæ defendere; namque utitur comparatione & præscientiæ & vitæ Dei : prima quidem libero non nocet arbitrio, namque nostras præscit voluntates; nec utique vita Dei, quæ teste D. Thoma est ejus intellectio, quandoquidem si res ex determinatione causarum futuræ sunt, eas profecto præintelligit Deus. Igitur B. Aug. loquitur tantum de necessitate hypothetica.

Nec plus virium habet contra libertatem electionis illud quod objiciunt aliqui, D. Augustinum l. de natu. & g. c. 46. docere libertatem non magis constringi per id quod naturali necessitate fit, quam per desiderium beatitudinis ut sic omnibus innatum ; sensus quippe est etsi nos ex impetu naturæ quandoque operemur, remanere tamen in nobis potentiam agendi elective in iis quæ ex reflexione contingunt. Quod isto confirmat exemplo : licet in genere necessario velimus beatitudinem, libere tamen admodum in particulari, non enim omnes illam ponunt in Deo.

Cæterum ibi quæstio non movetur præcise de libertate, sed de necessitate gratiæ quam exsufflare volebat Pelagius, ut ex ejus verbis ibidem relatis liquet, contendendo liberum arbitrium eatenus esse gratiam, quatenus datur nobis a Deo, cujus inquit est donum, quandoquidem non est in nostra potestate illud habere, cum multa necessitate naturali faciamus, quod quidem fucatum subvertit principium S. Augustinus, dicendo aliquid posse esse ex nobis, tametsi a voluntate necessario promanet, adeoque potentiam liberi arbitrii non esse gratiam : enimvero desiderium beatitudinis in genere inest nobis necessario, & tamen quis dicet ad nostram non spectare naturam, & ab ipsa non profluere : sic loquitur Aug. contra Pelagium. *Sed quid ad nos? videamus quid ille contexat. Voluntatis enim arbitrio*, inquit, *ac deliberatione privatur quidquid naturali necessitate constringitur. Et hic nulla quæstio est. Perquam enim absurdum est, ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram quod Beati esse volumus, quod omnino nolle non possumus, nescio qua & bona constrictione naturæ.* Et sic evanescit illa objectio quæ est adversus libertatem indifferentiæ apud heterodoxos palmaris.

Alia permulta quæ solent objicere adversarii brevitatis causa mitto : quia tamen nonnulli ex multitudine locorum e diversis operibus B. Aug. excerptorum, quæ per se aliquam implicare difficultatem videntur, aliqua in pravos aut detorquent aut sumunt sensus, nonnulla annotanda sunt ad genuinam S. Doctoris assequendam mentem.

Observes igitur velim, benevole lector, S. Augustinum varios gratiæ divinæ debellare hostes, videlicet, Manichæos, Pelagianos & Semipelagianos. Primi vitam humanam fato quodam ineluctabili necessario astringi volebant, ipse vero e contra consentire vel dissentire gratiæ proprium esse liberi arbitrii privilegium propugnat. Secundi peccatum negabant originale, & Christi gratiam ita evacuabant, ut hominem viribus innatis posse credere, sperare in Deum, illumque amare autumarent : Augustinus eos suo perstringit stilo censorio, asserendo hominem granditate peccati liberum perfectum amisisse arbitrium, non posse aut vincere teutationes, aut divina adimplere præcepta, & quibusdam peccandi subjici necessitatibus : sed quo sensu hæc & similia dicat, intellige ex scopo, videlicet in sensu Pelagianis opposito, & ut gratiæ Christi comprobet necessitatem. Hic est igitur, homo gratiam amisit originalem qua posse bonum proxime habebat,

nunc

nunc vero absque gratiæ medicinalis ope nec declinare a malo, nec facere bonum valet, hinc sine gratia non habet libertatem filiorum Dei, qua quidem lætus suam & debellat, & vincit concupiscentiam. Quia vero Pelagius gratiam operis inutilem esse asserebat, ut plurimum S. Doctor de efficaci solum, cui non resistitur, & de qua erat caput controversiæ mentionem facit: ast non ideo abjicit sufficientem quam in libris contra Manichæos, & in aliis non semel laudat & astruit. Tertii denique, videlicet Semipelagiani, initium fidei & a natura ducebant, & gratiam perseverantiæ finalis veluti communem, indifferentem & ad nutum voluntatis humanæ versatilem esse effutiebant. Primum, impugnat errorem probando prædestinationem ad fidem & gratiam esse ante prævisa naturæ merita, esse secundum merum Dei propositum. Alterum vero ostendendo auctoritate Patrum perseverantiam finalem esse magnum Dei donum, orationis fœtum, & magis gemitibus quam meritis etiam virtute gratiæ comparatis obtineri: Multarum gratiarum seriem complecti, ipsam mortis cum charitate consociationem importare, ita insuperabiliter firmare hominem in bono, ut sit ipsa supremi boni possessio. Hinc nonnunquam dicit neminem posse resistere gratiæ; gratiam indeclinabiliter voluntatem ad bonum compellere, sed in his & similibus sententiis S. Augustinus loquitur tantummodo de gratia perseverantiæ finalis, quatenus providentiam specialem, quæ mortem cum charitate consociet, actu importat, quatenus est ipsa mors pretiosa in conspectu Domini. Quibus annotatis sicut fumus evanescunt omnia Novatorum & maxime Jansenii Iprensis sophismata; sensus vero D. Augustini genuinus aperitur & explanatur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Beatus Augustinus non favit Prædestinatianis.

Primo quidem hoc probatur ex eo potissimum quod l. 5. de civ. Dei c. 9. aperte impugnet fatum & prædestinationem necessitantem.

Secundo. Quia clare, & ulla absque ambiguitate docet l. de spiritu & litt. c. 32. *Deum velle omnes & singulos homines salvos fieri.*

Tertio. Ex eo etiam quod dicat in Psal. 95. Christum pro singulis hominibus suum fudisse sanguinem.

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD OBJECTIONES.

Primo. Non semel dicit Augustinus hominem granditate peccati suum amisisse liberum arbitrium: verum hoc intelligit tantummodo de perfectione, nusqum vero de realitate.

Secundo. Neque negamus S. Doctorem quandoque dicere hominem non posse resurgere quando vult, sed ejusmodi propositionibus solum indigitare satagit necessitatem gratiæ pro operibus supernaturalibus: namque absque ejus ope nihil pro salute possumus, ipsa vero a nobis non pendet, sed gratis datur.

Tertio. Jam ex dictis patet in quo sensu B. Augustinus dicat inesse homini peccandi necessitatem: primo quidem scribit quandam necessitatem: secundo, intelligit necessitatem tantummodo generalem; cum enim omnes homines sint natura filii iræ, immo & proni ab adolescentia ad malum, in aliqua eos prolabi peccata sequitur, at non necessario, dum hic & nunc operantur.

SECTIO SECUNDA.

Audiendus est Augustinus in scholis pro prædestinatione Sanctorum, pro necessitate & efficacia gratiæ, quia testimonium habet universalis Ecclesiæ.

QUONIAM varii varie loquuti sunt de doctrina S. Augustini circa prædestinationem Sanctorum, circa gratiæ necessitatem & efficaciam, operæ pretium est impræsentiarum ostendere quanti faciat & semper fecerit Ecclesia tanti Doctoris sententias, ut eas quisque vel audiat lubentius, vel sequatur securius, vel teneat confidentius. Quid autem pro hoc momento potentius, quam ostendere Augustini doctrinam habere testimonium universalis Ecclesiæ, summorum scilicet Pontificum, Concilio-

liorum Parrum omnium sæculorum, Academiarum & Theologorum.

Testimonium summorum Pontificum.

Olim Doctor Gentium Paulus dilecto filio suo Timotheo 1. ad Tim. 1. scribens profitebatur se ideo misericordiam consecutum esse a Domino Christo Jesu, ut informaret eos qui credituri erant illi in vitam æternam, ita etiam de Augustino confitebimur, eum nempe ideo misericordiam invenisse, quia confirmare debebat fideles in doctrina sana & contradicentes redarguere.

Quæ splendidior unquam aut fortior scientia ab hominum sapientissimorum ore dimanavit quam divi Augustini doctrina? Hinc est procul dubio quod sic Ecclesia mentem ejus in libris ab ipso scriptis expressam sibi ipsi coaptare non dubitaverit, ut per ipsam pugnans vicerit testante divo Prospero l. adversf. coll. 2. Non immerito igitur Augustinum fulgentissimum lumen ipsa nominat Ecclesia.

Quot fuere Romani Pontifices, tot, dicam, fuere Augustinianæ doctrinæ præcones. Innocentius primus ad ipsummet Augustinum scribens, dicit: nullum esse metuendum erroris locum in ejus litteris, eam solam quam nomine Concilii Africani Synodicam conscripsit Epistolam sufficere ad profligandam Pelagianæ hæreseos perfidiam. Bonifacius miris Augustinum effert laudibus, & quamvis in scientia Theologiæ ipse foret versatissimus, solebat nihilominus, inquit Prosper, l. adv. coll. 21. suffragia Augustini ad debellandos Pelagianorum libros exposcere.

Cœlestinus primus non modo nostri Doctoris scripta probavit, verum etiam detrahentes eis censura & damnatione prosecutus est. A Gelasio Ecclesiasticorum lumen & magister jure merito nuncupatur, *Epist. ad Episc. per Picenum*. Joannes vigesimus magnis utique illum celebrat encomiis. Declarat ejus doctrinam semper secundum prædecessorum suorum statuta extitisse, eamque Ecclesiam Romanam pari zelo & affectione & sequi & servare. Cæteri alii summi Pontifices certatim eisdem aspergunt doctrinam Augustini benedictionibus, ut Clemens octavus, Alexander septimus, Clemens decimus, & Innocentius duodecimus, Clemens undecimus, & sic tandem continua summorum Pontificum series, qui omnes uno ore Augustini doctrinam sanam, & ab omni aut corruptionis aut erroris labe mundam & quasi cœlestem conclamaverunt.

Testimonium Conciliorum.

Divi Augustini gloriam non mediocriter adauget, quod scilicet, non solum Romani Pontifices, verum etiam plurima Concilia conspiraverint in ipsius doctrinæ laudes. In primis quidem Africana Concilia, quorum omnium, inquit Prosper, os erat & verbum omni gladio ancipiti penetrantius ad Pelagianæ hæresis monstra decertanda simul & destruenda. Synodus Sardiniana quæ composita erat ex Episcopis exulantibus propter fidem, in qua non sine magna ipsorum hæreticorum admiratione, tot erant fidei orthodoxæ strenui Confessores, quot cernebantur Patres. Hi, inquam, Præsules gloriosi & fortes, interrogati circa materiam gratiæ & liberi arbitrii, una voce, unanimique erumpente consensu responderunt, præ omnibus tenere se libros sancti Augustini ad Prosperum & Hilarium, de quibus Hormisdas summus Pontifex prædicaverat, contentam in eis doctrinam, universalis Ecclesiæ esse doctrinam & fidem.

Sic Arausicana secunda Synodus Canones tum pro necessitate, tum pro efficacia gratiæ ad instruendos in hac materia fideles, si vult condere, sententias mutuatur ex Augustino, cujus animata spiritu, nullum veretur erroris periculum. Tria quoque Concilia Gallicana, nempe Valentinum tertium, Lingonense & Tullense doctrinam Seraphici illius Doctoris instar fidei regulæ tenuerunt. Sic pariter Florentinus percelebris Conventus, in quo applaudente utraque Ecclesia, Latina scilicet & Græca, illustrissimi Latinorum Doctoris nomine insignitur Augustinus. Denique Sacro-sanctum Concilium Tridentinum tanta prosequutum est veneratione S. Augustini doctrinam, ut ipsius libros cum sacris sancti Evangelii libris in conspectu universalis Ecclesiæ in Spiritu sancto congregatæ poni voluerit, ut esset post Christum Con-

Conciliis veluti mens & spiritus; hinc sancta Synodus non solum tanti Doctoris sensum in decretis suis amplexa, sed & verbis, quasi de hæreticis tanto vallata præsidio triumphans usa est.

Testimonium Patrum primorum sæculorum ex conformitate doctrinæ D. Augustini cum eis.

Non modicum etiam celebrat Divi Augustini doctrinam conformitas quam semper tenuit cum Patribus primorum sæculorum in fidei dogmatibus tum circa liberum arbitrium, tum circa gratiæ necessitatem & efficaciam; cum enim teste Tertulliano, nihil veritate antiquius, magnum est & irrefragabile argumentum pro congruitate & puritate doctrinæ antiquitas. Si enim primorum Patrum semitas rectas nihil innovando servaverit Aug. absque erroris periculo quisque tuto potest ejus insequi vestigia. Momentum illud ex multis comprobari potest.

Primo, quia Ecclesia per summos Pontifices jamjam laudatos totis viribus sibi adoptat B. Aug. doctrinam. Adoptat Concilium Arausicanum pro necessitate & efficacia gratiæ: adoptant Concilia Africana & Palæstina ab universali Ecclesia recepta: in primis Tridentina Synodus eam pro materia prædestinationis, liberi arbitrii & efficacia gratiæ adoptare videtur. Quis autem sanæ mentis dixerit unquam, Ecclesiam in Spiritu sancto adunatam repetitis vicibus adoptando sibi Augustini doctrinam, adoptasse doctrinam novam & primis sæculis ignotam?

Secundo, Augustinus auctoritate veterum Patrum tum Græcorum, tum Latinorum utitur passim in suis operibus. Et in libro de dono perseverantiæ in probationem dictorum suorum affert Cyprianum, Ambrosium, Gregorium Nazianzenum; igitur doctrina Augustini est conformis doctrinæ Patrum quatuor primorum sæculorum.

Tertio, Hieronymus Doctor Ecclesiæ insignis & Augustino coætaneus, Doctor elegans, fortis & verax adulari nesciens, hoc reddit de doctrina Augustini testimonium in Epist. sua ad ipsum, quæque est 25. inter August. " Habitantem in te, " *inquit* Augustino, dilexi Dominum " Salvatorem . . . macte virtute, in orbe celebraris, Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur atque suscipiunt: & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur. "

Quarto, Cœlestinus primus in Epistola ad Gallos sic compescit Semipelagianos qui Augustini doctrinam insectabantur: " Corripiantur, *inquit*, hujusmodi non sit his liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat incessere novitas vetustatem. " Igitur doctrina Augustini est antiqua fides teste Hieronymo, & teste Cœlestino summo Pontifice, ipsa vetustas.

Quinto, Gelasius in Epistola ad Episcopos per Picenum arguit multos qui Augustinum novitatis insimulabant, & dicit " *maximum esse scelus*. " Hinc Hormisdas in Epis. ad Possessorem sic eum alloquitur. " Quos commendatos Augustini libros addit, eandem esse in iis quæ in Pauli Epistolis doctrinam, quanquam, *inquit*, qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat evidenter cognoscat. "

Sexto, Petrus Ecclesiæ Orientalis percelebris Diaconus, & Fulgentius idem testimonium reddunt doctrinæ D. Augustini. Primus quidem l. de Incarnatione & gratia Christi c. 6. reddens rationem suæ & suorum fidei, Africanis Præsulibus profitetur, se doctrinam Augustinianam sequi, & hanc veteri Patrum Orientalium traditione tenere; deinde celebre testimonium pro gratia efficaci desumptum ex S. Basilii liturgia, quæ erat in usu apud omnes fere Orientis Ecclesias. Alter vero l. de veritate prædestinationis & gratiæ c. 17. affirmat D. August. doctrinam esse Apostolicæ institutioni, Græcis atque Latinis Doctoribus consentaneam: " Hæc itaque, *inquit*, Catholicorum Patrum Apostolicis expositionibus tradita permanet in Ecclesia sine dubitatione doctrina quam Græci Latinique Pontifices S. Spiritus infusione firmati, uno atque indissolubili semper tenuere consensu, in quo beatus Augustinus indutus virtute ex alto abundantius illis omnibus laboravit. "

Septimo loco venit testimonium ipsius Augustini, tanto quidem magis credibi-

se, quanto fortiori & solida pietate, eruditione & sanctitate firmatum conspicitur. Monitus sanctus Præsul a D. Prospero, quod Semipelagiani debaccharentur contra suas de gratia & prædestinatione Sanctorum opiniones, veritatem in se oppugnatam defendit, & quidem feliciter, allegando l. de dono persev. c. 18. multos antiquos Patres sibi concinentes. Et c. 23. sic effatur. " Hujus prædestinationis fidem quæ contra novos „ hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non „ habuit. „ *Et iterum ibidem.* " Sicut „ in iis orationibus, ita in hac fide nata est, crescit, & credit Ecclesia. „ *Et l. 3. contra Julianum c. 3. loquens de antiquis Patribus, dicit:* " Quod crediderunt, credo, quod tenent, teneo, „ acquiesce istis, & quiesces a me, istis „ crede, & me non. „

Unde jam sic procedo in forma; illa doctrina est antiqua & primorum sæculorum Patribus conformis atque consentanea quam Ecclesia in Conciliis tum provincialibus, tum œcumenicis adoptat ut suam, quam summi Pontifices in suis Epistolis decretalibus ventilant ut rectam fidei regulam, quam Orientales & Occidentales, una conspiratione, ut sanam & Catholicam collaudant atque prædicant; quam ipsi Patres aut Augustino coetanei, aut ipsius vicini temporibus, asserunt esse genuinam veterum Patrum doctrinam, atqui ex citatis testibus omni exceptione majoribus talis est doctrina Augustini de prædestinatione Sanctorum, de libero arbitrio & gratia, nihil enim excipiunt summi Pontifices, nihil Concilia & Patres collaudando doctrinam Augustini. Igitur est consentanea doctrinæ Patrum primorum sæculorum.

Testimonium Patrum tredecim sæculorum subsequentium.

Quintum sæculum ab illa incipimus ætate, cujus initia illustravit Augustinus, qui quidem tot laudum suarum præcones habuit, quot illa ætas viros sanctitate & eruditione claros tulit. Jam Hieronymum supra retulimus, sed iterum audire pro Augustino perorantem non abs re erit. In catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum vocat eum Doctorum aquilam, & extrema agens mirabundus simul & lætabundus in Augustini præconia sic se effudit: " Gaudium habeo magnum & consolationem præsumens de „ misericordia Domini, quod virum mirabilem, & multæ scientiæ & bonitatis Augustinum Hipponensem Episcopum post me relinquo. „ Paulinus Epist. 31. apud Aug. vocat eum salem quo præcordia populorum condiuntur, & lucernam mirum in modum dissipantem hæreticorum caligines. Possidius Epist. ad Maced. appellat patrem Patrum & Doctorum Doctorem. S. Prosper Epist. ad Ruff. in carmine, eundem vocat præcipuam portionem Domini Sacerdotum, alias eum nominant Africani Patres, " Concilii ingenium, „ lumen Dei sui, sanctum sapientiæ templum. „

Ex sexto sæculo. Non prætereundus est Gennadius qui de viris illustribus tom. 1. oper. D. Hieron. paucis sed argutis verbis B. Augustini celebrat & absolvit encomium. " Augustinus Afer, Hipponiæ „ regione oppido Episcopus, vir eruditione divina & humana orbi clarus, fide „ integer, vita purus, scripsit quanta „ nec inveniri possunt. Quis ergo glorietur omnia se illius habere? aut quis „ tanto studio legat, quanto ille scripsit? „ Edidit etiam senex, quod juvenis inceperat de Trinitate libros xv. in quibus (*ut Scriptura ait*) introductus in „ cubiculum Regis, & decoratus veste „ multifaria Dei sapientiæ, exhibuit Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujusmodi. „ De resurrectione etiam mortuorum simili concurrit sinceritate. „ Et licet minus capientibus, dubitationem de abortivis ingesserit, Catholicus tamen remansit. " Fulgentius l. 2. de verit. prædest, „ c. 18. sic celebrat Augustini libros, „ hos, *inquit*, legat omnis qui salutem „ æternam adipisci desiderat. „ Facundus Hermianensis Episcopus defens. l. 1. pag. 17. & 29. vocat Augustini doctrinam admirabilem. Præ cæteris hujus sæculi supereminet in laudibus tanti Doctoris Cassiodorus l. de divinis lection. c. 22. & in prologo super Psalt. hæc habet: " Augustinus litterarum omnium egregius „ magister: & quod in ubertate rarum „ est, cautissimus disputator. „

Su-

Septimo saeculo. Gregorius magnus regist. l. 8. Epist. 37. ad Innocentium Episcopum, ita de S. Augustino scribit. " Si „ delicioso cupitis pabulo saginari, Beati „ Augustini opuscula legite, & ad com„ parationem siliginis illius, nostrum „ furfurem non quaeratis. „

Octavi saeculi Patres plurimum celebrant B. Augustinum. Beda tom. 2. l. de sex mundi aetatibus: " Beatus, *inquit*, Au„ gustinus Hipponensis Episcopus, om„ nium Doctor eximius Ecclesiarum. „ Paulinus Aquilejensis l. 7. contra Felicem de eo scribit. " Ubique purissimus „ in catholica fide, & veracissimus Do„ ctor esse comprobatur. „ Idem dicit Jonas Aurel. l. de cultu SS. Imag.

Nonum saeculum nobiles S. Aug. doctrinae praecones suppeditat. Rabanus in Epist. ad Heberardum Comitem, asserit eum esse Doctorem Catholicum gratiae. Prudentius in Epist. ad Hincmarum & Pardulum, ait; nullum abstrusa Scripturarum veracius & fidelius rimasse & aperuisse: & Lupus Servatus q. 1. de lib. arb. " Quid enim, *inquit*, sentiendum „ sit de libero arbitrio, & gratia Dei, „ sicut nemo tam laboriosa indagine ve„ stigavit, nemo ut ille tandiu versa„ vit: ita ut, pace cunctorum dixerim, „ nullus utrumque tanta veritatis pro„ prietate invenit, nullus tanta eloquen„ tiae ubertate asseruit, nullus inexpu„ gnabilium argumentorum copia tanta „ defendit. „

S. Augustinus in saeculo decimo tametsi ferreo suae tamen virtutis & scientiae praeconem habet Remigium Antisiodorensem, qui in comm. super 2. ad Cor. de eo effatur. " Sicut sol in lumine excedit „ omnes planetas; ita Augustinus om„ nes excessit in exponendo sacras Scrip„ turas. „

Undecimum, Petrus Damia. serm. de S. Stepha. qui est 61. illum appellat linguam Ecclesiae. Rupertus l. 7. de operibus Spiritus S. c. 19. catholicae fidei munitionem & defensorem.

Omnes duodecimi saeculi Scriptores miris effunduntur in laudibus Doctoris gratiae. Hugo Victorinus serm. 99. Praedicatorem veritatis Spiritu sancto plenum dicit. Petrus Cluniacensis in Epist. contra Petrobussianos: " Gloriosus, *inquit*, „ ac post Paulum singularis magister Ec„ clesiae Augustinus. „ Bernardus vero vocat eum validissimum haereticorum malleum. Hugo Eterianus l. 3. de haer. c. 17. eodem celebrat nomine.

Non minoribus laudum titulis exornant doctrinam Augustini decimi tertii aevi Doctores. D. Thomas ubique gloriatur hunc se habere magistrum, & serm. de illo, dicit " Sanctum Augustinum scru„ tatum esse profunda quatuor fluviorum, „ Scripturae, creaturae, culpae & gra„ tiae. „ Quinimmo Theologia D. Thomae est perpetuum Augustini encomium, siquidem Urbanus sextus ad Tolosanos scribens, ait de Doctore Angelico " Bea„ ti Augustini vestigia insequens Eccle„ siam doctrinis & scientiis quampluri„ mis adornavit. „ His adde Vincentium Bellovacensem l. 17. Speculi doctr. c. 51. qui eloquentiae sermone, brevi quidem sed efficaci mirabilia de nostro „ sanctissimo Doctore enarrat: Augusti„ nus, *inquit*, Episcopus volans per mon„ tium cacumina quasi aquila, vir acer „ ingenii, suavis eloquio, saecularis lit„ teraturae peritus, in Ecclesiasticis la„ boribus operosus, in quotidianis dispu„ tationibus clarus, in omni sua actione „ conspectus, in expositione fidei nostrae „ Catholicus, in quaestionibus absolven„ dis acutus, in revincendis haereticis „ circumspectus & in explanandis Scrip„ turis Canonicis cautus: sapientiae lu„ men praefulgidum, propugnaculum „ veritatis & fidei tutamentum, om„ nes Ecclesiae Doctores tam inge„ nio, quam scientia vicit incompara„ biliter. „

Decimum quartum saeculum non silet S. Praesulem. Beatus Vincentius Ferrerius serm. de S. Aug. eum his verbis exaltat: " Candelabrum aureum totum est „ B. Aug.... Omnes Doctores qui ve„ nerunt post eum, sustentantur super „ ejus doctrinam sanctam, puram & ca„ tholicam, auri purissimi, & sine er„ rore falsarum opinionum. „

Decimum quintum saeculum totum conspirat in sancti Augustini ejusque doctrinae laudes. Ludovicus Cardinalis Arelatensis in Concilio Basileensi nominat eum maximum & omnium Theologorum Aristotelem. *Æneas Sylvius lib. 1. de gest. Conc. Basil.* Certatim praedicant ipsius encomium Patres Latini & Graeci in Concilio

lio Florentino Sess. 7. Item S. Antoninus 2. p. tit. 20. & Dionysius Carthusianus in 1. Sent. dist. 2. ejus resonant laudibus.

Decimum sextum & septimum sæculum nubem exhibent testium, Theologorum scilicet Scholasticorum qui omnes uno ore, & unanimi consensu doctrinam tanti Doctoris venerantes ut primum Scholæ Theologicæ magistrum habent & intuentur. Sed de his fusior erit sermo infra.

Testimonium ex universis orbis terrarum Ecclesiis.

Ecclesia Romana cæterarum Ecclesiarum mater Augustinum semper audivit ut Doctorem eximium & irrefragabilem, nedum pro necessitate, sed etiam pro efficacia gratiæ & prædestinatione Sanctorum, de quibus erat magna inter ipsam & Protestantes in Concilio Tridentino controversia. Ejus doctrinam osculantur summi Pontifices jam citati, tanquam veridicam, sanctam, tutam & vere Catholicam, & ne repetita tædium pariant, tantæ Ecclesiæ insignis Presbyter Hieronymus omnia dicit, cum hanc debellandi Pelagianos provinciam & gloriam omnem, licet ipse & senior & eruditissimus, cesserit Augustino, sic loquitur dialogo 3. " Scripsit vir sanctus & eloquens Episcopus Augustinus, unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii, *in sylvam ne ligna feras*; aut etiam eadem dicemus ex superfluo, aut si nova voluerimus dicere, a clarissimo ingenio occupata sunt meliora."

Ecclesia Orientalis nulli secunda est tum in veneratione, tum in cultu & laude S. Augustini. Andreas Colossensis Episcopus in Florentina Synodo Sess. 7. sic loquitur. " Augustinum illustrissimum Latinorum Doctorum quinta Synodus consecravit. Augustinus Occidentalis Ecclesiæ lumen est" inquit Cardinalis Bessarion de Sacramento Euch. His accedit testimonium celebre Scholarii Patriarchæ Constantinopolitani in Concilio Flor. c. 1. Sect. 7. 8. " *Divus*, inquit, *Augustinus illa mens altissima*." Et insurgens contra Græcos Augustini Doctoris latini auctoritatem rejicere volentes, affert Conciliorum generalium decreta quibus inter Ecclesiæ Doctores recensetur, & subjungit: " Audis, & anathemati subjicitur, qui Augustini sententias non recipit? non ergo in posterum ambigas pro Sancto, & Doctore habere Augustinum, cujus magna gloria est in Ecclesia Dei."

Ecclesia Africana eum nutrivit ut filium, habuit ut magistrum, audivit ut Doctorem, possedit ut lumen, ut linguam, ut verbum & spiritum quo quandiu alita fuit, fide refulsit, pietate enituit, charitate flagravit, unitate stetit & triumphavit. Præter Prosperum jam citatum testis est augusta confessio fidei a quadringentis subscripta Episcopis ex sententiis Augustini contra Arianos composita & Alarico Ariano Regi ab universali Africæ Ecclesia oblata, in qua redivivus Augustinus victorem Africæ vicit Principem & Arianismum. Ne miremini, Lectores benevoli, quandoquidem posuit Deus in ore Augustini in altero Jeremia verba sua, *Jerem.* 1. Illum constituit super Gentes & super Regna, ut verbo doctrinæ & evellat & dissipet, & destruat errorem: ædificet vero & plantet ubique & usque in sæcula veritatem triumphantem.

Ecclesia Gallicana non minus diserte prosecuta est & quotidie prosequitur laudes tanti Doctoris. De eo hoc profert encomium Jonas Aurelianensis l. de cultu Imaginum. " Is enim, *inquit*, & si non solus, divina tamen sibi suffragante gratia, aliis facundius, copiosiusque diversarum hæresum, & schismaticorum perversa statuta rationabiliter evertit, destruxit, atque substravit." Hincmarus l. de præd. c. 1. appellat eum (*Doctorem mirificum*.) Amolo opusc. 2. de gratia & præscientia, post Apostolum Paulum, prædestinationis & gratiæ præcipuum Prædicatorem vocat. Prudentius Tricassinus Episcopus Epist. ad Hincmarum & Pardulum, eum sic exornat laudibus: " Beatissimus, *inquit*, Pater Augustinus omnium absque ulla dubietate undecunque doctissimus, quippe nullus Doctorum abstrusa Scripturarum scrupulosius rimatus, diligentius exquisierit, verius invenerit, veracius protulerit, luculentius enodaverit, robustius defenderit, effusius disseminaverit." Cui succinit Ecclesia

Lug-

Lugdunensis l. de tribus Epist. in quo sic loquitur: " Beatissimus Pater Augustinus ,, ab omni semper Ecclesia venerabiliter ,, receptus, & usque in finem sæculi re- ,, cipiendus. ,,

Ecclesia Hispanica utique resonat Sancti Augustini laudibus. Concilium Toletanum octavum illum tali prosequitur encomio: " Vir quoque sanctissimus Augu- ,, stinus vestigationis acumine cautus, in- ,, veniendi arte præcipuus, asserendi co- ,, pia profluus, eloquentiæ flore venu- ,, stus, sapientiæ fructu fœcundus. ,, Et Hildephonsus Arch. Tolet. hom. 2. de B. Virgine: *Audiant*, inquit, *Augustinum, cui contradicere fas non est*. Denique Julianus etiam Arch. Tol. l.prognost. c. 9. 16. 14. 23. eum vocat egregium Doctorem.

Testimonium Theologorum.

Schola Thomistica quot habuit & habet Theologos, tot S. Augustini & filios & præcones numerat, qui ita tanto Doctori adhærent, ut in scribendo aut disputando, doctrinam Augustini in D. Thoma & Divi Thomæ doctrinam in Augustini doctrina osculentur; quasi duo forent unus, & in duobus idem flaret & spiraret spiritus. Sed ut multos diversi ordinis Theologos compendiose referamus, juvat afferre celeberrimarum Europæ Academiarum sententias, ut in iis omnes diversarum scholarum Theologi, ex quibus constant Academiæ, una voce doctrinam Doctoris gratiæ collaudantes audiamus.

Veniat prima Universitas Parisiensis, quæ ab ortu suo tres edidit censuras contra quasdam propositiones Augustini doctrinæ circa gratiam adversas, ann. 1270. quam imitata est Academia Lovaniensis, ann. 1476. & postea Duacensis. Salmaticensis istarum exemplo solemni Sacramento huic Doctori se totam devovit.

Inter Theologos vix unus est qui Augustini doctrinam non amplexus fuerit. Petrus Lombardus, qui & magister Sententiarum, ex Augustinianis auctoritatibus universam Theologiam in ordinem digessit. Jam commemoravimus D. Thomam, qui discipulum esse Augustini magnam ducebat gloriam. Scotus adeo Augustini doctrinæ fuit addictus in suis Theologicis Commentariis, ut hunc sanctum Doctorem suarum assertionum testem ubique faciat. Baronius in appendice ad tomum primum Annalium, dicit Sedem Apostolicam se professam esse de gratia & libero arbitrio probare Augustini sententiam. Accedit Eminentissimus Cardinalis Peronius, qui ait, *In opere advers. Regem Ang.* " Maximus post Apostolos prædestinationis Doctor est Augustinus. ,, Eruditissimus Bellarminus postquam retulit hujusce gratiæ defensoris doctrinam a Gelasio summo Pontifice fuisse probatam, subdit *l. 2. de grat. & lib. arb. c. 11.* " Itaque Sedes Apostolica, non tan- ,, tum semel, sed etiam secundo & ter- ,, tio adversus Pelagianorum reliquias ,, pro defensore gratiæ & prædestina- ,, tionis sententiam tulit Augustini, ita ,, ut jam hæc sententia, non quorumvis ,, Doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ ,, Catholicæ dici debeat. ,,

Non prætereundus R. P. Deschamps qui l. 3. de hær. Jan. disp. 1. c. 6. de sancto Doctore sic loquitur: " Sanctissi- ,, mum Doctorem magnopere veneror ac ,, colo, eumque apicem ingeniorum, ,, humanæ intelligentiæ mensuram, do- ,, ctrinæ miraculum, Theologiæ metam, ,, gratiæ Apostolum, prædestinationis ,, nuntium, Christiani orbis bibliothecam, ,, Ecclesiæ armamentarium, veritatis lin- ,, guam, hæreticorum fulmen, sapientiæ ,, sedem, sæculorum tredecim oraculum, ,, antiquorum Doctorum compendium, ,, posterorum Seminarium esse profiteor. ,, Tantum est ejus ingenium, ut omnes ,, illud admirentur, nemo attingat: ,, tanta doctrina, eam ut hauriant singu- ,, li, exhaurire universi non possint: tan- ,, ta divinæ lucis copia, ut in ejus men- ,, te collecti videantur radii omnes qui in ,, futura sæcula spargi debebant. Divinę ,, gratiæ & prædestinationis mysteria ,, perinde enarrat, ac si in ipsa Dei ,, mente perlegisset: Christianæ doctri- ,, næ partes omnes sic amplectitur, qua- ,, si ingenii amplitudine superaret: æta- ,, tis suæ hæreses ita debellat, ut ad ,, omnes, quæ postea emerserunt, profli- ,, ganda arma nobis subministret. Hæc ,, ego ita pronuntio, ut tot laudibus ac ,, præconiis eximias S. Augustini dotes ,, æquari non posse contendam. ,,

Testi-

Testimonium de victoriis super fidei hostes gloriose ab Augustino reportatis.

Laudum omnium compendium & testimonium omni exceptione majus pro veritate quæ vincit omnia, est victoria. Hæc ubique in disputationibus contra erroris patronos secuta est Augustinum. In eo refulsit, in eo aucta est, in eo per sua scripta semper perseverat, ita ut illud Psalmistæ jure merito de sancto Doctore dici possit, *Gloria & divitiæ in domo ejus, & justitia ejus manet usque in sæculum sæculi*. Juvat ergo recolere quos superavit errores, quanto zelo repressit impietates abominationis. Modo hæreticos, modo schismaticos, modo peccatores coercebat. Ariani Vandalorum freti favore novam fecerant in Africæ partes irruptionem, ast Augustinum invenerunt qui gladio igneo Cherubim instar Paradisum voluptatis, Dei scilicet Ecclesiam tueretur. Manichæos penitus subvertit, palam destruens eorum deliramenta. Nestorianos jam antequam zizaniam in patrisfamilias hortum immitterent, confodit, Pelagianos impugnando devicerat, ipso loquente muta fiunt labia dolosa, pudendo hæresis se abscondit silentio. Donatistarum schisma reconciliare tentans, pertinaciam confutavit. Semipelagianorum nova molimina confregit. Ibi gratiæ mysterium sustinebat: illic liberi arbitrii immunitatem demonstrabat: ubique victor, ubique triumphans.

A Theodosio juniore invitatur Augustinus ut Ephesino adesset Concilio; sed dum pervenit nuntius, qui tanto zelo zelatus fuerat pro Domino exercituum, raptus in cœlum, æternis fruebatur gaudiis. Ejus encomium Martinus quintus brevi oratione complectitur, cum dicit, "quid-„ quid omnes simul Apostoli plantave-„ runt, quidquid Apollo & alii rigave-„ runt, Augustinus coronavit." Sed miro Dei consilio in morte non extinguitur lucerna ejus. Vivit in clara sobole qua ejus doctrinam Abrahami instar innumeræ gentis parens per suos discipulos fidei depositum adhuc hodierna die sustinet.

Inter Canonicos Regulares qui ejus Regulam sequuntur dignos suos agnoscit filios Richardum & Hugonem a sancto Victore. Inter Augustinianos Heremitas plures numerantur Cardinales, Archiepiscopi & Episcopi multi, quorum quatuor adfuerunt Concilio Tridentino, in quo illustre dederunt suæ eruditionis testimonium, & hoc modo D. Augustini doctrina ab illorum ordinum præclaris Proceribus ad mundi usque finem in Ecclesia feliciter perseveranda est, sicut & vitæ disciplina, morum candor, omniumque virtutum religiosarum fulgor fauste fortunateque vigebit.

Ex his omnibus momentis hoc efficax & irrefragabile fit argumentum. Ille pater benigne, humiliter, simul & alacriter pro prædestinatione Sanctorum, pro necessitate & efficacia gratiæ audiendus est, cujus doctrina in hac immensa & sublimi materia celebratur absque distinctione & nulla exceptione facta a summis Pontificibus, a Conciliis tum Provincialibus, tum Oecumenicis, a Patribus omnium sæculorum, a quinto scilicet sæculo usque ad præsens, ab Academiis totius Europæ, ab omnibus omnino Theologis. Atqui ex dictis constat doctrinam Augustini pro prædestinatione Sanctorum, pro necessitate & efficacia gratiæ sic fuisse & esse ad hodiernum usque diem, celebratam, & tantum abest quod summi Pontifices, Concilia & Patres exceperint efficaciam gratiæ, quin potius ejus scriptis usi sint contra Prædestinatianos errantes, ut Arausicanum secundum, Valentinum tertium & Tullense, Tridentinum contra Protestantes; ita ut per antonomasiam, nomine Doctoris gratiæ insignitus sit ab Ecclesia: igitur Augustinus audiendus est in scholis humiliter, simul & alacriter pro prædestinatione Sanctorum, pro necessitate & efficacia gratiæ.

Solvuntur Objectiones.

Objicies; illius doctrina non debet audiri, qui erravit: atqui constat ex libris retractationum Augustinum errasse, siquidem tenuit Semipelagianismum l. de Prædest. SS. c. 3. ut ipse asserit l. 2. de Genesi ad litt. c. 17. & l. 3. c. 10. docet Angelos esse corporeos. Ergo non debet audiri. Confirmatur: mos perantiquus Ecclesiæ est, quum aliquis in aliquo errat puncto, prohibere ejusdem auctoris cæte-

cæterorum ab ipso scriptorum lectionem. Ergo, &c.

Respondeo distinguendo: si S. Doctor erravit in aliquo puncto ab Ecclesia proscripto & non se retractaverit, non debet audiri, concedo: si de nævis se retractavit, nego. Augustinus ante conversionem Manichæorum erroribus detinebatur, & tunc sane non erat audiendus; sed e contra post conversionem. Habuit quidem etiam initio conversionis aliquos nævos, & circa initium gratiæ, & circa naturam Angelorum; sed cum Ecclesia nihil adhuc determinasset, poterat audiri ut Doctor Catholicus in aliis punctis, quippe qui non esset hæreticus: Quot Patres in primis sæculis Millenariis adhærebant? ergo ne Justinus, Irenæus, Lactantius in aliis punctis rejiciendi? minime. Quid plura? Augustinus se retractavit, & fuit postea Semipelagianorum hostis terribilis. Cæterum Ecclesia indigitavit in quibus audiendus est Augustinus, scilicet pro prædestinatione Sanctorum, pro necessitate & efficacia gratiæ, pro libero arbitrio, &c.

Ad confirmationem, similiter distinguo. Ecclesia prohibet lectionem operum illius qui errat in uno puncto determinato de fide, concedo: non determinato, nego. Qui errorem ab Ecclesia proscriptum propugnat, hæreticus est si sit pertinax, & ideo in nullo audiendus, quia non habet fidem: secus vero qui aliquid falsum docet de quo suum nondum protulit Ecclesia judicium. Augustini autem tanta fuit semper erga Ecclesiam reverentia, tantaque obedientia, ut dicere soleret, *Evangelio non crederem, nisi me commoveret Ecclesiæ auctoritas*.

Instabis. Qui dubitat de rebus fidei, non debet audiri ut magister: atqui Augustinus dubitavit de multis fidei punctis; & probatur. Enchir. c. 58. dubitavit an astra forent Angeli. Epist. 24. ad Hieronymum dubitavit utrum anima rationalis fieret per creationem, an per eductionem e materia. Ergo, &c.

Respondeo distinguendo, dubitavit Augustinus de multis variisque momentis ab Ecclesia nondum determinatis, concedo: de rebus de fide definitis, nego. Doctores sancti audiuntur & pro his quæ Ecclesia mater sancivit, & pro his quæ veritati non obscure videntur consona. Immo debemus sequi vestigia B. Aug. qui in dubiis sanctum Hieronymum consulere non erubescebat. Et l. 7. de Baptismo c. 55. postquam multa præclare disseruit de intentione, an debeat esse interior vel non, dicit se expectare definitionem alicujus Concilii, quid tutius? In materia de gratia, quare ex duobus eodem modo affectis circa mulierem unus consentiat, alter vero non, noli inquit judicare, si non vis errare. O altitudo, exclamat cum Apostolo, divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus! Sic adorare mysteria, humili confessione edocet. Unde postquam necessaria ad explicationem fidei protulit, exclamat. Si aliquis majora & plura scire desiderat, *quærat*, inquit, *doctiorem*, *sed caveat ne inveniat præsumptiorem*.

Urgebis. Qui potest errare, non debet audiri: atqui Augustinus potuit errare; non enim etiam post conversionem irrefragabilis fuit, probatur. Epist. 3. ad Volusianum increpat illum ex eo quod credat se non posse errare. Epist. 7. ad Marcellinum dicit nullum sese proferre verbum quod non vellet retractare, si necesse foret. Idem repetit Epist. 3. ad eundem. Epist. 3. ad Fortunatum & Epist. 19. ad Hieronymum.

Respondeo 1. Hæc omnia probare tutissimam esse doctrinam B. Augustini, quippe qui & se retractare, si opus foret, & obedire Ecclesiæ paratus sit; adeo humilis, ut nedum infallibilitatem sibi tribuat, sed potius eam ab Ecclesiæ judicio expectare glorietur.

Respondeo 2. distinguendo minorem, Augustinus ex se & ut Doctor particularis erat fallibilis, concedo, Augustinus ut ab Ecclesia approbatus, & a Deo inspiratus loquens, nego; tametsi Patres & sancti Doctores sint in scribendo fallibiles, si tamen eorum sententiis accedat Ecclesiæ consensus, jam ipsius Ecclesiæ participant infallibilitatem; quia igitur sancti Augustini doctrina aut tacito aut expresso Ecclesiæ consensu approbata sit, non licet eam impugnare; maxime vero in iis quæ de necessitate gratiæ conscripsit.

Dices, ergo doctrina Augustini de prædestinatione Sanctorum v. g. & de efficacia gratiæ non est infallibilis neque ex

se,

se, neque ex judicio Ecclesiæ, cum ipsa Ecclesia permittat prædestinationem Sanctorum ante vel post prævisa merita, gratiam per se efficacem, vel non, propugnare: nam si foret Aug. infallibilis, cum sit una veritas, omnes tenerentur defendere & prædestinationem ante prævisa merita, & gratiam per se efficacem, creditur enim sic sensisse Augustinum.

Respondeo distinguendo; doctrina Augustini non est infallibilis, idest, non est bona, nego: idest, non est de fide, subdistinguo; in his quæ Ecclesia nondum determinavit, concedo: in aliis punctis, nego. Diximus dicta Patrum haurire infallibilitatem ex determinatione Ecclesiæ: jam vero cum ipsa determinaverit de fide gratiam esse necessariam ad salutem, Deum impossibilia non præcipere, hominem posse gratiæ interiori resistere, inesse homini lapso libertatem indifferentiæ actus, Christum mortuum esse pro omnibus: Certum est doctrinam S. Aug. esse de fide in iis capitibus quæ illa ipsa continet. Verum, an gratia sit efficax per se vel non? utrum prædestinatio sit ante vel post prævisa merita, nihil definitum habemus, & quæstionem in utramque partem moveri posse usus & dicit & invaluit, ex quo sequitur sententiam B. Augustini posse fortiter in iis momentis propugnari, maxime vero cum apud Doctores nondum satis compertum sit, an Augustinus gratiam per se efficacem, & prædestinationem Sanctorum intentivam etiam ante prævisa merita, propugnaverit.

Ad probationem, cum sit una veritas, si sententia B. Augustini est vera, debet quisque absolute eam tenere, distinguo. Si veritas de qua movetur quæstio sit revelata & definita, concedo: si solum in genere cognita sit, subdistinguo, modo ad hoc accedat Ecclesiæ consensus, concedo, si nondum accesserit, nego. Est quidem revelatum dari prædestinationem, juxta illud Christi effatum: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Sed utrum electio sit ante vel post prævisa merita, an gratia sit per se efficax, vel tantummodo per consensum, non satis constat, & disceptatur in scholis.

Instabis, doctrina B. Aug. in multis punctis admodum obscura & intricata est, v. g. de realitate Corporis Christi in sacra Eucharistia, de regno mille annorum, de potentia oculi corporei ad videndum intuitive Deum: sed nullus tenetur obscuram amplecti doctrinam. Ergo, &c.

Respondeo distinguendo; doctrina Augustini est obscura, hoc est alta & profunda, concedo; obscura simpliciter, subdistinguo, & locus unus obscurus facile explicatur per alium clariorem, concedo: & non explicatur, nego. Certum est mysteria esse impenetrabilia, & consequenter doctrinam & lectiones quæ traduntur de eis, altissimas, præsertim vero quum defenduntur contra proterviam hæreticorum qui versutiis utuntur ad evacuandam fidem. Quid mirum igitur si doctrina Augustini sit profunda, cum de omnibus fere fidei articulis disputaverit: de Trinitate, contra Sabellianos; de consubstantialitate Verbi, adversus Arianos; de unitate Divinitatis & de libero arbitrio, contra Manichæos; de necessitate & efficacia gratiæ contra Pelagianos & Semipelagianos; de Baptismo contra Donatistas, &c. Cæterum unus locus obscurus accipit lucem ab alio clariori; ita ut sententia una Augustini sit sicut dies diei eructans verbum, vel saltem ut nox præ altitudine indicans scientiam alicujus profundi mysterii. Ostendimus S. Doctorem non adhæsisse Millenariis, aut saltem sententiam correxisse. Nec etiam credidisse oculum corporeum posse videre Deum in se. Quoad Eucharistiam, attendendum est ad sensum S. Præsulis, quandoque enim de ea loquitur in sensu mystico, ut in explanatione capitis sexti Evangelii S. Joannis, quandoque vero in sensu litterali & obvio, & tunc clarissime loquitur pro realitate Corporis Christi, sic l. 19. contra Faustum ait: *accipe quod pependit in cruce*.

Respondeo 2. Quandoque Patres duras habere expressiones, eo quod in oppositam inclinare partem tenerentur ad defendendum aliquod dogma contra impugnantes. Sic S. Basilius non semel abstinuit a voce consubstantialitatis quando tractavit de Spiritu sancto propter Sabellianos qui illo abutebantur vocabulo, quippe qui ex personarum consubstantialitate, unicam esse in Deo personam inferrent & colligerent. Nonnumquam etiam Patres Verbum divinum factum & pro-

prolatum afferunt, non quod creaturam esse autumarent, verum potius ut ostenderent, illud & a Patre procedere, & esse personam a Patre distinctam: simili prope œconomia Augustinus videtur nimis tribuere modo naturæ cum liberum defendit arbitrium, modo vero gratiæ quum ejus adversus Pelagianos propugnat necessitatem. Denique, ut plurimum assurgit in mente legentium ambages aut obscuritas ea potissimum ratione, quia S. Doctoris vel non tenent satis, vel nullo modo assequuntur principium. Non negamus tamen quædam in doctrina tanti Doctoris reperiri alta, quædam profunda, quædam intellectu admodum difficilia, hoc ultro fatetur ipse Augustinus, ast ut plurimum mysterium est quod quidem exponi potest, nusquam vero penitus explicari. Quare enim ex duobus unus trahatur, alter vero relinquatur, attende quid pronuntiet sapientissimus Præsul: O altitudo, inquit cum Apostolo, divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! in aliis vero difficultatibus non semel dicit expectandum esse Ecclesiæ judicium: sic l. 7. de baptismo c. 55. dirimit de intentione requisita ad sacramentum conficiendum controversiam. Hinc causam Pelagianorum dicit sententia Zosimi Papæ finitam & absolutam serm. 2. de verb. Apos. Quid plura referam? Tanta fuit S. Doctoris erga Ecclesiam observantia ut dicere soleret (*Evangelio non crederem, nisi me commoveret Ecclesiæ auctoritas.*)

Persistes; illa doctrina non est sequenda qua sæpius abusi sunt hæretici & quotidie abutuntur: si enim non faveret aliqualiter eorum opinioni, non auderent appellare ad Augustinum: atqui talis est doctrina Augustini. Immo hæretici non semel ipsius utuntur auctoritate, ut decipiant incautos; probatur 1. Monachi Adrumetini turbati sunt propter doctrinam Augustinianam, & in pravum eam detorquebant sensum. 2. Lucidus & Gotescalcus prædestinatiani unicam Augustini doctrinam tenere se gloriabantur. Kemnitius Lutheranus in sess. 6. Conc. Trid. edit. Franc. ann. 1578. pag. 125. & Calvinus l. 2. instit. c. 3. n. 14. citant Aug. & ejus utuntur auctoritate ut probent gratiam efficacem liberum adimere arbitrium. Ipsi Pelagiani tres libros Augustini de libero arbitrio in suas persæpe trahebant partes, eo quod in multis locis S. Doctor loquatur de libero arbitrio, non commemorata gratia. Quinimmo ipse Pelagius objiciebat Augustino locum desumptum ex c. 18. libri 2. de libero arbitrio circa libertatem. Inferebat enim quod si gratia necessaria foret & ad bonam actionem, & ad vitandum peccatum, sæpius omni careret culpa. Actio vitiosa, quandoquidem gratia qua sola homo grave potest, urgente magna tentatione, vitare peccatum, non semper adest. Quid plura dicam? Pelagius ex illo Augustini principio, homo si velit, potest esse absque peccato, concludebat gratiam non esse ad vitandum peccatum necessariam.

Respondeo 1. ad omnium objectionum capita, heterodoxos solitos fuisse sanctos Ecclesiæ Doctores etiam in testimonium afferre, ut fucum faciant legentibus. Sic Satanæ ministri in Angelos lucis se transformare satagunt, ut decipiant, si fieri potest, etiam electos.

Respondeo 2. distinguendo; hæretici propria & culpa & malitia abusi sunt D. Augustini doctrina, concedo: propter defectus in doctrina Sancti Præsulis repertos, nego: est enim recta, vera, sancta, dicam, & admodum salutifera Augustini doctrina. Sicut igitur stomachus infirmus cibos alias exquisitos in pravos sæpe convertit humores, qui quidem nonnumquam generant mortem, ita & mali in perniciem abutuntur, ne dum doctrina Patrum, sed & ipsis Scripturis sacris, quis in perversos detrahunt sensus. Tunc adimpletur in eis stupenda prorsus maledictio Isai. 6. 10. (*Excæca cor populi hujus, ut videntes non videant.*)

Ad primum dico, Monachos abusos fuisse doctrina Augustini ex ignorantia, defectu capacitatis & intelligentiæ: ipse vero Augustinus scripsit librum de correptione & gratia ad illos instruendos; immo & librum de gratia & libero arbitrio, librum vero de prædestinatione Sanctorum & de dono perseverantiæ ad refellendum Semipelagianos, in quibus quidem operibus suum clare aperuit sensum, sicut & in libris retractationum, ne aliquis in futurum suis aut dictis, aut scriptis uteretur in perniciem.

Ad secundum, respondeo similiter Lucidum & Gotescalcum sua culpa D. Augustini

gustini doctrinam in pravum sumpsisse sensum, unde Concilia in quibus proscripti leguntur, intactum reliquerunt sanctum Doctorem, immo Ecclesia Lugdunensis ejus suscepit partes l. de tribus Epistolis pag. 377. Nec propter istum (videlicet Gotescalcum) ille damnetur: unum in causa Gotescalci exigit ne damnetur Augustini doctrina, modo hoc illi concedatur, non curat de illo obstrepente tumultuoso Monacho. Hincmarus in eadem versatur opinione: ipse Gotescalcum judicavit & damnavit, Divi vero Augustini doctrinam l. de præd. magnis celebrat laudibus.

Ad tertium patet solutio. Tantum abest quod Concilium Tridentinum crediderit Augustinum favere Protestantibus, quinimmo ipsius auctoritate fretum libertatem indifferentiæ actus contra eos statuit atque defendit.

Ad quartum respondet ipse Augustinus. Solvit enim primam Pelagii objectionem l. 1. retr. dicens. *In his atque hujusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare possunt suam me tenuisse sententiam, sed frustra putant*. Solvit secundam l. de natura & gratia c. 67. sic loquendo, *agnosco verba, mea sunt*. Et addit postea, ut alibi facit, invocandum est Dei auxilium quo omnia possibilia fiant. Solvit tertiam l. 1. retr. c. 10. & 22. dicendo Pelagianos frustra credere se eorum favere opinioni, cum dicit hominem posse, si velit, vitare malum, hanc quidem propositionem eatenus veram asserit, quatenus præparetur voluntas a Domino.

Instabis. Doctrina Augustini de efficacia gratiæ & prædestinatione Sanctorum omni tempore fuit impugnata. Primo quidem a Massiliensibus qui contendebant fatum ex opinione Augustini de gratia per se efficaci consequi. 2. Ipsum Concilium Carisiacum rejicit gratiam efficacem per se. Et occasione prædestinationis in sensu Augustini explicatæ, divisæ admodum erant Galliarum Ecclesiæ. 3. Nostris etiam temporibus florentissimæ Academiæ & gravissimi Theologi non tenent prædestinationem ante prævisa merita & gratiam esse per se efficacem. Ergo, &c.

Respondeo hæc solum probare opinionem D. Aug. de efficacia gratiæ & prædestinatione Sanctorum ante prævisa merita non esse de fide, & licitum esse quæstiones in utramque partem defendere. Præterea non omnes conveniunt Augustinum tenere gratiam per se esse efficacem & prædestinationem ante prævisa merita; siquidem contrarium sentientes, explicant sanctum Doctorem & suas trahunt in partes: quidquid sit, si excipiamus hæreticos Semipelagianos qui Aug. doctrinam damnabant absolute, sed male, ut eis ostendit S. Prosper; si Prædestinatianos qui eam in pravos detorquebant sensus; cæteri conveniunt, esse doctrinam sanam & omni exceptione dignissimam.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Augustinus audiendus est, tum pro necessitate, tum pro efficacia gratiæ.

Primo, quia summi Pontifices ut Cœlestinus primus, Gelasius & alii summis encomiis ejus absque restrictione doctrinam celebraverunt.

Secundo, laudaverunt pariter Hieronymus, Fulgentius & alii non pauci.

Tertio, Concilia adhibuerunt testimonia Augustini non solum pro necessitate, verum etiam pro suavitate & efficacia gratiæ astruenda, ut Arausicanum ad perstringendos Semipelagianos, qui vix quicquam efficaciæ tribuebant gratiæ: Tridentinum ad confutandos Lutheranos & Calvinistas qui contrariam per excessum viam tenentes, tantam inesse gratiæ energiam volunt, ut non remaneat sub ejus dominio ulla libertas & indifferentia actus.

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD OBJECTIONES.

Objicitur. Augustinus non audiendus est 1. quia erravit. 2. quia dubitavit de spiritualitate animæ, &c. 3. quia multa subobscure tractat, plura quippe dicit quæ præsentiam realem Corporis Christi in Eucharistia inficiari videntur. 4. Non est infallibilis. 5. Impugnata ab initio fuit ejus de efficacia gratiæ doctrina. Et vero si, secundum ejus principia ut multi vo-

volunt, gratia est per se efficax, difficile admodum apparet liberum cum illa conciliare arbitrium.

Respondeo ad primum, Augustinum se retractasse. Ad secundum, S. Doct. in dubiis non semel consuluisse Hieronymum, & Ecclesiæ definitionem pro ejusmodi quæstionibus humiliter expectasse. Ad tertium, loca obscura aliis clarioribus explanantur: quandoque sensum Scripturæ moralem & mysticum pro Eucharistiæ Sacramento aperit Aug. maxime cum loquitur Catechumenis quibus non se credit Christus: Verum sæpius etiam litteralem exhibet; non enim in uno aut altero loco, sed in multis docet Christum esse realiter & substantialiter in Sacramento augustissimo altaris. Ad quartum, non est infallibilis ut sic, bene vero ut accedit pro eius sententia Ecclesiæ consensus. Ad quintum, perperam nonnulli impugnavere Augustini doctrinam, ut Semipelagiani, sed Prosperum, Hilarium, ipsos summos Pontifices Patronos & defensores habuit. Cæterum circa efficaciam gratiæ auctores unam aut alteram opinionem propugnantes, Augustinum in suam vicissim partem trahere non dubitant: utrum enim sit per se vel solummodo per consensum efficax, disputatur in scholis annuente Ecclesia.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum detur Prædestinatio Sanctorum.

NOMINE Sanctorum intelligimus justos, nomine vero prædestinationis quandoque intelligunt Patres præordinationem æternam omnium rerum adesse tali vel tali modo, eo quod nihil fiat in tempore nisi prius sit a Deo volitum & prædefinitum in æternitate: ita Dionysius l. de div. nom. c. 5. Et Damascenus orat. 1. de imaginibus; nonnumquam deputationem reproborum ad pœnam, ita Fulgentius l. ad Monimum c. 13. & Concilium Valentinum 3. can. 3. sæpius vero transmissionem creaturæ spiritualis ad vitam æternam, & de hac in ista acceptione impræsentiarum loquimur. Prædestinatio isto modo sumpta sic definitur ab Aug. l. de prædest. SS. c. 14. *Præscientia & præparatio beneficiorum Dei quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.* Jam sit,

CONCLUSIO.

Datur prædestinatio Sanctorum, seu quidam sunt ad gloriam electi.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura sacra.*

APOSTOLUS Rom. 8. sic loquitur: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Ex Augustino prædestinatio Sanctorum est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur: sed ex Apostolo datur ejusmodi præordinatio: Et probatur, Primo quidem dicit quosdam esse a Deo prædestinatos: *quos*, inquit, *prædestinavit*. Ecce prædestinatio; deinde media quibus certissime liberantur indigitat, sunt enim vocatio & justificatio, unde subjungit, *quos vocavit, hos & justificavit*. Tertio loco commemorat vitam æternam qua certissime & irrevocabiliter liberantur electi ab omnibus tum culpæ, tum pœnæ miseriis, *quos justificavit, hos*, inquit, *& glorificavit*. Igitur ex Apostolo datur prædestinatio Sanctorum seu præparatio mediorum, quibus translati ad vitam æternam certissime liberantur. Eandem repetit veritatem Paulus ad Eph. 1. *Prædestinavit nos*, inquit, *in adoptionem filiorum Dei*. Et Lucas act. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*.

Secundo, *ex sanctis Patribus & Doctoribus.*

Augustinus l. 5. contra Julian. c. 3. sic loquitur, *Absit enim ut prædestinatus ad vitam, sine Sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam*. Dari prædestinationem Sanctorum ex professo docet in toto libro cujus titulus est de prædestinatione Sanctorum. c. 17. ait, *Electi sunt ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua facta futura præscivit.*

S. Fulgentius Augustini inhærens vestigiis l. 3. de veritate prædestinationis sic

sic effatur : *Prædestinavit ergo Deus Sanctos suos , & ad gratiam vitæ bonæ , & ad gratiam vitæ æternæ* .

S. Prosper l. 2. resp. ad cap. Gall. object. 14. eandem propugnat veritatem . *Prædestinatio igitur Dei semper in bono est , aut ad retributionem justitiæ , aut ad donationem pertinens gratiæ* ,

Subscribit Gregorius magnus 1. dialog. c. 8. *Ipsa quoque perennis regni prædestinatio , ita est ab omnipotenti Deo disposita , ut ad hanc electi pio labore perveniant* .

Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus Epistola de prædest. *Sempiternus ordo* , inquit , *Deo perductionis hominis ad vitam beatam quamvis in tempore fiat , eo quod Deus ad destinatum terminum mittat illum : quemadmodum sagittarius ad scopum sagittam emittit* . &c.

Ecclesia Lugdunensis in l. de 3. Epist. Et in altero contra Joannem Scotum Erigenam perpetuum habet sermonem de prædestinatione Sanctorum : Concilium Valentinum tertium , can. 3. definit dari prædestinationem electorum ad vitam .

D. Thomas hic 1. p. q. 23. ar. 1. & 4. docet ex professo dari prædestinationem & electionem Sanctorum ad vitam : sic docent omnes Academiæ & Scholæ ; igitur datur prædestinatio Sanctorum .

Tertio , *ex ratione & quidem multiplici* .

Prima est . Omnia subjiciuntur divinæ Providentiæ , nihil enim fit in tempore , nisi definitum sit in æternitate , siquidem ad divinam pertinet Providentiam ordinare creaturas ad finem . Sed ordinari ad vitam æternam , est ordinari ad finem excellentissimum , & hoc ad providentiam specialem spectat , igitur datur prædestinatio Sanctorum . Ita D. Thomas hic ar. 1. *Dicendum* , inquit , *quod Deo conveniens est homines prædestinare . Omnia enim divinæ providentiæ subjacent , ut supra dictum est , ad providentiam autem pertinet , res in finem ordinare* .

Secunda , creatura spiritualis non potest pertingere viribus suis ad finem conatus suos excedentem , nisi ab alio ordinetur & deducatur ad illum : sed vita æterna est finis excedens vires nostras . Igitur datur prædestinatio , seu ordinatio efficax Dei quæ nos infallibiliter conducat ad vitam æternam . *Ad illud autem* , inquit D. Thomas ibidem , *ad quod non potest aliquid virtute suæ naturæ pervenire , oportet quod ab alio transmittatur sicut sagitta a sagittante mittitur in signum* .

Tertia , nullus consequitur effectum nisi dependenter a prima causa , quia præcontinet in se omnium rerum rationes , unde in tantum res sunt , in quantum participant de prima essentia & ratione : sed vitæ æternæ consecutio est effectus mirabilis , ejus vero prima causa , est Deus , qui ipse est vita æterna : Igitur ad ipsum pertinet & ordinare ad vitam æternam , & illam conferre electis & pœnitentibus . Ista ratio a D. Thoma ibidem adducitur . " Rationalis creatura , quæ est capax vitæ æternæ , perducitur in ipsam quasi a Deo transmissa . Cujus quidem transmissionis ratio in Deo præexistit , sicut & in eo est ratio ordinis omnium in finem , quam diximus esse providentiam . Ratio autem alicujus fiendi in mente actoris existens est quædam præexistentia rei fiendæ in eo . Unde ratio prædictæ transmissionis creaturæ rationalis in finem , vitæ æternæ prædestinatio nominatur . "

Quarta , nullus potest habere thesaurum ad quem nullum habet jus nisi volente , nisi gratificante & ordinante Domino : sed vita æterna est quid homini indebitum : tum quia Gregorius 13. & Pius 5. definierunt contra Baium Deum potuisse creare hominem solummodo ad finem naturalem , & in statu naturæ puræ , gratia enim est pure gratuita , unde 1. Cor. 4. habetur : *Quis te discernit , quid habes quod non accepisti ? si accepisti , quid gloriaris quasi non acceperis ?* tum quia homo per peccatum primi parentis amisit jus ad gloriam : ergo illam non potest habere , nisi volente & præordinante Deo qui est bonorum suorum dominus : igitur datur præordinatio ad vitam æternam .

Quinta , prædestinare ad vitam , idem est ac eligere secundum Patres supra laudatos , scilicet Prosperum , Fulgentium , Gregorium ; sed datur electio quorumdam pro vita æterna : ergo & prædestinatio . Probatur minor : primo , ex Apostolo qui Ephes. 1. dicit : *Elegit nos in ipso*

ante

ante mundi constitutionem. Secundo, ex D. Thoma qui hic ar. 4. docet vitam æternam non dari nisi Deo ordinante & eligente, quatenus in ipso voluntas est causa boni quod vult facere, unde dilectio antecedit naturæ electionem, siquidem ratio prædestinandi in Deo, est amor quem habet pro aliquo, & quo vult illi bonum: in nobis vero e contra: diligimus, quia bonitatem supponimus in rebus, & sic electio amorem antecedit. Igitur Deus eligit secundum propositum, & quidem liberrime, quatenus suorum bonorum dominus est. Et vero si non daretur electio & prædestinatio præter vocationem generalem ad fidem & salutem, Deus omnes & singulos homines æqualiter amaret, quod certe non est verum; namque quosdam speciali prosequitur amore, Apostolos præ cæteris haud dubie diligit, deinde Martyres, postea Confessores. Ipse Christus Joannem plusquam cæteros discipulos diligebat, hinc & discipulus dilectus *Joan.* 17. per antonomasiam dicitur: ergo, &c.

Sexta, Concilium Carisiacum can. 1. definit unicam esse prædestinationem, videlicet ad bonum & vitam æternam " unam, inquit, Dei prædestinationem „ tantummodo dicimus, quæ aut ad do„ num pertinet gloriæ, aut ad retribu„ tionem justitiæ „ porro duo certa sunt & tanquam inconcussa habentur principia. Primum quidem Deum nihil debere creaturæ, alterum vero gloriam quibusdam concedi, quibusdam denegari: sed hoc ex ordinatione Dei & prædestinatione ortum habet: igitur datur prædestinatio. Probatur minor: ad summam pertinet providentiam bona sapienter distribuere, ita ut in justis misericordia & amor, in reprobis justa vindicta, in omnibus justitia & veritas affulgeant: igitur hæc bonorum & ipsius gloriæ prædestinationem spectat. Igitur datur prædestinatio. Et vero quid est eligere, nisi quosdam assumere, cæteros vero relinquere? unde ex Evangelio reprobi erunt a sinistris & cum hædis: electi vero a dextris & cum ovibus.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Dionysius 4. de div. nom. dicit, *Sicut sol corporeus non eligendo omnibus corporibus lumen immittit: ita & Deus suam bonitatem*. Ex quo sic arguitur. Qui se communicat æqualiter non prædestinat, sed Deus ex Dionysio suam communicat omnibus creaturis bonitatem, igitur neminem prædestinat.

Respondeo 1. argumentum nimis probare, sequeretur enim Deum æqualiter curam habere de omnibus creaturis, æqualem de corporibus irrationabilibus & de spiritualibus, eo quod omnibus suam communicet bonitatem, attamen certum est plura & majora concedere spiritualibus creaturis, siquidem ordinantur ad vitam æternam.

Respondeo 2. distinguendo, sicut sol communicat suos radios, ita & Deus suos singulis creaturis, quoad concursum generalem ut operentur & conserventur, concedo: quoad specialem, nego: quasdam enim gratias concedit quibusdam, quas denegat aliis. Solutio est D. Thomæ hic qui art. 4. ad 1. sic explicat Dionysium. " Dicendum, *inquit*, quod si consideretur „ communicatio bonitatis divinæ in com„ muni, absque electione bonitatem suam „ communicat: in quantum scilicet ni„ hil est quod non participet aliquid de „ bonitate ejus . . . sed si consideretur „ communicatio istius, vel illius boni, „ non absque electione tribuit, quia quæ„ dam bona dat aliquibus, quæ non dat „ aliis. Et sic in collatione gratiæ & „ gloriæ attenditur electio. „

Opponos 2. prædestinatio importat quamdam discretionem, qua quidam potius assumuntur quam alii, sed hoc non est in Deo, namque vult omnes homines salvos fieri, ut dicitur 1. ad Tim. 2. igitur non datur prædestinatio.

Respondeo negando minorem: ad probationem distinguo. Deus vult omnes salvos fieri voluntate antecedenti, concedo: voluntate consequente, nego: prædestinatio est solum a voluntate consequente, enimvero prædestinatio dicit præparationem mediorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur: igitur datur discretio ex parte voluntatis Dei qui vult quosdam eligere ad vitam æternam. Ita D. Thomas ibidem art. 4. *Dicendum, quod sicut supra dictum est, Deus vult omnes homines salvos fieri antecedenter . . . non autem consequenter, quod est simpliciter velle.*

Objicies 3. Damascenus 2. lib. c. 3. ait: *Oportet cognoscere, quod cuncta quidem praecognoscit Deus, non autem omnia praedeterminat, praecognoscit enim ea quae in nobis sunt: non autem praedeterminat ea*: igitur non datur praedestinatio. Igitur ex Damasceno non datur electio unius prae alio.

Respondeo distinguendo consequens, non datur praedestinatio necessitans, concedo: praedestinatio libera quaeque intactam relinquit libertatem, nego. Primum solummodo intendit Damascenus, siquidem loquitur contra admittentes fatum. In isto explicatur sensu a D. Thoma hic ar. 1. ad 1. " Dicendum, quod Damascenus nominat praedeterminationem, impositionem necessitatis: sicut est in rebus naturalibus, quae sunt praedeterminatae ad unum. Quod patet ex eo quod subdit, non enim vult malitiam, neque compellit virtutem. Unde praedestinatio non excluditur.

Instabis. Praedestinatio videtur imponere necessitatem: ergo nullo modo est admittenda. Probatur antecedens. Hac posita homo necessario salvatur, namque decretum immutabile est, illa vero non posita nullus potest salvari, enimvero nullus potest salvari nisi velit Deus, siquidem est bonorum suorum dominus: unde dat quibus vult, & negat similiter.

Respondeo solutum manere argumentum ex iis quae diximus de scientia Dei, siquidem voluntas Dei cum sit primum liberum non perimit, sed conservat & fovet libertatem, quae ab ipsa emanat ut a primo totius libertatis fonte, tum quia decretum Dei attingit modum agendi rebus connaturalem, ita ut faciat agere causas necessarias necessario, liberas vero libere; tum quia ex Augustino observavimus Deum praescire ea quae sunt in voluntate hominum, unde praescit ab aeterno, eo quod sic futurum est in tempore, causa secunda libere agente: igitur immutabilitas decreti non officit libertati.

Respondeo 2. negando sequelam. Ad probationem distinguo: posita praedestinatione homo non potest non salvari, in sensu composito, concedo: in sensu diviso, nego. Sic respondet Divus Thomas hic quaest. 23. art. " Quamvis non esse effectus divinae voluntatis non possit simul stare cum divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum, simul stat cum divina voluntate. Non enim isti sunt incompossibilia: Deus vult istum salvari, & iste potest damnari; sed ista sunt impossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnatur. "

Ad aliam partem in qua objicitur non posita praedestinatione hominem salvari non posse, distinguo: potentia consequente & in sensu composito; idest, attentis omnibus circumstantiis, quia aliquis peccaturus est ad finem usque, concedo. Potentia antecedente & in sensu diviso, nego. Et vero omnis homo habet auxilia sufficientia quibus potest adimplere praecepta & ad bonum finem pervenire; unde si salute cadat, est sua culpa. Hinc absona est illius consequentia, qui ad spiritum erroris attendens, cum haereticis dicit, si praedestinatus sum, quidquid mali fecerim, salvus ero: e contra vero si reprobatus, quidquid boni egerim, nihil mihi proderit, quasi vero media, videlicet orationes, jejunia, mandatorum observatio non caderent sub praedestinationem, immo praedestinatio est praeparatio mediorum quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. *Satagite igitur*, inquit S. Petrus 2. Epist. 1. 10. *ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*. Certum est igitur quod si bene egeris, salvaberis. Haec solutio traditur a D. Prospero l. 2. de vocat. gent. c. 36. & a D. Thoma hic art. 8. qui una voce docentes media assignata sub providentiam cadere, hac responsione solvunt objectionem.

Objicies 4. Angeli sancti translati sunt ad vitam, & tamen nullibi dicuntur Praedestinati, & probatur: Praedestinatio ex mente Augustini est propositum educendi aliquem e miseria; sed Angeli boni nusquam fuere miseriis subditi: igitur nec praedestinati.

Respondeo 1. motum non denominari a termino a quo, sed ad quem, cum igitur Angeli electi fuerint transmissi vi gratiae triumphantis in vitam aeternam, unde & prae caeteris inquit Augustinus, fuerunt magis adjuti, quippe qui & in amore Creatoris & in humilitate ac debita erga Deum reverentia constan-

tes inventi sunt, hoc ipsum innuit Scriptura, namque Divus Judas in sua Canonica Epistola dicit, asseritque Angelos sanctos suum servasse principatum. Subscribit D. Thomas hic art. 1. ad 3. " Nihil refert, „ *inquit*, ad rationem prædestinatio-„ nis, utrum aliquis prædestinetur in „ vitam æternam a statu miseriæ, vel „ non. „

Respondeo 2. negando antecedens: ad probationem, distinguo: prædestinatio est propositum aliquem educendi e miseria negativa vel positiva, concedo: e miseria absolute positiva, nego. Miseria negativa est aliquo carere bono alias indebito, positiva vero est carere bono naturæ aut dato aut debito; gloria non erat debita Angelis, quandoquidem gloria totum transcendit naturæ etiam angelicæ & ordinem & meritum: igitur ex misericordia Angeli translati sunt a statu viæ & imperfecto, immo & fine naturali, ad gloriam & finem supernaturalem, igitur e miseria negativa liberati, gloria & honore coronati sunt. Unde ibidem subdit Divus Thomas, " quamvis dici possit, „ quod omnis collatio boni supra debitum „ ejus, cui confertur, ad misericordiam „ pertineat. „ Porro in hominibus prædestinatio est eductio e miseria positiva, scilicet a statu peccati ad felicem vitæ æternæ statum.

Cæterum prædestinatio active sumpta residet in Deo: & est actus intellectus simul & voluntatis: intellectus quidem quatenus est ordinatio, adeoque actus sapientiæ ad quam potissimum spectat ordinare ad finem: voluntatis vero quia ab amore decernente bonum promanat: passive sumpta & quoad effectum subjectatur in creatura rationali elevata ad finem supernaturalem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur prædestinatio Sanctorum.

Primo. Scriptura Sacra passim hoc astruit, ut Rom. 8. 30. rursus Ephes. 1.

Secundo. Patres hoc ipsum conclamant, videlicet Augustinus ex professo in libro cui titulus de prædestinatione Sanctorum, Fulgentius, & alii non pauci. Hoc Valentinum Concilium definivit, hoc Tridentinum.

Tertio. Ratio suffragatur, nulla quippe creatura suis innatis viribus potest ad finem supernaturalem tendere, multo minus attingere, nisi a Deo ad hunc per media certa, efficacia eaque proportionata dirigatur & ordinetur. Ergo, &c.

SYNOPSIS SOLUTIONUM AD OBJECTIONES.

Primo. Nonnunquam Patres ut Damascenus & quidam alii prædestinationem abhorrent, & explodunt, verum loquuntur de ea quæ vel fatum, vel necessitatem in actiones humanas inducit.

Secundo. Tametsi cuncta præordinentur a Deo, non ideo tamen liberum adimitur arbitrium, quandoquidem Deus creaturas movet suaviter, nimirum earum conformiter naturæ.

Tertio. Decretum prædestinationis infallibile quidem est, sed non inde adversatur libertati, quinimmo sua efficacia illam servat incolumem & fovet, quatenus applicat causas secundas ad actum prævia creaturæ rationalis deliberatione.

ARTICULUS QUARTUS.

De causa motiva prædestinationis Sanctorum.

DIFFICULTATUM abyssum ingredimur, quum prædestinationis motivum inquirimus; sed ne hinc inde scopulis hærentibus allisa pereat navis, duce Angelo Scholæ, & omni, qua par est fidei obedientia & humilitate gradiamur. Igitur incipiendum est cum D. Thoma qui hic q. 23. ar. 5. exponens statum quæstionis, simul demonstrat quæ pericula ex perversis doctrinis & opinionibus sint vitanda. " Dicendum, *inquit*, quod „ cum prædestinatio includat volunta-„ tem, ut supra dictum est, sic in-„ quirenda est ratio prædestinationis, „ sicut inquiritur ratio divinæ volunta-„ tis. Dictum est autem supra, quod „ non est assignare causam divinæ vo-„ luntatis, ex parte actus volendi: „ sed potest assignari ratio ex parte vo-„ litorum, in quantum scilicet Deus vult „ esse aliquid propter aliud. Nullus er-

,, go fuit ita insanae mentis, qui diceret ,, merita esse causam divinae praedestinationis ex parte actus praedestinantis. ,, Sed hoc sub quaestione vertitur, utrum ,, ex parte effectus praedestinatio habeat ,, aliquam causam. Et hoc est quaerere, utrum Deus praeordinaverit se ,, daturum effectum praedestinationis alicui propter merita aliqua. Fuerunt ,, igitur quidam, qui dixerunt, quod effectus praedestinationis praeordinatur alicui propter merita praeexistentia in ,, alia vita. Et haec fuit positio Origenis, qui posuit animas humanas ab initio creatas, & secundum diversitatem ,, suorum operum diversos status eas sortiri in hoc mundo corporibus unitas. ,, Sed hanc opinionem excludit Apostolus *Rom.* 9. dicens, cum nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni vel mali, non ex operibus, sed ,, ex vocante dictum est: quia major ,, serviet minori. Fuerunt ergo alii qui ,, dixerunt, quod merita praeexistentia ,, in hac vita, sunt ratio & causa effectus praedestinationis. Posuerunt enim ,, Pelagiani quod initium benefaciendi sit ,, ex nobis, consummatio autem a Deo. ,, Et sic ex hoc contingit, quod alicui ,, datur praedestinationis effectus, & non ,, alteri: quia unus initium dedit se praeparando, & non alius. Sed contra ,, hoc est, quod dicit Apostolus 2. *Cor.* ,, 3. Quod non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis. Nullum autem anterius principium inveniri ,, potest, quam cogitatio. Unde non potest dici, quod aliquod in nobis existat, ,, quod sit ratio effectus praedestinationis. ,,

Certum est igitur, & est de fide; primo electionem ad gloriam non posse esse ex meritis naturae; secundo, primam gratiam non cadere sub meritum: 3. Praedestinationem dependere secundum executionem a meritis & bonis operibus. De his tribus momentis conveniunt omnes Theologi; sed gravis est inter eos controversia, an intentio quam habuit Deus ab aeterno dandi gloriam Sanctis, fuerit ordinata per merita praevisa electorum, ita ut Deus, licet a creatura independens, voluerit tamen regulare decretum praedestinationis ex meritis praevisis? An vero Sanctorum electio ad gloriam sit a meritis penitus independens? circa illud momentum nihil est de fide determinatum, sed relinquitur disputandum in Scholis.

Variae de illo momento circumferuntur sententiae. Quidam praedestinationem Sanctorum esse ante praevisa merita propugnant; haec opinio tribuitur Divo Augustino & sancto Thomae: hanc sequuntur omnes nostri Thomistae; quidam vero tenent eam duntaxat dari post praevisa merita. Ita Alensis, Albertus magnus, S. Bonaventura, Okamus, Vasquez, Lessius, & alii permulti congruistae. Impraesentiarum inquirendum est, an utraque sententia absque ullo aut fidei, aut veritatis periculo propugnari possit.

SECTIO PRIMA.

Utrum praedestinatio Sanctorum possit catholice defendi ante praevisa merita.

LUTHERUS & CALVINUS graviter circa istud momentum erravere, propugnando cum antiquis Praedestinatianis praedestinationem ante praevisa merita necessitantem; qua de causa & propter alios errores a Concilio Tridentino proscripti sunt.

Opera pretium est nunc observare praedestinationem posse sumi in communi & in abstracto: deinde vero in particulari seu in concreto. Ita D. Thomas hic art. 1. primo modo spectata, consideratur ex parte Dei praeparantis media & ordinantis aliquem in vitam aeternam: secundo modo, dicit cooperationem hominis libere agentis: seu praedestinatio potest sumi adaequate, & inadaequate; adaequate sumpta, importat primam gratiam, cooperationem hominis qui adjuvatur a gratia, & perseverantiam finalem; inadaequate vero considerata, dicit merita & actus virtutum quibus pervenitur ad gloriam.

CONCLUSIO PRIMA.

Prædestinatio adæquate sumpta, est ante prævisa merita.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura Sacra.*

Rom. 6. habetur: *gratia Dei vita æterna*; & immo Psal. 102. 4. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus*. Succinit illud Christi ad Discipulos suos Joan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Quibus sententiis & similibus gratuita prædestinatio adæquate sumpta, commendatur.

Secundo, *ex D. Augustino & D. Thoma.*

Augustinus l. de gratia & libero arbitrio c. 9. sic loquitur "cum posset dicere Apostolus & recte dicere, stipendium justitiæ, vita æterna; maluit dicere, gratia Dei vita æterna; ut hinc intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua misericordia perducere. „ Similia dicit *l. 2. contra duas Epist. Pelag.* " Profecto, *inquit*, desipitis, quia dicente veritate, non ex operibus, sed ex vocante, vos dicitis, ex futuris operibus, quæ Deus fore præsciebat; atque adeo contradicitis Apostolo. „

Suffragatur Divus Thomas qui hic q. 23. art. 5. ait: " Non ergo præscientia meritorum est causa vel ratio prædestinationis. „ Rursus ibidem: Manifestum est autem, quod id quod est gratiæ, est prædestinationis effectus, & hoc non potest poni, ut ratio prædestinationis, cum hoc sub prædestinatione concludatur. „ Quæ quidem tum Augustini, tum Divi Thomæ argumenta plurimum urgent, si habeatur respectus, & ad primam gratiam a qua omne incipit meritum, & ad perseverantiam, qui concluditur & consummatur.

Tertio, *ex ratione.*

Prædestinatio adæquate sumpta includit & primam gratiam, & perseverantiam finalem, definitur enim ab Augustino: *Præparatio mediorum quibus certissime liberantur quicunque liberantur*: sed neque prima gratia, neque perseverantia finalis cadunt sub meritum: igitur nec prædestinatio adæquate sumpta.

CONCLUSIO SECUNDA.

Prædestinatio etiam inadæquate sumpta in multis, ut in beatissima Virgine, in sancto Joanne Baptista & Prophetis, item in Apostolis, in Martyribus, ne dicam & in Patriarchis ordinum & aliis similibus qui sunt per excellentiam & ad magna pro Ecclesiæ propagatione, & ad mirabilem pro semetipsis gloriam sublimati, est ante prævisa merita.

Probatur hoc ratiocinio.

Bonis operibus debetur tantummodo gloria ordinaria, major vero vel minor secundum actuum gradus & intentionem; quia effectus non excedit virtutem causæ: sed gloria Sanctorum quos in Conclusione delineavimus, sublimis est, & gratiæ ordinariæ conatum superat: igitur est ante prævisa merita, saltem ut talem dicit gloriam.

Confirmatur; gloria illorum Sanctorum commensuratur eorum nedum gratiæ sed & officiis: atqui esse matrem Dei, esse Prophetam magnum & Præcursorem Domini, esse Apostolum, & Christi testem, atque proprii sanguinis effusione Confessorem, esse ordinis Patriarcham, ita ut multi & infiniti prope homines de plenitudine tanti Patris accipiant, non cadit sub meritum: igitur nec prædestinatio. Probatur minor: beatissima Virgo est in ordine hypostatico, unde esse matrem Dei non promerita est: esse Prophetam, vel Apostolum, officium grande est; igitur hoc ex solo Dei placito dependet: si de martyrio loquamur, ipsam includit perseverantiam finalem, unde non cadit sub meritum de condigno. Veniamus ad ordinum Patriarchas, quantum mysterium sit, intelliget, cum in eis benedicantur nationes, multi populi: igitur prævisa hominis particularia merita ad tantam provehere gloriam non valent; maxime vero cum hæc gloria & gratia quam recipiunt, quodammodo universalis sit, sunt enim pleni, & pro se, & superpleni pro aliis, ista subli-

matio est magnæ misericordiæ, summæ bonitatis argumentum & effectus: igitur prædestinatio intentiva in eis est ante prævisa merita; quod fusius patebit ex argumentis tertiæ sententiæ in conclusione sequenti explanandis.

Dices: beatissima Virgo, Prophetæ, Apostoli & cæteri quantumvis per excellentiam prædestinati, gloriam promeruerunt per sua bona opera: igitur eorum prædestinatio facta est ex prævisis eorum meritis, maxime cum hic modus sit tum ad captum nostrum, tum ad justitiæ apices suavior & plurimum conveniens.

Respondeo primo, Sanctos istos percelebres nec primam gratiam, nec officia præclara quibus donati sunt, promeruisse; unde eorum gloria sublimis, magis misericordiam quam debitum spectat.

Respondeo secundo distinguendo consequens: prædestinatio passive & in executione facta, est per bona opera, adeoque & per merita, concedo: prædestinatio active sumpta, nego: non aliud sane habuit in Deo motivum præter misericordiam & bonitatem divinam. Et vero cum Deus media fini attemperet, posito ejus de prædestinatione Sanctorum decreto, magnam gratiarum seriem quibus electi sua possint adimplere officia, elargitus est. Ecce quomodo apparet in eis misericordia & judicium, misericordia in electione, prædestinati sunt ante prævisa merita ad gloriam; judicium vero in executione, ad tantam bonis operibus & propriis meritis pervenerunt coronam. Cæterum observes velim, doctissime Lector, nedum finem, sed & media, & ministeria in prædestinationis decreto includi. Esto quod tanti Sancti ex prævisis meritis ad gloriam ut sic, prædestinari potuerint, non tamen ad gloriam reduplicative ut matris Dei, ut apostolatus, & martyrii; hæc quippe prædestinatio omne gratiæ ordinariæ seu communis excedit meritum: porro a gloria B. Mariæ, v. g. non separatur gloria matris Dei, &c. igitur prædestinatio intentiva B. Mariæ, Apostolorum & Martyrum est ante prævisa merita.

CONCLUSIO TERTIA.

Prædestinatio inadæquate sumpta catholice defenditur ante prævisa merita.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura Sacra*.

Christus Joan. 15. sic loquitur ad Apostolos: *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat*. Ex quo loco istud conficitur argumentum: prædestinatio, ut dictum est supra, est electio; sed illa est pure gratuita. Probatur, si foret per prævisa merita, verum esset dicere Apostolos elegisse Christum, prædestinatos per bona opera prius eligere Deum, quam Deum eos ipsos prædestinare, siquidem eligeret eos Deus propter bona opera, adeoque quia ipsi prius Deum in sortem suam elegissent; sed hoc est contra Christi effatum, *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos*. Quod autem ibi sermo fit de prædestinatione, verba subsequentia manifestant. *Posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat*. Ire enim de virtute in virtutem, fructum afferre per nova merita, & in bono finaliter perseverare sunt effectus prædestinationis, quandoquidem certissime liberantur qui operantur bonum usque in finem. Igitur electio ad gloriam intentiva, seu ordinatio ad gloriam est pure gratuita, & ante prævisa merita.

Secundo: Rom. 9. Apostolus ex professo de prædestinatione gratuita Sanctorum tractat, eo scilicet scopo ut & Judæorum & Gentilium ad fidem conversorum elationem compescat: illorum quidem qui filios Abrahæ se esse gloriantes, aspernabantur cæteros: istorum vero qui per vanam suorum Philosophorum sapientiam ad fidem Christi pervenisse autumabant; omnibus ostendendo quidquid aut gratiæ aut gloriæ inest Sanctis in Dei bonitatem & misericordiam refundendum esse: unde ait, *non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei*, scilicet ut non glorietur omnis caro; sed sublimitas sit Dei. Sic igitur loquitur de Jacob electione & repulsione Esau: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali*,

ut

ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est, quia major serviet minori, sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui, miserer cujus miserebor, & misericordiam præstabo cujus miserebor, seu ut legit Hieronymus, *miserebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit*. Ibi agitur de prædestinatione, quia agitur de electione; sed illa ante prævisa merita prædicatur, & quidem propter duo. Primo dicitur secundum propositum, & non ex operibus, ex *vocante* inquit Apost. *dictum est, quia major serviet minori*: certe si prædestinatio foret post prævisa merita, non diceretur secundum purum propositum, non ex solo vocante, sed etiam ex vocato bene operante diceretur, *quia major serviet minori*. Secundo, non attenditur ad justitiam operum, sed ad misericordiam vocantis, juxta illud, *misereor cujus miserebor*: igitur prædestinatio est pure gratuita & ante prævisa merita.

Tertio, Ephes. 1. habetur: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ ... in quo nos sorte vocati sumus secundum propositum ejus*. Eligere nos ut simus sancti, & prædestinare in adoptionem filiorum Dei secundum propositum, est eligere ante prævisa merita, siquidem est eligere & vocare efficaciter ad vitam per sortem: certe quod sit sic, sit absque meritis: sed ex Apostolo sic eligit & prædestinat Deus: igitur ante prævisa merita Sanctos prædestinat ad gloriam.

Quarto, ad Tit. 3. legitur: *Non ex operibus quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*. D. Thomas hic art. 5. illa verba sic interpretatur, *sicut salvos nos fecit, ita & prædestinavit nos salvos fieri; non ergo*, inquit, *præscientia meritorum est causa vel ratio prædestinationis*. Igitur cum Apostolus dicat nos misericorditer salvos fieri, concludendum est nos pure gratuito prædestinari.

Secundo, *ex Patribus Græcis*.

Ignatius Epist. ad Smyrnæos sic loquitur: " Dignus factus sum secundum vo-
" luntatem Dei, non ex conscientia,
" sed ex gratia Dei quam oro perfectam
" mihi dari. "

Irenæus l. 1. c. 4. " Quare, *inquit*,
" adventus Filii in fine apparuerit, &
" non in initio, & quare desperatas gen-
" tes cohæredes fecit Deus in talibus?
" exclamavit Apostolus, o altitudo! Et
" l. 4. c. 70. " Deus gratuito quidem
" donat ea quæ oportet, secundum etiam
" meritum distribuit adversus ingratos ju-
" stissimus retributor " quibus verbis docet prædestinationem esse quidem ante prævisa merita, reprobationem vero post prævisa demerita.

Suffragatur Gregorius Nyss. in Psal. 14.
" Gratis hominibus salus a te venit, non
" ex operibus justitiæ. "

Concinit Chrysostomus Hom. 1. in 1. ad Cor. " per voluntatem Dei salutem inve-
" nimus, & quoniam ei visum est... non
" quoniam digni eramus. "

Accedit Basilius in Liturgia " non est
" qui contradicat tibi, cum enim volue-
" ris salvas. "

Subscribit Theodoretus in Epist. ad Ephes. explicans illud cap. 1. de prædestinatione, *secundum propositum voluntatis suæ*, " *subdit*, hoc enim voluit: hoc ei
" placuit. "

Tertio, *ex Patribus Latinis*.

Clemens Romanus agmen ducet: in Epistol. 1. ad Cor. de Abrahæ posteris loquens, ait: " Omnes glorificati & ma-
" gnificati sunt, non per seipsos, aut
" eorum opera, aut justas actiones quas
" patrarant, sed per voluntatem ejus:
" sic nos ex voluntate ejus in Christo Je-
" su vocati. "

Sequitur Cyprianus Epist. 49. ad Cornel. de Novati sceleribus. " Non potest peri-
" re nisi quem constat esse periturum,
" cum Dominus in Evangelio suo dicat:
" Omnis plantatio, quam non plantavit
" Pater, eradicabitur, qui plantatus non
" est solus, poterit de Ecclesia ille di-
" scedere, cæteros vero nobis adunabit
" Dei Patris misericordia. "

Non

Non prætereundus S. Prosper qui Epist. ad Rufinum ait : " Ex omni numero hominum per sæcula cuncta natorum, certum apud Deum, definitumque esse numerum prædestinati in vitam æternam populi, & secundum propositum Dei vocantis electi. Et carmine de ingratis c. 10. & 11.

Ergo hominis valida arbitrio divina voluntas,
Aut etiam invalida est, operis cui finis in illo est,
Quem frustra iuvisse velit, nisi preferat ille
Affectum, cujus comitetur gratia cursum.

Fulgentius suum addit calculum l. de remiss. pecc. c. 4. " Quocirca ex duobus istis fratribus, quos ex uno concubitu Isaac patris nostri, unus in semine conceptus accepit, unus in lucem partus effudit, sola quem voluit, a massa damnationis, misericordia divina discrevit; cui patrocinata est gratuitorum prædestinatio munerum, non futurorum præscientia meritorum. Sic enim secundum electionem propositum mansit, ut ex proposito Dei gratuita foret electio. Voluntas enim causa est electionis, non electio causa est voluntatis. "

Petrus Diaconus Epist. ad Fulgentium de Incarnatione & gratia Christi contra Semipelagianos qui dicebant homines seipsos discernere per merita, ait : " Hæc si ita sunt, ut hæretici jactitant, comprehensa sunt ab ipsis inscrutabilia & incomprehensibilia Dei judicia; si enim, ut ipsi volunt, nolentes damnat, salvat autem volentes, nihil est omnino quod quæratur ulterius, &c. Nos autem incomprehensibilia credentes & demonstrantes judicia Dei, alios justo & occulto judicio derelinqui. "

Gregorius Magnus in Epist. ad Rom. explicat caput nonum de prædestinatione ante prævisa merita : refert enim ad inscrutabilia judicia quod unus assumatur, alter vero relinquatur. " Nemo, *inquit*, perscrutari appetat, cur cum alius repellitur, alius eligatur. " Quiquidem recursus ad judicia inscrutabilia non foret necessarius, si prædestinatio esset post prævisa merita : facile enim respondere-tur quærenti cur unus eligatur, alter non, quia unus habiturus est multa merita, secus vero alter. Idem confirmat in 1. Reg. 14. l. 5. Consentiunt Beda qui eodem modo explicat c. 9. Epist. ad Rom. Ecclesia Lugdunensis in l. de tribus Epistolis, Anselmus Cantuariensis & Bernardus serm. 5. in Dominicam primam Novemb. quippe qui explicent caput nonum Epist. ad Rom. sicut alii Patres citati.

Quarto, *ex S. Augustino.*

Sanctus Doctor Epist. 105. sic explanat illa verba capitis noni Epistolæ ad Rom. *cum enim nondum nati fuissent*, &c. " Non meriti prærogativa, non fati necessitate, non temeritate fortunæ, sed altitudine divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam non aperit, sed clausam miratur Apostolus clamans, o altitudo divitiarum! " Ponderans vero exemplum Jacob & Esau subdit : " Quid enim diligebat in Jacob antequam natus fuisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? " Deinde proponit sibi objectionem ex sententia contraria, & illam solvit negando ipsius principium. " Non id potius tam breve, tam apertum, tam sicut ipsi putant, verum, absolutumque respondit. Cum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni aut mali, recte dici poterit, quod unum Deus dilexerit, alium odio habuerit, ipse sibi objecta quæstione motum exprimens auditoris, quid ergo dicemus, *inquit*, numquid iniquitas est apud Deum? absit. Hic ergo erat locus ut diceret quod isti sentiunt : futura enim Deus opera prævidebat, quando minori majorem serviturum esse dicebat. Non autem hoc Apostolus dicit, sed potius ne quisquam de suorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam, & gloriam commendandam voluit valere quod dixit. "

Rursus l. de prædest. SS. c. 18. n. 36. " Præsciebat ergo, *ait Pelagius*, qui futuri essent sancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa

" sua

„ sua præscientia, qua tales futuros esse „ præscivit, elegit. Elegit ergo, *inquit*, „ antequam essent prædestinans filios, quos „ futuros sanctos, immaculatosque præs- „ civit: utique ipse non fecit; nec se „ facturum, sed illos futuros esse præsci- „ vit. „ Postea respondet refutando Pelagium qui ponebat prędestinationem post prævisa merita. " Elegit nos, *inquit*, „ ante mundi constitutionem ut essemus „ sancti & immaculati: non ergo quia „ futuri eramus, sed ut essemus, nempe „ certum est, nempe manifestum est. „ Ideo quippe tales eramus futuri, quia „ elegit ipse, prædestinans ut tales per „ gratiam ejus essemus. „ Igitur prædestinatio est pure gratuita, siquidem ex Augustino fit per gratiam & misericordiam, & non per merita: quinimmo ante prævisa merita decernitur.

Idem in Enchir. ad Laurentium c. 98. explicans illa verba Epistolæ ad Rom. " *Miserebor cui misertus ero*, ait: " qua „ in re si futura opera vel bona hujus, „ vel mala illius, quæ Deus utique præ- „ sciebat, vellet intelligi, nequaquam „ diceret, non ex operibus: sed dice- „ ret, ex futuris operibus; eoque modo „ solveret istam quæstionem: immo nul- „ lam, quam solvi opus esset, faceret „ quæstionem. Sed qui dixit, miserebor „ cui misertus ero, & misericordiam „ præstabo cui misericors fuero, Jacob „ dilexit per misericordiam gratuitam. „ Et capite sequenti, sola gratia redemp- „ tos discernit a perditis, quos in unam „ perditionis concreverat massam ab ori- „ gine ducta caussa communis: *postea* „ *dicit*, sic oportuisse liberari, ut ex „ pluribus non liberatis, atque in dam- „ natione justissima derelictis, ostende- „ retur quid meruisset universa consper- „ sio, & quo etiam istos debitum Dei „ judicium duceret, nisi eis indebita mi- „ sericordia subveniret. „ Vult ergo Augustinus totum prædestinationis opus penes misericordiam esse. Ergo, &c.

Quinto. *Ex Divo Thoma*.

Divus Thomas hic q. 23. ar. 5. quærit utrum præscientia meritorum sit causa prædestinationis, & propositis fundamentis sententiæ affirmantis sic respondet: *Sed contra quod dicit Apostolus ad Tit.* 3. *non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Sicut autem salvos nos fecit, ita & prædestinavit nos salvos fieri. Non ergo præscientia meritorum est causa, vel ratio prædestinationis*.

Ibidem in corpore articuli refert primo quidem opinionem Origenis qui merita prævisa in alia vita tanquam prædestinationis motivum assignabat. Secundo, placita Pelagianorum, qui merita naturæ præscita causam prædestinationis esse contendebant. Tertio loco exponit sententiam Theologorum orthodoxorum, qui merita viribus gratiæ comparata tanquam prædestinationis motiva conspiciunt, quam quidem sententiam videtur procul facere: & si fides adhibeatur multis, concludit S. Doctor prædestinationem esse ante prę-visa merita. " Unde, *inquit*, fuerunt „ alii, qui dixerunt, quod merita se- „ quentia prædestinationis effectum, sunt „ ratio prædestinationis: ut intelliga- „ tur quod ideo Deus dat gratiam ali- „ cui, & præordinavit ei daturum, „ quia præscivit eum bene usurum gra- „ tia, sicut si Rex det alicui equum „ quem scit eo bene usurum. Sed isti vi- „ dentur distinxisse inter id quod est ex „ gratia, & id quod est ex libero arbi- „ trio: quasi non possit esse idem ex u- „ troque. Manifestum est autem, quod „ id quod est gratiæ, est prædestinatio- „ nis effectus, & hoc non potest poni ut „ ratio prædestinationis, cum hoc sub „ prædestinatione concludatur. „

Idem ibidem sic procedit: " Dicen- „ dum est ergo quod effectum prædesti- „ nationis considerare possumus duplici- „ ter. Uno modo in particulari: & sic „ nihil prohibet aliquem effectum præ- „ destinationis esse causam & rationem „ alterius. . . . Sicut si dicamus quod „ Deus præordinavit se daturum alicui „ gloriam ex meritis, & quod præordi- „ navit se daturum alicui gratiam ut me- „ reretur gloriam. Alio modo potest „ considerari prædestinationis effectus in „ communi, & sic impossibile est quod „ totus prædestinationis effectus in com- „ muni habeat aliquam causam ex parte „ nostra. Quia quidquid est in homine „ ordinans ipsum in salutem, compre- „ henditur totum sub effectu prædestina- „ tionis, etiam ipsa præparatio ad gra- „ tiam.

„ tiam. . . . Habet tamen hoc modo „ prædestinatio ex parte effectus pro ra„ tione divinam voluntatem, ad quam „ totus effectus prædestinationis ordinatur „ ut in finem, & ex qua procedit sicut „ ex principio primo movente. „

Rursus in Epist. ad Rom. lec. 2. " Præ„ scientia meritorum non potest esse ali„ qua ratio prædestinationis, quia meri„ ta præscita cadunt sub prædestinatio„ ne. „ Igitur ex D. Thoma prædesti„ natio est ante prævisa merita.

Sexto, *ex multiplici ratione*.

Prima: prædestinatio Sanctorum spectat voluntatem divinam, siquidem teste Apostolo est secundum propositum. Sed divina voluntas non habet causam suæ actionis motivam præter suam bonitatem: igitur prædestinatio Sanctorum est penes bonitatem Dei & misericordiam, nusquam vero penes merita. Probatur minor. Motivum operationis Dei debet esse ejusdem ordinis & gradus cum illo, quandoquidem actio ab eo specificatur; ergo sola bonitas & misericordia sunt motivum prædestinationis & non quid creatum, qualia sunt merita. Ista ratio est D. Thomæ l. 1. contra Gent. c. 87. *Voluntati enim causa volendi est finis; finis autem divinæ voluntatis est sua bonitas: ipsa igitur est Deo causa volendi, quæ est etiam ipsum suum velle: aliorum autem a Deo volitorum, nullum est Deo causa volendi.*

Secunda: Prædestinatio est effectus amoris Dei maximus, namque amare est velle bonum alicui, Deus autem non potest velle nobis majus bonum quam gloriam: sed amor Dei non supponit merita, quippe qui non supponat bonitatem in rebus, sicut nos supponimus, quum aliquem diligimus, quin potius infundit bonitatem in cordibus nostris ut nos reddat objecta suæ persecutionis congrua. Ergo prædestinatio est ante prævisa merita, alias si foret prædestinatio post meritorum prævisionem, jam amor Dei esset indigens ut amor creaturæ, jam supponeret bonitatem in objecto, immo & quæreret ut ab ipsa perficeretur; quod fieri nequit. Hanc tradit rationem D. Thomas hic q. 23. ar. 4. his verbis: *Electio tamen & dilectio aliter ordinatur nobis & in Deo: eo quod in nobis voluntas diligendo non causat bonum: sed ex bono praexistente incitamur ad diligendum. Et ideo eligimus aliquem, quem diligamus. Et sic electio dilectionem præcedit in nobis. In Deo autem est e contra. Nam voluntas ejus, qua vult bonum alicui diligendo, est causa quod illud bonum ab eo præ aliis habeatur. Et sic patet, quod dilectio præsupponitur electioni secundum rationem, & electio prædestinationi. Unde omnes prædestinati sunt electi & dilecti.*

Tertia: Effectus prædestinationis nequit esse causa prædestinationis, sed merita sunt effectus prædestinationis, sunt enim effectus gratiæ efficacis quæ habet pro principio ipsam prædestinationem: enimvero gratia efficax, bona opera & perseverantiæ donum, sunt media quibus certissime liberantur quicumque liberantur, adeoque & prædestinationis effectus; ergo cum principium meriti non cadat sub meritum, nec utique cadere debet prædestinatio, igitur est ante prævisa merita. Ita D. Thomas in caput nonum Epistolæ ad Rom. lect. 3. " Manifestum „ est autem, *inquit*, quod omne Dei bene„ ficium, quod homini confert ad salu„ tem, est divinæ prædestinationis effe„ ctus. Divinum autem beneficium non „ solum extendit se ad infusionem gra„ tiæ qua homo justificatur, sed etiam „ ad gratiæ usum. . . Et ideo dicitur „ Esa. 26. Omnia opera nostra operatus „ es in nobis Domine. . . . Sic igitur „ non potest esse quod merita consequen„ tia gratiam, sint ratio miserendi aut „ prædestinandi, sed sola Dei voluntas, „ secundum quam misericorditer aliquos „ liberat. „

Quarta: Prius est finem intendere quam media, ergo Deus prius vult & intendit finem, scilicet vitam æternam quam media, nempe merita; sed merita sunt media. Igitur prædestinatio est ante prævisa merita, quandoquidem primo respicit Deus finem, scilicet vitam æternam, quam media, nimirum bona opera & merita quæ fluunt ab ipsis.

Quinta: eodem modo ratiocinandum est de electione adultorum ac de electione puerorum quoad ordinationem ad finem: hic enim loquimur solum de ordinatione efficaci ad vitam æternam, siquidem prædestinatio est salutis ordinativa. Sed electio & prædestinatio puerorum est ante

præ-

prævisa merita, nulla quippe sunt, cum nulla habeant. Igitur prædestinatio omnis est ante previsa merita.

Sexta: Christus est nostræ predestinationis exemplar, juxta illud Rom. 8. 29. *quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*; sed prædestinatio Christi est ante prævisa merita: nulla enim merita præcessere Filii Dei Incarnationem: igitur & prædestinatio nostra est ante prævisa merita.

Septima: Prædestinatio vocatur tum ab Apostolo, tum a Patribus mysterium altum & ineffabile, sed non foret tale, si esset post prævisa merita, non enim Theologus in solvendis argumentis contra tale mysterium, multum insudaret: quærenti enim, cur unus traheretur, alter vero minime? cur unus gloria donaretur, alter non, cur unus salvaretur, alter vero reprobaretur? cito citius responderet Doctor, quia unus adimplevit præcepta, alter prævaricatus est, quia prævidet Deus unum multa bona opera patraturum esse, alterum vero aut pauca aut nulla, & semper finaliter mala: igitur si mysterium prædestinationis est inscrutabile, utique est ante prævisa merita.

Solvuntur Objectiones quæ e sacra eruuntur Scriptura adversus tertiam conclusionem.

Objicies 1. Omnes Evangelistæ loquuntur de bonis operibus, cum de gloria mentionem faciunt, & hoc tanquam de causa beatitudinis meritoria. Ergo prædestinatio Sanctorum est post prævisa merita. Probatur antecedens. Matth. 25. habetur: *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum, esurivi enim & dedistis mihi manducare*. 2. ibidem c. 2. *Sedere autem ad dexteram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*. Paratum nempe propriis meritis, inquit Epiphanius l. de Hær. Cyrillus l. 10. Thesauri c. 67. Chrysostomus hom. 35. in Matth. Similia proferunt alii Evangelistæ. Marci 12. Christus promittit vitam æternam illi qui Deum ex toto corde diligit. Luc. 10. Laudat Mariæ contemplationem tanquam quid magnopere necessarium ad vitam æternam, & Ioann. 15. *Posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat*. Quinam est ille fructus, nisi opus meritorium? Et quomodo manet, nisi in vita æterna, cujus est causa? igitur prædestinatio est post prævisa merita.

Respondeo distinguendo: Et hæc omnia probant prædestinationem esse post prævisa merita secundum executionem, concedo: secundum intentionem, nego. Et vero prius est Deum velle finem quam media: cum igitur media sint effectus prædestinationis intentive, finis quippe est principium in agibilibus, manifestum est prędestinationem, seu volitionem efficacem finis esse ante prævisa merita. Ex quo sequitur auctoritates laudatas & similes unicam tantum spectare executionem, quæ fit & adimpletur per merita. Cæterum, aliud est aliquid executioni mandari per merita: aliud causari per merita. Prædestinatio Sanctorum adimpletur & consummatur per merita, sed a meritis nusquam causatur.

Ad Patres, distinguo: Et loquuntur de prædestinatione in tota sui latitudine sumpta, nempe ut dicit intentionem finis, & executionem, concedo: & loquuntur de prædestinatione inadæquate spectata, nego: cum igitur Patres hanc non pertractent quæstionem secundum supremos juris apices, non mirum si quæstiones ad Ecclesiæ gloriam & exaltationem juxta cujuslibet merita dirimant. Cęterum ut eorum effata vera sint, sufficit prædestinationem in executione pendere a meritis.

Instabis: Scriptura loquitur de meritis tanquam de causa formali prædestinationis. Et probatur: Matth. 2. 5. 21. Salvator dicit: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*. Vox *quia* denotat causam formalem motivam. Igitur merita sunt causa formalis prędestinationis.

Respondeo distinguendo: Scriptura loquitur de meritis ut de causa formali prędestinationis secundum executionem, concedo: secundum intentionem, nego: Hortatur Christus homines ad precepta adimplenda, quibus pervenitur ad regnum Cœlorum, unde ne refrigescat charitas, proponit beatitudinem ut coronam, quę labore & victoriis plurimis supra mundum, supra diabolum & carnem

nem comparatur, & ideo quotiescumque loquitur de præmio, loquitur & de mediis, scilicet de meritis ad illud obtinendum conducentibus.

Iterum instabis: Matth. 25. eodem modo loquitur Christus de prædestinatione, ac de reprobatione: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, discedite a me maledicti in ignem æternum... Esurivi enim & non dedistis mihi manducare, &c.* Sed reprobatio causatur a peccatis; ergo & prædestinatio a meritis.

Respondeo distinguendo minorem: reprobatio positiva & secundum executionem, concedo: reprobatio intentiva, subdistinguo: causatur a peccato actuali, concedo: secus, nego. Est paritas in aliquo & disparitas: paritas quidem est in eo, quod executio prædestinationis dependet a meritis, sicut reprobatio actualis a demeritis; sed disparitas in alio puncto est, in eo scilicet quod Deus, cum sit ex se bonus, & prima omnis boni causa, non habet aliam causam motivam voleudi gloriam hominibus justis & sanctis præter suam bonitatem: at vero ille qui ex se bonus est, justus est teste Augustino, solum ex nobis, & ideo non decernit pœnas nisi propter peccatum actuale, quod malam habet causam, & deficientem, quæ quidem in sola creatura reperitur.

Instabis adhuc: Apostolus Rom. 8. 29. dicit: *Quos præscivit, hos & prædestinavit.* Prius dicit præscivit quam prædestinavit; igitur prædestinatio est, quia Deus præscivit merita.

Respondeo distinguendo antecedens: quos præscivit in decreto prædestinationis, concedo: in præscientia distincta a decreto prædestinationis, nego. Præscivit, inquit Augustinus, quod erat ipse facturus. Cæterum quando agitur de prædestinatione Sanctorum, præscire idem est ac prædestinare. Ita idem S. Doctor l. de bono perseverantiæ c. 18. n. 48. ubi explicans illud 11. *Non repulit Deus plebem suam quam præscivit*, ait: " Quid nos prohibet quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus præscientiam Dei, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? " Sic intelligendus est Ambrosius cum explicans locum Pauli dicit: " Deus eos quos præscivit devotos, " elegit ad promissa præmia capessenda. "

Urgebis. Jacob. Epist. 2. 5. *Deus elegit divites in fide*. Et primæ Petri 1. *Satagite ut per opera bona certam vestram vocationem & electionem faciatis*. Sed electio quæ fit in fide, fit ex prævisione meritorum fidei: alias si fieret ante prævisa merita, certe non fieret in fide, cum fides subsequeretur ad prædestinationem ut ad causam. Igitur est post prævisa merita. Sed facere electionem certam per bona opera, est electionem fieri per prævisa merita, alias foret certa ante merita, siquidem fieret ante prævisa merita: igitur cum ex Scriptura electio fit solum certa per bona opera, fit solum post prævisa merita.

Respondeo distinguendo: Deus elegit divites in fide futura vi electionis, concedo: independenter ab electione, nego. Eodem decreto vult Deus finem & media, sed media propter finem: igitur prædestinatio est causa fidei, minime vero meritum fidei causa electionis. Unde distinguo minorem, electio quæ fit in fide, fit ex prævisione meritorum, si præscientia fidei sit ante electionem, concedo: si est ab electione ut a primo meriti principio & a prima gratia quæ est causa cæterorum, nego.

Ad confirmationem: eadem est responsio. Unde distinguo, justi reddunt electionem certam quoad se per bona opera, concedo: quoad ipsam electionem, nego. Electio suam non sortitur certitudinem a bonis operibus, cum sit eorum causa, siquidem prædestinatio definitur ab Augustino, *præparatio mediorum quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*: sed a decreto & proposito voluntatis Dei; quia tamen bona opera sunt magnum prædestinationis nostræ argumentum, hortatur nos B. Petrus his sine intermissione incumbere, ut habeamus aliquam nostræ vocationis & certitudinem & fiduciam.

Insistes: Ecclesiasti. 15. habetur: *Ante hominem vita & mors; quod placuerit, dabitur ei*. Ergo prædestinatio est post prævisa merita, siquidem vita æterna dependet a consensu voluntatis prædestinati & a gratiæ cooperatione, non aliter enim promittitur homini vita quæ est gloria æterna, nisi quia potest eligere bonum & il-

& illud facere. Enimvero si prædestinatio est ante prævisa merita, jam non est attendendum ad voluntatem hominis, siquidem antecederet omnem voluntatis humanæ consensum tam in æternitate, quam in tempore.

Respondeo 1. ad istam gravissimam difficultatem sicut prius, distinguendo consequens: prædestinatio in executione est post prævisa merita seu potius per merita, concedo: in intentione, nego.

Respondeo 2. Scripturam sic loqui, ut demonstret prædestinationem hominis non tollere libertatem.

Objectiones ex Patribus & sanctis Doctoribus proponuntur & diluuntur.

Objicies 1. Clemens Romanus l. 3. recognitionum c. 8. Chrysostomus hom. 2. in Epist. ad Ephesios, Origenes, Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus & omnes fere Patres Græci explodunt prædestinationem pure gratuitam, & pro motivo electionis adducunt merita, sic Theophylactus in caput octavum Epistolæ ad Rom. *Quos præscivit, illos & prædestinavit*, &c. *ait* " præcognoscit, vel præscit Deus eos qui vocatione digni sunt: " deinde sic prædestinat. Prior itaque " est præscientia, postea sequitur prædestinatio. Prædestinationem autem intelliges, impermutabilem Dei bonam " voluntatem: prænovit itaque Paulum " Evangelii vocatione dignissimum esse, " sicque præfinivit, seu prædestinavit, " hoc est impermutabiliter decrevit, " adeoque statuit vocare ipsum. " Igitur prædestinatio est post prævisa merita.

Respondeo eodem modo quo supra: Patres loqui de prædestinatione in tota sua latitudine, & ut dicit volitionem finis & executionem, non separando unum ab alio, tum quia est unicus in Deo actus, tum quia eadem intentione Deus vult media & finem, tum quia etiam Patres sermonem habebant ad populum, quem ad pœnitentiam per bona opera promovere satagebant, unde de præmio & mediis simul ad coronam habendam loqui debuerunt.

Ad Theophylactum: dico eodem modo esse intelligendum, præsertim vero cum doceat prædestinationem gratuitam in commentario super caput 9. Epist. ad Rom. ubi loquens de duobus fratribus, ait: " Quum nondum nati fuissent, &c. negat, propter virtutem, aut vitia alterum electum, alterum repudiatum: " sed divino proposito, hoc est præscientia & prædestinatione. "

Oppones 2. Augustinus in responsione quarumdam propositionum ex Epistola ad Rom. propositione sexagesima dicit Deum eligere hominem ex præscientia fidei, & l. 1. ad Simplicianum q. 2. sic loquitur. " Non electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio " & ibidem. " Quod dictum est, quia " elegit nos ante mundi constitutionem, " non video quomodo sit dictum nisi " præscientia. " Sed eligere hominem ex præscientia fidei, est prædestinare post prævisa merita: igitur ex Augustino prædestinatio est post prævisa merita.

Respondeo Augustinum tribus diversis temporibus diversimode sensisse de electione Sanctorum: primo quidem ante Episcopatum putabat initium fidei esse a nobis. Et secundum istum errorem locutus est in prædicta expositione Epistolæ ad Romanos, & in aliis locis in objectione citatis: verum se postea retractavit, ut patet ex l. 1. retr. c. 23. & ex l. de prædest. SS. c. 3. 2. initio Episcopatus agnovit quidem initium fidei non esse ex nobis, sed non capiebat quomodo electio non supponeret diversitatem in eligendo & non eligendo, unde electionem posuit post justificationem, eo quod justi per bona opera discernantur ab impiis; ita sensit in locis aliquibus in objectione citatis. 3. Re maturius ponderata occasione hæresis Pelagianæ agnovit electionem non supponere absolute diversitatem, & tunc dictis & scriptis docuit prædestinationem Sanctorum pure gratuitam, ut constat ex probationibus, & sic patet solutio argumenti.

Instabis: Licet Augustinus retractaverit locum ex expositione Epistolæ ad Rom. depromptum, non tamen cætera loca, quæ quidem probant electionem post prævisa merita. Ergo putavit prædestinationem esse post prævisa merita.

Respondeo distinguendo, non retractavit explicite, bonum enim sua verba poterant

rant habere sensum, immo poterant recte intelligi de prædestinatione secundum executionem, concedo: implicite, nego. Enimvero docendo prædestinationem & electionem esse ante prævisa merita, censetur sufficienter mutasse sententiam.

Objicies 3. Glossa Ambrosii super illud Rom. 9. *miserebor, cui miserebor*, &c. dicit: " Misericordiam illi dabo, quem præscio toto corde reversurum ad me. " Ergo, &c.

Respondet D. Thomas hic q. 23. ar. 5. ad 1. " Dicendum quod usus gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis. " Potest etiam dici Ambrosium loqui de prædestinatione tam secundum intentionem quam secundum executionem.

Oppones 4. Sanctus Fulgentius l. 1. ad Monimum c. 24. indigitat prædestinationem esse post prævisa merita, maxime vero l. de veritate prædestinationis c. 5. " Sicut, *inquit*, per misericordiam præparavit gratuitum justificationis donum, ita per justitiam præparavit æternæ justificationis præmium, " Ergo, &c.

Respondeo distinguendo: Et hoc solum probat executionem prædestinationis esse per merita, concedo: Intentionem & ordinationem, nego. Ipsa Fulgentii verba, " per misericordiam præparavit gratuitum justificationis donum, per justitiam vero præmium " clare denotant prædestinationem solummodo secundum executionem dependere a meritis, & per merita adimpleri, seu consummari.

Objicies 5. D. Thomas 3. p. q. 1. ar. 3. ad 4. dicit. " Hæc prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum, & ideo sicut Deus prædestinavit salutem alicujus hominis, per orationes aliorum implendam, ita & prædestinavit opus incarnationis in remedium humani peccati. " Igitur S. Doctor propugnat prædestinationem post prævisa merita; rursus in caput 8. Epistolæ ad Rom. lect. 6. dicit præscientiam meritorum esse rationem prædestinationis.

Respondeo 1. S. Thomam loqui de Incarnatione Filii Dei, quæ fuit prævisa ad prædestinationem nostram, quatenus Deus prædestinavit Sanctos per merita Christi & in Christo, juxta illud Apost. 8. 29. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Unde tametsi prædestinatio hominum sit ante propria merita prævisa, non tamen ante prævisa merita Christi, qui nos eruit tum de massa perditionis, tum de potestate tenebrarum. Nihilominus S. Doctor comparat in aliquo prædestinationem hominum cum prædestinatione Christi, scilicet quoad media, in quantum, sicut Deus assumpsit incarnationem ut medium ad salutem hominum, ita & exigit orationes ad consummandam electorum prædestinationem.

Respondeo 2. distinguendo; & loquitur D. Thomas de præscientia fundata in decreto prædestinationis, concedo: secus, nego: prædestinatio potest considerari dupliciter, nempe secundum intentionem finis, & secundum executionem; primo modo spectata, est volitio efficax finis, & est ante prævisa merita, quia prius est provisorem velle finem quam media. Secundo vero modo considerata, est post prævisionem meritorum; & in isto sensu dicit Div. Thomas præsupponere præscientiam futurorum, scilicet bonorum operum quæ producunt & attingunt gloriam.

Respondeo 3. aliter adhuc distinguendo: prædestinatio passive sumpta, & secundum ordinem objectorum præsupponit præscientiam futurorum, concedo. Gratia enim antecedit merita, & merita antecedunt gloriam sicut causa præcedit effectum; quia vero unum medium est causa alterius, prædestinatio secundum istam considerationem habet causam. Prædestinatio active sumpta, & ex parte Dei præsupponit præscientiam futurorum, nego. Deus enim ordinans homines ad finem & gloriam non habet aliud motivum quam suam bonitatem, solutio est Div. Thomæ hic q. 23. ar. 5. " Dicendum est ergo quod effectus prædestinationis considerare possumus dupliciter. Uno modo in particulari: & sic nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis, esse causam & rationem alterius. Posteriorem quidem prioris secundum rationem causæ finalis: priorem vero posterioris secundum rationem causæ meritoriæ. "

„ toriæ ... Alio modo poteſt conſiderari prædeſtinationis effectus in communi. Et ſic impoſſibile eſt, quod totus prædeſtinationis effectus in communi habeat aliquam cauſam ex parte noſtra. „

Argumenta ex ratione in contrarium diſcutiuntur & diluuntur.

Objicies 1. idem eſt motus agentis in finem & in media & in executionem ſi ſit agens perfectum & omnipotens, eadem enim voluntate & finis, & media & executio debent intendi. Sed prædeſtinatio ſecundum executionem conſiderata, eſt poſt prævisa merita, ergo & ſecundum intentionem, maxime vero quia Deus eſt agens ſapientiſſimum ſimul & potentiſſimum, unde non poteſt velle unum & manere ſuſpenſus circa alterum. Confirmatur 1. unum & idem formaliter decretum reſpicit ex natura ſua finem & media. 2. Prædeſtinatio eſt magis de mediis quam de fine, ſiquidem definitur præparatio mediorum quibus certiſſime liberantur quicumque liberantur: igitur ſaltem ex æquo reſpicit executionem ſicut finem. 3. Virtus ſpecificatur ab actu interiori & exteriori; unde executio non eſt ſpecie diverſa ab actu interiori amoris Dei qui vult creaturæ bonum & illam beatificare. 4. Deus intendit gloriam formaliter ut coronam, igitur prædeſtinat per merita & poſt prævisa merita.

Reſpondeo diſtinguendo, idem eſt motus in finem & in media, ſed diverſa agentis intentio, concedo: eadem, nego. Agens vult media propter finem, unde vult finem ut cauſam mediorum, & ideo primario & principaliter cum illum vult: hinc concipimus Deum velle finem ex miſericordia, executionem vero per bona opera.

Ad confirmationem utique diſtinguo; eſt unum decretum & duplex terminus, concedo: unicus, nego. Illud quod primo terminat decretum, eſt finis, utpote quid magis principale, executio vero eſt ſecundarius terminus, & ideo eſt diverſa ratio.

Ad ſecundum diſtinguo: prædeſtinatio paſſive ſumpta, eſt magis de mediis quam de fine, concedo. Active conſiderata, nego. Eſt enim intentio efficax vitæ æternæ.

Ad tertium etiam diſtinguo; virtus ſpecificatur ab actu interiori & exteriori, ſed principaliter ab interiori, concedo: ſecus, nego. Virtus formaliter in præparatione animi ad faciendum bonum ſita eſt, unde ſi executio aliqua de cauſa impediatur, nihilominus manet ſemper virtus. Sic pauper poteſt habere virtutem liberalitatis, tametſi defectu pecuniæ non poſſit hanc virtutem exercere.

Ad quartum diſtinguo ſimiliter: Deus intendit gloriam ut coronam ſecundario & reſpectu noſtri, concedo; vult enim ut illam habeamus per merita: primario & ex parte ſui, nego. Vult inquit D. Thomas hic illam propter ſuam bonitatem tanquam propter motivum primarium & principale ſui amoris, ſiquidem non ſupponit bonitatem in creaturis quas amat, ſed amando eam infundit & clargitur.

Inſtabis; Deus movetur meritis ad dandam gloriam, cur enim non det reprobis, bene vero juſtis? Hanc ipſe reddit rationem, quia illi multa bona operati ſunt, illi vero mala. Igitur Deus prædeſtinat poſt prævisa merita, alias non videretur verax in ſermonibus ſuis. Probatur antecedens. Matth. 25. Chriſtus dicit: *Venite benedicti Patris mei; poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare.* Igitur Deus movetur ex meritis, aſſerit enim ſuum dare regnum propter opus charitatis & miſericordiæ.

Reſpondeo diſtinguendo; Deus movetur meritis improprie, ideſt, dat gloriam per merita, concedo. Proprie, nego. Loquitur Chriſtus ad captum noſtrum, cum autem meritis ad bona facienda Proximo moveamur, ita explicat gloriæ diſtributionem, eo quod datur per merita, non tamen tanquam propter motivum ſaltem primarium, ſiquidem propter ſemetipſum omnia operatur Dominus, unde Oſeæ 9. dicit: *Deſponſabo te mihi in miſerationibus.* Concilium Arauſicanum 2. hanc reddit rationem Can. 12. Quia, *tales nos Deus amat, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito.* Et Chryſ. Hom. 7. in Epiſt. ad Timot. *Tanta eſt*, inquit, *divina bonitas, ut ipſa ſola ſufficiat ad rationem & cauſam amandi, non expectata, nec requiſita cauſa ex parte eorum qui amantur.*

Instabis. Voluntas divina prædestinans est voluntas consequens: igitur nonnisi post prævisa merita quosdam eligit ad gloriam. Probatur consequentia: voluntas consequens ad singula pertingit, & omnes scrutatur rationes & circumstantias antequam de sorte hominum ferat judicium. Ergo eo ipso quo voluntas prædestinans est consequens, justos solummodo post prævisa merita ordinat & eligit ad gloriam.

Confirmatur: Voluntas divina irrationabilis esse non potest: sed nulla est alia ratio cur quosdam prædestinet, quosdam vero reprobet, nisi merita prævisa justorum, demerita vero reproborum; ergo si prædestinatio non est post prævisa merita, erit acceptatio apud Deum optimum, quod est contra Apostolum dicentem Rom. 2. 11. *Non enim est acceptio personarum apud Deum*.

Respondeo negando consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens; voluntas divina consequens attendit ad omnes circumstantias peccati originalis & Adæ, concedo: ad omnes circumstantias vitæ singulorum hominum, subdistinguo; in decreto executionis, concedo; in decreto ordinationis ad finem, nego. Tametsi unicus sit in Deo actus, quia tamen est virtualiter multiplex, ideo secundum nostrum concipiendi modum multiplex decretum in Deo distinguimus. Unde ad solutionis intelligentiam sic ordinanda sunt Dei decreta. Primo quidem decrevit Deus se manifestare ad extra, & ad hoc elegit Angelos & homines quos ex pura misericordia elevavit ad finem supernaturalem. Secundo, voluit permittere lapsum Adami, ut omnis caro non glorietur in conspectu suo, ut homo intelligeret, quod sublimitas sit solum Omnipotentis & Altissimi. Tertio, attentis lapsus Adami circumstantiis videns omnes homines in massa perditionis conclusos, omnes quidem per Filium reparavit, sed videns quod non obstante reparatione, nihilominus filii iræ per peccatum originale nascerentur, & multi viverent impie, quosdam solum elegit & prædestinavit. Quarto, complacuit ipsi gloriam non dare nisi per merita Christi, sicut nec ullum extremis voluit puniri suppliciis, nisi propter peccata. Igitur voluntas prædestinans utpote efficax & consequens attendit ad circumstantias peccati originalis pro reprobatione intentiva, ad circumstantias peccatorum, cujuslibet hominis pro reprobatione in individuo sumpta. Jam vero cum nihil debeat cuicumque homini, maxime ex suppositione peccati Adæ, attendit solum ad suam misericordiam ut prædestinet Sanctos: ad merita vero ut justis det gloriam.

Solutio est Augustini qui l. 3. de libero arb. c. 3. asserit Deum præscire voluntates hominum, quique omnia de prædestinatione & reprobatione solvit, in quantum fieri potest, per peccatum originale quo primus homo amisit & pro se, & pro filiis jus ad gloriam. Ita loquitur Epist. " 105. Quamvis itaque Deus faciat „ vasa iræ in perditionem, ut ostendat „ iram, & demonstret potentiam suam, „ quæ bene etiam utitur malis, & ut „ notas faciat divitias gloriæ suæ in va„ sa misericordiæ, quæ fecit in hono„ rem, non damnabili massæ debitum, „ sed suæ gratiæ largitate donatum; „ tamen in eisdem iræ vasis propter me„ ritum massæ in contumeliam debitam „ factis, idest, hominibus propter na„ turæ quidem bonum creatis, sed propter „ vitia supplicio destinatis, iniquitatem, „ quam rectissime veritas improbat, da„ mnare novit ipse, non facere. „

Ad confirmationem: concessa majore, distinguo minorem. Nulla est alia ratio prædestinationis in particulari & in executione nisi merita, concedo: in communi & adæquate sumpta, nego; est enim divina bonitas. Ita D. Thomas hic q. 23. ar. 5. ad 2. " Dicendum, *inquit*, quod „ prædestinatio habet rationem ex parte „ effectus in communi ipsam divinam bo„ nitatem. In particulari autem unus ef„ fectus est ratio ulterius. „ Cæterum, non est acceptio personarum apud Deum, nihil quippe debet creaturis: unde absque injuria potest sua distribuere bona quibus vult. Quam quidem veritatem ipse innuit Christus in Evangelio Matth. 20. 14. & 15. *Amice*, inquit, *tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi: Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? sic erunt novissimi primi: & primi, novissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi*.

Instabis.

Instabis. Posita prædestinatione ante prævisa merita, Deus non vult omnes homines salvos fieri: absurdum consequens, ergo & antecedens. Probatur sequela. In hac hypothesi antecedenter ad merita vel demerita quosdam eligit, quosdam vero reprobat. Igitur in illo rationis signo antecedente omnes salvari non vult, alias manifesta foret contradictio, vellet quippe, ut supponitur: non vellet, quia antecedenter quosdam solum, aliis relictis, & a regno ut indebito exclusis, eligeret & prædestinaret.

Respondeo distinguendo: posita prædestinatione ante prævisa merita, Deus non vult voluntate consequenti omnes salvos fieri, concedo: voluntate antecedenti, nego. Ad probationem similiter distinguo. In hypothesi vult ante merita quosdam, aliis relictis, eligere voluntate consequenti, concedo: voluntate generali & antecedente, nego. Voluntas prædestinans est consequens & efficax, & supponit antecedentem, eamque generalem de omnium salute quam Deus vult & ut Creator, & ut Redemptor: ut Creator quidem, quia nihil eorum quæ fecit odit, inquit Scriptura; ut Redemptor vero, quia omnes redemit, unde singulis dat gratias sufficientes quibus salvari queant: hinc non mirum si velit & non velit quosdam salvari, cum enim hæc propositio duplicem connotet voluntatem, nulla sane sequitur contradictio. Cæterum aliud est prædestinare ante prævisa merita, aliud velle voluntate antecedenti omnes salvos fieri: unum respicit voluntatem consequentem & efficacem, alterum vero tantummodo generalem: prædestinatio spectat consequentem, unde in priori rationis signo supponit voluntatem antecedentem de omnium salute. Igitur Deus in primo quidem instanti vult omnes salvos fieri, maxime si consideretur ut Creator. In alio vero instanti, videlicet lapsus Adami qui a debito gloriæ & pro se & pro posteris defecit, quosdam tantum, aliis relictis, gratuito & misericorditer eligit.

Instabis. Posita prædestinatione ante prævisa merita, est semper voluntas consequens, quandoquidem Deus n n attendens aut ad merita aut ad demerita quosdam, aliis relictis, eligit: igitur voluntas nequidem antecedens de omnium salute, cum voluntate prædestinante ante prævisa merita stare potest; immo nec ipsa Christi mors; frustra quippe sanguis ejus pro singulis effusus & dicitur & commemoratur, cum independenter a meritis vel demeritis actum sit de multorum salute, ex quo sequitur Christum nonnisi gratias temporales pro reprobis meruisse, quod certe Jansenii commentum est & manifestus error.

Respondeo distin. est semper voluntas consequens pro electione, concedo: pro volitione, subdistinguo; efficaci, quæ generalem de omnium salute voluntatem supponit, concedo: quæ istam non supponat, nego. Igitur cohæret voluntas antecedens de omnium salute cum prædestinatione ante prævisa merita, prius siquidem est Deum velle omnes in genere salvari, quam quosdam eligere in particulari. Cohæret utique & Christi mors pro omnium salute: Et vero in priori prædestinationis Deus videt omnes in massa perditionis Adæ, unde intuitu meritorum dilectissimi Filii sui vult omnes salvos fieri, quatenus per tanta merita reddit naturæ humanæ jus ad gloriam, Adami protoparentis prævaricatione amissum; ejusdem meritorum intuitu gratias sufficientes quibus homines lapsi ad suum ultimum promoveantur finem singulis conferre decernit, unde gratiæ illæ non mere temporales sunt, ut propugnat inepte Jansenius, quandoquidem & finem respiciunt, & ad ipsum tum excitando, tum movendo hominem ad bonum operandum conducunt: verum considerando homines nedum in massa perditionis Adæ, sed & propriæ, præscit enim, inquit Augustinus, voluntates hominum & quidem multorum malas & in peccato pertinaces, malos perdere peccatores & reprobare justo statuit decreto, quosdam vero probiores ante prævisa eorum merita, cum nulla ex se habeant, & hoc intuitu Christi fidejussoris, eligit ad gloriam & prædestinat: reprobationem igitur post prævisa demerita asserimus, quatenus homo habet ex se ut sit malus, & consequenter reprobus: prædestinationem vero Sanctorum ante propria prævisa merita, cum quidquid habeant boni & gloriæ per gratiam Jesu Christi, & Dei Patris misericordiam consequantur, quod quidem Cœ-

K 2 lesti-

lestinus Papa in sua ad Episcopos Galliæ Epistola satis innuit, quando dicit Deum sua coronare merita, dum coronat opera nostra.

Rursus instabit: licet Deus viderit omnes homines prævaricatione Adami & mortuos, & jure gloriæ spoliatos, simul tamen & in eodem prope instanti per secundum Adam reparatos conspexit. Christus Dominus jus ad gloriam nedum restauravit, sed & restituit: igitur Deus propter peccatum Adami homines reprobare noluit, nec consequenter quosdam, aliis relictis propter peccatum Adæ, eligere & prædestinare. Igitur & voluntas Dei pro omnium & singulorum salute, & mors Christi Domini pro omnibus nullo modo cum prædestinatione ante prævisa merita cohærere possunt.

Respondeo negando consequentiam & paritatem. Et vero tametsi Deus neminem nisi propter peccatum reprobet, potest tamen ante prævisa merita aliquos eligere, tum quia suorum bonorum dominus est, tum quia nobis nec quidquam debet, tum quia etiam prædestinatio primam gratiam quæ est in nobis sine nobis, & perseverantiam finalem merita nostra excedentem complectitur. Nec ulla inde sequitur meritis Christi & redemptioni facta injuria, cum Deus velit voluntate antecedente intuitu meritorum Redemptoris omnium salutem, & gratias quibus possint salvari sufficientes singulis tribuat; voluntate vero consequenti propter eadem pretiosa & infiniti valoris merita electis gloriam conferre statuat juxta illud Rom. 8. 29. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Ultro fatemur in priori instanti decreti prædestinationis Deum intueri homines sanguine Christi redemptos, nec frustranea certe etiam in hoc rationis momento consideratur redemptio, cum ea potissimum ratione velit tunc Deus omnes & singulos salvos fieri, cum propter Christum restituat jus ad gloriam: ast eodem prorsus instanti, præscit multos iniquos & in peccato pertinaces, quos justo quidem judicio propellit a gloria, cæterorum vero miseretur & gratuito eos eligit ad gloriam, quam tamen nonnisi per propria merita virtute gratiæ mediatoris parta assequi valent. Igitur prædestinatio gratuita & cum voluntate Dei de salute omnium hominum, & cum morte Christi pro singulis cohærere non sine fundamento dicitur & defenditur.

Objicies 2. posito prædestinationis decreto ante prævisa merita, non salvatur libertas: & probatur. Omnis suppositio antecedens, liberum perimit arbitrium si sit a voluntate omnipotenti, si illa suppositio sit immutabilis & irrevocabilis, si infallibilis & ita efficax sit, ut absolute inferat effectum; si voluntas creata debeat absolute ipsius sequi ordinationem: sed decretum prædestinationis ante prævisa merita videtur esse talis generis suppositio: ergo non salvatur libertas per prædestinatinem ante prævisa merita. Probatur minor quoad singulas partes. 1. Decretum & voluntas Dei antecedunt omnem voluntatis creatæ usum, siquidem in hypothesi nulla fit attentio ad merita, sed ad solum Dei beneplacitum. 2. Illud decretum est firmum, omnipotens & immutabile, Deus enim falli non potest. 3. Voluntas humana debet sequi absolute illius ordinationem, quandoquidem prædestinatio procedit a voluntate consequenti & efficacissima quæ suum semper sortitur effectum. Ergo, &c.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem distinguo: decretum est æternum & omnipotens, & simul suave, concedo: & perimit libertatem, nego. Immo quia est omnipotens, attingit modum agendi rerum, ut dictum est supra ubi tractavimus de præscientia Dei: igitur applicat causas liberas ut libere agant, & sic non tollitur libertas.

Instabis. Illa suppositio quantumvis suavis, disponit tamen hominem ut effectus consequatur sicut Deus decrevit, nempe independenter a voluntate humana, seu meritis: igitur prædestinatio ex parte primæ causæ ordinantis est absoluta.

Respondeo primo, esse de fide hominem esse liberum. Secundo, decreta Dei non lædere sed fovere libertatem. Tertio, hominem non posse habere gloriam nisi per merita bonorum operum quæ liberrime facimus. Quarto, omnes & singulos, qui fideliter & finaliter tum mandata Dei, tum sui status obligationes obser-

observabunt, salutem & vitam æternam consecuturos esse. Quare autem unus trahatur, alter relinquatur, *o altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus*, inquit Apost. Rom. 11. Sic respondet Augustinus Epist. 105. ad Sixtum, ubi dicit Deum non esse personarum acceptatorem. *Quod*, inquit, *personarum acceptatorem Deum se credere existimant, si credant quod sine ullis præcedentibus meritis, cujus vult miseretur, & quos dignatur, vocat, & quod vult religiosum facit, parum attendunt, quod debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato*. Et tract. 26. in Joann. *Quare illum trahat, & non illum trahat, noli velle judicare, si non vis errare*.

Insistes iterum. Opinio quæ prædestinationem ante prævisa merita statuit, revocat homines a studio virtutis, & in desperationem inducere videtur. Igitur non est tenenda.

Respondeo negando antecedens, tum quia prædestinatio dependet in executione a meritis, tum quia nullus cogitur ad malum, tum quia etiam ipse Christus nos consolatur dicens: *Si vis ad vitam æternam ingredi, serva mandata*, Matth. 19. v. 17. Et iterum, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Cæterum non est iniquitas apud Deum, siquidem intentator malorum est. Quinimmo non est voluntatis ejus mors impii, inquit Ezechiel, sed ut magis convertatur & vivat. Hinc Psalmista dicit: *Jacta curam tuam super Dominum & ipse te enutriet, non dabit in æternum fluctuationem justo*.

S. Augustinus ibidem, Epistola scilicet 105. ad Sixtum hanc sibi proponit objectionem. " Sed injustum est, inquiunt, " loquitur de iis qui prædestinationem ante prævisa merita abnuunt, " in una eadem- " que mala causa, hunc liberari, illum " puniri. Nempe ergo justum est utrum- " que puniri. " Et sic suaviter concludendo respondet: " Quis hoc negaverit? " Agamus ergo gratias Salvatori, dum no- " bis redditum non cernimus, quod in da- " mnatione similium etiam nobis debitum " fuisse agnoscimus. "

Hanc opinionem duriorem esse non diffiteor, quinimmo & a mente D. Thomæ alienam esse non pauci autumant, quibus subscribere æquum quasi ducimus, maxime vero quia prædestinationem adæquate sumptam propugnare ante prævisa merita sufficit, ut genuinus servetur Doctoris Angelici sensus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Prædestinatio intentiva catholice defenditur ante prævisa merita.

Primo, ex illo Rom. 8. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori*. Et ad Tit. 3. *Non ex operibus quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*.

Secundo, Patres suffragantur, ut Irenæus, Cyprianus, Chrysost. iste hom. 1. in 1. ad Cor. *Per voluntatem Dei salutem invenimus, & quoniam ei visum est . . . non quoniam digni eramus*. Inter omnes Aug. multis in locis. Epist. 105. ait: *Non meriti prærogativa ... sed altitudine divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, &c.* D. Thomas hic q. 23. ar. 5.

Tertio, ratio est, quia omnis agens prius intendit finem quam media: igitur Deus prius vult electis gloriam, quam ad bona opera, quæ sunt media, attendat.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

Primo, Varia tum Scripturæ, tum Patrum loca innuunt prædestinationem esse post prævisa merita: verum de prædestinatione secundum executionem intelligi debent.

Secundo, Non negamus sapientem cogitare simul de fine & de mediis, sed nemo non videt compertum esse agens prius prioritate naturæ cogitare de fine.

Tertio, Objicitur, Deus vult omnes & singulos homines salvos fieri: quod non stat si prædestinatio est ante prævisa merita, quia in isto rationis instanti concepto omnes sunt vel electi ante prævisa merita, vel reprobi reprobatione negativa ante prævisa demerita.

Respondeo, Deum concipi ante omnia ut Creatorem, qui hominem ad finem su-

pernaturalem elevavit, erat enim condens naturam & largiens gratiam: tunc vult singulos salvos fieri. Postea concipitur ut vindex, quia videt omnes per peccatum originale in massa perditionis: & in ista rationis aurora, cum nihil alicui debeat, quosdam ante prævisa merita ordinat ad gloriam, quosdam propter peccatum originale finit excludi a regno.

Quarto, instabis. In illo secundo instanti, concipitur Salvator, adeoque & per mortis merita chirographum mortis a peccato originali expressum delens: igitur non potest dici quosdam eligi ante prævisa merita, quia quidam consequenter manerent exclusi a regno, & sic Christus non foret pro singulis mortuus.

Respondeo. Non omnes fructum mortis Christi percipere, unde licet Christus sit pro singulis mortuus voluntate antecedenti, non tamen voluntate consequenti; quia multos propter peccatum originale permittit aut non baptizari, aut si baptizentur, plenam redemptionem propter peccatum mundi & suam iniquitatem propriam non percipere.

SECTIO SECUNDA.

Utrum prædestinatio sit post prævisa merita, & catholice sic propugnari possit?

QUÆSTIO præsens movetur circa prædestinationem intentionalem, inadæquate sumptam: & quæritur utrum Deus eligendo quosdam ad vitam æternam attenderit ad bona eorum opera futura, ita ut sint motivum cur illos potius quam alios elegerit. Ita tenent multi tum veteres, tum recentiores Theologi, cui quidem sententiæ & Augustinum & Thomam non adversari autumant. Unde fit

CONCLUSIO.

Prædestinatio defenditur catholice post prævisa merita.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo. *Ex Scriptura veteris Testamenti.*

1. Ex libris sapientialibus Psal. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti diligentibus te!* Et iterum Psal. 17. 28. *Populum humilem salvum facies*. Et adhuc Psal. 14. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? qui ingreditur sine macula & operatur justitiam*. Rursus Ecclesiast. 12. *Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum sit*. Et Sap. 1. *Sentite de Deo in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum: quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum*.

2. Ex Prophetis. Isa. 30. *Qui ambulat in justitiis & loquitur veritatem. Qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere. Iste in excelsis habitabit*. Rursus c. 14. *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te*. Et c. 65. *Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis, &c.*

3. Ex promissionibus gloriæ pro pœnitentia. Ezech. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet & non morietur*. Ex his istud conficitur argumentum. Quæ pendent ex voluntate divina nobis manifestantur per Scripturam sacram; sed Scriptura nulla facta mentione de duplici decreto prædestinationis, altero pro ordinatione & destinatione ad gloriam, altero pro executione; quotiescunque de beatitudine sermonem & orationem habet, toties de bonis operibus loquitur, tanquam de motivo gloriæ, illos enim solos gloria donari æterna dicit qui diligunt Deum, qui sunt humiles, qui avaritiam & alias passiones virtutibus oppositis compescunt: eos potissimum qui agunt pœnitentiam.

Igi-

Igitur apparet ex Scriptura prædestinationem esse post prævisa merita.

Ex Novo Testamento.

1. Ex Evangelistis. Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, &c.* Et iterum Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, esurivi enim & dedistis mihi manducare.* Et adhuc: *Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.* Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei.* In primo loco bona opera assignantur ut causa motiva gloriæ, enimvero particula *quoniam* est causalis, Christus verò dicit quia pauperes estis, quia mites, ideò habebitis regnum Cœlorum. In secundo loco eodem modo assignantur ut glorificationis motivum. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum... Esurivi enim & dedistis mihi manducare*, idest, *possidete*, eo quod mihi manducare dederitis. Lucas etiam docet hominem puritate, fide, aliis virtutibus æternam promereri gloriam. Hoc ipsum clarius declaratur apud Matthæum c. 19. Sic enim Petrus interrogat Christum. *Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis?* respondet Dominus: *Sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres... propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Ibi Christus manifestat decretum & propositum quod Pater habuit ab æterno super electos: sed ubique assignat bona opera ut causam gloriæ: igitur cum sit ipsa veritas & res in tempore fiant, sicut decretum est ab æternitate, dicendum est prædestinationem esse post prævisa merita.

2. Ex Epistolis B. Pauli, primæ Cor. 9. 24. habetur: *Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium: sic currite ut comprehendatis.* Ibidem c. 15. 10. *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit: sed abundantius illis omnibus laboravi.* Rursus 2. Tim. 4. 7. *Bonum certamen certavi: cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo, reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed & his qui diligunt adventum ejus.* Quod datur propter laborem & ex justitia, datur intuitu meritorum: atqui ex Apostolo sic datur gloria, immo datur secundum mensuram virtutis, ut ipse dicit Rom. 2. 6. sic enim loquitur: *Deus reddet unicuique secundum opera sua.* Porrò si Deus daret gloriam solummodo ex misericordia, non diceret Apostolus gloriam ab eo retribui juxta opera, & secundum justitiæ apices: igitur Deus dat gloriam propter merita: tum quia dat ut coronam adeoque motivum laboris, & certaminis atque pugnæ, non potest præscindi ab intentione ordinantis. Cæterum, si merita sint solùm pro executione media, profectò non sunt gloriæ retribuendæ motiva, cujus tamen rei contrarium ubique sacræ paginæ prædicant. Ergo, &c.

3. Ex Epistolis catholicis. Jacob. 2. 5. *Deus elegit divites in fide.* Et primæ Petri 1. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Unde sic probatur conclusio. Spiritus Sanctus est veritas per essentiam: sed asserit homines eligi ad gloriam propter fidem, sed dicit nihil esse determinatum in vocatione & electione ad gloriam, immo nihil certum nisi per bona opera, eaque certam electionem facere; omnes enim Deus vult salvari, omnes ordinat ad vitam æternam, illos verò solum eligit efficaciter & in particulari, quos prævidet in mandatorum adimpletione ferventes & fideles: Igitur prædestinatio est post prævisa merita.

4. Ex aliis Scripturæ locis a Patribus explicatis & explanatis. Legitur Matth. 22. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, quæ verba ponderans Theophylactus ait: "Vocare enim est Dei: electum autem fieri, aut non electum, etiam est nostrum." Ibidem c. 20. 23. ait Christus Discipulis: *Sedere autem ad dextram meam & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Sancti Patres docent istam præparationem esse ex prævisis meritis. Ita hunc lo-

locum interpretatur Epiphanius hær. 69. his verbis. " Hoc, *inquit*, vult ostendere, quod non juxta personarum acceptationem res ista fiat, sed pro dignitate ... Si laboraveritis, erit vobis præparitum a Patre meo . „ Suffragatur Cyrillus, qui l. thesauri c. 6. ait : " Non est meum dare supremum honorem vobis petentibus, qui reservatus est in præscientia Patris illis quos excessus certandi commendavit. „ Eodem prorsus modo hanc explanat Scripturam Ambrosius *l. 5. de fide c. 3.*

Quid ultra ? Apostolus Rom. 8. dicit : *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Idest, quorum Deus præscivit fidem & dilectionem, illos prædestinavit, ut essent Filio suo similes. Sicut igitur passiones profuerunt Christo in gloriam, ita & similiter justis proderunt in bonum, ut explicant Origenes l. 7. Epist. ad Rom. Cyrillus apud Oecumenium in hunc locum, Chrysost. hom. 15. & alii non pauci. Ergo ex Scriptura juxta Patrum interpretationem, prædestinatio inadæquate sumpta est post prævisa merita.

Ex Patribus Græcis.

Origenes hom. 14. in lib. Numer. sic loquitur : " In magna hac mundi hujus domo, non sunt tantummodo vasa aurea, & argentea: sed & lignea, & fictilia... Verum quoniam vasa hæc, quæ dicimus, rationabilia intelligenda sunt, & liberi arbitrii, non casu, neque fortuito, unusquisque aut vas honoris efficitur, aut vas contumeliæ : sed qui se talem præbuerit, ut electus esse mereatur, vas electum, & vas honoris efficitur. Qui vero indignis, & deterrimis sensibus vivit, iste formatur vas contumeliæ, non a conditore, sed a semetipso causis contumeliæ suæ datis. „ Quibus verbis manifeste docet vasa honoris & contumeliæ non attendi penes solam Dei voluntatem, sed etiam penes merita & demerita, tanquam utriusque sortis causas motivas & immediatas.

Concinit Chrysostomus hom. 10. in Epist. ad Rom. " Unde, *inquit*, igitur alii quidam vasa iræ, alii vasa misericordiæ? ex propria voluntate. „

Theodoretus & Oecumenius eodem modo ac Chrysostomus explicant caput nonum Epistolæ ad Romanos, scilicet de prædestinatione post prævisa merita, adduntque omnes exemplum figuli facientis vas aliud in honorem, aliud in contumeliam pro arbitrio suo, solum innuere neminem debere aut scrutari profunda Dei, aut conqueri de dispositione Providentiæ, verum potius omnes teneri suum captivare humiliter intellectum in obsequium fidei. Theophylactus in cap. 8. Epist. ad Rom. ait : " Præcognoscit ac præscit Deus eos qui vocatione digni sunt, deinde sic prædestinat ; prior itaque est præscientia, postea sequitur prædestinatio. „

Methodius hanc celebrat sententiam lib. de Resurrect. apud Oecumenium in c. 9. Epist. ad Rom. pag. 327. " Aliud, *inquit*, vas in honorem, aliud in ignominiam : non quod Deus alios bonos facit, alios malos, absit, verum omnia Dei bona in commune posita sunt omnibus: & quantum est in ipso, hoc est secundum consilium ejus ac voluntatem, cuperet omnes probos ac laudabiles esse, ac virtute, fideque præditos. „

Basilius hom. in Psal. 29. explicans illa verba : *Quoniam ira in indignatione ejus & vita in voluntate ejus*, sic loquitur : " Quid ergo dicit ? nimirum hoc ipsum esse, quod vult Deus omnes vitæ fieri participes : quæ autem calamitates accidunt, eas non de ipsius voluntate fieri, sed pro eorum, qui peccaverunt, merito decerni. „

Damascenus l. 4. c. 20. affine quidquam profert, & ait : " In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia : & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emendaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonorum paratum. „

Damascenus iterum circa illud controversiæ caput sese clare explicat lib. contra Manichæos pag. 552. " Prævidens, *inquit*, Deus ea quæ nos sponte facturi sumus, ea scilicet quæ sunt in nostra potestate, nimirum opera bona & mala, etiam ea quæ non sunt in nostra potestate,

„ ſtate, nempe præmia & ſupplicia præ-
„ definivit. „

Macarius hom. 15. pag. 224. utique audiendus eſt, ſic intonat & ait: " Illum „ qui profunde in peccatum immerſus eſt, „ ſeque vas diaboli fecit, a quo in totum „ condemnatus eſt, neceſſitate nulla con- „ ſtringi: ſed liberum ei eſſe fieri vas „ electionis & vitæ. „

Ex his omnibus iſta ſequitur probatio, iſtudque argumentum. Si prædeſtinatio foret ante prævifa merita, alii eſſent vi ſolius decreti Dei vaſa in honorem, alii vaſa in contumeliam: ſed ex Patribus homines ſunt per merita voluntatis a gratia adjutæ vas in honorem, alii vero per demerita vas in contumeliam: immo ex iiſdem Deus hoc ipſum ſtatuit ut in cujuſcumque arbitrio ſit, fieri vas vel honoris, vel ignominiæ: ex iiſdem vellet Deus ex ſe ut omnes eſſent vaſa honoris, ſed ne offendatur libertas, reliquit hominem in manu conſilii ſui circa illud momentum; profecto qui operatur bona electum ſe facit, ideſt, movet Deum ut illum ad vitam æternam eligat: igitur prædeſtinatio eſt poſt prævifa merita.

Ex Patribus Latinis.

Hieronymus eandem non in uno, ſed in multiplici loco veritatem propugnat, maxime in c. 1. Iſa. explicans enim illud Prophetæ, *Si volueritis, bona terræ comedetis*, ait: " Liberum ſervat arbi- „ trium, ut in utramque partem non ex „ præjudicio Dei, ſed ex meritis ſingu- „ lorum, vel pœna, vel præmium fit. „

Idem Sanctus Doctor in c. 1. Malachiæ ſic effatur: " Dilectio & odium Dei vel ex præſcientia naſcitur futurorum, vel ex operibus. " Alioquin novimus quod „ omnia Deus diligat, nec quidquam eo- „ rum oderit, quæ creavit: ſed propriæ „ eos ſuæ vindicat charitati, qui vitio- „ rum hoſtes ſunt & rebelles: & econ- „ trario illos odit, qui a Deo deſtructa, „ cupiunt rurſus extruere. „

S. Doctor iterum atque iterum ſuam prodit mentem in Epiſt. ad Hedibiam, q. 10. his verbis: " Vaſa miſericordiæ „ quæ præparavit in gloriam ſuam, non „ irrationabiliter ſalvat, & abſque veri- „ tate, ſed cauſis præcedentibus: quia „ alii non ſuſceperunt Filium Dei, alii „ autem recipere ſua ſponte voluerunt; „ ex quo oſtenditur non gentes eligi, „ ſed hominum voluntates. „

Ambroſius in caput 8. Epiſt. ad Rom. ait: " Deus eos quos præſcivit devotos, „ elegit ad promiſſa præmia capeſſenda, „ & l. 5. de fide: „ Quorum merita „ præſcivit, horum præmia prædeſtinavit: „ deinde in Commentario in Epiſt. ad Rom. cap. 3. " Cum omnes, *inquit*, „ ex uni atque eadem maſſa ſimus in „ ſubſtantia, & cuncti peccatores, alii „ miſereri, & alterum deſpicere. Di- „ cit hoc fieri non ſine juſtitia: in ſi- „ gulo enim ſola voluntas eſt: in Deo „ autem voluntas cum juſtitia. „ Idem dicit Hieronymus Epiſt. 150. ad Hedibiam. Si igitur juſtitia cum miſericordia operatur in decreto prædeſtinationis, ut innuunt iſti Patres, profecto attendit Deus ad merita.

Auguſtinus l. 1. ad Simplicianum q. 2. ſic effatur: " Non tamen electio præ- „ cedit juſtificationem, ſed electionem „ juſtificatio. " Ibidem. Quod dictum „ eſt, quia elegit nos Deus ante mundi „ conſtitutionem: non video quomodo ſit „ dictum niſi præſcientia. „ Jam vero ſi electio ſequitur juſtificationem, ex præſcientia meritorum ſit prædeſtinatio. Auctor incertus apud Aug. tomo x. novæ edit. l. de prædeſtinatione expreſſius hanc dirimit controverſiam c. 3. his verbis. " Ex præſcientia virtutis, prædeſtinatio „ fieri ſolet remunerationis, unde Apo- „ ſtolus ad Romanos: *Quos præſcivit*, „ *hos & prædeſtinavit*. „

Aſtipulatur Fulgentius l. 1. ad Monimum c. 24. " Deus prædeſtinavit ad re- „ gnum quos ad ſe præſcivit miſericordiæ „ prævenientis auxilio redituros. „

Succedit alter Auguſtini diſcipulus, nimirum Sanctus Proſper, qui ad Reſp. Gall. c. 7. ait: " Quia ipſe ruituros pro- „ pria voluntate præſcivit, ob hoc a fi- „ liis perditionis nulla eos prædeſtinatio- „ ne diſcrevit. „ Et c. 12. " Quia „ præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſti- „ nati: eſſent autem prædeſtinati, ſi eſ- „ ſent reverſuri. „

His accedit Honorius Auguſtodunenſis dialogo de prædeſtinatione tom. 9. Bib. PP. col. 1142. " Porro qui prævifi ſunt „ in bonis permanſuri, ad gloriam

„ ſunt

„ sunt prædestinati : qui vero præsciti in „ malo vitam finituri, ad pœnam sunt „ utique prædestinati. „

Patres Concilii Carisiaci indigitant prędestinationem esse post prævisa merita, his verbis Can. 1. " Deus autem bonus „ & justus elegit ex eadem massa perditionis, secundum præscientiam suam, „ quos per gratiam prædestinavit, & vitam illis prædestinavit æternam. „ Secundum præscientiam scilicet bonorum operum prædestinavit. Astipulatur Trid. sess. 6. c. 11. dicens electionem per bona opera fieri. Ergo, &c.

Ex Divo Thoma.

Divus Thomas in c. 8. Epistolæ ad Rom. lect. 6. explicans illa verba Apostoli, *quos præscivit, hos & prædestinavit*, sic loquitur : " Circa ordinem autem præscientiæ & prædestinationis, dicunt quidam quod præscientia meritorum bonorum & malorum est ratio prædestinationis, & reprobationis... Et hoc „ quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam quæ datur meritis : sed sub „ prædestinatione cadit omne beneficium „ salutare, quod est homini ab æterno „ divinitus præparatum : unde eadem ratione omnia beneficia quæ nobis confert in tempore, præparavit nobis ab „ æterno. Unde ponere quod aliquod „ meritum ex parte nostra præsupponatur, cujus præscientia sit ratio prædestinationis, nihil est aliud quam gratiam ponere dari ex meritis nostris. „ Duo notanda sunt in verbis D. Thomæ, primum quidem præscientiam meritorum posse esse rationem motivam prædestinationis respectu vitæ æternæ, & hoc rationabiliter propugnari posse. Alterum vero, S. Doctorem excludere solum merita naturæ quæ sint causa gratiæ, ut ponebant Pelagiani. Igitur ex D. Thoma prædestinatio inadæquate sumpta & respectu vitæ æternæ potest rationabiliter defendi, modo supponatur gratia prima misericorditer data, sicut de facto supponunt Catholici Doctores qui tenent prædestinationem post prævisa merita; Concedunt enim & gratiam esse in nobis sine nobis, & voluntatem præparari a Domino ; concedunt utique donum perseverantiæ adæquate sumptum non cadere sub meritum, & esse speciale donum, tum quia mortem cum charitate conjungit, & gratiam reddit inamissibilem, tum quia Providentiam importat extraordinariam, quæ quidem ita disponit omnia ut moriatur homo quum Dei amore flagrat, quum de peccatis plurimum conteritur, quum copiam habet Confessoris ut sua deponat peccata : igitur nullum est inconveniens prædestinationem inadæquate sumptam post prævisa merita defendere.

Huic sententiæ iterum subscribere videtur D. Thomas hic 1. p. q. 23. art. 5. ubi ex professo hanc pertractat materiam. Primo quidem varias de hoc momento opiniones erroneas refert simul & rejicit. Deinde vero prædestinationem inadæquate sumptam in medium adducit & recenset : eam post prævisa merita duplici modo posse intelligi asserit : videlicet post prævisa merita naturæ, & post prævisa merita virtute gratiæ comparata. Primum perstringit & abnuit modum his verbis; " sed isti, *inquit*, videntur distinxisse inter id quod est ex libero arbitrio : quasi non possit esse idem ex „ utroque „ nimirum Dei adjutorio ; postea sic concludit : " Dicendum est ergo quod effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter. Uno modo in particulari : & sic nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam & rationem alterius. Posteriorem quidem prioris secundum rationem causæ finalis : priorem vero „ posterioris secundum rationem causæ „ meritoriæ, quæ reducitur ad dispositionem materiæ. Sicut si dicamus, quod „ Deus prædestinavit se daturum alicui „ gratiam, ut mereretur gloriam. Alio „ modo potest considerari prædestinationis effectus in communi. Et sic impossibile est, quod totus prædestinationis „ effectus in communi habeat aliquam „ causam ex parte nostra. Quia quicquid „ est in homine ordinans ipsum in salutem, comprehenditur totum sub effectu „ prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam. „ Ex D. Thoma prædestinatio adæquate sumpta & in communi non est post prævisa merita, eo quod & primam gratiam, & donum perseverantiæ, quæ non cadunt sub meritum, includat : at vero in particulari &

seorsim spectata, non implicat eam esse post prævisa merita, posterior effectus, nimirum vita æterna potest esse causa finalis & motiva prioris, prior vero, nempe bonum opus causa meritoria posterioris, scilicet vitæ æternæ.

Idem ibidem istud argumentum sibi proponit. " Ad quintum sic proceditur. Videtur quod præscientia meritorum sit causa prædestinationis. Dicit enim Apostolus, Rom. 8. quos præscivit, hos & prædestinavit. Et glos. Ambros. super illud Rom. 9. miserebor cui miserebor &c. dicit, misericordiam illi dabo, quem præscio toto corde reversurum ad me. Ergo videtur quod præscientia meritorum sit causa prædestinationis. " Non respondet negando simpliciter prædestinationem esse post prævisa merita, bene vero secundum illud principium jam ab eo stabilitum: vita æterna potest esse causa finalis & motiva prædestinationis in particulari spectatæ. " Ad primum ergo, *inquit*, dicendum, quod usus gratię præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis ". Ibidem ad secundum: " dicendum, quod prædestinatio habet rationem ex parte effectus in communi ipsam divinam bonitatem. In particulari autem, unus effectus est ratio alterius, ut dictum est.

Rursus ibidem q. 19. ar. 6. ad primum, dicit Deum velle omnes homines salvos fieri voluntate antecedenti, quosdam vero damnari voluntate solum consequenti, quæ attendit ad omnes circumstantias in particulari. " Deus, *inquit*, antecedenter vult omnem hominem salvari: sed consequenter vult quosdam damnari, secundum exigentiam suæ justitiæ. Neque tamen id quod antecedenter volumus, simpliciter volumus, sed secundum quid: quia voluntas comparatur ad res, secundum quod in seipsis sunt, in seipsis autem sunt in particulari. Unde simpliciter volumus aliquid secundum quod volumus illud, consideratis omnibus circumstantiis particularibus. " Ex his verbis duplex conficitur argumentum pro conclusione.

Primum sic procedit. Deus ex D. Thoma vult sincere omnes homines salvos fieri antecedenter, & considerato rerum statu secundum se, sed si Deus prædestinet ante prævisa merita, non potest explicari quomodo velit non prædestinatos salvos fieri; bene vero si prædestinatio assignetur post prævisa merita: igitur sic sumenda, sic propugnanda & affirmanda est prædestinatio Sanctorum. Probatur minor quoad utramque partem. Si prædestinatio est ante prævisa merita antecedenter ad omnia, vult solum Deus salutem electorum; minime vero reproborum: enimvero si vellet salutem etiam istorum, vellet antecedenter, sed antecedenter & ante omnia tum merita, tum demerita vult solos electos salvos fieri, igitur minime reprobos, quod manifeste pugnat contra D. Thomam, & cæteros Patres, immo & contra ipsum Augustinum, qui cum aliis aperte docet Deum velle omnes homines salvos fieri, ut fuse suo loco probavimus. Probatur secunda pars: eo ipso quo ponitur prædestinatio post prævisa merita, salvatur optime voluntas sincera de omnium salute, quia quod non omnes actu salventur, est eorum culpa & propter demerita.

Secundum argumentum est. Deus vult solum prædestinare quosdam voluntate consequente. Ergo prædestinat solum post prævisa merita. Probatur consequentia. Voluntas consequens qua aliquid absolute & simpliciter volumus, attendit ex D. Thoma ad res in particulari & ad omnes circumstantias, ad merita & demerita, unde adducit exemplum judicis qui antecedenter vult omnes vivere, sed cognitis sceleratorum criminibus, statuit eos mori, & hoc decernit solum ex D. Thoma post cognitionem delictorum: igitur eo ipso quo Deus prædestinat voluntate consequente & absoluta, prædestinat solum secundum mentem D. Thomæ post prævisa merita: unde S. Doctor dicit Deum consequenter solum velle quosdam damnari & reprobari, *secundum exigentiam suæ justitiæ*, quare? nisi quia neminem prædordinat ad gloriam vel excludit, nisi ponderatis in particulari omnibus circumstantiis, nisi perpensis meritis vel demeritis. Unde Dan. 5. 27. habetur de impio Baltassar, *appensus es in statera, & inventus es minus habens*.

Ea

Ex ratione, eaque multiplici.

Prima sic exponitur. Debemus credere & sperare in Deum, immo & toto corde, totisque animæ viribus illum diligere: sed si prædestinatio foret ante prævisa merita, omnes & singuli homines non tenerentur, quod absit dicere, credere, & sperare in Deum, & consequenter nec illum diligere, bene vero si prædestinatio sit post prævisa merita. Ergo dicendum est de facto prædestinationem esse post prævisa merita. Probatur minor quoad utramque partem. Primo quidem si prædestinatio est ante prævisa merita, quidam solum numerus independenter a voluntate, immo & cujuslibet creaturæ operibus ad gloriam prædestinatus est, cæteri vero in massa perditionis, & multi sine culpa propria, sed propter solum Adami peccatum relicti sunt, unde non satis videtur quodnam foret pro ipsis motivum credendi & sperandi in Deum, immo & illum diligendi. Præterea si voluntas Dei non est circa prædestinationis momentum determinabilis per merita ad electionem quorumdam præ aliis, cum nullus sciat an Deus habeat amicabilem pro ipso voluntatem, profecto hæsitabit in fide, spes fluctuabit, a fortiori & dilectio. Enimvero fides & spes nituntur certitudine tali qua major moraliter dari non possit: idem dicendum de charitate, nihil enim amatum quin præcognitum. Igitur si prædestinatio est ante prævisa merita, Ecclesia habebit justos solum titubantes, peccatores vero ut plurimum ambulantes in vacuo, & præ amaritudine sæpius de salute desperantes. Verum non sic, si prædestinatio admittatur post prævisa merita: tunc enim admittitur voluntas & vocationis & salutis erga omnes quasi æqualis. Admittitur Providentia, quæ non solum vult omnes salvos fieri & eligere, sed quæ de facto eligit quosdam secundum merita, unde firmatur fides, roboratur spes, accenditur charitas, sic enim ad unumquemque spectat suam bonis operibus certam facere vocationem & electionem, secundum illud 2. Petr. 1. oraculum, *Satagite ut per bona opera vestra certam vestram vocationem & electionem faciatis*. Igitur si prædestinatio ponatur ante prævisa merita, ducitur quasi in incertum fides, spes veluti claudicat, languescit charitas; e contra vero si ponatur post prævisa merita. Ergo concludendum, melius esse eam post prævisa merita prædicare. Ista ratio ex illo B. Prosperi principio fluit l. 2. de vocat. Gent. c. 31. ubi sic habet: *Non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro sæculis gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, providentia quidem pari, & bonitate generali, sed multimodo opere diversaque mensura*. Vocatio igitur ad cœnam agni & gloriam est generalis, sed per bona opera prævisa fit pro quibusdam specialis. Igitur prædestinatio quæ est illa vocatio specialis & ordinatio ad salutem, est post prævisa merita.

Secunda ita se habet: prædestinatio est post prævisa merita secundum executionem, igitur & secundum intentionem. Probatur consequentia. Nihil fit in tempore nisi prout ordinatum fuit in æternitate: ergo si prædestinatio est secundum executionem post prævisa merita, erit & secundum intentionem, tum quia actus internus & externus de eadem re sunt & ejusdem speciei, porro non forent, si intentio præcederet merita, ita ut nullum ad ea haberet ordinem.

Tertia, idem est motus agentis in intentionem & executionem alicujus effectus, siquidem unum est essentialiter propter aliud, maxime si agens ita potens est, ut nullis possit aut suspendi moribus, aut frangi agentis superioris viribus: sed Deus est omnium Dominus, sed est fortis & omnipotens, sed ordinate operatur, sed quod vult & placet, facit, nec est qui possit ipsius resistere voluntati, sed vult finem simul & media, & quidem eadem voluntate. Igitur prædestinatio intentiva est post prævisa merita, quandoquidem ex omnium consensu, talis est in executione.

Quarta hæc sequitur: prædestinatio ante prævisa merita & secundum intentionem vel est efficax, vel non. Si primum, igitur etiam independenter a meritis & bonis operibus executioni mandatur, quod dici non potest; si secundum, idest, si sit inefficax, si sit voluntas solum generalis de salute, igitur est solum formaliter sumpta post prævisa merita:

&

& quomodo fieri aliter posset? cum voluntas efficax Dei sit voluntas consequens, quæ quidem ex sua ratione formali respicit omnes circumstantias, adeoque & merita.

Quinta, posita prædestinatione ante prævisa merita, vix libertas salvatur. Primo quidem: sive prædestinatus operetur bonum sive non operetur, semper tamen salvus erit; namque prædestinatio ante prævisa merita & est efficacissima, & a meritis independens: quod si dicatur a meritis pendere, jam non ante, sed post prævisa merita est. Secundo, in hypothesi quod prædestinatio sit mere gratuita, prædestinatus necessario & declinabit a malo, & faciet bonum saltem finaliter, quandoquidem decretum nedum efficax per se, sed & infallibile simul & immutabile est: addo quod erit insuperabile ita ut ipsi resistere nemo queat. 3. Denique; tametsi Deus attingat modum agendi rerum, cuncta suo ordinans decreto ut creaturæ rationales agant libere, in suppositione tamen prædestinationis ante prævisa merita, non satis modus ille suavis conciliatur cum decreto prædestinante, maxime cum omnem antecedat voluntatis humanæ conatum, quinimmo creatura est tantummodo serva, & voluntatem supremam prædestinantem sequi compellitur, unde ad summum sub dominio decreti præmoventis & prædestinanris sponte quidem & voluntarie, nusquam vero cum indifferentia & libere operabitur. Ergo, &c.

Sexta, opinio propugnans prædestinationem post prævisa merita magis recedit ab opinione Synodi Dordracenæ in qua conclamata est contra Arminium, *Syn. sess.* 31. *p.* 159. *sess.* 36. *pag.* 340. & 491. prædestinatio necessitans ante prævisa merita, quam quidem Calvinus l. 3. inst. c. 22. §. 6. ex professo plures ante annos docuerat, eo innixus fundamento, quod decretum Dei est præmovens, quod infallibile, & ita efficax, ut nulla habita ratione ad voluntatem humanam, illam rapiat ad quod vult: hinc secundum ipsum prædestinatio independens est etiam in executione a bonis operibus. Toto quidem cœlo a Protestantibus discrepant Theologi qui defendunt prædestinationem ante prævisa merita, cum & jura libertatis sub dominio decreti propugnent, & executionem a bonis operibus dependentem tanquam de fide mordicus teneant: verum quidquid sit, facilius concipitur salvari libertas cum præscientia, suavius conciliatur, cum prædestinatio ex prævisione meritorum a voluntate humana adjuta, per gratiam prodeuntium defenditur.

Septima accedit cæteris; tametsi homines per peccatum originale in massa perditionis concludantur, ab ea tamen soluti sunt per redemptionem, cujus rei argumentum irrefragabile est, quod Christus pro singulis mortuus sit, quod Deus velit omnes salvos fieri, quod nihil Deus eorum quæ fecit, odio habeat: quod per ipsum, attestante Scriptura, non absit, ut omnes actu & de facto salventur, quod qui non salvantur, teste Augustino, teste Div. Thoma, teste cæterorum tum Græcorum, tum Latinorum Doctorum conventu, eorum culpa sit: ergo non datur prædestinatio ante prævisa merita, alias multos scilicet non prædestinatos odio haberet Deus, nollet eorum salutem, Christus non foret pro eis mortuus: quomodo enim aut concipi, aut mente comprehendi potest, & Deum velle illorum salutem, quos ipse ante prævisa demerita a regno exclusit? & Christum mortuum pro illis, qui æterno decreto exclusi manent a gloria, nulla facta attentione ad demerita, quia nulla facta est ad merita pro prædestinatione?

Octava. Deus, inquit Ezechiel Propheta, non vult mortem impii, sed magis ut convertatur & vivat; ita ut si pœnitentiam agat, salvabitur. Igitur Deus nihil decernit aut pro morte, aut pro vita æterna nisi ex prævisione demeritorum in reprobis, meritorum vero in electis. Enimvero si prædestinatio est ante prævisa merita, qui non sunt prædestinati, exclusi sunt a regno ante prævisa demerita, quo posito frustra dicitur, Deus non vult mortem peccatoris, siquidem ante peccatum ejus proprium aut meritum prævisum, est vel prædestinatus, vel reprobus: saltem hoc sequitur ex prædestinatione ante prævisa merita. Qualis consequentia?

Nona. Prædestinatio Sanctorum etiam intentiva est per merita Christi: sed si prædestinatio est ante prævisa hominum meri-

merita, videtur quod sit etiam ante prævisa merita Christi. Et probatur. Christus est causa prædestinationis Sanctorum in quantum bona eorum opera ab ipso, ut a causa meritoria, profluunt; sed si prædestinatio est ante prævisa Sanctorum merita, videtur a Christo independens, siquidem est a propriis independens meritis quorum prima causa meritoria est Christus Dominus, & quibus mediantibus influit in prædestinationem Sanctorum. Igitur non satis apparet, posita prædestinatione ante prævisa electorum merita, Christum esse causam prædestinationis Sanctorum.

Decima. Prædestinatio definitur ab Augustino, præparatio mediorum quibus certissime liberantur quicumque liberantur; sed illa media non solum sunt gratiæ, verum etiam bona opera: igitur prædestinatio est post prævisa merita.

Undecima. Licet admittatur prædestinatio post prævisa merita; electio tamen manet semper mysterium altum & profundum, mysterium ineffabile & incomprehensibile. Et vero quare unus assumatur, alter vero relinquatur? Quorsum unus recipiat fidem & salvetur, alter eodem modo propositam abjiciat & reprobetur? O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!

Duodecima. Gloria datur secundum mensuram meritorum, juxta illud Rom. 2. 6. *reddet unicuique secundum opera sua*. Sed hoc videtur falsum si prædestinatio sit ante prævisa merita; namque decretum efficax & gloriam statuens, concipitur factum ante prævisa merita. Igitur prædestinatio est post prævisa merita.

Decima tertia sic procedit convellendo sententiæ contrariæ fundamentum. Exclusio intentionalis a regno Cœlorum negativa ante prævisa demerita non est dabilis in præsenti statu, sed omnis est positiva, & per peccatum: igitur nec dabilis prædestinatio ante prævisa merita, quæ quidem infert reprobationem negativam ante prævisa demerita, eorum scilicet qui non sunt prædestinati. Probatur antecedens. 1. Ex D. Augustino qui scribens contra Pelagium, asserit non dari in præsenti statu medium inter ista duo, esse cum Christo, vel cum diabolo, nullus autem est secluso peccato cum diabolo, omnis igitur reprobatio positiva est & per peccatum. 2. Licet Deus potuerit hominem condere in statu naturæ puræ, supposito tamen quod illum voluerit ad finem supernaturalem elevare, immo & lapsum reparare, neminem secluso peccato a regno excludit. 3. Reprobatio negativa non potest a positiva præscindi: quæstio enim movetur non de re aliqua metaphysica, verum potius de realitate: certum est autem neminem absque peccato positive reprobari: Igitur nec prædestinari ordinarie loquendo, ante prævisa merita, alias cæteri qui non sunt prædestinati ex puro Dei beneplacito manerent positive a regno absque sua culpa ejecti.

Dices: Multi sunt per excellentiam prædestinati ante prævisa merita, & tamen ex hac electione non sequitur cæterorum a regno exclusio positiva, igitur nec ex electione aliorum.

Respondeo negando paritatem. Ratio discriminis illa est, quod electio ad sublimem gloriam habet post se electionem ad gloriam ut sic, unde dicit solum exclusionem aliorum a gloria sublimi, sed non a gloria absolute sumpta: at vero prædestinatio ad gloriam ut sic, cæteros simpliciter & absolute a domo Dei excludit, & hoc propter mala opera, eos igitur qui bona patrarunt, a regno exulare non vult Deus; sed advocat propter merita ad gloriam: Igitur prædestinatio ut sic spectata, est post prævisa merita.

Decima quarta. Opera quæ reddunt vocationem & electionem certam sunt prædestinationis motiva, unde enim certam reddunt electionem, nisi quia Deus ad ea respicit, ut aliquem prædestinet, illum vero in quo non invenit merita, reprobet: sed ex D. Petro bona opera certam faciunt & vocationem & electionem ad gloriam, non enim loquitur de prædestinatione ad gratiam, nulla quippe illam antecedunt merita. Ergo, &c.

Solvuntur Objectiones.

Primo, *ex Scriptura sacra prodeuntes*.

Objicies 1. Luc. 12. 32. Christus Dominus sic loquitur: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*,

regnum, sed verbum istud, *complacuit*, significat merum Dei placitum, juxta illud Ephes. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo.... in quo nos forte vocati sumus secundum propositum ejus*. Igitur prædestinatio est ante prævisa merita, quandoquidem & Christus & Apostolus nullam de eis faciunt mentionem.

Respondeo distinguendo antecedens: & istud verbum, *complacuit*, solummodo indigitat quandam generalem gloriæ præparationem esse gratuitam, concedo: & significat voluntatem efficacem & consequentem dandi gloriam esse gratuitam & ante prævisa merita, nego. Beneplacitum Dei in duplici sensu accipi potest; primo quidem pro voluntate generali, eaque antecedenti qua Deus singulorum hominum vult salutem; secundo pro voluntate efficaci & consequenti, qua tali vel tali homini vult conferre salutem: porro effectus primæ voluntatis est & ordinatio omnium hominum ad finem, & ad hunc consequendum mediorum generalium præparatio gratuita; quippe quæ ex mero Dei beneplacito promanat: effectus vero secundæ voluntatis est præparatio specialis & determinata gloriæ pro aliquo in particulari, & hæc est post prævisa merita, quandoquidem voluntas consequens, teste D. Thoma. omnes attingit circumstantias: igitur attendit ad merita & demerita, ut decernat vel præmia, vel supplicia: ad merita quidem juxta illud Apostoli: *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit*. Ad demerita vero juxta illud Christi Matth. 26. *Esurivi & non dedistis mihi manducare, ite in ignem æternum*. Certum est verbum, *complacuit*, non sumi in secundo sensu, & pro voluntate consequenti seu efficaci gloriam decernente; alias Judas proditor, qui unus ex illo pusillo grege erat, fuisset prædestinatus, & non reprobus, quod quidem adversatur Christo dicenti, Matth. 26. 24. *Væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*. Si quis tamen vocabulum istud, *complacuit*, de voluntate efficaci eaque prædestinante intelligi contendat, dicendum est atque tenendum accipi de voluntate eligente sub conditione meritorum, unde post verba in objectione laudata subdit Christus: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, &c.* Ecce bonorum operum commendatio.

Oppones 2. Prædestinatio est infallibilis juxta illud Joan. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea*. Sed illa infallibilitas ex decreto secundum merum Dei propositum, minime vero secundum opera venit, unde Actuum 13. 48. habetur: *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Ibi est immediata & absoluta præordinatio ad gloriam ante prævisa merita. Ergo, &c.

Respondeo distinguendo minorem: infallibilitas prædestinationis a decreto connotante merita promanat, concedo: non connotante merita, nego. Ultro fatemur prædestinationem, suam sortiri certitudinem a decreto ut a causa prima & principali, quatenus voluntas Dei eligentis nec mutari, nec falli potest; at decretum connotare merita nemo non videt, cum gloria tanquam corona pro vincentibus præparetur: quinimmo certitudo electionis etiam a meritis, ut divinæ subsunt præscientiæ quæ ad omnia sese extendit, petitur.

Ad probationem similiter distinguo: *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*, præordinatione regulata per prævisionem meritorum, concedo: non regulata, nego. In Græco non habetur præordinati, sed oadinati, τεταγμένοι. Non desunt etiam qui hunc intelligant textum de ordinatione Dei per Prophetas annuntiata, qua Gentiles loco Judæorum infidelium, facti sunt filii Abrahæ secundum fidem.

Instabis. In eodem Evangelio c. 15. 9. legitur: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*. Ibi Christus loquitur de seipso ut homine, loquitur de amore quo prædestinatus est Filius Dei: sed prædestinatus est ante prævisa merita, igitur & Sancti eo prope modo ad gloriam eliguntur, scriptum est enim Rom. 8. 29. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*.

Respondeo distinguendo minorem. Christus prædestinatus est ad gratiam hypostaticam ante prævisa merita, concedo; ad gloriam, nego. Unde similiter distinguo consequens: Sancti prædestinantur ad gratiam ante prævisa merita, concedo. Ad gloriam, nego. Eo loci loquitur Apostolus

lus de prædestinatione ad gratiam unionis, qua igitur ratione Christus prædestinatus est Filius Dei naturalis, eadem prædestinantur homines ut filii adoptivi, quod indigitat sane Apostolus in secundo textu dicens, *quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Cæterum assimilatio nedum ex parte prædestinationis ad gratiam, sed & ad gloriam se tenet: illa fuit in Christo pure gratuita; ista vero post prævisa merita, ipso testante Domino Luc. 2. *Nonne oportuit pati Christum & sic intrare in gloriam suam?* Similiter & in Sanctis prædestinatio ad gratiam est ante prævisa merita, alias gratia non foret gratia, sed naturæ debita, quod certe implicat: prædestinatio vero ad gloriam est post prævisa merita.

Respondeo 2. ad veritatem sententiæ Apostoli sufficere comparationem aliquam esse, videlicet quoad prædestinationem ad gratiam, quæ tum respectu Christi, tum respectu hominis est gratuita; at vero de prædestinatione ad gloriam non eadem est ratio, communior quippe sententia est esse ante prævisa merita pro Christo, quippe qui sit prædestinatus per excellentiam ad gloriam capitis, de cujus plenitudine nos omnes, immo & ipsi Angeli accipiunt: tum quia incarnatio est principium totius meriti; unde sicut Christus non potuit gloriam promereri hypostaticam, quia ante incarnationem non erat homo & viator, pari ratione non potuit ex prævisis meritis ad tantam sublimari gloriam, cum gloria capitis transcendat omnia creaturæ merita: posset tamen non sine fundamento pronuntiari, supposita volitione incarnationis & gratia hypostatica Deum ex prævisis meritis Christum prædestinasse ad gloriam; enimvero cum Christi merita sint Theandrica, omnem habent cum gloria capitis proportionem. Quidquid sit, dato prædestinationem ad gloriam esse etiam in Christo Domino gratuitam, non sequitur talem esse pro cæteris Sanctis; supposita quippe & incarnatione & redemptione per gratiam Christi constituuntur objecta congrua amicitiæ Dei. unde ex operibus bonis prævisis eos Deus elegit in Christo & per Christum ad gloriam.

Objicies 3. Quod est gratuitum, non datur meritis; sed gloria est quid mere gratuitum juxta illud Rom. 6. 23. *Gratia autem Dei est vita æterna*: igitur prædestinatio ad gloriam est ante prævisa merita.

Respondeo distinguendo minorem: gloria est quid gratuitum, idest non datur meritis naturæ, ut Pelagiani volebant, sed ortum habet a gratia, concedo: idest, datur independenter a fide & a bonis operibus, nego. Solutio est ipsius Augustini, qui Enchir. c. 107. & l. de gr. & libero arb. c. 8. tractatu 3. in Joannem docet vitam æternam gratiam vocari, non in eo sane sensu quod sit a bonis operibus independens, verum potius quia non datur naturæ meritis, quæ perperam extollebant Pelagiani; quod autem hic sit genuinus S. Doctoris sensus, patet ex scopo, ibi enim Pelagii errorem perstringere satagit. Hunc aperte prodit sensum Epist. 105. ubi verba Apostoli sic interpretatur: " Unde & ,, ipsa vita æterna meritis præcedenti- ,, bus redditur; tamen quia eadem me- ,, rita, quibus reddatur, non nobis para- ,, ta sunt per nostram sufficientiam, sed ,, in nobis facta per gratiam, etiam ip- ,, sa, scilicet vita æterna, gratia nuncu- ,, patur. ,,

Instabis: ibidem c. 8. 29. ait Apostolus, *quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Ibi præscire & prædestinare idem sunt ac decernere. Igitur sensus est, quos Deus elegit ad gloriam ante prævisa merita, eosdem prædestinavit ad gratiam, siquidem prædestinatio est etiam de mediis.

Respondeo distinguendo: & Apostolus loquitur de præscientia ad gloriam post prævisa merita, concedo: ante prævisa merita, nego. Hæc explicatio certe naturalis est, altera vero prorsus violenta. Dicit enim Paulus, *prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*: Igitur loquitur de prædestinatione quæ per se primo terminatur ad bona opera, quod quidem patet ex verbis immediate antecedentibus, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur*. Solutio colligitur ex incerto auctore apud Augustinum, qui l. de præd. SS. Dei c. 3. ait: " Ex præscientia vir- ,, tutis, prædestinatio fit remuneratio- ,, nis. ,, Succinit Hieronymus in comment.

ment. *Quos*, inquit, *præscivit conformes futuros in vita; voluit ut fierent conformes in gloria*: Subscribunt Ambrosius & Fulgentius supra citati.

Rursus instabis. Qui propugnat decretum gloriæ antequam aliquid boni faciat justus, propugnat prædestinationem ante prævisa merita, atqui sic docet, sic prædicat Apostolus ibidem c. 9. ubi de Jacob & Esau fratribus disserens, ait: *Cum nondum aliquid boni egissent, aut mali, dictum est, Jacob dilexi, Esau odio habui*. Igitur prædestinatio est omnino gratuita. Hoc ipsum confirmat Apostolus his verbis quæ subjungit, *cujus vult miseretur, & quem vult indurat... non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei... an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa, facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

Respondet Origenes, qui Apostoli sententiam per modum objectionis sibi proponit, eamque sic solvit, L. 3. de principiis c. 11. " Dicet fortasse aliquis, sicut figulus ex eadem massa facit alia quidem vasa ad honorem, alia autem ad contumeliam, ita Deus alios ad perditionem, alios ad salutem facit. Non est ergo in nobis vel salvos fieri, vel perire, per quod non videmur nostri esse arbitrii. Respondendum est ergo his qui hæc ita intelligunt, si potest fieri, ut possit Apostolus sibi ipsi contraria proloqui? Quod si hoc sentiri non potest de Apostolo, quomodo videbitur secundum eos juste culpare eos qui in Corintho fornicati sunt: quomodo autem illud quoque addit, quia omnes nos stare oportet ante tribunal Christi ut recipiat unusquisque nostrum in corpore sui prout gessit, sive bonum, sive malum? quæ enim boni retributio ei qui malum facere non potuit?.. Ex quibus sententiis nullatenus, ut opinor, causa gestorum ad Creatorem referri potest. Nam facit quidem Creator Deus quoddam vas ad honorem, & facit alia vasa ad contumeliam: sed illud vas quod se purgavit ab omni immunditia, illud facit vas ad honorem; quod vero vitiosum sordibus se maculaverit, illud vas in contumeliam facit. Itaque concluditur ex hoc quia prius gestorum unuscujusque causa præcedit, & pro meritis suis uniusquisque a Deo vel honoris vas efficitur, vel contumeliæ, unde unumquodque igitur vas ut vel ad honorem a Creatore formetur, vel ad contumeliam, ex seipso causas & occasiones præstitit Creatori... Cum ergo una omnium sit natura rationabilium creaturarum, ex ipsa Deus secundum præcedentes meritorum causas, sicut ex una massa figulus creavit & plasmavit alios quidem ad honorem, alios autem ad contumeliam. Quod vero velut increpantis est Apostoli sermo, quando dicit, o homo tu quis es, qui contra respondeas Deo? puto illud esse quod ostendit ex hoc, quoniam ad fidelem quemque recte & juste viventem & habentem fiduciam apud Deum talis increpatio non refertur. Talis erat Moises ille de quo dicit Scriptura, quia Moises loquebatur: Deus autem respondebat ei cum voce, & sicut respondebat Moisi, ita respondet & Sanctus quisque Deo: qui vero infidelis est & perdit apud Deum fiduciam respondendi, vitæ suæ, & conversationis indignitate, quique de his non ideo quærit, ut discat & proficiat, sed ut contendat & resistat, & ut manifestius dicam, qui talis est, qui hæc possit dicere quæ significat Apostolus dicens, quid ergo adhuc conqueritur? Voluntati enim ejus quis resistet? ad hunc recte increpatio ista dirigatur, quam dicit Apostolus: O homo, tu quis es, qui contra respondeas Deo? Est ergo hæc increpatio non ad fideles, sed ad impios."

Ibidem ait: " Verum quoniam Apostolus in his quidem quæ de vasis honoris vel contumeliæ dicit, quia si quis seipsum mundaverit, erit vas ad honorem sanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum semper paratum, nihil videtur in Deo posuisse, sed totum in nobis; in his vero in quibus ait, Potestatem habet figulus luti de eadem massa facere aliud vas ad honorem, aliud ad contumeliam, totum videtur ad Deum retulisse, non est accipiendum sibi esse contraria, sed uterque sensus ad unum vocandus, & e duobus unus effici debet intelle-

 ctus:

„ ctus: idest, ut neque quæ in nostro „ arbitrio sunt, putemus sine adjutorio „ Dei effici posse: neque ea quæ in ma- „ nu Dei sunt, putemus absque nostris „ actibus, & studiis & proposito consum- „ mari. „

Respondet Chrysostomus ad eandem difficultatem hom. 10. in Epist. ad Rom. " Non hauc, *inquit*, eo pertinere, ut „ liberum arbitrium e medio tollatur, „ sed ut ostenderet quousque Deo pare- „ re oporteat. Nam ad hoc ut facti ra- „ tionem exigamus a Deo, nihilo ma- „ gis affici nos par est, quam lutum, si- „ quidem non solum contradicendum „ non est, nec inquirendum: sed neque „ loquendum omnino, neque cogitan- „ dum adversus illum quippiam: sed in „ animo luti similes esse debemus, quod „ figuli manus sequitur; & quocunque „ voluerit ille circumducitur. Ad hoc „ enim unum ejusmodi assumpsit exem- „ plum, non ad certum vitæ designan- „ dum genus, sed ut extremam obe- „ dientiam & silentium commendaret, „ atque hoc ubique observandum est „ exempla minime tota sumere oporte- „ re: sed quod inest ipsis utile seligen- „ dum esse, idque cujus adhibitæ sunt „ gratiæ. Cætera omnia relinquere . . . „ Pharaonem, (*ait*) semetipsum fecisse „ vas perditionis: ac Deum nihilomi- „ nus, quæ suarum erant partium contu- „ lisse . . . Unde igitur alii quidem vasa „ iræ, alii vasa misericordiæ? ex pro- „ pria voluntate. „

Eo loci multa notat & observat S. Chrysostomus. Primo quidem exemplum figuli libere agentis & independenter ab opere, ut lector intelligat justum esse, omnem hominem Deo ea qua par est humilitate & reverentia subditum esse debere, juxta illud Apost. 2. Cor. 10. *Redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Deinde vero exempla non esse ex integro & ad litteram semper sumenda, verum potius in aliquo ad rem accommodatam articulo. S. autem Paulus assumit exemplum Jacob prædilecti ante prævisa ejus merita, ut frangat & contundat elatos Judæos qui filios Abrahæ & primos ad fidem vocatos esse gloriantes, fastu intolerabili aspernabantur Gentiles, maxime vero quia legem in dispositione Angelorum acceperant. Unde Judæo respondet Apostolus, *Quid habes quod non accepisti? si accepisti, quare gloriaris quasi non acceperis?* & iterum: *o homo, tu quis es qui respondeas Deo? nunquid habet potestatem figulus luti facere vas aliud in honorem, aliud in contumeliam?* Ostendit Apostolus Judæos recte & juste propter peccata abjectos, nec querimoniæ eis superesse locum, cum Deus donorum suorum sit dominus & possit ea a malis subtrahere, ut genti fructum facienti retribuat. Subdit vero S. Doctor peccatorem obduratum semetipsum vas iræ & in contumeliam, pœnitentem vero gratia mediante vas misericordiæ & honoris sese facere. Igitur locus Apostoli de prædestinatione ante prævisa merita intelligi non debet.

Respondet S. Augustinus interpretando Apostoli textum de prædestinatione ad gratiam, quæ quidem datur independenter a meritis: sic enim loquitur Epist. 106. " Doctor Gentium in fide & veri- „ tate istos geminos nondum natos ni- „ hil boni aut mali egisse testatur, ut „ gratia commendetur: ut quod dictum „ est, major serviet minori, non ex „ operibus, sed ex vocante dictum intel- „ ligatur, ut secundum electionem Dei „ propositum maneret, non meritum „ hominis anteiret, non enim dicit ele- „ ctionem voluntatis humanæ sive natu- „ ræ, cum par esset in utroque mortis, „ damnationisque conditio, sed electio- „ nem proculdubio gratiæ quæ non in- „ venit eligendos, sed facit. „ Igitur B. Augustinus duorum fratrum exemplum adducit ad probandum quidem electionem ad gratiam esse gratuitam, minime vero ad gloriam, de qua nullam facit mentionem Apost. & hoc ut contundat superbiam Judæorum, qui ut supra dictum est, gratiam Christi sibi debitam esse putarent, eo quod essent filii Abrahæ & promissionis.

S. Doctor eodem prope modo explicat caput nonum ad Romanos, namque l. 1. ad Simplic. q. 2. ait Paulum " efficere „ ut de operum meritis nemo glorietur, „ de quibus audebant Israelitæ gloria- „ ri, quod datæ sibi legi serviissent, „ & ex hoc Evangelicam gratiam tan- „ quam debitam meritis suis percepis- „ sent, quia legi serviebant: unde no- „ le-

„ lebant eandem gratiam dari Gentibus „ tanquam indignis, nisi Judaica Sacramenta susciperent. Quæ orta quæstio „ in Apostolorum actibus solvitur; non „ enim intelligebant, quia eo ipso quo „ gratia est Evangelica, operibus non „ debetur. „ Ex his liquido constat Augustinum explanare Pauli textum c. 9. ad Romanos, solum de gratuitate gratiæ. Igitur solum de prædestinatione ad fidem & gratiam meritis sine indebitam, nusquam vero de electione ad gloriam loquitur.

Jam respondeo in forma distinguendo: & textus Apostoli de duobus fratribus intelligitur secundum quosdam eruditos viros de benedictione temporali, secundum alios de majori dilectione Dei pro uno potius quam pro altero, & secundum multo plures de vocatione tum ad fidem, tum ad gratiam, concedo. De prædestinatione ad gloriam, nego. SS. Doctores, ut patet ex Chrysostomo & Augustino, explicant caput nonum Epistolæ ad Rom. de vocatione ad Christi fidem, quam quidem Apostolus probat & Judæis & Gentilibus esse indebitam, adeoque summæ erga eos misericordiæ argumentum. In confirmationem vero laudat exemplum duorum fratrum quorum unus antequam natus, & quicquam boni egisset, præordinatus est ad majorem Dei erga seipsum amorem. Enimvero, *Esau odio habui*, idem sonat ac minus dilexi, sic Deut. 16. 16. habetur: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam*, ideft minus dilectam; sic & Matth. 6. 24. habetur: *Nemo potest duobus dominis servire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget*; odio habebit, hoc est, minus diliget.

Quod autem hic sit genuinus Apostoli sensus constat: Et vero si prædestinatio ad gloriam foret ante prævisa merita, reprobatio similiter esset ante prævisa demerita; nam perinde Deus reprobasset Esau, sicut prædestinavit Jacob imaginem electorum: tum quia eadem est lex oppositorum, tum quia Deo prædestinante aliquos ante prævisa merita, cæteri ante prævisa demerita ipso facto manent a regno exclusi, sed ex Augustino Deus neminem reprobat secluso peccato: igitur nec prædestinat ordinarie loquendo, seclusis bonorum operum meritis. Probatur minor, & quidem duplici S. Augustini oraculo; l. 1. ad Simplic. q. 2. sic loquitur: *Deus non odit Esau hominem, sed Esau peccatorem*. Rursus tractatu 67. in Joan. ait: *Nullus eorum alienabitur ab illa domo ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito*.

Respondeo in forma ad palmarem sententiæ oppositæ objectionem sic distinguendo; Deus alium facit vas in honorem, alium vero vas in contumeliam, quia quidam seipsos per bona opera ut sint vasa in honorem, capaces se reddunt, alii vero per mala opera, ut sint vasa in contumeliam, concedo: secus, nego. Solutio est Apostoli qui est sui ipsius interpres, 2. ad Tim. 2. 2. his verbis: *In magna autem domo, non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum*. Sententia Apostoli potest utique & recte intelligi de quibusdam Sanctis per excellentiam, qui operatione miraculorum fuerunt vasa in honorem etiam coram sæculi principibus, dum alii vitam in Christo absconditam solum degentes, erant in fabulam.

Instes: Ephes. 1. 4. prædestinationem ante prævisa merita astruere videtur Apostolus his verbis: *Elegit nos in ipso Deus, ante mundi constitutionem ut essemus Sancti*. D. Augustinus l. 1. ad Simplic. q. 2. hunc interpretatur locum de electione ad gloriam: igitur sensus est, elegit nos ad gloriam non ea ratione qua prævidebat nos futuros Sanctos, sed ut essemus Sancti. Igitur prædestinatio est ante prævisa merita, siquidem statuitur & fit independenter a sanctitate quæ est bonorum operum egregius fœtus.

Respondeo distinguendo, & ibi Apostolus loquitur de electione ad gratiam, concedo: & loquitur de prædestinatione ad gloriam, subdistinguo; mediantibus bonis operibus, & ipsa eligendorum sanctitate, concedo: immediate, nego. Augustinus l. de prædest. SS. c. 19. Hieronymus in comment. intelligunt de electione & prædestinatione ad gratiam. Hoc ipsum indigitat textus, *elegit ut essemus Sancti*: nulla, ut patet, fit ibi men-

mentio de gloria. Si quando igitur aut Augustinus, aut alii Patres, verba B. Pauli etiam de gloria intelligi contendant, sane in eo loquuntur sensu quod prædestinatio connotet sanctitatem quatenus est via ad gloriam, & ejus causa juxta illud ejusdem Apostoli effatum, Rom. 6. 23. *Gratia autem Dei vita æterna*. Quid plura? Si textus B. Pauli in alio intelligeretur sensu, magnum istud sequeretur absurdum, videlicet quod gloria foret medium ad sanctitatem, siquidem hunc redderet sensum, *elegit nos ad gloriam ut essemus Sancti*.

Persistes: qui expressis & claris verbis dicit homines etiam justos non ex operibus, sed ex misericordia eligi, profecto tenet prædestinationem ante prævisa merita: atqui sic tenet & sic docet Apostolus juxta illud ad Tit. 3. *Non ex operibus quæ fecimus nos, secundum suam misericordiam salvos nos fecit*. Sicut salvos nos fecit, ita & prædestinavit, inquit D. Thomas hic ar. 5. Non ergo, inquit, præscientia meritorum est ratio & motivum prædestinationis. Ergo, &c.

Respondeo distinguendo; & hoc solummodo probat redemptionem esse gratuitam, concedo: & hoc probat prædestinationem esse ante prævisa merita, subdistinguo; prædestinationem adæquate sumptam quatenus & primam gratiam & perseverantiæ donum complectitur, concedo; inadæquate sumptam, nego. Apostolus intendit solum probare Dominicæ Incarnationis motivum esse bonitatem & misericordiam Dei; Divus vero Thomas loquitur solum de prædestinatione adæquate spectata, ibidem enim ait: rationabiliter posse dici præscientiam meritorum & demeritorum esse prædestinationis & reprobationis motivum, & hac quidem solutione, optime diluuntur reliquæ objectiones ex D. Thoma depromptæ.

Secundo, *diluuntur objecta ex S. Augustini auctoritate deprompta*.

Objicies. Augustinus l. de prædest. SS. c. 18. ait: *Elegit nos ante mundi constitutionem ut essemus sancti: non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus*. Ibi loquitur Augustinus de electione ad gloriam: igitur si elegit nos Deus ut essemus sancti ea sanctitate quæ nos perducat ad gloriam, non quia futuri eramus sancti, manifestum est sanctum Doctorem velle prædestinationem esse ante prævisa merita. Quod autem loquatur ibi de electione ad gloriam, patet ex tribus momentis. Primo, quia caput controversiæ erat, testibus S. Prospero & Hilario de vocatione ad fidem & salutem inter Augustinum & Massilienses; ad quod solvendum scripsit libros duos, alterum de prædest. SS. alterum de dono perseverantiæ: ex quo sequitur S. Augustinum loqui in his operibus de electione ad gloriam. Legitur autem in Epistola S. Prosperi ad S. Aug. Gallos illum de novitate accusasse, eo maxime quod vocationem electorum tum ad fidem, tum ad gloriam statuerat secundum propositum, ipsi vero, testante S. Prospero, electionem ad vitam ex prævisione meritorum defendebant. Sic enim ait: " Qui au-
„ tem credituri sunt, qui-ve in ea fide,
„ quæ deinceps per Dei gratiam sit ju-
„ vanda, mansuri sunt, præscisse ante
„ mundi constitutionem Deum, & eos præ-
„ destinasse in regnum suum, quos gra-
„ tis vocatos dignos futuros electione, &
„ de hac vita bono fine excessuros esse
„ prævideri t. Ideoque omnem hominem,
„ ad credendum & operandum divinis
„ institutionibus admoneri, ut de appre-
„ hendenda vita æterna nemo desperet,
„ cum voluntariæ devotioni remuneratio
„ sit parata. „ Ecce quomodo loquuntur Massilienses de prædestinatione ad gloriam ex prævisis meritis. Igitur & loquitur August. de eadem suam defendendo sententiam proposito divino innixam, quam quidem non retractat, licet de novitate accusaretur, sed fusius eam explicat, & explicando propugnat contra Semipelagianos in libris prædictis. Idem colligitur ex S. Hilario, qui in Epistola sua ad S. Præsulem refert utique opinionem Gallorum his verbis: " Propo-
„ situm autem vocantis gratiæ in hoc
„ omnino definiunt, quod Deus consti-
„ tuerit nullum in regnum suum, ni-
„ si per Sacramentum regenerationis as-
„ sumere; & ad hoc salutis donum
„ omnes homines universaliter, sive
„ per naturalem, sive per scriptam le-
„ gem, sive per Evangelicam prædica-
„ tionem vocari. „ Deinde S. Hilarius, proposito quæstionis statu, petit ab Augusti-

gustino an electio stet secundum propositum? an secundum meritorum præscientiam, ut volebant Semipelagiani, quorum sententiam longe rejicit Augustinus in libris de præd. SS. & de bono perseverantiæ. Igitur in his loquitur de electione ad gloriam, & hoc ante prævisa merita. Secundo, hoc utique patet etiam ex eo quod Augustinus, ut suam contra Semipelagianos exponeret sententiam, librum specialem de dono perseverantiæ composuerit. Tertio denique, quia S. Doctor loquitur de vita æterna & de glorificatione in libro de prædestinatione Sanctorum, sic enim habet c. 17. *Quos enim*, inquit, *prædestinavit, ipsos & vocavit*, illa scilicet vocatione secundum propositum. *Non ergo alios, sed quos ita vocavit, ipsos & justificavit: nec alios: sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit*. Tria hæc conjungit beatus Augustinus, vocationem scilicet, justificationem & glorificationem. Igitur non loquitur solum de prædestinatione ad gratiam, sed & de electione ad gloriam. Igitur ex illis omnibus momentis liquet S. Doctorem velle prædestinationem fieri ante prævisa merita.

Respondeo 1. S. Augustinum ea scripsisse humilitate ut non putaverit se infallibilem, hinc libros retractationum ad quæstiones, vel fundatius eliquandas, vel etiam corrigendas componere non erubuit. Ea etiam Ecclesiam prosequutus est obedientia & veneratione, ut dicere soleret, " Evangelio non crederem, „ nisi me commoveret Ecclesiæ auctoritas. „ Et l. 7. de Baptismo c. 57. sua, de intentione, exposita humiliter sententia, subdit se expectare judicium Ecclesiæ circa illud momentum. Præclarum posteris relinquens charitatis & humiliatis exemplum, quatenus nemo contrariam sibi opinionem damnare audeat, cum ipsi Patres modo ex una parte, modo ex altera propendere videntur; maxime si Ecclesia licentiam faciat variis modis explicandi dogma catholicum: certum est autem sententiam eorum qui dogma prædestinationis Sanctorum post prævisa merita explanant, Scripturæ sacræ plurimum consentaneam esse, multos Patres tum Græcos, tum Latinos illum ex professo sic propugnare, eam multum arridere & pietati & libertati, eandem omnes stimulare virtutes, accendere charitatem: Quid plura? Erigit spem, fractum animum adjuvat & consolatur.

Verum unum præ cæteris summopere ponderandum est, videlicet Clementem octavum finem imposuisse disputationibus de auxiliis, permittendo utramque opinionem, alteram de gratia efficaci per se, alteram de gratia congrua in Ecclesia doceri, aliaque auxiliorum capita salvo dogmate tum de necessitate gratiæ, tum de prædestinatione. Multis sæculis ante ipsum eandem concessit licentiam Cœlestinus in Epistola prima ad Episcopos Galliæ his verbis: *Profundiores vero*, inquit, *difficilioresque partes occurrentium quæstionum quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere, quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas apostolicæ sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur catholicum quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium*. Dato igitur & non concesso S. Augustinum non propugnasse prædestinationem post prævisa merita, concedente Ecclesia, defendi potest, immo & teste D. Thoma supra citato, rationabiliter, maxime cum plures Patres illam sic explanaverint.

Respondeo 2. S. Augustinum de gratia tractantem agere vel contra Judæos qui eam sibi debitam putabant, eo quod filios Abrahæ & promissionis se esse gloriarentur: vel contra Pelagianos qui eam explodebant, non recedentes a libero arbitrio & a lege: vel contra Semipelagianos qui legem etiam non modicum commendabant, immo & ipsam naturam cui semina virtutum inesse sic autumabant, ut etiam initium fidei ei tribuere non dubitarent. Primos revincit in expositione Epistolæ ad Romanos, maxime commentario in caput nonum, gratuitatem gratiæ probat exemplo duorum fratrum quos licet mater eadem hora fuderit, non tamen eadem fors fuit; antequam enim quidquam aut boni aut mali egissent, dictum est quia major serviet minori. Secundos, Pelagianos scilicet, oppugnat in libris de

de correptione & gratia, de gratia & libero arbitrio: in sex aliis contra Julianum, in quatuor contra eorum Epistolas, ubique ostendens necessitatem gratiæ ipsiusque gratuitatem. Denique, his prostratis, insectatur Semipelagianos in libris de prædestinatione Sanctorum & de dono perseverantiæ, eis demonstrando fidem esse donum Dei, Deum nihil debere naturæ, eamque adeo esse corruptam & debilem, ut non solum sine gratia in bono perseverare, sed nequidem illud inchoare queat. Igitur sanctus Præsul loquitur solum de prædestinatione ad gratiam & non ad gloriam. Enimvero loquitur solum de gratia in sensu opposito eorum qui illam impugnabant, & secundum partem quam suis congressibus destruere volebant; nusquam autem fuit controversia de predestinatione ante vel post prævisa merita ex auxilio gratiæ promanantia; sed de gratuitate fidei & gratiæ quam Judæi sibi debitam credebant, quam a libero arbitrio & lege indistinctam esse volebant Pelagiani, quam Semipelagiani agnoscebant quidem, sed ut naturæ fœtum & ejus meriti præmium; hinc ubique Augustinus prædicat vocationem ad fidem secundum propositum, prædicat & largitionem gratiæ, immo & ipsam justificationem, consequenter & glorificationem, eo scilicet sensu quod ista tria non debeantur meritis naturæ. Et est genuinus Augustini sensus conterens adversarios. Igitur non loquitur in loco in objectione laudato de prædestinatione ante prævisa merita viribus gratiæ comparata: siquidem eadem phrasi loquitur de vocatione, de justificatione & de glorificatione. Porro ad justificationem concurrere bona opera, sicut & ad glorificationem, nemo non videt. Igitur glorificatio etiam ex mente Augustini est post prævisa merita, ex eodem enim est secundum mensuram meritorum; si autem esset ante prævisa merita, foret tantum secundum beneplaciti mensuram.

Igitur quæro an placitum Dei decernat gloriam tantum in generali, an in particulari secundum talem vel talem gradum? Si primum, est voluntas duntaxat antecedens, eaque determinabilis in individuo per merita, quod ultro fatemur. Si secundum, jam mensura gloriæ beatorum non erit secundum mensuram meritorum, quippe quæ sit ante prævisa merita, quod dici non potest. Scriptum est enim: *Reddet Dominus unicuique secundum opera sua*. Rom. 2. 6.

Respondeo 3. & in forma: elegit nos Deus ut essemus sancti, non quia futuri eramus viribus naturæ, concedo: viribus gratiæ, nego. Dictum est supra, Apostolum ibi loqui de electione ad gratiam & sanctitatem, non ad gloriam: quando autem Augustinus dicit, elegit nos ut essemus sancti, non quia futuri eramus, probat contra Semipelagianos neminem posse esse sanctum etiam inchoative sine gratia; quia vero isti docebant Deum prævidere merita naturæ, bonum proprio conatu incipientis, & attrahentis gratiam atque sanctitatem, jure merito prougnat Augustinus, Deum nos elegisse ante mundi constitutionem ut essemus sancti, non quia futuri eramus viribus nostris etiam inchoative, sed ut essemus viribus gratiæ tam inchoative quam consummative. Et sic manet argumentum S. Augustini contra Massilienses in toto suo robore.

Ad confirmationem distinguo: Augustinus ibi loquitur de electione ad gloriam secundario & in sensu Massiliensibus opposito, concedo: primario, & præcise agitando quæstionem de prædestinatione sanctorum ante vel post prævisa merita viribus gratiæ parta, nego. Luce clarius constat errorem palmarem Semipelagianorum fuisse circa gratiam quam ad initium fidei inutilem esse prædicabant, contendentes esse in hominum voluntatibus virtutum semina, quibus gratiam fidei attraherent, ad quam obtinendam non modicum commendabant legem. "Ad hoc „ salutis donum, *inquit Hilarius de eis* „ *loquens*, volunt omnes homines univer- „ saliter sive per naturalem, sive per „ scriptam legem, sive per Evangeli- „ cam prædicationem vocari. „ Igitur controversiæ caput inter eos & Augustinum erat de necessitate gratiæ ad initium fidei. Et cum S. Doctor in libro de prædestinatione SS. illos ex professo perstringat, manifestum est eum loqui de electione ad gratiam, quam plene gratuitam ibi defendit, ita ut illam attrahere voluntas humana non valeat. Si igitur loquitur de prædestinatione ad gloriam

riam, est solum secundario & relative ad gratiam, ita ut non possit initiari per vires nudas liberi arbitrii, ut contendebant Massilienses.

Ad primam probationem distinguo; Augustinus composuit librum de dono persev. & de præd. SS. contra Semipelagianos, ut eis ostendat gratiæ gratuitatem & necessitatem, concedo: ut probet prædestinationem ante prævisa merita, nego. Oppugnabat Gallos Augustinus in eo in quo errabant. In tribus autem eos reprehendit; primo, quia dicebant gratiam esse inutilem ad initium fidei: secundo, gratiam eatenus esse meritis naturæ debitam, quatenus voluntas bonis inclinationibus & proprio conatu adjuta solum a lege illam attrahebat. 3. Quia consequenter errabant & circa perseverantiam finalem quam ideo non putabant gratiam specialem, & circa prædestinationem Sanctorum, non quia eam statuerent post prævisa merita, sed post merita ortum a libero arbitrio ducentia, sed per bona opera fundata in gratia prius per naturæ vires ad ea producenda determinata. Et certe nullus cordatus dicet Augustinum relicto controversiæ principali capite, ad aliud se convertisse, probando prædestinationem etiam suppofita gratia non esse post prævisa merita, sed ante. Siquidem non est error illam sic propugnare, cum hæc sententia præter Scripturas sanctas, habeat utriusque Ecclesiæ Patres defensores, & plurimos ex diversis academiis Theologos patronos percelebres.

Ad secundam probationem distinguo similiter: Augustinus loquitur simul de vocatione, de justificatione, & de glorificatione in sensu opposito Massiliensibus, concedo: ut probet prædestinationem non esse post prævisa merita etiam suppofita gratia, nego. S. Præsul negat prædestinationem post prævisa merita naturæ, sed non post prævisa merita habita viribus gratiæ: quod autem ibi loquatur solum de prædestinatione gratuita ad gratiam independente a meritis naturæ, patet ex c. 19. l. de præd. SS. ubi refellit Pelagianos contrarium sentientes, eorum quippe placita refert, & simul respondet. "Ipsi enim, *inquit*, putant, acceptis præceptis, nos per nos ipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio sanctos & immaculatos in conspectu ejus in charitate; quod futurum Deus, quoniam præscivit, inquiunt, ideo nos ante mundi constitutionem elegit, & prædestinavit in Christo: cum dicat Apostolus, non quia futuros tales nos esse præscivit: sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ, qua gratificavit nos in dilecto Filio suo." Habes, pie lector, Augustinum explicantem locum Apostoli, de quo procedit difficultas, in sensu opposito Pelagianis: habes loquentem principaliter de electione ad gratiam secundum mentem Apostoli, qui de ea maxime loquitur his verbis: *Elegit nos ut essemus sancti*. Habes denique S. Doctorem l. de prædestinatione solum indirecte discurrentem, & hoc præcise in sensu opposito hæreticis qui illam reponebant post prævisa naturæ merita. Igitur nullo modo eam impugnat Augustinus post prævisa merita viribus gratiæ comparata.

Denique ad istius & cæterarum objectionum ex auctoritate B. Augustini desumptarum solutionem, operæpretium est observare caput controversiæ inter Augustinum & Pelagianos ac Semipelagianos potissimum fuisse tum de præparatione, tum de electione seu prædestinatione ad gratiam, ut patet ex libris de prædestinatione Sanctorum & de dono perseverantiæ, nec ullam movisse quæstionem S. Aug. saltem in particulari & propriis argumentis, sed ad summum in genere, & secundario de prædestinatione ad gloriam, quam esse ante prævisa merita in radice seu ratione primæ gratiæ a qua incipit, non inficiatur, cujus rei argumenta multa sunt. Primo quidem, quia in his libris concludit semper fidem non esse ex meritis naturæ: quinimmo illam omnia liberi arbitrii in se relicti merita antecedere. 2. in l. de bono perseverantiæ c. 19 adhæret Cypriano, Ambrosio, Gregorio Nazianzeno, quorum suffultus auctoritate unum maxime probare satagit, nimirum fidem & bona opera, non esse solius liberi arbitrii fœtum, sed gratiæ dona. 3. Prædestinationem, de qua in isto libro loquitur tanquam quid de fide certum defendit. Sic enim effatur c. 18. *Hoc scio neminem contra istam prædestinationem quæ secundum Scripturas sanctas defenditur, nisi errando disputare potuisse*. Profecto sola prædestinatio

L 4 ad

ad gratiam & non ad gloriam ante prævisa merita, est de fide. 4. Tandem cum quidam sancto Doctori objicerent ipsius de prædestinatione sententiam utilitati & prædicationis, & exhortationis & correctionis adversari, ibidem c. 14. respondet hoc esse ea ratione falsissimum, quia doctrina illa, qua Scriptura docet fidem & omnia bona opera esse Dei dona, & Deum illa in nobis operari, nullo modo officit tum exhortationis, tum correptionis utilitati: immo prædestinationem nihil aliud esse propugnat, quam præscientiam, qua Deus præscit quibus hæc daturus sit dona. Quis jam rerum æquus æstimator affirmabit Augustinum loqui de prædestinatione ad gloriam, nisi eum in adulterinum sensum detorquere velit, cum prædestinationem ante prævisa merita ad gloriam non esse de fide definitam nemo non sciat. Igitur cum Aug. prædestinationem ante prævisa merita celebrat, solummodo intelligit prædestinationem ad gratiam.

Juvat sancti Doctoris textus in medium adducere; sic ait l. de dono persf. num. 34. " Sed aiunt prædestinationis definitionem utilitati prædicationis adversam. " Quasi vero adversata sit Apostolo prædicanti. Nonne ille Doctor Gentium in fide & veritate & prædestinationem totiens commendavit, & verbum Dei prædicare non destitit? " Numquid quia dixit, Deus est qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate: ideo non ipse, & ut velimus quæ Deo placeant, & ut operemur, hortatus est? aut quia dixit, (qui in vobis bonum opus cœpit, perficiet usque in diem Christi Jesu:) ideo inciperent homines, & perseverarent usque in finem, ipse non suasit? " nempe ipse Dominus hominibus præcepit ut crederent, atque ait, credite in Deum & in me credite: nec tamen ideo ejus falsa sententia est, nec vana definitio ubi ait, (nemo venit ad me) idest, nemo credit in me, (nisi fuerit ei datum a Patre meo.) " Nec rursus, quia vera est hæc definitio, ideo vana est illa præceptio. " Cur ergo prædicationi, præceptioni, exhortationi, correptioni, quæ omnia frequentat Scriptura divina, existimamus inutilem definitionem prædestinationis, quam commendat eadem Scriptura divina? " Ubique duo tantummodo Augustinus prædicat in prædestinatione quam delineavit, nimirum fidem non esse ex meritis naturæ, donum vero perseverantiæ esse donum specialissimum, gratiam in nobis & incipere & consummare opus bonum: ast altissimum est silentium de prædestinatione ante vel post merita prævisa.

Rursus ibidem num. 35. suam aperit mentem, & sic prosequitur: " An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? quæ utique si præscivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit? hæc est prædestinatio Sanctorum, nihil aliud: præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. " Videas velim, benevole Lector, S. Augustinum nihil aliud velle ad prædestinationem quam media, seclusis naturæ meritis, quibus certissime liberantur quicumque liberantur: profecto bona opera numerantur inter ejusmodi media: igitur prædestinatio est post prævisa merita virtute gratiæ comparata, maxime vero cum Augustinus prævisionem meritorum solummodo naturæ in se relictæ excludat, nec ullum sane verbum de cæteris exclusive loquatur.

Urgebis. S. Augustinus l. de prædest. Sanct. c. 19. ait: " Cum ergo nos prædestinavit, opus suum præscivit, quo nos sanctos & immaculatos facit. " Et alibi non semel dicit Deum præscire ea quæ ipse facturus est. Igitur prædestinatio secundum sancti Præsulis mentem est ante prævisa merita.

Respondeo distinguendo; præscit Deus quæ ipse facturus est quoad gratiam quæ incipit in nobis opus bonum, illudque, cooperante voluntate humana, consummat, concedo: quoad prædestinationem, subdistinguo; quæ facturus est nobis cooperantibus, concedo: non cooperantibus, nego. In capite laudato B. Augustinus ex professo loquitur contra Pelagianos, qui homines promoveri ad charitatem & sanctitatem ex prævisione meritorum naturæ propugnabant.

Con-

Contra eos probat sanctus Doctor naturam in se relictam in opere salutis nihil posse, primam gratiam esse in nobis sine nobis, eamque liberum applicare arbitrium ad opus. In isto prorsus sensu, dicit Augustinus Deum præscire quod ipse facturus est, sed nostram non excludit cooperationem; actus siquidem bonus totus est a Deo, totus & a creatura: totus quidem a Deo ut a prima causa, totus vero a creatura ut a causa secunda. Porro quum prædestinationem post prævisa merita defendimus; dicimus utique bona opera esse a gratia & a libero arbitrio; a gratia quidem inchoante contra Semipelagianos; a gratia inchoante & perficiente contra Pelagianos, a libero arbitrio agente, & cooperante contra Protestantes.

Iterum instabis; idem l. de præd. SS. c. 17. asserit prædestinationem esse secundum propositum: sed prædestinatio secundum propositum est ante prævisa merita. Ergo, &c. Probatur major verbis Aug. quæ quidem hæc sunt: " Quos „ enim prædestinavit, ipsos & vocavit, „ illa scilicet vocatione secundum propo- „ situm. Non ergo alios, sed quos ita „ vocavit, ipsos & justificavit, nec alios, „ sed quos prædestinavit, vocavit, justi- „ ficavit, ipsos & glorificavit. „

Respondeo distinguendo: prædestinatio ad gratiam est secundum propositum, concedo: est enim gratuita; ad gloriam, subdistinguo; adæquate sumpta, concedo: inadæquate considerata, nego. Ibi Augustinus revincit Semipelagianos, qui fidem & vocationem ortum a natura ducere volebant, unde merito & fidem & vocationem secundum Dei propositum & ut dona mere gratuita propugnat. Sed sicut supposita gratia nihil prohibet hominem habere merita, ita nec post eorum prævisionem prædestinari non implicat. Cæterum aliquid esse secundum propositum, est Deo volente fieri: in isto sensu prædestinatio post prævisa merita non incongrue secundum beneplacitum dicitur; quatenus scilicet Deus sic vult & ordinavit.

Repones, si prædestinatio foret ex prævisis meritis, nulla in ista solvenda difficultate cur unus trahatur, alter vero relinquatur, esset difficultas. Sed hoc est contra Apostolum Rom. 9. ubi Deum sic loquentem introducit, *miserebor cujus misereor... igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*. Ergo prædestinatio est ante prævisa merita. Probatur sequela ex Augustino, qui in Enchir. ad Laurentium c. 98. sic habet: " Qua in „ re si futura opera, vel bona hujus, „ vel mala illius, quæ Deus utique præ- „ sciebat, vellet intelligi, nequaquam „ diceret, non ex operibus; sed diceret „ ex futuris operibus: eoque modo sol- „ veret istam quæstionem: immo nullam, „ quam solvi opus esset, faceret quæstio- „ nem.... sed qui dixit, miserebor cui „ misertus ero, & misericordiam præ- „ stabo, cui misericors fuero, Jacob di- „ lexit per misericordiam gratuitam, „ Esau autem odio habuit per judicium „ debitum. Quod cum deberetur ambo- „ bus, in altero alter agnovit, non de „ suis distantibus meritis, sibi esse glo- „ riandum, quod in eadem caussa idem „ supplicium non incurrit; sed de di- „ vinæ gratiæ largitate, quia non vo- „ lentis, neque currentis, sed miseren- „ tis est Dei. „ Ergo, &c.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem distinguo; si prædestinatio foret post prævisa merita solis naturæ viribus comparata, ut volebant Pelagiani contra quos loquitur Augustinus, nulla relinqueretur quæstio solvenda circa mysterium prædestinationis, concedo. Sciscitanti enim cur unus salvetur, alter vero reprobetur, cito responderemus quia unus propriis viribus potens bonum facere, noluit, alter vero operatus est. Si prædestinatio foret post prævisa merita viribus gratiæ comparata, nego. Quare enim gratia per se efficax uni detur ad operandum bonum, alteri vero denegatur? O altitudo divitiarum! &c. Unum certum, & oblivioni nusquam tradendum est. Ubicumque Augustinus impugnat prædestinationem secundum præscientiam meritorum, agit contra Pelagianos & Semipelagianos, qui contendebant, primi quidem, charitatem & gloriam dari secundum præscientiam meritorum naturæ: secundi vero fidem & gratiam. Igitur Augustinus illam solummodo impugnat prædestinationem quæ est secundum merita naturæ, ad fidem, ad gratiam & gloriam. Unde in loco in objectione adducto probat gratui-

tatem

tatem gratiæ ex eo quod misereatur Deus cujus vult, ex eo quod homo qui currit & operatur bene, gloriari non debeat, quia inquit, *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*.

Ad exemplum Jacob & Esau dictum est supra, intelligi de majori gratia & dilectione pro Jacob, non de prædestinatione & reprobatione: porro Deum esse donorum suorum dominum nemo negabit. Quare autem magis dilexerit Jacob? Tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid habet potestatem figulus luti facere vas aliud in honorem, aliud in contumeliam, idest, minus dignum, & ad usus præcellentes non ordinatum? Cæterum bene notat atque observat D. Bonaventura in 1. dist. 41. q. 2. n. 15. quod huic detur gratia, illi non detur, non fore inscrutabile, si talis ponatur electio absoluta absque ullo respectu meritorum. Etvero cur unus non careat gratia efficaci ad salutem & salvetur, alter vero careat & reprobetur, ea erit in promptu ratio, quia unus ex puro Dei beneplacito prædestinatus est, & omnia habuit media quibus suam certam faceret electionem, alter vero sua culpa non habuit.

Instabis, adhuc Augustinus ibidem Enchir. c. 39. dicit quosdam liberari, quosdam vero non liberari, non propter merita aut demerita propria, sed propter misericordiam in aliis, propter peccatum originale in reliquis: ex quo motivum habet Deus relinquere quosdam ex justitia, quosdam vero assumere ex misericordia. Ergo statuit prædestinationem ante prævisa merita. Probatur hæc consequentia. " Sola, *inquit*, gratia redemp„ tos discernit a perditis, quos in unam „ perditionis concreverat massam ab ori„ gine ducta caussa communis..... Sic „ oportuisse liberari, ut ex pluribus non „ liberatis atque in damnatione justissima „ derelictis, ostenderetur quid meruisset „ universa conspersio, & quo etiam istos „ debitum Dei judicium duceret, nisi „ ejus indebita misericordia subveniret. „ Si prædestinationem teneret S. Præsul post prævisa merita, non ad massam perditionis recurreret, rationem redditurus cur alii deserantur, alii vero assumantur, sed responderet, illi deseruntur quorum Deus prævidit mala opera, isti vero assumuntur, quorum prævidit merita; verum non facit, immo Epist.105. sic concludit: *Ubi quia universa ista massa merito damnata est, contumeliam debitam reddit justitia, honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogativa*.

Respondeo distinguendo; Deus quosdam relinquit propter primum & generale damnationis motivum, concedo: propter illud solum motivum, nego. Similiter distinguo aliam partem; quosdam eligit ad gloriam misericorditer, ita ut misericordia sit primum & generale prædestinationis motivum, concedo, ita ut sit solum & ultimatum, nego. Semper Augustinus argumentatur contra Pelagianos, qui nullum agnoscebant peccatum originale, quique ita naturæ favebant, ut charitatem, filiationem Dei adoptivam & gloriam meritis naturæ debitam esse assererent: porro ex illis principiis concludebant prædestinationem ad gloriam esse post prævisa liberi arbitrii merita. Illos autem insectatur Augustinus, dicendo peccatum originale ab Adam regnare in hominibus, totam naturam esse corruptam, quod explicat vocabulo massæ perditionis, quo quidem quasi primus frequenter usus est. Dicit omnes homines per peccatum Adæ amisisse jus ad gloriam, & incurrisse supplicium, ex quo concludit omnes egere gratia Redemptoris, gratis quosdam eligi, omnes nos esse mortuos in Adam, Deum vero coronare opera sua, dum coronat opera nostra, quippe quæ sine gratia nulla habeant merita. Igitur Augustinus negat solummodo prædestinationem post prævisa merita naturæ, minime vero post prævisa merita per gratiam. Motivum quidem primarium prædestinationis est misericordia, non solum quia Deus est suorum donorum Dominus & nihil creaturæ debet, verum etiam quia propter peccatum originale homines sunt filii iræ. Proximum vero seu particulare est meritum bonorum operum quæ in charitate vi gratiæ fiunt. Sic motivum generale reprobationis & primarium est peccatum originale, proximum vero & immediatum, peccatum propriæ voluntatis.

Quod autem hæc solutio sit secundum mentem Augustini, ex ipsis textibus allatis patet. Loquitur enim ibi de necessitate gratiæ & exaltatione misericordiæ Redemptoris, qua specialiter indigemus pro-

propter Adæ peccatum. Unde dicit: " Sola gratia redemptos discernit, " siquidem non discernit propriæ voluntatis meritum, ut contendebant Pelagiani; & Epist. 105. " Quia universa ista massa " merito damnata est, contumeliam de- " bitam reddit justitia, honorem donat " indebitum gratia, non meriti præro- " gativa. " Indebitum propter peccatum originale, quod negabant; non meriti naturæ prærogativa quam insulse & insipienter prædicabant; hinc Pelagianos urget Augustinus l. de corr. & g. c. 7. num. 12. demonstrando illos, qui credunt Evangelio & perseverant, non discerni ab infidelibus per propria merita, sed per gratiam quæ misericorditer datur, & sic loquitur: " qui Evangelium " non audierunt, & qui eo audito in " melius commutati perseverantiam non " acceperunt,.. non sunt ab illa conf- " persione discreti, quam constat esse " damnatam, euntibus omnibus ex uno " in condemnationem. Discernuntur au- " tem non meritis suis, sed per gra- " tiam mediatoris, hoc est, in sangui- " ne secundi Adam justificati gratis. " Itaque cum audimus, quis enim te dis- " cernit? quid autem habes quod non " accepisti? si autem & accepisti, quid " gloriaris, quasi non acceperis? ab il- " la perditionis massa, quæ facta est per " primum Adam, debemus intelligere " neminem posse discerni, nisi qui hoc " donum habet, quisquis habet quod gra- " tia Salvatoris accepit. " Ecce quomodo Augustinus ad necessitatem gratiæ perpetuo attendit, immo ejus est scopus principalis & quasi unicus illam probare contra Pelagianos negantes.

Instabis: ibidem S. Doctor manifeste probat prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita, & hac utitur tanquam medio ad probandam gratiæ gratuitatem & necessitatem, quæ quidem erant præcipuum controversiæ caput inter D. Augustinum & Pelagianos. Igitur datur ex Augustino prædestinatio ante prævisa merita. Probatur antecedens. Augustinus dicit Deum omnia operari in electis ut perseverent, eos corrigere quando exorbitant, ut correpti emendentur & salventur, eo quod electi sint secundum propositum & non secundum eorum merita; eis vero qui persevera-turi non sunt, non sic succurrere, quia non sunt vocati secundum propositum. Et ideo, inquit, *multi vocati*, *pauci vero electi*: " Hæc enim omnia, *inquit*, operatur in eis, ut in finem usque perseverent. " Et si quando exorbitent, cor- " repti emendentur, qui vasa misericor- " diæ operatus est eos, qui & elegit " eos in Filio suo ante constitutionem " mundi. " Et infra. " Qui vero per- " severaturi non sunt, ut sic a fide " christiana, & conversatione lapsuri " sunt, ut tales eos vitæ hujus finis " inveniat, proculdubio nec illo tempore, " quo bene, pieque vivunt, in isto " numero computandi sunt. Non enim " sunt a massa illa perditionis præscien- " tia Dei, & prædestinatione discreti; & " ideo non secundum propositum vocati; " ac per hoc nec electi: sed in eis vo- " cati, de quibus dictum est: *Pauci vero* " *electi*. " Sed si prædestinatio foret post prævisa merita, æqualiter omnibus succurreret Deus, ut perseverarent; succurreret ut videret quomodo proprium meritum discerneret alios ab aliis; forent discreti non prædestinatione secundum propositum, sed secundum opera liberi arbitrii virtute gratiæ comparata: forent electi propter merita prævisa, non propter eligentis beneplacitum. Quæ quidem omnia videntur Augustino contraria, immo & Scripturæ dicenti Rom. 8. 28. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt Sancti*: Igitur Augustinus probat gratuitatem & necessitatem gratiæ per prædestinationem ante prævisa merita.

Respondeo negando antecedens; Augustinus enim loquitur solum de vocatione & electione ad fidem & gratiam, quæ quidem sunt quid pure gratuitum, utraque enim non debetur, nisi meritis Christi, unde dicit Aug. Deum nos elegisse ante mundi constitutionem in Filio. Ad probationem distinguo; Deus operatur in electis ut perseverent, quia sunt electi ad gratiam fidei & ad sanctitatem per merita Christi, concedo: quia sunt electi ante prævisa merita, subdistinguo: ante prævisa merita naturæ, concedo; ante merita gratiæ, nego: Aug. solum excludit merita naturæ prævisa; unde revincit Pelagium dicendo post Apostolum;

solum : *Quis te discernit? quid habes quod non accepisti?* Subjungit omne meritum esse a gratia & quasi ipsam gratiam, dicente Christo, Joan. 15. 5. *Sine me nihil potestis facere*.

Solutio est ipsius Augustini, qui ibidem post verba illa : *Elegit nos in Filio suo ante constitutionem mundi*, subdit, " per electionem gratiæ. " Si autem gratia, ,, jam non ex operibus. Alioquin gratia ,, jam non est gratia. Non enim sic sunt ,, vocati, ut non essent electi : propter ,, quod dictum est ; *multi sunt vocati*, ,, *pauci vero electi* : sed quoniam secun- ,, dum propositum vocati sunt, profecto ,, electi sunt per electionem, ut dictum ,, est, gratiæ, non præcedentium meri- ,, torum suorum, quia gratia est illis om- ,, ne meritum. ,, Igitur, ut patet, Augustinus loquitur solum de electione ad gratiam, quam contendit contra Pelagianos esse gratuitam : igitur excludit solum electionem gratiæ per præcedentia naturæ merita ; gratia enim, inquit, est electisomne meritum, idest, omne meritum est a gratia.

Instabis de novo, Augustinus dicit ex duobus piis alteri Deum donare perseverantiam, eo quod ille sit prædestinatus : alteri negare eo quod non sit secundum propositum prædestinatus. Igitur ex Augustino prædestinatio est ante prævisa merita & mere secundum propositum. Etvero si foret post prævisa merita, diceret Sanctus Præsul, ideo unum perseverare quia bene laborat & operatur, alterum vero non obtinere perseverantiæ donum, quia male vivit & opera ejus sunt mala. Probatur igitur antecedens in quo sita est difficultas. Augustinus l. de dono persev. c. 9. n. 12. quærit : " Ex duo- ,, bus autem piis cur huic donetur per- ,, severantia usque in finem, illi non do- ,, netur ? ,, Ait hoc ideo fieri, quia unus ,, erat ex prædestinatis, alius non erat. ,, Nam si fuissent ex nobis, inquit unus ,, prædestinatorum qui de pectore Domi- ,, ni biberat hoc secretum, mansissent ,, utique nobiscum.... Nonne postremo ,, utrique vocati fuerant, & vocantem ,, secuti ; utrique ex impiis justificati, ,, & per lavacrum regenerationis utrique ,, renovati ? ,, mox respondet ex persona Joannis : Vera sunt hæc : secun- ,, dum hæc omnia ex nobis erant. Ve- ,, rumtamen secundum aliam quandam ,, discretionem non erant ex nobis. Nam ,, si fuissent ex nobis, mansissent utique ,, nobiscum. ,, Cur autem non essent ex eis, scilicet ex discretis a massa perditionis, rationem affert, quia non erant prædestinati secundum propositum. " Quæ- ,, nam est tandem ista discretio ? Patent ,, libri Dei ; non avertamus aspectum. ,, Clamat Scriptura divina ; adhibeamus ,, auditum. Non erant ex eis, quia non ,, erant secundum propositum vocati : non ,, erant in Christo electi ante constitutio- ,, nem mundi : non erant in eo sortem ,, consecuti : non erant prædestinati se- ,, cundum propositum ejus qui universa ,, operatur. ,, Ibi Augustinus loquitur de prædestinatione ad gloriam, siquidem loquitur de perseverantia, sed dicit perseverantiam esse pure secundum propositum, igitur & prædestinationem ad gloriam.

Respondeo 1. argumentum nimis probare: sequeretur enim totum salutis negotium fore penes beneplacitum : Etvero, si verum est unum perseverare & manere eo quod sit de numero electorum, inutilia sunt merita, immo & bona opera, & tamen sunt necessaria absolute ad vitam æternam habendam, immo verum est dicere ideo unum pium perseverare, alterum vero non, quia unus bene vivit & legem adimplet, secus vero alter, quod quidem Scriptura innuit, dicendo 2. Tim. 2. 5. *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit*. Et iterum Joan. 15. 16. *Posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & ut fructus vester maneat*.

Respondeo 2. Dist. ideo quidam perseverant quia sunt prædestinati, & vocati secundum propositum tanquam propter primum motivum, concedo ; tanquam propter motivum adæquatum, nego. Voluntas enim divina connotat merita ; quia vero voluntas illa est primum movens, & applicans causam secundam ad bonum, merito prædestinatio & electio defenduntur secundum propositum : enimvero S. Aug. disputat contra Pelagianos qui volebant totum salutis negotium esse a natura : contra Semipelagianos qui admittebant quidem gratiam, sed indifferentem & per vires naturæ determinabilem ad bonum : priores confutat S. Doctor negando prædestinationem esse secundum merita natu-

naturæ prævisa; alios vero, propugnando electionem esse a Deo secundum beneplacitum; esse a gratia scilicet præveniente, minime vero a natura de se eligente bonum. Ad Pelagianos revincendos utitur prædestinatione & electione gratuita ad gratiam, quam defendit, & constanter rejicit prædestinationem secundum prævisa naturæ merita: ad Semipelagianos debellandos utitur dono perseverantiæ; cum enim incipiat a prima gratia quæ est in nobis sine nobis, & terminetur per gratiam specialem, etiam per providentiam extraordinariam, quæ ita disponit causas, ut mors tempore ita congruo eveniat, ut ipsa jungatur cum charitate, ostendit prædestinationem adæquate sumptam esse ante prævisa merita, adeoque electionem esse secundum gratiam, non secundum naturam inchoantem & proprio conatu eligentem bonum.

Quod autem hæc sit mens Augustini, constat ex eo quod dicit l. de cor. & g. c. 7. n. 13. " Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod & procuratnr eis audiendum Evangelium; & cum audiunt, credunt; & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant "; quibus verbis S. Doctor prædicat discretionem a massa damnationis non per electionem ad gloriam, quod certe implicaret, siquidem homo prius debet esse discretus a damnatione per electionem ad gratiam, quam ordinatus ad gloriam; supposita vero gratia addit Aug. secundum fidem, charitate scilicet & dilectione formatam seu animatam, quæ quidem ita operatur ut justus in bonis perseveret operibus, & ad finem ultimum perveniat. Quid clarius efficaciusve dici potest pro prædestinatione ex prævisis meritis decreta atque statuta?

Persistes: idem l. de dono perſev. c. 9. n. 2. ait: " Ex duobus parvulis originali peccato obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur . . . inscrutabilia sunt judicia Dei. " Sed isto exemplo astruit Augustinus prædestinationem ante prævisa merita; alias si foret ex prævisione meritorum, frustra & incassum prorsus recurreret S. Doctor ad inscrutabilia Dei judicia. Etvero cur unus esset prædestinatus, alter non, cito adesset in promptu responsio ista, ista nimirum quia unus multa bona fuisset operatus ad finem usque, alter vero aut pauca admodum, aut nulla. Ergo, &c.

Respondeo distinguendo minorem, utitur S. Augustinus hoc exemplo ut probet prædestinationem ad gratiam esse prorsus & ex omni parte gratuitam, concedo: & loquitur de prædestinatione ad gloriam, nego. Revera quidem, caput controversiæ erat tantummodo de gratuitate gratiæ, quam quidem totis viribus ita impugnabant Pelagiani, ut etiam in parvulis cum baptismo vita functis, merita prævisa, ex suppositione diuturnioris ætatis, tanquam causam gloriæ illis & non aliis datæ, motivam laudarent. Hoc ipsum patet non ex uno, sed ex multiplici Augustini loco; namque caput octavum Perseverantiæ incipit referendo Pelagii objectionem. " Sed cur, *inquit*, gratia Dei non secundum merita hominum datur? Respondeo, quoniam Deus misericors est. Cur ergo, *inquit*, non omnibus? Et hic respondeo, quoniam Deus judex est, ac per hoc & gratis ab eo datur gratia. Postea vero proponit S. Doctor in capite nono difficultatem parvulorum, quorum unus quidem baptizatur antequam migret e vita, alter vero absque baptismi lavacro, dolentibus parentibus, moritur, & hoc sane ad inscrutabilia Dei judicia jure merito refert; quod quidem permittit Deus vel ad punienda in filiis parentum peccata, vel etiam ne ordo pervertatur providentiæ, quæ quidem statuit cuncta suis ferri ponderibus, & mala quandoque ad pulchritudinem universi evenire permittit; unde irridet Augustinus Pelagium dum diversam puerorum sortem ad diversa eaque fictitia refert merita. Sic loquitur ibidem n. 22. " An eo redituri sumus ut adhuc disputemus, quanta absurditate dicatur, judicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præscivit eos Deus perpetraturos fuisse, si viverent. " Aliam dicit ex sententia Pelagii subsequi absurditatem, nimirum, quod nec damnarentur Tyrii & Sidonii, quandoquidem Deus præsciebat eos credituros si signa Christi vidissent. " Nec damnaretur, *inquit*, Tyrus & Sidon, quamvis remissius quam illæ civitates, in

quibus

„ quibus non credentibus a Domino Chri-
„ sto mirabilia signa sunt facta : quoniam
„ si apud illas facta essent, in cilicio &
„ cinere pœnitentiam egissent. „

S. Doctor jamjam suam circa istud momentum manifestaverat mentem. Namque l. de præd. SS. c. 14. n. 29. clare exponit difficultatem parvulorum, & ex eo quod unus baptizetur, alter vero non, duo potissimum concludit, videlicet gratiam esse gratuitam, eamque neque ex meritis naturæ, neque etiam ex meritis fictitie futuris usquam concedi. Sic enim loquitur de Pelagianis : " Falluntur ut
„ veniant contra Dei manifestissimam
„ gratiam : quæ maxime apparet in par-
„ vulis ; quorum cum alii baptizati,
„ alii non baptizati vitæ hujus terminum
„ sumunt, satis indicant misericordiam
„ & judicium ; misericordiam quidem
„ gratuitam, judicium debitum : si enim
„ judicarentur homines pro meritis suæ
„ vitæ, quæ non habuerunt morte præ-
„ venti, si habituri essent, si viverent,
„ nihil prodesset ei qui raptus est ne
„ malitia mutaret intellectum ejus ; ni-
„ hil prodesset eis qui lapsi moriuntur,
„ si ante morerentur, quod nullus dice-
„ re Christianus audebit. Quocirca non
„ debent fratres nostri qui nobiscum pro
„ catholica fide perniciem Pelagiani er-
„ roris impugnant, huic Pelagianæ in
„ tantum favere opinioni, qua opinantur
„ gratiam Dei secundum merita nostra
„ dari. „ Igitur manifestum est B. Augustinum movere quæstionem & loqui tantummodo de prædestinatione ad gratiam, quam quidem esse mere gratuitam & ante prævisa merita, iterum atque iterum fatemur & credimus.

Adhuc instabis. Epist. 105. sic loquitur : " Non meriti prærogativa, non
„ fati necessitate, non temeritate fortu-
„ næ, sed altitudine divitiarum sapien-
„ tiæ & scientiæ Dei, quam non ape-
„ rit, sed clausam miratur Apostolus
„ clamans : *O altitudo divitiarum!* & pau-
„ cis interjectis eo prosequitur tenore di-
„ cens : quod neminem Deus liberet ni-
„ si gratuita misericordia, & neminem
„ damnet, nisi æquissima veritate. Cur
„ autem illum potius, quam illum libe-
„ ret, aut non liberet, scrutetur, qui
„ potest, judicium ejus tam magnum &
„ profundum, verumtamen caveat præ-
„ cipitium. „ Ibi Augustinus omnem excludit prædestinationis causam ex parte creaturæ, nec aliud ejus quam in misericordia quærit motivum ; ad illud solum, inquit, attendit Apostolus qui mysterium demirans, exclamat : *O altitudo divitiarum!* sed si non excluderet merita etiam virtute & efficacia gratiæ parta, ad solam profecto non recurreret misericordiam, nequidem omnia ad profundum Dei referret judicium. Igitur dicendum est Augustinum prædestinationem ante prævisa merita & mere gratuitam aperte, immo & ex professo defendere.

Respondeo distinguendo ; Augustinus recurrit ad solam misericordiam, & quia agit de discretione a massa perditionis per gratiam quæ est pure gratuita, & quia etiam Sanctorum merita in radice & in prima causa sunt dona Dei, fundantur enim in prima gratia quæ est in nobis sine nobis, concedo. Recurrit ad solam misericordiam excludendo merita, subdistinguo ; excludendo merita a natura promanantia, concedo. Merita gratiæ, nego. Præ oculis semper habendum est Sanctum Augustinum tractando de gratia pugnare modo contra Pelagianos qui illam prorsus explodebant ; modo contra Semipelagianos qui merita naturæ laudabant. Igitur semper loquitur de electione ad gratiam, de discretione a massa perditionis a peccato originali prodeunte per gratiam, unde jure merito exaltat in his momentis misericordiam, quandoquidem probat gratiam indebitam & pure gratuitam : jure merito recurrit ad profundam Dei abyssum, ut satisfaciat sciscitanti : cur unus vocatus ad gratiam fidei illam recipiat, alter similiter vocatus, irrideat & longe faciat a se, juxta illud de Atheniensibus Paulum audientibus Christum prædicantem Act. 17. *Quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt : Audiemus te de hoc iterum.. quidam vero crediderunt : & Dionysius Areopagita & mulier nomine Damaris, & alii cum eis.* Ecce omnes pariter vocati, omnes audiunt Paulum, omnes habent gratiam sufficientem ; sed vide quam dispar cooperatio. Quidam prorsus projiciunt & bonum semen obnitentia aperta suffocant, & irrident. Quidam paululum emolliuntur, sed cupiditate victi, adhuc resistunt, reclamante tamen conscientia, *audiemus*

re de hoc iterum, inquiunt Paulo. Quidam vero gratiæ vocanti fideles obtemperant, nec ponunt obicem, hinc uberiori gratia donantur, unde & fructum dant in tempore visitationis, & a massa perditionis, fide operante per dilectionem secernuntur. *Quidam vero*, inquit S. Lucas, *crediderunt*.

Jam juvat totam hanc doctrinam prædestinationis post prævisa merita gratiæ, B. Augustini verbis claudere. Sic enim adhortatur nos ad gratiam Dei miserentis agnoscendam l. de dono perf. c. 8. " Non ,, itaque simus ingrati, quod secundum ,, placitum voluntatis suæ, in laudem ,, gloriæ gratiæ suæ tam multos liberat ,, misericors Deus de tam debita perdi- ,, tione, ut si inde neminem liberaret, ,, non esset injustus. Ex uno quippe om- ,, nes in damnationem non injustitia ju- ,, dicati sunt filii iræ, sed justitia. ,, Gratiam igitur agnoscamus quæ nos prævenit, & a massa damnationis secernit. Gratiam agnoscamus in meritis nostris, quia dat ut mereamur. Hinc Cœlestinus Papa in Epistola sua ad Episcopos Galliæ ait Deum coronare opera sua, dum coronat opera nostra. Gratiam agnoscamus in perseverantibus, illa quippe est quæ figit immobiliter in bono. Gratiam denique agnoscamus & misericordiam in Sanctis & glorificatis, quandoquidem teste Apostolo gratia ipsa est vita æterna, idest, principium & causa vitæ æternæ.

Tertio, *Fit satis objectionibus ex ratione prodeuntibus*.

Objicies 1. Deus in prædestinatione Sanctorum nequit aliud habere motivum præter suam bonitatem, scriptum est enim, quod omnia operatus sit propter seipsum; enimvero motivum debet esse ejusdem ordinis & excellentiæ cum Agente. Quis enim dicere audebit actionem Dei aliud habere objectum, aliumve finem quam ipsum Deum? hæc est enim inter Agens creatum & increatum discrepantia, quod actio primi potest terminari ad aliquid ipso agente inferius, immo, ad ens accidentale, quandoquidem creatura non est ens necessarium: actio vero secundi Agentis est ipse Deus. Unde non aliud pro motivo quam Deum habere potest: atqui si prædestinatio Sanctorum foret & statueretur post prævisa merita, Deus haberet pro motivo suæ actionis homines ad gloriam prædestinantis, aliquid seipso inferius, nempe creaturæ merita. Et probatur: moveretur a meritis ad illos potius prædestinandos quam istos: ad prædestinandos scilicet eos qui adimplent præcepta, minime vero prævaricatores. Igitur haberet pro motivo suæ actionis aliquid creatum, scilicet merita justorum.

Respondeo distinguendo; Deus in prædestinatione Sanctorum nequit habere aliud motivum ultimatum & finalem quam seipsum & suam bonitatem, concedo; intermedium, subdistinguo; quam suam bonitatem in creaturis relucentem, concedo: quam suam bonitatem secundum se & ad intra consideratam, nego. Deus quidem habet gloriam suam pro fine, immo & pro motivo generali suæ actionis: sed datur secundum nostrum concipiendi modum finis intermedius, seu motivum proximum actionis Dei agentis ad extra; & est ipsius Dei bonitas in justorum meritis egregie relucens; immo in eis affulgent & gratia, & misericordia, & justitia: gratia quidem, quatenus ipsa est totius meriti principium: misericordia, in quantum gratia gratis datur, & conceditur: justitia denique, suppositis enim & gratia & Dei de remuneranda actione hominis justi pacto, opus creatum sufficientem habet cum præmio proportionem, adeoque vita æterna ex justitia tribuitur. In hoc sane Deus habet ad extra gloriam magnam, quæ quidem ab Ambrosio definitur, clara Dei cum laude notitia: Etvero, omnia ejus attributa tum in prædestinatione tum in glorificatione Sanctorum mirum in modum collucere videntur, juxta illud Psal. 63. 8. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*. Cæterum actio Dei ad intra non habet alium terminum præter Deum ipsum, non alium quam essentiam, quam personas ineffabiles, quam mira attributa: actio vero ad extra transiens, habet quidem pro motivo generali gloriam Dei, pro speciali vero seu particulari, creaturam beatificandam & glorificandam. Igitur prædestinatio habet pro motivo bonitatem quidem divinam, sed quatenus hominis connotat merita, seu per merita

justi

justi ad extra sese diffundentem & ad Sanctorum gloriam se terminantem. Igitur absque læsione juris divini, prædestinatio datur post prævisa merita.

Instabis. Actio divina prædestinans secundum se spectata divinam habet pro motivo bonitatem: igitur & ut fertur ad extra. Probatur consequentia: primo, quia actus interior & exterior specificantur ab eodem objecto & motivo, siquidem exterior est interioris expressio. Secundo, alias sequeretur actum Dei prædestinantis specificari a meritis creaturæ, sed absurdum consequens, ergo & antecedens. Probatur minor. Specificatum dependet a specificativo; sed implicat actionem divinam dependere a creatura, scilicet a meritis. Igitur & implicat specificari a creatura quantumvis bona & sancta.

Respondeo distinguendo; actio Dei prædestinantis in abstracto spectata, divinam habet pro motivo bonitatem, concedo; in concreto sumpta, subdistinguo; habet bonitatem relativam & connotantem creaturas quibus vult se communicare, concedo; secus, nego. Actio prædestinans potest considerari in abstracto & in concreto: in abstracto quidem, quatenus est actio divina, sic ad solam bonitatem Dei terminatur & per eam movetur: in concreto vero quatenus agit ad extra; sic dicit bonitatem relativam variis modis in creaturis emicantem: bonitas isto modo spectata est motivum prædestinationis, quæ cum terminetur ad extra, ubique habet motivum ad extra, scilicet merita prævisa. Unde distinguo consequens; actio prædestinans ut terminatur ad extra, habet bonitatem relativam & in meritis refulgentem pro motivo, concedo. Bonitatem secundum se & in abstracto sumptam, nego. Etvero quare actio Dei dicitur prædestinans & a reprobante secernitur, nonne quia Deus habet in electorum meritis speciale dandi gloriam motivum, quod non habet in reprobis? Igitur merita prævisa sunt motivum electionis, quatenus prædestinatio terminatur ad objectum individuale, scilicet ad gloriam, Petri v. g. debet igitur & in ipso habere motivum individuale, quod certe non est aliud nisi bonitas divina connotans merita.

Ad primam probationem distinguo; actus prædestinationis ad extra spectatus specificatur a bonitate relativa quæ connotat merita, concedo; a bonitate interiori & in abstracto sumpta, nego. Actus prædestinans ex parte Dei & ad intra, habet quidem bonitatem divinam pro motivo, sed relativam: sed bonitatem quæ vult ad extra se diffundere: & sic actus exterior & interior prædestinationis respiciunt merita, idest, actus prædestinans ex parte Dei connotat merita, ex parte vero creaturæ dicit ipsa merita ut moventia Deum ad aliquem prædestinandum.

Ad secundam probationem, distinguo sequelam; actio prædestinans specificaretur a meritis quatenus referunt divinam bonitatem, concedo: a meritis secundum se sumptis, nego. Non est inconveniens actionem Dei virtualiter transeuntem specificari ab aliquo creato, propter duo. Primo, quia specificatur a creatura ut refert aliquam Dei perfectionem in ea relucentem, sic enim non est specificari a creatura, sed a summa bonitate prout ad extra diffunditur: secundo, quia tota dependentia se tenet ex parte creaturæ quæ accipit a bonitate quidquid est; unde sublimitas est solius Dei.

Rursus instabis. Amor Dei non supponit bonitatem in rebus, sed eam infundit, ut creaturas reddat congrua suæ amicitiæ objecta. Ergo prædestinatio est ante prævisa merita, nec aliud habet præter bonitatem divinam motivum, siquidem est actus summi erga hominem amoris, adeoque non supponit merita Deus prædestinans, nec operum bonitatem. Confirmatur: ipsa bona opera sunt effectus prædestinationis, enimvero prædestinatio definitur præparatio mediorum quibus certissime liberantur quicumque liberantur; unde igitur meritum? a gratia præparata prædestinato ut bona operetur, ut sic perseveret ac perveniat ad gloriam: porro nullus effectus præsupponitur causæ suæ: igitur nec merita prædestinationi: ergo prædestinatio est ante prævisa merita.

Respondeo distinguendo; amor Dei non supponit omnem bonitatem in rebus, concedo; aliquam, nego. Amor Dei infundit gratiam & ea nos reddit congrua suæ amicitiæ objecta; unde electio ad

gra-

gratiam est gratuita, quod innuit Apostolus Eph. 1. 4. dicens: *Elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus Sancti*: Sed supposita gratia præveniente, supposita & efficaci qua peccator pervenit ad justificationem, supposita denique gratia sanctificante qua homo Deo gratus fit, potest bona opera facere; Deus autem ea prævidet, & ab eisdem determinatur ad dandam gloriam, non quod sit aliqua indeterminatio in Deo, sed quia ab æterno cuncta præsciens, voluit dare gloriam hominibus propter merita.

Ad confirmationem distinguo; merita sunt effectus prædestinationis adæquate sumptæ, concedo; inadæquate spectatæ, subdistinguo; radicaliter, concedo; formaliter, nego. Prædestinatio adæquate sumpta dicit primam gratiam quæ est principium meriti, & sub isto respectu est causa meritorum; si vero inadæquate sumatur & pro ordinatione ad gloriam; merita sub isto respectu sunt causa prædestinationis motiva, quandoquidem movent Deum ad eligendum & ordinandum aliquem ad gloriam; quia tamen gratia est radix meriti, posset dici in isto sensu prædestinationem etiam inadæquate sumptam esse causam meritorum, sed non formaliter & proxime. Cæterum, non est inconveniens unum effectum prædestinationis esse causam alterius.

Solutio est D. Thomæ qui hic 1. p. q. 23. ar. 5. sic loquitur: " Dicendum est „ ergo, quod effectum prædestinationis con- „ siderare possumus dupliciter. Uno mo- „ do in particulari: & sic nihil probi- „ bet aliquem effectum prædestinationis „ esse causam & rationem alterius. Po- „ steriorem quidem prioris secundum ra- „ tionem causæ finalis: priorem vero „ posterioris secundum rationem causæ „ meritoriæ quæ reducitur ad dispositio- „ nem materiæ, sicut si dicamus quod „ Deus præordinavit se daturum alicui „ gloriam ex meritis; & quod præor- „ dinavit se daturum alicui gratiam, ut „ mereretur gloriam. „ Quibus verbis S. Doctor manifeste docet prædestinationem etiam intentivam inadæquate sumptam esse post prævisa merita, licet adæquate spectata non sit, unde post verba laudata subiungit: " Alio modo potest „ considerari prædestinationis effectus in „ communi. Et sic impossibile est, quod „ totus prædestinationis effectus in com- „ muni habeat aliquam causam ex parte „ nostra. „

Repones. Ibidem D. Thomas sic discurrit: " Fuerunt alii, qui dixerunt, „ quod merita sequentia prædestinationis „ effectum, sunt ratio prædestinationis: „ ut intelligatur quod ideo Deus det gra- „ tiam alicui, & præordinavit se ei da- „ turum, quia præscivit eum bene usu- „ rum gratia. Sicut si rex det alicui „ militi equum quem scit eo bene usu- „ rum. Sed isti videntur distinxisse inter „ id quod est ex gratia, & id quod est „ ex libero arbitrio: quasi non possit es- „ se idem ex utroque. Manifestum est „ autem, quod id quod est gratiæ, est „ prædestinationis effectus: & hoc non „ potest poni ut ratio prædestinationis, „ cum hoc sub prædestinatione conclu da- „ tur. „ Igitur ex D. Thoma prædestinatio etiam inadæquate sumpta non potest esse post prævisa merita, quandoquidem merita etiam ut virtute gratiæ producta, sunt effectus prædestinationis.

Respondeo distinguendo consequens; prædestinatio ex parte effectus non potest esse post prævisa merita separando id quod est ex gratia & libero arbitrio, concedo; utrumque sumendo, subdistinguo; in communi sumpta, concedo; in particulari spectata, nego. Solutio est ipsius D. Thomæ, qui negat prædestinationem esse post prævisa merita separando id quod est ex libero arbitrio, & id quod est a gratia; sequeretur enim liberum arbitrium secundum se & absque gratiæ auxilio influere in prædestinationem, quod est Pelagianum: igitur effectus prædestinationis spectari debet prout a gratia simul & a libero arbitrio procedit: hinc sequitur prædestinationem in communi & adæquate sumptam non esse ex prævisis meritis, siquidem incipit a prima gratia quæ est in nobis sine nobis: secus si in particulari & inadæquate sumatur. Unde sic concludit ibidem D. Thomas: " Dicendum est „ ergo, quod effectum prædestinationis „ considerare possumus dupliciter. Uno „ modo in particulari: & sic nihil pro- „ hibet aliquem effectum prædestinatio- „ nis esse causam & rationem alterius, „ &c. „

Persistes. Prius est finem intendere quam media, sed vita æterna est finis, media vero sunt & bona opera & merita ex gratia promanantia: igitur Deus vult gloriam Sanctorum ante prævisa merita. Confirmatur: bona opera sunt ipsius prædestinationis effectus: quinimmo ipsa sunt & prædestinata & dona Dei, ut passim docet B. Augustins. Igitur prædestinatio est ante prævisa merita.

Respondeo distinguendo; prius est agens velle finem in genere & secundum se voluntate antecedenti, concedo; in particulari & voluntate consequenti, nego. Deus, teste Apostolo, teste Augustino, Prospero, & D. Thoma vult & omnes salvos fieri, voluntate antecedenti, vult omnes vivere vita æterna ante prævisa merita nostra propter Christi passionem & satisfactionem, sed in particulari & voluntate consequenti, vult homines salvos fieri efficaciter per merita, vult eos solum vivere in æterna beatitudine qui bene operantur, prædestinatio autem a voluntate efficaci promanat, a voluntate quæ attendit ad omnia, a voluntate quæ prædestinando vult gloriam electis reduplicative ut coronam & præmium: igitur post prævisa merita, dicente Apostolo: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*. Et certe videtur hic esse genuinus tum Scripturæ, tum SS. Doctorum, etiam Augustini, etiam D. Thomæ sensus.

Respondeo 2. cuncta in confirmatione allata probare solummodo prædestinationem ad gratiam esse ante prævisa merita, quod ultro fatemur: Etvero unde sunt prædestinationis effectus, unde ipsa bona opera & prædestinata & dona Dei: nisi quia gratia a qua procedunt, est gratuita?

Respondeo 2. ad confirmationem distinguendo: bona opera sunt effectus prædestinationis adæquate sumptæ, sic enim spectata primam involvit gratiam, eamque gratuitam, a qua ut a primo totius meriti fonte fluunt bona opera, concedo; sunt effectus prædestinationis inadæquate sumptæ, nego. Sub isto respectu prædestinatio involvit nedum gloriam, sed & bona opera, unum autem prædestinationis medium, teste D. Thoma, potest esse causa alterius, sicut dispositio materiæ est causa formæ: igitur merita in hoc sensu sunt causæ gloriæ retribuendæ. Potest utique dici cum Lessio sess. 6. de præd. pag. 591. Prædestinationem active & ex parte Dei etiam inadæquate sumptam esse omnium causam meritorum, quatenus gratia a qua promanant merita est effectus amoris quo Deus suas prosequitur creaturas & dat omnibus posse salvari; quod autem inchoata illa bona Dei voluntas uberiores gratias multis deneget, & quæ dedit non sint de facto efficaces, multum illi displicet, & ideo sua culpa ab electione ad gloriam frustrantur.

Ad secundam instantiam, distinguo pariter: bona opera sunt prædestinata, idest, a Deo decreta, quia ab ipso ut a prima causa profluunt, concedo: sunt a libero arbitrio independentia, nego. Alias mere passive se haberet quod nemo catholicus concedere potest. Porro in eo solum sensu dicuntur ab Aug. prædestinata, quia sunt a Deo ut a causa, secus vero peccata quæ quidem propter hoc dicuntur præscita, nusquam vero prædestinata.

Ad tertiam instantiam similiter distinguo: bona opera sunt dona Dei in radice, videlicet in gratia a qua promanant, concedo; sunt dona Dei a libero arbitrio independentia, nego. Sicut igitur qui accepit quinque talenta & alia quinque lucratus est, super multa, teste Domino, constituitur, sic qui gratia adjuvante operatur bonum, utique & promeretur gloriam. Deus autem cujus providentia in sui dispositione non fallitur, hunc bonum gratiæ usum præsciens, fideles elegit ad vitam æternam capessendam.

Instabis de novo. Hoc posito, jam gratia non est per se efficax, sed consequens est contra Augustinum, Prosperum, D. Thomam, ergo, &c. Probatur antecedens: posita prædestinatione post prævisa merita, efficacia prædestinationis pendebit a libero arbitrio, quatenus merita sunt ab ipso. Ergo posita prædestinatione post prævisa merita, gratia non erit per se efficax.

Respondeo 1. Multos graves Theologos & quidem maxime orthodoxos tenere gratiam esse efficacem solum per consensum liberi arbitrii a gratia adjuti, immo & qui propugnant gratiam esse per

se

se efficacem, non excludunt liberi arbitrii cooperationem, sed totis viribus illam juxta mentem Concilii Tridentini defendunt: unde præcisis decretis præmoventibus, utraque opinio in idem videtur coincidere. Enimvero ponentes gratiam esse efficacem per se, admittunt liberi arbitrii cooperationem, ita ut actus bonus procedat a gratia & a libero arbitrio prius per gratiam moto, tanquam a causa adæquata: ex alia parte qui docent gratiam esse efficacem per liberi arbitrii consensum, volunt liberum arbitrium ab ipsa gratia adjuvari, & sic in utraque opinione salvatur dogma necessitatis gratiæ.

Respondeo 2. negando sequelam, manet enim semper gratiam ex se habere virtutem ad actum bonum, illamque a voluntate humana non mutuari, sed potius ipsam voluntatem a gratia adjuvari: ad probationem, distinguo antecedens; efficacia prædestinationis in communi pendebit a libero arbitrio, nego. In particulari, subdistinguo; pendebit ut a causa cooperante, concedo; ita ut gratia ab ipso habeat virtutem ad agendum, nego. Scriptum est enim, *præparatur voluntas a Domino*, per gratiam scilicet prævenientem, applicetur vero ad opus & adjuvetur per efficacem, juxta illud Jerem. 30. 21. *Applicabo eum & accedet ad me*.

Objicies 2. Prædestinatio est electio & amoris Dei specialis magnum argumentum; ita docent SS. Augustinus & Thomas, subscribunt & alii sancti Doctores. Sed in hypothesi quod sit post prævisa merita, jam non est gratia admodum specialis: & probatur: hoc semel supposito, justus per sua merita Deum ad illum pro gloria eligendum nedum movet, sed & compellit atque determinat: igitur si prædestinatio est post prævisa merita, non est amoris Dei prærogativa, quandoquidem in ista sententia secundum uniuscujusque merita illam fieri constat.

Respondeo negando minorem: ad probationem distinguo, quilibet posita prædestinatione post prævisa merita determinat electionem supposita prima gratia quæ est in nobis sine nobis, immo & supposita etiam providentia extraordinaria vitam feliciter terminante, concedo: his omnibus non præsuppositis, nego. Prædestinatio potest spectari dupliciter, primo quidem in communi, deinde vero in particulari. Spectata in communi & adæquate est gratia sane specialissima; quatenus scilicet incipit a prima gratia quæ est in nobis sine nobis, continuatur per gratiarum seriem uberrimam, & terminatur per perseverantiæ donum quod mortem cum charitate conjungit: spectata inadæquate etiam est gratia mirabilis, nimirum ut terminum salutis œconomiam claudentem importat: & quidem propter duo. Primo quidem quia ad hoc requiritur non una aut altera gratia, sed multitudo & abundantia auxiliorum, tum ad vincendas infinitas prope tentationes, maxime mortis quæ est omnium maxima, majorem enim charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, tum ad præcepta adimplenda usque ad vitæ finem. Secundo, quia est opus Providentiæ admodum specialis, quæ ita disponat causas secundas, ut adsit copia Confessoris pro conscientia purganda, ut mors adveniat tempore quo peccator dolet de offensis Deo illatis; quod quidem insinuat Concilium Tridentinum cum dicit perseverantiam esse donum Dei speciale, consequenter & prædestinationem quæ ab illa habet vitæ æternæ infallibilitatem. Hoc ipsum de perseverantia ante Tridentinum definierat Arausicanum secundum Can. 10. his verbis: *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare*. Igitur tametsi prædestinatio propugnetur post prævisa merita, manet semper eam esse gratiam specialem, immo specialissimam.

Quid plura? Dilectio specialis Dei erga electos in multis apparet: primo quidem in Beatissima Virgine, in Beato Joanne Baptista, in Apostolis & similibus qui ad magnam gloriam ante prævisa merita electi sunt. Hinc & prædestinati per excellentiam dicuntur: deinde in cæteris electis qui quamvis post prævisa merita in gloriam ordinati, gratias tamen præ cæteris tum intrinsecas, tum extrinsecas recipiunt uberiores. Intrinsecas quidem, puta gratias prævenientes majores, extrinsecas vero, alii enim præmatura mor-

te, alii vocatione ad religionem & consiliorum professione subtrahuntur a perversitate sæculi & damnatione, his omnibus sic concinnatis, prædestinationem post prævisa merita defendere sicut suave sic æquum & conveniens est, dicente D. Thoma hic 1. p. q. 23. ar. 5. " Nihil „ prohibet aliquem effectum prædestina- „ tionis, esse causam & rationem alte- „ rius. Posteriorem quidem prioris se- „ cundum rationem causæ finalis: prio- „ rem vero posterioris secundum ratio- „ nem causæ meritoriæ. „

Instabis: Prædestinatio est præparatio mediorum, & quidem infallibilium, est enim præparatio mediorum quibus certissime liberantur, quicumque liberantur: sed Deus dat electis media illa infallibilia, gratias scilicet efficaces, quia electi sunt vi prædestinationis, alias prædestinatio non esset præparatio mediorum infallibilium; eadem vero negat reprobis, quia non sunt electi; igitur prædestinatio est ante prævisa merita, quandoquidem ista mediorum præparatio cuncta antecedit merita, immo est meritorum causa, ut jam dictum est.

Respondeo distinguendo minorem: Deus dat media electis efficacia quæ denegat reprobis, eo quod isti ponant obicem, concedo; secus, nego. Deus vult omnibus vitam æternam quatenus vult omnes salvos fieri, & ideo dat omnibus media ad hunc finem conducentia: uberiora quidem aliquibus, sed nihil ad negotium prædestinationis, manet enim semper esse post prævisa merita; prima ratio ea est, quia si carent mediis efficacibus ad salutem consequendam, sua carent culpa, eo quod ponant obicem, Secunda, idem dicimus de his qui frustrantur gratiis sufficientibus uberioribus. Facienti enim quod in se est viribus gratiæ Deus non denegat uberiorem & conversionis effectricem. Ita D. Thomas 1. 2, q. 107, unde q. 14. de verit. a. 11. ad 1. sic loquitur; " Dicendum quod non sequitur „ inconveniens, posito quod quilibet te- „ neatur aliquid explicite credere, si in „ sylvis, vel inter bruta animalia nutria- „ tur. Hoc enim ad divinam Providen- „ tiam pertinet, ut cuilibet provideat „ de necessariis ad salutem, dummodo „ ex parte ejus non impediatur. Si quis „ in sylvis vel inter bruta animalia enu- „ tritus, ductum rationis sequeretur in „ appetitu boni & fuga mali, certissime „ tenendum est quod Deus, vel per in- „ ternam inspirationem revelaret ea quæ „ sunt ad credendum necessaria, vel ad „ eum fidei prædicatorem aliquem diri- „ geret. „ Igitur quidam majores præ cæteris gratias habent, & hoc ex prævisione majoris laboris atque fidelitatis. Deus igitur præscit quod majora quidam habituri sint merita præ cæteris, & ideo ad majorem prædestinat gloriam. Quid clarius? quid justius & magis consentaneum?

Insistes. Discretio electorum incipit a prima gratia, sed illa est ante prævisa merita. Igitur & prædestinatio, quæ est discretio electorum a reprobis.

Respondeo distinguendo; discretio electorum incipit a prima gratia connotante merita quorum est principium, concedo; non connotante, nego. Prima gratia datur ad liberum arbitrium adjuvandum ut cooperetur, per cooperationem vero producitur meritum. Quod autem prima gratia connotet & cooperationem & meritum, & justificationem & gratiam etiam sanctificantem, quod discretio electorum incipiat a prima gratia non secundum se sumpta, sed ut illa omnia connotat, patet, ex eo quod prima gratia detur etiam reprobis, immo, Judas maximam habuit, & tamen ita reprobus fuit, ut melius fuisset, si natus non fuisset homo ille. Igitur prædestinatio seu discretio a prima quidem gratia incipit, non quacumque, verum ab ea quæ connotat & cooperationem & merita.

Adhuc instabis. Prædestinatio finalem importat perseverantiam, definitur enim ab Augustino (præparatio mediorum quibus certissime liberantur quicumque liberantur) sed perseverantia non cadit sub meritum: igitur nec prædestinatio.

Respondeo primo, Perseverantiam virtutem qua quis in bono perseverat, cadere sub meritum: Et vero qui bonnm operatur opus, novam promeretur gratiam qua aliud rursus operetur, & per istud iterum atque iterum novam qua declinet magis ac magis atque semper a malo & faciat bonum: nec desunt qui asse-

afferant perseverantiam etiam finalem posse cadere sub meritum etiam de condigno, si pro gratiis tantum interioribus ad eam conducentibus sumatur: nostri vero Thomistæ cum D. Th. propugnant cadere sub meritum duntaxat de congruo & quidem quoad gratias interiores, & etiam exteriores illam producentes, quatenus æquum est, inquiunt, ut Deus alias ex se bonus & optimus in hoc adimpleat desiderium justorum qui ejus in exequendis mandatis tenuerunt voluntatem.

Respondeo 2. distinguendo: prædestinatio adæquate sumpta importat perseverantiam finalem, concedo; inadæquate sumpta, nego. Sic enim solum dicit electionem ad gloriam, quæ quidem cadere sub meritum & Scripturæ sacræ & Patres, maxime Græci certatim prædicant. Porro quæstio præsens tantummodo de decreto ad gloriam movetur.

Insurges de novo: eodem prope modo ratiocinandum est de prædestinatione adultorum ac de prædestinatione puerorum post baptismа e vita migrantium; sed pueri isti prædestinantur ante prævisa merita, ergo & adulti.

Respondeo negando paritatem. Pueri enim immediate post baptismum morientes habent regnum cœlorum jure hæreditatis: adulti vero jure hæreditatis & acquisitionis, unde non implicat istos illam post prævisa merita habere.

Cæterum omnes Theologi orthodoxi conveniunt in eo quod prædestinatio dependeat in executione a meritis, juxta illud Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, &c.* Quibus verbis regnum Cœlorum promittitur virtutum operibus. Conveniunt etiam in isto secundo puncto, quod prædestinatio ad gratiam sit pure gratuita, siquidem est de fide primam gratiam esse in nobis sine nobis, quinimmo, etiam conveniunt perseverantiam esse gratiam specialem, juxta Tridentini Concilii effatum, per hanc siquidem homo figitur immobiliter in bono; denique nullus dicet, gratiam perseverantiæ ut importat providentiam exteriorem disponentem causas ut afferant mortem tempore quo peccator conteritur, cadere sub meritum de condigno: hinc sequitur prædestinationem inadæquate sumptam, salvo omni jure, rationabiliter simul & suaviter defendi posse post prævisa merita.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Prædestinatio recte defenditur a multis post prævisa merita.

Primo. Utrumque Testamentum huic astipulatur opinioni, quandoquidem & Deus per Prophetas, & Christus Dominus in Evangelio vitam promittunt æternam bona facientibus, quod quidem momentum sane paucis sed efficacissimis verbis concludit B. Petrus dicens: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis*.

Secundo. Concinunt Patres tum Græci, tum Latini. Origenes hom. 14. in Num. Basilius hom. in Psal. 29. ipse Aug. l. 1. ad Simpli. quinimmo & D. Thomas 1. p. q. 23. articulo quinto ubi dicit, unum effectum prædestinationis posse esse alterius effectus causam, merita causam gloriæ seu vitæ æternæ.

Tertio. Ratio a priori & ne dicam demonstrativa ea est. Prædestinatio a voluntate Dei consequente promanat quæ ad singulas attendit circumstantias. Igitur respicit ad bona opera: alias si foret ante prævisa, non consequens, sed voluntas antecedens omnia operaretur.

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD OBJECTIONES.

Primo. Multa ex Scripturis eruuntur argumenta, quibus probatur & declaratur Deum secundum misericordiam suam salvos nos facere; sed quis non intelligat, ejusmodi auctoritates spectare Dominicam incarnationem qua Christus gratis nos redemit: at supposita gratia meritorum Christi comparata justus potest multa operari bona opera, quorum intuitu Deus illum ad gloriam prædestinet æternam.

Secundo. Patres & sancti Doctores propugnant, sed potissimum Sanctus Augustinus, electionem esse secundum propositum. Respondemus S. Doctorem loqui de electione & prædestinatione ad gratiam

tiam, quam quidem esse ante prævisa merita nemo Catholicus diffitebitur.

Tertio. Non negamus summum & mirabilem rerum opificem, prius attendere ad finem quam ad media, idest, primario quidem respicere finem, videlicet semetipsum: sed simul & secundario decretum prædestinationis connotat opera bona, quibus Deus movetur, ut gloriam decernat pro aliquo.

SECTIO TERTIA.

Utrum S. Augustinus in libro de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono Perseverantiæ agat de prædestinatione ad gratiam vel ad gloriam.

QUONIAM disceptatur in scholis de prædestinatione Sanctorum ad gloriam, quam quidem alii ante prævisa merita, alii vero post prævisa merita fieri contendunt: Et omnes S. Augustinum ut Doctorem gratiæ eximium audire, immo & in suas trahere partes gloriantur, operæpretium est tanti Doctoris mentem aperire. Quia vero ejus auctoritas maxime ex libris de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono perseverantiæ deducitur, breviter & compendiose quodlibet caput fideli calamo explanare juvat, ne locus avulsus, ut sæpe fit, detorqueatur in sensum ab auctore prorsus alienum. Quo quidem facto, relinquimus & pietati & fidelitati benevoli Lectoris judicare de genuino atque germano sensu D. Augustini, ut pace inter Theologos composita, omnes pro sola fidei defensione contra hæreticos decertent, vincant, atque triumphent. Sed ut lux B. Augustini crescat ad perfectam usque diem, & Lucifer qui nescit occasum, oriatur in cordibus nostris, ex lectione librorum in quibus S. Doctor cuncta quæ spectant gratiam Christi aut discutit, aut saltem magna ex parte delineat; observationes tum circa gratiæ efficaciam, tum circa ejusdem cum libertate concordiam ac suavitatem faciemus, ut qui voluerit esse dignus & verus Augustini discipulus, perfectus utique fit homo Dei, fidelissimus & obsequentissimus Ecclesiæ filius, atque subditus. Cæterum non est animus sententiam de prædestinatione ante prævisa merita a nobis supra expositam proscribere, sed solum ostendere ex libris D. Aug. de præd. SS. & de dono persev. non satis probari. Observandum est prædestinationem sumi posse dupliciter, scilicet adæquate & inadæquate. Primo modo dicit præparationem omnium mediorum; & sic considerata involvit fidem, & perseverantiam finalem, quæ quidem dona sunt pure gratuita. Secundo modo spectata dicit ordinem ad gloriam per bona opera comparandam. Et de prædestinatione sic currit difficultas, pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO PRIMA.

Sanctus Augustinus in libro de Prædestinatione Sanctorum tractat ex professo de prædestinatione ad gratiam adversus Semipelagianos, ut eis probet gratiam primam & fidei esse mere gratuitam.

Hoc momentum probatur discurrendo per cuncta libri de Prædestinatione Sanctorum capita.

CAPUT PRIMUM.

Sic igitur Augustinus incipit numero primo. " Ego autem quamvis me moleste ferre confitear, quod divinis eloquiis quibus Dei gratia prædicatur, quæ omnino nulla est, si secundum merita nostra datur, tam multis manifestissque non creditur: vestrum tamen studium fraternamque dilectionem, filii carissimi Prosper & Hilari, qua eos qui tales sunt, ita non vultis errare, ut post tot libros de hac re vel Epistolas meas, adhuc me desideretis hinc scribere, tantum amo, quantum non possum dicere; & tantum me amare, quantum debeo, non audeo dicere. Quapropter ecce rescribo vobis, &c."

Pergit n. 2. & exponit quorumdam Massiliensium dispositionem, qui propius ad saniorem doctrinam accedere videbantur. " Pervenerunt autem isti fratres nostri, pro quibus sollicita est pia charitas vestra, ut credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum,

" num, nec ab isto malo nisi per justitiam secundi hominis aliquem liberari. Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. Retenta ergo ista in quæ pervenerunt, plurimum eos a Pelagianorum errore discernunt. Proinde si in eis ambulent, & orent eum qui dat intellectum, si quid de prædestinatione aliter sapiunt; ipse illis hoc quoque revelabit. "

OBSERVATIONES.

In isto capite tria notanda sunt. Primo quidem gratiam non dari meritis naturæ, ut habetur numero 1. Secundo, Massilienses deflexisse a Pelagianorum errore, agnoscendo peccatum originale, & quasi convictos apparere de necessitate gratiæ prævenientis ad bona opera. Tertio, S. Augustinum manere pendulum circa Massiliensium doctrinam de prædestinatione. Prædestinationis quæstionem sane non movet de prædestinatione ad gloriam, sed ad gratiam quam meritis naturæ non dari propugnat; etsi forte loquatur de prædestinatione ad gloriam, est per ordinem ad fidem a qua sumit exordium, quam quidem fidem a natura ortum ducere contendebant Semipelagiani, ut clarius patebit ex dicendis. Ista tria momenta pertractat S. Aug. n. 2. ut patet ex textu.

CAPUT II.

Prosequitur Aug. n. 3. " Prius itaque fidem qua Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere . . . sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo: Et n. 4. Sed contra cur non potius audimus, *Quis prior dedit ei, & retribuetur illi?* Rom. 11. 15. Et n. 5. " Et ideo commendamus istam gratiam, quæ non datur secundum aliqua merita, sed efficit omnia bona merita. Non quia idonei sumus, *inquit*, cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est . . . unde in omni opere bono & incipiendo, & perficiendo sufficientia nostra ex Deo est. " 2. *Cor.* 3. 5.

OBSERVATIONES.

Ex dictis D. August. n. 3. patet Massilienses quorum laudat bonas ad fidem dispositiones, nondum tamen eo pervenisse, ut crederent initium fidei esse independens a naturæ meritis, unde totis viribus probat & testimoniis Scripturæ, & rationibus ex eis deductis, fidem ita esse Dei donum, ut nequidem cogitatio in credendo possit esse a nobis, quia inquit ex Apostolo, *sufficientia nostra ex Deo est*, ita habetur n. 4. quibus claret Massilienses nondum ad fidei scopum pervenisse: altum est in hoc capite de prædestinatione ad gloriam silentium.

CAPUT III.

Primo. Enarrat S. Augustinus errore Semipelagianorum se quondam detentum fuisse; postea refert quæ scripserat l. 1. retrac. c. 23. n. 3. hic n. 7. ait. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Malac. 1. 2. " Ad hoc perduxi ratiocinationem ut dicerem, non ergo elegit Deus opera cujusquam in præscientia, quæ ipse daturus est, sed fidem elegit in præscientia, ut quem sibi crediturum esse præscivit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur. Nondum diligentius quæsiveram, nec adhuc inveneram, qualis sit electio gratiæ: de qua idem dicit Apostolus *Rom.* 11. 5. reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt, quæ utique non est gratia, si eam merita ulla præcedant: ne jam quod datur, non secundum gratiam, sed secundum debitum, reddatur potius meritis, quam donetur . . . Nostrum est enim credere & velle, illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum sanctum per quem charitas diffunditur in cordibus nostris: verum est quidem, sed eadem regula, & utrumque ipsius est, quia ipse præpa-

„ rat voluntatem, & utrumque nostrum, „ quia non fit nisi volentibus nobis. „

OBSERVATIONES.

S. Augustinus declarat in isto textu ex l. 1. retr. c. 23. desumpto, se loqui de electione ad gratiam quam crediderat dari ex præscientia & prævisione meritorum naturæ; quæ quidem omnia explodit, eo quod gratia non foret gratia, sed quid debitum. Ibi etiam aperto calamo defendit liberum arbitrium, dicendo credere & velle, esse a nobis volentibus & cooperantibus. Ibi quoque indigitat gratiam sufficientem, cum dicit voluntatem præparari a Domino.

CAPUT IV.

Perseverat S. Augustinus & novas adducit in hoc capite probationes tum ex S. Cypriano, tum ex Scriptura sacra desumptas, ut ostendat nequidem initium fidei esse a nobis, quia de nihilo potest gloriari homo, & sic concludit caput n. 8. " Non finit quemquam fidelium dicere, habeo fidem quam non accepi. „ Reprimitur omnino his Apostolicis „ verbis tota hujus responsionis elatio. „ Sed ne hoc quidem potest dici: quamvis non habeam perfectam fidem, habeo tamen ejus initium, quo in Christum primitus credidi. Quia & hic „ respondetur: quid autem habes quod „ non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? „

OBSERVATIONES.

S. Augustinus nullam in hoc capite facit de prædestinatione mentionem, sed semper ad scopum pergit, nimirum probat fidem ita esse Dei donum, ut nequidem initinm aut naturæ viribus, aut ejusdem meritis tribui possit. Et hoc aperte concludit.

CAPUT V.

Eandem prosequitur in hoc capite materiam. Sic loquitur n. 10. " Posset quippe dicere homo inflatus, discernit me „ fides mea, justitia mea ... nihil autem huic sensui tam contrarium est, „ quam de suis meritis sic quemquam „ gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, „ non gratia Dei: sed gratia quæ bonos „ discernit a malis, non quæ communis „ est bonis & malis ... posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, „ naturæ est hominum: habere autem fidem quemadmodum habere charitatem, „ gratiæ est fidelium ... quisquis audet „ dicere habeo ex me ipso fidem, non „ ergo accepi: profecto contradicit apertissimæ veritati ... quis enim te discernit? quid autem habes quod non „ accepisti? „

OBSERVATIONES.

Ostendit S. Augustinus in hoc capite variis Scripturæ locis fidem esse donum Dei, quatenus nihil habemus nisi quod accepimus, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: quia qui gloriatur, in Domino tantum gloriari debet; quia denique nullus seipsum discernit, sed a gratia discernitur, non ea quidem quæ communis est bonis & malis, qualis est sufficiens & excitans seu præveniens; sed gratia operis quæ efficaciter infert effectum, & quam vocat gratiam fidelium, idest, eorum qui non ponentes gratiæ obicem, bonis & sanctis abundant operibus.

CAPUT VI.

S. Augustinus sic incipit caput sextum n. 11. " Multi audiunt verbum veritatis: sed alii credunt, alii contradicunt. „ Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc „ neget? sed cum aliis præparetur, aliis „ non præparetur voluntas a Domino; „ discernendum utique quid veniat de „ misericordia ejus, quid de judicio ... „ quod quærebat Israel, ait Apostolus, „ hoc non est consecutus: *Rom.* 11. 7. „ *Isa.* 6. 9. electio autem consecuta est: „ cæteri vero excæcati sunt, sicut scriptum est: *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, &c.* Ecce „ misericordia & judicium. Misericordia in electionem quæ consecuta est „ justitiam Dei; judicium vero in cæteros

„ ros qui excæcati sunt, & tamen illi „ quia voluerunt, crediderunt; illi quia „ noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur, & judicium in ipsis facta sunt. Electio quippe gratiæ est, „ non utique meritorum. Superius enim „ dixerat: „ *Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ per electionem gratiæ factæ sunt:* Rom. 11. 5. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.*

OBSERVATIONES.

Ecce quomodo S. Augustinus probare satagit variis Scripturæ auctoritatibus gratiæ gratuitatem, tum quia electio ejus est gratuita: tum quia datur non meritis naturæ, sed ex misericordia Dei. Verum advertas velim, benevole lector, S. Præsulem eo loci defendere jura libertatis, & in iis qui Deo donante habent ut credant, credunt enim eo quod velint: & in iis qui justo judicio obcæcantur. Enimvero non credunt, quia nolunt. Per gratiæ autem gratuitatem probat S. Doctor fidem esse Dei donum, ut patet ex initio capitis sequentis.

CAPUT VII.

Incipit exponendo istam Semipelagianorum objectionem n. 12. " Sed forsitan dicant, ab operibus fidem distinguit Apostolus: gratiam vero non ex operibus „ esse dicit: non autem dicit, quod non „ ex fide. Ita vero est: sed ipsam quoque fidem opus Dei dicit esse Jesus, & „ hanc ut operemur jubet, *Joan. 6. 28. Dixerunt enim ad eum Judæi: Quid faciemus, ut operemur opus Dei? respondit Jesus & dixit illis, Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille....* Solet enim „ dici ideo credere meruit, quia vir bonus erat & antequam crederet. Quod „ de Cornelio dici potest, cujus acceptæ „ sunt eleemosynæ & exauditæ orationes antequam credidisset in Christum: „ nec tamen sine aliqua fide donabat & „ orabat... Quidquid igitur & antequam „ in Christum crederet, & cum crederet, & cum credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum „ est, ne forte quis extollatur. „

OBSERVATIONES.

Duas ibi S. Augustinus proponit Semipelagianorum objectiones, alteram qua fidem ab operibus ab Apostolo distingui volebant, ut fidem meritis & operibus naturæ tribuere possint: alteram qua contendebant fidem dari meritis naturæ: dicebant enim, ideo quis credidit, quia vir bonus erat. Utramque sententiam propellit S. Doctor. Primam quidem asserendo ipsam fidem esse Dei donum, ut habetur Joan. 6. 18. Secundam vero, quia ipsum fidei initium est fœtus gratiæ, ut patet in Cornelio, quem dicit habuisse a Deo antequam crederet, ut bonis abundaret operibus: & postquam credidit, ut Christo per fidem conjungeretur. Omnis sermo est & de gratuitate fidei, & de electione ex misericordia ad gratiam fidei.

CAPUT VIII.

Augustinus ad profunda gratiæ efficacis fidei gradum ibi facit, & sic loquitur n. 13. " Si enim omnis qui audivit a Patre „ & didicit, venit: profecto omnis „ qui non venit, non audivit a Patre, „ nec didicit: nam si audisset & didicisset, veniret... Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere „ videmus in Christum. Sed ubi & quomodo a Patre audierint hoc & didicerint, non videmus. Nimium gratia „ ista secreta est: gratiam vero esse quis „ ambigat? hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. „

Pergit num. 14. " Cur ergo non omnes docet ut veniant ad Christum; nisi „ quia omnes quos docet, misericordia „ docet; quos autem non docet, judicio „ non docet: quoniam *cujus vult miseretur, & quem vult obdurat, Rom. 9. 18.* Sed „ miseretur bona tribuens, obdurat digna „ retribuens. Et n. 15. " Quid ergo oramus pro nolentibus credere? nisi ut „ Deus in illis operetur & velle... Si „ ergo fides orantium Dei prævenit gratiam, numquid eorum fides, pro quibus oratur ut credant, Dei prævenit gratiam?

„ tiam? quandoquidem hoc pro eis oratur, ut non credentibus, idest, fidem non habentibus, fides ipsa donetur. Cum igitur Evangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt; sed qui credunt, prædicatore forinsecus insonante, intus a Patre audiunt atque discunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt neque discunt: hoc est, illis datur ut credant, illis non datur. *Quia nemo*, inquit, *venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*... Joan. 6. 44. " Ergo trahi a Patre ad Christum, & audire ac discere a Patre ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quam donum accipere a Patre, quo credat in Christum. Neque enim audientes Evangelium a non audientibus, sed credentes a non credentibus discernebat, qui dicebat: *Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo*.

Denique n. 16. sic claudit capitulum. " Fides igitur & inchoata & perfecta, donum Dei est: hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris Litteris repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes esse in condemnationem sine dubitatione justissimam: ita ut nulla Dei esset justa reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur... Cur autem istum potius quam illum liberet, inscrutabilia sunt judicia ejus. „

OBSERVATIONES.

S. Augustinus in hoc capite gravissima pertractat. Primo quidem agit de iis qui audiunt a Patre & veniunt: secundo, de gratia qua veniunt. Tertio, de eo ad quem veniunt. Quarto, de ratione & motivo, si fas est sic loqui, cur quidam veniant, alii vero non? Sed aperta est S. Doctoris mens circa omnia ista momenta. Circa primum quidem loquitur de gratia efficaci fidei qua multi credunt: ibi enim, ut ex contextu liquet, loquitur de gratia operis, ut sonant ipsi termini; *Multos*, inquit, *videmus venire ad Filium, quia multos credere videmus in Christum*. Igitur non est ibi sermo de gratia sufficienti, quod patet ex his quæ subdit, gratiam istam fidei a nullo corde respui, quia ideo datur, ut cordis duritia penitus auferatur. Circa secundum dicimus S. Doctorem loqui etiam de gratia efficaci. Circa tertium luce clarius apparet loqui de fide, ad quam vel inchoandam bonis operibus, vel perficiendam confessione Christi, requiritur gratia efficax & operis: *Qui credunt*, inquit, *prædicatore forinsecus insonante, intus a Patre audiunt*. Circa ultimum vero est judicium Dei rectum in iis quibus negatur gratia fidei, quia ut in aliis capitibus observat S. Aug. nolunt credere: in iis vero qui credunt eatenus misericordia est, quatenus dono Dei liberantur ab infidelitate.

Caterum qui audit & credit, trahitur a Patre, & intus audit, nempe per gratiam efficacem, quæ quidem per vocem trahi designatur: qui autem audit, & non credit, forinsecus audit, idest, per legem. Enimvero S. Doctor eo loci impugnat Semipelagianos, qui legem vel in libris contentam, vel per prædicatores explanatam ad initium fidei sufficere volebant; quod quidem negat Augustinus; ait enim illam forinsecus solum insonare, nusquam vero intus nisi per gratiam & Deo adjuvante; & ideo, inquit S. Doctor, oratur non solum ut credant, verum etiam ut velint credere; unde exigit gratiam sufficientem, eam scilicet qua præparatur voluntas a Domino ut possint credere; & efficacem qua actu credant; maxime vero de ista hic pertractat, nimirum de gratia qua credentes a non credentibus secernuntur: *Credentes*, inquit, *a non credentibus discernebat, qui dicebat, nemo venit ad me nisi fuerit ei datum a Patre meo*. Igitur non operibus naturæ, sed gratiæ discernitur homo fidelis ab infideli.

CAPUT IX.

Augustinus in illo capite fusiori calamo explicat quæ scripserat Epist. 102. q. 2. n. 14. de præscientia Dei: eo enim loci dixerat tunc Christum apparere voluisse, quando præsciebat quinam essent in ipsum credituri; subdit se loquutum fuisse sine præjudicio latentis consilii Dei, & aliarum causarum n. 17. " His enim temporibus & his locis quibus Evan-

„ ge-

„ gelium ejus non est prædicatum, tales omnes in ejus prædicatione futuros „ esse præsciebat, quales, non quidem „ omnes, sed tamen multi in ejus corporali præscientia fuerunt, qui in eum „ nec suscitatis ab eo mortuis, credere „ voluerunt; quales etiam nunc multos „ videmus, cum tanta manifestatione de „ illo compleantur præconia Prophetarum, nolle adhuc credere, & malle „ humana astutia resistere. „ Postea dicit multos ab Adam usque ad finem credituros. Deinde num. 18. subjicit: " Cernitis me sine præjudicio latentis consilii Dei, aliarumque causarum, hoc „ de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videretur. Quid enim „ est verius quam præscisse Christum qui „ & quando, & quibus locis in eum „ fuerant credituri? sed utrum prædicato sibi Christo a seipsis habituri essent „ fidem, an Deo donante sumpturi, id„ est, utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, „ quærere atque disserere tunc necessarium non putavi. Proinde quod dixi, „ tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi „ sciebat esse qui in eum fuerant credituri, potest etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, „ & apud eos prædicari doctrinam suam, „ quando sciebat, & ubi sciebat, esse, „ qui electi fuerant in ipso ante mundi „ constitutionem: sed quoniam si ita diceretur, lectorem faceret intentum ad „ ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosius & laboriosius disputari. „

OBSERVATIONES.

Sanctus Doctor in hoc capite innuit, non ad solam Dei præscientiam (speculativam attendendum esse pro eventibus contingentibus, sed & ad causas secundas, quæ ut plurimum sua resistentia tum ex peccato originali, tum ex innata libertate ortum habentes, impediunt gratiæ divinæ effectum; in hoc etiam refundit S. Aug. judicium occultum Dei qui juste denegat fidei beneficium. Et vero eo loci non loquitur de prædestinatione ad gloriam, bene vero ad fidem, asseritque Christum voluisse apparere illo potissimum tempore, quo præsciebat multos in ipsum credituros esse. Profecto semper loquitur de fide gratuita, quæ non datur ex præscientia meritorum naturæ, audi, doctissime lector, Augustinum; " sed utrum prædicato sibi Christo a seipsis habituri essent fidem, an „ Deo donante sumpturi, idest, utrum „ tantummodo præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere, atque disserere tunc necessarium non putavi. „ Status quæstionis igitur ille est, an Deus præscierit merita hominum qui credituri erant in Christum, ut mitteret Filium, & daret fidem? an vero prædestinaverit; idest, an dederit per gratiam suam opera quibus fides concederetur, & ipse Christus; quod quidem momentum non judicavit tunc temporis esse pertractandum. Porro per vocem *prædestinare* intelligit Augustinus facere facere, ut patebit ex capite sequenti, & sic ut liquet non loquitur de prædestinatione ad gloriam, sed tantum de prædestinatione ad fidem & gratiam quæ præveniendo & adjuvando facit facere & operari, & hoc propugnat contra Pelagianos qui de gratiæ solum necessitate tum ad credendum, tum ad operandum disputabant. *Sed quoniam*, inquit, *si ita diceretur*, *lectorem faceret intentum ad ea requirenda quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosius*, & *laboriosius disputari*.

CAPUT X.

Multa de prædestinatione in hoc capite pertractat Augustinus: in quo vero sensu de ea loquatur, judicandum est ex textu. Sic igitur incipit caput num. 19. " Salutem religionis hujus nulli unquam defuisse qui dignus fuit, & „ dignum non fuisse cui defuit. Si discutiatur & quæratur unde quisque sit „ dignus, non desunt qui dicant, voluntate humana: nos autem dicimus, „ gratia vel prædestinatione divina. Inter gratiam porro & prædestinationem „ hoc tantum interest, quod prædestina„ tio

„ tio est gratiæ præparatio, gratia vero „ jam ipsa donatio. Quod itaque ait Apo- „ stolus non ex operibus, ne forte quis „ extollatur; *Ipsius enim sumus figmentum*, „ *creati in Christo Jesu in operibus bonis*, „ Ephes. 2. 9. " gratia est: quod autem „ sequitur, quæ præparavit Deus, ut in „ illis ambulemus, prædestinatio est, „ quæ sine præscientia non potest esse: „ potest autem esse sine prædestinatione „ præscientiæ. Prædestinatione quippe „ Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse „ facturus: unde dictum est, (fecit quæ „ futura sunt) præscire autem potens „ est etiam quæ ipse non facit; sicut „ quæcumque peccata.... Quocirca præ- „ destinatio Dei quæ in bono est, gra- „ tiæ est, ut dixi, præparatio: gratia „ vero est ipsius prædestinationis effe- „ ctus. Quando ergo promisit Deus A- „ brahæ in semine ejus fidem gentium, dicens: *Patrem multorum gentium posui te*. Gen. 17. 5. Unde dicit Apostolus, *ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini*. " Rom. 4. 16. Non „ de nostra voluntatis potestate, sed de „ sua prædestinatione promisit. Promisit „ enim quod ipse facturus fuerat, non „ quod homines. Quia etsi faciunt ho- „ mines bona quæ pertinent ad colen- „ dum Deum; ipse facit ut illi faciant „ quæ præcepit, non illi faciunt ut ip- „ se faciat quod promisit: alioquin ut „ Dei promissa compleantur, non in Dei, „ sed in hominum est potestate. nu. 2. „ Sic concludit caput: (promisit autem „ filios Abrahæ, quod esse non possunt, „ si non habeant fidem: ergo ipse donat „ & fidem. „

OBSERVATIONES.

Singula gradatim ponderanda sunt, ut genuina D. Aug. mens, germanusque sensus appareat benevolo lectori. 1. Notat S. Doctor salutem nulli umquam defuisse qui dignus fuit: petit autem unde idoneitas & meritum; & subdit loquendo de Semipelagianis: *non desunt, qui dicant, voluntate humana*; sed statim eos revincit dicendo: *Nos autem dicimus gratia vel prædestinatione divina*, quibus patet in isto capite solum insectari errorem Semipelagianorum qui fidem meritis naturæ & non gratiæ donari volebant.

Prosequitur probationes, latum afferendo discrimen inter prædestinationem & gratiam: inter prædestinationem & præscientiam: prædestinationem dicit esse gratiæ præparationem: gratiam vero donationem auxilii Dei. Prædestinationem vult esse voluntatem Dei qui facit ut faciamus bona quorum est principium, quique præscit quid facturus sit. Præscientiam vero ait esse cognitionem speculativam, qua Deus præscit omnia, idest, & bona & mala, unde vult præscientiam latius ipsa prædestinatione patere. His positis principiis infert S. Augustinus fidem esse donum Dei, & non humanæ voluntatis in se relictæ opus. Quia est effectus prædestinationis, non quidem ad gloriam, de qua nullam facit ibi mentionem, sed gratiam, quia inquit num. 19. *Deus non de nostra voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines*, idest promisit Abrahæ fidem quam ipse per suam gratiam facturus erat, non natura per suas vires & sua inania merita operatura, ut contendebant Semipelagiani. Hinc num. 20. sic concludit Augustinus: *Ergo ipse donat & fidem*. Igitur non loquitur de prædestinatione ad gloriam, de qua nullam movet in isto libro quæstionem, nec movendam habebat cum Pelagianis & Semipelagianis, sed de prædestinatione operante gratiam fidei, unde concludit, fidem esse ex operibus gratiæ, non naturæ.

CAPUT XI.

Incipit istud caput S. Augustinus stimulando fidem & confidentiam in Deum num. 21. " Sane cum Apostolus dicat, „ ideo ex fide, ut secundum gratiam „ firma sit promissio: miror homines in- „ firmitati suæ se malle committere, „ quam firmitati promissionis Dei. Sed „ incerta est mihi, *inquit*, de meipso „ voluntas Dei. Quid ergo, tuane tibi „ voluntas de teipso certa est, nec ti- „ mes, *Qui videtur stare, videat ne cadat*? 1. Cor. v. 12. Cum igitur „ utraque incerta sit, cur non ho- „ mo firmiori quam infirmiori fidem

suam,

„ suam, spem, charitatemque committit? „

Postea redit ad causam fidei num. 22. " Sed cum dicitur, inquiunt, *Si credideris, salvus eris*, Rom. 10. 9. unum „ horum exigitur, alterum offertur. „ Quod exigitur, in hominis; quod offertur, in Dei est potestate. Cur non utrumque in Dei, & quod jubet, & „ quod offert? rogatur enim ut det quod „ jubet: rogant credentes, ut sibi augeatur fides; rogant pro non credentibus, „ ut eis donetur fides: & in suis igitur „ incrementis, & in suis initiis Dei donum est fides... *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult*... 1. Cor. 12. 11. " Ideo autem & nobis præcipiuntur, „ & dona Dei esse monstrantur; ut intelligatur quod & nos ea facimus, & „ Deus facit ut illa faciamus, sicut per „ Prophetam Ezechielem dicit, *Ezech*.36. 27. Quid enim apertius, quam ubi dicit: *Ego faciam ut faciatis?*

OBSERVATIONES.

Monet primo S. Augustinus non esse anxietatis locum, tametsi fides sit a Deo, sed firmiter standum esse eius promissis, quia dat fidem, spem, & charitatem petentibus. Secundo, ostendit cooperationem esse in nostra potestate quando gratia offertur, & rogandum esse Deum ut det fidem non credentibus, & augeat in credentibus. Ex quo concludit & initium & consummationem fidei esse a Deo præveniente & adjuvante; & non ex viribus naturæ, quod quidem probat auctoritate Ezechielis dicentis Deum facere ut faciamus.

CAPUT XII. ET XIII.

Sanctus Doctor hostes gratiæ vehementer insectatur in isto capite 12. novasque deducit rationes ex prædestinatione & Christi, & parvulorum post susceptum baptisma morientium, ut Pelagianis & Semipelagianis probet gratiæ necessitatem ad bona opera, maxime ad initium fidei. Porro illi qui inter Theologos Catholicos propugnant prædestinationem ante prævisa merita, utuntur ut plurimum auctoritatibus B. Augustini; iis præcipue quæ isto & sequenti capite deducuntur. Igitur omni seclusa opinionum præventione adamussim ista capita enucleanda sunt, ut quæ sit vera & germana D. Augustini mens & sententia, benevolis elucescat Lectoribus.

Sic igitur n. 23. incipit caput duodecimum S. Aug. " Sed omnis hæc ratio, „ qua defendimus gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, vere esse gratiam, idest, non secundum „ merita nostra dari, quamvis evidentissime divinorum eloquiorum testimoniis „ asseratur; tamen apud eos, qui nisi „ aliquid assignent, quod dent priores ut „ retribuatur eis, ab omni studio pietatis reprimi se putant, laborat aliquantulum in ætate majorum jam utentium „ voluntatis arbitrio: sed ubi venitur ad „ parvulos, & ad ipsum mediatorem Dei „ & hominum, hominem Christum Jesum, omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum assertio meritorum: quia nec illi ullis bonis præcedentibus meritis discernuntur a cæteris, ut pertineant ad liberatorem hominum, nec ille ullis humanis præcedentibus meritis, cum & ipse sit homo, liberator factus est hominum. „

S. Doctor nu. 24. exponit objectionem unam Pelagianorum, & postea respondet ad eam. " Quis enim audiat, quod dicuntur parvuli pro suis futuris meritis „ in ipsa infantili ætate baptizati exire „ de hac vita; & ideo alii non baptizati in eadem ætate mori, quia & ipsorum præscita sunt merita futura, „ sed mala; non eorum vitam bonam „ vel malam Deo remunerante, vel damnante; sed nullum Apostolus quidem „ limitem fixit, quem transgredi non „ debeat hominis, ut mitius loquar, incauta suspicio. Ait enim: *Omnes astabimus ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum* 2. Cor. 5. 10. Inquit, non adjunxit, vel gesturus fuit. „ Sed unde hoc talibus viris in mentem „ venerit nescio, ut futura quæ non sunt „ futura, puniantur aut honorentur merita parvulorum. Cur autem dictum est, „ secundum ea quæ per corpus gessit hominem judicandum, cum gerantur „ multa solo animo, non per corpus, „ nec per ullum corporis membrum, & „ ple-

„ plerumque tam magna, ut talibus cogitationibus pœna justissime debeatur; „ sicuti est, ut alia taceam, quod *dixit insipiens in corde suo, non est Deus*? Psal. „ 13. 1. Quid est ergo, secundum ea „ quæ per corpus gessit: nisi secundum „ ea quæ gessit eo tempore quo in corpore fuit, ut per corpus intelligamus „ per corporis tempus? post corpus autem nemo erit in corpore, nisi resurrectione novissima. „

OBSERVATIONES.

D. *Augustinus* est sui ipsius interpres & loquitur solum de gratuitate gratiæ quam probat multis mediis; sed præcipue duobus quæ irrefragabilia esse existimat, nempe exemplo Christi qui nullis præcedentibus meritis factus est homo Deus, mediator Dei & hominum: Et exemplo parvulorum qui nullis præcedentibus meritis gratiam baptismi suscipiunt. " Sed „ omnis, *inquit*, hæc ratio qua defendimus gratiam Dei per Jesum Christum „ Dominum nostrum vere esse gratiam, „ idest, non secundum merita nostra dari... Ubi venitur ad parvulos, & ad „ ipsum mediatorem Dei & hominum, „ hominem Christum Jesum, omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum assertio meritorum: quia nec „ illi ullis bonis præcedentibus meritis „ discernuntur a cæteris. „ Numero 24. urget Pelagianos qui merita propriæ voluntatis extollere nitebantur, dicendo parvulos alios mori sine baptismo, quia Deus prævidens mala eorum facta si viverent, finit in vindictam mori a regno exules, alios vero e contra, quia prævidet, si vivant, bonis abundaturos operibus. Urget, inquam, probando istum vel ad mortem, vel ad vitam exitum esse a meritis propriæ voluntatis independentem propter duo. Primo quidem quia ista merita sunt fictitia: secundo, quia voluntas proprio conatu sine gratia mereri non valet. " Sed hoc, *inquit*, cur talibus „ viris in mentem venerit nescio, ut futura quæ non sunt futura, puniantur, „ aut honorentur merita parvulorum, „ quod quidem probat sententia Apostoli „ dicentis: „ *Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit*. 2. Cor. 5. 10. Id- „ est, ut infra explicat, secundum ea „ quæ gessit eo corpore quo in tempore „ fuit. „

CAPUT XIV. ET XV.

D. *Augustinus* c. 14. & 15. eandem prosequitur materiam, & iterum respondet Pelagianorum argumento, videlicet negando prædestinationem parvulorum dependere a naturæ meritis. Porro utitur ad eos revincendos auctoritate Scripturæ sacræ & B. Cypriani; deinde exemplo prædestinationis Christi ad unionem hypostaticam, quæ quidem ex omni parte fuit gratuita. Observes velim, benevole Lector, Augustinum nullam hic movere quæstionem de prædestinatione ad gloriam per merita viribus gratiæ comparata. Capite 14. n. 26. sic effatur: " Scripsit librum de mortalitate Cyprianus multis ac pæne omnibus qui ecclesiasticas litteras amant, laudabiliter „ notum: in quo propterea dicit non solum non esse fidelibus inutilem mortem, verum etiam utilem reperiri: „ quoniam peccandi periculis hominem „ subtrahit, & in non peccandi securitate constituit. Sed quid prodest, si „ etiam futura, quæ commissa non sunt, „ peccata puniuntur? ... Hæc est tota „ caussa cur dictum est... *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, Sap. 4. „ 11. Dictum est secundum pericula vitæ hujus, non secundum præscientiam „ Dei, qui hoc præscivit quod futurum „ erat, non quod futurum non erat: „ idest, quod ei mortem immaturam „ fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione „ non esset. Et n. 29. resistit eis qui „ pro meritis hominum falluntur, ut „ veniant contra Dei manifestissimam „ gratiam: quæ maxime apparet in parvulis; quorum cum alii baptizati, alii „ non baptizati vitæ hujus terminum sumunt, satis indicant misericordiam & „ judicium; misericordiam quidem gratuitam, judicium debitum. Si enim judicarentur homines pro meritis suæ „ vitæ, quæ non habuerunt morte præventi, sed habituri essent, si viverent: „ nihil prodesset ei qui raptus est, ne „ malitia mutaret intellectum ejus, nihil

„ pro-

,, prodesset eis qui lapsi moriuntur, si ,, ante morerentur: quod nullus dicere ,, Christianus audebit. Quocirca non debent fratres nostri, qui nobiscum pro ,, catholica fide perniciem Pelagiani erroris impugnant, huic Pelagianæ in tantum favere opinioni qua opinantur ,, gratiam Dei secundum merita nostra ,, dari. ,,

Exemplum prædestinationis gratuitæ Christi ad unionem hypostaticam explanat c. 15. his verbis nu. 30. " Est etiam præ- ,, clarissimum lumen prædestinationis & ,, gratiæ, ipse mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: qui ut hoc ,, esset, quibus tandem suis vel operum, ,, vel fidei præcedentibus meritis natura ,, humana quæ in illo est, comparavit? ,, Respondeatur quæso: ille homo, ut a ,, Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus ,, esset, unde hoc meruit? quod ejus bonum qualecumque præcessit? .... Ista ,, omnia singulariter admiranda, & alia ,, si qua ejus propria verissime dici possunt, singulariter in illo accepit humana, hoc est, nostra natura, nullis ,, suis præcedentibus meritis. ,,

Prosequitur nu. 31. " Appareat itaque ,, nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, ,, unde secundum uniuscujusque mensuram ,, se per cuncta ejus membra diffundit. ,, Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo ,, quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus... Prædestinata est ista naturæ humanæ tanta & tam celsa & summa ,, subvectio, ut quo attolleretur altius, ,, non haberet... Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset: ita multi prædestinati sumus, ut ,, membra ejus essemus. Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per ,, Adam; & regnet quæ regnat Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum... Ut ex aqua & Spiritu renasceremur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum: etsi ,, nos ad lavacrum regenerationis fides ,, duxit, non ideo putare debemus nos ,, dedisse aliquid, ut retribueretur nobis ,, regeneratio salutaris; ille quippe nos ,, fecit credere in Christum, qui nobis ,, fecit in quem credimus Christum; ille ,, facit in hominibus principium fidei & ,, perfectionem in Jesum, qui fecit hominem principem fidei & perfectorem ,, Jesum. ,,

OBSERVATIONES.

S. Doctor gratuitatem gratiæ & fidei prædicat c. 14. eamque dicit independentem a meritis naturæ prævisis in parvulis qui baptizati migrant e vita, quod probat auctoritate S. Cypriani dicentis bonam esse mortem, eo quod hominem a peccandi periculis subtrahat, & auctoritate Scripturæ asserentis justum quandoque rapi, ne malitia mutet atque pervertat intellectum ejus. Neutrum autem, inquit, foret verum, si Deus ex prævisione meritorum fictitiorum quosdam vita compensaret æterna, quosdam vero æternis puniret suppliciis propter prævisa mala opera, quæ numquam extiterunt. Subverso per utramque auctoritatem Pelagianorum systemate, concludit gratiam esse penitus gratuitam iis verbis: " Quocirca non de- ,, bent fratres nostri, qui nobiscum pro ,, catholica fide perniciem Pelagiani er- ,, roris impugnant, huic Pelagianæ in ,, tantum favere opinioni qua opinantur ,, gratiam Dei secundum merita nostra ,, dari. ,,

Idem probat Doctorum aquila toto c. 15. exemplo Christi qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, & omnium justorum caput absque ullis præcedentibus in natura humana meritis, ex quo infert a pari gratiam baptismi esse a nostris meritis independentem. " ea gratia fit, *inquit*, ab initio fidei suæ homo quicum- ,, que Christianus, qua gratia homo ille ,, ab initio suo factus est Christus. ,, Et iterum: " Sicut ergo prædestinatus est ,, ille unus, ut caput nostrum esset; ita ,, multi prædestinati sumus, ut membra ,, ejus essemus. ,, Loquitur de prædestinatione ad gratiam baptismi qua Christiani sumus, & adhuc ut gratiam baptismi ostendat a meritis naturæ independentem. " Sic & nobis ut ex aqua & Spiritu re- ,, nasceremur, non retributum est pro ,, aliquo merito. ,, Postea concludit fidem inesse nobis a Deo, quod negabant Semipelagiani, quos certe hic in toto libro ex professo impugnat.

CAPUT XVI.

Caput istud sic incipit n. 32. " Vocat ,, enim Deus prædestinatos multos filios ,, suos, ut eos faciat membra Prædestinati unici Filii sui, non ea vocatione ,, qua vocati sunt & qui noluerunt venire ad nuptias, illa quippe vocatione & ,, Judæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est, & gentes quibus ,, crucifixus stultitia est; sed ea vocatione prædestinatos vocat quam dixit Apostolus, dicens: ipsis vocatis Judæis ,, & Græcis prædicare se Christum Dei ,, virtutem & Dei sapientiam; sic enim ,, ait : ,, *Ipsis autem vocatis*, 1. Cor. 1. ,, 24. ut illos ostenderet non vocatos : ,, sciens esse quamdam certam vocationem ,, eorum qui secundum propositum sunt ,, vocati, quos ante præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii ,, sui, quam vocationem significans ait : ,, *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori*... Rom. 9. 12. Dixit ergo, " sed ex vocante, non ,, quacumque vocatione, sed qua vocatione fit credens. ,,

Et n. 33. *Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus : electio autem consecuta est, cæteri vero excæcati sunt*... Rom. 11. 28. v. 29. " Sine pœnitentia enim sunt dona ,, & vocatio Dei : idest, sine mutatione stabiliter fixa sunt. Ad hanc vocationem qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei : nec potest eorum quisquam dicere, credidi ut sic vocarer, ,, prævenit eum quippe misericordia Dei, ,, quia sic est vocatus ut crederet... Istorum autem nemo perit, quia omne ,, quod dedit ei Pater non perdet ex eo ,, quidquam... propter quod dictum est : ,, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum*, 1. Joan. 2. 19.

OBSERVATIONES.

Augustinus nu. 32. duplicem distinguit vocationem, alteram generalem voluntati antecedenti de salute omnium respondentem; cuique multi resistunt, & restiterunt ut Judæi : alteram specialem & efficacem qua vocati sunt docibiles Dei & veniunt ad Patrem fideles permanendo in mandatis. Istam tribuit voluntati consequenti de salute electorum & prædestinationi infallibili, eam vult esse ab operibus naturæ independentem, quippe quæ fit ex misericordia, & secundum propositum Dei, non creaturæ, ut fusius se explicat in capitibus sequentibus, unde dicit cum Apostolo: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori... Ex vocante, non quacumque vocatione, sed qua vocatione fit credens:* Quibus verbis ostendit fidem non ex conatu naturæ, sed ex misericordia vocantis dari. Et postquam n. 33. declaravit Judæos obcæcatos fuisse ex judicio, Gentes vero electas ex misericordia, & non ex operibus, quia non habebant nisi mala seu inutilia ad gratiam fidei opera, subdit : *Nec potest eorum quisquam dicere, credidi ut sic vocarer, prævenit eum quippe misericordia Dei, quia sic est vocatus ut crederet.* Quibus verbis ostendit fidem ex conatu naturæ non esse, neminem promereri vocationem generalem, a fortiori specialem & gratiam efficacem qua vocati fideles permanent in mandatis Dei adimplendis; quod quidem ratiocinium probat 1. prædestinationem esse infallibilem. 2. esse a meritis naturæ absolutam. 3. in radice esse pure gratuitam, sicut & adæquate sumptam, prout scilicet dicit & primam gratiam atque fidem a qua incipit, & donum perseverantiæ, per quod terminatur; sed utrum inadæquate sumpta, & ut dicit solummodo vitæ æternæ assecutionem quam ut finem respicit, sit independens ab operibus viribus gratiæ factis, nullam profecto neque in isto capite, neque in sequentibus movet quæstionem, ut patet ex dictis, & rursus patebit ex dicendis.

CAPUT XVII.

Intelligamus ergo, inquit Augustinus n. 34. " vocationem qua fiunt electi; non ,, qui eliguntur quia crediderunt, sed ,, qui eliguntur ut credant. Hanc enim ,, & Dominus ipse satis aperit, ubi dicit, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Joan. 15. 16. " Nam si proptterea electi erant, quia crediderant: ipsi eum prius utique elegerant credendo in eum, ut eligi mererentur. ,, Aufert autem hoc omnino, qui dicit : *Non*

Non vos me elegistis, sed ego vos elegi. „ „ Et ipsi quidem proculdubio elegerunt, „ quando crediderunt in eum. Unde non „ ob aliud dicit, *Non vos me elegistis*, „ *sed ego elegi vos*.. „ Hæc est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ. Nam quid est quod ait Apostolus? *Sicuti elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Ephes. 1. 4. " Quod profecto si propterea „ dictum est quia præscivit Deus „ credituros, non quia facturus fuerat „ ipse credentes, contra istam præscien- „ tiam loquitur Filius, dicens: Non vos „ me elegistis, sed ego vos elegi: electi „ sunt itaque ante mundi constitutionem „ ea prædestinatione, in qua Deus sua futura „ facta præscivit: electi sunt autem „ de mundo ea vocatione, qua Deus id „ quod prædestinavit, implevit. Quos „ enim prædestinavit, ipsos & vocavit: „ illa scilicet vocatione secundum „ propositum: non ergo alios, sed quos „ prædestinavit, ipsos & vocavit: nec „ alios, sed quos ita vocavit, ipsos & justicavit: „ nec alios, sed quos prædestinavit, „ vocavit, justificavit, „ ipsos & glorificavit; illo utique fi- „ ne qui non habet finem. Elegit ergo „ Deus fideles, sed ut sint, non quia jam „ erant. Apostolus Jacobus dicit: „ *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se?* „ Eligendo ergo „ facit divites in fide, sicut hæredes re- „ gni. „

OBSERVATIONES.

S. Doctor loquitur in isto capite de prædestinatione, non solum ad fidem, & ad bona opera meritoria, quæ sine gratia nulla sunt, verum etiam ad gloriam, sed consequenter. Et cum ibi sine fine prædicet gratuitatem gratiæ cui omnia tribuere videtur, quidam inter Theologos Catholicos etiam gravissimos posuerunt prædestinationem ad gloriam intentivam seu ordinativam esse ante prævisa merita, etiam virtute gratiæ comparata, propter varia in hoc capite a S. August. dicta & propugnata. Primo quidem, quia dicit electos non ideo eligi quia Deus præscivit eos in ipsum crediturus, sed potius ideo crediturus quia eos elegit. 2. Quia fidei meritum præscitum excludit ab electione, ea ductus ratione quod Deus ipse facit credentes, & præscivit quod erat facturus. 3. Quia etiam meritum cæterorum bonorum operum excludere videtur cum dicit: " Elegit ergo „ Deus fideles, sed ut sint, non quia jam „ erant. Apostolus Jacobus dicit: „ *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide?*.. „ Eligendo ergo facit di- „ vites in fide, sicut & hæredes re- „ gni. „

Absit hanc Theologorum contemnere sententiam: videtur tamen, ut alii putant, a sensu August. aliena. Primo quidem à scopo operis, quandoquidem in hoc toto libro duo solum nititur ostendere Pelagianis & Semipelagianis Beatus August. 1. fidem etiam quoad initium non dependere a meritis voluntatis humanæ. 2. Prædestinationem Sanctorum esse ante prævisa merita naturæ in se relictæ. Utrumque momentum probat in hoc capite; primum quidem, dicendo Deum eligere ut credamus, & ipsum facere credentes: alterum vero ostendendo variis Scripturæ auctoritatibus electionem ad fidem & gloriam esse secundum propositum Dei, & non secundum naturæ conatum. Sic enim habet num. 34. *Non ob aliud dicit, non vos me elegistis, sed ego vos elegi; nisi quia non elegerunt eum, ut eligeret eos, sed ut eligerent eum, elegit eos*. Quibus verbis sanctus Doctor confundit Pelagianos qui propugnabant Deum ideo eligere homines, quia prius per voluntatis propriæ opera illum elegerant: eosdem urget vehementius probando opera nostra ab ipso Deo per gratiam promanare. Sed audiamus Augustinum in reliquis hujusce libri capitibus in quibus profecto est sui ipsius interpres.

CAPUT XVIII.

S. Præsul n. 36. proponit hanc Pelagianorum objectionem. " Præsciebat ergo, „ ait Pelagianus, qui futuri essent san- „ cti & immaculati per liberæ volunta- „ tis arbitrium: Et ideo eos ante mun- „ di constitutionem in ipsa sua præscien- „ tia, quales tales futuros esse præscivit, „ elegit. Elegit ergo, *inquit*, antequam „ essent, prædestinans filios, quos futu- „ ros sanctos immaculatosque præscivit, „ uti-

„ utique ipse non fecit, nec se facturum, „ sed illos futuros esse prævidit. Postea „ sic respondet: Intueamur ergo verba „ Apostoli atque videamus utrum prop- „ terea nos elegerit ante mundi consti- „ tutionem, quia sancti & immaculati „ futuri eramus, an ut essemus. *Benedictus*, inquit, *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nos benedixit in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati*. Ephes. 1. 3. " Non ergo quia futuri era- „ mus, sed ut essemus... Ita ergo nos „ benedixit benedictione spiritali in cæ- „ lestibus in Christo Jesu, sicut elegit „ nos in ipso ante mundi constitutionem, „ ut essemus sancti & immaculati *in conspectu ejus, in caritate prædestinans nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum*. „ Ibid. Deinde quid adjungat, attendite, *Secundum placitum*, inquit, *voluntatis suæ*, ne in tanto beneficio gratiæ „ de placito gloriemur voluntatis no- „ stræ.... In hoc mysterio voluntatis „ suæ posuit divitias gratiæ suæ, secun- „ dum voluntatem suam, non secundum „ nostram: quæ bona esse non posset, „ nisi ipse secundum bonam voluntatem „ suam ut bona fieret, subveniret; nu. „ 37. idem confirmat. " Cernitis, *in- „ quit*, quanta manifestatione apostolici „ eloquii defendatur hæc gratia contra „ quam merita extolluntur humana, tan- „ quam homo aliquid prior det, ut re- „ tribuatur ei... Hinc est quod clama- „ mus, ut nemo glorietur in homi- „ ne, ac per hoc nec in seipso, sed „ qui gloriatur, in Domino glorie- „ tur. „

OBSERVATIONES.

Nihil clarius dicere potuit S. Augustinus ad aperiendam suam mentem: primo quidem exponit sententiam Pelagianorum qui electionem ab humana voluntate incipientem, quasi ipsa & non gratia cunctas bonas actiones, quibus pervenitur ad regnum cœlorum, factura erat, ita ut prius daret Deo quo ab ipso homine eligeretur, quam hominem eligeret Deus. Quod quidem & merito confutat Augustinus, dicendo hominem natura filium iræ esse, adeoque solummodo in sortem Sanctorum adducendum per Christi, & non naturæ merita, cum non simus sufficientes cogitare aliquid, tanquam ex nobis quod sit vita æterna dignum: ex sententia Pelagiana sequitur hominem priorem dare Deo antequam accipiat retributionem: luce clarius apparet Augustinum loqui in sensu opposito Pelagianis, igitur quando dicit electionem secundum propositum, excludit ibi duntaxat propositum voluntatis humanæ, quod patet ex eo quod dicat hominem non eligere Deum, sed potius eligi a Deo, unde hominem non se in Domino gloriari debere, voluntatem humanam non priorem Deo aliquid retribuere, quandoquidem opera nostra ad salutem conducentia sunt a gratia, unde potissimum loquitur Augustinus de electione ad fidem, ad sanctificationem; namque dicit nos quidem a Deo eligi, ut simus sancti atque immaculati, & loquitur solum consequenter de prædestinatione ad gloriam, quam quidem asserit ab operibus naturæ in se relictæ independentem, sed non ab operibus virtute gratiæ, de quo quidem momento nullam movet quæstionem S. Doctor: namque si Pelagiani concessissent opera ad vitam æternam conducentia esse a gratia, finita fuisset quæstio, nec ullus inter Aug. & Pelagianos atque Semipelagianos superfuisset disputandi locus. Quod certe apparet ex conclusione Augustini. " Cernitis, *inquit*, quanta ma- „ nifestatione Apostolici eloquii defenda- „ tur hæc gratia contra quam merita „ extolluntur humana, tanquam homo „ aliquid prior det, ut retribuatur ei.. „ Hinc est quod clamamus ut nemo glo- „ rietur in homine ac per hoc nec in „ seipso, sed qui gloriatur in Domino „ glorietur. „ Quis autem non videat S. August. solummodo excludere merita propriæ voluntatis? alias nihil concluderet, si loqueretur de meritis virtute gratiæ comparatis; ista enim neque extolluntur contra gratiam, cum sint ipsius fœtus: neque per ea homo gloriatur in seipso, sed in Domino a quo habet fructum & incrementum.

CAPUT XIX.

Augustinus prosequitur, in medium prodit

dit Pelagianorum objectiones, & respondet. Sic igitur illos inducit loquentes n. 38. " Sed hi nostri, de quibus & pro „ quibus nunc agimus, forsitan dicunt, „ Pelagianos hoc apostolico testimonio refutari, ubi dicit ideo nos electos in „ Christo & prædestinatos ante mundi „ constitutionem, ut essemus sancti & „ immaculati in conspectu ejus in caritate. Ipsi enim putant, acceptis præceptis, jam per nos ipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio sanctos & immaculatos in conspectu ejus in caritate: quod „ futurum Deus quoniam præscivit, inquiunt, ideo nos ante mundi constitutionem elegit & prædestinavit in Christo. Ecce objectio, cui respondet, & „ subdit: Cum dicat Apostolus, non quia „ futuros tales nos esse præscivit, sed ut „ essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ, qua gratificavit nos in dilecto „ Filio suo. „ Observandum est S. Præsulem loqui de electione ad gratiam, quæ quidem est gratuita & nobis misericorditer datur ex meritis Christi: unde bene dicit quod electio, scilicet ad gratiam, non supponat opera prævisa, sed ipsa faciat: hinc & subdit: " Cum ergo nos „ prædestinavit, opus suum præscivit, „ quo nos sanctos & immaculatos facit. Vide, juste Lector, August. tractare de electione ad sanctificationem quam Pelagiani naturæ conatibus tribuebant. Prosequitur: unde recte hoc testimonio Pelagianus error arguitur. " Nos autem „ dicimus, inquiunt, nostram Deum non „ præscisse nisi fidem, qua credere incipimus, & ideo nos elegisse ante mundi constitutionem, ac prædestinasse, „ ut etiam sancti & immaculati gratia „ atque opere ejus essemus. „ Ecce manifestus status quæstionis, quæ quidem procedit de initio fidei, quod & a conatu naturæ & a Deo promanare, prævisum esse ad eligendum ad sanctitatem autumabant Semipelagiani. Agitur itaque de initiu fidei & de sanctitate exordium a natura ducente, cui objectioni sic satisfacit B. Augustinus.

„ *Sed* audiant & ipsi in hoc testimonio, „ ubi dicit, sortem consecuti sumus, „ prædestinati secundum propositum, qui „ universa operatur. Ipse ergo ut credere incipiamus, operatur, qui universa „ operatur.

OBSERVATIONES.

Sufficienter notavimus quanta sit principiorum D. Aug. connexio, ut sensus ejus appareat. Observes velim S. Doctorem n. 38. expresse dicere se debellare Pelagianos. " Sed hi nostri, *inquit*, de quibus & pro quibus nunc agimus forsitan dicunt... Ipsi enim putant, acceptis præceptis, jam per nos ipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio sanctos & „ immaculatos. „ Igitur agit S. Doctor solum de necessitate, de gratuitate & efficacia gratiæ; de electione ad fidem & sanctificationem, quam non voluntas humana, sed divina operatur. Denique n. 39. S. Aug. concludit caput probando auctoritate Apostoli fidem etiam inchoative non esse a nobis, sed a Deo miserente, quia, inquit, gratias agit Deo Paulus pro Ephesiis, eo quod recepissent fidem: Si autem fides esset a natura, non foret Dei donum, unde nec opus esset gratias pro data fide speciales reddere. " *Propter hoc & ego, inquit Apostolus, audita fide vestra in Christo Jesu, & in omnes Sanctos, non cesso gratias agere pro vobis.* „ Ephes. 1. 13. Subdit Aug. " Nova erat „ & recens eorum fides, prædicato sibi „ Evangelio, qua fide audita, gratias „ Deo pro eis agit Apostolus. Si homini „ gratias ageret pro eo, quod illum vel „ putaret non præstitisse, vel nollet, „ adulatio, vel irrisio verius quam gratiarum actio diceretur. „ *Nolite errare, Deus non irridetur: donum enim ejus est etiam incipiens fides.* „ Gal. 6. 7.

CAPUT XX. ET XXI.

In illo capite de novo probat Augustinus fidem etiam initiative esse donum Dei, quia illam oratione petimus, & pro accepta gratias agimus; sic enim urget adversarios S. Præsul n. 40. " Illud etiam „ initium fidei hominum donum Dei esse nos admonet, cum hoc significet Apostolus dicens in Epistola ad Colossenses 4. 2. " *Orationi instate, vigilantes in illa in gratiarum actione orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi sui ad loquendum mysterium Christi.* „ 4. 28. n. 41. idem probat illa Actuum sententia *Deus aperuerat sensum ejus, & intendebat in*

ea quæ a Paulo dicebantur. „ Novis Scripturæ auctoritatibus ostendit Aug. num. 42. initium fidei esse a Deo, quia ipse dat velle & inclinat cor ad credendum. Denique c. 21. dicit opinionem Semipelagianorum circa fidei exordium absurdam esse. Postea totum librum his verbis concludit n. 43. " Propter quod institimus quantum potuimus, ut etiam ipsum initium fidei donum Dei esse ostenderemus. „

OBSERVATIO.

A primo ad ultimum legenti patebit, S. Aug. nullam hic movere quæstionem de prædestinatione ante vel post prævisa merita viribus gratiæ comparata.

De libro Doni Perseverantiæ.

CONCLUSIO SECUNDA.

Sanctus Augustinus agit ex professo in libro de Dono perseverantiæ adversus Semipelagianos de Prædestinatione ad gratiam.

Probatur discurrendo per omnia libri capita, eaque cum observationibus enucleando.

CAPUT I. II. III. IV. V. ET VI.

Hunc librum scripsit B. Augustinus contra Semipelagianos, qui in duobus præcipue punctis errabant. Primo quidem dicendo initium fidei esse a nobis: secundo vero prædestinationem esse ex prævisis naturæ meritis. Primum errorem confutavit S. Augustinus in libro de Prædestinatione Sanctorum: alterum vero etiam in illo, sed iterum ex professo in isto, in quo multa differit de prædestinationis motivo & de necessitate gratiæ ad perseverandum. Pauca sunt ad nostrum propositum in septem primis capitibus; unde breviter & compendiose dicam ea quæ in his continentur.

In primo quidem capite sic definit perseverantiam: *Asserimus ergo donum Dei esse perseverantiam qua usque in finem perseveratur in Christo*. Unde loquitur S. Doctor de perseverantia quæ conjungit vitam cum morte, & figit animam immobiliter in bono; quæ ideo certa & infallibilis pronuntiatur. Capite secundo S. Præsul dicit eam esse maximum Dei donum: quod probat ea potissimum ratione quia fundimus Deo preces ad illam assequendam, quod autem est vel naturale, vel debitum, non donum sed naturale dicitur. Concludit igitur ex orationibus quas fundimus pro perseverantia finali, eam esse supremam gratiam. Hoc quidem argumentum fusius explanat cap. 3. 4. 5. 6. auctoritate S. Cypriani explicantis petitiones in Oratione Dominica contentas, qua quidem explicatione asserit Augustinus S. Præsulem prævenisse suis, & scriptis & dictis venenum hæresis Pelagianæ, ne incautos, negligentes, aut etiam de se præsumentes & deciperet & contaminando interficeret. Capite sexto num. 12. docet infallibilitatem perseverantiæ non tollere libertatem. " At enim voluntate sua „ quisque deserit Deum, ut merito deseratur a Deo. Quis hoc negaverit? „ Sed ideo petimus, ne inferamur in „ tentationem, ut hoc non fiat .... Tutiores igitur vivimus, si totum Deo „ damus, non autem nos illi ex parte, „ & nobis ex parte committimus. „

CAPUT VII.

Istud caput sic incipit nu. 13. " Si ergo alia documenta non essent, hæc dominica oratio nobis ad causam gratiæ „ quam defendimus, sola sufficeret, quia „ nihil nobis reliquit, in quo tanquam „ in nostra gloriemur. Siquidem & ut „ non discedamus a Deo non ostendit „ dandum esse nisi a Deo, cum poscendum ostendit a Deo; qui enim non „ infertur in tentationem, non discedit „ a Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt: „ fuerat in homine antequam caderet. „ Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in Angelis qui „ diabolo cum suis cadente in veritate „ steterunt, & ad securitatem perpetuam „ non cadendi... pervenire meruerunt. „ Post casum autem hominis nonnisi ad „ gratiam suam Deus voluit pertinere, „ ut homo accedat ad eum, neque nisi „ ad gratiam suam voluit pertinere, ut „ homo non recedat ab eo. „

Fe-

Postea sic concludit Aug. num. 14. *Hanc gratiam posuit in illo in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui universa operatur*, Eph. 1. 12. " ac „ per hoc sicut operatur ut accedamus, „ sic operatur ne discedamus, & num. „ 15. propter quod & posci a se voluit „ ne inferamur in tentationem; quia et- „ si non inferimur, nulla ab eo ratio- „ ne discedimus. Quod poterat nobis & „ non orantibus dari: sed oratione no- „ stra nos voluit admoneri, a quo acci- „ piamus hæc beneficia..... Orat (sci- „ licet Ecclesia) ut increduli credant: „ Deus ergo convertit ad fidem; orat, „ ut credentes perseverent: Deus ergo „ donat perseverantiam usque in finem: „ hæc Deus facturum se esse præscivit. „ Ipsa est prædestinatio Sanctorum, quos „ elegit in Christo ante constitutionem „ mundi, ut essent sancti & immacula- „ ti in conspectu ejus in charitate, præ- „ destinans eos in adoptionem filiorum „ per Jesum Christum in ipsum, secun- „ dum placitum voluntatis suæ in laudem „ gloriæ gratiæ suæ.

OBSERVATIONES.

In isto capite iterum atque iterum probat Aug. contra Pelagianos ex necessitate & usu Ecclesiæ orandi, necessitatem gratiæ ad perseverandum, quia inquit, *sicut operatur (Deus) ut accedamus, sic operatur ne discedamus*. Gratiam hanc precibus impetrandam esse probat ex discrimine intercedente inter hominem innocentem & hominem lapsum, in eo quod innocens erat rectus, ex nativitate sanctus, & in gratia habituali constitutus, juxta illud ejusdem de Creatore, *erat condens naturam & largiens gratiam*; unde poterat quidem homo innocens perseverare in bono, reus vero non potest, a fortiori nec actu perseverare sine gratia summe efficaci, qua cum privetur, illam ad perseverandum orationibus continuis advocare debet: quocirca hic num. 15. ait Aug. " Ecclesia orat ut increduli cre- „ dant ... ut credentes perseverent: „ hæc Deus facturum se præscivit, ip- „ sa est prædestinatio Sanctorum; quæ- „ nam vero sit? idem ipse declarat, ad „ gratiam nempe & ad sanctificationem „ ut essent, *inquit*, sancti & immacula- „ ti in conspectu ejus. „ Sanctus Doctor ibi non loquitur de gloria, & de facto controversia inter ipsum & Pelagianos erat solum de necessitate gratiæ ad perseverandum. Bene dicit Deum hoc se facturum esse præscivisse, scriptum est enim Psal. 83. 12. *gratiam & gloriam dabit Dominus*, & non homo. Semper repetit S. Præsul Deum hæc operari secundum beneplacitum suum, & apprime, quia non operatur secundum placitum voluntatis humanæ, ut propugnabant hæretici. Quis enim, inquit Apostolus, *consiliarius ejus fuit*? Rom. 11. 34. quod autem Aug. intendat hic humana tantum impugnare merita, patet ex eo quod semper inculcet, hominem non in se, sed in Domino solum gloriari debere.

CAPUT VIII.

Istud caput est veluti præcedentis consequentia & conclusio, num. 16. " Sed „ cur, *inquit*, gratia Dei non secun- „ dum merita hominum datur? Res- „ pondeo, quoniam Deus misericors est. „ Cur ergo, *inquit*, non omnibus? Et „ hic respondeo, quoniam Deus judex „ est... Ex uno quippe omnes in con- „ demnationem non injustam judicati sunt „ ire, sed justam. Qui ergo liberatur, „ gratiam diligat: qui non liberatur, „ debitum agnoscat.

Alteram objectionem n. 17. sibi proponit & solvit. " Sed cur, *inquit*, non so- „ lum in parvulorum, verum etiam in „ geminorum una atque eadem caussa, „ tam diversum judicium? Nonne similis „ quæstio est, cur in diversa causa idem „ judicium? Recolamus igitur illos ope- „ rarios in vinea qui toto die laborave- „ runt, & eos qui una hora: nempe „ caussa diversa est impensi laboris, & „ tamen idem judicium in redditione „ mercedis. Numquid & hic audierunt „ murmurantes a Patrefamilias, nisi, *hoc volo... Tolle quod tuum est, & vade, huic autem volo, quod non debetur, donare. An non licet mihi facere quod volo? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Matth. 20. 2. 14. 15. " Hic ille si dicat, cur „ non & mihi? merito audiet, o „ homo tu quis es, qui respondeas „ Deo? „

Pergit n. 19. novas refert objectiones &

& respondet : " Cur quibusdam qui eum
„ coluerunt bona fide, perseverare usque
„ in finem non dedit ? cur putas, nisi
„ quia non mentitur qui dicit ; Ex no-
„ bis exierunt, sed non erant ex nobis?
„ nam si fuissent ex nobis, mansissent
„ utique nobiscum... Deus autem me-
„ lius esse judicavit, miscere quosdam
„ non perseveraturos certo numero San-
„ ctorum suorum, ut quibus non expedit
„ in hujus vitæ tentatione securitas,
„ non possint esse securi. Multos enim
„ a perniciosa elatione reprimit quod ait
„ Apostolus : *Quapropter qui videtur stare videat ne cadat*. 1.Cor. 10. 12. " Volun-
„ tate autem sua cadit, qui cadit; &
„ voluntate Dei stat, qui stat.... Ve-
„ rumtamen bonum est non altum sape-
„ re, sed timere. n. 20. Non itaque in
„ hominum, sed in Dei est potestate,
„ ut habeant homines potestatem filii
„ Dei fieri. Ab ipso quippe accipiunt
„ eam qui dat cordi humano cogitatio-
„ nes pias, per quas habeat fidem, quæ
„ operetur per dilectionem : ad quod bo-
„ num sumendum & tenendum, & in
„ eo perseveranter usque in finem profi-
„ ciendum non sumus idonei cogitare ali-
„ quid quasi ex nobismetipsis, sed suffi-
„ cientia nostra ex Deo.

OBSERVATIONES.

Iisdem innixus principiis S. Doctor inimicos gratiæ insectatur. Primo illud caput inchoat dicendo gratiam non dari secundum hominum in se relictorum merita. 2. Asserit ignorare prorsus non solum cur ex parvulis unus mulieris, alias fidelis, filius sine baptismo migret e vita, e contra vero filius fornicariæ : cur ex duobus geminis eandem habentibus naturam, unus trahatur, alter vero relinquatur. Unum tamen ubique supponit, nempe *voluntate autem sua cadit, qui cadit ; & voluntate Dei stat, qui stat*. 3. Concludit in Dei solum esse potestate ut homo accipiat fidem, & fiat filius Dei & perseveret, *ad quod bonum sumendum & tenendum, & in eo perseveranter usque in finem proficiendum, non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobis* : quibus quidem verbis S. Aug. compescit proterviam Pelagianorum qui dona Dei naturæ quamvis de se sterili, inaniter tribuebant. Igitur in hoc duntaxat totus incumbit S. Præsul, ut probet gratuitatem & necessitatem gratiæ : nec ullum apparet argumentum, quo doceat prædestinationem inadæquate sumptam esse ante prævisa merita virtute ipsius gratiæ comparata.

CAPUT IX.

Difficultatem iterum exponit, sed in tota luce, & hoc variis exemplis quibus invincibiliter probat gratiam non dari naturæ meritis. n. 21. sic scribit : *Ex duobus itaque parvulis originali peccato obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur ; & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem impiis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei.*

OBSERVATIONES.

Iterum atque iterum premit adversarios Augustinus ostendendo gratiam non dari naturæ meritis, alias redderetur ratio cur ex duobus parvulis peccato originali inquinatis unus assumatur, alter vero non: similiter & ex duobus unus salvetur, alter non : quia cito responderetur prævisa fuisse eligendorum futura merita : quod certe, inquit, locum habere non potest, alias Tyrii & Sidonii, qui, visis Christi miraculis, credituri erant, salvati fuissent, qui tamen pro infidelitate pœnas luent æternas. " Severius ergo,
„ inquit Aug. n. 23. punientur isti, nem-
„ pe Judæi, illi remissius, sed tamen
„ punientur. Porro si etiam secundum
„ facta quæ facturi essent si viverent,
„ mortui judicantur; profecto quia fide-
„ les futuri erant isti, si eis cum tantis
„ miraculis fuisset Evangelium prædica-
„ tum, non sunt utique puniendi : pu-
„ nientur tamen : falsum est igitur &
„ secundum ea mortuos judicari quæ fa-
„ cturi essent si ad viventes Evangelium
„ perveniret. Et si hoc falsum est, non
„ est cur dicatur de infantibus qui pe-
„ reunt sine baptismate morientes, hoc
„ in eis eo merito fieri, quia præscivit
„ eos Deus, si viverent, prædicatumque
„ illis fuisset Evangelium, infideliter
audi-

„ audituros. Restat igitur ut solo peccato „ originali teneantur obstricti, & propter hoc solum eant in damnationem. „ Quibus ultimis verbis S. Aug. probat peccatum originale. Unde gladio utraque parte acuto confodit Pelagianos: probando scilicet & gratiæ gratuitatem, & labem originalem omnibus esse communem.

CAPUT X. ET XI.

Impugnat in capite 11. S. Præsul eos qui volunt ideo Tyrios & Sidonios gratiam fidei non habuisse, quia Deus prævidebat quosdam a fide discessuros, contendens Deum neminem aut reprobare propter demerita imaginaria & nunquam futura, aut prædestinare propter merita fictitia. Primum præcipue probat n. 25. his verbis: " Proinde sicut Aposto- „ lus ait, non volentis, neque curren- „ tis, sed miserentis est Dei, qui & par- „ vulis quibus vult, etiam non volenti- „ bus, neque currentibus subveuit, quos „ ante constitutionem mundi elegit in „ Christo, daturus eis gratiam gratis, „ hoc est, nullis eorum vel fidei, vel „ operum meritis præcedentibus... in- „ vestigabilis ergo est misericordia, quia „ cujus vult miseretur, nullis ejus præ- „ cedentibus meritis: & investigabilis „ veritas, qua quem vult indurat, ejus „ quidem præcedentibus meritis, sed „ cum eo cujus miseretur plerumque „ communibus. Sicut duorum gemino- „ rum, quorum unus assumitur, unus re- „ linquitur, dispar est exitus, merita „ communia. „

OBSERVATIONES.

D. Augustinus iisdem semper insistit gradibus in isto capite, in quo potissimum impugnat in duobus Pelagianorum systema, in eo scilicet quod volebant fidem & virtutem initium ducere a natura, & istam sicut gratiæ dona esse ipsi debita: deinde convellendo fundamentum heterodoxorum qui statuebant parvulos vel sine baptismo, vel cum baptismo e vita migrare, quia mala vel bona eorum præsciebat Deus merita, qua de causa aliis baptismum ad vitam æternam capescendam concedebat, aliis vero ad interitum negabat. Contra utrumque dogma probat auctoritate tum Scripturæ, tum Patrum, maxime Cypriani & Ambrosii, gratiam & fidem esse a Deo & non deberi naturæ meritis; neminem vero vel damnari, vel salvari propter facta fictitia & numquam ponenda. Unde dicit prædestinationem neque currentis neque volentis, scilicet naturæ in se relictæ, sed miserentis Dei esse fœtum, quatenus ex gratia, nostra est sufficientia. Unde semper concludit, non in nobis, sed in Domino solo esse gloriandum.

CAPUT XII.

Istud caput est veluti præcedentium conclusio, quandoquidem concludit S. Augustinus gratiam neque meritis naturæ, neque meritis fictitiis prævisis parvulorum si vixissent, dari. Sic enim habet n. 28. " Conficitur itaque gratiam Dei „ non secundum merita accipientium da- „ ri, sed secundum placitum voluntatis „ ejus in laudem & gloriam ipsius gra- „ tiæ ejus, ut qui gloriatur, nullo mo- „ do in seipso, sed in Domino glorie- „ tur... Dando enim quibusdam quod „ non merentur, profecto gratuitam, & „ per hoc veram suam gratiam esse vo- „ luit: non omnibus dando, quid om- „ nes merentur ostendit. Bonus in bene- „ ficio certorum, justus in supplicio cæ- „ terorum. „

Et num. 31. sic prosequitur. " Vide- „ tis enim, carissimi, quam sit absur- „ dum, & a fidei sanitate atque since- „ ritate veritatis alienum, ut dicamus „ parvulos mortuos secundum ea judica- „ ri, quæ præsciti sunt facturi esse si „ viverent? ... Hoc ergo si non dica- „ tur, quod cernitis quanto errore dica- „ tur. Quid restabit nisi ut gratiam Dei „ non secundum merita nostra dari, quod „ contra hæresim Pelagianam Catholica „ defendit Ecclesia? ... Quid dicam, „ quod parvulos aliquando, antequam il- „ li per ministerium baptizantis succurri „ possit, expirat? plerumque enim festi- „ nantibus parentibus, & paratis mini- „ stris, ut baptismus parvulo detur, Deo „ tamen nolente non datur.

OBSERVATIONES.

Quid concludat S. Augustinus, legenti patebit, nempe gratiam neque dari meritis naturæ propter actiones bonas ordinis naturalis, neque meritis parvulorum fidelitie futuris: quod invincibiliter probat exemplo parvuli quem festinantes parentes ducunt ad baptismum, qui tamen Deo nolente, idest permittente, non baptizatur. Igitur Deus non attendit ad merita naturæ, quandoquidem gratia non est debita, alias non foret gratia. Sed iterum atque iterum dico, S. Præsulem nullam movere quæstionem de prædestinatione ad gloriam ex prævisis meritis virtute gratiæ comparatis, vel ante prævisa ejusmodi merita. Unum sufficit Augustino in isto & alio libro, quod neque fides, neque perseverantia & gratia, seu etiam castitas & aliæ virtutes dentur naturæ meritis. Et vero neque currentis, neque volentis per conatum naturæ sunt, sed miserentis Dei, qui omnia operatur non secundum naturæ in se relictæ placitum, sed suum.

C A P U T XIII.

In hoc capite rursus impugnat S. Augustinus sententiam Pelagianorum qui perseverantiam finalem volebant parvulo baptizato morienti concedi ex prævisione meritorum quæ habuisset, si diutius vixisset, & totis viribus affirmat illam esse donum Dei, sive inchoative sumatur, & secundum fidem a qua sumit exordium, sive finaliter & ut complectitur gratiarum seriem, immo & providentiam specialem quæ mortem cum charitate conjungat, quia, *inquit*, Deus operatur & velle & perficere. Et velle fidem & perseverare in fide. Audiamus S. Doctorem qui n. 33. sic insurgit adversus Pelagianos, quorum n. 32. retulerat de perseverantia opinionem.

„ *Satis* dilucide ostenditur, & inchoandi, & usque in finem perseverandi „ gratiam Dei non secundum merita nostra dari . . . Deus est enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate: nos ergo volumus, sed „ Deus in nobis operatur & velle. Nos „ ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate; „ hoc nobis expedit & credere & dicere; hoc est pium, hoc verum, ut sit „ humilis & submissa confessio, & detur „ totum Deo. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus „ quidquid agimus: quod autem attinet „ ad pietatis viam & verum Dei cultum, „ non sumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobismetipsis, sed sufficientia „ nostra ex Deo est. „

OBSERVATIONES.

Ad scopum pergit semper S. Augustinus, fortiter pro gratuitate gratiæ decertaturus, asserens quod non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis; sed dum virtutem & efficaciam gratiæ prædicat, libertatem voluntatis humanæ simul astruit. *Nos ergo*, inquit, *volumus, sed Deus operatur in nobis. Nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur pro bona voluntate*.

C A P U T XIV.

In illo capite varias Pelagianorum objectiones contra gratuitatem gratiæ & prædestinationis definitionem refert & solvit. Sic igitur habet num. 34. “ Sed, „ ajunt, prædestinationis definitionem „ utilitati prædicationis adversam, quasi „ vero adversata sit Apostolo prædicanti. *in Epist. Hil. & Prosperi*. Nonne „ ille Doctor Gentium in fide & veritate & prædestinationem totiens commendavit, & verbum Dei prædicare „ non destitit? numquid quia dixit, „ Deus est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate; ideo „ non ipse, & ut velimus quæ Deo placuerant, & ut operemur hortatus est? „ *Philip.* 2. 13. aut quia dixit, qui in „ vobis bonum opus cœpit, perficiet usque in diem Christi Jesu. „ *Phil.* 1. 6.

Et n. 35. “ Hæc est prædestinatio Sanctorum, nihil aliud, præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, „ quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Cæteri autem ubi nisi „ in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur? ubi Tyrii relicti sunt „ & Sidonii, qui etiam credere potuerunt,

" runt, si mira illa Christi signa vidissent : sed quoniam ut crederent, non erat illis datum, etiam unde crederent est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso genio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant : Et tamen si Dei altiore judicio, a perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa ei adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia vel viderent. In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Judæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis, clarisque virtutibus . . . Non erant ergo sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum : quoniam credidissent, si qualia viderunt isti, signa vidissent. Sed nec illis profuit quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cujus inscrutabilia sunt judicia & investigabiles viæ; nec istis obfuisset quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre. Verum quod dixit Dominus de Tyriis & Sidoniis, aliquo alio modo potest fortassis intelligi : neminem tamen venire ad Christum, nisi cui fuerit datum, & eis dari qui in illo electi sunt ante constitutionem mundi, proculdubio confitetur, a quo non surdis auribus cordis eloquium divinum auribus carnis auditur. Et tamen hæc prædestinatio, quæ satis aperte etiam verbis Evangelicis explicatur, non prohibuit Dominum & propter incipiendum dicere, quod paulo ante commemoravi, " *Credite in Deum & in me credite*, Joan. 14. 1. & propter perseverandum, *oportet semper orare*, *& non deficere*, Luc. 18. 1. Audiunt enim hæc & faciunt, quibus datum est : non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant, quibus non datum est. Quia *vobis*, inquit, *datum est nosse mysterium regni cælorum*, *illis autem non est datum*. Matth. 13. 11. Quorum alterum ad misericordiam, alterum ad judicium pertinet illius, cui dicit anima nostra, *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine*. Psal. 100. 1.

OBSERVATIONES.

Tria respondet S. Augustinus ad objectionem propositam; primo inhæret prædestinationis definitioni, quæ vocatur præparatio beneficiorum quibus certissime liberantur quicumque liberantur, quam auctoritate & Scripturæ, & Patrum defendit : 2. Dicit Apostolum non ideo cessare prædestinationem secundum propositum prædicare, tametsi Deus in nobis incipiat bonum opus & perficiat. Hoc ipsum concludit S. Doctor ex efficacia & certitudine prædestinationis. Jam vero cur unus habeat gratiam, alter vero non, & relinquatur in massa perditionis, fatetur se ignorare, & inscrutabilia esse Dei judicia : subdit alios propter peccatum originale, alios vero propter actuale perire, nullum sine culpa. Ne meminemi autem si salutem refundat semper in prædestinationem & Dei beneplacitum. Loquitur enim in sensu Pelagianis opposito, contendendo gratiam & fidem, a fortiori perseverantiam finalem non dari secundum naturæ merita & ejus beneplacitum : hoc unum intendit probando gratiam, castitatem, obedientiam, aliasque virtutes supernaturales esse dona Dei; sed ubique altum silentium est de prædestinatione ante prævisa merita viribus gratiæ parta.

Audiamus S. Magistrum n. 35. " Verum quod dixit Dominus de Tyriis & Sidoniis, aliquo alio modo potest fortassis intelligi : neminem tamen venire ad Christum, nisi cui fuerit datum. Unde postea hortatur peccatores ad credendum, justos vero ad perseverandum. Hæc, *inquit*, prædestinatio, quæ satis aperte etiam verbis evangelicis explicatur, non prohibuit Dominum & propter incipiendum dicere, quod paulo ante commemoravi, *credite in Deum & in me credite*, & propter perseverandum, *oportet semper orare*, *& non deficere*.

Dices, Videtur S. Augustinus prædicare prædestinationem libertati contrariam, quia ibidem dicit de Judæis : " In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Judæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus : Et de Tyriis & Si-

" do-

,, doniis non erant ergo sic excæcati oculi ; nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa vidissent. Sed nec illis profuit quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo. Et infra : postquam ad credendum adhortatus est peccatores, justos vero ad perseverandum, subdit : Audiunt enim hæc & faciunt, quibus datum est : non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant quibus non datum est, &c. ,,

Respondeo negando antecedens : ad primam probationem dico S. Augustinum non semel asseruisse Judæos non credidisse, quia, visis Christi miraculis, noluerunt credere. Sic enim de eis l. de præd. SS. c. 6. n. 11. loquitur, *illi quia noluerunt, non crediderunt.*

Ad secundum, distinguo : non profuit Tyriis & Sidoniis quod potuerint credere, quia non erant prædestinati, idest, sua culpa caruerunt gratia per se efficaci quæ facit facere, concedo : quia decreto necessitante erant alligati ad mortem, nego. Plurimum a mente Augustini alienum est prædicare prædestinationem necessitantem, quippe qui libertatis humanæ jura ubique defendat : loquitur quidem de prædestinatione, sed ad gratiam; nam ibi agit & tractat de prædestinatione quæ facit facere, quæ dat obedientiam & fidem ; unde cum dicit aliquos non credere, eo quod non sint prædestinati, vult solummodo eos carere gratia efficaci, quæ dat & operari, & castum esse. Et vero loquitur in sensu opposito Pelagianis, qui quidem contendebant voluntatem humanam viribus innatis posse nedum credere, sed & virtutes habere, ad hoc quippe legis illuminationem sufficere asserebant ; unde bene dicit Augustinus : *Audiunt enim hæc, & faciunt, quibus datum est :* nempe donum gratiæ efficacis, *non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant, quibus non datum est :* hoc est, sive audiant per legem, sive non, quia neque lex, neque voluntas humana sola sufficit. Revera quidem, ut anima audiat interius, & non solummodo extrinsece, profecto requiritur gratia efficax, de qua tantum loquitur S. Præsul, qui quidem est sui ipsius interpres. Sic enim ait n. 37. " Hinc est quod Dominus, cum eis loqueretur, qui carnis aures apertas haberent, dicebat tamen, *Qui habet aures audiendi, audiat.* Luc. 8. 8. " quas non omnes habere proculdubio noverat. A quo autem habeant, quicumque habent, ipse Dominus ostendit, ubi ait : ,, *Dabo eis cor cognoscendi me & aures audientes*, Baruch. 2. 31. Aures ergo audiendi ipsum est donum audiendi. ,,

Sed attende, quæso, benevole Lector, ad illationes quas Augustinus ex locis in objectione laudatis deducit ; numquid ex hoc concludit prædestinationem esse ante prævisa merita virtute gratiæ parta? numquid prædestinationem esse necessitantem? Nullo modo ; verum potius omnia bona esse gratiæ fœtum, de iis hominem gloriari non debere, sic enim loquitur & concludit scilicet n. 36. " Nec prædestinationis igitur prædicatione impedienda est prædicatio fidei perseverantis, & proficientis, ut quod oportet audiant, quibus datum est ut obediant... Ut qui fideliter & obedienter vivit, non de ipsa obedientia tanquam de suo non accepto bono extollatur : sed qui gloriatur, in Domino glorietur. In nullo enim gloriandum, quando nostrum nihil sit. Quod vidit fidelissime Cyprianus, & fidentissime definivit, per quod utique prædestinationem certissimam pronuntiavit. *Cypr. l. 3. ad Quirin. c.* 4. Nam si in nullo gloriandum est, quando nostrum nihil est, profecto nec de obedientia perseverantissima gloriandum est : nec ita nostra, tamquam non sit nobis desuper donata, dicenda est. ,, Luce clarius apparet Augustinum impugnare solummodo hæresim Pelagianam, defendendo necessitatem gratiæ efficacis ad agendum, quod certe palam & ubique prædicare debemus : merito igitur hanc gratiæ prædestinationem & causam S. Doctor vult annuntiari, quippe quæ & a Christo & ab Apostolis prædicata fit contra naturæ inflatores.

CAPUT XV. XVI. XVII. ET XVIII.

In his capitibus insurgit Augustinus contra hæreticos & alios animo fractos qui vel errore, vel ex pusillanimitate, vel etiam ex ignorantia inferunt ex gratiæ necessitate & efficacia correptionem & ora-

orationem inutiles esse c. 15. num. 38. sic prosequitur: " Sed ajunt, ut scribitis, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiæ, audientibus multis: ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem, vel accepta perseverantia maneatis in fide; cæteri vero qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia nec dum vos adjutorium gratiæ miserantis erexit. "

OBSERVATIONES.

Attende, si placet, ad responsionem Augustini: " Ista, *inquit*, cum dicuntur, ita nos a confitenda vera Dei gratia, idest, quæ non secundum merita nostra datur, (*intellige merita naturæ; nam de iis solum loquitur, & hoc contra Pelagianos*), & a confitenda secundum eam prædestinatione Sanctorum deterrere non debent, sicut non deterremur a confitenda præscientia Dei." Quibus verbis S. Doctor docet electionem ad gratiam gratuitam ullo absque timore profitendam esse. Ergone quia salutis opus a Deo dependet, desperandum? Quinimmo, tutiores sumus, inquit Aug. si in Deo & non in homine confidamus, quandoquidem est bonus & Dominus, & Pater misericordiarum ac totius consolationis Deus; unde Propheta Regius, Psal. 117. *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*. Et Psal. 10. *In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer?*

S. Præsul c. 16. n. 39. clarius adhuc suam aperit mentem. " Sunt etiam, *inquit*, qui propterea vel non orant, vel frigide orant, quoniam, Domino dicente didicerunt, scire Deum quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo. Num propter tales hujus sententiæ veritas deserenda, aut ex Evangelio delenda putabitur; immo cum constet alia Deum, danda etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam: profecto qui ex seipso hanc se habere putat, non orat ut habeat. Cavendum est igitur, ne dum timemus ne tepescat hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio. "

Et n. 41. " Jam tamen fateantur, quod eorum præveniat voluntatem quibus datur hæc gratia: ideo utique, ne non gratis dari credatur gratia, sicut veritas loquitur, sed potius secundum præcedentis merita voluntatis, sicut contra voluntatem Pelagianus error obloquitur. Prævenit ergo & fidem gratia. "

Eodem modo contra Pelagianos c. 17. gratuitatem gratiæ & necessitatem defendit. " Restat, *inquit*, in his bonis usque in finem perseverantia, quæ frustra quotidie a Domino poscitur, si non eam Dominus per gratiam suam in illo, cujus orationes exaudit, operatur. " N. 42. dicit castitatem, charitatem, pietatem esse dona Dei, adeoque nec impediri exhortationes, ut oratione & deprecatione possint obtineri. N. 43. & 44. in primis docet S. Doctor corripiendos esse inquietos, impudicos, inobedientes. Et n. 45. subdit. " Neque isti, propter quos hæc dicimus, qui prædicatione prædestinationis & gratiæ clamitant impediri, ad sola illa exhortantur dona, quæ non a Deo dari, sed a nobis esse contendunt, sicut sunt initium fidei, & in ea usque in finem perseverantia.... ista Dei dona esse, nec a seipso cuiquam, sed ab illo tribui prædicamus. "

Denique n. 47. sic concludit. " Hæc itaque dona Dei quæ dantur electis secundum Dei propositum vocatis, in quibus donis est & incipere credere, & in fide usque ad vitæ hujus terminum perseverare, sicut tanta rationum atque auctoritatum contestatione probavimus; hæc, inquam, Dei dona, si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur a Deo: præsciuntur autem: hæc est igitur prædestinatio quam defendimus. Unde aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus, *Rom.* 11. 2. Non repulit Deus plebem suam quam præscivit... In hac ergo electione & in his reliquiis, quæ per electionem gratiæ factæ sunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, " quia

„ quia præscivit. Hæc est illa electio, „ qua eos quos voluit, elegit in Christo „ ante constitutionem mundi ut essent „ sancti & immaculati in conspectu ejus, „ in charitate, prædestinans eos in adoptionem filiorum. Nullus igitur qui hæc „ intelligit, negare vel dubitare permittitur, ubi ait Apostolus, non repulit „ Deus plebem suam, quam præscivit, „ prædestinationem significare voluisse. „ Præscivit enim reliquias quas secundum „ electionem gratiæ fuerat ipse facturus. „ Hoc est ergo prædestinavit: sed prædestinasse, est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus. „

OBSERVATIONES.

Multa paucis pertractat S. Augustinus. Primo quidem stabilit orationis necessitatem duabus potissimum rationibus. Quatenus scilicet ex nobis neque incipere bonum, neque perficere habemus; nam fides a qua salus ducit exordium & perseverantia per quam consummatur, non sunt a nobis, sed a gratia præveniente & perficiente, quam Deus dat cui vult, sunt quippe dona ad placitum Omnipotentis & non creaturæ: immo & virtutes ad salutem compellentes a Deo donante accipimus, & ideo non solum ab oratione non cessandum est, inquit Aug. sed ei insistere debemus, ut habeamus naturæ adjutorio gratiæ, quod deest viribus naturæ; ait enim n. 45. S. Doctor: " Neque isti, „ propter quos hæc dicimus, qui prædicatione prædestinationis & gratiæ exhortationem clamitant impediri, ad „ sola illa exhortantur dona, quæ non a „ Deo dari, sed a nobis esse contendunt, „ sicut sunt initium fidei, & in ea usque „ in finem perseverantia... ista Dei dona esse, nec a seipso cuiquam, sed ab „ illo tribui prædicamus. „ Alia ratione orationis probat necessitatem, quia Deus præparavit gratiam vi orationis elargiendam. Sic loquitur Aug. nu. 39. " Num propter tales hujus sententiæ veritas deserenda, aut ex Evangelio delenda putabitur? immo cum constet alia „ Deum, danda etiam non orantibus, „ sicut initium fidei; alia nonnisi orantibus „ præparasse, sicut usque in finem perseverantiam; profecto qui ex seipso „ hanc se habere putat, non orat ut habeat. „ Observa quomodo ad scopum semper pergat Aug. impugnando merita naturæ in se relictæ; qui enim ex seipso putat habere vel fidem, vel perseverantiam, non orat ut ea habeat; sed vide quid subjungat: " Cavendum est igitur, „ ne dum timemus ne tepescat hortatio, „ extinguatur oratio, accendatur elatio.„

Sed in primis observandum est quod c. 18. n. 47. totum ferme librum concludat Augustinus dicendo, se loqui de electione ad gratiam: " In hac ergo electione „ & in his reliquiis, quæ per electionem gratiæ factæ sunt, voluit intelligi plebem quam propterea Deus non „ repulit, quia præscivit. Sed attende „ ad verba sequentia: Hæc est illa electio, qua eos quos voluit, elegit in „ Christo ante constitutionem mundi, ut „ essent sancti & immaculati in conspectu ejus, in charitate, prædestinans „ eos in adoptionem filiorum. „ Ecce quod S. Præsul vocat prædestinationem, nempe electionem ad gratiam, ut simus sancti & immaculati, electionem ad filiationem Dei adoptivam; ita ut ne unum quidem verbum dicat a primo capite ad ultimum, neque in rationibus, neque in consequentiis & illationibus, de prædestinatione ad gloriam.

CAPUT XIX. XX.

Augustinus confirmat doctrinam superius traditam auctoritate SS. Cypriani, Ambrosii & Gregorii Nazianzeni qui omnes uno quasi calamo scribunt gratiam esse gratuitam. Primus quidem l. 3. ad Quirin. c. 4. ait: " In nullo gloriandum, „ quando nostrum nihil sit. Secundus l. „ de fuga sola c. 1. Non est in potestate „ nostra cor nostrum, & nostræ cogitationes. Tertius denique orat. 44. in „ Pentecosten: Unius deitatis, quæso „ vos, confitemini Trinitatem: Si vero „ aliter vultis, dicite unius esse naturæ; „ & Deus vocem dari vobis a sancto Spiritu deprecabitur. „ Idest, *inquit* Augustinus c. 19. n. 49. " Rogabitur Deus, „ ut permittat vobis dari vocem, qua „ quod creditis, confiteri possitis. Postea „ addit hæc verba Gregorii: Dabit enim, certus sum; qui dedit quod primum est, dabit & quod secundum est;

„ id-

„ idest, *inquit* Aug. qui dedit credere, „ dabit & confiteri. „

His peractis subsumit S. Doctor suum argumentum n. 50. & ait: " Isti tales „ tantique Doctores dicentes non esse aliquid, de quo tanquam de nostro, quod „ nobis Deus non dederit, gloriemur... „ Numquid autem quisquam eos dicturus „ est, ita confessos istam Dei gratiam, „ ut auderent negare ejus præscientiam, „ quam non solum docti, sed indocti etiam „ confitentur? „

Postea capite 20. num. 5. concludit: " Quamobrem si & Apostoli, & Doctores Ecclesiæ qui eis successerunt, eosque imitati sunt, utrumque faciebant, „ idest, & Dei gratiam, quæ non secundum merita nostra datur, veraciter „ prædicabant &c. Et n. 53. Hæc est prædestinatio manifesta & certa Sanctorum, „ quam postea diligentius & operosius, „ cum jam contra Pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit... „ Quid autem coegit loca Scripturarum, „ quibus prædestinatio commendata est, „ copiosius & enucleatius isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari: quod quid est aliud quam „ gratiæ omnino negatio? „

OBSERVATIONES.

Probat S. Augustinus in capite decimo nono auctoritate SS. Patrum gratiam non dari meritis naturæ; dicit Deum hoc præscire, & præsciendo prædestinare, idest, præscire quod facturus est, scilicet per suam gratiam, quia homo solis naturæ viribus neque credere, neque perseverare potest, ideo Deus præscit quod facturus est, quod idem est ac prædestinare. Hunc esse genuinum S. Augustini sensum, patet ex supra dictis, sed maxime ex iis quibus incipit caput decimum nonum, sic enim loquitur num. 48. " Quid ergo nos prohibet, quando „ apud aliquos verbi Dei tractatores „ legimus Dei præscientiam, & agitur „ de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? „ Ast, quid sit illa prædestinatio, ipse, seposita omni verborum ambiguitate, dicit esse electionem ad gratiam, dicit contra Pelagianos qui volebant eam dari naturæ meritis, & sic eam evacuabant. " Hæc „ est, *inquit*, prædestinatio manifesta, „ & certa Sanctorum, quam postea diligentius & operosius, cum jam contra „ Pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit... Quid autem coegit loca Scripturarum, quibus prædestinatio commendata est, copiosius & „ enucleatius isto nostro labore defendi, „ nisi quod Pelagiani dicunt gratiam Dei „ secundum merita nostra dari: quod „ quid est aliud quam gratiæ omnino negatio? „

CAPUT XXI. XXII.

Eandem S. Augustinus de gratuitate gratiæ prosequitur doctrinam, sic enim habet c. 21. num. 54. " Hæc ergo ut „ ingrata Deo sententia destruatur, gratuitis Dei beneficiis quibus liberamur „ inimica, & initium fidei, & in ea „ usque in finem perseverantiam secundum Scripturas, unde jam multa diximus, dona Dei esse defendimus. Quoniam si a nobis esse dicimus initium „ fidei, ut eo cætera Dei dona mereamur accipere, concludunt Pelagiani, „ gratiam Dei secundum merita nostra „ dari. Quod ita exhorruit catholica fides, ut damnari timens, hoc Pelagius „ ipse damnaverit... Prædestinatio prædicanda est, ut possit vera Dei gratia, „ hoc est, quæ non secundum merita nostra datur, insuperabili munitione defendi. „

Fusiori calamo se explicat S. Præsul n. 56. & ait: " Inter initium autem fidei „ & perfectionem perseverantiæ, media „ sunt ista, quibus recte vivimus, quæ „ ipsi etiam donari nobis a Deo fide impetrante, consentiunt. Hæc autem „ omnia, initium scilicet fidei & cætera usque in finem dona sua, Deus largiturum se vocatis suis esse præscivit. „ c. 22. n. 57. prohibet prædicare prædestinationem coram populo verbis paululum durioribus, ne tepescat oratio, torpeat opus, & correctio aut inutilis evadat, aut etiam prorsus non admittatur; unde n.9. hanc rejicit propositionem, " Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis „ de infidelitate, accepta obediendi „ voluntate, veneritis ad fidem; nam „ sub-

„ subdit : Quid opus est dici ex vobis ? „ Si enim Ecclesiæ Dei loquimur, si „ credentibus loquimur, cur alios eorum „ ad fidem venisse dicentes, cæteris facere videamur injuriam? cum possimus „ congruentius dicere : Ita se habet de „ prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut ex infidelitate veneritis ad fidem accepta voluntate obediendi, & accepta perseverantia permaneatis in fide. „

Et n. 59. " Nec illud quod sequitur est „ omnino dicendum, idest, cæteri vero „ qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia „ necdum vos adjutorium gratiæ miserantis erexit, cum bene & convenienter dici possit & debeat, si qui autem „ adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite „ saluberrimam disciplinam, quod tamen „ cum feceritis, nolite extolli quasi de „ operibus vestris, aut gloriari, quasi hoc „ non acceperitis ; Deus est enim qui „ operatur in vobis & velle & operari „ pro bona voluntate : Et a Domino „ gressus vestri diriguntur, ut ejus viam „ velitis : de ipso cursu vestro bono rectoque condiscite vos ad prædestinationem divinæ gratiæ pertinere. „

Numero 60. alium modum loquendi de prædestinatione durum arguit & carpit S. Augustinus. " Item, *inquit*, quod sequitur, & dicitur : Verumtamen si qui „ estis nondum vocati, quos gratia sua „ prædestinavit eligendos, accipietis eandem gratiam, qua velitis & sitis electi : durius dicitur quam dici potest, „ si non quibuslibet hominibus loqui, „ sed Christi Ecclesiæ, cogitemus. Cur „ enim non potius ita dicitur : Etsi qui „ nondum sunt vocati, pro eis ut vocentur oremus ? fortassis enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam, qua velint atque efficiantur electi. „ n. 61. prohibet dicere alicui ex audientibus; non esse prædestinatum, unde rejicit istam propositionem. " Etsi „ qui estis qui obeditis, si prædestinati „ estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis. „ Modeste & sobrie præcipit loqui de hac materia.

Postea n. 62. adhortatur fideles ut sperent in Domino. " Vos itaque etiam „ ipsam obediendi perseverantiam a Patre luminum, a quo descendit omne „ datum optimum & omne donum perfectum, sperare debetis & quotidianis „ orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere non vos esse a prædestinatione populi ejus alienos; quia etiam „ hoc ut faciatis, ipse largitur. Absit „ autem a vobis ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso „ habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis qui spem habet in „ homine : Et bonum est confidere in „ Domino quam confidere in homine ; „ quia beati omnes qui confidunt in eum. „ Hanc spem tenentes, servite Domino „ in timore, & exultate ei cum tremore....... faciet nos perseverare „ in se usque in ejus vitæ finem, cui „ quotidie dicimus, ne nos inferas in „ tentationem. Postea subdit: Hæc atque hujusmodi cum dicuntur, sive paucis Christianis, sive multitudini Ecclesiæ, cur metuimus Sanctorum prædestinationem & veram Dei gratiam, idest, quæ non secundum merita nostra „ datur, sicut eam sancta Scriptura prædicat, prædicare? an verum timendum „ est, ne tunc de se homo desperet, „ quando spes ejus ponenda demonstratur „ in Deo, non autem desperaret, si eam „ in seipso superbissimus, & infelicissimus poneret? „

OBSERVATIONES.

Unum solum & ubique inferri vult S. Augustinus ex prædestinatione, videlicet fidem & perseverantiam esse dona Dei, gratiæ, non naturæ fœtum : cupit prædestinationem sic prædicari, ut vitetur error Pelagianus : jam vero quis hoc in conventu Ecclesiæ conclamare verebitur, cum sit de fide hominem viribus suis non posse sine gratiæ auxilio credere, sperare, amare Deum sicut oportet, a fortiori in bono perseverare ? propter quod renatis ac Sanctis adjutorium Dei semper esse implorandum definiere Patres Concilii secundi Arausicani Can. 10. Hinc Aug. n. 54. concludit : *Prædestinatio prædicanda est, ut possit vera Dei gratia, hoc est, quæ non secundum merita nostra datur, insuperabili munitione defendi*. Unde n. 57. 58. 59. 60. 61. iterum prohibet dure loqui de præ-

prædestinatione; & n. 62. hortatur totis viribus fideles ut sperent in Domino, quatenus securi vivimus dum in Omnipotentis bonitate & non in nobis omni virtute destitutis, confidimus, *ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo*.

Dices. Non semel dicit S. Augustinus homines perseveraturos esse, si sint prædestinati, sin minus e contra, unde totum salutis negotium refundit in prædestinationem ab homine independentem, & in decretum absolutum; nam & frequenter dicit se loqui absque præjudicio latentis consilii Dei; immo gratias temporales solum pro aliis qui non sunt prædestinati, dari contendit. Pro priori momento sufficiat iste locus qui c. 22. nu. 61. habetur. " Res enim non optabilis, " sed abominabilis dicitur, & durissime " atque odiosissime quasi in audientium " frontem compellando colliditur, quando qui eis loquitur, dicit, etsi qui estis " qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, " ut obedire cessetis, quid enim sententiæ deperit, si ita dicatur: si qui autem obediunt, sed in regnum ejus & " gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt? Nonne " & verius eadem res & congruentius " dicitur, ut non ipsis tantum malum " tanquam optare videamur, sed de aliis " referre quod oderint, nec ad se existiment pertinere, sperando, orandoque meliora? illo autem modo, quo id " dicendum putant, eadem sententia, " eisdemque pæne verbis etiam de præscientia Dei, quam certe negare non " possunt, pronuntiari potest, ut dicatur, etsi qui obeditis, si præsciti estis " rejiciendi, obedire cessabitis. Nempe " hoc verissimum est: ita sane, sed improbissimum... non falso eloquio, sed " non salubriter valetudini humanæ infirmitatis apposito. " Ibi ne dum de prædestinatione ad gratiam, sed etiam ad gloriam, si non quoad nomen, saltem quoad rem tractat; ergo tenet prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita etiam viribus gratiæ comparata.

Respondeo negando consequentiam propter multa. 1. quia ne unum quidem verbum habetur tum in isto, tum in alio libro de prædestinatione ante vel post prævisa merita viribus gratiæ comparata, sed solum viribus naturæ vel parta, vel prævisa quam Pelagiani defendebant: 2. rarissime & solum secundario loquitur S. Augustinus de prædestinatione ad gloriam; sed totus, saltem principalis sermo est de prædestinatione ad gratiam. Et vero cum prædestinationem explicat, post varias validasque probationes de gratuitate gratiæ, eam dari independenter a naturæ meritis propugnat; hoc ipsum non semel, sed iterum atque iterum quasi cuncta resumendo concludit, ut c. 18. n. 47. " Hæc est, *inquit*, illa electio qua eos quos voluit, elegit in Christo " ante constitutionem mundi, ut essent " sancti & immaculati in conspectu ejus, " in charitate, prædestinans eos in adoptionem filiorum. Nulla ibi fit mentio " de gloria. " Et c. 20. n. 53. " Hæc " est prædestinatio manifesta, & certa " Sanctorum quam postea diligentius & " operosius, cum jam contra Pelagianos " disputaremus, defendere necessitas compulit... Quid autem coegit loca Scripturarum quibus prædestinatio commendata est, copiosius & enucleatius isto " nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicunt gratiam Dei secundum " merita nostra dari: quod quid est aliud quam gratiæ omnino negatio? " Ecce Augustinus suæ mentis ipse interpres: Unum semper concludit, videlicet gratiam non dari naturæ meritis exhibitis vel exhibendis seu prævisis: Initium fidei, & perseverantiam qua pervenitur ad regnum Cælorum esse dona Dei. Quid verius? quidve securius?

Respondeo 2. distinguendo. Augustinus omnia refundit in prædestinationem, idest, in gratiam Dei, concedo: in prædestinationem ante prævisa merita, subdistinguo: ante prævisa merita naturæ, concedo: ante prævisa merita virtute gratiæ comparata, nego. Eo loci S.Præsul solummodo negat prævisionem meritorum in sensu opposito Pelagianis quos hic debellat; sed nullo modo impugnat merita gratiæ prævisa, cum ibidem dicat præscita esse, & alibi Deum nostras præscire voluntates.

Sensus igitur Augustini est, Deum eligere secundum propositum suum, nempe secundum opera hominis, quæ ipse virtute

tute suæ gratiæ facturus est, hoc præscit, hoc decernit facere: & non secundum placitum voluntatis humanæ. Sensus est eos liberari qui prædestinati sunt, idest, qui habituri sunt gratiam efficacem ut bonis abundent operibus: sensus est gratiam fidei & perseverantiæ esse gratuitam; sed quare aliis detur, aliis non? Parvulis quibusdam propter peccatum originale negari asserit S. Doctor; adultos vero baptizatos quandoque deficere a perseverantia propter peccatum actuale docet. Jam vero si quæras cur isti peccent, & non habeant gratiam efficacem ut non peccent & perseverent, dicit Aug. & se nescire, & inscrutabilia esse Dei judicia; quocirca gratias eorum qui non perseverant vocat temporales, non negando quidem illos habuisse gratias sufficientes quibus poterant assequi salutem, immo & sæpius multas efficaces sine quibus multa bona opera ab ipsis patrata numquam fuissent, sed comparative ad gratiam finalem & perseverantiæ, quia peccatores resistendo gratiæ interiori, a via justitiæ declinaverunt & inutiles facti sunt. Quis orthodoxus eadem non dicat?

Jam bene sequitur quod Augustinus absque fato & liberi arbitrii offensione dixit, ex 1. Joannis 2. 19. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis mansissent utique nobiscum*. Prævidit enim Deus eorum infidelitatem, unde loquuntur Scripturæ de præscientia & prædestinatione, inquit S. Augustinus, secundum pericula vitæ. Et sic sequendo principia & scopum S. Præsulis, claret ejus doctrinam nullam præ se ferre amaritudinem, quin potius solida & tanto tutior est, quanto plura dat Deo, qui solus nostra sufficientia est. Cæterum quod Aug. non loquatur de decreto ferreo libertatem perimente, patet ex loco in objectione allato, in quo fatetur eodem modo se loqui de prædestinatione ac de præscientia; & sicut istam nemo potest negare, ita nec illam. Verum est enim & Deum operari per gratiam opera nostra ad salutem conducentia, quod S. Augustinus vocat prædestinare, & eadem præscire: quid namque homines libere agentes facturi sunt, vel resistendo gratiæ, vel cooperando, ipse Deus novit, ipse præscivit.

CAPUT XXIII. ET XXIV.

S. Doctor iterum probat in capite vigesimo tertio n. 63. gratuitatem gratiæ orationibus Ecclesiæ. " Quandoquidem, *inquit*, non „ oraret Ecclesia ut daretur infidelibus „ fides, nisi Deum crederet & adversas „ hominum ad se convertere voluntates: „ nec oraret Ecclesia ut perseveraret in „ in fide Christi, non decepta vel victa „ tentationibus mundi, nisi crederet Do„ minum sic in potestate habere cor no„ strum, ut bonum quod non tenemus nisi „ propria voluntate, non tamen tenea„ mus nisi ipse in nobis operetur & velle. „ Nam si hæc ab ipso quidem poscit Ec„ clesia, sed a seipsa sibi dari putat: non „ veras, sed perfunctorias orationes habet; „ quod absit a nobis. Quis enim veraciter „ gemat, desiderans accipere quod orat a „ Domino, si hoc a seipso se sumere exi„ stimet, non ab illo? „

N. 64. dicit gratiam requiri etiam ad hoc ut petamus ", præsertim quoniam quid „ oremus sicut oportet nescimus, sed ip„ se Spiritus, ait Apostolus, *interpellat pro* „ *nobis gemitibus inenarrabilibus*... Rom. 8. „ 26. Quid est, ipse Spiritus interpellat, nisi „ interpellare facit gemitibus inenarrabili„ bus, sed veracibus, quoniam veritas est „ Spiritus? ipse est enim de quo alio loco „ dicit: Misit Deus Spiritum Filii sui in „ corda nostra, clamantem, Abba, Pater „ ... ubi intelligimus, & hoc ipsum esse do„ num Dei, ut veraci corde & spiritaliter „ clamemus ad Deum. „

Denique totum sic concludit librum c. 24. n. 66. " Sed quid plura? *inquit*, satis do„ cuisse me existimo, vel potius plusquam „ satis, dona Dei esse, & incipere in Do„ minum credere, & usque in finem in „ Domino permanere. „

OBSERVATIONES.

Annotes velim, benevole Lector, quinam sit genuinus S. Augustini sensus in isto libro? ipsum aperire dicendo se voluisse probare initium fidei, & perseverantiam finalem esse dona Dei: immo ait hoc ipsum sufficienter demonstrasse. Igitur nullam movet ibi quæstionem de prædestinatione ad gloriam ante vel post prævisa merita virtute gratiæ comparata, cum

nulla

nulla de hoc momento inter ipsum & Pelagianos, quos in hoc & alio libro debellat, controversia moveatur de vocatione & electione ad gloriam, nisi secundario seu consequenter, quatenus illam naturæ meritis tribuebant. N. 67. eximiam exhibet fidei confessionem de Christo ut Deo & homine.

Solvuntur Objectiones.

Objicies. SS. Hilarius & Prosper in suis vicissim ad S. Augustinum Epistolis, postulant ab eximio Doctore an electio stet secundum propositum vel non? igitur quæstio erat an prædestinatio esset ante prævisa merita, vel non?

Respondeo, controversiam processisse de electione ad gratiam, ad gloriam vero nonnisi secundario. Namque punctum difficultatis in eo maxime situm erat, an fides ortum haberet a natura, vel non? an homines ad fidem vocarentur secundum naturæ merita, an secundum merum Dei placitum & gratuito? istud quidem in responsionibus quas dat in utroque libro hac de causa composito, fortiter propugnat S. Augustinus.

Instabis. S. Augustinus loquitur de prædestinatione ad gloriam in libro de prædestinatione Sanctorum. Et probatur: loquitur sæpius de prædestinatione parvulorum ad gloriam. Ergo, &c.

Respondeo distinguendo: S. Augustinus loquitur de prædestinatione ad gloriam occasionaliter, & ex prævisis naturæ meritis quam rejicit & confutat, concedo: de prædestinatione ad gloriam ante vel post prævisa merita virtute gratiæ comparata, nego. Palmare hæresis Semipelagianæ caput quod debellat in hoc libro S. Augustinus, istud erat, initium fidei est a natura, qui quidem error totam velut fermentum cæterarum actionum massam corrumpebat. Ex hoc enim inferebant heterodoxi parvulos cum baptismo e vita migrantes ideo gloria donari, quia Deus prævidebat ita esse optimæ indolis, ut si viverent, bene & fideliter mandata servarent; e contra vero alios, qui baptismo privati moriebantur, ideo sic vita functos asserebant, quia Deus prævidebat futuram malam eorum vitam, si nati ad majorem provecti fuissent ætatem, quod utique impugnat auctoritate Scripturæ S. Augustinus contendens Deum neutiquam aliquem aut compensare, aut punire propter fictitia merita aut demerita futura. Sed ubique altum est silentium de prædestinatione ante vel post prævisa merita vi gratiæ comparata.

Rursus instabis. S. Augustinus in istis libris defendit gratiam, & quidem per se efficacem, sic censent gravissimi Theologi: sed gratia per se efficax infert prædestinationem ante prævisa merita: igitur S. Aug: in istis libris ex professo tractat de prædestinatione ad gloriam ante prævisa merita etiam virtute gratiæ comparata. Probatur major; in his duobus libris non semel dicit S. Doctor Deum præscire quid facturus est: nec replicari potest S. Augustinum loqui de præscientia speculativa quæ per ideam facit, seu potius dirigit opus; quandoquidem in probationem affert illud Ezech. 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Et istud Philipp. 2. 13. *Deus est enim qui operatur in nobis velle & perficere*. Quod sane intelligitur de vera & physica efficientia. Enimvero S. Præsul refellit Semipelagianos qui initium fidei a natura & non a gratia ducebant, alias nihil quicquam adversus illos probasset; non enim negabant Deum per ideam & legem cœptum opus fidei dirigere: minor vero etiam patet, quandoquidem gratia per se efficax non expectat voluntatis humanæ conatum, sed eam facit facere. Igitur prædestinatio ad gloriam est ante prævisa quæcumque merita, siquidem eo ipso quo gratia dat operari, dat & merita: igitur prædestinatio ad gloriam est etiam intentive secundum Augustiuum mere gratuita.

Respondeo 1. non esse hic locum tractandi seu determinandi, num gratia sit per se efficax, vel solum per humanæ voluntatis gratia præveniente excitatæ & motæ consensum: sed dato quod sit per se efficax ex mente S. Aug. ut multi autumant, & ut defendimus: non inde sequitur prædestinationem ad gloriam esse ante prævisa merita virtute gratiæ comparata, bene vero prædestinationem ad gratiam fidei & perseverantiæ finalis, neutra quippe cadit sub meritum; sed inde tantummodo sequitur prædestinationem adæquate sumptam esse ante prævisa merita, quæ quidem omnia eatenus concordant, quatenus gratia quæ est in

in nobis sine nobis dat fidem, series vero gratiarum & providentia, eaque specialis jungunt misericorditer gratiam sanctificantem & charitatem cum morte: igitur ex hac Augustini doctrina solum sequitur juxta multorum opinionem, prædestinationem esse ante merita naturæ prævisa.

Respondeo 2. concessa majore distinguo minorem. S. Aug. infert prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita naturæ, concedo: ante merita virtute gratiæ parta, subdistinguo; prædestinationem adæquate sumptam, concedo; inadæquate spectatam, nego. Dictum est prædestinationem adæquate sumptam complecti & primam gratiam quæ est in nobis sine nobis, & fidem atque perseverantiam finalem quæ sane non cadunt sub meritum: cum autem S. Præsul agat ex professo de fide & perseverantia contra Pelagianos, & Semipelagianos, recte ex gratuitate utriusque doni, concludit gratuitatem prædestinationis adæquate sumptæ, quæ quidem omnia media dicit & importat ad salutem capessendam: de ista autem prædestinatione loqui S. Augustinum tum in libro de prædestinatione Sanctorum, tum in libro de dono perseverantiæ luce clarius apparet; namque tractat de prædestinatione quam in utroque libro definit præparationem mediorum quibus certissime liberantur quicumque liberantur: sed unde certissime liberantur? nisi quia prædestinatio includit omnia media, etiam perseverantiam finalem. Porro controversia non est de prædestinatione ad gloriam inadæquate sumpta, quam certe hic non propugnat Augustinus ante prævisa merita.

Adhuc instabis. Augustinus loquitur ex professo de prædestinatione ad gloriam; namque initio libri de prædestinatione Sanctorum, definit prædestinationem præparationem mediorum quibus certissime liberantur quicumque liberantur: Quid est autem liberari, nisi ex hoc mundo ex statu peccati transire ad gloriam, & ad impeccabilitatis statum? Ergo, &c.

Respondeo negando antecedens, cujus quidem falsitas patet ex omnibus Augustini & probationibus, & conclusionibus quæ ad unum tendunt scopum, scilicet ut Semipelagianis demonstret initium fidei & perseverantiam finalem esse & a gratia quam ubique prædicat gratuitam, & ex misericordia procedere, minime verò ex naturæ meritis, ut volebant heterodoxi: Hinc iterum atque iterum inculcat electionem ad gratiam esse gratuitam, *l. de Dono Persever. cap.* 18. *n.* 47. 11. *Hæc est*, inquit, *illa electio qua eos quos voluit, elegit in Christo ante constitutionem mundi, ut essent sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate, prædestinans eos in adoptionem filiorum*. Ad probationem distinguo. S. August. initio libri agit de prædestinatione Sanctorum ad gratiam, concedo, ad gloriam, subdistinguo; illative, quatenus infertur ex perseverantia finali, concedo: ex professo, nego. Tractat enim de vocatione ad fidem, & ad gratiam finalem seu perseverantiam, quod patet ex ipsa prædestinationis definitione, hanc enim dicit præparationem mediorum, scilicet gratiarum ad perseverantiam finalem infallibiter conducentium. S. Præsul est sui ipsius interpres, *l. de prædest. SS. cap.* 10. *nu.* 9. his verbis: " Inter gratiam porro „ & prædestinationem hoc tantum inte- „ rest, quod prædestinatio est gratiæ „ præparatio: gratia vero jam ipsa dona- „ tio. Quod itaque ait Apostolus, non „ ex operibus, ne forte quis extolla- „ tur, ipsius enim sumus figmentum, „ creati in Christo Jesu in operibus bo- „ nis. „ Vides B. L. S. Doctorem solum de gratia in hac definitione allata loqui; quod utique probat auctoritate Apostoli dicentis gratiam esse necessariam ad opera bona facienda.

Insistes. S. Augustinus l. de præd. SS. cap. 10. nu. 19. sic loquitur *Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus*, quod quidem sine fine repetit in lib. de Dono Perseverantiæ; immo semper recurrit ad Dei propositum in isto libro num. 47. & in alio libro cap. 9. dicit se loqui absque præjudicio consilii latentis Dei: quæ quidem omnia indicant prædestinationem omnem ante prævisa quæcumque merita esse.

Respondeo distinguo. Istæ Augustini sententiæ indicant prædestinationem omnem ante quæcumque merita prævisa naturæ, concedo; gratiæ, nego. Solutio est ipsius Augustini suam clare exponentis men-

mentem in ipso libro de præd. SS. c. 10. postquam enim S. Præsul dixit: *Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus*, subdit: " Quocirca prædestinatio Dei quæ in bo- „ no est, gratiæ est, ut dixi, præparatio: „ gratia vero est ipsius prædestinationis effe- „ ctus. Quando ergo promisit Deus Ab- „ rahæ in semine ejus fidem Gentium di- „ cens: Patrem multarum Gentium po- „ sui te; unde dicit Apostolus, ideo ex „ fide, ut secundum gratiam firma sit pro- „ missio omni semini; non de nostra vo- „ luntatis potestate, sed de sua præde- „ stinatione promisit. „ Quibus verbis duo potissimum statuit S. Aug. nempe se loqui de prædestinatione ad gratiam: deinde Deum daturum esse gratiam ante prævisa merita naturæ. " Alioquin, *inquit*, ut Dei promissa compleantur, „ non in Dei, sed in hominum est pote- „ state. „ Patet igitur per propositum, Augustinum intelligere Deum dare gratiam ad nutum suum, & non secundum merita & placitum naturæ in se relictæ.

Persistes. Idem S. Doctor l. de corr. & gr. c. 8. ait: " Subventum est infirmitati „ voluntatis humanæ ut divina gratia in- „ declinabiliter & insuperabiliter age- „ retur, & ideo quamvis infirma non de- „ ficeret. „ Eo loci de gratia indeclinabiliter movente loquitur S. Aug. sicut & in libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ: sed gratia insuperabiliter movens est independens a meritis naturæ etiam adjutæ: Et vero cum natura modo remisse, modo ferventer operetur, modo etiam cesset ab operatione, si gratia dependet ab ipsa, numquam indeclinabiliter movebit, quod est contra Augustinum. Igitur S. Doctor vult gratiam prædestinationis esse ante prævisa merita voluntatis creatæ etiam adjutæ.

Respondeo distinguendo; & loquitur S. Aug. in locis allatis de gratia perseverantiæ, de qua utique perpetuus ferme sermo est in utroque libro de quo tractamus, concedo; & ex hoc sequitur tantum prædestinationem adæquate sumptam esse ante prævisa merita: Et loquitur de gratia efficaci ut sic, nego. Observes velim, benevole lector, etiam sub dominio gratiæ perseverantiæ intactam manere libertatem; nam S. Aug. ibidem, scilicet l. de corr. & g. c. 8. dicit *gratiam dare liberrimam, fortissimam, invictissimam, & perseverantissimam voluntatem*.

Urgebis. Ex Augustino gratia efficax ut sic etiam movet indeclinabiliter. Igitur est effectus prædestinationis quæ est ante prævisa merita. Probatur antecedens L. de prædest. SS. c. 8. n. 13. ait Aug. " Sed „ ubi & quomodo a Patre audierint hoc, „ & didicerint, non videmus. Nimium „ gratia ista secreta est. Gratiam vero „ esse quis ambiget? Hæc itaque gra- „ tia, quæ occulte humanis cordibus di- „ vina largitate tribuitur, a nullo duro „ corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, „ ut cordis duricia primitus auferatur. „ Ergo, &c.

Respondeo 1. S. Augustinum ubique profiteri & docere gratiam non adimere liberum arbitrium, juxta illud, l. de Spiritu & Littera c. 33. " Consentire au- „ tem, *inquit*, vel dissentire gratiæ, „ propriæ voluntatis est. „ Non excludere liberam cooperationem vel resistentiam: nam l. de dono persev. c. 8. n. 19. ait: " Voluntate autem sua cadit qui „ cadit: " Et c. 13. n. 33. Nos ergo vo- „ lumus, sed Deus operatur in nobis vel- „ le. Nos ergo operamur, sed Deus in „ nobis operatur & operari. „ Sed quare non operetur in omnibus, audi Prophetam Psal. 118. *Priusquam humiliarer, ego deliqui*, audi B. Stephanum Act. 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis*. Sed quare unus trahatur per gratiam, & alter relinquatur? Si quæris ultra, respondet Augustinus ibidem l. de dono persev. c. 8. n. 18. " Fateor me non in- „ venire quid dicam. Si & hoc quæ- „ ris quare; quia in hac re sicut ju- „ sta est ira ejus, sicut magna est mise- „ ricordia ejus, ita inscrutabilia judicia „ ejus.

Respondeo 2. S. Augustinum in libro de prædestinatione Sanctorum non separare fidem a perseverantia, sicut in libro de dono perseverantiæ non sejungit perseverantiam a fide, ut ex textibus utriusque libri relatis liquet. Loquitur igitur de gratia quæ dat in fide perseverantiam. Jam quid mirum, si de illa gratia loquens, dicat eam a nullo corde respui?

Respondeo 3. dato & non concesso S. Augustinum in loco laudato in objectione loqui de gratia efficaci ut sic, non tamen dicit S. Præsul illam gratiam indeclinabiliter movere, sed tantum a nullo corde duro respui, quæ duo valde discrepant: a nullo quidem duro corde respuitur, sed potest respui & rejici: quot enim gratiam efficacem oblatam pessundant? quot gratia præveniente commoti, dura cervice resistunt Spiritui sancto, & impediunt ne efficax evadat ejus gratia vel per majorem radicationem in subjecto vel per novum intentionis gradum, vel etiam ut quidam autumant, per novæ entitatis gratiæ adventum? Præterea nequidem gratia perseverantiæ indeclinabiliter movet: hoc est necessario & liberum perimendo arbitrium, ita ut illi non possit resistere voluntas, sed solum infallibiliter, quatenus anima tot & tantis prævenitur auxiliis tum intrinsecis, tum extrinsecis ut velit & eligat semper in charitate & fidelitate permanere: si tamen perseverantia terminative sumatur, videlicet ut est actualis conjunctio mortis cum charitate: jam est felicitas & peccandi impotentia, jam indeclinabiliter movet quia figit animam immobiliter in bono.

Et hac sufficiant pro expositione mentis D. Augustini quam omni cum sinceritate explanare tentavimus. Si quis alterum in his duobus libris inveniat aut profundiorem, aut magis veracem sensum, omni qua par est humilitate & reverentia lubenti animo eum audiemus.

Cæterum nihil difficultatis circa prædestinationem Sanctorum liber de correptione & gratia ejusdem S. Doctoris complectitur: ibi quippe potissimum probat S. Doctor locum correctionis remanere sub dominio præscientiæ & gratiæ: perseverantiam finalem esse speciale donum: si quid vero quæstionis movet de prædestinatione ante prævisa merita, loquitur tantum de prædestinatione ad gratiam.

Jam vero num Augustinus in aliis suis libris quæstionem moverit de prædestinatione ad gloriam etiam inadæquate consideratam, res ita incerta est, ut contrarium potius per omnia affulgeat: quandoquidem materiam de efficacia gratiæ solum tractat adversus Pelagianos & Semipelagianos, quibus duo potissimum probat, videlicet & necessitatem & gratuitatem gratiæ; igitur solum & prædestinationem gratuitam ad gratiam.

COROLLARIUM.

Ex principiis D. Augustini in libro de Prædestinatione Sanctorum, & in libro de Dono Perseverantiæ stabilitis, manifeste sequitur Prædestinationem ad gloriam adæquate sumptam, esse ante prævisa merita.

Probatur hoc brevi, sed efficaci ratiocinio. Prædestinatio Sanctorum adæquate sumpta nedum aliqua, sed omnia complectitur media quibus certissime liberantur quicumque liberantur; jam vero inter ista media annumeratur gratia vocationis & fidei; numeratur prima gratia quæ est in nobis sine nobis; gratia perseverantiæ finalis quæ est specialissimum Dei donum. Sed ex principiis a Divo Augustino in utroque libro laudato stabilitis, probatisque multiplici & divinarum Scripturarum & SS. Patrum auctoritate, nec prima gratia & ipsum fidei initium, immo nec gratia perseverantiæ finalis cadunt sub meritum. Igitur ex principiis B. Augustini prædestinatio ad gloriam adæquate sumpta, est ante prævisa merita. S. Thomas fidelis S. Augustini interpres 1. p. q. 23. ar. 5. asserit prædestinationem isto spectatam modo non posse fieri post prævisa merita. *Impossibile est*, inquit, *quod totus prædestinationis effectus in communi habeat aliquam caussam ex parte nostra.*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sanctus Augustinus nec in libro de Prædestinatione Sanctorum, nec in libro de Dono Perseverantiæ tractat, saltem primario & ex professo, de Prædestinatione ad gloriam inadæquate sumptam.

Primo. Quia Augustinus in utroque libro debellat Semipelagianos, maxime in duobus, videlicet in eo quod fidei initium a natura ducerent, & perseverantiam finalem gratiæ versatilis fœtum esse dicerent, & sic gratiam Mediatoris deprimebant, ejusque gratuitatem evacuabant; controversiæ igitur caput erat de prædestinatione gratuita ad gra-

gratiam: igitur de ea solum pertractat Augustinus.

Secundo. S. Augustinus unum maxime & perpetuo probat, nimirum prædestinationem ad gratiam esse mere gratuitam, & perseverantiam finalem gratiam esse ita specialem, ut non cadat sub meritum.

Tertio. Sanctus Præsul post varias probationes de utroque momento, utrumque librum concludit asserendo prædestinationem ad gratiam esse mere gratuitam. Igitur de prædestinatione ad gratiam & non ad gloriam in his libris agit.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

Primo. Ultro fatendum est Sanctum Prosperum & Sanctum Hilarium in suis ad Sanctum Augustinum Epistolis petere num prædestinatio stet secundum propositum vel non; sed loquuntur de prædestinatione ad gratiam, & respondet Augustinus stare secundum propositum voluntatis divinæ, nusquam vero secundum propositum voluntatis humanæ, ut contendebant Semipelagiani.

Secundo. Nonnumquam in libris prædictis tractat Sanctus Augustinus de prædestinatione parvulorum ad gloriam, sed in sensu opposito Semipelagianis, qui propugnabant parvulos cum baptismo decedentes, ideo gratia baptismali & gloria donari, quia Deus præsciverat eos, si vixissent, habituros fuisse multa merita, & sic evacuabant gratuitatem gratiæ per fictitia naturæ prævisa merita.

Tertio. Deus quidem scit quid sit facturus, sed & hoc solummodo probat gratiam, qua mediante & adjuvante operamur bonum, esse gratuitam, & secundum nostros Thomistas, per se efficacem.



DISSERTATIO QUARTA
DE VOLUNTATE DEI
puniente & reprobante impios.



ON MINUS abstrusum & reconditum est reprobationis secretum, quam prædestinationis sigillum. Beatus Augustinus multus est in texendo divinæ justitiæ erga impios judicio. Epist. 105. ad Sixtum de eo sic effatur: " Quamvis Deus facit
,, vasa iræ in perditionem, ut ostendat iram,
,, & demonstret potentiam, qua bene etiam utitur malis, & ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ,
,, quæ facit in honorem, non damnabili
,, massæ debitum, sed suæ gratiæ largitate donatum, tamen in eisdem iræ vasis propter meritum in contumeliam debitam factis, idest, hominibus propter
,, naturæ quidem bonum creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem quam rectissime veritas improbat,
,, damnare novit ipse, non facere. ,,

Mali tamen homines ut suis indulgeant passionibus, nihil esse post hanc vitam pro peccatis timendum autumant. Sed contra, Christus ipse Matth. 25.46. sic pronuntiat: *Ibunt hi in supplicium æternum.*

Dogma de reprobatione impiorum his quatuor argumentis stabilitur.

Primo: quia anima est immortalis.

Secundo: quia datur propter peccatum reprobatio privativa Dei.

Tertio: quia datur pœna ignis pro peccatoribus impœnitentibus.

Quarto: quia pœnæ damnatorum sunt æternæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum anima sit immortalis.

EPICURUS posuit animam esse mortalem, ut dictum est supra; Hermogenes materiam esse innatam & Deo coævam propugnavit; ex quibus confictis principiis quidam in alterum impegerunt errorem, existimantes animam post mortem vel resolvi in materiam subtiliorem, cui infinitatem, omnipotentiam aliasque prærogativas soli Deo convenientes affingunt, vel etiam subesse aliis corporibus pecudum, plantarumve arbitrantur. Non modicum de animæ interitu sententia arridet impiis & obduratis, ut, subtractis omnibus conscientiæ stimulis, iniquitatem sicut aquam ebibant. Jamjam inane Hermogenis systema confutavimus, nunc operæpretium est contra omnes & profanos, & impios, ut peccandi finem faciant, animæ immortalitatem astruere, ut discant Deum esse remuneratorem bonorum operum, ultorem vero criminum. Ad hoc momentum dilucide & sicut par est pertractandum, duo nobis facienda incumbunt. Primo quidem animam esse immortalem demonstrare, deinde vero systema Epicuri circa confictam animæ mortalitatem convellere necesse est, unde fit

---

SECTIO PRIMA.

Variis argumentis astruitur animæ immortalitas.

QUINQUE potissimum argumentis probatur animam esse immortalem. Primo quidem ex Scriptura sacra. 2. Ex Conciliis. 3. Ex traditione. 4. Ex

4. Ex Philosophis 5. Ex rationibus physicis, metaphysicis & moralibus.

Probatur immortalitas animæ ex Scriptura Sacra.

Primum argumentum ex veteri Testamento eruitur.

Primo. Ex libris legalibus. Gen. 1. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*. Et supra v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæque terræ*. In eodem libro benedixit Deus Abraham, & bona æterna tum ipsi, tum ejus semini promittit. Exodi 33. Moises petit gloriam & videre Deum expostulat, Deus vero ad ipsum ait: *Veni, ostendam omne bonum tibi*. Homo ad imaginem Dei factus dicitur, quæ quidem imago utpote viva & perfecta secundum immortalitatem attendi debet: quæ quidem explicatio ex ipsa Scriptura colligitur. Sic enim habetur *Sap. 2. 23. Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum*. Promittitur etiam Patriarchis Christus, in quo & a quo consummatam debebant habere felicitatem. In tribus sequentibus libris promittitur vita æterna justis legi fideliter adhærentibus. Igitur anima est immortalis, alias frustra homini promitterentur bona æterna.

Secundo. Ex libris historialibus. Judic. 5. *Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilant*. c. 18. *Tradet vobis Dominus locum, in quo nullius rei penuria est eorum quæ gignuntur in terra*. 1. Reg. 2. *Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum*. Job. 19. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum*.

Tertio. Ex libris sapientialibus. Psal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Psal. 23. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? innocens manibus & mundo corde*. Psal. 26. *Credo videre bona Domini in terra viventium*. Cant. 2. *Surge, propera amica mea, & veni: Jam enim hiems transiit, imber abiit, & recessit*. Et c. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Sap. 3. 1. *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis*. Rursus 10. 10. *Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei*. Ergo, &c.

Quarto. Ex libris prophetalibus. Isai. 32. de gloria Sanctorum. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta . . . respice Sion civitatem solemnitatis nostræ. Oculi tui videbunt Jerusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit*. *Rursus* c. 61. 7. *In terra sua duplicia possidebunt, duplicem stolam, & lætitia sempiterna erit eis*. c. 64. 4. *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te*. c. 65. *Propter hoc hæc dicit Dominus Deus . . . Ecce ego creo cœlos novos & terram novam . . . Et exultabit in sempiternum in his*. Ezech. 37. *Dixit ad me: Fili hominis, ossa hæc universa domus Israel est: ipsi dicunt aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscissi sumus. Propterea vaticinare & dices ad eos: hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de tumulis vestris, populus meus, & inducam vos in terram Israel*. Oseæ 2. 20. *Sponsabo te mihi in sempiternum*.

Certe hæc omnia manifeste demonstrant immortalitatem animæ: & probatur: Deus est immortalis, ergo & anima. Probatur consequentia: Ex Scriptura homo similis Deo dicitur: ad participationem bonorum æternorum evocatur: Deo tanquam sponso anima justa per desponsationem gratiæ adhærebit in æternum: quinimmo omnes homines in judicio resurgent, ut unusquisque reddat rationem de his omnibus quæ gessit: Igitur anima est immortalis.

Secundum argumentum depromitur e novo Testamento.

Primo. Ex Evangelistis Matth. 13. *Justi fulgebunt sicut sol in regno Dei*. c. 25. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*. Luc. 12. *Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis*. Ibidem c. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum*. Joan. 16. Iterum *videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis*. c. 17. *Hæc est*

est vita æterna : ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. Ibidem : *Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi*. Sed omnium celebrior ille censetur in quo Christus Matth. 10. 28. sic loquitur : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Certe regnum quod promittitur æternum est. Igitur anima est immortalis.

Secundo. Ex Actibus 1. 6. *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel ?* Act. 13. 48. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. cap. 7. Stephanus ait : *Video cælos apertos & Jesum stantem a dextris virtutis Dei . . . Domine Jesu suscipe spiritum meum ; & cum hoc dixisset obdormivit in Domino*. Si anima foret mortalis, frustra S. Levita expostularet ut Dominus Jesus suam susciperet in tabernaculis æternis animam. Ergo, &c.

Tertio. Ex Epistolis. Rom. 2. *Reddet his, qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam*. 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. 1. Joann. 3. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. 1. Petr. *Satagite ut per bona opera vestra certam vestram vocationem & electionem faciatis*. Phi. 2. 21. *Expectamus Dominum nostrum Jesum Christum qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*.

Quarto. Ex Apocalypsi. 2. 17. *Vincenti dabo manna absconditum & nomen novum* & 14. 4. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati . . . Sequuntur agnum quocumque ierit*. *Et post hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, stantes ante thronum*.

Ex his sequitur idem & simile priori argumentum. Evangelistæ & Acta asserunt Sanctos vita donari æterna. Paulus, Joannes & Theologorum supremus beatus Petrus dicunt eosdem vivere in Deo, ipsum in cœlis videre, hoc ipsum inhiare & concupiscere. Joannes in Apocalypsi vidit Sanctos, alios cum palma, alios vero cum stolis albis sequentes Agnum in regno cœlorum ; igitur anima est immortalis; alias hæc omnia Scripturarum oraculis manifeste contraria forent. Sed ut cuncta paucis ordine promamus, quatuor validissimæ rationes ex omnibus tum veteris, tum novi Testamenti textibus relatis eruuntur pro immortalitate animæ, quæ in ordinem digestæ & explicate luce clarius demonstrabunt animam immortalitate plenam esse.

Tertium argumentum sit ex quadruplici potissimum ratione in divinis fundata Scripturis.

Anima immortalis est, & dicitur. Primo quidem, quia ad similitudinem Dei expressa & creata est : secundo, quia participat a Deo vitam nullatenus amittendam : Tertio, quia in æternitate aut florebit, si justa sit ; aut cruciabitur, si mala : Quarto, quia corpus hominis resurget in novissimo die ut animæ iterum, sed in æternum consocietur.

Prima sic exponitur : Illud est immortale quod ad vivam & perfectam Dei similitudinem factum est, imago quippe prototypo assimilari debet, alias nonnisi æquivoca & metaphorica foret : atqui anima rationalis ad vivam Dei, tametsi tantum analogam seu finitam similitudinem facta & creata legitur *Gen.* 1. 26. Igitur est immortalis. Jam vero quod anima ad similitudinem Dei perfectam formata sit, multiplici intelligitur modo. Primo quidem secundum naturalia, anima quippe repræsentat Deum Patrem per suam memoriam : Deum Filium, per intellectum ; Deum Spiritum sanctum, per voluntatem. Anima quodammodo Deum exprimit per suas facultates : & vero intelligit Deum, quoque, & amat, quæ duæ operationes in Deo Optimo Maximo primitus & plurimum affulgent. Addo eundem repræsentari per virtutes animæ innatas, scriptum est enim *Eccli.* 17. 6. de primorum parentum animæ concessis dotibus, *disciplina intellectus replevit illos : Creavit illis scientiam spiritus, implevit cor eorum sensu, mala & bona ostendit illis*. Virtutes autem intellectuales a Deo ut a Patre luminum promanare nemo sensatus non novit. Anima nedum secundum dotes naturales, sed & secundum dona supernaturalia Deo assimilatur & eum repræsentat, ejusque exprimit & naturam & attributa, immo & omni-

omnipotentiam. Naturam quidem juxta illud 2. Petr. 1. 4. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*; attributa per operationem virtutum, sic enim habetur Joan. 41. 21. *Si quis diligit me*, ait Christus, *diligetur a Patre meo, apud eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: Potentiam denique, ibidem enim ℣. 12. sic loquitur Filius Dei: *Qui credit in me opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*. Quibus & similibus sententiis claret animam per omnia, tametsi finite, Deo, in quantum fieri potest assimilari, illamque dotibus suis tum naturalibus, tum supernaturalibus exprimere, quod certe creaturæ mere materiali & corruptibili non convenit; quippe quæ & intelligere & amare, immo & finem supernaturalem cognoscere illumque prosequi non valeat. Concludamus igitur animam rationalem esse immortalem eo ipso quo est ad Dei similitudinem.

Secunda ratio in ista forma proponitur. Quod participat a Deo vitam immortalem, est immortale: atqui anima rationalis participat a Deo vitam immortalem: igitur est immortalis: Probatur minor. Actuum 17. habetur: *ipsius genus sumus, in ipso vivimus, movemur & sumus*. Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; & illud. Psal. 20. *Vitam petiit a te & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi*. Et Joan. 8. 5. *Mortem non gustabit in æternum*. Denique anima participat Dei immortalitatem.

Tertia in Scripturis utriusque Testamenti fundamentum habet, & sic procedit; promittitur homini justo regnum Dei in æternum possidendum, scriptum est enim: Psal. 144. *Regnum tuum regnum omnium sæculorum*, sed hoc foret falsum si anima mortalis esset: Et vero, quomodo in æternum regnatura diceretur, si cum corpore moreretur? igitur est immortalis & hoc necessario sequitur, eo quod decreto Dei cautum est, justos corona æterna, malos vero & reprobos æternis donari suppliciis.

Quarta. Hæc cæteris accedit, corpora resurgent, resurgent enim mortui Apostolo 1. Cor. 15. Ergo anima est immortalis: probatur consequentia. Resurrectio nihil aliud est quam corporis emortui cum anima viva, iterata conjunctio numquam delenda, Ergo si corpora resurgunt, animæ sunt immortales. Hinc sapiens mirabundus exclamat 5. 16. *Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum*.

Probatur immortalitas animæ ex Conciliis.

Arausicanum c. 18. ait: "Debetur merces bonis operibus, si fiant.„ Loquitur de mercede æterna.

Lateranense sub Inn. III. c. *Firmiter*. „Non solum, *inquit*, virgines & continentes, verum etiam conjugatæ per rectam fidem & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.„

Florentinum agendo de Purgatorio declarat justorum animas quæ nihil amplius expiandum habent sine mora videre Deum & æterna frui beatitudine, quod & de fide definivit Benedictus Extrav. *Bened.*

Tridentinum sess. 6. c. 16. "Bene operantibus, *inquit*, usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, tanquam finis & tanquam gratia filiis per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.„

Jam sequitur illud validissimum argumentum & omni acceptione dignum. Ille est immortalis secundum animam cui Deus promittit immortalem pro bonis operibus mercedem, quique ad hoc provocat animam tum æternæ vitæ donandæ intuitu, tum ejus pulchritudine. Atqui Deus ex Conciliis promittit pro bonis operibus bona æterna justo, & ad mandata sua adimplenda excitat provocatque omnes sine exceptione homines, justos & impios, senes & parvulos, Principes & populos, dicendo Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum... Beati eritis cum maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint... Gaudete & exultate, quoniam merces vestra magna est in cælis*. Jam vero si anima est mortalis, si cum corpore perit atque moritur, frustraneæ sunt ad bonum Christi exhortationes intuitu

tu bonorum æternorum: quod absit dicere; igitur anima est immortalis.

Probatur immortalitas animæ ex Traditione Patrum.

Dionysius l. de Cœlest. Hiet. pag. 32. & 33. " In his quidem Sanctorum som-
,, nus, & ut ita dicam dormitio, cum
,, in gaudio speque certissima freta ad di-
,, vinorum certaminum ac laborum finem
,, pervenit. Eorum autem qui a Sacris
,, Religionis Christianæ abhorrent, par-
,, tim stulte & inconsiderate in nihilum
,, recidere existimant. ,, Ratio Dionysii pro immortalitate astruenda triplex est. Prima quidem, quia Sanctorum mors somnus & dormitio nuncupatur. Et jure merito, namque virtute Christi corpora justorum e pulvere suscitabuntur ut suis in æternum conjungantur animabus. Secunda vero, quia ad finem laborum Sancti pervenientes in pace requiescunt. Tertia denique, quia contrarium propugnantes stulte & inconsiderate loquuntur. Quare stulte? nisi quia animam immortalem interitui subjici autumant.

Justinus martyr dialog. cum Tryph. suo perstringit stylo censorio eos qui negant animæ immortalitatem, & sic procedit: " Non igitur sunt immortales. Non,
,, *inquit*, quandoquidem constitit inter
,, nos, mundum quoque esse generatum.
,, Atqui nec interire omnes animos cen-
,, seo. Platonicum malis esset perfugium.
,, Sed quid? Bonorum quidem animos in
,, amœniore aliquo loco manere, ma-
,, lorum autem & improborum in tristio-
,, re, in quo judicis diem expectent. Ita
,, ii animi qui Dei conspectu digni sunt,
,, non jam intereunt: alii pœnas luunt,
,, ubi eos & esse & supplicio affici Deus
,, jusserit. ,,

Idem in explicationibus quæstionum q. 47. fusius explanat æternam Sanctorum mercedem. q. 75. omnium celebrat resurrectionem, præmia quidem pro bonis, supplicia vero pro malis. Post q. 77. sic concludit. " Nec unquam animus mori-
,, tur, mors enim est eorum quæ anima-
,, ta sunt, non animi. ,,

Ratio triplex a Beato Justino affertur quibus suam contra quosdam Gentiles Philosophos probat de immortalitate sententiam. 1. Boni præmiantur in æternitate, mali vero puniuntur. 2. Omnes resurgent ut de suis reddant supremo judici rationem. 3. Mors competit animatis quæ cum sint composita dissolvuntur, sed non animo qui ipse est vita animati & ens simplex: igitur in partes minime divisibilis, ideoque incorruptibilis & immortalis.

Irenæus l. 3. adversus hær. hær. 64. ex professo probat animæ immortalitatem, quæ quidem anima habuit, inquit, initium, sed voluntate Dei in æternum manebit. " Si qui autem, *inquit*, hoc in
,, loco dicunt, non posse animas eas quæ
,, paulo ante esse cœperint, in multum
,, temporis perseverare, sed oportere eos
,, aut innascibiles esse ut sint immorta-
,, les: vel si generationis initium acce-
,, perint, cum ipso corpore mori: discant
,, quoniam sine initio & sine fine, vero
,, & semper idem & eodem modo se ha-
,, bens, solus est Deus, qui est omnium
,, Dominus. Quæ autem sunt ab illo om-
,, nia, quæcumque facta sunt, & fiunt,
,, initium quidem suum accipiunt... Per-
,, severant autem & extenduntur in lon-
,, gitudinem sæculorum secundum volun-
,, tatem factoris sui.... Anima quidem
,, non est vita, participat a Deo sibi præ-
,, stitam vitam... Deo itaque & vitam,
,, & perpetuam perseverantiam donante,
,, capiunt animæ. ,,

Ratio duplex assignatur a Sancto Irenæo ad probandam animæ immortalitatem. Prima ea est, Deus qui omnia quæcumque voluit fecit, etiam vult ut animæ, licet habeant initium in tempore, tamen in æternum maneant. Secunda vero est: ab ipso Creatore ad cujus imaginem animæ sunt conditæ participaut immortalitatem.

Clemens Alexandrinus l. 4. Strom. pag. 482. sic loquitur: " In vivendo ergo be-
,, ne vivitur, & hoc in ipso vita effici-
,, tur & ad æternitatis habitum trans-
,, mittitur. ,, Et lib. 6. pag. 684. Est
,, enim Philosophia cognitione plena, ut
,, quæ data sit a Domino & rursus per
,, Dominum declarata Apostolis. Nun-
,, quid autem cognitio est proprietas ani-
,, mæ ratione præditæ, quæ ad hoc exer-
,, cetur ut per cognitionem inscribatur ad
,, immortalitatem? ,,

Ratio Clementis cur anima sit immortalis, hæc est, cognitione, & ratione ple-

plena est; Belluæ vero quæ sunt per omnia mortales non discurrunt.

Tertullianus toto libro de resurrectione carnis probando resurrectionem corporum simul & probat animæ immortalitatem. Quinimmo illam supponit ut veritatem de qua dubitare nefas est. Sic autem hunc incipit librum. " Fiducia Christianorum „ resurrectio mortuorum; illa, credentes „ sumus, hoc credere veritas cogit. Ve„ ritatem Deus aperit. Sed vulgus irri„ det, existimans nihil esse post mortem: „ Et tamen defunctis parentant, & qui„ dem impensissimo officio, pro moribus „ eorum, pro temporibus esculentorum, „ ut quos negant sentire quicquam, es„ cam desiderare præsumant.... Nihil „ esse post mortem, Epicuri schola est. „ Ait & Seneca omnia post mortem fi„ niri, etiam ipsam. Satis est autem, si „ non minor Philosophia Pythagoræ & „ Empedocli. Sed Platonici immortalem „ animam e contrario reclamant. Immo „ adhuc proxime etiam in corpora re„ meabilem affirmant. Etsi in eodem, „ & si non in humana tantummodo, ut „ Euphorbus in Pythagoram, Homerus „ in pavum recenseantur, quædam enim „ & natura nota sunt: ut immortalitas „ animæ penes plures: ut Deus noster „ penes omnes. Utar ergo & sententia „ Platonis alicujus pronuntiantis, omnis „ anima immortalis, utar & conscientia „ populi contestantis Deum deorum. U„ tar & reliquis communibus sensibus, „ qui Deum judicem prædicant, Deus „ videt; & Deo commendo. „

Ratio multiplex affertur a Tertulliano ad probandam animæ immortalitatem. Prima petitur a sententia Platonis id affirmantis. Secunda fundatur in ipsa conscientia populi, qui agnoscit Deum nostrum Deum deorum, idest, creaturarum immortalium quales sunt animæ rationales. Tertia, ex moribus ejusdem vulgi, populi quippe defunctis parentant; igitur agnoscunt eos immortales secundum animam. Quarta, ex ipsis sensibus qui Deum judicem prædicant. Immo, vulgus, voce subita erumpente, ait: *Deus videt: & Deo commendo*. Si igitur Deo se commendat, agnoscit consequenter animæ immortalitatem; sola enim Deum judicem habet a quo sors creaturæ dependet.

Cyprianus de Passione & Resurrectione Christi sic loquitur: " Tu aliis vitam „ temporalem, aliis procurasti perpe„ tuam; admirabili ordine quædam mu„ tans & renovans, &, præfinito tem„ pore, metam irrationalibus omnibus „ præfixisti, & terminum quem transire „ non possit dissolutioni conditio destina„ ta. Homo quia ex cælesti & terrena „ materia compactus est, vestitus extrin„ secus pelle, & carnibus, tempus acce„ pit, quo, te jubente, redderet terræ „ quod de terra assumpserat, & ad im„ materialem originem reverteretur spi„ ritus: cujus natura dissolutionis non ad„ mittit injuriam... Sed & hoc, Do„ mine, ad cumulum beneficii addidisti, „ ut inter legem carnis & spiritus nulla „ postmodum esset diversitas, nec post „ initum fædus ulla iterum inter eos re„ crudescat rebellio: sed per manum tuam „ reconciliatio ordinata stabilis in perpe„ tuum perseveret. „

Ratio Cypriani duplex recensetur pro immortalitate animæ. Prima petitur ex differentia quæ intercedit inter creaturam irrationalem & rationalem; illi quidem prefixit Deus metam vivendi & esse, isti vero minime, sed ad originem suam immaterialem revertendam esse voluit. Secunda, ex resurrectione deducitur, in qua quidem anima prosemper carni iterum conjungenda est.

Athanasius tractatu de definitionibus de anima & mente. " Quapropter, *inquit*, „ anima quoque ductu intellectus imagi„ natur superna, & quæ illic sunt, quæ„ rit, appetit & desiderat, quoniam illinc „ habet creationem suam, irrationalis au„ tem anima non sic, sed quia terrestris „ est, solummodo terrestria quærit, ideo„ que una cum corpore quoque moritur. „ Anima vero hominis æternum vivit, „ & non habet finem. „

Ratio Athanasii unica est, sed validissima; probat animæ immortalitatem ex eo quod anima rationalis cœlestia rimetur & quærat, anima vero belluarum solum terrestria, & ideo moritur & dissolvitur quippe quæ materialis est.

Hilarius in Psalm. 63. sic effatur: " „ Qui vero prædicabit animæ cum cor„ pore occasum, audiet animam non esse „ terrenam, sed ex afflatu Dei ortam, „ elementis corporis admisceri, mortem „ autem non interitum esse, sed disces-

„ sio-

„ sionem ejus a corpore. Qui autem resurrectionem carnis abnegabit, sciet „ non difficilem ejus instaurationem futuram ei, cui inchoatio prima sit facilis. Porro qui curam humanæ conversationis Deo auferet, cognoscet æterni regni Deum judicem, neque hominem idcirco tantum conditum ut esset, „ quid enim esse hominem Deo utile fuit? sed ut in cognitionem Dei editus, profectum sibi ex opificis sui cognitione speraret. „

Ratio triplex assignatur a B. Hilario pro immortalitate animæ comprobanda. Prima, quia afflatu Dei facta est, adeoque spiritualis & non terrestris ac corruptibilis. Secunda, quia mors non est animæ interitus, sed ejus solum a corpore discessio, siquidem expectat Deum judicem. Tertia, quia si foret mortalis, nihil utile Deo fuisset hominem condere. Quorsum enim creatus? ad conditoris gloriam, ad illum cognoscendum, & in æternum redamandum.

Chrysostomus suum addit calculum hom. 7. in Epist. ad Thess. explicans enim illa verba, *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus* ait: " Qui dormierunt nusquam „ mortui sunt... Resurrectione quidem „ omnes fruentur, *inquit*, non omnes „ autem erunt in gloria, sed qui in „ Christo... Quid enim est, dic quæso, facilius, an ex nihilo ad hoc ut „ sint deducere, an dissoluta excitare, „ & restituere? „

Ratio B. Chrysostomi pro animæ immortalitate duplex est. Prima quidem, mortui non secundum se totos mortui sunt, sed partim dormierunt, partim vero mortui sunt: Qui autem dormierunt, secundum illud quod dormierant profecto non sunt mortui, scilicet secundum animam. Altera vero sic se habet, nihil est Deo impossibile: sicut igitur animam fecit ex nihilo, ita & in æternum illam potest conservare: immo & totum hominem post resurrectionem in sempiternum conservabit viventem, ut recipiat prout gessit, sive bonum, sive malum.

Basilius homil. in Psal. 48. ait. " Qui „ igitur in hoc mundo laboraverit, hic „ vivet in finem. Qui vero in deliciis.. „ vitam videbit in camini flamma cruciatus. „

Ratio immortalitatis animæ petitur a S. Præsule ex resurrectione mortuorum, & ex judicio universali quo Christus reddet unicuique secundum opera.

Epiphanius concinit l. 2. hær. 64. „ Quod autem, *inquit*, anima immortalis sit, manifeste Dominus tum per se, „ se, tum per Salomonem edocuit. Per „ sese quidem, in divitis ac Lazari pauperis historia; quorum hunc in Abraham sinu post exutum corpus requiescere voluit: alterum cruciatibus damnavit, a quibus cum Abrahamo colloquentem introduxit. Idem vero per „ Salomonem in eo libro qui Sapientia „ inscribitur, ostendit: (ubi, Justorum, „ *inquit*, animæ in manu Dei sunt, & „ non tanget illos tormentum: visi sunt „ in oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum, & „ quod a nobis est iter exterminium. „ Illi autem sunt in pace, & spes illorum immortalitate plena est...) Quod „ si quis resurrectionem animæ non corpori eventuram pertinacius affirmare „ velit, magna est hominis stoliditas & „ dementia. „ Probat hoc momentum exemplo Moysis & Eliæ qui nondum mortui, sed meliori in loco reservati astiterunt in transfiguratione cum Christo colloquentes.

Ratio multiplex ab Epiphanio assignatur pro immortalitate animæ, una ex beatitudine Lazari nunc in sinu Abrahæ quiescentis, & ex reprobatione divitis qui cruciatur in flammis cum cæteris reprobis, quorum vermis & cruciatus non extinguentur, inquit Scriptura. Altera ex parabola Salomonis dicentis, *anima Justorum in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis*. Altera denique, Stultum est, *inquit*, negare animæ immortalitatem.

Suffragatur Gregorius Nyss. serm. 1. de anima pag. 940. " Nam in confesso est, „ *inquit*, omnibus eam, scilicet animam, „ existere: quare si neque corpus, neque accidens est, & manifestum est „ incorpoream esse substantiam, & nihil „ eorum quæ in alio esse habent: hæc „ enim adsunt, & absunt sine subjecti „ pernicie. Sed, anima separata, perit „ omnino corpus. Iisdem vero rationibus utendo demonstrare licet animam „ immortalem esse. „

Ratio Gregorii est physica & quidem effica-

efficacissima, illa enim sic procedit. Anima non est corpus, non accidens, nec aliquid eorum quæ adsunt & absunt sine subjecti corruptione: superest igitur esse immortalem, alias periret sicut cætera pereunt sine subjecti corruptione, vel etiam, ipso pereunte subjecto, corrumperetur: immo perit corpus, non perit anima. Ergo est immortalis.

Ambrosius l. de bono mortis c. 9. & 10. ex professo probat animæ immortalitatem. Capite nono dicit justum quidem esse corpus mori & in pulverem reduci, deinde subjungit: " Id autem quod familiare virtutibus, amicum disciplinis, studiosum gloriæ, sequax boni, Deo subditum est, ad illud sublime evolet, & cum illo puro & perpetuo bono atque immortali maneat, ipsi adhæreat, & cum ipso sit, de quo cognationem ducit, ut quidam ait, cujus & genus sumus, non enim mori animam cum corpore manifestum est, quia non est de corpore. *Act.* 17. Non esse autem eam de corpore, Scriptura multis modis edocet. Nam & Adam a Domino Deo nostro accepit spiritum vitæ, & factus est homo in animam viventem, & David ait: (Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.) Unde quasi exutus & liber dicit: (Placebo Domino in regione vivorum,) *Psal.* 114. Sed & David alibi ait: (Anima ejus in bonis demorabitur & semen ejus hæreditabit terram,) *Psal.* 26. Hoc est anima timentis Deum: habitabit in bonis, ut semper in eis sit & possideat ea. "

Idem sic prosequitur. " Ergo anima illa quæ illi adhæret invisibili bono Deo atque immortali, & ipsa corporea hæc fugit, & terrena & mortalia relinquit, fitque illius similis quod desiderat, in quo vivit & pascitur ... Nam quomodo substantia ejus interire potest, cum utique anima sit quæ vitam infundit? Et cui anima infunditur, vita infunditur a quo anima discedit. Anima ergo vita est. Quomodo enim potest mortem recipere, cum sit contraria? Sicut enim nix calorem non recipit, nam statim solvitur, & lux non recipit tenebras, nam statim discutit, infuso enim lumine, tenebrarum horror aufertur, sicut, admoto igne, nivium rigor desinit, ita & anima quæ vitam creat, mortem recipit, non moritur. "

Rursus c. 10. fusius se explicat. " Habemus ergo rationem, sed hæc humana, illud divinum, quod ait Dominus, (potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.) Vides igitur quia non moritur cum corpore quæ & ponitur & resumitur; & in manus Dei Patris commendatur. Sed ne forte dicas speciale esse quod Christi est, & quamvis illa quæ sunt hominis susceperit, tamen quia altioris est causæ istud astruere, ne tempus crastinetur, audi dicentem, Quid scis, an nocte hac a te tua anima reposcatur? *Luc.* 23. Numquid dixit, moriatur a te anima tua? non, sed reposcatur a te. Quæ data est reposcitur, vel repetitur a te. Repetitur enim anima, non interimitur. Quod repetitur, manet: quod interimitur, non manet. Quomodo enim interimitur de qua dixit Sapientia Dei, non timendum quemquam qui potest corpus occidere, animam autem non potest? de qua dicit Propheta, (Anima mea in manibus tuis semper.) Semper, *inquit*, non in tempore, & tu commenda animam tuam in manus Domini, non solum cum recedit e corpore, sed etiam cum est in corpore, est in manibus Domini, quia non vides eam unde veniat, aut quo vadat. Est & in te, & est cum Deo. Denique cor regis in manu Domini & ab eo regitur & gubernatur. Cor repletur mente, & mens animæ principale est, & virtus animæ ... Non enim eam virtutem dico quæ in lacertis, sed quæ in consiliis, temperantia, pietate, atque justitia est. Si cor regis in manu Domini, multo magis anima in manu Dei est, non utique anima nostra sepulchro simul cum corpore includitur, nec busto tenetur, sed quiete pia fungitur. "

Rationes in his Ambrosii textibus pro immortalitate animæ propugnanda decem numerantur. Prima quidem hæc est, anima virtutibus pollet spiritualibus, ut intelligentia, scientia, pietate quæ sane non conveniunt saltem immediate rebus materialibus, & corruptilibus, sed spiritualibus & incorruptibilibus: igitur anima est immortalis.

Secun-

Secunda. Anima ad Deum tendit ut ad finem. Æquum est igitur & conveniens ut cum illo sit & immortalitate perfruatur, juxta illud Apostoli, 1. Corin. 6. 17. *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est*.

Tertia ex capite decimo septimo Actuum desumitur. Teste D. Paulo, ipsius Dei genus sumus, profecto hoc debet secundum animam intelligi, ex hoc quippe principio concludit Apostolus Deum non esse quid materiale vel auro, vel argento, alterive rei corruptibili non absimile. Igitur dicendum est animam non esse mortalem & corruptibilem, siquidem eo ipso quo Dei genus sumus, hoc ipso anima nostra Dei participat naturam. Et vero si esset quid aut corruptibile, aut materiale, frustra & ullo absque fundamento inferret Paulus ex eo quod simus genus Dei, Deum ipsum esse & spiritualem & incorruptibilem.

Quarta. Anima non est de corpore sed supra corpus: non igitur ipsius sortitur finem & interitum: igitur non est corruptibilis sed immortalis.

Quinta. Anima accepit a Deo vitam, juxta illud Gen. inspiravit spiraculum vitæ & in ipso quiescit, testaute Psalmista: *Placebo Domino in regione vivorum*; sed quod habet a Deo vitam ut cum ipso vivat in regione vivorum, est immortale: igitur anima est immortalis.

Sexta. Anima adhæret Deo immortali ut sponso: amor autem omnia bona reddit communia. Ergo anima participat Dei immortalitatem.

Septima. Anima dat vitam corpori, immo est ipsius vita: igitur illam non perdit cum homo moritur, sed solum corpus, quod illam accepit.

Octava. Anima est opposita morti sicut nix calori: sicut igitur nix non suscipit in se calorem, ita nec anima mortem.

Nona. Anima reposcitur a Deo: igitur non periit; quod enim moritur, non repetitur.

Decima. Cor regis est in manu Domini, a fortiori anima; sed quod est in manu Domini, semper perseverat: igitur anima est immortalis.

Hieronymus in dial. qui illi & Augustino attribuitur de origine animarum ait: " Aut enim nihil omnino ex rationabili " atque immortali anima participavit illud quod adhuc in ventre corruptum " est: Et repulsa est illa ratio, quæ af- " firmat eam in seminis traduce simul " cum corporibus seminatam: aut si par- " ticipat, necessitas imminet confiteri " mortalem esse animam, quod fides no- " stra utique non recipit, Domino de- " clarante defunctorum animas & collo- " quium apud inferos habuisse, & Laza- " ri scilicet in beatorum cætu morantem, " & divitis flagrantem in incendiis esse; " namque animas immortales, non tan- " tum divini, sed & Philosophorum ple- " ni sunt libri, quod totaliter esse, " Cleombrotus Ambraciota in Platonis " libro, Socrate disputante, didice- " rat."

Ratio, qua probat Hieronymus animæ immortalitatem duplex est: prima, quia hoc docet intemerata fides. Secunda, quia & hoc profitentur ipsi Philosophi.

Augustinus librum ex professo pro astruenda animæ immortalitate contexit; unam ex alio opere tanti Doctoris sufficiat referre sententiam. Serm. 22. in Matth. 5. de decem Virginibus sic loquitur: " Quæ paratæ erant, idest, quibus bo- " num coram Deo testimonium conscien- " tia perhibebat, intraverunt cum Deo ad " nuptias, idest, ubi munda anima sem- " piterno Dei verbo fœcundata copula- " tur. Clausa est janua: idest, receptis " illis qui sunt in Angelicam vitam im- " mutandi, omnes resurgemus, *inquit*, non omnes immutabimur, "

Ratio Augustini etiam duplex refertur in isto loco ad probandam stabiliendamque animæ immortalitatem. Una fundata est in unione perpetua animæ quæ Deo consociatur: altera fundatur in resurrectione; omnes resurgemus: igitur omnium hominum animæ sunt immortales. Mitto cæteras auctoritates Patrum qui subsequentibus sæculis eandem tenuerunt de immortalitate animæ sententiam: unicum pro complemento referam Bernardum.

Nec prætereundus est igitur ille Pater qui ser. 8. Psal. *Qui habitat* ait: " Ita " oro, Domine, ita fiat, cadant illi & " non cadam ego, cadent a latere tuo " mille & decem millia a dextris tuis, " ad te autem non appropinquabit. Ve- " rumtamen oculis tuis considerabis, ita " oro, Domine, ita fiat... Evidentius " siqui-

„ siquidem paucis hoc loco verbis & ani-„ mæ mihi immortalitas commendatur, „ & ipsius quoque fides astruitur corpo-„ reæ resurrectionis. „ Postea rationem affert quia *reposita est spes in sinu videndi Deum in gloria*.

Probatur immortalitas animæ auctoritate Philosophorum, Oratorum & Poetarum.

Aristoteles 7. Physic. ait: " Anima non „ est alterabilis. „

Seneca sententiæ de hoc momento sunt mirabiles. Sic loquitur Suafor. 6. pag.23. " Animus divina origine haustus est, cui „ nec senectus ulla, nec mors est. „ Et Epist. 102. pag. 816. " Magna & gene-„ rosa res est humanus animus, qui nul-„ los sibi poni, nisi communes & cum „ Deo terminos patitur. „

Cicero l. de amic. post initium dicit. „ Animos hominum esse divinos, iisque „ cum e corpore excesserint, aditum in „ cœlum patere perspicuum est. „ De „ consol. post med. Animus profectus a „ Deo cœlum ipsum semper appetit. „

Plato inter omnes celeberrimus ex professo ita docet animæ immortalitatem, ut Atticus apud Euseb. l. 15. de præp. Evan. c. 8. de ipso dicat: " Cum igitur „ omnes Platonis doctrinæ magno judicio „ constitutæ, ab animæ divinitate & im-„ mortalitate dependeant, totam oportet „ Platonis Philosophiam is subvertat, qui „ concedere id nolit. „ Sic igitur lo-„ quitur magnus ille Philosophus de ani-„ mæ immortalitate. *Syzygia* 1. in dia-„ logo Phædonis ante medium pag. 80. „ Corpus simile est ei, quod est morta-„ le: animus autem est, quod est divi-„ num: divinum ut imperet, atque præ-„ sit. „ Ibid. pag. 107. " Si immorta-„ lis sit animus, de illo curam esse „ gerendam consentaneum est: grave „ igitur erit periculum, si quis nunc ipsam „ animam neglexerit. „ Syzygia. 5. in dialogo Phædonis pag. 245. " Omnis „ animus est immortalis. „

Porphyrius apud Euseb. l. 11. de præp. Evang. c. 14. hæc dicit doctrinam Platonis referendo. " Deo immortali simi-„ lis anima est, quomodo etiam ipsa si-„ cut exemplar suum immortalis non „ erit? „ In isto capite demonstratur eandem sententiam & Mosi fuisse circa istud momentum. Uterque enim fatetur animam esse immortalem eo quod ad imaginem Dei facta sit. Primo quidem in intelligentia: 2. in superioritate supra cæteras creaturas; & vero principatur belluis terræ, & piscibus maris. 3. In beatitudine, quiescit enim in Deo solo.

Atticus apud Eusebium l. de præp. Evan. c. 8. insurgit contra Aristotelem qui invidia potius erga Platonem, quam ratione ductus mentem dividebat ab anima, ut istius immortalitatem verteret in dubium, licet eam quasi concederet. Et probat sententiam Platonis in hoc esse firmissimam, quia anima & virtutis, & scientiæ, & reminiscentiæ cæterarumque operationum immortalitatem manifeste designantium, capax est.

Quid dicam de Poetis veritatem sub fabulis indagantibus? Virgilius lib. 6. Æneid. fuse describit pœnas malorum post mortem in æternum subeundas, præmia vero retribuenda Justis. Similia dicunt alii permulti Poetæ. Igitur agnoscunt animæ immortalitatem. Alias ad quid pœnas, ad quid coronas & præmia æterna celebrare?

Probatur immortalitas animæ rationibus Physicis, Metaphysicis & Moralibus.

Primo, *ex Physicis*.

Prima sic exponitur. Illa substantia est immortalis, quæ nullas habet partes ex quarum dissolutione corrumpi possit: atqui anima rationalis nullas habet partes ex quarum dissolutione corrumpi possit. Igitur anima est immortalis. Probatur minor. Anima nullas habet partes præter intellectum & voluntatem: sed intellectus & voluntas sunt ipsæ animæ potentiæ, quæ quidem sunt spirituales, & secundum multos ab anima realiter indistinctæ. Igitur anima nullas habet partes ex quarum dissolutione corrumpi possit.

Secunda. Illa substantia est immortalis quæ sine corpore subsistit & vivit. Atqui sic est anima rationalis, & probatur. Primo quidem absque corpore subsistit, siquidem est ab ipso diversa & ab eo independens, quinimmo, solum corpus ab ani-

anima dependet, ita ut, ipsa recedente, in pulverem vertatur. Secundo, anima vivit sine corpore, namque independenter ab ipso & cogitat & subsistit; ipsa siquidem dat corpori vitam: igitur independenter ab ipso vivit. Igitur est immortalis.

Tertia. Illa substantia est immortalis quæ est indivisibilis: quæque nullis componitur elementis corruptilibus: atqui anima rationalis sic est. Et probatur: illa substantia est indivisibilis quæ non est extensa in longum, latum & profundum, quæ nulla in se admittit elementa corruptibilia; atqui anima non est extensa in longum, latum & profundum, non enim est materia, sed supra materiam, ut patet ex ipsius facultatibus, & earum operationibus, quæ sunt & intelligere & velle: nec utique est aliquod elementum: non quidem aqua, non terra, non aer, non ignis, sed quid his omnibus excellentius. Igitur neque est extensa, neque elementis corruptibilibus compaginata: Ergo est immortalis.

Quarta. Illa substantia est immortalis quæ non afficitur materiæ corruptibilis conditionibus: atqui anima rationalis non afficitur materiæ corruptibilis conditionibus, & probatur. 1. Non est in loco circumscripta, sed tota in toto loco quem occupat & tota in qualibet parte. 2. Non est divisibilis, ad divisionem materiæ, abscissis enim aut pede, aut manu, integra perseverat, enimvero cogitat, discurrit sicut antea, immo totum conservat compositum. 3. Non corrumpitur utique dum corpus vulnere, vel morbo putrescit deficiente vel visus vel gustus, vel auditus sensu, ipsa non deficit. Ergo anima non afficitur materiæ corruptibilis affectionibus. Igitur est immortalis.

Quinta. Anima non est deterioris conditionis quam cæteræ creaturæ corporales, siquidem est ipsis superior, adeoque præcontinet in se omnes earum perfectiones. Sed quædam creaturæ corporales sunt incorruptibiles, ut sol, quippe qui a sua creatione integer perseveret tum in natura, tum in motu, tum in virtute, tum etiam in operatione, a fortiori anima. Igitur est immortalis, quia incorruptibilis.

Secundo, *ex rationibus metaphysicis*.

Prima sic procedit: illa substantia est immortalis, cujus natura, cujus potentiæ, cujus virtutes, cujus operationes sunt supra materiam corruptibilem: atqui res sic se habet respectu animæ rationalis, & probatur. 1. Est ens per se subsistens & hoc non habet a materia, siquidem, ista recedente, perit corpus. 2. Potentiæ ejus sunt intellectus & voluntas, quæ sane sunt ita supra materiam, ut intellectus ab omni absit materia quando intelligit, attingens ipsas rerum essentias sicut sunt in se, voluntas vero pondus habet etiam supra materiam, siquidem amor extrahit a materia amantem, eumque extra corpus ducit, ut sit per affectum in amante. Igitur nec intellectus, nec voluntas clauduntur materiæ terminis. Virtutes animæ utique mirum in modum sunt supra materiam elevatæ: nonne intelligentia, nonne scientia & sapientia supra materiam plurimum eminent, cum & ipsum Deum respiciant, & formas a materia abstractas easque simplices contemplentur? Nonne animi fortitudo, nonne justitia, nonne prudentia excedunt in immensum materiam? Qua de causa Platonici immortalitatem animæ ita prædicarunt, ut, ista sublata, totam Philosophiam, sapientiamque, immo totam mundi pulchritudinem & œconomiam de medio auferri existimarent. Ex facultatibus & virtutibus judicandum est de operationibus, quæ quidem ita spirituales sunt ut intellectus summum verum, voluntas summum bonum attingant. Igitur natura animæ, ipsius & facultates, & virtutes & operationes sunt supra materiam; igitur est immortalis.

Secundo. Illa substantia est immortalis quæ est universalium, quæ omnia materialia comprehendit & corruptibilia, ipsa vero a nullo comprehenditur. Atqui sic est anima rationalis, & probatur. 1. Habet verum in tota sua latitudine pro objecto & bonum. 2. Simul & in eodem tempore potest habere & quidem in infinitum varias rerum naturalium ideas; materia semel quidem subest unicæ formæ, non sic anima, potest simul habere omnes scientias, nimirum Philosophiam, Mathematicæ habitus, Medicinam, Theologiam & similes. 3. Omnes creaturas corporales facile comprehendit, ab eis vero minime comprehenditur, hinc homo de serpentibus, draconibus, de elephantibus cæterisque sævissi-

vissimis bestiis disponit, ipsasque si non fortitudine molis, fortitudine virtutis & prudentiæ superat & vincit. Ergo anima rationalis est universalium & omnia materialia comprehendit; igitur est immaterialis & incorruptibilis.

Tertia. Illa forma est immortalis quæ omnia ab extrinseco recipit absque sui aut defatigatione aut perturbatione quæ omnia dat sine sui diminutione & immutatione, quæ cuncta materialia, omni seclusa imperfectionis labe, lustrat & speculatur: atqui sic est anima rationalis: & probatur 1. omnium rerum suscipit species, omnium scientias, & hæc omnia ipsam non gravant, immo eo doctior & alacrior est animus. 2. Suam prodit anima scientiam, modo verbis & sermonibus, modo scriptis & compositionibus, & tantum abest ut aut segnior fiat, aut exhauriatur ejus virtus, quin potius fortior & vegetior evadat, quod sapit divinitatem ad cujus imaginem efformata fuit. 3. Composita videt in se simpliciter per species rerum repræsentantes essentias, divisa indivisibiliter, materialia immaterialiter. Ergo, &c.

Quarta. Illa substantia est immortalis quæ terminis materiæ corruptibilis non coarctatur, quæque est supra cæteras formas materiales & corruptibiles: atqui sic est anima rationalis, & probatur. Omnes belluæ sunt ad unum determinatæ & eadem semper eodemque modo operantur. Sic aves eodem modo nidificant, equi ad pondera ferenda subiiciuntur. At vero homo ad omnia sese extendit, & hoc ad nutum; modo venatur, modo cœnat, modo studet, modo ad bellum pergit. Immo anima cognoscit media ut media, utitur eis pro voluntate & pro fine quem sibi præfigit, quæ quidem omnia non possunt promanare a forma materiali & corruptibili; redolent enim immortalitatem.

Quinta. Illa substantia est immortalis quæ rebus omnibus sublunaribus iisque corruptibilibus sua dominatur sapientia: atqui anima rationalis sic se habet: Et probatur. Primo quidem suo subdit imperio belluas, & quas fortitudine non devincit, domat consilio: scit versutias sermonum & virtutem elementorum: plantarum arborumve scrutatur naturam, præest piscibus maris & volatilibus cœli: cuncta Creator subjecit sub pedibus ejus; scriptum est enim 1. *Cor.* 3. 22. *Omnia vestra sunt*. Porro cuncta regere & domare imperio summam arguit sapientiam, summamque intelligentiam: addo & veram immortalitatem; materia quippe corruptibilis nec tantis donatur virtutibus, nec talis est naturæ ut cuncta sibi subjiciat, cum potius omni spiritui subdita sit, & de die in diem præ nimia vicissitudine in novas transeat formas.

Tertio, *ex rationibus moralibus*.

Prima & omnium efficacissima ea est: si anima esset mortalis, bono satiaretur finito, nec ultra illo comparato progrederetur appetitus, siquidem inclinatio non fertur extra objecti proprii terminos; sic belluæ quiescunt dum quædam possident bona sensibilia pro vita conservanda: atqui anima nullo satiatur bono finito, nullo materiali, immo & nullo spirituali limitato: igitur est immortalis. Minor in qua tota est difficultas probatur experientia. Avarus non satiatur auro; ambitiosus, bonis; superbus, dignitatibus; elatus, honoribus, voluptuosus, deliciis: immo nec intellectus, scientiis rerum naturalium; non Physica, non Medicina, non Mathematicis; verum, parta & comparata cujuscumque scientia, plura scire desiderat, ad bonum anhelat infinitum, nec quiescit & pacatur donec ipso perfruatur, juxta illud percelebre Augustini oraculum: *Fecisti nos ad te Domine, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te*. Igitur anima est immortalis: tum quia anima ipsam appetit immortalitatem, appetitus autem naturæ non est frustraneus, siquidem vidit Deus quæcumque fecit, & erant valde bona.

Secunda, in hac vita nec virtus semper remuneratur, nec crimen supplicio & pœna semper mulctatur, quinimmo scelus persæpe dominatur & virtus opprimitur. Ergo debet esse alia vita in qua præmietur virtus & puniatur peccatum, alias auctor naturæ, quod absit cogitare, foret injustus.

Tertia, si non sit altera vita, nulla sunt jura, nulla humanæ vitæ officia, nulla virtus, nulla fides, nulla justitia, nul-

la probitas, nulla religio, eo enim ipso quo non admittitur præmium pro bonis, pœna vero pro malis, ad quid labor & virtutis studium? quisquis per fas & nefas potest quæcumque mala commitere, modo caute agat, omnibus indiscriminatim indulgere passionibus potest, & sic homo ipsis belluis petulantior foret, immo & naturæ monstrum absque ratione, sine disciplina; quæ quidem omnia cum absurdissima sint, dicendum est esse in alia vita locum præmii & supplicii, adeoque animam esse immortalem.

Quarta: in omni republica debet esse gubernator sapiens qui omnes ordinet cives ad finem honestum, qui stimulet ad virtutem bonos & deterreat fragiles & improbos a malo perpetrando, qui justorum zelum provocet præmiis, compescat vero pœnis peccatores: sed si anima foret mortalis, omnia perturbato ordine fierent, virtus vilesceret, e contra vitium triumpharet, ubique hinc in mundo confusio perpetua & horror sempiternus inhabitaret, quinimmo auctor naturæ videretur auctor peccati, quia cum nullis irretiret peccatores suppliciis, eorum iniquitas, quod absit dicere, in ipsum refunderetur auctorem. Quæ cum ita sint, dicamus sapientissimum mundi creatorem & rectorem sic omnia ordinare, ut præmia sint in alia vita pro bonis, pœnæ vero pro malis. Igitur anima est immortalis.

Quinta & ultima. Deus hominem condidit propter se & propter suam gloriam, quæ, teste Ambrosio, est clara cum laude notitia; sed si anima non esset immortalis, deficeret iste finis, siquidem hic ex parte cognoscimus Deum, in alia tantum vita cognoscitur perfecte & sicuti est; igitur anima est immortalis, tum quia si foret mortalis, gloriam duntaxat transeuntem a creatura sua perciperet Deus, cum tamen æternam expostulet, ipso per Prophetam dicente: *Regnum meum regnum omnium sæculorum*, Psal. 144. 13. Et iterum 11. *gloriam regni tui dicent & potentiam tuam loquentur*.

Ex his omnibus luculentissimis rationibus liquet animam esse immortalem: Ex his concludendum cum Dionysio stultos esse & ab omni justa consideratione alienos qui tenent animam in nihilum recidere post mortem. Ex his sequitur tales in apertum discrimen propriam adducere animam. Et vero si anima est mortalis, nulla spes boni post mortem eis relinquitur, & sic homo belluis deterior factus est, quippe qui, durante vita, multis exagitetur curis, multis pungatur stimulis, variis hinc inde subjiciatur miseriis, si post hæc omnium miseriarum experturus sit maximam, scilicet non esse; si vero, ut verissimum est, anima donetur immortalitate, terribiles pervicaciæ impii luent pœnas. Quæ cum ita sint, standum est firmiter in veritate, dicente Domino: liberi & beati erimus, si veritas ab omni labe nos liberet atque tueatur.

Solvuntur Objectiones ex Scriptura sacra desumptæ.

Objicies 1. Gen. 1. 20. Pisces & reptilia dicuntur habere animam viventem juxta illud: *Producant aquæ reptile animæ viventis*, & tamen animam habent mortalem: ergo licet homo dicatur factus in animam viventem, non ideo dici debet secundum animam immortalis.

Respondeo negando paritatem; pisces enim & animalia non sunt ad imaginem Dei facta sicut homo, unde non mirum si eorum anima perit cum corpore, tum quia pure materialis est, quippe quæ in spiritibus animalibus tota sita sit; anima vero rationalis est spiritualis. Quinimmo habetur Sap. 2. 23. *Deus fecit hominem inexterminabilem*.

Instabis ibidem c. 2. 17. Deus minatur mortem Adamo si peccet, sic enim legitur: *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Igitur anima non est immortalis.

Respondeo distinguendo: Deus minatur homini mortem corporis si peccet, concedo: minatur animæ, nego. Homo est totum compositum in partes dissolubile, unde poterat mori, sicut de facto moritur in pœnam peccati: verum anima non sic, quandoquidem secundum se incorruptibilis est, unde potest quidem annihilari per potentiam Dei absolutam, sed non mori.

Instabis, atqui ipsa anima mori potest, & probatur. Gen. 37. habetur, *Non interficiatis animam ejus*. Igitur anima secundum se mortalis est.

Re-

Respondeo distinguendo : non interficiatis animam ejus, ideſt, hominem, concedo : ipſam animam, nego. Ibi anima ſumitur pro toto: agitur enim de Joſeph quem præ invidia fratres occidere volebant : ſed Ruben diſſipavit conſilium dicendo : *Non interficiatis animam ejus, nec effundatis ſanguinem*. Certum eſt animam utpote ſpiritualem ſanguine non conſtare, ſimili prope modo Scriptura aliis in locis utitur vocabulo animæ ad deſignandum totum hominem, ut Levit. 19. 8. *quia Sanctum Domini polluit, peribit anima de populo*.

Inſiſtes : Job. 14. 12. habetur : *Sic homo, cum dormierit, non reſurget, donec atteratur cælum*. In reſurrectione fundamus animæ immortalitatem ; ſed homo non reſurget, namque conditio oppoſita ad ipſius reſurrectionem nuſquam apponetur, ſiquidem cœlum non eſt atterendum, cum ſit incorruptibile. Ergo, &c.

Reſpondeo 1. Reſurrectionem non eſſe rationem adæquatam pro ſtabilienda immortalitate animæ, eam quippe dicimus immortalem eo quod facta ſit ad imaginem Dei, quia eſt & ſpiritualis & incorruptibilis.

Reſpondeo 2. Reſurrectionem animæ ſufficienter exprimi in loco laudato: ſi quod vero occurreret dubium, penitus de medio tollitur alibi, quando ſcilicet Job dicit 19. 26. *Et in carne mea videbo Salvatorem meum*. Unde ad id quod in probationem affertur, conditionem reſurrectionis numquam eſſe apponendam, negamus: ad ulteriorem probationem, non atterendum eſſe cœlum, diſtinguo, ſimpliciter, tranſeat: dicit enim S. Petrus in fine ſæculorum elementa calore eſſe ſolvenda : ſecundum quid, nego. Promittuntur enim ibidem cœli novi : igitur cœlum corporeum atteretur, ideſt immutabitur, & tunc mortui reſurgent.

Objicies 2. Anima belluarum eſt mortalis, ergo & anima hominis. Probatur conſequentia Eccle. 3. *Unus interitus eſt hominis, & jumentorum .... Quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam deſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Duo dicit Salomon, primum quidem, eundem eſſe hominum & jumentorum interitum ; alterum vero, neminem ſcire utrum anima rationalis aſcendat ſurſum, & ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum. Igitur ſi anima belluarum mortalis eſt, videtur quod ſit & anima hominum.

Reſpondeo : negando conſequentiam & paritatem. Dictum eſt ſupra animam belluarum eſſe corpoream, animam vero hominum pure ſpiritualem. Ad probationem diſtinguo ; idem eſt interitus hominum & jumentorum quoad diſſolutionem totius, concedo : quoad diſſolutionem animæ, nego. Si homo ſpectetur in concreto, eundem habet cum jumentis interitum ; ideſt, ſolvitur compoſitum in homine ſicut in jumento, nempe per diſceſſionem animæ a corpore. Si vero ſumatur in abſtracto & ſecundum animam, res non eodem modo ſe habet, quandoquidem anima jumentorum, utpote materialis ſequitur in interitu conditionem corporis & ſolvitur per partes, anima vero hominum quia ſpiritualis eſt, integra perſeverat & immortalis. Ad aliud quod Sapiens ſubdit neminem ſcire an ſpiritus hominum aſcendat ſurſum, dico ſapientem loqui in ſententia aliorum: ibi enim plurium diſputantium refert opinionem, quod quidem illa verba demonſtrant, an ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum. Cæterum dato & non conceſſo ibi loqui dubitanter, clare ſeſe explicat c. 11. & 12. ubi affirmat cuncta eſſe ad judicium Dei adducenda, ut unuſquiſque recipiat prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Agnoſcit igitur animæ immortalitatem.

Oppones 2. Immortalitas ſoli competit Deo juxta illud 1. Tim. 6. 16: *Qui ſolus*, inquit Paulus, *habet immortalitatem*. Igitur anima rationalis non eſt immortalis.

Reſpondeo diſtinguendo : immortalitas a parte ante & eſſentialis ſoli competit Deo, concedo ; immortalitas participata & a parte poſt, nego. Duplex diſtinguitur immortalitas ; altera eſſentialis, altera vero participata. Prima fluit ex natura rei ; talis eſt ea quæ de Deo dicitur & affirmatur. Revera quidem prædicatur de Deo, quatenus neque principium, neque finem habet, cum potius ſit ipſe omnium rerum & finis & principium. Secunda creaturæ competit, & hoc tantum ab extrinſeco ; ejuſmodi eſt animæ immortalitas, namque incipit eſſe in

P 2 tem-

tempore & habet ex beneficio Creatoris quod vivat, quod servetur & perseveret. Sicut igitur Deus tametsi in Evangelio pronuntietur solus bonus, non obstat quin & creaturæ dicantur bonæ per participationem, eadem & consimili ratione, licet Deus sit per se & a se immortalis, nihilominus animam esse immortalem per participationem constat, quinimmo & fides docet.

Solvuntur Objectiones ex ratione procedentes.

Objicies 1. Si anima cognosceret solum res singulares, non esset spiritualis; ergo ex eo quod cognoscat res spirituales & incorporeas, non dicenda est spiritualis, & consequenter nec immortalis. Probatur consequentia. Anima cognoscit res spirituales dependenter a singularibus, scilicet phantasmatibus. Ergo sicut non dicenda foret spiritualis si res solum singulares cognosceret, ita pariter nec proclamanda spiritualis, ex eo quod cognoscat res incorporeas, quandoquidem cognoscit eas per phantasmata, quibus utitur tanquam mediis ad cognitionem ejusmodi rerum.

Respondeo implicare animam non esse spiritualem, eo ipso quo cognoscit res spirituales & incorporeas; siquidem potentia corporea non attingit res spirituales, quippe quæ sint extra & ejus activitatis & objecti specificativi sphæram.

Respondeo 2. negando consequentiam & paritatem: disparitas in eo est, quod si anima cognosceret solum singularia & corporea, esset utique tota corporea: sed eo ipso quo cognoscit res incorporeas, debet esse incorporea in se & spiritualis, quandoquidem cognitio rei spiritualis est actus vitalis procedens ab anima ut a causa principali quæ suo commensuratur objecto, & est ejusdem cum illo naturæ & ordinis. Ad probationem distinguo: anima cognoscit res spirituales dependenter a phantasmatibus ut a conditionibus sine qua non & propter corpus cui conjungitur, concedo: dependenter absolute, nego. Cum igitur nihil sit in intellectu, nisi prius fuerit in sensu, quandiu anima corpori conjuncta est, utitur phantasmatibus ad cognoscendas res, sed non sumit ex phantasmatibus objectum, siquidem illud deputat vi intellectus agentis a conditionibus materialibus, format de ipso speciem impressam, &, hac mediante, verbum seu speciem expressam in qua contemplatur ipsum objectum: igitur intellectus versatur circa universalia principaliter & immediate, mediate vero & secundario singularia cognoscit.

Respondeo 3. Animam posse cognoscere singularia sine phantasmatibus, puta per infusionem specierum. Præterea potest cognoscere Angelum: sed in hypothesi, non cognosceret dependenter a phantasmatibus, quandoquidem Angelus est immaterialis: non est igitur universaliter verum animam rationalem a phantasmatibus in cognitione sui objecti pendere.

Instabis; Si anima est spiritualis, & consequenter immmortalis, maxime ex eo quod sit discursiva; atqui hæc ratio nulla est. Et probatur 1. Belluæ discurrunt, siquidem eligunt media ad finem propositum conducentia. Sic canis relegens vestigia prædæ quam prosequitur, relicta una via, ingreditur alteram quam fera tenuit. 2. Ipsa hominis phantasia in somno multas format per quosdam discursus imagines & repræsentationes: attamen neque belluæ, neque phantasia sunt spirituales. Igitur anima non dici debet spiritualis ex eo quod sit discursiva.

Respondeo 1. Rationem adæquatam cur anima sit spiritualis non esse præcise quia discurrit, verum potius absolute loquendo quia est a materia independens: enimvero potest & subsistere & operari sine corpore, ut anima separata. Præterea cognoscit conclusiones in principiis, unde non semper discurrit: sed perfectius agit & operatur.

Respondeo 2. negando minorem. Ad primam probationem distinguo; belluæ discurrunt imperfecte & ex determinatione naturæ ad unum, concedo: ducuntur enim ab instinctu in suis operationibus, aves eodem semper modo nidificant: Canis rapitur ab odore prædæ ad hanc potius quam istam viam tenendam: discurrunt perfecte conferendo media ad invicem & eligendo, nego. Cognoscunt quidem media propria fini ad quem necessario sunt determinatæ: sed minime

me circa alterum finem: ast non sic homo, namque operatur quodcumque vult, & de diversis mediis assumit propria & convenientia ad propositum finem quem elegit, & hoc ex perfectissima ratione. Igitur vere discurrit, minime vero belluæ. Ad aliam probationem, dico phantasiam non discurrere, sed ex speciebus relictis, quædam componere, & sæpius sine ordine, magnum sane argumentum, eam rationis & veri discursus esse inertem.

Urgebis. Anima nascitur cum corpore, & per omnia æqualis illi videtur, nam & in pueris crescit, crescente corpore, & in ægrotis languet, languente corpore: igitur & moritur, moriente corpore. Igitur neque spiritualis, neque immortalis est.

Respondeo distinguendo: anima est per omnia corpori similis extrinsece, transeat, enimvero ratiocinatur & discurrit: suos explicat verbis conceptus: sed quis sanæ mentis dicet corpus ratiocinari? æqualis est corpori intrinsece, nego: est enim forma per se subsistens & incorporea.

Ad probationem similiter distinguo: anima crescit & languet extrinsece, concedo; intrinsece, nego. Anima utitur corpore tanquam instrumento in suis operationibus, hinc bene aut male, disposito instrumento, bene aut male operatur. Crescit igitur in pueris non quidem in se & intensive, siquidem est indivisibilis, nec ullas habet partes: sed extensive, idest, novas gradatim habet operationes, & quidem perfectiores; item languet extensive in ægrotis, deficit in operationibus, eo quod deficiat instrumentum. Igitur nego consequentiam, scilicet animam mori cum corpore; enimvero tametsi per absolutam Creatoris potentiam possit annihilari, non tamen ex natura sua, cum non constet elementis corruptibilibus: igitur est incorruptibilis & immortalis.

Urgebis. Anima nequit esse sine corpore: ergo, ipso deficiente, perit & deficit. Probatur antecedens, ac primo quidem ordinatur ad faciendum cum corpore compositum; igitur, pereunte composito, non potest subsistere. 2. Anima separata foret quid incompletum, immo & in violentia, quippe quæ corpus sine fine peroptaret. 3. Forma spiritualis, scilicet scientia perit, quidni & anima licet spiritualis, peribit pereunte composito?

Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem distinguo; anima ordinatur secundario ad faciendum compositum, concedo; primario, nego: est enim creata primo & principaliter ad cognoscendum & amandum Deum: desinente igitur corpore, non desinit anima. Ad secundam probationem utique distinguo: anima separata est ens incompletum comparative ad compositum, concedo: respectu sui ita ut indigeat comparte ut subsistat, nego. Enimvero est forma per se subsistens, propriam habens & subsistentiam & existentiam: desiderat quidem corpus cui iterum conjungi appetit: ergo ne in statu violento esse censetur? minime, tum quia omnia requisita præhabet in se ut possit esse beata; tum quia hanc esse Dei voluntatem, ut tempore duntaxat judicii universalis resumat corpus, non ignorat. Ad tertiam probationem nego paritatem. Et vero scientia est accidens, unde licet sit quid spirituale, potest tamen esse & abesse absque subjecti corruptione: quid plura scientia inhæret & dependet a subjecto, quod sane dispositionem sibi contrariam potest induere: verum anima est ens per se subsistens, nec quicquam suæ naturæ spirituali oppositum habet; igitur est immortalis, quia & incorruptibilis.

Instabis: anima rationalis est idem realiter cum anima sensitiva; ergo sicut ista est corruptibilis, erit & illa.

Respondeo distinguendo antecedens: anima rationalis est idem realiter eminenter cum anima sensitiva, quatenus idem operatur quod anima sensitiva in belluis, concedo: est idem formaliter, ita ut componatur & constet partibus extensis & corporeis sicut ista, nego. Superiora, inquit Dionysius, inferiorum continent virtutem: possunt igitur idem efficere quod ista operantur, sed semotis eorum imperfectionibus.

Reponet, substantia materialis, non est semper & ubique corruptilis, ut patet & de materia prima, & de Cælis, qui quidem juxta communiorem opinionem incorruptibiles sunt. Igitur ex eo quod anima sit incorruptibilis non sequitur eam esse immortalem.

Respondeo, negando paritatem. Ratio enim adæquata cur anima sit immortalis, non ex sola incorruptibilitate petitur, verum etiam ex eo quod sit & ens per se subsistens, & ad imaginem Dei facta, & ad Deum intuitive videndum, & in æternitate possidendum creata. Præterea qui tenent non dari resolutionem usque ad materiam primam, non concedunt eam esse incorruptibilem. Quoad cœlos, non desunt qui affirment esse corruptibiles; immo quidam inter novos Philosophos contendunt quandoque maculas in sole & quidem ipsi intrinsecus non semel apparuisse; & sic ratio desumpta ex quadam materia incorruptibili nihil probat nec animæ inficiatur immortalitatem, maxime cum sit secundum multos ex falso supponente.

Objities 2. Ex præmio bonis operibus debito, non recte infertur animæ immortalitas: Et probatur: vita longa conceditur homini tanquam virtutis præmium, huic accedit pax & bonæ conscientiæ securitas, quinimmo virtus per se sufficit ad beate feliciterque vivendum, sufficit sapientia, de qua loquens Salomon dicebat; *Venerunt mihi omnia pariter cum ea & innumerabilis honestas per manus illius*; igitur non recte infertur animæ immortalitas ex præmio bonis operibus debito.

Respondeo distinguendo antecedens; vita longa, pax, sapientia & similia bona dantur tanquam virtutis præmium inadæquatum, concedo: adæquatum, nego. Homo quantumvis bonis affluat, quacumque polleat virtute & sapientia, tametsi pacem etiam interiorem possideat, ulterius tendit, & ad majora aspirat, scilicet ad possidendum Deum, juxta illud Augustini: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te*. Addo multos alias justissimos in hac vita quandoque privari consolationibus saltem sensibilibus: nonnumquam dejici tum ad emendationem, tum etiam ad probationem, juxta illud 1. Cor. 1. 9. *Responsum mortis habuimus ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos. Ita ut taderet etiam nos vivere*. Verum est quod sit pax multa diligentibus Deum, attamen in tantum est multa, in quantum æternitate bonorum suffulta erigit spem, & accendit charitatem.

Dices: Concilium Constantinopolitanum primum sic loquitur: (Anima rationalis est immortalis per gratiam.) Igitur non ex sua natura.

Respondeo, distinguo antecedens; anima rationalis est immortalis per gratiam, idest, beneficio Creatoris, concedo; non enim est a se & a Deo Optimo Maximo independens: non est in se, nego: supposito enim quod Deus illam voluerit condere & creare, est natura sua immortalis.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Anima rationalis est immortalis.

Primo. Quia facta est ad imaginem Dei, Gen. 1. 27. Rursus, *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis*. Sap. 3. 1. Econtra vero de reprobis Matth. 25. scriptum est: *Ite maledicti in ignem æternum*.

Secundo. Hanc veritatem docent Concilium Lateranense sub Innocentio III. Florentinum agendo de Purgatorio, Tridentinum Sess. 6. c. 16. Justinus Martyr dialogo cum Tryphone; Irenæus l. 3. adversus hær. 64. Tertullianus, Ambrosius, Augustinus ex professo, & multi alii utriusque Ecclesiæ Patres.

Tertio. Ratio multiplex suffragatur. Anima videt composita simpliciter, materialia immaterialiter, divisa indivisibiliter, unitatem, nullis acceptis prius de objecto speciebus, in infinitum apprehendit, nec ullo satiatur bono creato. Quæ quidem omnia arguunt immaterialitatem, & immortalitatem animæ.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

Objicitur 1. Anima, male disposito corpore, aut languescit, aut perverse suas elicit operationes 2. Est idem realiter cum anima sensitiva. 3. Belluæ dicuntur etiam habere animam, quam tamen esse corruptibilem nemo inficiatur. 4. Immortalitas soli Deo qui est ens a se, debetur, namque cuncta sicut creata, ita & corruptibilia & contingentia sunt.

Respondeo ad primum. Per accidens, male

le dispoſito corpore, anima defectu diſpoſitionis in inſtrumento requiſitæ, aut langueſcit, aut male, aut ſaltem ſumma cum difficultate ſuas elicit operationes.

Ad ſecundum: anima hominis eſt idem realiter cum anima ſenſitiva, ſed ipſi tum in entitate, tum in virtute, tum etiam in operationibus ſupereminet: ſeu potius ſola anima rationalis quæ eſt virtualiter vegetativa & ſenſitiva, ineſt homini.

Ad tertium. Belluæ habent animam imperfectam.

Ad quartum. Immortalitas eſſentialis ſoli Deo competit; unde per abſolutam Dei potentiam omnis creatus ſpiritus etiam Angelicus annihilari poteſt, in quo certe ſenſu anima poteſt dici corruptibilis, nimirum extrinſece, at non intrinſece, & ex natura ſua, quippe quæ principio, ſcilicet materia ſit ſecundum ſe immunis.

SECTIO SECUNDA.

Convellitur ſyſtema Epicuri animam rationalem eſſe mortalem propugnantis.

DICTUM EST ſupra ubi de Exiſtentia Dei diſſeruimus, Epicurum propugnaſſe omnia ex atomis & fieri & conſtare, adeoque animam etiam rationalem, ſicut ortui ſic & interitui eſſe ſubjectam, contra quem ſit

CONCLUSIO.

Non ſequitur ex fucato Epicuri ſyſtemate animam hominis eſſe mortalem.

Probatur duplici argumento, uno quidem negativo; altero vero poſitivo.

Argumentum negativum. Ex illo ſyſtemate non ſequitur animam hominis eſſe mortalem, ex quo nihil poteſt concludi: atqui ex ſyſtemate Epicuri nihil poteſt concludi, & probatur. 1. Quia multa ſupponit Epicurus, ſed nihil probat. 2. Falſum eſt omnia conſtare ex atomis, falſum materiam eſſe ab æterno, falſum, mundum eſſe a ſeipſo: igitur & falſum animam immergi in materia & eſſe materialem. Antecedens patet ex dictis. Probatur conſequentia. Anima non eſt extenſa in longum, latum, & profundum, alias cum digitus abſcinditur, utique anima cæderetur & periret, cujus tamen contrarium quotidiana comprobat experientia. Secundo, anima noſtra non eſt ſenſus externus, ipſo enim extincto, non extinguitur: non phantaſia ſed plus, quandoquidem abſtrahit a materia ſenſibili: non memoria ſed plus, enimvero pereunte memoria, non perit: non æſtimativa, aut ſenſus communis, quippe quæ per rationes ſuperiores & univerſaliores cognoſcat objecta; igitur anima immaterialis eſt: ſi immaterialis & immortalis, quia non corruptibilis.

Ariſtoteles licet lumine fidei deſtitutus, poſuit tamen animam rationalem eſſe aliquid ſupra materiam, eſſe quintam eſſentiam, omnibus rebus ſuperiorem. Ita refert Cicero l. 1. q. Tuſc. "Ariſtoteles, *inquit*, quintam quamdam naturam cenſet eſſe, e qua ſit mens. Cogitare enim & providere, & diſcere, & docere ... in horum quatuor generum nullo ineſſe putat; quintum genus adhibet vacans."

Argumentum poſitivum. Licet omnis generis argumenta jamjam pro immortalitate animæ probanda attulerimus; quædam tamen contra Epicurum urgere juvat. Unde ſic argumentor; illa anima non eſt materialis, & conſequenter nec mortalis quæ infinitatem pro objecto habet, quæ eſt a materia independens, quæ libertate gaudet, quæ denique Deo aſſimilatur. Atqui talis eſt anima rationalis: igitur eſt immaterialis, & conſequenter immortalis. Major patet, nam quod eſt materiale, eſt circumſcriptum terminis quantitatis, clauditur quippe inter dimenſiones certas & locatas: & ideo neque ad infinitum ſed ad finitum objectum terminatur: neque eſt independens a phantaſmatibus & rebus materialibus, cum ipſum ſit materiale, neque libertate potitur, quin potius manet determinatum ex natura ſua ad unum, nec etiam dominatur corpori, alias ſibi ipſi dominaretur: nec denique Deo aſſimilatur, Deus enim eſt ens plenum atque perfectum, materia vero eſt ens vagum & ad omnes formas ſubeundas para-

ta: probatur igitur minor in qua est difficultas, & hoc ab enumeratione partium.

Primo. Anima omne verum intuetur, namque omne scibile discutit, omnes scientias suscipit, nec in una aut altera veritatis cognitione quiescit, sed novam semper inquirit, donec veritatem summam, eamque omnibus modis infinitam possideat. Bonum utique infinitum appetit; non enim satiatur divitiis, non honoribus, non gloria mundana: non amicis, non fœdere cum nobilibus inito: non bonis quibuscumque creatis, sed iterum atque iterum sine fine alia desiderat. Dato uno bono, novum usque in infinitum inhiat, inquit Aug. hinc subdit S. Doctor: *Quidquid Deo minus est, explere non potest*.

Ad infinitum semper respicit anima, illudque cognoscit; enimvero cognoscit continuum ejusque partes, sed & quamlibet partem intelligit & capit in infinitum esse divisibilem, quinimmo videt & experitur infinitum in omni genere quærere, ad omne quippe verum proprio fertur pondere, sentit nullo bono creato se satiari: quid plura? cognoscit in se miseriam infinitam, videlicet posse sine fine peccare, infinitis se subjici defectibus, ex parte quidem intellectus, ignorantiæ absque numero; ex parte voluntatis, malitia sine fine accrescit: ex parte appetitus in infinitum exardescit, modo ira, modo & concupiscentia. Ex his omnibus sequitur istud argumentum: quod est materiale, clauditur terminis & est ad unum determinatum, quia omne materiale circumscribitur punctis, lineis, superficiebus, sin minus non erit materiale, sed supra materiam. Atqui anima non clauditur terminis in appetitu, quia ubique tendit ad infinitum, illud appetit, in illo sese exercet, in illo solum quiescit: igitur non est materialis. Demonstrativa profecto & irrefragabilis consequentia, nam belluæ licet aliqua cognitione polleant, quia tamen sunt materiales quiescunt in bono finito, nec ulterius ad infinitum tendunt.

Secundo. Anima rationalis est a materia independens, quandoquidem cognoscit substantias a materia separatas, nempe Angelos, & rerum sensibilium essentias: immo ut istas cognoscat, a materia spoliat: revera quidem, quam quæso materiam concipit anima, dum istam concipit & contemplatur veritatem, homo est animal rationale: item concipit ipsum Deum, & de ipso istum format conceptum: Deus est ens a se, est qui est. Omnes pæne antiqui Philosophi posuerunt Deum esse ens spirituale & ab omni materia immune. Et merito, si enim per ens a se concipis materiam, non concipis Deum, quippe sit quid plus, quid infinitum, & nullis clausum terminis, nullis coangustatum figuris. Ipse Epicurus distinguit Deum a mundo & a materia. Hunc vocat infinitum & infinite beatum. Igitur anima non est materialis, cum Deum independenter a materia cognoscat. Si immaterialis, profecto & immortalis.

Ad aliud exemplum gradum facimus. Anima cognoscit unitatem, sed cognoscit independenter a materia. Omnes quippe homines sine lectione, absque magistro, absque objectorum materialium & individuorum visione, sola docente natura, sciunt duo & duo numerum quaternarium constituere: de hoc conveniunt omnes gentes, de hoc pueri; de hoc senes; de hoc idiotæ, & Barbari; & si quis contendere vellet duo & duo esse quinque, extra rationalium numerum fieret: atqui tamen hoc anima independenter a materia cognoscit, quia ad hanc doctrinam non opus est individua materialia nostris subjici oculis. Igitur anima est a materia independens: igitur & immaterialis, consequenter & immortalis.

Tertio. Anima rationalis est libera. Præter fidem quotidiana hoc probat experientia. Homo ad nutum facit, modo bonum, modo malum; modo operatur, modo quiescit: igitur anima est immaterialis. Probatur consequentia; materia figurata atomorum compage est ad unum tantum semper determinata; ut primum enim atomi uno aut alio modo sibi invicem adhærent, necessario fit effectus, hoc enim sequitur ex fucato Epicuri systemate, hoc ex ejus principiis promanat, ita ut nulla sit potentia ad oppositum nisi per dissolutionem compositi, & alterius generationem, namque ex ipso res modificata fieri non potest alia, & suum mutare statum nisi fiat alius atomorum motus, alia configuratio, adeoque & generatio: atqui tamen homo idem semper

ſemper manens liber eſt, modo unum, modo aliud vult, & hoc per electionem: igitur anima eſt immaterialis & conſequenter immortalis.

Quarto. Anima rationalis eſt domina corporis; nam & ſenſus & membra, & cuncta quæ ſunt, obediunt animæ, quinimmo ipſius voluntati ex impetu & ſine mora ſubduntur. Oculi aperiuntur quando vult, clauduntur, ſi cupit. Lingua loquitur quando præcipit, tacet vero ſi placet illi. Etiam in arduis cedunt & obediunt voluntati. Corpus ſarcinas ab uno ad alium transfert locum: jejunat, periculo & ictibus ſeſe objicit quin & ipſi morti, imperante voluntate; igitur anima dominatur corpori: igitur eſt ſupra corpus, ſupra materiam: igitur immaterialis & conſequenter immortalis.

Quinto. Anima rationalis ad ſimilitudinem Dei appropinquat: ipſam exprimit: & probatur. Deus eſt 1. Ens a ſe & ſpirituale. 2. Independens a creaturis. 3. Omnium Dominus. 4. Infinitus. 5. Univerſalis, omnia comprehendens & ambiens, a nullo vero aut limitatus, aut comprehenſus. Sed anima noſtra participat illas omues perfectiones. & prob. 1. quidem eſt ſpiritualis, quia independenter a materia intelligit. 2. Per ſe ſubſiſtit, cujus argumentum eſt, quod independenter a materia cognoſcat & intelligat, unde licet non poſſit eſſe a ſe, participat tamen de actu puro. 3. Nullo bono ſatiatur: igitur a creaturis non dependet pro ſua beatitudine. 4. Eſt libera & nullis ligatur vinculis, hinc Martyres quamvis catenis extrinſecus oppreſſi, ita tamen ſui compotes erant; ut ipſa illis ceſſerint tormenta: neque gladius, neque perſecutio potuerunt eos ſeparare a charitate quæ eſt in Chriſto Jeſu. 5. Anima gaudet infinitate, oſtenſum eſt eam ad omne verum & bonum ſeſe extendere. Sed & Dei univerſalitatem exprimit anima & participat, immo in toto homine iſta perfectio relucet. Oculus quidem eſt ad omne coloratum, auditus ad omnem ſonum, tactus ad omne palpabile, odoratus ad omnes odores. Phantaſia, omnium rerum & præſentium & futurarum, immo & poſſibilium format imagines. Memoria omnium ſervat ſpecies, intellectus cuncta ſcit & ſpeculatur. Voluntas omne vult bonum, & in ſupremo quieſcit; ſed tanta & tam extenſa & omnimoda univerſalitas non convenit enti pure materiali. Nam eſt relatio univerſalitatis ſenſuum ad univerſalitatem intellectus & voluntatis, & creſcit univerſalitas, quo magis fit greſſus ad intellectum & receditur a materia. Oculus namque videt, non lapis; quia oculus non eſt tam immerſus in materia ſicut lapis. Phantaſia magis univerſalis quam oculus; ad plura ſeſe extendit: memoria magis univerſalis quam phantaſia, nam & rerum inſenſibilium conſervat atque retinet ſpecies: intellectus magis adhuc univerſalis, omnium quippe rerum tam ſenſibilium, quam inſenſibilium, non ſolum ſpecies format, ſed & eſſentias optime intuetur, & hoc per perfectam a materia abſtractionem, unde pronuntiatum eſt iſtud axioma, *intellectus fit omnia*. Denique voluntas ſuo modo exprimit Deum per ſua deſideria, eſt namque ad bonum & in ſolo ſupremo quieſcit. Quid jam ex his concludendum, niſi animam non eſſe materialem, quia omne quod eſt pure materiale, eſt ſingulare & individuum, anima autem eſt univerſalium; igitur immaterialis, ſi immaterialis & immortalis.

Solvuntur Objectiones Epicureorum.

Objiciunt 1. Epicurei. Belluæ tendunt ad infinitum, & tamen anima eorum eſt materialis: igitur non poteſt concludi animam eſſe immortalem & immaterialem, eo quod tendat ad infinitum. Probatur antecedens: belluæ ſine fine quærunt prædam; aves perpetuo cantant; apes mellificant; vellera ferunt oves: Igitur tendunt ad infinitum belluæ.

Reſpondeo negando antecedens; belluæ enim ſunt ad eaſdem operationes & eadem objecta determinatæ. Aves eodem modo ſemper nidificant: apes in hoc ſolum tendunt, ut mel componant & producant. Unde ad probationem, diſtinguo. Belluæ ſine fine quærunt prædam quando fame premuntur, concedo. Secus, nego. Si enim non opus habent cibo, quieſcunt; &, eo ſumptu, ſatiantur, & ſic de cæteris. Oves eundem ſemper & unum producunt effectum, quo pro-

producto, cessat operatio. At vero anima ad nova & disparata semper tendit: non satiatur quocumque vero & bono, nisi primam veritatem & summam bonitatem assequatur. Igitur nulla est paritas.

Opponunt 2. Belluæ sæpius agunt & operantur independenter a materia & phantasmatibus: igitur male infertur animam esse immaterialem, ex eo quod quandoque agat independenter a materia: maxime vero cum ex ordine consueto & ut plurimum dependenter a phantasmatibus operetur. Probatur igitur antecedens in quo est difficultas. Ovis licet non videat lupum aut distinguat, attamen si non longe distat, concipit esse lupum; unde tremens & balans fugit. Ergo belluæ aliquando agunt independenter a materia seu phantasmatibus.

Respondeo, negando antecedens: ad probationem, distinguo. Ovis in hypothesi agit independenter a phantasmatibus formatis per species objecti aut colorati, aut figurati, concedo, per species odoris designantis inimicum, nego. Objectum quandoque per oculum, quandoque per tactum, quandoque per auditum, quandoque etiam per olfactum perspicitur: & his omnibus ovis agnoscit lupum: per auditum quidem dum post ipsam latrat & rugit; per oculum quando videt, per olfactum cum per odorem ex halitu respersum vel a corpore emissum sentit: tactu denique si ipsam apprehendit: & certe unus modus potest esse sine alio: potest irruere a tergo lupus in ovem, & tunc infelix ad perditionem noscet cruentam bestiam: quocumque igitur sensu percipiatur lupus ab ove, ipsa illico format in phantasia species lupi, & apprehendit secundum rationes disconvenientiæ. Igitur & dependenter a speciebus, puta vel tactus, vel visus, vel olfactus, vel auditus. Immo & cognitio quam habet, est materialis, quia a sensu materiali nempe externo & interno promanat; sed non sic anima. Siquidem subsistere sine corpore potest: immo dum illi conjungitur, multa prænoscit independenter a materia: quinimmo spoliat a materia objectum corporale, ut illud in propria contempletur essentia.

Objiciunt 3. Belluæ apparent liberæ, quamvis sint materiales etiam quoad formam. Igitur licet anima rationalis sit libera, non ideo dicenda immaterialis. Probatur antecedens. Belluæ ad nutum manducant, persequuntur prædam, vel non. Modo unam rem faciunt, modo ab hoc negotio desistunt. Ergo, &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem, distinguo. Modo rem unam faciunt belluæ, modo ab opere desistunt secundum quod moventur & determinantur ad hoc per objectum, concedo: ita ut agant per electionem, nego. Verum est belluas modo unum, modo alterum operari, sed prout rapiuntur & alliciuntur per objectum præsens, a quo determinantur ad unum: at vero anima agit per electionem non per puram spontaneitatem, itaut etiam præsente & movente objecto, aliquando non operetur, unde non est par ratio, quia nulla libertas, nulla vis electiva est in belluis.

Objiciunt 4. Bellua est domina sui sensus; leo v. g. vertit quocumque vult caudam & corpus, modo ad unum locum graditur, modo ad alium: Igitur anima non est dicenda immaterialis, quamvis sit corporis domina.

Respondeo distinguendo; bellua est domina sui sensus, suique corporis secundum quid, concedo: absolute loquendo, nego. Belluæ agunt naturaliter & spontanee circa ea quæ subjiciuntur sine impedimento eorum oculis; sed non per electionem, quodcumque enim agens naturaliter & sine violentia operatur: in hoc sensu belluæ dicuntur dominæ suorum actuum, sed non proprie loquendo: verum potius rapiuntur ab objectis. Profecto hoc non est esse suorum actuum dominum; quandoquidem belluæ, posito objecto, alliciuntur & velut rapiuntur ad id quod in phantasia sua præhabent; at vero anima operatur quando vult; etiam, præsente objecto, potest non agere: Igitur sola est domina sui actus.

Objiciunt 5. Sensus belluarum sunt universalium, sicut sensus hominis. Visus canis v. g. est ad omne coloratum. Et sic de cæteris sensibus, & tamen anima eorum non est spiritualis. Igitur ex eo quod anima sit universalium non sequitur eam esse immaterialem & immortalem.

Respondeo distinguendo: sensus belluarum sunt universalium materialiter, concedo: formaliter & directive, nego.

Sen-

Sensus quidem belluarum sunt universalium, sed materialiter tantum & per limitationem. Oculus v. g. leonis videt omne coloratum, sed ad hoc restringitur: igitur non formaliter & directive, quia spiritus animalium manet ad unum determinatus & rapitur ad objectum a quo allicitur; at vero anima rationalis suos dirigit sensus tum interiores, tum exteriores ad quod vult, nec limitatur ad eorum operationem, verum ultra longe progreditur, nam & libere intelligit omne quod potest aut concipi, aut dici.

Instant. Atqui belluæ etiam directive agunt & operantur: ergo par est utrobique ratio. Probatur antecedens. Canis insectans leporem qui per transversum fugit, relegit vestigia, &, relicto uno tramite, sæpius & subito convertitur ad alium, unde veluti intra se ratiocinari videtur. Lupus per hanc non transivit viam; igitur ista lustranda est, quinetiam & invenit & capit prædam. Ergo, &c.

Respondeo negando subsumptum, ad probationem, distinguo; & rapitur canis ex odore prædæ, ut per hanc potius viam quam per aliam transeat, concedo: & operatur conferendo media cum fine, eumque prænoscit, nego. Canis sequitur odorem relictum a bellua, unde non mirum si, relicta via, ubi non resperfus est talis odor alteram ubi sentitur, teneat. Igitur rapitur ab odore prædæ ad eam per quam fera transivit sequendam; at vero non sic anima rationalis, actus quippe suos & ratione & electione ad finem præconceptum dirigit, quocirca independens est ut agat & ab objecto terreno, & ab ipsis dicam sensibus: enimvero libere se movet ut operetur tum ad intra, tum ad extra: movetur quidem ab objecto, sed solum extrinsece, utitur usque sensibus ad operandum, sed tanquam conditionibus sine qua non seu instrumentis, & hoc ad nutum, nam &, seclusa eorum ope, nonnumquam intelligit rerum essentias, eas rimatur & in se contemplatur. Igitur spiritualis est, & consequenter immortalis.

Diluuntur Objectiones Spinosæ contra animæ rationalis spiritualitatem & immortalitatem.

Spinosa si non aperte, attamen vere inficiatur existentiam Dei Creatoris, oppugnando animæ rationalis spiritualitatem & immortalitatem; quia hoc utitur medio ut suum probet impium systema, quo statuit unius solum generis esse substantiam, eamque materialem; unde & animam & intellectum & voluntatem in materia subtili consistere propugnat.

Objicit igitur: nulla est in rerum natura substantia, nullum ens nisi id quod clare cognoscitur; sic enim habet Ethic. p. 1. de Deo defin. 3. *Per substantiam intelligo id, quod in se est, & per se concipitur: hoc est id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei a quo formari debeat*. Atqui animam spiritualem non cognoscimus clare esse in homine, siquidem non cognoscimus ejus essentiam; igitur non datur anima rationalis quæ sit & spiritualis & immortalis.

Respondeo 1. negando absolute majorem, multa siquidem diu abscondita hominibus manserunt; ut artes, disciplinæ, scientiæ multæ de mineralium & plantarum virtutibus, quæ decursu duntaxat temporum innotuerunt hominibus, qui artes & scientias tum studendo, tum meditando adinvenere: igitur falsum est quod dicit Spinosa, nempe illud solum esse substantiam quod clare & sine conceptu alterius a quo formetur, dependet; in ista enim definitione ad consuetam recurrit æquivocationem, loquitur quippe de essentia rei metaphysica, quæ non habet causam rei, sed solum cognitionis, quandoquidem est pura rei definitio. 2. Confundit in eadem definitione prima principia quæ sine discursu sed prima apprehensione concipiuntur, confundit, inquam, cum aliis rebus, quarum quidem cognitio habetur dupliciter, scilicet a priori, & per causas: 2. a posteriori & per effectus: unde

Respondeo 2. distinguendo majorem; illud solum est substantia quod clare cognoscitur vel a priori, vel a posteriori, concedo: quod cognoscitur clare a priori, nego. Cognitio a priori est per causas,

fas; a posteriori, per effectus: utraque suam habet claritatem & evidentiam; rerum quidem essentias ut plurimum non cognoscimus a priori, quia ignoramus causas: quis v. g. causam vel fluxus & refluxus maris, vel attractionis ferri per magnetem cognoscit? Attamen clarissime per effectus cognoscimus dari fluxum & refluxum maris, magnetem attrahere ferrum, & ex utriusque effectus scientia recte & evidenter cognoscimus dari causas: neque plura videtur exigere Spinosa, saltem ex principiis quæ statuit. Enimvero distinguit entia per modificationes quas proprietates rerum appellat, & attributa divina; fateri tamen debet se multarum rerum naturam ignorare in particulari: enimvero dicere v. g. magnetem attrahere ferrum, quia tali vel tali modo est modificatus, nihil est dicere, cum de singulis entibus hæc dicat: unde & fucum facit, & sæpius confundit genera cum speciebus, species cum individuis; essentiam metaphysicam & puræ definitionis, cum essentia physica & realitatis.

Cæterum constat apud omnes entia inter se distingui per proprietates, v. g. homo a belluis per rationalitatem secernitur, & si quis diceret hominem non magis ratiocinari quam equum vel arborem, profecto ab omnibus tamquam stultus haberetur. Cum igitur videamus, & experientia comprobemus quotidiana hominem cogitare, discurrere, operari libere, utique clare cognoscimus habere animam spiritualem, immortalem, immaterialem: tum quia anima dominatur corpori, tum quia sæpissime independenter a corpore & phantasmatibus cogitat, non enim semel ostensum est supra eam cognoscere unitates independenter a speciebus sensibilibus, immo cognoscere & infinitum.

Instat. Non anima præcise, sed sensus operatur quando operatur anima: igitur anima nihil est præter sensus & materiam. Probat antecedens. Primo quidem, male disposito corpore, languescit animæ operatio, & si graviter vulneretur corpus, penitus cessant operationes. 2. Si anima videret per oculos, sequeretur, inquit Lucretius, l. 3. v. 360. & post ipsum Spinosa, animam objecta intueri per oculos tamquam per fenestras: absurdum consequens, ergo & antecedens.

Respondeo negando antecedens: ad primam probationem distinguo; male disposito corpore, male operatur anima in concreto, seu potius homo, concedo. Anima in abstracto & secundum se considerata, subdistinguo; per accidens & ratione status, concedo; defectu virtutis, nego. Homo est anima simul & corpus, unde non anima præcise, sed totum non operatur, vulnerato corpore, quia corpus non se habet ut purum instrumentum, sed ut pars essentialis respectu totius, nempe hominis, jam vero anima aut difficile, aut male operatur, male disposito & vulnerato ad mortem corpore, propter statum, quia hic in terris in corpore concreta est: soluta vero ab ipso, optime & subtillissime operatur; cujus rei argumentum est, quod quamvis concreta sit in corpore, nihilominus multa & quidem perfectissime independenter a corpore cognoscit, nempe essentias rerum, unitatem & similia. Unde ad aliam probationem, nego animam videre & conspicere objecta per oculos tamquam per fenestras: quandoquidem, ut dictum est, corpus non se habet ut purum instrumentum.

Insistit. Homo durante somno cogitat, sicut durante vigilia: immo proposita aliquid faciendi quandoque emittit: & tamen sola tunc operatur imaginatio: igitur & cogitatio & discursus omnis, immo & actus liberi atque resolutiones sunt effectus animæ pure materialis: ita ratiocinatur Spinosa hic p. 3. prop. 2.

Respondeo distinguendo: homo cogitat & multa decernit, durante somno, sine ordine perfecto, & solum propter quasdam ideas relictas eorum, quæ durante vigilia, peregit, & vidit, concedo: secus, nego. Ut plurimum confusio fit in somno & dissonantia, cogitat seu potius fabricat imaginatio; si vero ordinat, hoc procedit ex ideis relictis ex vigilia, solemus enim per somnum imaginari, quandoque etiam decernere similia aut affinia his quæ præcogitavimus vel statuimus, aut decrevimus durante vigilia: unde nihil sequitur contra spiritualitatem animæ: quinnimmo, similitudo imperfecta operationum imaginationum, durante somno, arguit

guit immaterialitatem animæ quæ ita corpori dominatur, ut etiam, durante somno illi quodammodo obediat: jam vero cum anima, durante vigilia, ordinate & perfectissime cogitet, imaginatio vero prorsus imperfecte, durante somno, sequitur ex hoc animam esse perfectissime spiritualem; & supra imaginationem non modicum elevatam, adeoque immortalem.

Urget. Multi, durante somno, æque perfecte operantur ac durante vigilia: norunt enim omnes quosdam semiexpergefactos ad balnea cucurrisse, transisse omnes, & similia patrasse, &c.

Respondeo negando antecedens: ad probationem distinguo: quidam semiexpergefacti opera affinia vigiliæ fecerunt, compulsi per impressiones relictas ex similibus actionibus factis in vigilia, concedo: secus, nego. Qui balnea amant, ex impressione relicta in somno moventur ad balnea: quod autem hæc in vigilia perfectius fiant, patet, quia homo in vigilia operatur cum majori reflexione; tunc enim non solum natat per undas, sed quasi ludendo ad ima descendit, & sursum postea ascendit.

Omnia sunt ludicra in Philosophia Spinosæ, & omnino absurda: juvat ipsius totum systema impium explanare compendiose, & convellere.

Primo: Statuit in sua Ethica unicam esse substantiam infinitam, animam vero rationalem materialem esse effutit, ex materia omnia coalescere contendit: huic & nomen Dei, & attributa gratis largitur, immo sicut per Deum nihil præter totam materiam, ita & per attributa nihil præter modificationes materiæ ejusque motum intelligit: & sic mundum a seipso, individua vero a motu materiæ esse propugnat.

Secundo: Animam rationalem & secundum se & secundum facultates ipsi innatas materialem prædicat, sic definit intellectum prop. 30. " Intellectus actu finitus aut actu infinitus Dei attributa " Deique affectiones comprehendere debet, nihil aliud. " Per affectiones Dei non intelligit nisi modificationes materiæ, quæ ipsa solus est apud ipsum Deus; cogitationem dicit esse modum ab extensione materiæ distinctum, materialem tamen esse statuit. Cogitationem quoque modum duntaxat substantiæ materiali extensæ adventitium esse rimatur; unde nullam cogitandi facultatem in homine agnoscit, intellectum vero nihil aliud esse quam talem, vel talem ideam ponere. Ita prop. 11. p. 2. 2. " Primum " quod actuale mentis humanæ esse constituit, nihil aliud est quam idea rei " alicujus singularis actu existentis " & demonstr. prop. 49. Spiritum nullam habere cogitandi & volendi virtutem asserit: unde cogitationes, seu potius rerum singularium ideas admittit, nusquam vero ipsum intellectum qui cogitet & objectorum naturam concipiat.

Tertio: Sic describit atque definit voluntatem prop. 32. " Voluntas non potest dici causa libera; sed tantum necessaria. " Statuit voluntatem, nihil aliud esse præter actum intellectus qui percipit ideam rei quam cognoscit; hinc ex ipso si pila mota posset percipere ideam scopi ad quem tendit, foret libera: sequitur quoque ex ejus principiis dementia laborantem esse liberum, quatenus æger ille se credit liberum, & videt ac percipit quod facit. Spinosa part. 1. defin. 7. sic loquitur. " Ea res libera dicetur quæ ex sola suæ naturæ necessitate existit, & a se sola ad agendum determinatur; necessaria autem " vel potius coacta, quæ ab alio determinatur ad existendum & operandum " recta ac determinata ratione. " Denique prop. 32. p. 1. negat omnem volendi facultatem inesse homini, sed voluntatem in quibusdam ideis & cogitandi modis repositam esse prædicat & docet.

Sed contra, quoad primum: jam probavimus nullam esse substantiam infinitam præter Deum.

Quoad secundum, probavimus quoque animam rationalem non esse materialem. Addo intellectum esse facultatem cogitandi ab individuo distinctam, siquidem ex ipso Spinosa, est quid ab extensione materiæ distinctum. Concedat igitur aliud esse substantiam quæ cogitat, aliud vero ipsam cogitationem. Igitur intellectus non est substantia modificata extensa: sed supra materiam realem, materia quippe realis illa sola est, quæ extensa jacet. Incassum Spinosa vocat illam materiam metaphysicam & abstra-

stractam : Etvero talis materia est ens rationis ; ergo ex concedendis intellectus non est realiter materia metaphysica, sed quid superius ab ea distinctum : idem sine dicendum de voluntate, cum, ipso teste Spinosa, sit modus intelligendi materiæ extensæ adveniens.

Quod spectat naturam libertatis quam inficiatur Spinosa dicendo actum liberum esse illud omne quod naturali impetu sine coactione fluit, illam defendimus tribus istis momentis ; 1. Quia experimur nos modo unum, modo aliud oppositum ad nutum facere. 2. Sequeretur ex definitione Spinosæ etiam belluas esse liberas, namque naturaliter & sponte operantur. 3. Absurdum est dicere stultum libere agere, cum nequidem rationabiliter & ordinate, sed disparata indifferenter loquatur. Si sufficit hominem se credere liberum, ut sit liber, sufficiet etiam credere manducasse ut satisfaciat necessitatibus corporis, credere esse divitem, ut dives evadat : lepida sane Philosophia! quis rationis compos & sapiens audiet hæc absurda & credet? Igitur iniquitas Spinosæ & Deum Creatorem, & animæ rationalis immaterialitatem atque immortalitatem inficiantis, mentitur sibi.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Non sequitur ex Epicuri systemate animam rationalem esse mortalem.

Primo quidem, quia Epicurus multa dicit, sed nihil probat. Etvero ipsa ratio inculcat, ipsa docet, ipsa demonstrat mundum neque esse a seipso, neque ab æterno productum. Animam quoque hominis non esse sensum aliquem aut exteriorem, aut interiorem constat ; non exteriorem quidem, cum, illo extincto, non extinguatur. Sed neque interiorem, cum ipsi sit superior & ei dominetur.

Secundo: Anima nostra ad infinitatem tendit, nec uno aut altero bono creato satiatur, sed, aliquo quantumvis magno possesso, alterum ardentius inhiat, quod sane immortalitatem arguit ; namque si materialis foret, utique rebus materialibus & concluderetur & satiaretur ejus appetitus, ultra quippe ferri non valeret.

Tertio : Quid plura pro immortalitate animæ adjiciam? ipsa est a materia independens, nec semel multa independenter a speciebus sensibilibus intelligit. Est libera libertate electionis & indifferentiæ actus, est ad imaginem Dei : igitur & immortalis.

SYNOPSIS OBJECTIONUM

ET RESPONSIONUM.

Objicies 1. Belluæ ad infinitatem tendunt ; namque sine fine quærunt prædam. 2. Immo quandoque absque speciebus sensibilibus intelligunt ; ovis etiam si lupum non videat, eum tamen apprehendit. 3. Feræ apparent utique liberæ, nemo enim non videt eas ad nutum insequi prædam relegendo modo unam, modo alteram viam ut certo certius inveniant. 4. Sensus belluarum sunt etiam universalium. Et vero oculus canis attingit omne coloratum, his tamen non obstantibus, animam belluarum esse mortalem omnes conclamant ; idem igitur dicendum de anima rationali, tametsi tendat ad infinitatem, nonnumquam intelligat absque speciebus sensibilibus ; licet sit & libera & universalium.

Respondeo negando paritatem. Ad primum, belluæ sunt ad unum determinatæ & cibo materiali perfecte satiantur. Ad secundum, ovis ex odore & instinctu, nusquam vero judicio & intellectione apprehendit lupum. Ad tertium, rapitur canis ex odore utique prædæ ut una potius via quam altera eam insectetur. Ad quartum, sensus belluarum sunt universalium solummodo materialiter, nusquam vero directive, neque a materialibus ad spiritualia & immaterialia absque limitatione sicut anima rationalis assurgunt.

Cæcutit profecto Spinosa impius dum animæ, Epicureo systemati insistens, inficiatur immortalitatem. Enimvero tametsi non cognoscamus a priori, seclusa fide, hanc prærogativam, bene tamen a posteriori & per effectus. Non negamus, male disposito corpore, operationes animæ languescere, verum non defectu ipsius animæ, sed instrumenti seu corporis: fracto penicillo, pictor aut nihil aut male pingit, ergone malus aut nullo modo arti-

artifex? minime. Esto quod quædam in somno cogitemus; sed attendas velim, benevole lector, ejusmodi operationes ut plurimum absque ordine fieri: quod si quandoque rectæ sunt; ex impressionibus rerum quæ, durante vigilia, ab anima factæ sunt, id evenire constat. Unde incassum Spinosa tribuit sensibus & imaginationi operationes liberas & intellectuales. Ex imperfectionibus quippe illas esse materiales absque negotio dignoscitur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num detur reprobatio.

NOMINE reprobationis intelligimus ordinationem Dei privantis aliquos vita æterna. Unde variis nominibus misera eorum sors in Scripturis significatur. Primo dicuntur ignoti, Matth. 5. *Amen dico vobis, nescio vos.* 2. repulsi, Psal. 87. *Et ipsi de manu tua repulsi sunt.* 3. Despecti, Eccles. 1. *Nemo potest corrigere quem Deus despexerit.* 4. Maledicti, Matth. 25. *Discedite maledicti in ignem æternum.* 5. Ibidem vocantur hædi. Epist. B. Judæ 8. *Proscripti in diem malum. Vasa iræ, vasa contumeliæ apta in interitum*, Rom. 9. Usu tamen apud Theologos communi reprobatio sumitur pro exclusione a regno Dei, quæ quidem duplex distinguitur, una negativa, positiva altera: prima est exclusio a regno cœlesti, ut est quid indebitum; secunda vero exclusio ab eodem regno ut pœna propter peccatum inflicta.

Certum est reprobationem in executione pendere a peccato vel originali, ut in pueris sine baptismo morientibus, vel actuali, ut in adultis. Totum igitur controversiæ caput est de reprobatione secundum intentionem & Dei ordinationem spectatam. Quæritur igitur an Deus decreverit aliquos a gloria excludere independenter a quocumque peccato?

Calvinus contendit Deum positivo decreto independenter a prævisione cujuscumque peccati quosdam prædestinasse ad pœnam. Quidam Theologi rigidiores tenent, multos reprobasse negative ante prævisa demerita; hoc est, voluisse a regno suo propulsare, eo quod sit indebitum, & nulli teneatur sua retribuere bona. Sententia contraria communis est apud Theologos, paucis enim exceptis, propugnant quod licet Deus alicui dare gloriam non necessitetur, neminem tamen a regno æterno nisi propter peccatum voluisse excludere, cum quibus sit

CONCLUSIO.

Deus decrevit excludere a gloria illos solum quos in peccato lethali morituros prævidit.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura Sacra.*

Quæ dependent ex voluntate Dei, nobis per Scripturam Sacram innotescunt; sed quotiescumque Scriptura divina loquitur de reprobatione, aut assignat peccatum pro sententiæ mortis motivo, ut Christus ipse, Matth. 26. qui reprobos sic alloquitur: *Esurivi & non dedistis mihi manducare*, aut excludit homines a regno, quia futuri sunt peccatores, sic pronuntiat Apostolus, 1. Cor. 6. 9. *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* Igitur peccatum prævisum est ratio reprobationis motiva.

Secundo, *ex Conciliis.*

Concilium Valentinum tertium c. 3. eandem veritatem non obscure declarat & definit his verbis: "Fidenter fatemur „ prædestinationem electorum ad vitam, „ & prædestinationem impiorum ad „ mortem: in electione tamen salvan- „ dorum, misericordiam Dei præcedere „ meritum bonum, in damnatione au- „ tem periturorum, meritum malum „ præcedere justum Dei judicium.„ Quibus verbis Patres hanc ponunt inter electionem ad vitam & electionem ad mortem discrepantiam, quod illa procedat a misericordia præcedente meritum bonum, ista vero subsequatur ad meritum malum. Cæterum loquuntur de electione, adeoque de decreto quo Deus ab æterno malos a regno suo propellere statuit: Igitur reprobatio omnis se-

secundum ordinationem Dei considerata, est & a peccato ut a causa motiva, & propter peccatum seu in peccati vindictam.

Tridentinum concinit Valentino, sess. 6. c. 11. his verbis ab Augustino l. de natura & gratia c. 26. mutuatis: " Deus „ sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur. „ Quæ quidem sententia profecto non cohæreret, si Deus independenter ab omni peccato prævisio multos reprobaret : neutiquam enim foret vera, quinimmo sola contraria pro veritate constaret; namque, posita reprobatione ex mero Dei beneplacito, justus averteretur a justitia, quia propter decretum reprobationis infallibile & absolutum a Deo, sine quo nullus stare potest, derelinqueretur, quod sane falsum atque impium est dicere.

Tertio, *ex Sanctis Patribus*.

Beatus Chrysostomus primus dicet sententiam. Sic loquitur Hom. 46. in Matth. oper. imperf. col. 1070. " Quemadmo- „ dum in nobis contra naturam est bene „ facere, sic & Deo contra naturam est „ male facere aut damnare. „ Quare vero contra naturam Dei damnare? nisi quia motivum damnandi in solo invenit peccato? quorsum contra naturam? quia ex se bonus est, inquit Augustinus, ex nostro vero justus & vindex.

Concinit rursus Augustinus l. 2. ad Bonifacium c. 7. n. 13. " Vocato datur „ gratuitum bonum, cujus boni est voca- „ tio ipsa principium : non vocato red- „ ditur malum, quia omnes rei sunt, „ ex eo quod per unum hominem pecca- „ tum intravit in mundum... Ubi au- „ tem dicitur : Ergo cui vult miseretur, „ & quem vult obdurat, qui facit aliud „ vas in honorem, aliud in contumeliam: „ bonum quidem immerito & gratis da- „ tur, quia ex eadem massa est cui da- „ tur : malum vero merito & debitum „ redditur, quia in massa perditionis, „ malum malo non male redditur. „

Idem l. 3. contra Julia. c. 18. exclamat dicens : " Bonus est Deus : justus „ est Deus, potest aliquos sine bonis me- „ ritis liberare, quia bonus est; non po- „ test quemquam sine malis meritis dam- „ nare, quia justus est. „ Rursus l. de contin. c. 6. " Deus condemnat eos, „ quos damnatione judicat dignos. „ In duobus primis locis assignat Augustinus peccatum originale pro reprobationis motivo : in aliis etiam peccatum actuale, quod per mala merita designat. Ratio ipsius ea est, Deus justus est, & ideo neminem vult, immo secundum sanctum istum Doctorem non potest absque peccato aut originali, aut actuali damnare, alias non foret justus; quæ quidem Augustini sententia intelligi debet, non solum de reprobatione secundum executionem, verum etiam secundum intentionem, justitia enim maxime in debita ordinatione & distributione tum præmiorum pro bonis operibus, tum pœnarum pro malefactis sita est. Auctor incertus apud S. Aug. tomo x. edit. novæ l. de prædestinatione Dei c. 3. clarissime solvit difficultatem & ait : " Ex præscientia igitur offensio- „ nis, prædestinatio emanavit ultionis : „ sicut ex præscientia virtutis, præ- „ destinatio fieri solet remuneratio- „ nis. „

S. Prosper in resp. ad 2. objectionem Gallorum eandem tenet doctrinam. " Quia, „ inquit, Dei præscientiam non latuit, „ nec fefellit, sine dubio talem num- „ quam elegit. „ Et in responsionibus ad objectiones Vincent. resp. 12. ait : " Quia præsciti sunt casuri, non sunt „ prædestinati. „

Fulgentius l. 1. ad Monimum c. 24. sequitur Prosperi sententiam dicendo : " Prædestinavit illos ad supplicium, quos „ a se præscivit voluntatis malæ vitio „ discessuros. „ Uterque S. Doctor recurrit ad prævisionem peccati cum assignat reprobationis motivum : uterque potissimum loquitur de reprobatione secundum intentionem, quæ certe nihil aliud est quam destinatio ad mortem : uterque dicit Deum destinare ad mortem eos quos prius præscivit casuros, quos a se præscivit, voluntatis malæ vitio discessuros. Igitur ex S. Prospero & S. Fulgentio omnis reprobatio tam intentiva quam executiva est ex prævisione peccati & per peccatum.

Glossa ord. super Epist. ad Rom. c. 9. col. 120. idem dicit : " Nullum dam- „ nat Deus, antequam peccet : nullum „ coronat antequam vincat. „ Ibidem col. 123. " Constat quod nullus dam- „ na-

„ natur nisi æquissima justitia . „ Patres & post eos Glossa ordinant reprobationem ad justitiæ apices : omnes opus justitiæ vocant , omnes bonitatis & clementiæ divinæ jura in reprobatione multorum salvari conclamant , quatenus illos solum damnet Deus quos in reatu culpæ præscit vita functuros : Igitur si valet eorum ratio, si damnatio est secundum justitiæ leges, profecto debet esse ex prævisione peccati .

D. Thomas in hoc puncto adhæret Augustino & aliis sanctis Doctoribus , maxime q. 6. de verit. ar. 2. ad 9. " Electio Dei qua unum eligit , & alium „ reprobat , rationalis est ; nec tamen „ oportet quod ratio electionis sit meri- „ tum , sed in ipsa electione ratio est di- „ vina bonitas ; ratio autem reprobatio- „ nis est in hominibus peccatum origi- „ nale , ut Augustinus dicit . „ Rursus lec. 3. in c. 9. Epist. ad Rom. " Quibus- „ dam *inquit* , est misericors quos libe- „ rat , quibusdam autem justus quos non „ liberat , neutris iniquus . „ Et 2. 2. q. 2. ar. 5. ad 1. docet auxilium gratiæ tum ad diligendum Deum , tum ad pœnitentiam faciendam necessarium quandoque denegari *in pœnam præcedentis peccati, & saltem originalis* .

Idem q. 6. de verit. ar. 5. suam confirmat de hoc momento doctrinam his verbis . " Voluit igitur Deus hominibus , „ quantum ad aliquos quos prædestinat , „ repræsentare suam bonitatem , per „ modum misericordiæ parcendo , & „ quantum ad alios quos reprobat per „ modum justitiæ puniendo : Et hæc est „ ratio quare Deos quosdam eligit , & „ quosdam reprobat . Et hanc causam „ assignat Apostolus ad Rom. 9. dicens. " Volens Deus ostendere iram , idest , „ vindictam justitiæ , & notam facere po- „ tentiam suam , sustinuit , idest , permi- „ sit , in multa patientia vasa iræ apta in „ interitum . „

Ecce quomodo D. Thomas ad justitiam recurrit , ut reprobationis peccatorum investiget causam ; dicit enim electionem ad gloriam ita rationabilem esse ut unus prædestinationis effectus possit esse causa alterius motiva , hoc est , gloriæ , decretum propter merita fieri non implicare ; sed si Deus rationabiliter & sapientissime hominum definiat sortem , profecto dicendum est , illum neminem nisi propter peccatum a regno excludere . Angelicus Doctor ad suam de hoc momento confirmandam doctrinam inducit Apostolum loquentem de Deo qui reprobat in vindictam : Igitur ex prævisione peccati , quandoquidem Deus non dicitur vindex nisi supponatur irrogata sibi ab homine injuria . Cæterum D. Thomam loqui de reprobatione etiam intentiva fidenter asserimus . Etvero sermonem instituit & de electione ad mortem propter peccatum, & de reprobatione ut excludit hominem a regno tanquam indebito . Porro vox *indebitum* importat aliquid quod nedum extra naturæ jus & legem est , sed & ipsum peccatum a quo non præscindit reprobationis decretum .

Quarto , *ex variis & efficacissimis rationibus* .

Prima est . Non datur reprobatio positiva ante prævisa merita secundum Theologos : ergo nec negativa . Antecedens patet , quandoquidem reprobatio positiva est ad justitiæ apices quæ reddit & assignat unicuique prout gessit malum , pœnas ; unde supponit demerita ex quorum prævisione Deus sententiam fert in reos. Probatur igitur consequentia , & quidem multipliciter . 1. Omnis reprobatio etiam intentiva est actus positivus , non enim admittitur in Deo actus aut indifferens, aut suspensionem patiens, & consequenter mere negativus . 2. Reprobatio intentiva quæcumque sit , ejusdem est speciei cum executiva , quinimmo executiva sequitur conditionem intentivæ , siquidem actus exterior ejusdem est naturæ cum interiori , & ambo eandem constituunt speciem . 3. Reprobatio negativa etiam ut dicit regnum indebitum est privatio Dei , adeoque maxima omnium pœna : omnes autem , solis exceptis hæreticis , conveniunt reprobationem ut pœnam , esse post prævisa demerita . 4. Reprobatio negativa quæcumque non potest præscindi , saltem ex parte reprobantis a reprobatione positiva . Enimvero de reprobatione judicandum est secundum præsentem rerum dispositionem ; licet autem gloria sit homini indebita & ante peccatum , & magis adhuc post peccatum , Deus tamen

tamen misericordiæ suæ memor intuitu meritorum Christi, restituit & Adamo, & posteris jus ad gloriam amissum per peccatum: igitur Deus attendit solum in reprobatione ad peccatum in quo moriuntur peccatores, ut eos reprobet: Igitur reprobatio fit ex prævisione peccati vel originalis, vel actualis, vel utriusque simul. Ergo si reprobatio positiva est post prævisa demerita, ita & negativa, ita & intentiva.

Secunda. Reprobatio quæcumque ut est decretum statuens atque definiens pœnas, maxime regni Dei privationem, qualiter impræsentiarum illam spectamus, a voluntate consequente & absoluta promanat, quandoquidem est & addictio pœnæ in vindictam, & positiva regni privatio. Ergo, &c. Probatur antecedens; si procederet a voluntate tantum antecedente, jam esset solum reprobatio generalis, & non in individuo, reprobatio mere conditionata quæ posset transire in absolutam, vel non: transire quidem in iis qui finaliter perseverant in peccato: non transire vero in iis qui agunt pœnitentiam. Atqui voluntas consequens sua regit decreta, attentis omnibus circumstantiis vel bonorum operum, si agatur de salute efficaciter ordinanda, vel malorum si agatur de suppliciis infligendis. Ita docet D. Thomas hic 1. p. q. 19. ar. 1. ubi dicit voluntatem Dei consequentem eam esse quæ attendit ad omnes circumstantias, eam esse qua Deus vult efficaciter aliquid. Igitur eo ipso quo reprobatio est decretum efficax excludendi aliquem a gloria, est tantum ex demeritorum prævisione. Ar. 6. sic loquitur S. Doctor: *Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam justitiæ*.

Tertia sic exponitur, Deus elevavit hominem ad finem supernaturalem ex misericordia; igitur nulla est reprobatio etiam negativa, etiam intentiva ante prævisa demerita. Probatur consequentia. Ista elevatio non est frustranea; sed si Deus reprobaret ante prævisa merita, frustranea foret, saltem pro multis ista elevatio, & quidem propter duo. Primo, quia non esset verum dicere Deum hunc velle finem pro reprobis quorum infinitus est prope numerus; siquidem decreto efficaci, & sine ulla causa ex parte ipsorum eos excluderet a gloria. 2. Nihil prodesset ista elevatio, cum decreto antecedenti multi reprobarentur. Ergo, &c.

Quarta sequitur istam: implicat in Deo contradictio, sed si reprobatio intentiva etiam ut dicit exclusionem a regno Dei ut indebito multiplex foret in Deo contradictio: igitur nulla est reprobatio ante prævisa merita. Probatur minor in qua est difficultas. In ista hypothesi Deus vellet sincere omnes homines salvos fieri voluntate antecedente, & eadem prorsus voluntate nollet. Vellet quidem juxta illud 1. ad. Tim. *Vult omnes homines salvos fieri:* nollet vero, namque antecedenter & ante omne peccatum actuale prævisum excluderet omnes reprobos a regno ut indebito. Certe hæc hypothesis rigidorum respicit voluntatem antecedentem quæ omnes antecedit circumstantias: immo ipsum peccatum. Enimvero voluntas consequens, ipso testante D. Thoma, sola attendit ad omnia & quidem in individuo. Ex quo principio resultat opinionem contrariam manifeste pugnare contra Angelici Doctoris mentem: qua de causa Gonetus inter Thomistas sapientissimus & eruditissimus Theologus tractatu de Voluntate Dei, disp. 5. ar. 3. docet reprobationem esse ex prævisione peccati originalis. Nos vero ex prævisione peccati quidem originalis pro pueris sine baptismo e vita migrantibus; actualis vero pro adultis baptizatis; absurdum enim est dicere hominem reprobari ex prævisione peccati deleti, nempe originalis per baptismum ablati: Scriptum est enim Rom. 8. 1. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*. Altera sequeretur adhuc implicantia: nimirum Christum esse pro singulis hominibus mortuum, immo & pro reprobis baptizatis, & non esse: foret mortuus pro singulis ut supponitur: item pro reprobis baptizatis, & tamen non foret, quandoquidem independenter a suis meritis, & ante ipsius Passionis prævisionem, jam multi exclusi manerent a regno ut indebito, & sic in vanum laborasset Christus. Si vero dicatur decretum subsequi Christi meritorum prævisionem, quomodo concipi potest homi-

homines multos per decretum excludi a regno ut indebito, cum jus ad gloriam per satisfactionem pro peccato mundi hominibus reddiderit Christus, qui ideo dicitur Mediator hominum & Redemptor? Quinimmo videtur quod in hypothesi non foret Redemptor omnium, quandoquidem multi reprobarentur ante prævisionem peccati, & consequenter ipsius Christi, quippe qui prævisus sit solummodo post peccatum, quatenus prævisus est & ut Medicus & ut Redemptor. Quot absurda! quales consequentiæ! recogitent illud si placet, omni opinionum præventione deposita, viri cordati.

Quinta. Debemus recedere quantum fieri potest ab opinionibus a sancta Matre Ecclesia proscriptis; sed hoc fieri non satis apparet propugnando reprobationem intentivam negativam ante prævisa demerita; igitur omnis reprobatio decreta est atque statuta ex prævisione peccati. Probatur minor. Duplex scatet error in opinione Calvini confirmata in Synodo Dordracena circa reprobationem. Primus in eo situs est quod teneat reprobationem omnem ante prævisa demerita per decretum positivum Dei: secundus in hoc est positus quod velit decretum reprobationis propter suum infallibilitatem & immutabilitatem necessitare & compellere ad malum & peccatum: Sed, quæso, satisne receditur a primo nævo, cum reprobatio intentiva defenditur ante prævisa demerita? Numquid sufficiens recessus a secundo, cum admittitur decretum antecedens omnem demeritorum prævisionem, illudque infallibile & supra modum efficax? Quis unquam concipere saltem clare & absque tergiversatione poterit, libertatem hominis illæsam in hac hypothesi permanere? Et vero, posito decreto prædeterminante exclusionem regni ante prævisa demerita, sive velit, sine nolit homo, excludetur a regno. Si dicas: in executione per peccatum excluditur reprobus; quorsum hanc afferre rationem, cum ante prævisionem peccati actualis statutum sit, & quidem immutabiliter hominem privari gloria? Jam vero si ad hoc requiratur peccatum, timendum profecto ne & Dei sanctitas violetur. Enimvero quomodo salvare Deum Optimum Maximum nusquam esse auctorem peccati? posito siquidem decreto reprobationis antecedente & infallibili, veluti necessario consequitur peccatum: quandoquidem exclusus a regno indebito, non potest, ut quidam autumant & inferunt ex sententia contraria, aliter facere, quam peccare, ut per peccatum abeat in suum ab æterno destinatum locum.

Sexta & ultima: Scriptura & Patres quotiescumque loquuntur de reprobatione, semper mentionem saltem aliquam faciunt de peccato tanquam de motivo; vel enim ipsa peccata designant, ut Matthæus seu potius ipse Christus: *Esurivi & non dedistis mihi manducare*; vel nominant peccatores quibus solis maledictio dicitur, sic Paulus 1. Cor. 6. *Neque molles ... neque rapaces, regnum Dei possidebunt*. Ubi umquam apparuit apud Scriptores Canonicos & Sanctos Patres ista distinctio metaphysica reprobationis, quatenus dicit exclusionem a regno ut indebito: & reprobationis ut importat supplicium, cum potius omnes unanimiter reprobationem exponant tanquam justam peccatorum pœnam atque vindictam? Sed nec apparet ulla hujus distinctionis ratio, quandoquidem, ut supra notavimus, ratiocinandum est de rebus ut ordinatæ sunt secundum præsens decretum; cum igitur jus ad gloriam amissum per Adæ peccatum reparatum sit per Christum, Deus cujus natura bonitas, tametsi potuerit non elevare hominem ad gloriam, vel lapsum non reparare, proprio tamen Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Igitur si sic ordinatus est & reparatus rerum status, jam non respexit Deus ad regnum ut naturæ indebitum in reprobatione, sed ut indebitum propter peccatum: igitur reprobatio omnis secundum Scripturæ & Patrum mentem est post prævisa demerita.

Solvuntur Objectiones.

Objicies I. Rom. 9. habetur de duobus fratribus Jacob & Esau: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major ser-*

serviet minori, *sicut scriptum est*, *Jacob dilexi*, *Esau autem odio habui*. Ibi Apostolus loquitur de electione secundum propositum, adeoque ante prævisa merita vel demerita, unde postquam dixit: *Cum nondum nati fuissent*, *aut aliquid boni egissent aut mali*, subdit ... *non ex operibus*, *sed ex vocante dictum est ei*, *quia maior serviet minori*. Igitur reprobatio est ante prævisa demerita.

Respondeo solutionem patere ex dictis de prædestinatione. Dico igitur locum Apostoli intelligi de prædestinatione ad gratiam quæ gratis datur, & hoc secundum scopum Apostoli, qui advertens Judæos supra Gentiles exaltari eo quod a Deo per Angelos legem recepissent, quam & ad salutem sufficere volebant: istos vero etiam plurimi facere Philosophorum suorum sapientiam vanam, eis vocationem ad fidem deberi existimabant: omnium compescit temeritatem: Judæorum quidem ostendendo legem sine gratia Christi prorsus inanem esse ad salutem, Gentilium vero, probando eis Philosophos quidem Deum agnovisse, sed non sicut Deum glorificasse, ideo datos fuisse & in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum; deinde concludit Judæos juste propter incredulitatem repulsos, ipsos vero Gentiles ex pura misericordia per gratiam Christi & ad lumen fidei vocatos, & populo Dei misericorditer adscitos; quam quidem gratuitam prædestinationem ad gratiam fidei, comprobat exemplo Jacob qui antequam natus esset, prædestinatus est ut superior Esau, & tanquam princeps ex quo omnes Tribuum Israel duces prominarent, ut continua principum & successione, & benedictione Christum totius legis finem pertingerent.

Instabis: Atqui Apostolus agit de reprobatione in capite laudato, & probatur 1. loquitur de electione independente a bono vel malo; *cum nondum nati fuissent*, inquit, *aut aliquid boni egissent aut mali*: Igitur non de pura benedictione temporali pertractat, sed de electione ad gloriam, quam quidem dicit videlicet a bono independentem esse secundum ordinationem, sicut ab ipsa electione propulsionem independentem a malo. 2. Ad hoc probandum hanc profert Paulus sententiam: *Jacob dilexi*, *Esau autem odio habui*, quasi diceret solum amorem Dei erga creaturam esse causam prædestinationis motivam, & Deum abjicere pro suo nutu, suaque voluntate, quem abjicere statuit. Etenim ista verba, *odio habui*, sonant reprobationem, nusquam vero meram benedictionis temporalis privationem. Ergo, &c.

Respondeo distinguendo sequelam: Apostolus agit de reprobatione populi Judaici a fide propter peccata, concedo: seclusis peccatis, nego. Justo quidem judicio propulsos demonstrat Judæos B. Paulus, sed eorum propter incredulitatem, quod & S. Stephanus Act. 7. legis Doctoribus juste reprobat, his verbis: *Dura cervice & incircumcisis cordibus vos semper Spiritui sancto resistitis*, *sicut Patres vestri*, *ita & vos*, *quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* Igitur Apostolus non intendit reprobationem esse ante prævisa demerita. Porro exemplum fratrum adducit, ut hac similitudine divinæ gratiæ commendet gratuitatem, eo nimirum sensu quod sicut Jacob prædestinatus est gratuito ut esset in tempore fratrum dux & omnium Tribuum princeps, ita quoque gratia gratis datur, alias non esset gratia si foret debita. Duo igitur demonstrat Apostolus, primum quidem Judæos a fide repulsos propter eorum incredulitatem: alterum vero contra Gentiles, nempe gratiam nulli deberi, sed ex pura misericordia independenter a fucato paganæ sapientiæ merito dari. Quod autem non intelligat reprobationem quamcumque absque peccato præviso fuisse, patet ex illa sententia, *Esau odio habui*, solum quippe peccatum odit Deus. Ita explicat Paulum Augustinus l. 1. ad Simplicianum q. 2. *Non igitur*, inquit, *odit Deus Esau hominem*, *sed odit Deus Esau peccatorem*.

Rursus instabis: Apostolus ibidem sic prosequitur de Deo loquens: *Non est volentis*, *neque currentis*, *sed miserentis Dei* ... *cujus vult miseretur*, *& quem vult indurat*, si reprobatio foret post prævisa demerita, maxime quia homo nollet currere cum posset: & tamen independenter ab his omnibus est prædestinatio quorumdam, aliorum vero reprobatio.

batio. Præterea reprobatio ex obduratione venit, ipsa vero obduratio videtur esse a Deo juxta illud Apostoli, *quem vult indurat*. Igitur quocumque modo spectetur reprobatio intentiva, sive respective ad Deum a qua ordinatur, sive relative ad obdurationem a qua dependet, fit prorsus ante prævisa demerita.

Respondeo 1. Argumentum in sensu obvio sumptum nimis probare; sequeretur enim ex his textus Apostoli interpretationibus, reprobationem etiam positivam, eamque necessitantem ad mortem esse a Deo, quod est impium dicere, & Calvini suorumque abominanda blasphemia.

Respondeo. 2. Verba Apostoli solum probare gratiæ gratuitatem, & hoc contra Gentiles qui fidem vanæ Philosophiæ merito debitam autumabant, unde bene dicit *non est volentis*, *neque currentis*, scilicet per naturæ conatus, sed miserentis Dei, per gratiam. Jam vero si gratia est gratuita, cui vult aut dat Deus, aut denegat, unde bene sequitur, *cujus vult miseretur*, *& quem vult indurat*, nimirum permissive denegando gratiam indebitam. Et istud, *an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Igitur prædestinatio ad fidem & gratiam est pure gratuita. Reprobatio vero ex prævisis demeritis:

Insistes: ibidem Apostolus recurrit ad incomprehensibilia Dei judicia, cur unus trahatur, alter vero relinquatur; sed si reprobationem crederet post prævisa demerita, profecto recurrere non opus fuisset ad hoc momentum, quæstio enim facile solveretur dicendo, ideo unus non trahitur, quia Deus hunc præscivit peccatorem obstinacem, quæ tamen responsio data non legitur ab Apostolo; igitur existimavit reprobationem intentivam & ordinatam esse ante prævisa demerita.

Respondeo: Apostolum ibidem c. 11. 20. rationem assignare reprobationis Judæorum dicendo repulsos a Deo fuisse *propter incredulitatem*. Sed si loquamur de vocatione ad gratiam: o altitudo! Par erat causa Jacob & Esau & tamen in benedictione temporali unum Deus prætulit alteri: par erat causa Pharaonis & Nabuchodonosoris, & tamen alterius misertus est Deus, alterum vero in obduratione reliquit. Judæos propter incredulitatem rejecit a gratia Evangelica, ad eandem vero misericorditer vocavit Gentiles: Ex duobus justis qui sunt in gratia pares, unus relabitur, & moritur reprobus, alter vero gratiam perseverantiæ accipit, & æterna donatur beatitudine, quorsum hæc omnia? Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? inquit Apostolus; subdit vero Augustinus, *noli judicare, si non vis errare*. Unum certum est & summi solatii argumentum, qui bene egerit, salvus erit, facienti quod in se est viribus gratiæ prævenientis, Deus non denegat uberiorem; sic intonat Propheta regius, *Spera in Domino, & fac bonitatem, & pasceris in divitiis ejus*.

Persistes: prædestinatio ad gratiam est gratuita ex Apostolo, & secundum multos prædestinatio ad gloriam est etiam ante prævisa merita. Ergo consequenter reprobatio secundum Apostoli principium est ante prævisa demerita. Probatur consequentia. Eo ipso quo prædestinatio ad gratiam fidei est gratuita, qui ipsa carent, sine sua culpa carent & sunt reprobi, quandoquidem sine fide impossibile est, teste Apostolo, placere Deo. Secundo, eo ipso quo prædestinatio ad gloriam est & ante prævisa merita, & præparatio efficax mediorum quibus certissime liberantur quicumque liberantur, manent ipso facto hi qui non sunt prædestinati sine mediis ad salutem efficacibus, exclusi a regno ante prævisa demerita. Confirmatur, istæ duæ propositiones, prædestinatio est ante prævisa merita: reprobatio est ante prævisa demerita, se mutuo ponunt & exigunt, quia ut dictum est, cum pauci sint electi, eo ipso quo eliguntur in hoc instanti in quo homines concipiuntur sine meritis, cæteri consequenter non electi, sunt exclusi a regno in instanti in quo concipiuntur sine demeritis. Enimvero si conciperentur cum demeritis, electi utpote fideles conciperentur cum meritis: qua de causa jam potius quam cæteri prædestinarentur? quod cum non sit, utique concludendum alios reprobari ante prævisa demerita.

Respondeo negando consequentiam; disparitatem affert Augustinus l. de Dono Persev. c. 8. " Qui ergo libera-

„ tur, *inquit*, gratiam diligat, qui vero non liberatur, debitum agnoscat, *Epist*. 105. " Quærimus meritum obdurationis, & invenimus: merito namque peccati universa massa damnata est, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec invenimus. „ Ex his sequitur Deum posse prædestinare ante prævisa merita, quia ex se bonus est, inquit Augustinus, sed ex nostro subdit S. Doctor, *justus*; igitur non reprobat ante prævisa demerita.

Ad probationem: dico eos qui gratia fidei carent, sua culpa carere, namque si facerent quod in se est, vel Deus, inquit D. Thomas, illuminaret eos circa credenda, vel mitteret prædicatorem qui ipsos instrueret in fide, sicut misit Petrum ad Cornelium, & Paulum ad Macedonas. Cæterum ex eo quod prædestinatio ad gratiam sit gratuita, sequitur solum quod reprobatio permissiva sit ante prævisa demerita, seu potius quod Deus permiserit ante prævisa demerita quosdam prolabi in peccatum, sed non ordinaverit, nullum quippe excludere voluit a gloria, nisi ex prævisione peccati.

Ad secundum exemplum respondeo prædestinationem adæquate sumptam esse quidem ante prævisa merita, quia includit & primam gratiam, & perseverantiam finalem quæ non cadunt sub meritum, sed non inadæquate sumptam, ut supra dictum & probatum est. Unde ex hoc sequitur solum reprobationem permissivam, sed non ordinativam & intentivam esse ante prævisa demerita.

Ad tertiam probationem distinguo: istæ duæ propositiones prædestinatio est ante prævisa merita & reprobatio permissiva ante prævisa demerita se mutuo ponunt & exigunt, concedo; & reprobatio intentiva, nego. Reprobatio permissiva est decretum permittendi peccatum, quod quidem permittit Deus & ad ostensionem gloriæ suæ & ad libertatem hominis manifestandam; sed intentiva est propter peccatum, quod cum non habeat causam efficientem sed tantummodo deficientem, sequitur reprobationem etiam intentivam esse post prævisa demerita. Igitur Deus motivum reprobandi in peccatis & quærit & invenit juxta illud Christi effatum, *malos male perdet*.

D. Thomas hic q. 23. art. 3. paucis sed efficacissimis verbis hanc confirmat solutionem. " *Sicut*, *inquit*, prædestinatio includit voluntatem inferendi gratiam & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa. „

Oppone. *secundo*. D. Thomas ibi q. 23. ar. 3. ad 3. dicit Deum quosdam reprobare, ut per contraria magis elucescat universi pulchritudo. " Dicendum, *inquit*, quod ex ipsa bonitate divina ratio sumi potest prædestinationis aliquorum, & reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, ut in rebus divina bonitas repræsentetur. Necesse est autem quod divina bonitas, quæ in se est una & simplex, multiformiter repræsentetur in rebus propter hoc, quod res creatæ ad simplicitatem divinam attingere non possunt. Et inde est quod ad completionem universi requiruntur diversi gradus rerum, quarum quædam altum, & quædam infimum locum teneant in universo. „ Quibus verbis Sanctus Doctor non aliud videtur assignare reprobationis motivum quam pulchritudinem & complementum universi, ad quod quidem reprobos infimum tenentes locum dicit concurrere. Igitur ex D. Thoma reprobatio intentiva est ante prævisa demerita, nec aliud habet primordiale motivum præter pulchritudinem universi, & ipsum Dei beneplacitum, ut subdit ibidem Angelicus Doctor.

Respondeo distinguendo: reprobationis permissivæ & comparative sumptæ motivum est pulchritudo universi & Dei beneplacitum, concedo: reprobationis sumptæ tum in genere, tum in particulari, nego. Reprobatio intentiva potest considerari tripliciter: primo absolute & in genere: secundo absolute & in particulari: tertio comparative ad universum: primo modo considerata habet pro motivo peccatum originale: secundo modo ponderata habet pro motivo peccatum originale in pueris sine baptismo morientibus, in adultis vero

Lap-

baptizatis peccatum actuale mortale. In tertio denique sensu accepta est reprobatio permissiva qua Deus permittit quosdam cadere & ex eorum culpa infert pœnam: hujus autem motivum est & pulchritudo universi quæ apparet per contraria juxta se posita, & merum Dei beneplacitum: quare enim ex duobus baptizatis & justis unus stet, alter vero cadat finaliter? unus trahatur, alter relinquatur? Non est ratio nisi supremi Domini voluntas. Ita Sanctus Thomas, qui ibidem post verba in objectione allata subdit: " Voluit igitur Deus in ho-,, minibus quantum ad aliquos quos præ-,, destinat, suam repræsentare bonita-,, tem, per modum misericordiæ par-,, cendo: Et quantum ad aliquos quos ,, reprobat, per modum justitiæ punien-,, do. Et hæc est ratio, quare Deus ,, quosdam eligit, & quosdam reprobat. ,, Et hanc causam assignat Apostolus ad ,, Rom. 9. dicens, Volens Deus osten-,, dere iram, idest, vindictam justitiæ, ,, & notam facere potentiam suam, su-,, stinuit, idest, permisit in multa pa-,, tientia vasa iræ apta in interitum ut ,, ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa ,, misericordiæ, quæ præparavit in glo-,, riam. Et 2. Tim. 2. dicit: In ma-,, gna domo non solum sunt vasa aurea, ,, & argentea, sed etiam lignea & fi-,, ctilia & quædam quidem in honorem, ,, quædam in contumeliam. ,, Manifestum est S. Doctorem ibi loqui de reprobatione secundum intentionem, quia loquitur de ea ut opponitur prædestinationi secundum misericordiam, adeoque secundum ordinationem: ibi autem ponit discrimen S. Thomas inter prædestinationem & reprobationem, quod illa sit radicaliter & intentive secundum misericordiam. Reprobatio vero & radicaliter & formaliter est a peccato, ab originali quidem radicaliter in adultis, formaliter vero & immediate ab actuali. " In his enim, *inquit infra*, quæ ex ,, gratia dantur, potest aliquis pro li-,, bito suo dare cui vult plus, vel mi-,, nus . . . . absque præjudicio justitiæ, ,, & hoc est quod dicit pater famil. ,, Matth. 20. Tolle quod tuum est, & ,, vade; an non licet mihi quod volo ,, facere? ,, Ponit, inquam, discrimen quod prædestinatio sit secundum misericordiam, reprobatio vero secundum justitiam, adeoque ex prævisione peccati, quod sane semper supponit justitia, siquidem ad ipsam pertinet distribuere unicuique secundum opera quæ fecit. " Et ,, hæc est, *inquit*, ratio quare Deus . . . ,, quosdam reprobat, & hanc causam as-,, signat Apostolus & motivum; igitur ,, reprobationis secundum se consideratæ ,, est peccatum. ,, Art. 3. loquens de reprobatione in particulari, iterum dicit adhuc promanare a peccato. " Sicut ,, prædestinatio excludit voluntatem con-,, ferendi gratiam & gloriam, ita re-,, probatio includit voluntatem permit-,, tendi aliquem cadere in culpam & ,, inferendi damnationis pœnam pro cul-,, pa. ,,

Angelus Scholæ loquitur etiam art. 5. mox citato de reprobatione comparative sumpta, & hanc ultro fatetur oriri ex Dei beneplacito permittente lapsum. " Sed quare hos elegit in gloriam, & ,, illos reprobavit, non habet ratio-,, nem nisi divinam voluntatem. Unde ,, Aug. dicit super Joannem, quare hunc ,, trahat, & illum non trahat, noli vel-,, le judicare, si non vis errare. ,, Hanc responsionem rursus tradit lec. 4. in c. 9. Epis. ad Rom. " Circa electionem ,, bonorum, & reprobationem malorum, ,, duplex quæstio moveri potest. Una ,, quidem in generali quare Deus velit ,, quosdam indurare, & quorumdam ,, misereri. Alia vero in speciali, & ,, quare velit hujus misereri, & hunc ,, vel illum indurare. Et potest quidem ,, ratio hujus quæstionis assignari, secun-,, dæ autem quæstionis non potest assigna-,, ri ratio, nisi simplex Dei volun-,, tas. ,, Idem repetit atque docet in cap. 6. Joan. " Quare autem, *inquit*, non ,, omnes aversos trahit sed aliquos, ,, licet sint omnes æqualiter aversi; ra-,, tio quidem in generali potest assignari, ,, ut scilicet in illis qui non trahuntur, ,, appareat & refulgeat ordo divinæ ju-,, stitiæ. ,, Ratio igitur reprobationis ut sic est peccatum: deinde loquens de reprobatione comparativa subdit: " Quare ,, autem in speciali trahat hunc & illum ,, non trahat, non est ratio aliqua nisi ,, beneplacitum voluntatis divinæ. ,,

Respondeo adhuc distinguendo: reprobatio intentiva est ante prævisa demeri-

ta consequenda & comparanda ab animabus antequam corporibus conjungantur, concedo, quia sunt fictitia: ante prævisa demerita operanda ab animabus cum corpore unitis, nego. Posuit Origenes animas antequam corporibus conjungerentur, aut mereri, aut demereri, & ex prævisione ejusmodi operum prædestinari vel reprobari, quæ quidem positio falsa est & erronea, animæ enim neque sunt, neque agunt antequam corpori infundantur. Igitur vitam aut mortem æternam non sortiuntur ex prævisione ejusmodi ficti meriti aut demeriti, bene vero & juste reprobantur ex prævisione demeritorum quæ conjunctæ corpori thesaurizaverunt in perniciem. Solutio est D. Thomæ l. 3. c. gent. c. 16. „ 1. Quare autem, *inquit*, Deus hominum qui in eisdem peccatis detinentur, hos quidem præveniens convertat, illos autem sustineat sive permittat secundum ordinem rerum procedere: non est ratio inquirenda quare hos convertat & non illos . . . Hinc est quod Apostolus dicit ad Rom. 9. An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? per hoc autem excluditur error Origenis qui dicebat hos ad Deum converti & non alios, propter aliqua opera quæ animæ eorum fecerant, antequam corporibus unirentur: quæ quidem positio in secundo libro improbata est „

Objicies 3. Idem non potest esse simul causa & effectus; sed peccata sunt effectus reprobationis: igitur non sunt causæ ipsius motivæ: igitur reprobatio est ante prævisa demerita.

Respondeo 1. argumentum nimis probare, sequeretur ex hoc quod nequidem reprobatio positiva in opinione contraria, immo nec executiva foret a peccatis, quod est absurdum.

Respondeo 2. distinguendo; idem non potest esse causa simul & effectus sub eodem respectu, concedo: sub diverso, nego. Peccata sunt quodammodo effectus reprobationis, sed permissivæ, in quantum Deus permittit aliquem cadere in culpam in qua motivum invenit pœnæ puniendæ: sed non sunt effectus reprobationis positivæ, verum potius ejus causæ, tum quia reprobatio peccata prævisa supponit, tum quia etiam Deus intentator malorum est, nec potest esse causa peccati: hinc Concilium Carisiacum damnat eos qui propugnant prædestinationem necessitantem ad mortem. Tridentinum vero proscripsit Calvinum in eo maxime quod ausu temerario assereret Deum reprobare positive multos ante prævisa demerita, reprobatione compellente & necessitante eos ad peccata quibus decretum mortis compleretur in eis. Effectus igitur reprobationis proprie sumptus est exclusio a regno Dei, ipsius Dei privatio, pœnæ tum sensus & corporis, tum animæ, ejusque potentiarum: ex hoc enim quod aliquis a Deo rejiciatur & proscriptus sit, pœnis addicitur æternis. Hinc Propheta Psal. 68. 29. de reprobis ait: *Deleantur de libro viventium*. Sed causa exclusionis a regno & pœnæ æternæ est peccatum.

Dices: Reprobatio Angelorum apostatarum est ante prævisa demerita: ergo & reprobatio malorum hominum; enimvero cum reprobatio sit pars providentiæ ad quam pertinet propellere malum, eodem modo videtur se gessisse in istis sicut in illis.

Respondeo 1. non esse omnimodam paritatem, quandoquidem Angeli qui ceciderunt, neutiquam erant in massa perditionis & peccato originali infecti; nulla igitur passio ligabat tum intellectum, tum voluntatem eorum, ut contra Deum auctorem & benefactorem suum insurgerent. Augustinus autem citatus refundit reprobationem hominum in peccatum originale ut in primam causam, & maxime l. 1. ad Simplic. q. 2. & Epist. 105. in qua sic loquitur: „ Quid oderat in Esau, nempe Deus, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? „

Respondeo 2. nullum esse inconveniens propugnare reprobationem Angelorum apostatarum ex prævisione peccati inobedientiæ, in quod ingrati prolapsi sunt, quod innuit beatus Judas Apostolus his verbis v. 6. *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit*. Hinc Paulus asserit electos inde homines tamquam Christi assessores ipsos judicaturos esse Angelos, 1. Cor. 6. 3. *Nescitis*, inquit,

quit, *quoniam judicabimus Angelos, quanto magis sæcularia*? Si Angeli mali rei sunt judicio; igitur reprobati sunt propter peccatum; cæterum reprobatio eorum & positiva & executiva est ab eorum peccato; dictum est autem supra reprobationem intentivam & executivam constituere eandem actus speciem; immo actus exterior suam fortitur naturam ab interiori; igitur idem est motivum pro reprobatione intentiva & positiva malorum Angelorum: ista ex prævisione peccati promanat; igitur & illa: huic doctrinæ concinit ista regula a D. Thoma tradita hic ar. 3. " Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, " & inferendi pœnam pro culpa. " Quare autem beatissimus Michael & sui steterunt, draco vero & Angeli ejus minime, *Noli judicare, si non vis errare*. Non est ratio & consilium humanum, inquit Augustinus post Apostolum, siquidem judicia Dei abyssus multa: igitur humiliamini sub manu Omnipotentis, qui, teste Propheta, *humiles spiritu salvabit*.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus reprobat eos qui in peccato mortali finaliter perseverant.

Primo. Sententia non semel lata legitur tum in libris Prophetarum, tum in Evangelio contra eos.

Secundo. Patres utriusque Ecclesiæ, nimirum Orientis & Occidentis hoc prædicant. Docet Chrysostomus Hom. 46. in Matth. Augustinus l. de corr. & g. de Prædest. SS. & de Dono Persev. l. 3. contra Julianum, Divus Thomas q. 6. de verit. ar. 2. ad 9.

Tertio. Idem ratione Theologica comprobatur. Nihil enim coinquinatum intrabit in regnum Cœlorum: igitur non intrabunt qui perseverant finaliter in peccato: tum quia justitia divina retribuit unicuique secundum propriam mensuram: de præmiis qui bona egerunt: de pœnis vero, qui male.

SYNOPSIS OBJECTIONUM

AD ARGUMENTA ET SOLUTIONUM.

Primo, Apostolus dicit Rom. 9. loquens de Deo, *cujus vult miseretur, & quem vult indurat*, sed quid inde sequatur, intellige. Vult misereri pœnitentium, nusquam vero perseverantium in peccato. Apostolus ibi loquitur de prædestinatione ad gratiam, quam quidem quibus vult aut dat, aut abnegat: dat gratis, negat judicio, verum semper justo, immo & æquissimo.

Secundo. Prædestinatio secundum multos est ante prævisa merita; sed non inde concluditur reprobationem esse ante prævisa demerita, Deus quippe ex se bonus est, inquit Augustinus, ex peccatore vero justus judex.

Tertio. Ultro fatemur neminem absque gratia posse vitare & peccatum & damnationem æternam: ast, gratia efficaci privatur peccator obnitens sua culpa, quippe qui gratiam oblatam rejicit: igitur non præcise defectu gratiæ, sed sua culpa & propter resistentiam perit.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum detur infernus pro puniendis reprobis, & ibi adsint pro peccatis pœnæ?

TRIA hic consideranda sunt. Primo. De pœnis in genere. 2. De igne quo cruciantur damnati. 3. De tempore. Utrum reprobi crucientur? Utrum per ignem verum & corporalem? Utrum statim post mortem?

SECTIO PRIMA.

De pœnis damnatorum in genere.

INFERNUS sumitur quadrupliciter in Scriptura sacra, Primo quidem pro tumulo juxta illud Job 17. 13. *Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum*. Secundo pro limbis seu locis subterraneis in quibus Patres veteris Testamenti *expectabant*, ut dicit Apostolus, *beatam spem & adventum Domini*. Tertio, pro Purgatorio in quo Justorum animæ satisfaciunt tum pro reliquiis peccatorum nondum sufficienter expiatorum, tum pro levio-

ribus

ribus de quibus nulla fuit ante mortem pœnitentia juxta illud 1. Cor. 3. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur. Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Quarto denique pro loco inferiori quem abyssi puteum vocat S. Joannes, in quo reprobi luunt pœnas pro peccatis quæ nunquam neque quoad culpam, neque quoad pęnam remissa fuere: ita habetur Num. 16. 32. 33. de Core, Dathan & Abiron qui descenderunt in infernum viventes. Job. 21. 13. & apud Luc. 16. 22. 24. dives contristatus exclamat: *Crucior in hac flamma*. De inferno secundum istam acceptationem impræsentiarum agimus. Unde fit

CONCLUSIO.

Datur infernus pro peccatis mortalibus numquam dimissis.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura sacra.*

1. *Per infernum* hic intelligitur ignis accensus a Deo ad puniendos prævaricatores contumaces: intelligitur lacus in quo immensi exercentur cruciatus: intelligitur locus & horroris, & confusionis: intelligitur ardor sempiternus: atqui talis datur ex Scriptura; igitur datur infernus pro puniendis peccatoribus. Probatur minor quoad singulas partes. Primo quidem infernus est ignis comburens; ita asserit ipse Deus per servum suum Moysen, Deut. 32. 22. *Ignis*, inquit, *accensus est in furore meo & ardebit usque ad inferni novissima*. Infernus est lacus, ita Propheta regius, Psal. 68. 16. *Et ne urgeat*, inquit, *super me puteus os suum*. Est locus pęnarum, eodem testante Psal. 10. 7. *Ignis & sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum*. Est locus horroris, sic testatur, sic docet S. Job 10. 22. *Ubi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Denique locus ardoris hinc stupens Isaias sic alloquitur impęnitentes, cap. 33. 14. *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

2. *Per infernum* intelligimus privationem Dei, exclusionem a regno Patris: locum supplicii supra modum ferientis, locum in quo omne malum invenitur, & a quo omne bonum propellitur: atqui ex Scriptura talis datur infernus, juxta illud sponsi ad Virgines fatuas, Matth. 25. 12. *Amen dico vobis, nescio vos*. Ecce privatio Dei Consolatoris & Beatificantis, & illud Matth. 25. 41. *Discedite a me maledicti*. Ecce privatio Dei absoluta, *discedite... in ignem æternum*. Ecce a regno perpetuum exilium. Ibi erit *fletus & stridor dentium*. Ibidem c. 22. 13. Ecce mala imminentia, & omnia bona procul & longe a reprobis facta. Igitur etiam ex novo Testamento datur locus pęnarum pro peccatis.

3. *S. Joannes* in Apocalypsi c. 2. 13. dicit infernum esse carcerem ubi recludentur & Satan & sui in æternum, a vinculis numquam solvendi. In eodem, inquit, ubi Satanas habitat. Denique hanc profert a supremo judice latam sententiam contra peccatorem impęnitentem & contumacem, *quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*.

Secundo, *ex sanctis Patribus.*

Hieronymus in c. 2. Joel. "In inferno, *inquit*, cuncta pœnarum plena sunt, atque cruciatuum. Augustinus l. 4. de bap. contra Donat. c. 19. n. 26. sic loquitur: " Nec dubitandum est quidem ipsas pœ-„ nas, quibus cruciabuntur, qui regnum „ Dei non possidebunt, pro diversitate „ criminum esse diversas, & alias aliis „ acriores. „ Et in Psal. 67. v. 9. " Est quædam pœna futura gehennæ „ ignis, ignis æternus. Futura enim „ pœna duas species habet, aut inferorum est ubi ardebat dives ille qui vo-„ lebat sibi stillam aquæ stillari in lin-„ guam de digito pauperis, quem ante „ januam suam contempserat, quando ait: „ quoniam *crucior in hac flamma*: Et al-„ tera est illa in fine, de qua audituri „ sunt, ite in ignem æternum qui para-„ tus est diabolo & Angelis ejus. „ Denique l. de vera religione c. 52. sic concludit. " Cavendi sunt inferiores inferi, „ idest, post hanc vitam pœnæ gravio-„ res, ubi nulla potest esse commemo-„ ratio veritatis, quia nulla ratiocina-„ tio:

„ tio : Et ideo nulla ratiocinatio , „ quia non eum perfundit lumen ve- „ rum . „

S. Prosper l. 3. de vita contemp. c. 12. eodem prope modo loquitur de reproborum penis . Tractans enim de inferno ait : " Ubi continuus gemitus, cruciatus æternus , dolor summus : ubi penales sensus torquent animas , nec extorquent : „ puniunt corpora damnata , nec finiunt . „

Gregorius magnus l. 9. moral. c. 38. n. 45. astipulatur . " Inferni claustra tenebrosa „ terra nominantur, quia quos puniendos „ accipiunt , nequaquam pena transitoria, „ vel phantastica imaginatione cruciant : „ sed ultione solida perpetuæ damnationi „ servant . „

D. Bernardus l. med. c. 3. p. 323. sic describit infernum . " Ibi , *inquit*, dolor in- „ tolerabilis , timor horribilis, fœtor in- „ comparabilis , mors animæ & corpo- „ ris, sine spe veniæ & misericordiæ ; „ si tamen morientur ut semper vivant , „ ut semper moriantur . „ Et serm. de S. S. Nicolao p. 370. " Regio gehennalis , „ regio dura & extimescenda, terra affli- „ ctionis & miseriarum , terra tenebra- „ rum, terra turbinis & caliginis , ter- „ ra maledictionis & mortalitatis, terra „ sitis & famis , terra combustionis & „ frigoris . „

Hugo a S. Victore similem exhibet atque delineat inferni imaginem l. 4. de anima c. 13. his verbis : " Nulla ibi „ vox, nisi væ, væ, væ habent, væsonant, tortores diabolici torquent pari- „ ter & torquentur . „

S. Bonaventura in Psal. 117. loquitur de inferno tanquam de loco durissimarum pœnarum . " Mors malorum in inferno est „ mors mortalis . Et serm. 1. de S.Laurent . " In inferno vita semper moriens, „ & mors semper vivens . „ Et Soliloq.c. c. 3. " Tanta, *inquit*, erit in inferno vis „ doloris , ut se non ferat altius intentio „ cogitationis . „

D. Thomas 3. p. supp. q. 9. & 98. & 99. ex professo docet atque describit varias damnatorum pœnas , eo innixus principio quod justitia unicuique sive de præmiis pro bonis operibus , sive de pœnis pro facinoribus retribuat . Pœnas vero Patres asserunt & universales , idest , pro anima & corpore , immo & acerbissimas . Igitur ex sanctis Doctoribus liquet esse in alia vita durissima pro peccatis supplicia .

Tertio , *ex multiplici ratione* .

Prima est . Vindicta est in Deo , juxta illud Scripturæ, *mihi vindicta & ego retribuam* . Rursus alia Scriptura dicit : *Reddam ultionem inimicis meis* ; sed vindicta est pars justitiæ quæ retribuit pœnas prævaricationi correspondentes ; igitur sunt in alia vita pœnę pro peccatis reproborum : quod & innuit Augustinus dicens Deum esse ex se bonum , justum vero ex nobis , idest , justitia punit peccata .

Secunda . Deus est sanctissimus ; sed ex D. Thoma 1. p. q. 23. ar. 5. ad 3. pertinet ad summam bonitatem & sanctitatem propellere contrarium , scilicet peccatum tum removendo pecatores ex se , juxta illud Matth. *Amen dico vobis , nescio vos* , tum supplicia alia infligendo , ut ibidem Matth. 26. habetur : *Ite maledicti in ignem æternum* ; igitur dantur pęnæ & quidem gravissimæ in inferno ad cruciandos reprobos .

Tertia . Lex posita est atque decretum , ut quantum glorificavit se peccator, tantum detur illi tormentum ; igitur reprobi exquisitis in inferno torquentur suppliciis , immo universim & per omnia cruciari & lex & justitia exigit : enimvero pęna tantum protendi debet quantum ascendit peccatum , quia vero in cunctis delinquit peccator , in cunctis etiam illum feriri justum est .

Juvat , quantum fieri potest , subnotare in quo offendit homo Deum , ut concipiamus in quo reum cruciari & puniri necesse est ; dicit enim Apostolus , *eadem mensura qua mensi fueritis remetietur vobis* .

Deus hoc ipsum apud Jer. 2. 13. declarat , dicens : *Duo mala fecit populus meus, dereliquerunt fontem aquarum vivarum , & foderunt sibi cisternas , cisternas dissipatas* . Peccator sese avertit a Deo , ecce primum malum : peccator sese convertit ad creaturam , ecce secundum . Duo igitur pœnarum genera justitia infligit . Nimirum puniendo reprobum per privationem Dei , quod quidem Scriptura manifestat his verbis , Matth. 25. 12. *Amen dico vobis , nescio vos* . Hæc enim lex est ut

ut qui voluntarie recessit a Deo, etiam Deus vicissim ab ipso in æternum recedat, quæ quidem pena est omnium maxima quippe quæ sit privatio finis ultimi, & cæterarum pœnarum radix atque origo. Quia vero peccator se convertit inordinate ad creaturam etiam, & omni usus est sensu ad peccandum, utique illum torqueri & per omnem creaturam, & in omni sensu oportet juxta illud Sap. 5. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*. Quæ verba ponderans D. Thomas 3. p. supp. q. 97. ar. 1. ait: " Hoc " etiam divinæ justitiæ competit, ut sicut ab uno recedentes per peccatum " in rebus materialibus, quæ sunt multæ " & vanæ, finem suum constituerunt: " ita etiam multipliciter & ex multis affligantur.

S. Doctor pœnarum inferni prosequitur descriptionem subsequentibus articulis ejusdem quæstionis ar. 2. 1. Vermis damnatorum non morietur, idest, erit perpetuus conscientiæ stimulus mordens, cogitando quod pro momentaneis æterna amiserunt bona. ar. 3. Erit, *inquit*, in reprobis fletus continuus non quidem per effusionem lacrymarum & corde profluentium quæ consumant corpora per partium alterationem & diminutionem, sed quantum ad conturbationem & capitis commotionem, ita ut præ nimia agitatione & insanientes & furentes seipsos ad pœnam provocabunt. 4. Tenebris exterioribus concluduntur nunc & in perpetuum juxta illud Matth. 22. *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores:* quæ verba explicans Gregorius lib. 9. moral. c. 46. ait: " Si ignis ille lucem haberet, in tenebras exteriores nequaquam mitti diceretur. " Rationem aliam affert D. Thomas hic. Quia, inquit, " dispositio " inferni erit talis quod maxime miseriæ damnatorum competat, unde secundum hoc sunt ibi lux & tenebræ... " ad videndum secundum lucem & tenebras, ut nihil ibi perspicue videatur, sed solummodo sub quadam umbrositate videantur ea quæ afflictionem cordi ingerere possunt. " Ex Basilio & nonnullis aliis Patribus quandoque lucebit ignis inferni ad majorem cruciatum, nempe ut reprobi videant catervam & phalanges dæmonum & tortorum qui sine requie ipsos in æternum cruciabunt.

Jam vero quis pœnarum universalitatem explicare potest? Sufficit impræsentiarum dicere quod quidquid tormentorum passi sunt Martyres: quidquid captivi, quidquid ægroti, vix umbra sit supplicii damnatorum. Et vero feriuntur in anima, a Deo separantur in æternum, scriptum est enim Isai. 51. 1. *Non adjiciet ultra misereri Deus:* Feriuntur in intellectu juxta illud S. Ephrem de universali resurr. pag. 620. " In inferno ob- " viabit damnatis horrenda illa facies " suorum delictorum, quæ omni tormen- " to acerbior ac durior. " Feriuntur in corde, odio habent Deum a quo solum possent a miseriis liberari; ita habetur Psalm. 73. *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper*; sunt confirmati in malo. Et si forte de Deo cogitent, sentiunt supra modum scelerum patratorum vindicem inflexibilem, unde nimio aguntur furore, ipsumque sine fine blasphemant. Feriuntur in desideriis, contraria ubique & vident & experiuntur. *Peccator*, inquit Propheta Psalm. 111. *videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit*. Quid plura? ferientur post ultimam judicii diem & in corpore, quod veluti in frixorio comburetur & non consumetur. *Ignis infernalis*, inquit Cassiodorus in Psal. 20. *sic absumit, ut servet: sic servat, ut cruciet;* ferientur in oculis, visio electorum qui perpetua & integra donabuntur gloria, quam heu ipsi sua culpa & maxima culpa amiserunt, eos in immensum torquebit, juxta illud Sap. 5. 2. *Dicentes intra se pœnitentiam agentes & præ angustia spiritus gementes, hi sunt quos habuimus in derisum & in similitudinem improperii: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei & inter Sanctos sors illorum est*. Ferientur in tactu, dicit Job 24. 19. *ad nimium calorem transeat ab aquis nivium:* tantus erit damnatorum dolor; tam universalis, tam repetitus sine requie cruciatus, ut hoc vel mente concipere, vel sermonibus explicare nullus hominum, & ne dicam Angelorum possit; hinc S. Joannes Apoc. 9. dicit: *In diebus illis desiderabunt homines mori, & fugiet mors ab eis*. Igitur dantur pœnæ & quidem acer-

acerbissimæ in Inferno pro reprobis. Qui negat, aut infanus est, aut paganus, aut hæreticus proprio sensu jam reprobus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur infernus pro reprobis excruciandis.

Primo. Hoc innuunt omnes ferme Scripturæ sacræ paginæ. Deut. 32. 22. *Ignis accensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima*. Isaiæ 33. 14. *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Rursus Matth. 22. 13. *Ibi erit fletus & strider dentium*.

Secundo. Concinunt Patres. Augustinus in Psalm. 67. v. 9. *Est quædam pœna futura gehennæ ignis, ignis æternus*. S. Prosper l. 3. de vita contemplativa, c. 12. *Ubi continuus gemitus, cruciatus æternus*. His accedunt sententiæ Gregorii Magni, &c.

Tertio. Hujusce terribilis & stupendæ veritatis ratio multiplex est; namque Deus ultionum sumit vindictam de peccatis, hoc exigit justitia, cujus hæc est posita lex contra reprobum, *quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*.

SECTIO SECUNDA.

Utrum damnati crucientur igne reali & corporeo?

CONTROVERSIA movetur de cruciatibus tum animæ quæ nunc in inferno gemit, & concluditur; tum corporis post resurrectionem simul cum anima torquendi; & quæritur, an damnati impræsentiarum igne reali & corporeo crucientur? an & post judicium, quando corpora resurgent eodem igne torquendi sint & puniendi. " De igne „ inferni, inquit D. Thomas 3. p. „ suppl. q. 97. ar. 5. multiplex fuit „ opinio; quidam enim Philosophi, ut „ Avicen. resurrectionem non creden- „ tes solius animæ post mortem pœnam „ esse crediderunt. „ Subdit postea Avicennam posuisse animas torqueri igne duntaxat metaphorico & imaginario, quam quidem opinionem prorsus rejicit & explodit. Omnes Theologi de hoc potissimum momento conveniunt, videlicet animas reproborum nunc igne cruciari, a fortiori & corpora prævia resurrectione similiter & torquenda esse. Verum quinam sit ille ignis? quæ tanti tortoris natura? controvertitur in scholis, ad cujus resolutionem sit

CONCLUSIO.

Ignis inferni est verus & corporalis.

Probatur multipliciter.

Primo, *ex Scriptura Sacra.*

Job. 24. 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium*. Psal. 10. *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum*. Matth. 25. 31. *Ite maledicti in ignem æternum*. His & similibus sententiis ubique Scriptura loquitur de igne inferni sine ulla aut metaphora, aut similitudine, aut etiam explicatione: maxime in Evangelio in quo Christus solet sensum parabolarum explanare: igitur ignis inferni de quo multus est sermo tum in veteri, tum in novo Testamento ad torquendos damnatos paratus est ignis verus & corporalis: quandoquidem omnes Scripturæ testimonium de hoc momento sufficienter perhibent, non solum nominando, verum etiam allocutiones veri ignis isti adaptando sicut cum Isaias dicit: *Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus sempiternis?* & istud supremi judicis oraculum sententiale ad reprobos: *Ite maledicti in ignem æternum:* & istud famosi & reprobi divitis, *crucior in hac flamma*, quas quidem expressiones soli vero igni competere nemo non videt.

Secundo, *ex Patribus.*

Augustinus l. de spiritu & anima c. 56. sic loquitur de igne infernali. *Flamma comburet, sed tenebras non discutiet. Erit enim in igne obscuritas, in obscuritate pavor, in combustione dolor.*

Concinit Gregorius l. 4. dial. c. 29. *Ignem*, inquit, *gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari*. Et l. 9. moral. cap. 38. idem insinuat.

S. Tho-

S. Thomas hic qu. 97. art. 5. sic habet. " Sapientiæ quinto dicitur: pugnabit orbis terrarum contra insensatos; sed non totus orbis terrarum contra insensatos pugnaret, si solummodo spirituali pœna & non corporali punirentur: Ergo punientur igne corporeo. "

Tertio, *ex rationibus*.

Prima est. Sap. 11. dicitur: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*. Sed homines peccant rerum sensibilium abusu: ergo justum est ut per easdem puniantur. Igitur ignis inferni est corporeus. Ista ratio est D. Thomæ ibidem ar. 6.

Secunda. Ignis ille dicitur accensus & quidem in furore Dei, juxta illud Jer. 15. 14. *Ignis accensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima*. Igitur est corporeus: probatur consequentia. Ignis accensus in furore Dei debet esse omnium maximus & inter omnes ignes acutior ad pœnam: sed talis est ignis verus & corporeus, & quidem propter duo. Primo quidem quia ignis verus magis cruciat quam ignis metaphoricus, qui non habet realitatem ignis: item & magis humiliat: enim vero anima reprobi conspiciens se infimæ creaturæ servam & subjectam vehementius commovetur ad dolorem & humiliatur, quam si tantum per creaturæ corporalis similitudinem & apparentiam torqueretur. Igitur ignis inferni est corporeus, tum quia inter omnes ignes perfectissimus est, & ad torquendum subtilissimus, quinimmo ideo accensus in furore Dei vindicis.

Tertia. Ignis ille non est imaginarius: ergo corporeus. Probatur antecedens, realis est: quandoquidem est & pro torquendis spiritibus qui sensu & imaginatione carent, juxta illud Christi ad reprobos Matth. 25. 41. *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & Angelis ejus*. Ergo, &c.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Eodem modo ratiocinandum est de igne inferni ac de fletu & de lacrymis: sed lacrymæ quæ imputantur damnatis solum metaphorice accipiuntur, ut dictum est, alias cum emittantur e corde per alterationem, tandem aliquando corpora consumerentur decursu temporum, nempe per abundantem & repetitam lacrymarum effusionem, quod quidem est contra Scripturam, namque reprobos dicit in æternum torquendos. Igitur & ignis metaphorice accipiendus est.

Respondeo negando paritatem; licet enim fletus & stridor dentium quæ reprobis attribuuntur spiritualiter tantummodo intelligantur, non tamen ignis propter rationes in probationibus allatas, tum quia ubique Scriptura loquitur de igne tanquam de elemento reali, tum quia hoc fieri potest, siquidem nihil est impossibile Deo, tum quia lex exigit ut anima quæ per corporalia peccavit, etiam per corporalia puniatur; solutio est D. Thomæ l. 4. contra Gent. c. 90.

Instabis: Eadem proportione, sane accipienda est Scriptura pro pœna ac pro præmio retribuendo beatis, eadem enim est lex oppositorum. Sed cum dicit, justi epulentur in conspectu Dei, edent & bibent in regno Dei, Filius Dei ministrabit eis cœnam magnam, hæc omnia spiritualiter intelliguntur, nimirum de summo gaudio summaque desideriorum satietate. Igitur & ignis spiritualiter accipiendus est, nempe pro dolore magno, pro tristitia inenarrabili, cæterisque tormentis quæ per ignem propter vehementes quos hic in corporibus adustis causat dolores, apprime significantur.

Respondeo negando paritatem. Disparitas in eo maxima est quod non oportet animas Sanctorum qui de passionibus & sensualitate victores evaserunt, subjici iterum rebus sensibilibus, cum & ipse Deus in præmium subjecerit beatis omnia, eos scilicet a quibuscumque solvendo & liberando necessitatibus; sed ad justum spectat pœnam ut animæ, quæ licet spirituales in contemptum Dei conversæ sunt ad corporalia, iisdem in pœnam & humiliationem sine fine subdantur; hinc vult justitia suprema ut ignis corporalis vilis admodum & inanimata creatura eas exquisite & in æternum torqueat; ita Div. Thomas ibidem qu. 90. " Est autem, *inquit*, contrarium naturali voluntati spiritualis substantiæ, ut corpori subdatur a quo se- " cun-

„ cundum ordinem suæ naturæ libera esse debet : conveniens igitur est ut substantia spiritualis per corporalia puniatur. Hinc etiam apparet quod licet corporalia quæ de præmiis beatorum in Scripturis leguntur, spiritualiter intelligantur, sicut dictum est de promissione ciborum & potuum : quædam tamen corporalia quæ Scriptura peccantibus comminatur in pœnam, corporaliter sunt intelligenda, & quasi proprie dicta. „

Instabis: Sancti Patres intelligunt Scripturas loquentes de igne inferni in sensu metaphorico : igitur & intelligere quisque debet, cum ad sensum Spiritus sancti habendum Ecclesia attendat semper ad Patres tanquam Doctores qui specialiter a Spiritu sancto acti melius præ cæteris quæ sunt spiritus Dei, concipiebant. Jam probatur antecedens: Sic metaphorice accipit ignem inferni Augustinus, sic Damascenus. Primus l. 12. de gen. ad litt. c. 12. loquens de inferno ait : " Spiritualem arbitror esse, scilicet locum, ad quem anima defertur post mortem, non corporalem. „ Et ibid. c. 32. hunc proponit punitionis modum, quod animæ per similitudines corporum sicut evenit in somniis, affligentur, nempe per ignem phantasticum. Alter vero l. 4. art. fidei in fine ait : " Tradetur diabolus & dæmones, & homo ejus, scilicet Antichristus cum impiis peccatoribus in ignem æternum, non materialem, qualis est qui apud nos est, sed qualem novit Deus. „ Ergo, &c.

Respondeo 1. Aliquos Patres potuisse sententiam in hoc momento nondum ab Ecclesia definito, peculiarem habere. Sed communem & probabiliorem non dicam solum apud sanctos Doctores, sed & apud Theologos esse, ignem inferni veram habere ignis naturam, & ideo huic opinioni adhærendum esse cum S. Thoma existimamus, maxime cum contraria vix propugnari possit, nisi detorquendo Scripturas in sensum non modice violentum.

Respondeo 2. negando absolute antecedens; ad primum Augustini locum distinguo : locus inferni est spiritualis quantum ad modum existendi pro animabus, quia sunt ibi modo spirituali & indivisibili & non secundum quantitatis regulas, concedo. Est spiritualis secundum se, nego. In isto prorsus sensu D. Thomas explicat Augustinum 3. p. supp. q. 97. ar. 5. " Dicendum, *inquit*, quod dictum Augustini potest hoc modo accipi, ut pro tanto dicatur locus ille ad quem animæ deferuntur post mortem non esse corporeus, quia anima in eo corporaliter non existit, per modum scilicet, quo corpora existunt in loco : sed alio modo spirituali; sicut Angeli in loco sunt. Vel dicendum quod Augustinus loquitur opinando, sicut frequenter facit in libro illo. „

Quod autem Augustinus ut plurimum loquatur de ignis illius natura solum opinando, patet ex ipsius verbis l. 21. de civ. c. 9. n. 1. ubi sic loquitur. " Quod igitur de sempiterno supplicio damnatorum per suum Prophetam Deus dixit, omnino fiet, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. „ Rursus num. 2. " Qui volunt ad animi pœnas, non ad corporis pertinere, dicunt etiam uri dolore animi, sero atque infructuose pœnitentis, eos qui fuerint a regno Dei separati, & ideo ignem pro isto dolore urente non incongrue poni posse contendunt, unde illud Apostoli est, 2. *Cor.* 11. Quis scandalizatur, & ego non uror? eundem etiam vermem putant intelligendum esse. Nam scriptum est, inquiunt, sicut tinea vestimentum, & vermis lignum, sic mœror excruciat cor viri. „ *Proverb.* 25. " Qui vero pœnas & animi, & corporis in illo supplicio futuras esse non dubitant, igne uri corpus, animum autem rodi quodammodo verme mœroris affirmant. Quod etsi credibilius dicitur, quia utique absurdum est, ibi dolorem aut corporis aut animi defuturum, ego tamen facilius est, ut ad corpus dicam utrumque pertinere, quam neutrum. „ Ecce Augustinus sui ipsius interpres. Primo refert opinionem aliorum qui igne vero uri corpus, animam autem rodi quodammodo verme mœroris affirmant : deinde utramque penam pro corpore non dubitat agnoscere. Licet autem pro anima nihil audeat determinare absolute, sequitur tamen ex ipsius principio eam igni corporali quem admit-

admittit, etiam torqueri, eo enim ipso quo ille ignis a Deo judice assumptus est ad punienda peccata, profecto & animam quæ est causa eorum principalis, utique ab igne cruciari justum est.

Ad secundum, Augustinus eodem modo intelligendus est, ita D. Thomas ibidem ar. 5. in corpore his verbis: " Qualiter „ autem ad dictum Augustini sit respon- „ dendum, infra dicetur. „ Nempe ut supra relatum est ad 2. deinde subjungit. " Quidquid autem dicatur de igne, qui „ animas separatas cruciat, de igne ta- „ men quo cruciabuntur corpora damna- „ torum post resurrectionem, oportet di- „ cere quod sit corporeus, quia cor- „ pori non potest convenienter adaptari „ pęna, nisi sit corporea. Unde Gregor. „ in 4. dial. ex ipso probat ignem in- „ ferni esse corporeum, quod reprobi „ post resurrectionem in eum detruden- „ tur. „ Augustinus etiam ut habetur in littera manifeste confitetur ignem illum quo cruciabuntur corpora, esse corporeum, & de hoc est præsens quæstio.

Ad Damasceni auctoritatem distinguo; non est idem ignis inferni cum nostro; neque eodem modo materialis quantum ad causam, quantum ad virtutem & effectus quos in reprobis producit, concedo: quantum ad substantiam, nego. Ignis quo torquentur damnati, potest spectari dupliciter; primo quidem quantum ad causam, quantum ad virtutem & etiam quantum ad effectus: secundo, quantum ad substantiam. Primo modo consideratus, diversam habet causam, nempe justitiam Dei juxta illud Jer. 15. 14. *Ignis accensus est in furore meo*; diversam virtutem, quia est ad vindicandum Deum offensum juxta illud Sap. 5. *Pugnabit orbis terrarum contra insensatos*. Habet & effectus saltem ex parte diversos, quia secundum Patres torquet ipsas animas damnatorum, & post judicium torquebit & corpora, sed non ea consumet, ut semper illa eadem torqueat. Item sola virtute divina conservatur, sola perseverabit, noster vero ignis & oleo & ligno aliisque similibus nutritur materiis; sic docet ex professo Div. Thomas 3. p. supp. q. 97. ar. 6. & ar. 5. ad primum, ubi sic respondet ad objectionem.

„ *Ad* primum dicendum quod Damas- „ cenus non negat simpliciter illum „ ignem materialem esse, sed quod non „ est materialis talis, qualis apud nos „ est, eo quod quibusdam proprietatibus „ ab hoc igne distinguitur. Vel dicen- „ dum, quod quia ignis ille non mate- „ rialiter alterat corpora, sed quadam „ spirituali actione agit in ea ad puni- „ tionem: ideo dicitur non materialis „ esse, non quantum ad substantiam, „ sed quantum ad punitionis effectum in „ corporibus, & multo amplius in ani- „ mabus. „

Instes: Patres loquuntur de igne tanquam de pęna inflicta animæ pro peccatis patratis: sed ille ignis sic spectatus debet esse tantum metaphoricus, puta vel spiritualis, vel imaginarius, maxime vero quia pęna seu tormentum subjecto commensurari necesse est, juxta illud apud Philosophos tritum axioma, *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*; igitur cum anima sit spiritualis & non corporea, Patres divinas non intelligunt Scripturas de igne materiali. Confirmatur: peccatum formaliter sumptum promanat modo a mente uti superbiæ delictum, modo ab imaginatione, talis est ut plurimum lapsus carnis: semper vero a delectatione quam percipit in actu peccaminoso anima, sive delectatio sit mere spiritualis, sive partim spiritualis, partim corporea. Igitur pęna debet esse mere spiritualis, quandoquidem peccatum quod est causa pęnæ in voluntate acceptante fit & consistit quatenus anima peccatrix judicat male de his quæ ab imaginatione repræsentantur. Hoc ipsum videtur duntaxat exigere lex; scriptum est enim de peccatore puniendo Apoc. 18. 7. *quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*. Sola glorificatio & delectatio animæ, quæ creaturam contra regulas adamavit, est peccatum; pęna igitur crucians utique debet esse spiritualis.

Respondeo negando minorem; ad primæ partis probationem dictum est cum Div. Thoma æquum esse ut anima quæ se corporalibus contra legem reclamantem subjecit ad peccandum, iisdem subjiciatur ad supplicium: nec in hoc attenditur præcise convenientia naturæ patientis, cum natura creaturæ torquentis, sed voluntas Dei per suam regula-

gulata justitiam . Ad aliam partem dico cum D. Thoma 3. p. supp. q. 97. ar. 5. ignem non posse dici imaginarium , quia etiam torquet dæmones qui sunt puri spiritus, sicut & animas a corpore nunc separatas , quæ quidem carent imaginatione quæ est sensus organo interiori affixus . Cæterum post resurrectionem animæ iterum unitæ cum corpore sensus tum interiores , tum exteriores habebunt , & ideo etiam luent criminum pęnas in sensibus ; sicut enim corpus & sensus peccato inservierunt , ita & pęna pro singulis partibus erit . Igitur & imaginatio cruciabit animas horrenda repræsentando, sed ignis verus & corporeus inserviet ad illam commovendam , unde erit quasi spiritus furens cuncta stimulans ad pęnam atque cruciatum .

Respondeo secundo distinguendo eandem minorem; peccatum situm est tum in delectatione mentis , tum in gaudio quod anima percipit etiam de rebus corporalibus & venereis, & ideo a rebus corporalibus igneis luere debet pęnas , concedo ; & non debet, nego . Sicut igitur , perturbato corpore, perturbatur etiam & ipsa anima , quid mirum si , circumfuso igne quasi vestimento, ab ipso commoveatur ad pęnam & dolorem ? si mutato corpore per delectationem sensualem , immutetur anima peccatrix & quiescat atque congaudeat in corporalibus, quidni & immutabitur ab igne corporeo ut puniatur ? Immo hoc exigit justitia juxta illud Sap. 11. *Per quæ peccat quis , per hæc & torquetur*. " Et ideo, *inquit*, D. Thomas , ad ,, justam vindictam justitia voluit animas ,, reproborum usquequaque humiliari , & ,, quantum ad instrumentum supplicii , ,, nempe ignis cui subjiciuntur, & quan- ,, tum ad locum qui est sub terra , dicen- ,, te Isaia 14. ,, *Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui* . Et Greg. in 4. dial. " Quid obstet non video , quod ,, sub terra infernus esse credatur . ,,

Urgebis . Ignis corporeus agit uniformiter in corpora quæ in ipsum projiciuntur. Sed Patres tenent contrarium de igne inferni, siquidem asserunt diversimode illum cruciare damnatos. " Unus quidem, ,, inquit Greg. in 4. dial. est gehennæ ,, ignis, sed non uno modo omnes cruciat ,, peccatores ; unusquisque enim quantum ,, exigit culpa, tantum sentiet de pœna. ,, Igitur mens Patrum est quod ignis ille sit pure metaphoricus.

Respondeo distinguendo minorem ; Patres tenent ignem inferni non eodem modo agere sicut noster ignis , quia est ex ipso virtute diversus & superior , concedo ; quia alius in substantia , nego . D. Thomas ibidem ar. 5. ad 3. eximiam affert pro hoc momento rationem , dicens instrumentum agere virtute propria & virtute principalis agentis a quo movetur , sic serra habet scindere ut sic , sed ut mota ab artifice scindit nobiliori modo , nempe artificiose, & producit formam in arte facto , quod quidem se sola facere non valet : ignis pariter ut sic & secundum se spectatus urit corpora : sed ut assumptus a justitia tanquam instrumentum , etiam agit in animas , non quidem virtute propria , sed virtute principalis agentis a quo movetur . " Dicendum , ,, *inquit*, quod ignis ille erit instrumen- ,, tum divinæ justitiæ punientis . Instru- ,, mentum autem non solum agit in vir- ,, tute propria , & per proprium modum, ,, sed etiam in virtute principalis agen- ,, tis, & secundum quod est regulatum ,, ab eo. Unde quamvis ignis secundum ,, propriam virtutem non habeat quod ,, aliquos cruciet secundum magis & mi- ,, nus, secundum modum peccati : habet ,, tamen hoc secundum quod ejus actio mo- ,, dificatur ex ordine divinæ justitiæ. Si- ,, cut etiam ignis fornacis modificatur ex ,, industria fabri in sua actione, secundum ,, quod competit ad effectum artis . ,,

Oppones 2. Nullum corporale potest agere in ens spirituale ; igitur ignis inferni cum agat in spiritus & in animas, non potest dici corporeus . Probatur antecedens : debet esse proportio inter agens & passum , maxime quia agens operari non potest ultra suam sphæram : sic oculus corporeus non potest videre spiritum : sed nulla est proportio inter corporeum & ens spirituale , inter animam & ignem elementarem : igitur ignis corporeus non potest agere in animam damnatorum .

Respondeo distinguendo ; nullum corporeum potest agere in ens spirituale ut causa principalis , concedo : ut causa instrumentalis , subdistinguo ; non potest

agere virtute propria & sola, concedo; virtute propria sed elevata & mota per agens principale, nego. Unde, nego consequentiam. Sicut igitur aqua licet corporea elevata tamen, tangendo corpus abluit animam: ita pariter ignis inferni elevatus virtute divina cruciat animas, siquidem assumitur ad hoc ut instrumentum justitiæ ulciscentis jus divinum a peccatoribus læsum. Ad probationem distinguo, debet esse proportio habitudinis inter agens & passum, concedo: entitativa, subdistinguo, si operetur secundum conatum virtutis propriæ tantum, concedo: si operetur insuper virtute aliena & superiori elevatum, nego. Proportio duplex, alia entitativa, habitudinis altera: prima consistit in commensuratione duorum secundum naturam & proprietates: sic Petrus & Paulus habent eandem naturam humanam & sunt ejusdem ordinis, scilicet naturalis. Secunda vero posita est in ordine & quadam relatione unius ad aliud a quo potest recipere aliquid. Inter ignem & animam non invenitur prima proportio, bene tamen secunda, maxime quia ignis agit ut motus a Deo cui omnia subjiciuntur; quotiescumque enim agitur de operatione instrumenti, effectus magis attenditur secundum efficaciam & vim agentis principalis quam secundum motum instrumenti cui non assimilatur effectus. Aliter potest distingui argumentum: nulla est proportio in igne cum anima ratione potentiæ connaturalis, concedo; ignis enim est corporeus; anima vero spiritus: ratione potentiæ obedientialis, nego. Potentia obedientialis est in se ignis ut subditus operationi divinæ cui omnia obediunt, unde connotat ipsam virtutem omnipotentem Dei quatenus sibi cuncta subjicit: sic igitur ignis habet proportionem sufficientem ad torquendas animas, quia potest ad hoc moveri virtute divina quæ tangit omnia.

Ad exemplum oculi nego paritatem: ratio discriminis ea est, si oculus videret Deum, foret causa principalis visionis, cum enim visio sit actus vitalis, procederet ab ipso ut a causa principali, quod fieri non potest, quomodo enim actus corporeus posset commensurari cum objecto infinite spirituali qualis est Deus? at vero ignis non est causa principalis dolori animæ, sed justitia divina elevans ignem ad torquendam reprobi animam: unde non est par ratio.

Persistes: Ignis est causa principalis crucians animam damnati; ergo nulla solutio. Probatur subsumptum: 1. solus operatur, nec est aliud agens: 2. Licet operetur ut elevatus, non impedit quin sit causa principalis, sicut licet intellectus beatorum elevetur per lumen gloriæ ad videndum Deum, attamen est causa principalis visionis. 3. Non potest dici purum instrumentum, quia non assumitur ut aqua in baptismo ad effectum supernaturalem producendum, qui quidem effectus excedit omnimode virtutem corporalem & naturalem: sed assumitur ad agendum in animam quæ est ordinis naturalis, similiter & ad effectum etiam ordinis naturalis operandum, nempe ad torquendum spiritum. Cæterum non dicitur causa supernaturalis: cum igitur in propria maneat virtute, est causa dumtaxat naturalis: & cum corporale non operetur in pure spirituale, sequitur ignem inferni non posse per se torquere animas, sed solum metaphorice.

Respondeo 1. Corpus hic in terris animæ conjunctum ipsam cruciare, cum inordinatos motus habet, atque violenter se gerit, Sicut qui manu seipsum discerpit, dolorem & in corpore, & per corpus in anima causat, quia propter unionem anima recipit a corpore impressiones modo gaudii & voluptatis, ex delectatione carnis, modo etiam doloris & cruciatus, ex dolore & commotione corporis: cum igitur anima damnata unita sit & conjuncta cum igne quo velut amictu circumfunditur, non dubium est quin ab ipso possit commoveri ad dolorem.

Respondeo 2. distinguendo, ignis est secundum quid causa principalis crucians animas damnatorum, concedo: simpliciter, nego. Est causa quodammodo principalis, quatenus agit & operatur commovendo insolite & violenter animam, sed non proprie & simpliciter, tum quia non agit per contactum quantitativum qui est modus connaturalis agendi corporum: tum quia agit ut elevatus & prævie motus. Quia vero non agit secundum conatum & modum naturalem,

non

non potest dici causa principalis, sicut intellectus dicitur causa principalis visionis; quamvis enim eam ut lumine gloriæ perfusus, producat, ipsa vitaliter ab eo procedit: immo est potentia spiritualis. Unde eo ipso quo elevatur, attingit ut causa principalis objectum, & sic patet solutio ad secundum. Ad tertium utique patet ex dictis ignem esse in aliquo sensu causam principalem commotionis animæ. Porro licet operatio ignis secundum se sit naturalis, non tamen quoad modum, quia nisi elevaretur virtute divina, ipsam animam torquere haudquaquam posset.

Rursus instabis. Non potest dici quomodo ignis corporeus torqueat animas, immo hoc ipsum penitus implicat: igitur non potest elevari ad hunc effectum: nullum quippe instrumentum elevatur ad id quod implicat contradictionem. Probatur antecedens. Si elevaretur ignis ad cruciandas animas, hoc fieret quia animæ vel ab igne immutarentur per alterationem: vel recipiendo species & similitudines, vel etiam patiendo contraria: atqui nullo ex his modis animæ separatæ ab igne pati queunt: non quidem primo modo, quia anima est incorruptibilis: non utique secundo, quia species acceptæ perficiunt animam in cognitione, & augent scientiam: neque tertio, quia anima separata caret organis & sensibus, unde non habet contrarium. Igitur nullo modo.

Respondeo. Animam cruciari ab igne per alligationem. Igitur ipsi alligatur quasi carceri, & instrumento supra modum ferienti, hinc mœror, hinc doloris impressiones acerbissimæ, hinc animæ commotio atque turbatio, hinc cogitationes de summo bono præ nimia levitate deperdito, & alia multa dolorosa quæ nec dici, nec comprehendi possunt. Peccato prorsus commensuratur dolor. Dereliquit Dominum reprobus, æquum est ut privetur Deo & vinculis ac compedibus igneis detineatur in inferioribus terræ partibus, & sic ignis causat Dei privationem quæ est omnium pœnarum maxima. Se convertit reprobus ad creaturas, ignis eas omnes accendit & stimulat contra illum, unde omnes omnino & sine requie causant dolores. Ita D. Thomas 4. contra Gen. ar. 90. ubi sic respondet ad argumentum. " Patiuntur igitur ab igne corporeo substantiæ „ incorporeæ per modum alligationis cujusdam. Possunt enim alligari spiritus corporibus vel per modum formæ „ sicut anima corpori humano alligatur, ut det ei vitam, vel etiam „ absque eo quod sit ejus forma, sicut „ Necromantici virtute dæmonum spiritus alligant imaginibus, aut hujusmodi rebus. Multo igitur magis virtute divina spiritus damnandi igni corporeo alligari possunt, & hoc ipsum est „ eis in afflictionem, quod sciunt rebus „ infimis alligatos in pœnam. „

Augustinus l. 21. de civ. c. 10. n. 1. sic respondet ad hanc quam sibi proponit quæstionem. " Hic, *inquit*, occurrit quærere si non erit ignis incorporalis sicut „ est animi dolor, sed corporalis tactu „ noxius... Cur enim non dicamus, „ quamvis miris, tamen veris modis spiritus incorporeos posse pœna corporalis „ ignis affligi, si spiritus hominum... „ Et nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari. Adhærebunt ergo si eis nulla „ sunt corpora, spiritus dæmonum, immo spiritus dæmones licet incorporei, „ corporeis ignibus cruciandi, non ut „ ignes ipsi quibus adhærebunt eorum junctura inspirentur & animalia fiant quæ „ constent spiritu & corpore, sed ut dixi miris & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam „ non dantes ignibus vitam. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ignis inferni realis & corporalis est.

Primo. Scriptura Sacra de eo tanquam de vero & proprie dicto igne loquitur, juxta illud Job. 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium*. Rursus Luc. *Ite maledicti in ignem æternum*.

Secundo. Gregorius l. 4. dial. c. 29. ait: *Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo*. Sic docet D. Thomas 3. p. suppl. q. 97. ar. 5.

Tertio. Ignis ille non est fictitius, agit enim realiter; & hoc sic esse nullo modo implicat. Etvero, si aqua tametsi corporalis in baptismate operetur & ope-

operando mundet realiter animam pueri a peccati originalis labe; quidni & in eadem realiter operabitur ignis ad illam pro peccatis puniendam?

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

Primo quidem, non eodem sensu accipiendus est ignis gehennalis quo accipiuntur pro reprobis lacrymæ, epulæ vero pro Beatis, non enim anima utpote purus spiritus effundit lacrymas, & sumit cibum, unde hæc & similia de ea metaphorice dicuntur, videlicet ad exprimendum vel summum ex visione Dei gaudium, vel summum ex ejusdem privatione dolorem: ast non est inconveniens ignem realem in animas reproborum agere, maxime cum hoc se teneat ex parte omnipotentiæ Dei suum jus justa ultione defendentis.

Secundo. Non diffiteor aliquos Patres illum ignem vocare spiritualem, sed hoc intelligi debet, vel objective quatenus torquet spiritus, vel quantum ad modum, in eo scilicet sensu, quod miris, attamen veris modis cruciet animas.

Tertio. Neque etiam negamus, id quod est corporale non posse agere tanquam causam principalem & virtute innata in spiritum: sed contendimus posse agere ut causam instrumentalem motam vi & energia voluntatis Dei omnipotentis.

SECTIO TERTIA.

Utrum animæ reproborum statim post separationem a corpore pœnis afficiantur æternis?

CONCLUSIO.

Statim afficiuntur.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo. *Ex Scriptura Sacra.*

JOB. 21. habetur de malis: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. In puncto, idest in brevi, illico & statim post mortem. Igitur animæ reproborum statim post separationem a corpore consequuntur pœnam peccatis suis juste debitam, nam & Num. 16. 33. legitur Core, Dathan & Abiron descendisse in infernum viventes; & in Evangelio dives reprobus & damnatus Luc. 16. clamat: *Crucior in hac flamma*, quod quidem de inferno intelligi debet, ut explicant verba antecedentia, *Mortuus est dives & sepultus est in inferno*.

Secundo. Ex Concilio Florentino, in quo res sic definita legitur: ait Collat. 22. p. 454. Typo. Reg. " Illorum autem animas „ qui in mortali actuali peccato, vel solo „ originali decedunt, mox in infernum „ descendere, pœnis tamen disparibus pu- „ niendas. „ Ergo, &c.

Tertio. Ex Patrum auctoritate qua probavimus in Tractatu de visione, Justorum animas statim post solutionem a corpore consequi præmium, si sufficienter a peccatis purgatæ e vita præsenti discesserint: sed eadem est lex contrariorum in hoc momento, maxime cum ad eandem spectet justitiam regulare præmia pro bonis, pœnas vero pro malis & improbis: igitur secundum doctrinam Patrum, reprobi pœnis afficiuntur æternis ut primum migrant e vita. Ita Interpretes explicant loca Scripturæ mox laudata, in primis D. Thomas Comment. in Job & in Lucam sed maxime & ex professo l. 4. contra Gent. c. 91.

Quarto. Ex rationibus Theologicis quas affert Angelicus Doctor in isto l. nempe 4. contra Gent. 9. c. 91.

Prima sic exponitur; nulla est ratio dilationis pœnarum, igitur animæ reproborum statim post separationem a corpore consequuntur pœnam. Probatur antecedens: Primo quidem, quia animæ sunt capaces pœnæ; enimvero sunt capaces præmii & visionis beatificæ, quidni forent & supplicii? Secundo, quia de facto aversæ ab ultimo fine, quippe quæ in peccato pertinaces remanserint, & per ipsum peccati effectum Dei privatione afficiantur. Unde sic concludit D. Thomas: " Statim igitur „ cum anima separatur a corpore, præ- „ mium vel pœnam recipit pro his quæ „ in corpore gessit.

Secunda: Vita præsens datur ad merendum vel demerendum juxta illud Job. 7. *Militia est vita hominis super terram*. Igitur, inquit D. Thomas ibidem n. 2. " post statum militiæ & laborem mer-" cenarii, statim debetur præmium vel " pęna bene vel male certantibus, un-" de & Levit. 19. dicitur: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane*. " Dominus etiam dicit Joel ult. *cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum*. " Statim igitur post mortem " animæ vel præmium consequuntur, vel " pœnam. "

Tertia. Non debet expectari ultimus judicii dies, non resurrectio utique ad puniendam reprobi animam: igitur cito citius post separationem a corpore criminum suorum justissimas luit in inferno pęnas. Probatur antecedens; anima principalis fuit causa peccatorum a reprobo commissorum, in quantum & voluntaria extitere; igitur illam ulla absque mora puniri æquum, immo & justissimum est. Eodem prorsus modo concludit ibidem Angelicus Doctor n. 3. " Nulla igitur, *inquit*, ratio est quare in " punitione vel præmiatione animarum " expectetur resumptio corporum? quin " magis conveniens videtur, ut animæ " in quibus per prius fuit culpa & me-" ritum, prius etiam puniantur vel præ-" mientur. "

Quarta. Ordo Providentiæ postulat ut creaturæ habeant in termino omnem perfectionem quam exigunt, & ipsa priventur si impedimentum posuerunt: sed summa creaturæ rationalis perfectio est possessio Dei, est gaudium & exultatio, est imperium & dominatio super creaturas inferiores, quæ inserviunt Sanctorum gloriæ: his vero omnibus privari meruerunt impie viventes; igitur statim post obitum isti consequuntur pęnam: damni quidem, quatenus sine Deo sunt. Sensus vero, quia justum est ut hi qui creaturis usi sunt ad peccandum, ab eisdem crucientur & torqueantur. Ista ratio est etiam D. Thomæ ibidem n. 4. " Ea-" dem, *inquit*, Dei Providentia creatu-" ris rationabilibus præmia debentur & " pęna, qua rebus naturalibus perfectio-" nes eis debitæ adhibentur. Sic est au-" tem in rebus naturalibus, quod u-" numquodque statim recipit perfectionem " cujus est capax, nisi sit impedimen-" tum. "

Quinta. Dei opera perfecta sunt: sed ista perfectio exigit ut animæ malorum statim post mortem consequantur pęnam peccatis debitam. Probatur ista minor; primo quia si Deus ex bonitate differret pęnas, hoc foret facilius peccandi quasi incentivum; secundo, quia ex dilatione, impii sibi suaderent pęnas quas comminatur justitia, esse vanas & pure imaginarias. Cæterum sanctitas divina exigit cito propellere contrarium: igitur & peccatores: igitur & animas impiorum eis infligendo pęnas quas ipsæ sibi peccando thesaurizaverunt.

Diluuntur Objectiones.

Objicies 1. Videtur quod animæ separatæ reproborum nonnisi post judicium universale igne infernali cruciandæ sint: igitur contrarium absque sufficienti fundamento asseritur. Probatur antecedens: Eodem prope modo ratiocinandum est de animabus reproborum hominum sicut de dæmonibus: sed dæmonum pęnæ ad ultimum usque Dei judicium reservantur: quod quidem probatur multipliciter, 1. quidam dæmones e corporibus energumenorum imperio Christi compulsi clamabant, ut refertur Matth. 8. 29. *Quid nobis & tibi, Jesu Fili Dei? venisti huc torquere nos ante tempus*. 2. Apoc. 18. legitur quod tunc temporis, scilicet judicii universalis Satan recludetur in carcere, ne amplius regnet in mundo, & diutius seducat Gentes. 3. isti spiritus nequam non sunt in inferno, sed potius in aere & super terram ad exercendam hominum virtutem, hinc ab Apostolo Ephes. 6. 26. nominantur mundi rectores, & Tobiæ 8. 3. legitur sanctum Angelum Raphaelem alligasse in deserto Ægypti dæmonem Asmodæum, ne in posterum alicui nocere tentaret. Ergo, &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem nego minorem: enimvero de omnibus omnino dæmonibus dicitur Apocal. 2. 8. *Neque locus inventus est eorum amplius in cælo*. Igitur in profundum tartari cito demersus est Lucifer cum suis. Ad primam allatam probationem dico

dico Christum fortius alligasse suo adventu, suoque imperio potestatem dæmonum, ne ita violenter sicut prius imperarent in mundo, & cum in fine sæculorum, in uno inferorum loco recludentur ne amplius seducant Gentes, non mirum si propulsi e corpore energumenorum exclamaverint, Christum sic alloquendo: *Quid nobis & tibi Jesu Fili Dei! venisti huc torquere nos ante tempus?* Jam cruciabantur pœna damni & ignis, sed & insuper ejecti e corpore in quo dominabantur, de novo cruciati sunt, nempe quantum ad potestatis alligationem. Et sic patet solutio ad secundum. Ad tertium, dico ignem ubique torquere dæmones, sed fortius per Dei privationem exagitantur. Sicut igitur teste Matthæo 18. 10. *Angeli eorum in cælis*, scilicet puerorum custodes, *semper vident faciem Patris*; ita a contrario dæmones terram, Deo permittente, ad exercitationem hominum perambulantes, semper Deo privantur, semper utique damnantur. Eandem etiam adhibemus responsionem ad exemplum dæmonis Asmodæi, cujus nocendi potestatem compressit quidem S. Raphael, sed non a pœna justæ damnationis illum solvit.

Oppones 2. Justi non cito donantur beatitudine post mortem; igitur nec reprobi pœna. Probatur antecedens. 1. quia pro eis orat Ecclesia. 2. quia orat & orabit usque ad consummationem sæculi indiscriminatim pro omnibus defunctis.

Respondeo negando antecedens, ad primam probationem, distinguo: Orat Ecclesia pro defunctis in Purgatorio divinæ justitiæ satisfacientibus ut educantur in refrigerium, concedo; quia vero multorum ignorat liberationem, ideo ad cautelam & præ assueta charitate orabit semper pro eis: orat pro aliis qui migrant e vita ab omni tum culpæ, tum pœnæ reatu mundi, nego antecedens & paritatem; retardatur quidem præmium pro justis morientibus si aliquid supersit luendum pro peccatis juxta illud 1. Cor. 3. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Scriptum est enim; *Nihil inquinatum intrat in sanctam civitatem*, Isa. 53. *Non transibit per eam impollutus*. Sed nulla est remoræ ratio pro pœnis reproborum, unde Propheta dicit Psal. 9. 18. *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum*.

Instabis: Si justi sufficienter mundi ab omni labe statim post mortem consequerentur præmium, maxime propter illud Christi oraculum ad pium & pœnitentem latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso*, Luc. 23. 43. Sed hæc ratio nulla est, namque Paradisus, locus quidem terrenus esse videtur, ex hoc quod dicitur Gen. 2. *plantaverat Dominus Deus Paradisum voluptatis, in quo posuit hominem quem formaverat*: igitur Paradisus dicit tantum aliquam in terra remunerationem percipiendam. Jam vero si Justis cito post mortem non retribuatur præmium, nec utique pena retribuetur malis.

Respondeo negando minorem. Ad probationem nego paritatem. Siquidem ex Scriptura Gen. 2. Paradisus in primo vocationis exordio formatus, erat terrestris, ut ipsa verba indicant: *Plantaverat Dominus Deus Paradisum voluptatis*, idest, diversis consitum arboribus quæ locum amenitatis undequaque florentem constituebant. Sed in Evangelio Paradisus sumitur pro gloria, quandoquidem eumdem promittit Paradisum Christus quem ipse cito possidere debebat, certum est autem cito gloria fuisse donatum: igitur & donatum ipsum latronem. Hoc ipsum innuit Apostolus dicens 2. Cor. 4. „ *Scimus enim quoniam si terrestris domus* „ *nostra hujus habitationis dissolvatur, quod* „ *ædificationem ex Deo habemus domum non* „ *manu factam, sed æternam in cælis*. „ Per quod, inquit D. Thomas 4. contra Gent. c. 91. " manifeste dat intellige„ re, quod dissoluto corpore anima ad „ æternam & cælestem mansionem per„ ducitur, quæ nihil aliud est quam „ fruitio divinitatis, sicut Angeli fru„ untur in cœlis... Hoc autem idem „ ostendunt & verba ejusdem Apostoli „ Philipp. dicentis, *desiderium habens* „ *dissolvi, & cum Christo esse*. „ Cæterum, omnibus pensatis, constat legem velle ut cito puniantur post mortem reprobi, ne ex dilatione vindictæ, exardescant in dies peccata. Alias objectiones fuse & retulimus, & solvimus tractando de Sanctorum beatitudine contra Millenarios.

Iterum instabis. D. Thomas modo lauda-

datus probat Paradisum a Christo in cruce pendente promissum intelligi debere de gloria cito citius retribuenda, quia inquit 2. Cor. 4. legitur, *momentaneum & leve tribulationis nostræ . . . æternum gloriæ pondus operatur*, quod quidem oraculum de retributione finali mox & ulla absque mora danda intelligitur, quandoquidem ait S. Doctor *l. 4. contr. gent. c.* 91. Apostolus subjunxit capitulo sequenti, *scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, sed æternam in cœlis*. Per quod manifeste dat intelligere, quod dissoluto corpore, anima ad æternam & cœlestem mansionem perducitur, quæ nihil aliud est quam fruitio divinitatis sicut Angeli fruuntur in cœlis. Sed hæc ratio nulla est, Apostolus quippe non dixit quod statim, dissoluto corpore, domum æternam habeamus in cœlis in re, sed solum in spe. Ergo, &c.

Respondeo negando minorem. Etvero etiam hic in terris quamdiu peregrinamur a Domino habemus gloriam in spe; profecto animæ Sanctorum juxta mentem Apostoli aliquid plus habere debent: igitur est contra D. Pauli mentem gloriam animarum ab omni reatu tum culpæ, tum pœnæ mundarum ad finem usque sæculorum differre. Solutio est D. Thomæ ibidem, ubi hanc dirimit controversiam his verbis. " Si quis, *inquit*, " contradicere velit, dicens Apostolum " non dixisse, quod statim, dissoluto " corpore, domum æternam habeamus " in cœlis in re, sed solum in spe, " tandem habituri in re, manifeste hoc " est contra intentionem Apostoli, quia " etiam dum hic vivimus, habituri sumus cœlestem mansionem secundum " prædestinationem divinam, & jam " eam habemus in spe, secundum illud Rom. 8. Spe enim salvi facti sumus. Frustra igitur addidit, si terrena domus nostra hujus habitationis dissolvatur. Sufficisset enim dicere, " scimus quod ædificationem habemus " ex Deo, &c. Rursus expressius hoc " apparet ex eo quod subditur: scientes quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino, per " fidem enim ambulamus, & non per " speciem. Audemus autem, & bonam " voluntatem habemus magis peregrinari " a corpore, & præsentes esse ad Dominum. Frustra autem vellemus peregrinari, a corpore scilicet separari, " nisi statim essemus præsentes ad Dominum, non autem sumus præsentes " nisi quando videmus per speciem. " Quamdiu enim ambulamus per fidem " & non per speciem, peregrinamur a " Domino, ut ibidem dicitur. Statim " igitur cum anima sancta a corpore separatur, Deum per speciem videt, " quod est ultima beatitudo, ut in tertio ostensum est. Hoc autem idem " ostendunt & verba ejusdem Apostoli " Philipp. 1. dicentis: Desiderium habens " dissolvi, & cum Christo esse. Christus " autem in cœlis est: sperabat igitur " Apostolus statim post corporis dissolutionem se perventurum ad cœlum. "

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Animæ reproborum ut primum a corpore solutæ sunt, absque mora luunt in inferno pœnas peccatis debitas.

Primo. S. Job hoc indigitat: namque c. 21. de reprobis ait: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. In puncto, hoc est in brevi, absque mora, & cito citius.

Secundo. Idem ex professo docet D. Thomas 4. contra Gentes c. 91. quod & probari potest exemplo divitis qui teste ipso Christo conclamat: *Crucior in hac flamma*.

Tertio. Ratio suffragatur, eadem quippe est lex pro contrariis, nemo autem non novit præmia a justo judice pro laboribus absque mora conferri: igitur & pœnas, maxime vero quia anima reprobi ut primum soluta est a corpore, manet in malo confirmata. Porro & bonitas & sanctitas Dei simul cum justitia contrarium a se propellere postulant. Reprobus ipso facto in mortis momento stupendo a regno Dei irrevocabiliter excluditur. Igitur ulla absque mora quantum glorificatus est, & in deliciis fuit, tantum datur illi tormentum.

SYNOPSIS RESPONSIONUM

AD OBJECTIONES.

Primo. Frustra quidam dicunt & docent dæmones non esse in inferno, verum potius in aere, unde & aereas potestates in sacris paginis nonnumquam vocari: Nam sicut Angeli sancti ad custodiam nostram in terras missi semper vident faciem Patris qui in cœlis est, ita a contrario dæmones ubique torquentur; ubique Deo Optimo Maximo privautur, ubique ignis & spiritus procellarum est pars calicis eorum.

Secundo. Neque dicas Ecclesiam orare pro reprobis, esto, fundat preces, sed ignorat utrum tales, vel tales sint reprobi; quod si sciret, sicut non orat pro diabolis, ita, inquit S. Augustinus, nec oraret pro eis.

Tertio. Neque nos etiam movet quod multi inter Patres gloriam animæ Sanctorum usque ad judicium universale differri & crediderint, & docuerint; igitur & consequenter pœnas atque supplicia. Enimvero jam ostensum est supra, gloriam animæ aut sufficienter emendatæ, aut cui nihil purgandum inest, non differri. Sed dato & non concesso animas Sanctorum aliquam pati in præmio dilationem, non sic de pœnis ratiocinandum foret, quandoquidem reprobus moritur a Deo prorsus aversus, adeoque summo bono in æternum privatus, immo & Deo contrarius. Igitur Deus eum a se tum pęnis, tum cruciatibus propellere debet.

ARTICULUS QUARTUS ET ULTIMUS.

Utrum pœnæ damnatorum sint æternæ?

DIVINÆ Majestatis indignum esse æternam pro peccatis ut plurimum momentaneis pęnam imponere propugnarunt non modo veteres, sed & recentiores hæretici, maxime Sociniani. Idem censuit Origenes de pęnis dæmonum, ut refert S. Augustinus l. 21. de Civ. Dei c. 17. contra quos omnes sit

CONCLUSIO.

Pœnæ damnatorum sunt æternæ, & est de fide.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex veteri Testamento*.

Primum argumentum eruitur ex libro Job c. 10. in quo sic loquitur sanctus ille vir: *Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum: antequam vadam, & non revertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine: terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Mentionem ibi de inferno fieri nullus est ambigendi locus, quippe qui sit ibi, ipso testante Christo, terra referta tenebris exterioribus, terra tantæ miseriæ, ut ne quidem aquæ guttam ad sitim supra modum ardentem sublevandam dives purpuratus obtinere possit: terra profecto ubi umbra mortis, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Atqui horror sempiternus accrescens ex tenebris, ex umbra mortis partus, horhor sempiternus ex universa omnium rerum confusione productus atque nutritus; pœna non dicam acutissima solum, sed omnium potius aggregatio pœnarum est: igitur pęnæ damnatorum sunt æternæ.

Secundum argumentum desumitur ex libris tum Psalmorum, tum Sapientialium. David in Psalmo 48. animam Justi vel inopia, vel cæteris vitæ miseriis fractam consolatur dicens, bona diligentibus Deum præparata esse, mala vero æterna pro retributione peccatorum disposita. *Ne timueris*, inquit, *cum dives factus fuerit homo: & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus. Quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria ejus; quia anima ejus in vita ipsius benedicetur: Confitebitur tibi cum benefeceris ei. Introibit usque in progenies Patrum suorum: & usque in æternum non videbit lumen.*

His egregie concinunt duo oracula libri Sapientiæ. Primum quidem habetur c. 4. ubi rex Salomon Spiritu Dei ductus & in-

& Inspiratus de pœnis reproborum sic loquitur : *Illos autem Dominus irridebit, & erunt post hac decidentes sine honore & in contumelia inter mortuos in perpetuum*. Alterum vero legitur capite sequenti, iisque verbis concipitur & exprimitur : *Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris & diadema speciei de manu Domini : quoniam dextera sua teget eos : & brachio sancto suo defendet illos ... acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe emissiones fulgurum, & tanquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient*.

Ex his omnibus sequitur istud ratiocinium : Qui in æternum non videbunt lumen, qui inter mortuos erunt in perpetuum, profecto æternas pro peccatis luent pœnas : atqui ex Scripturis sanctis reprobi in æternum non videbunt lumen, quinimmo & inter mortuos erunt in perpetuum : igitur pœnis afficientur æternis. Quod & innuit in secundo loco sapiens ubi Justorum præmium dicit æternum, & consequenter malorum supplicium prorsus perpetuum esse debet, quandoquidem loquitur de pœnis per oppositionem ad præmia: ergo si præmia æterna sunt, a pari similiter & supplicia, eandem quippe esse oppositorum legem, vulgare fert adagium.

Tertium pro æternitate pœnarum argumentum nobis exhibet nobilis Isaias, non in uno aut altero, sed in multiplici loco, in quibus quidem locis, multis præmissis de genere & qualitate suppliciorum, postea, Deo ipso dictante, sententiam statuit & pronuntiat eam esse æternam. c. 5. *Propterea*, inquit, *dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino : & descendent fortes ejus, & populus ejus, & sublimes gloriosique ejus ad eum. Et incurvabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi sublimium deprimentur ... væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem ...... Propter hoc sicut devorat stipulam lingua ignis, & calor flamma exurit : sic radix eorum quasi favilla erit, & germen eorum ut pulvis ascendet*. Et c. 13. *Ululate, quia prope est dies Domini ; quasi vastitas a Domino veniet, propter hoc omnes manus dissolventur, & omne cor hominis contabescet, & conteretur. Torsiones & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt*. Post varias descriptiones pœnarum pro impiis sic concludit Propheta c. 33. eosque versu 14. sic alloquitur : *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante ? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

Prosequitur Isaias, & c. 34. ait : *Accedite gentes, & audite, & populi attendite. . . quia indignatio Domini, annus retributionum, & judicii Sion, & convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in sulphur : Et erit terra ejus in picem ardentem. Nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus : a generatione in generationem desolabitur, in sæcula sæculorum non erit transiens per eam.. Requirite diligenter in libro Domini, & legite : unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsivit : quia quod ex ore meo procedit, illa mandavit, & spiritus ejus ipse congregavit ea, & ipse misit sortem*. Denique c. 66. 24. hanc profert contra reprobos terribilem sententiam ipse Deus: *Et egredientur, & videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me : vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*.

Propheta pęnas Judaici populi prævaricantis tanquam reproborum afflictionis figuras exhibet. c. 5. eadem delineat supplicia sub figura malorum Babylonis inflicta Medis in direptionem. Capite vero 33. nova mala & ejectionem Sennacherib loquitur; postea ad reprobos suum convertit sermonem, dicens : *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante ? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis ?* Capite 66. subdit : *Neque vermis eorum non morietur, neque ignis extinguetur* : igitur pęnæ damnatorum sunt æternæ : alias & vermis eorum tandem aliquando moreretur, ignis extingueretur, finem acciperet vastitas, ardores nullo modo forent sempiterni.

Ex Novo Testamento.

Primo. Pęna æterna illa censetur, quæ exprimitur per ignem modo inextinguibilem, modo etiam æternum : sed Deus puniet peccatores obduratos & in malo pertinaces igne tum inextinguibili, tum etiam æterno. Et probatur. Matth. 3. 12.

3. 12. Joannes Baptista sic loquitur: *Congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. Joannes per paleas intelligit reprobos. Capite vero 25. & 4. Christus hoc ipsum declarat: *Tunc*, inquit, *dicet & his qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*. Eandem sententiam terribilem confirmat Dominus Jesus Marci 9. 44. his verbis: *Et si per tuus te scandalizat, amputa illum: Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*. Igitur pœnæ damnatorum sunt æternæ.

Secundo. Illa pœna est vere & simpliciter æterna, quæ talis est nedum quoad cruciatus tum interiores & exteriores, verum etiam & quoad locum in quo miseri recluduntur reprobi: atqui pœna damnatorum est æterna, non solum quoad afflictiones animi & cruciatus, tum interiores, tum exteriores, sed & quoad locum infernalem; nam, testante beato Luca, supra modum cruciantur reprobi: cruciantur & absque refrigerio, ulla absque relaxatione, quinimmo, ex hoc horrendo carcere aut egredi, aut liberari nulla affulget eis spes. Sic enim habetur c. 16. de superbo quondam divite: *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis vidit Abraham a longe, & Lazarum in sinu ejus; & ipse clamans, dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est: ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*. Si reprobi non possunt ad alium transmeare locum, sequitur profecto in æternum esse cruciandos. Igitur pœnæ damnatorum sunt simpliciter æternæ.

Tertio. Beatus Paulus stat pro illo dogmate, estque sancti Evangelii fidelissimus interpres, alloquens enim peccatorem obduratum, Rom. 11. ait: *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio*. Sed quæ ira? sed quæ indignatio? profecto æterna, quandoquidem Paulus loquitur de justitia quæ reddit unicuique quod suum est, justis quidem vitam æternam: igitur & reprobis similiter pœnam, eadem quippe mensura eis remetietur: hoc ipsum annotat & asserit idem Apostolus 1. Cor. 6. *An nescitis*, inquit, *quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* Quibus quidem sententiis ista B. Judæ v. 13. affinis videtur cum de impœnitentibus sermonem faciens, ait: *Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est in æternum*. Ergo, &c.

Quarto. Ultimus inter Scriptores Canonicos venit in testimonium, scilicet B. Joannes Apostolus, qui in Apocalypsi non semel delineat tetra inferni tormenta, quibus quidem exquisite torquentur reprobi; sed quos & in æternum cruciandos esse asserit. C. 6. damnatos sic loquentes montibus, exhibet: *Cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit stare?* Eandem prosequitur materiam c. 14. Propheta Evangelista: *Tertius Angelus secutus est illos, dicens voce magna: Si quis adoraverit bestiam & imaginem ejus... cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum agni. Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam*. Quæ quidem postrema verba denotant pœnam continuam eamque æternam. Eadem prope repetit dilectus discipulus, c. 20. *Descendit*, inquit, *ignis de cælo, & devoravit eos, & diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæcu-*

sæculorum. Sed cruciari in sæcula sæculorum secundum sanctos Patres, est in æternum cruciari: igitur a primo ad ultimum liquet ex utriusque Testamenti Scripturis pęnas damnatorum esse æternas.

Ex Traditione Patrum.

Ex primo sæculo Clemens Romanus l. 4. recog. ad Jacobum fratrem Domini eandem & Christi, & Apostolorum & Prophetarum pro præsenti momento sententiam sequitur. " Quod autem est, " *ait*, deterius in consummatione sæculi, cum dæmon ille igni tradetur æterno, necessario & anima quæ ei paruit, cum ipso æternis ignibus cruciabitur una cum corpore suo quod polluit. " Ecce pęna æterna, eaque & ad corpus & ad animam extensa, a sancto Pontifice asserta, quique sicut ab Apostolis edoctus, ita loquitur & pronuntiat. Igitur fucatis prorsus fundamentis propugnant Sociniani pœnas damnatorum finem tandem aliquando consecuturas, quinimmo & dicendæ & credendæ sunt simpliciter & absolute æternæ.

Ex secundo sæculo. Testis est Justinus qui Apol. 2. eandem egregie confirmat doctrinam. " Quo vero, *inquit*, qualique in sensu ac supplicio futuri sint " improbi, ex his quæ similiter ad hoc " ipsum dicta sunt, cognoscite, vermis eorum finem non habebit, nec " desinet, neque eorum ignis extinguetur, tumque pœnitentia eos subibit, " cum nihil proficiet. " Rursus Apol. 2. " Sed ne quis dicat id quod ab iis " qui Philosophi sunt & habentur, dicitur, ea quæ a nobis proferuntur futilia & terrores esse, malos ignis æterni affectum iri supplicio: nosque " censere hominibus, &c. " Sic prævenit illustris Martyr difficultatis nodum simul & solvit, asserendo non sane ad terrorem se loqui de æternitate pœnarum quibus reprobos affici æquum judicat, sed vere & sincere.

Irenæus alter est ejusdem sæculi pro eadem stupenda veritate testis fidelissimus. Libro quippe quarto c. 47. sic effatur. " Pœna eorum qui non credunt verbo " Dei, & contemnunt ejus adventum " & convertuntur retrorsum adampliata " est, non solum temporalis, sed æterna facta. Quibuscumque enim dixerit " Dominus, Discedite a me maledicti in " ignem perpetuum, isti erunt semper " damnati. " Idem erudite docet, l. 5. c. 27.

Ex tertio sæculo nubem testium præclaram habemus. Primus nobis occurrit Tertullianus, qui Apol. c. 28. sed maxime c. 45. sic loquitur. " Enimvero nos qui " sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam " providemus, merito soli innocentiæ " occurrimus, & pro scientiæ plenitudine, & pro latebrarum difficultate, & " pro magnitudine cruciatus non diuturni, verum sempiterni, eum timentes " quem timere debebit & ipse qui timentes judicat, Deum non Proconsulem timentes. "

Origenes variis in locis, maxime tractatu 34. in Matth. eidem subscribit veritati his verbis: " Qui autem recedunt " ab Jesu, decidunt in ignem æternum, " qui alterius generis est ab hoc igne " quem habemus in usu: nullus enim " ignis inter homines est æternus, sed " nec multi temporis: extinguitur enim " cito; æternus autem ignis est ille de " quo & Isaias dicit in fine Prophetiæ " suæ, Vermis eorum non morietur, & " ignis eorum non extinguetur. " Sic magnus ille primorum sæculorum Doctor non solum pronuntiat pęnam damnatorum æternam esse, sed & Scripturæ Sacræ oraculo illud ipsum comprobare satagit.

Cyprianus Seraphicus de Ecclesia non semel bene meritus invictissime propugnat illam prorsus terribilem veritatem, quam sæpe repetit, eloquenter docet, vehementer inculcat, ubi de Ascens. Chr. " Quanta, *inquit*, illud edictum sequentur lamenta! illius enim tubæ clangor quam horribilis erit! continuus " erit & superfluus illarum lacrymarum " decursus, stridorem illum dentium " flammæ inextinguibiles agitabunt, immortales miseri vivent inter incendia, " & inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus " dives, nec erit qui æstuanti linguæ " stillam aquæ infundat, in proprio adipe frixæ libidines ebullient, & inter " sartagines flammeas miserabilia corpora " cremabuntur, & omni tormento atrocius

„ cius desperatio condemnatos affliget, „ & non miserebitur ultra Deus, neque „ tunc audiet pęnitentes, sera erit illa „ confessio ei, cum clausa fuerit janua, „ frustra carentes oleo clamabunt exclu- „ si. Nullum ibi refrigerium, nullum „ remedium, semel Christus descendit „ ad inferos, ulterius non descendet. „ Non ultra videbunt Deum in tenebris „ sigillari, irregressibilis erit illa sen- „ tentia, & immutabile judicium, & „ stabit damnationis hujus immobile con- „ stitutum. „

Quid plura? Et diversa pęnarum genera propalat Cyprianus, & ignem asserit inextinguibilem, immo luculentissimis rationibus hoc probat momentum, quarum prima ea est, non ultra misereri adjiciet Dominus. Secunda, pęnitentia damnatorum prorsus infructuosa & pro nihilo ad liberationem habetur. Tertia, in inferno nulla est redemptio. Quarta, Christus nusquam ad ista inferiora descendet loca, ut ab eis salvet reprobos sane miseros. Denique e lacu isto superhorrendo nec datur, nec dabitur umquam regressus.

Idem prorsus docet Clerus Romanus apud eundem Cyprianum Epist. 1. Quod quidem Ecclesiæ Romanæ testimonium maxime ponderat, siquidem, teste Tertulliano lib. de præscrip. c. 36. Doctrina Apostolorum cum eorum sanguine hanc super sanctam istam Ecclesiam mirabiliter effusa est. Ab hac, inquit Cyprianus Epist. 54. ad Cornelium Summum Pontificem, fluit unitas sacerdotii: hinc ipsam audire, hinc cum ipsa omnes concordare debent, inquit Irenæus l. 3. c. 3. Igitur Socinianorum de pęnis reproborum doctrinam omnibus nedum sanctis Patribus & cunctæ Ecclesiæ prorsus adversam, sed & purum figmentum atque commentum esse liquido constat.

Ex quarto sæculo habemus Hilarium Pictaviensem qui testimonium pro eadem veritate fert. Sic autem discurrit in Psal. 57. " Rhamnus sentium genus est, quod „ plures ex se condensasque spinas modo „ rubi effert, florescit autem cum cæte- „ ris vere consotum. Ergo antequam „ rhamnus peccatorum spinas producat, „ virentes eos ignis in ira absorbebit; „ neque enim, suspenso adhuc judicii „ tempore, quiescere peccatores sine pę- „ na erat dignum. Viventes itaque eos „ cum pęnæ scilicet sensu absorbebit ignis „ etiam antequam resurgant; corporum „ enim resurrectio significatur in rham- „ no quæ ipsa in se spinas, quibus com- „ pungenda sunt, exhibebunt: aliis fru- „ ctus æterni flores habituris: his vero „ tantum ad efferendos in se modo rham- „ norum spinarum aculeos excitandis. „ Tria dicit ille Pater. Primum quidem, reprobos etiam ante resurrectionem universalem igne cruciari. Secundum, Justorum opera sancta fructus æterni flores exhibere: Tertium denique, reproborum facta productura fore spinas quarum aculei patrata excitabunt facinora. Si quæras quandiu? assero per totum æternitatis spatium. Hoc ipsum lex contrariorum comprobat. Si enim teste Hilario Sanctorum opera fructus æterni flores emittent, a contrario peccata mortis æternæ dabunt stipendia, juxta illud Apostoli Rom. 6. 23. *Stipendia peccati mors*. Et iterum: *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat*.

Basilius accedit Hilario, passimque eandem confirmat doctrinam, maxime vero in regulis brev. interrogat. 267. pag. 633. ubi sic effatur: " Si enim judex justus „ est, non bonis solum, sed etiam re- „ probis, reddens unicuique juxta opera „ sua, fieri potest, ut alius quidem di- „ gnus sit inextinguibili, atque hoc ipso „ vel levius, vel acrius urente, alius „ vero verme numquam morituro, at- „ que hoc ipso nihilominus vel mitius „ quemque excruciante, vel severius, „ pro meritis videlicet uniuscujusque. „ Quibus verbis ille Pater distinguit etiam in inferno varios pœnarum gradus, sed omnes in hoc prorsus convenire docet, quod sint pœnæ æternæ, ignem quippe & dicit inextinguibilem, & vermem eorum immortalem.

Ex quinto sæculo adest Ambrosius quiprecat. 2. ad Missam pag. 341. & 342. stupens sic loquitur de damnatorum pœnis: " Nunquid, Domine, oblivioni „ tradenda est dies illa, de qua dicit „ Propheta, dies, *inquit*, iræ, dies il- „ la: dies tribulationis & angustiæ; „ dies calamitatis & miseriæ; dies tene- „ brarum & caliginis; dies turbarum & „ clangoris in qua cęlis & terris arden- „ tibus exibunt Angeli, & separabunt „ ma-

„ malos de medio Justorum, & mittent „ eos in caminum ignis, in quem messores, collecta zizania, alligabunt in „ fasciculos ad comburendum : in qua a „ sinistris positi audient impii, Discedite a me maledicti in ignem æternum „ qui paratus est diabolo & angelis ejus.„

Augustinus Doctorum aquila & traditionis tum Divinæ, tum Apostolicæ tenacissimus, venit post omnes primorum sæculorum Patres, quorum est veluti lingua & os. Enchir. c. 112. de pęnis damnatorum sermonem habet. " Hæc „ enim pęna, *ait*, vocatur ira Dei, „ non divini animi perturbatio : ut in „ ira sua, hoc est, manente ira sua, „ non tamen contineat miserationes suas, „ non æterno supplicio finem dando, „ Rursus in Psal. 57. ℣. 9. explicans illa Psalmistæ verba, *Sicut cera liquefacta auferentur*, dicit : " Est quædam pęna futura gehennæ ignis, ignis æternus. „ Futura enim pęna duas species habet, „ aut inferorum est, ubi ardebat dives „ ille qui volebat sibi stillam aquæ stillari in linguam de digito pauperis, quem „ ante januam suam contempserat, quando ait : quoniam crucior in hac flamma : & altera est illa in fine de qua „ audituri sunt qui ad sinistram ponendi „ sunt, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. „

Idem ex professo docet l. 21. de civ. c. 11. Ecce Patres usque ad Augustinum inclusive unius sunt labii pro æternitate pęnarum : huic catholicæ doctrinæ subscribunt sancti subsequentium sæculorum Doctores, qui sicut primi interpretantur divinarum Scripturarum oracula prolata de æternitate supplicii, simpliciter absoluta ; huic summi Pontifices suum addunt calculum, & contraria propugnantes suis percellunt anathematibus : huic Concilia suam adjiciunt definitionem, maxime Tridentinum. Eandem defendunt omnes orthodoxi Theologi, credunt cuncti fideles. Ergo, &c.

Ex confessione Martyrum.

Confessio Martyrum veteris legis.

Veritas requiritur ex ore pie admodum morientis, quippe qui sistendus est ante tribunal supremi judicis, ut rationem reddat prout gessit & locutus est. Primo igitur occurrit loco devota Machabæorum mater : veniunt post eam & septem mirabiles filii una die pro defensione legis Dei mactati : quodnam vero fuerit eorum vicissim in perferendis cruciatibus motivum ? intelligite. Non aliud sane post Dei viventis & amorem & ejus legis obedientiam fuit, nisi pęnæ æternæ vitandæ animus & intentio. Fuse describitur l. 2. Mach. c. 7. magnanimitas & matris quæ suos adhortabatur fortiter filios ad vitam æternam, spretis mundi illecebris, capessendam, & filiorum qui strenue pro patriis legibus decertantes in pace Domini defuncti sunt.

Primum testimonium.

Contigit autem, inquit Auctor Canonicus, *& septem fratres una cum matre sua apprehensos, compelli a rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos. Unus autem ex illis qui erat primus, sic ait : Quid quæris & quid vis discere a nobis ? Parati sumus mori, magis, quam patrias Dei leges prævaricari. . . Jussit ei qui prior fuerat locutus amputari linguam. Et, cute capitis abstracta, summa quoque manus, & pedes ei præscindi, cæteris fratribus & matre inspicientibus. . . cæteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter, dicentes : Dominus Deus aspiciet veritatem, & consolabitur in nobis, quemadmodum in protestatione cantici declaravit Moyses : Et in servis suis consolabitur*. Porro illa consolatio æterna est juxta illud Sap. 5. 16. *Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum*. Injusti vero e contra in vindictam morte donabuntur perpetua, quandoquidem ut non semel dictum & ostensum est, eadem penitus est apud judicem supremum tum pro bonis, tum pro malefactis quoad durationem mensura.

Secundum testimonium.

Mortuo itaque illo primo, ait Scriptura, *hoc modo, sequentem deducebant ad illudendum . . . Et cute capitis ejus cum capillis abstracta, interrogabant, si manducaret prius quam toto corpore per membra singula puniretur. At ille respondens propria voce,*

voce, dicit, Non faciam. Propter quod & iste, sequenti loco primi tormenta suscepit: Et in ultimo spiritu constitutus, sic ait: Tu quidem scelestissime, in præsenti vita nos perdis: sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æterna vitæ resurrectione suscitabit. Ecce æterna vita quam sibi proponit ille juvenis tanquam motivum magnum ad perferendum supremos in hac vita pro lege Dei cruciatus: cum vero spes impiorum pereat, non est dubium, quod pro momentaneis quæ delectant, æternis damnati torqueantur suppliciis. Hoc ipsum innuit etiam sanctus Job 4. 20. dicens: *In æternum peribunt.*

Testimonium quartum, quintum, sextum, & septimum.

Ibidem ℣. 13. *Quartum vexabant similiter torquentes. Et cum jam esset ad mortem, sic ait: Potius est ab hominibus morti datos spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos; tibi enim resurrectio ad vitam non erit. Et cum admovissent quintum, vexabant eum. At ille respiciens in eum, dixit: Potestatem inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare genus nostrum a Deo esse derelictum. Tu autem patienter sustine, & videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te, & semen tuum torquebit.* Pergit Scriptura: *Post hunc ducebant sextum, & is mori incipiens, sic ait: Noli frustra errare: nos enim propter nosmetipsos hæc patimur peccantes in Deum nostrum, & digna admiratione facta sunt in nobis: tu ne existimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris. Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat.*

Ubique spes æternæ vitæ in istis sanctis affulget: e contra vero ubique & in ore eorum supremi æternique supplicii comminatio regi impio & supra modum crudeli facta: sed inter istos sanctos Martyres mirabilis mater omnium vota filiorum suscitans spem in vitam æternam erigegebat. Et ut multa paucis complectar, & mater & filii tot vitæ æternæ pro Justis, pro reprobis vero & impiis mortis æternæ celeberrimi existunt præcones. Ergo, &c.

Octavum & ultimum testimonium.

Mater generosa post filios ultima quidem gladio consumpta est, sed prima in confessione, quippe quæ in omnium filiorum ore vitæ æternæ pro Sanctis, sed pro impiis mortis æternæ fidem strenue defenderet. Jam ad ultimum ætate quidem juniorem, sed virtute & fortitudine seniorem nostra convertitur oratio. *Ait adolescens, quem sustinetis? Non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen. Tu vero qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur. Etsi nobis propter increpationem & correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est: sed iterum reconciliabitur servis suis. Tu autem, o scelestè! & omnium hominum flagitiosissime noli frustra extolli vanis spebus in servos ejus inflammatus. Nondum enim omnipotentis Dei, & omnia inspicientis, judicium effugisti, nam fratres mei modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: tu vero judicio Dei justas superbiæ tuæ pœnas exsolves. Ego autem, sicut & fratres mei, animam & corpus meum trado pro patriis legibus: invocans Deum maturius gentis nostræ propitium fieri, teque cum tormentis & verberibus confiteri quod ipse est Deus solus.*

Ex his affulget perpetua pro iis qui legem servaverunt beatæ æternitatis confessio, e contra vero continua & perseverans pęnæ æternæ pro prævaricatoribus comminatio. Igitur ex confessione Martyrum liquet pęnas damnatorum esse æternas.

Sociniani supra modum his & similibus auctoritatibus oppressi, omnia tentant ut istam valeant solvere auctoritatem. Quid vero scrutati sint, intelligite: libros Machabæorum veluti apocryphos habere non erubescunt. Idem de libro Sapientiæ adversum ferunt judicium.

Verum, facilis est ad ejusmodi cavillos responsio. Enimvero iniquitas profecto mentitur sibi, cum ex Evangelio quod quidem admittunt recentiores isti hæretici, constet pænas reproborum esse æternas. Nihilominus ad faciendum satis, ut non remaneant in ore loquentium iniqua redargutiones, dico librum Sapientiæ ex

cujus

cujus auctoritate eruimus validissima pro præsenti momento argumenta, esse Canonicum. Hoc ipsum Semipelagianis probat Augustinus multis, efficacissimisque argumentis l. de Prædest. SS. c. 14. Primo quidem quia antiquitus legebatur in conventu Ecclesiæ, & a fidelibus tanquam genuinus habebatur. 2. Concilium Carthaginense 3. Can. 37. illum agnoscit ut Scripturam divinitus inspiratam, sicut & Innocentius primus, immo & Tertullianus, & Origenes & Cyprianus. 3. Tridentinum Canoni illum adscivit, sicut primum & secundum Machabæorum. Ante ipsum ita definierat Carthaginense 3. laudatum Can. 37. Quid plura? Clemens Alex. l. 1. Strom. Cyprianus de exhortatione Martyrum c. 11. Innocentius primus Epist. 3. Chrysostomus orat. de Machab. Augustinus l. 2. de doctrina Christi c. 8. suum addunt calculum libris prædictis Machabæorum. Igitur utrumque esse genuinum ac fide dignissimum nemo Catholicus, immo & sensatus negabit.

Confessio Martyrum novæ legis.

Prima est sanctæ Felicitatis anno 150. quæ judicem impium alloquens dixit filios suos vitam æternam consecuturos si idola abnuentes, soli Deo vero sacrificarent: sin minus, mortem æternam miseriis & ærumnis refertam. Ita referunt Acta Martyrum Sinc. pag. 21. & pag. 22. quartus filius nomine Sylvanus subdit, quod mortem & perditionem nusquam vitarent æternam, si fucatis & ementitis diis immolarent. Quid plura referam? adolescentior ut habetur pag. 23. Tyranno respondit: omnes, qui Christum negant, in ignem æternum cito citius esse projiciendos.

Secunda primæ non absimilis est sancti Polycarpi anno 166. refertur ibidem pag. 32. & apud Eusebium l. 4. 25. tantus ille Episcopus cum ab Asiæ Proconsule ad sacrificandum idolis compelleretur, sin minus igni mox tradendus esset, respondit judici eum frustra comminari ignem in brevi extinguibilem, sed æternum impiis paratum multo magis pertimescendum esse, quem quidem ipse cæterique idololatræ ignorare volebant.

Tertia est sancti Marciani qui Nicomediæ anno 200. martyrio coronatus est. Ibidem pag. 154. hic a judice in sua tentatus fide, spretis & bonis & hujusce mundi illecebris, dicit se eligere pro Christo mori, & se malle potius crucem amicam ferre quam projici in tenebras exteriores, ubi est stridor dentium & ignis numquam extinguendus.

Quarta est S. Claudii anno 285. ibidem pag. 279. Quinta S. Victoris militis anno 280. pag. 307. Sexta Irenæi pag. 423. Septima sancti Philippi Episcopi anno 304. Octava sancti Petri Balsami anno 311. ibidem pag. 558. qui omnes & alii permulti responderunt Tyrannis melius esse justo mortem potius subire temporalem, quam æternis pro infidelitate deputari suppliciis. Igitur constat ex omni auctoritatum genere reprobos pœnas in inferno pro peccatis luere æternas.

Ex rationibus Theologicis in jure fundatis.

Prima sic exponitur: pœna juxta dignitatem personæ per peccatum læsæ imponitur: sed persona a peccatore læsa est Deus cujus majestas ita exaltata est super cœlos, ut sit infinita; igitur debet & esse pro tanto delicto pœna, si non re & intensive, creatura quippe, utpote finita, infiniti simpliciter cujuscumque incapax censetur, saltem extensive & penes durationem. Hæc ratio est D. Thomæ 3. p. suppl. qu. 99. ar. 1. " Pœna, *inquit*, taxatur juxta dignitatem „ ejus in quem peccatur, unde majori „ pœna punitur qui percutit alapa Prin„ cipem quam alium quemquam, sed qui„ cumque mortaliter peccat, contra „ Deum peccat, cujus præceptum trans„ greditur, & cujus honorem alii im„ pertitur, dum in alio finem constituit: „ majestas autem Dei est infinita: ergo „ quicumque peccat mortaliter, dignus „ est infinita pœna. „

Secunda affinis est primæ, & hæc est: Culpæ infinitam habenti malitiam respondet pœna infinita; sed peccatum mortale culpam in malitia infinitam sane involvit. Et probatur: Peccatum lædit majestatem infinitam, videlicet divinam: igitur habet malitiam infinitam, quandoquidem gravitas per ordinem ad personam læsam desumitur, juxta illud Summista-

rum

rum axioma, *honor est in honorante, injuria in offenso*. Jam vero cum reprobi migrent e vita cum peccato mortali, de quo, ut supponitur, nullam egerunt pœnitentiam, manifeste sequitur eos pœnis in inferno affici æternis. Egregia hæc ratio traditur a D. Thoma iisdem his verbis. " Potest & alia ratio assignari, quare pœna culpæ mortalis sit æterna: quia per eam contra Deum qui est infinitus, peccatur. Unde cum non possit esse infinita pœna per intensionem, quia creatura non est capax alicujus qualitatis infinitæ, requiritur quod sit saltem duratione infinita. "

Tertia. Commensurari debet pœna delicto secundum affectum peccantis, quia intentio finis in agibilibus est principium, juxta illud tritum adagium, *quidquid faciant homines, intentio judicat omnes*, sed peccator vellet si fieri posset semper possidere bona temporalia, quæ suo prosequitur amore; voluptuosus nova de die in diem inhiat oblectamenta; avarus novos cupit thesauros; hinc filii sæculi in ultimo spiritu positi vehementer dolent, quod creaturis delusi incassum eas retinere satagant. Igitur pœnas pro delictis patratis promerentur æternas. Lex ita pronuntiat Apoc. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*. Egregia sane ratio quæ celebratur plurimum a sancto Gregorio l. 34. moral. c. 12. & l. 4. dial. c. 44. ubi sic loquitur: " Ad magnam justitiam judicantis pertinet, ut numquam careant supplicio, qui in hac vita numquam voluerunt carere peccato. " Laudatur etiam a D. Thoma ibidem ar. 1. " Dicendum, *inquit*, quod cum pœna duplicem habeat quantitatem, scilicet secundum intentionem acerbitatis, & secundum durationem temporis: quantitas pœnæ respondet quantitati culpæ secundum intentionem acerbitatis, ut secundum quod gravius quis peccavit, secundum hoc gravior pœna ei infligatur. "

Quarta. Quantitas pœnæ utique desumitur ex bonitatis contemptu, juxta illud Psal. 54. *Et si is qui oderat me*, inquit David, *super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: tu vero homo unanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu, Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes*. Sed bonitas quæ læditur per peccatum, est divina, eaque infinita, bonitas quæ innumera contulit peccatori beneficia, bonitas tanta ut non dimittat cito citius hominem cum peccaverit, bonitas quæ suum oriri facit solem super justos & injustos. Æquum est igitur peccatorem repetitis vicibus & pertinaciter ingratum æternis affici suppliciis: quamobrem D. Thomas ibidem art. 1. subjungit: " Inveniuntur etiam & aliæ rationes, a Sanctis assignatæ quare juste pro peccato temporali aliqui pœna æterna puniantur. Una est, quia peccaverunt contra bonum æternum, dum contempserunt æternam vitam: & hoc etiam est quod Augustinus in prædicto libro dicit, factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset æternum. Alia ratio est, quia homo in suo æterno peccavit. "

Quinta hæc cæteris accedit. Quandiu adest delictum, tandiu & pena infligi debet: atqui in reprobis adest semper, & per totam æternitatem aderit delictum: & probatur primo, quia nusquam peccatum retractaverunt reprobi: hinc & post mortem manent in malo confirmati, juxta illud Eccles. 11. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Secundo, non potest absque magna misericordia remitti delictum: porro Oseæ 1. 6. ait Dominus: *Non addam ultra misereri*. Non est pro reprobis misericordia, quia nec redemptio, sic enim docet sanctus Job c. 14. *Quis mihi hoc tribuat ut in inferno protegas me?* Igitur manet peccatum in corde damnati. Quid plura? nec usquam Deo reconciliari poterit reprobus. Præceptum quippe posuit Dominus & non præteribit: lata est contra omnes reprobos in peccato defunctos sententia; eam sic confirmabit in supremo & universali judicio Christus Dominus his verbis: *Ite maledicti in ignem æternum*. Matth. 25. Ergo tum auctoritate, tum ratione constat, penas damnatorum esse simpliciter & absolute æternas.

Solum-

Solvuntur Socinianorum objectiones ex auctoritate veteris Testamenti desumptæ.

Objiciunt 1. Pęnæ quæ pro reprobis assignantur in veteri Testamento non sunt simpliciter æternæ, sed tantummodo comminatotiæ: porro nulla pęna comminatoria æterna simpliciter dicenda est. Ergo, &c. Probatur antecedens. Gen. 6. ait Dominus: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum*. Et tamen permansit in Noe, in Abraham, & in aliis Sanctis tum Patriarchis, tum Prophetis & piis Regibus. Igitur sicut vox, *æternum*, sumitur ibi comminatorie pro hominibus viatoribus, pari modo sumi debet pro reproborum pęnis quando dicuntur æternæ. Confirmatur: Vox, *in æternum*, usurpatur tantum pro longa duratione, juxta illud Psalmi 118. *In æternum non obliviscar justificationes tuas*, hoc est, toto tempore vitæ meæ; nullus quippe pro futura vita quidquam respondere potest. Ergo, &c.

Respondeo 1. Nullam esse in veteri Testamento exaggerationem, cum pęnæ reproborum commemorantur æternæ; audiendus est pro hoc momento D. Thomas, qui 3. p. supp. q. 99. ar. 1. loquitur: " Sicut se habet præmium ad me-
" ritum, ita pœna ad culpam. " Porro Isaiæ 64. 4. de præmio habetur: *a sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te;* sed nec utique in cor hominis profecto ascendit quantum sit pro impiis supplicium: hinc & idem Isaias peccatores alloquens, ait: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum arderibus sempiternis?*

Respondeo 2. distinguendo; nulla pœna comminatoria est absolute æterna in hac vita, concedo: in altera, subdistinguo: si peccator egerit pœnitentiam, concedo: si non egerit, nego. Sub hac conditione minatur Deus peccatoribus, ut habetur Ezech. 18. Verum si conditio pœnitentiæ non ponatur, comminatio suum profecto sortitur effectum; cum igitur sit de pęna æterna, utique istam sequi necesse est. Ita respondet ad argumentum Div. Thomas ibidem q. ar. 3. " Dicen-
" dum, *inquit*, quod Prophetia commi-
" natoria pęnæ tunc solum immutatur,
" quando variantur merita ejus in quem
" comminatio facta est. Unde Jeremiæ
" 18. dicitur: repente loquar adversus
" gentem, & adversus regnum, ut era-
" dicem & destruam, & disperdam il-
" lud: si pęnitentiam egerit gens illa a
" malo suo, agam & ego pęnitentiam
" super malo quod cogitavi ut facerem
" ei, unde cum damnatorum merita mu-
" tari non possint, comminatio pœnæ in
" eis implebitur. " Et sic patet responsio ad confirmationem, quandoquidem reprobi pro peccatis non egerunt pęnitentiam: igitur Scriptura intelligit eos æternas pro delictis pęnas luere. Nec mirum, opponit enim Sacra Scriptura præmium æternum tristitiæ & pęnæ æternæ, ut Sap. 5. 16. & 17. gloriam similiter opponit confusioni finem nusquam consecuturæ, juxta illud Daniel. 12. 2. *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt: alii in vitam æternam; & alii in opprobrium ut videant.*

Instant. Vita æterna quæ opponitur reproborum pęnis, subobscure admodum quatenus æterna, in veteri promittitur Testamento: igitur frustra pęna prædicatur æterna ut præmio æterno contraposita.

Respondeo negando antecedens; levem esse istam Instantiam patet ex ipso Danielis contextu, *evigilabunt: alii in vitam æternam; & alii in opprobrium*. Idem claret ex iteratis promissionibus factis Abraham, Isaac, Jacob, qui omnes cæterique Justi in spe futuræ & quidem æternæ vitæ defuncti sunt. Quod fuse & diserte explanat Apostolus Hebræor. 11. 9. 10. ubi de Abraham aliisque sanctis Patribus sic loquitur: *Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando, cum Isaac, & Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem: expectabat enim fundamenta habentem civitatem: cujus artifex & conditor Deus*. Prosequitur ℣. 13. & 14. *Defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et siquidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi: nunc autem meliorem appetunt, idest, cœlestem*. Quibus sen-

tentiis hanc Apostolus ponit inter bona spiritualia hujus vitæ & futuræ discrepantiam, quod cuncta tametsi optima transitoria sint in hoc mundo, in altero vero cuncta stabilia eaque solida, adeoque & in æternum permanentia. Mitto alia infinita prope loca quibus vita æterna promittitur in sacris veteris Testamenti paginis.

Objiciunt 2. Misericordia Dei magna, immo & infinita est. Igitur non permittet animas in æternum cruciari. Probant consequentiam variis Psalmorum sententiis. Psalmo 15. 11. habetur, *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*. Rursus Psal. 48. 16. *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me*. Et iterum Psal. 85. 13. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*. Igitur animæ post certum tempus & peractam in inferno pœnitentiam educentur in refrigerium.

Respondeo negando consequentiam: ad primam probationem, dico Psalmistam ibi sermonem habere de anima Christi quæ descendit ad limbos, quæque transacto ibi trium dierum spatio adduxit secum Patres in his detentos locis, & iterum suo conjuncta est corpori: tunc Christus apparuit Apostolis, deinde videntibus illis elevatus est, elapsis quadraginta diebus, in cœlum; unde subdit Propheta: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Ita hunc locum interpretatur B. Petrus Act. 2. his verbis. *Hunc*, inquit, *videlicet Christum, definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis: quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi ne commovear: propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, Irenæus l. 5. c. 31. Cyprianus test. l. 2. c. 24. & alii Patres de resurrectione Christi prædictam explicant cum B. Petro sententiam.

Ad secundum & tertium locum distinguo: & Propheta regius loquitur de misericordia erga semetipsum, concedo: de misericordia solvente damnatos a pœnæ æternæ vinculis, nego. Misericordia Domini in duobus potissimum affulgere visa fuerat erga pium David: primo quidem in eo quod ab insidiis contra ejus vitam, moliente Saule, paratis liberatus fuerat, deinde vero in remissione peccati tum adulterii, tum etiam homicidii; namque Urias Hethæus gladio Ammonitarum innoxius, ordinante rege, ceciderat: Scriptum est autem 2. Reg. 12. 13. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*: propter tanta beneficia accepta gratias agit Deo immortales David, hinc benedicit Domino, creaturasque benedicere mirum in modum provocat. Psalmo 86. pro primo dono agnoscendo sic intonat: *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum: quia misericordia tua magna est super me: Et eruisti animam meam de inferno inferiori. Deus iniqui insurrexerunt super me, & Synagoga potentium quæsierunt animam meam: Et non proposuerunt te in conspectu suo. Et tu Domine Deus miserator & misericors, patiens & multæ misericordiæ, & verax, respice in me, & miserere mei, da imperium tuum puero tuo: Et salvum fac filium ancillæ tuæ. Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me*: Misericordiam vero pro peccatis impetratam non semel agnoscit, ut Psalmo 2. cum ait: *Et nunc reges intelligite: Erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa*. Rursus Psal. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo*.

Rursus instant. Deus non projiciet in æternum peccatores; igitur ex mente David pœnæ damnatorum non sunt æternæ: Probant antecedens ex eodem vate qui Psal. 76. sic canit: *Numquid in æternum projiciet Deus; aut non apponet ut complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscondet, a generatione in generationem? aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* Hic Propheta precator accedit; hic testatur Deum tam bonum esse, ita ut si forte irascatur, solummodo ad tempus irasci, quia neque projicit in æternum populum suum, neque continebit in ira sua misericordias suas.

Respon-

Respondeo . Quosdam Augustini temporibus propter hunc Psalmistæ locum quem in pravum detrahebant sensum aut dubitasse de æternitate pœnarum, aut etiam asseruisse pœnas reproborum non esse æternas , sed S. Doctor eos perstringit Ench. c. 111. immo & respondet objectionibus l. 21. de civ. c. 11. de quibus infra.

Respondeo 2. distinguendo : & Propheta loquitur de captivitate Babylonica , cujus acerbitatem prænoscens & durationem , fusis lacrymis & suspirando postulat liberationem , concedo : & loquitur de liberatione damnatorum , nego . Sensum primum tanquam solum genuinum sequitur Augustinus , & multi alii . Quod autem pius rex de hoc tantum loquatur momento , patet ex eo quod populi Judaici provocet spem , stimulet pœnitentiam , fidem excitet , sperans quod sicut Deus Pater misericordiarum Patres eorum a captivitate Ægyptiaca liberaverat, ita & ex Babylonica eos solveret. Cæterum, nequidem ullum affulget vestigium de liberatione reproborum, quandoquidem dirigit sermones David non ad impios & damnatos , sed potius ad eos qui timent ex pietate & reverentia Dominum . Sic enim legit Vulgata Psalm. 102. 9. *Non in perpetuum irascetur: neque in æternum comminabitur* . ℣. 13. *Quomodo miseretur pater filiorum , misertus est Dominus timentibus se : quoniam ipse cognovit figmentum nostrum* . ℣. 16. *Misericordia autem Domini ab æterno & usque in æternum super timentes eum* . Psalmo vero 75. postquam hanc protulit sententiam : *Numquid in æternum projiciet Deus?* subdit versu 10. *Et dixi , nunc cæpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi* . ℣. 11. *Memor fui operum Domini : quia memor ero ab initio mirabilium tuorum* . ℣. 14. *Notam fecisti in populis virtutem tuam : redemisti in brachio tuo populum tuum , filios Jacob & Joseph* . ℣. 19. *In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis : & vestigia tua non cognoscentur* . Ubique Propheta loquitur de viatoribus qui vel pœnitentia ducti convertuntur ad Dominum, vel possunt sese convertere , nusquam vero de damnatis in malo confirmatis.

Respondet D. Thomas ad argumentum hic 3. p. supp. q. 99. ar. 3. ad 4. his verbis : " Dicendum, quod illud verbum „ Psalmi 76. pertinet ad vasa misericor„ diæ, quæ se indigna misericordia non „ fecerunt : quia in hac vita , quæ qui„ dem ira Dei est, propter vitæ mise„ rias , vasa misericordiæ mutat in me„ lius . Unde sequitur in Psalmo 76. „ hæc mutatio dexteræ Excelsi : vel di„ cendum quod hoc intelligitur de mi„ sericordia aliquid relaxante , non de „ misericordia totaliter liberante , si ex„ tendatur etiam ad damnatos . Unde „ non dicit , continebit ab ira misericor„ dias suas, sed in ira : quia non totali„ ter pœna tolletur, sed ipsa pœna du„ rante misericordia operabitur, eam di„ minuendo . „

Urgent : Atqui misericordia Domini in inferno reperitur nedum pœnas diminuendo , hoc est finitas in se & ad mensuram secundum uniuscujusque opera infligendo , verum etiam finem eis quantum ad durationem imponendo ; igitur nulla solutio . Probare subsumptum credunt ex duplici veteris Testamenti oraculo . 1. Sap. 11. habetur : *Misereris omnium Domine , quoniam omnia potes* . Sed qui dicit omnes , nullos ne quidem damnatos a misericordiæ beneficiis excipit , rationem hanc egregiam affert Salomon, *quoniam omnia potes* . Deus ergo, &c. 2. Isaiæ 24. 22. legitur de reprobis : *Congregabuntur in congregatione uniusfascis in lacum , & claudentur ibi in carcere : & post multos dies visitabuntur* . Sed visitatio est ad consolationem : igitur misericordia se extendet ad damnatos usque : Confirmatur, non pauci inter Patres & Theologos docent misericordiam prælucere erga reprobos in inferno reclusos : quomodo vero prælucere poterit, nisi eos & a pœnis, & a captivitate solvat atque liberet ?

Respondeo negando subsumptum : ad primam probationem , distinguo ; omnium pœnitentium miseretur Deus , concedo ; omnium etiam impœnitentium , quales sunt damnati , nego . Omnium quidem miseretur Deus cujuscumque aut generis, aut linguæ & sexus , sed ea conditione quod de peccatis doleant & pœnitentiam agant salutarem , nusquam vero damnatorum qui redire ad cor nec volunt , nec possunt , quia sunt in malo confirmati , nec ullum affulget eis gratiæ auxilium ad pœnitentiam . Solutio est

D. Thomæ qui hic 3. p. supp. qu. 99. art. 2. ad 1. ait : " Dicendum quod „ Deus quantum in ipso est, miseretur „ omnibus : sed quia ejus misericordia „ sapientiæ ordine regulatur, inde est „ quod ad quosdam non se extendit, qui „ se misericordiæ fecerunt indignos, si- „ cut dæmones, & damnati, qui sunt „ in malitia obstinati. Tamen potest di- „ ci quod etiam in eis misericordia lo- „ cum habet, in quantum citra condi- „ gnum puniuntur, non quod a pęna to- „ taliter absolvantur. „

Ad secundam probationem distinguo Isaiæ auctoritatem : post multos dies visitabuntur reprobi ad majora supplicia subeunda, concedo ; ad consolationem vel etiam ad liberationem, nego. Visitare in Scriptura Sacra in duplici sumitur sensu, videlicet pro gratiis & beneficiis recipiendis, juxta illud Zachariæ Luc. 1. 78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitavit nos oriens ex alto* : nonnumquam vero usurpatur pro castigatione, ut in Psalmo 88. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam . . . visitabo in virga iniquitates eorum*. Unde Isaias nedum conclusionem abnegat, verum potius mirum in modum eam confirmat, maxime vero cum constanter prædicet pęnas damnatorum esse æternas : sic enim intonat c. 27. 1. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi & forti, super Leviathan serpentem vectem, & super Leviathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari est*. Rursus c. 66. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Quid plura referam ? B. Hieronymus Commentar. in Isaiam, locum in objectione laudatum explicat de pęna æterna. Succinit Estius in 4. dist. 46. Jam vero ad id quod subiicitur : *Post multos dies visitabuntur*, dico verba ista significare novos post judicium universale addendos cruciatus, elapsis quippe multis diebus, videlicet a primo Christi adventu usque ad secundum, anima iterum corpori conjungetur ut in æternum cum ipso luat pęnas prout gessit in suo corpore malum.

Opponunt 3. Pius David 2. Reg. 1. 12. orat pro Saule quem multi credunt esse reprobum, cum violentas sibi manus inferri jusserit, quod certe in lege Domini prohibitum est. Igitur credebat damnatos saltem orationibus & sacrificiis erui posse ab inferis. Hoc ipsum propugnat Syrigus Meletius in confessione fidei contra Cyrillum Lucarem Patriarcham Constantinopolitanum, qui malefidus subscripserat confessioni Calvinianæ Genevensi. Eandem defendunt Thesim alii Theologi & Metropolitani Ecclesiæ Orientalis ut refertur in l. 4. perpetuitatis fidei anno 1713. a Domino Rainaudeau, eruditissime elaborato. Ibi enim vir ille supra modum in disciplina Græcorum versatus, refert Ecclesias Orientales, videlicet Græcorum, Nestorianorum, Jacobitarum, Æthiopum credere quidem impios pęnis deputari æternis, ab iis tamen liberari posse, si deprecationibus, sacrificiisque fiat satis justitiæ, & provocetur pro illis miseris misericordia. Confirmatur 2. Mach. 12. Judas præcepit sacrificia offerri pro iis qui ceciderant in prælio quorum multos fuisse reprobos non obscure indigitat Scriptura, cum & idola colerent. Sic enim habetur versu 43. *Facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum* ... Et versu 40. *Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, a quibus lex prohibet Judæos : omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc caussam eos corruisse*. Ecce Judæi qui in flagranti idololatriæ delicto corruunt, & tamen pro iis reprobis funduntur preces, sacrificia offeruntur. Ergo, &c.

Respondeo 1. David potuisse orare pro requie animæ Saulis, similiter & Judam Machabæum pro iis omnibus qui ceciderant in prælio offerre sacrificia, quandoquidem quilibet in ultimo spiritus positus, potest in ictu oculi elicere actum contritionis interiorem qui ad justificandum hominem in veteri lege sufficiebat, immo & impræsentiarum, si votum confessionis annexum habeat. Igitur licitum, immo & pium est orare pro mortuis quos pie defunctos credere possumus, maxime cum Ecclesia non judicet de internis.

Respondeo 2. distinguendo : David cum suis lamentatus est Saulem, concedo ; deprecatus est pro requie ejus animę, nego. Legitur quidem pium regem ingemuisse de morte Saulis tametsi illi plurimum ad-

adversantis, doluisse quod violentas manus sibi inferri expostulasset, & in signum doloris sua scidisse vestimenta, immo a cibo abstinuisse per aliquod tempus, sed altum est silentium de oratione susa pro refrigerio animæ Saulis; sic enim habetur versu 11. *Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo. Et planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam super Saul, & super Jonathan filium ejus, & super populum Domini, & super domum Israel, eo quod corruissent gladio.* Rursus versu 24. *Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.* Et iterum versu 25. *Quomodo ceciderunt fortes in prælio?* Versu 27. *Quomodo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica?* Si quis vero contendere velit David orasse etiam pro refrigerio animæ Saulis, dicendum est & hoc fieri potuisse propter rationem in prima responsione laudatam.

Ad auctoritatem vero ex libro secundo Machabæorum desumptam, utique distinguimus. Judas præcepit sacrificium offerri pro iis qui cum pietate obdormierant in Domino, concedo; pro aliis quos in peccatis idololatriæ defunctos esse constabat, nego. Sic enim habetur: *Duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam efferri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiose cogitans; nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis, & quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.*

Jam vero ad faciendum satis confirmationi ex recentiorum Græcorum auctoritate desumptæ, dicimus nullam in hoc momento fidem eis deberi. Et vero quamvis in doctrina orthodoxa septem Sacramentorum perseverent, alios nihilominus habent nævos. Primo quidem nefando schismati pertinaciter adhærentes abstinent ab Ecclesia Romana sola Apostolica & Sancta, quinimmo & avulsi sunt a fide quoad dogma Spiritus sancti quem a solo Patre procedere incassum & absque fundamento propugnant. Quid plura? Patres Græci primorum sæculorum omni exceptione majores dilucide prædicant nullam esse in inferno redemptionem, ut damnati tum a peccatis, tum a pœnis solvantur. Quinimmo hanc fidem tenebat Ecclesia Orientalis in Concilio Florentino, in quo quidem ad unionem concludendam, nulla circa hoc momentum emersit difficultas, cum & in hoc plene & simpliciter Ecclesiæ Romanæ consociarentur Græci. Igitur cæcutiunt Græci recentiores cum proprio motu pœnas damnatorum finem habere posse ventilant.

Fit satis Objectionibus quas ex auctoritate novi Testamenti depromere solent Sociniani.

Objiciunt 1. multa Evangelistarum loca quæ videntur saltem Christianos a pœnis æternis eximere, ut illud Marci ultimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*; & istud Joannis 6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Igitur vel Christiani nullo modo damnabuntur, vel si in infernum detrudantur, ad tempus solum detrudi concludendum est, quod quidem innuere videtur Glossa super illud Isaiæ 14. *Tu autem projectus es, &c.* dicit enim; " & si omnes animæ aliquando ,, habebunt requiem, tu numquam. ,, Loquitur de diabolo quem excipit a pœnis temporaneis. Igitur secundum Glossam, cæteræ reproborum animæ, tandem aliquando a pœnis consequentur liberationem.

Respondeo negando etiam Christianos a pœnis æternis solvendos esse, sententia quippe a Christo judice supremo pronuntianda contra omnes reprobos, hæc erit, & quidem absque ulla restrictione, Matth. 25. 41. *Discedite a me maledicti in ignem æternum.* Ad primam probationem distinguo; qui crediderit fide per dilectionem operante & usque in finem, concedo: si non perseveraverit in fide, nego. Unde Matth. 7. habetur: *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est.* Igitur fides sine operibus mortua est, ut ait B. Jacobus c. 2. 20. Et iterum alia Scriptura, Matth. 16. 22. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Quamobrem ad aliam aucto-

auctoritatem in contrarium a Socinianis adductam, similiter respondeo distinguendo; qui manducat digne & perseveranter carnem Christi, vitam habet æternam, concedo; qui non perseverat in fide & probis moribus, nego. Hoc ipsum denotat Apostolus 1. Cor. 11. cum ait: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*. Addo ista duo momenta ex Evangelistis desumpta, ad solos viatores dirigi. Unde pro liberatione damnatorum perperam adducuntur a Socinianis.

Ad confirmationem ex Glossa desumptam, distinguo; & ibi fit exaggeratio concedo; & non fit, nego. Glossa ostendit magnitudinem seu gravitatem peccati diaboli tantam esse, ut si cæterorum reproborum animæ a pœnis haberent aliquando requiem, non tamen ipse, quippe qui fuerit omnium prævaricatorum dux & caput. Hæc responsio colligitur ex D. Thoma, qui ibidem q. 99. ar. 3. sic Glossam interpretatur: *Dicendum*, inquit, *quod Glossa illa non loquitur simpliciter, sed sub hypothesi impossibilis, ad exaggerandum peccati magnitudinem ipsius diaboli*.

Opponunt 2. multa alia loca quæ videntur favere illis reprobis qui erga proximum quondam fuerunt misericordes, ut & ipsi tametsi in inferno conclusi, inde transmeare queant. Sic Matth. 5. habetur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Ibidem c. 25. misericordes ibunt in vitam æternam, nusquam vero immites. *Esurivi*, dicit Christus, *& non dedistis mihi manducare ... Sitivi, & non dedistis mihi potum*. Postea subdit: *Ibunt hi in supplicium æternum, Justi autem in vitam æternam*. Rursus 1. Tim. 4. " Pietas ad omnia utilis est, ,, dicit Glossa Ambrosii: " omnis summa disciplinæ Christianæ in misericordia & pietate est, quam aliquis sequens, si lubricum carnis patiatur, sine dubio vapulabit, sed non peribit: Si quis autem solum exercitium corporis habuerit, perennes pœnas patietur. ,, Igitur illi qui insistunt operibus misericordiæ, & tamen peccatis carnalibus detinentur, æternas non luent pro delictis pœnas.

Respondeo illas & similes auctoritates solummodo intelligi de viatoribus qui opera misericordiæ cum fide & amoris Dei motivo exercent, quod sane indigitat Matthæus dicens: *Beati misericordes*, quomodo vero Beati? nisi per charitatem agant & operentur, sicut ipse Christus dicit Joann. 14. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Hinc & Discipulus dilectus 1. Epist. ait: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Hoc ipsum insinuat Paulus 1. Tim. dum ait: *Pietas ad omnia utilis est*. Porro pietas in summo Dei amore tota sita est, hanc enim sic delineat S. Thomas, voluntas prompta faciendi ea quæ sunt circa cultum divinum.

Respondeo 2. in forma sic distinguendo; qui opera misericordiæ cum fide & dilectione ad finem usque patrant, pœnas non incurrent æternas, concedo; qui non perseverant in fide & dilectione Dei, nego. Christus exaltat quidem opera misericordiæ, verum & cætera alia præmiabit: ita tamen ut nusquam sit apud inferos redemptio.

Ad Glossam Ambrosii respondet D. Thomas ibidem q. 99. ar. 5. ad 4. his verbis: " Dicendum, quod Glossa Ambrosii loquitur de lubrico venialis peccati, a quo aliquis post purgatorias pęnas, quas vapulationem dicit, per opera misericordiæ absolvetur. Vel si loquatur de lubrico mortalis peccati, est intelligendum quantum ad hoc quod adhuc in vita ista existentes illi, qui ex fragilitate in carnalia peccata incidunt, per opera misericordiæ ad pęnitentiam disponuntur. Unde talis non peribit, id est, disponetur per talia opera ad non pereundum, gratia introducta a Domino, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Objiciunt 3. qui conclusit omnes in incredulitate, ut omnium misereatur, certe non vult etiam impiissimos ęternis affici suppliciis: atqui ex Apostolo Rom. 11. 32. res ita se habet: *Conclusit enim*, inquit, *Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur*. Igitur pœnæ non sunt æternæ etiam pro impenitentibus.

Respondeo Apostolum ibi loqui de vocatione Gentilium ad fidem, quos quidem,

dem, non obstante incredulitate & infidelitate, Deus substituit loco perfidorum Judæorum; verum nullo modo dicit damnatos ad tempus tantum in inferno torqueri. Ita Augustinus Comment. in Epist. ad Rom. Estius in 4. Sent. D. Thomas hic art. 2. his verbis: " Dicendum, ,, quod ibi intelligenda est distributio pro ,, generibus singulorum, & non pro ,, singulis generum, ut intelligatur au- ,, ctoritas de hominibus secundum statum ,, viæ, qua scilicet & Judæorum & Gen- ,, tilium misertus est, sed non omnium ,, Gentilium, vel omnium Judæorum. ,, Addo secundum Doctoris Angelici mentem S. Paulum sermonem instituere tantummodo pro viatoribus: quæstio vero præsens movetur de damnatis in lacu inferiori conclusis, ex quo transmeare ad locum amœniorem nusquam fas erit & licitum.

Instans; atqui etiam damnati tandem aliquando liberabuntur e puteo abyssi: ergo nulla solutio. Probatur antecedens ex eodem Apostolo 1. Cor. 3. *Si cujus opus*, ait, *arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Igitur qui sunt in igne inferni, ab eo liberari possunt.

Respondeo negando subsumptum: ad probationem distinguo; & Apostolus loquitur de animabus quæ in Purgatorio ultimate probantur ut a reliquiis tum pœnæ, tum venialium mundentur, nihil quippe coinquinatum intrabit in regnum cœlorum, concedo; & loquitur de igne loci abyssi, nego. Nomine inferorum intelliguntur & limbi, ubi Patres antiquæ legis in sinu Abraham requiescentes, expectabant beatam spem, & adventum Domini qui illis aperiret cœlos, & Purgatorium in quo animæ Justorum justitiæ divinæ faciunt satis pro peccatis nondum sufficienter expiatis, vel etiam pro purgandis omnino venialibus delictis. Apostolum loqui de istis patet ex ipso ejus contextu, quippe qui agat de iis hominibus qui ædificaverunt super fœnum & stipulam, hoc est, qui quædam patrarunt, non quidem contra Deum, sed præter Deum. Sic sancti Doctores illam interpretantur Scripturam: audire juvat de hoc momento S. Thomam qui hic q. 99. ar. 4. sic solvit difficultatem. " Dicendum, quod ,, fundamentum in verbis Apostoli intel- ,, ligitur fides firmata, super quam qui ,, peccata venialia ædificaverit, detrimen- ,, tum patietur: quia pro eis punietur a ,, Deo: ipse tamen salvus erit finaliter, ,, quasi per ignem vel temporalis tribula- ,, tionis, vel pœnæ purgatoriæ quæ post ,, mortem erit. ,,

Respondetur ad Objectiones Socinianorum ex ratione prodeuntes.

Objiciunt 1. Providentia Dei nihil frustra molitur & facit; sed si homines aliqui perirent, frustra aliquid operaretur Providentia: namque omnes ad finem ordinavit supernaturalem, quo tamen in hypothesi æternitattis pœnarum privarentur: igitur pœnæ damnatorum finem habebunt. Concinit D. Anselmus qui l. 1. cur Deus homo c. 4. ait: *Non est justum, ut Deus creaturam, quam fecit ad beatitudinem, omnino perire sinat.*

Respondeo concessa majore, distinguendo minorem: si certe quidem perirent, providentia suo careret effectu & fine particulari, concedo; universali, nego. Duplex distinguitur finis providentiæ: alter particularis, generalis alter. Primus est quod singuli homines salventur, sed ex jure libertatis quam cuilibet relinquit, potest impediri ejusmodi effectus: secundus qui & generalis seu potius finis primarius dicitur est gloria Dei, hunc autem in omnibus, immo & in reprobis Deum habere finem constat, quia in his exaltatur justitia: igitur providentia nusquam suo privatur fine principali; quinimmo, aliquem reprobum privari beatitudine, est hominem, nusquam vero providentiam, suo frustrari fine.

D. Thomas hic q. 99. ar. 2. respondet ad confirmationem objectionis ex auctoritate D. Anselmi desumptam: " Dicen- ,, dum, *inquit*, quod Anselmus intelli- ,, git non esse justum quantum ad decen- ,, tiam divinæ bonitatis: Et loquitur de ,, creatura, secundum genus suum. Non ,, enim est conveniens divinæ bonitati, ,, ut totum unum genus creaturæ deficiat ,, a fine, propter quem est factum. Un- ,, de nec omnes homines, nec omnes An- ,, gelos damnari convenit, sed nihil ,, prohibet quin aliqui vel ex homini- ,, bus, vel ex Angelis in æternum pe-

„ reant : quia divinæ voluntatis intentio „ impletur in aliis qui salvantur . „

Instant ; non est justum creaturam in æternum cruciari pro momentaneo quod delectat : quandoque enim peccatum in actu transitorio & instantaneo situm est. Ergo, &c.

Respondeo distinguendo, si peccatum sit transitorium tam moraliter, quam physice, concedo; si sit transitorium tantummodo physice, nego. Non diffitemur actum peccaminosum physice spectatum sæpius in instanti transire, sed manet in affectu, nam peccator & avertitur a fine ultimo, & beatitudinem in creatura ita constituit, ut illam tanquam Deum & summum bonum habeat, ita ut cupiat illam in æternum possidere juxta illud Christi Luc. 12. 34. *Ubi enim Thesaurus vester est, ibi & cor vestrum*. Hanc voluntatem attendit ipsa justitia humana, quæ pro homicidio, vel alio in instanti patrato delicto morte punit prævaricatorem, & de medio societatis pro semper tollit. Ad hanc a fortiori spectat justitia divina, maxime cum peccatum mortale sit contra Deum Optimum Maximum infinita offensa : quid mirum igitur, si reprobus pęnas æternas luat pro peccato mortali? nam peccatum est infinitæ malitiæ, immo & secundum affectum peccantis perpetuum & quodam modo æternum est, cum & in æternum in creatura contra legem delectari & velit & cupiat prævaricator. Solutio est D. Thomæ qui hic q. 99. ar. 1. asserit pęnam respondere culpæ, non secundum quantitatem temporis in quo patratur delictum, secundum intentionem acerbitatis.

Divus Augustinus l. 21. de civ. c. 11. sibi proponit difficultatem, illamque clare & diserte admodum solvit his verbis: “ Sic autem quidam eorum, contra quos „ defendimus civitatem Dei, injustum „ putant, ut pro peccatis quamlibet magnis, parvo scilicet tempore perpetratis, pęna quisque damnetur æterna . . . . . . octo genera pœnarum in „ legibus esse scribit Tullius, damnum, „ vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, servitutem . . . Quid in vinculis? numquid „ tamdiu quisque judicandus est, esse debere, quandiu fecit unde meruit alligari, cum iustissime annosas pœnas „ servus in compedibus pendat, qui verbo aut ictu celerrime transeunte vel „ lacessivit dominum, vel plagavit? Jam „ vero damnum, ignominia, exilium, „ servitus, cum plerumque sic infligun„tur, ut nulla venia relaxetur, nonne „ pro hujus vitæ modo similia pœnis vi„dentur æternis? Ideo quippe æterna „ esse non possunt, quia nec ipsa vita „ quæ his plectitur, porrigitur in æter„num : Et tamen peccata, quæ vindi„cantur longissimi temporis pœnis, bre„vissimo tempore perpetrantur, nec „ quisquam extitit qui censeret tam cito „ nocentium finienda esse tormenta, quam „ cito factum est vel homicidium, vel „ adulterium, vel sacrilegium, vel quod„libet aliud scelus, non temporis lon„gitudine, sed iniquitatis & impietatis „ magnitudine metiendum. Qui vero „ pro aliquo grandi crimine morte mul„ctatur, numquid mora qua occiditur, „ quæ perbrevis est, ejus supplicium le„ges æstimant, & non quod eum in „ sempiternum auferunt de societate vi„ventium? Quod est autem de ista ci„vitate mortali homines supplicio pri„mæ mortis, hoc est de civitate illa „ immortali homines supplicio secundæ „ mortis auferre. Sicut enim non effi„ciunt leges hujus civitatis, ut in eam „ quisque revocetur occisus : sic nec il„lius ut in vitam revocetur æternam se„cunda morte damnatus. „

Insistunt : Punire pœna æterna peccatum transitorium est contra legem divinam. Ergo &c. Probatur antecedens duplici legis oraculo. Primo quidem Deuter. 25. habetur. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*. Igitur pęna non debet excedere culpam : porro culpa est ut plurimum momentanea etiam in affectu, sic qui vino inebriatus est, non solum vinum definit appetere, sed & oblatum abnuit. Secundo, Lucæ 6. 38. legitur : *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis*. Sed mensura peccati est finita, quandoquidem conversio ad creaturam est solum ad tempus. Igitur debet esse & pęna.

Respondeo negando sequelam propter rationes supra allatas. Ad primam probationem distinguo, pro mensura peccati quoad affectum erit plagarum modus, con-

concedo : pro mensura peccati tantum physice sumpti, erit plagarum modus, nego. Peccatum puniri & physice & moraliter spectatum præcipit lex, secundum physicum quidem juxta illud Exodi 21. 24. *Oculum pro oculo, dentem pro dente*. Secundum morale vero, sed fortius, quia formaliter in affectione cordis ad creaturam & in aversione a Deo consistit: immo inest Dei contemptus in actu peccati, & prævaricator creaturam in qua suum ponit finem ultimum pro semper possidere desiderat. Sic censet D. Gregorius & sic pronuntiat l. 34. Moral. c. 11. nam super illud Job 41. *Æstimabit abyssum quasi senescentem*, dicit: Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt: voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in suis iniquitatibus permanere, nam magis appetunt peccare quam vivere. Unde ad id quod in instantia dicitur culpam momentaneam esse, respondeo eam esse in esse physico, minime vero in esse morali & secundum peccantis affectum. Ad exemplum in probationem allatum, similiter distinguo: Ebrius non appetit amplius actu & pro tunc vinum, concedo; habitu, nego. Ita enim ad vinum affectus manet, ut si posset, iterum atque iterum, immo & semper biberet: quod igitur vinum abnuat, est prorsus per accidens & propter stomachi jam pleni & redundantis physicam incapacitatem, juxta illud tritum Philosophorum axioma, *intus existens, prohibet extraneum*.

Ad secundam probationem ex alia & simili lege desumptam, utique distinguo; in qua mensura formaliter spectata mensi fueritis, remetietur vobis, concedo; in qua mensura materialiter tantum considerata, nego. Peccatum formaliter sumptum est mensura pęnæ remetiendæ, cum autem consistat in affectu inordinato, eoque fixo & permanenti ad creaturam, profecto ei respondere debet pęna infinita quoad durationem. Potest etiam dici, legem loqui de judicibus malis qui innoxios impune damnant, & velle damnum injuste illatum proximo perversis judiciis, pęna talionis refundi in judicem. Uterque sensus & utraque solutio est Augustini qui l. 21. de civ. c. 11. sic explicat & interpretatur legem: *Quomodo ergo verum est*, inquiunt, *quod ait Christus vester, in qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis, si temporale peccatum supplicio punitur æterno?* Hac proposita objectione sic respondet S. Doctor: " Nec attendunt „ non propter æquale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali, idest, ut qui mala fecerit, mala patiatur, eandem dictam fuisse „ mensuram, quamvis hoc in ea re proprie possit accipi, de qua Dominus „ cum hoc diceret, loquebatur, idest, „ de judiciis & condemnationibus. Proinde qui judicat & condemnat injuste, „ si judicatur & condemnatur juste, in „ eadem mensura recipit, quamvis non „ hoc quod dedit. Judicio enim fecit, „ judicio patitur: quamvis fecerit damnatione, quod iniquum est, patiatur „ damnatione quod justum est.

Persistunt. Atqui peccatum mortale formaliter & secundum peccantis affectum finitum est: igitur pęna utique finita esse debet, etiam ut respondet peccantis affectui. Probant antecedens multipliciter. Primo quidem quia omnis actus malus etiam formaliter sumptus habet malitiam intrinsece tantum finitam, quippe qui sit solum objective & extrinsece infinitus, videlicet propter objectum seu personam infinitæ dignitatis læsam. 2. Duorum peccatorum unum est sæpe altero majus & gravius: igitur neutrum est infinitæ malitiæ, & acerbitatis, alias omnia peccata mortalia forent æqualia, siquidem infinito non datur quid majus: jam vero si peccatum mortale malitiam tantummodo finitam habet, profecto debetur ei pęna utique solummodo finita, tum in se, tum etiam in duratione.

Respondeo negando subsumptum: ad probationem distinguo; actus malus est finitæ malitiæ si active sumatur, concedo; si passive, nego. Peccatum mortale ut est actus physicus & vitalis est finitus, immo & moraliter spectatus, quatenus est tendentia ad objectum regulis dissonum, conatus quippe voluntatis est finitus, unde peccatum nonnisi objective & extrinsece prout offendit Deum qui est objectum læsum, infinitum est: at vero si passive sumatur, & quatenus injuria, quodammodo recipitur in Deo qui est læsus & offensus, ex hac parte infinitam contrahit

trahit malitiam, namque juxta Summistarum axioma, honor est in honorante, injuria vero in offenso, ex quo fit dignitatem personæ læsæ aggravare injuriam, istam crescere juxta ejus qualitatem; cum autem, inquit D. Thomas, persona per peccatum læsa sit infinita majestas, infinita utique est peccati malitia: igitur illi debetur pœna saltem in duratione infinita seu æterna, maxime vero quia prævaricator affectum habet veluti infinitum erga creaturam, quam vult, si fieri posset, perpetuo & in æternum possidere, hæc enim lex est posita, Apoc. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.*

Ad secundum, distinguo: peccata sunt inæqualia intensive & active sumpta, concedo; est enim conatus in creaturam & objectum dissonum quandoque major, quandoque etiam minor, & ideo pœna in quantitate respondet secundum magis & minus. Peccata sunt inæqualia passive spectata, nego. Omnia quippe in hoc conveniunt puncto, quod infinitam offendant majestatem, unde quodlibet mortale malitiam habet infinitam; quia tamen injuria passive considerata ex majori vel minori conatu in creaturam mensuratur, tunc enim est major Dei contemptus, unum peccatum utique potest dici in aliquo sensu etiam passive altero majus, nec ullum inde sequitur absurdum, quamvis enim infinito physico non detur majus, bene vero infinito morali, namque infinitum morale est relativum, & per ordinem ad aliud desumitur & mensuratur: igitur cum infinitas peccati desumatur a Majestate divina læsa, quæ quidem quandoque remissius, quandoque etiam fortius impetitur & læditur: offensa consequenter modo major, modo etiam minor est: attamen semper in gravitate infinita, unde & pœna pro peccato mortali quocumque æterna debetur.

Hæc egregia solutio colligitur ex D. Augustino, qui l. 4. de Baptismo c. 19. n. 26. ait: " Nec dubitandum est quidem ipsas pœnas quibus cruciabuntur qui regnum Dei non possidebunt, pro diversitate criminum esse diversas, & alias aliis acriores, ut in ipso igne æterno, pro disparibus ponderibus peccatorum, sint disparia tormenta pœnarum: neque enim frustra ipse Dominus dicit, tolerabilius erit Sodomis quam vobis in die judicii. Sed tamen ad non possidendum regnum Dei, tantumdem valet ex vitiis illis quod elegeris mitius, quantum vel plura, vel unum quod perspexeris gravius." D. autem Thomas hic q. 99. ar. 1. ad 2. sic respondet ad instantiam. " Dicendum, quod quantitati respondet qualitas pœnæ secundum intensionem, & ideo peccatorum mortalium inæqualium, erunt pœnæ inæquales intensione, æquales autem duratione."

Urgent. Deus operatur in omnibus propter finem: sed non potest intendere directe & per se pœnam physice æternam propter peccatum mortale solummodo moraliter infinitum in malitia: igitur peccato etiam ut est offensa infinita, non debetur pœna realiter & physice æterna, qualis asseritur & assignatur a Catholicis. Probatur minor multiplici ratione. 1. Quia pœna excederet delictum, quandoquidem offensa moraliter solum & affective est infinita, pœna vero foret realiter & physice quoad durationem infinita. 2. Pœna quæ solum ad correctionem infligitur, intenditur primario & per se ab agente in quantum cedit in bonum illius cui imponitur: ergo non debet esse æterna, alias ad corrigendum nihil inserviret. 3. Pœna est eorum quæ per accidens evenire censentur, quandoquidem teste B. Augustino Deus ex se bonus est, ex nostro vero tantum justus justitia vindicativa; porro quod est per accidens, non est per se volitum, adeoque non debet esse æternum.

Respondeo 1. Deum intendere pœnam physicam, quandoquidem est bonum, nedum solius justitiæ quæ in ea plurimum relucet, sed etiam & sanctitatis, & bonitatis, cæterorumque attributorum quibus competit propellere sibi contraria: porro peccator offendit Deum in omnibus. Impius offendit in sanctitate, ingratus, in bonitate; furiosus, in mansuetudine; crudelis, in charitate. Igitur omne quod est Deus, pugnat contra peccatores, eorumque exigit punitionem, unde scriptum est Eccli. 12. 4. *Impiis & peccatoribus reddet vindictam*. Rursus Amos 3. 6. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.*

Respondeo 2. negando minorem propter ra-

rationes allatas. Ad primum, dictum est pœnam non excedere, quia est infinita solum in duratione, finita vero in quantitate, adeoque & physice. Ad secundum, dico pœnam damnatorum recte quidem ordinatam esse, videlicet ad justam vindictam, vel etiam ad correctionem viatorum, ut metu supplicii abstineant a peccatis. Ad tertium, ultro fatemur reproborum pœnam esse præter intentionem primariam & antecedentem Dei qui vult, in quantum in se est, omnes homines salvos fieri, sed non præter intentionem secundariam & consequentem. Enimvero Deus, omnibus ponderatis circumstantiis, vult malos perdere & punire, quia ipsi voluerunt semper peccare. Unde sic concludit D. Thomas hic tr. 1. *Dicendum, quod quamvis pœna per accidens respondeat animæ, tamen per se respondet animæ culpa infectæ: & quia culpa in perpetuum in ea manebit, ideo etiam pœna erit perpetua.*

Objiciunt denique multas historias tum de pueris qui sine baptismo e vita discesserunt, & postea ad vitam miraculose revocati baptizati sunt, qui iterum & denuo mortui in pace Christi requieverunt; tum de adultis qui impii mortui, sed postea exsuscitati, pie obdormierunt in Domino. Igitur illi omnes soluti sunt ab inferno; igitur pœnæ non sunt æternæ.

Respondeo ad hæc & similia, animas defunctorum quos in sua præscientia exsuscitandos prævidit Deus, in aliquo fuisse asservatas loco ab inferis distincto, donec revocarentur ad vitam, ut pueri v. g. baptismo initiati, alii vero virtute Sacramenti Pœnitentiæ ad Deum conversi, omnes in gratia morerentur: Et sic non sequitur aliquem reprobum educi ab inferno, nulla quippe ibi est redemptio. Perperam igitur Sociniani ut passionibus indulgeant, pœnas damnatorum esse æternas simpliciter Scripturas Patrumque auctoritate flocci faciendo, negant.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Pœna damnatorum sunt æterna.

Primo. Hoc conclamant Prophetæ, hoc Evangelistæ, hoc Apostoli in suis vicissim Epistolis. Hoc ipse Christus, *Ite maledicti in ignem æternum*.

Secundo. Eidem stupendæ veritati subscribit traditio quæ sententiis Patrum firmatur: sic docent Clemens Romanus l. 4. recog. Justinus Apol. 2. Tertullianus Apol. c. 28. Hilarius, Augustinus, &c.

Tertio. Suffragatur ratio in jure fundata. Enimvero peccatum mortale habet malitiam infinitam moralem, quatenus infinitam lædit Majestatem, juxta illud tritum axioma Summistarum, honor est in honorante, injuria in offenso: Igitur inducit reatum pœnæ infinitæ, si non in se, saltem quoad durationem.

SYNOPSIS RESPONSIONUM

AD DIFFICULTATES.

Objiciunt Sociniani multa in contrarium, ut æternitatem pœnarum pro reprobis exsufflent, asseruntque pœnam damnatorum non esse æternam. 1. Quia Deus omnium miseretur: 2. Quia est contra justitiam momentaneum peccatum pœna puniri æterna. 3. Quia peccatum quantumvis grave, etiam moraliter est quid finitum intrinsece. Igitur non debetur pro illo pœna simpliciter æterna.

Respondetur ad primum, non adjiciet ultra misereri Deus reproborum. Ad secundum, peccatum est secundum peccantis affectum continuum: Etvero obstrepit peccator, eo quod creaturam in æternum possidere non queat. Ad tertium, peccatum lethale active spectatum est quidem intrinsece finitum, sub isto quippe respectu est tendentia realis ad objectum regulis morum dissonum secundum potentiæ vitalis conatum qui est finitus. At vero passive consideratum, est infinitum simpliciter in esse morali, quatenus est injuria personæ & majestati infinitæ illata; igitur ex hac parte pœna æterna pro peccato debetur.

CONCLUSIO

Tractatum de Deo uno, ejusque proprietatibus.

TAMETSI errores & Atheorum, & Hæreticorum validissimis maneant con-

confutati rationibus ex his quae fuso calamo scripsimus, quia tamen multi aut fucatis praeventionibus, aut passionibus intellectum obtenebrantibus irretiti, non cedunt veritati; immo in suam propriam perniciem abeunt in adinventionibus suis, unum pro coronide cum S. Augustino subnotare juvat, ut lux, si fieri potest, illorum illucescat mentibus: videlicet perutile esse credere: primo quidem Sacrae Scripturae, deinde Traditioni, postea viris & virtute, & doctrina omni exceptione majoribus: denique ipsi rationi his omnibus stipatae monumentis, sin minus, quot capita, tot erunt promiscuae religiones.

Hoc ipsum observat S. Augustinus in libro de utilitate credendi, ubi perstringit Manichaeos qui proprio adhaerentes sensui, & vetus Testamentum, & omnem veram abjiciebant religionem. Eo loci quasdam statuit S. Doctor regulas, quibus pro certo veritas indagatur.

Prima est, Sacram bene intelligere Scripturam, quod fit quatuor modis, 1. illam suscipiendo ut a Deo emanatam, 2. juxta aetiologiam, cum ostenditur quid, qua de causa vel factum, vel dictum sit, 3. juxta analogiam, cum demonstratur non sibi adversari duo Testamenta. 4. juxta allegoriam, cum docetur non ad litteram esse accipienda quae scripta sunt, sed figurate intelligenda, ita cap. 3. Num. 5.

Secunda, non esse credendum de Scripturis ea, quae ipsarum Scripturarum inimici traduut, cap. 6. Num. 13.

Tertia, necesse esse veram quaerere religionem, cap. 7. Num. 14.

Quarta, temerarium esse credere veram religionem absurda docere. Ibidem Num. 17.

Quinta, cum inquiritur vera religio, sumendum esse exordium a Catholica Ecclesia, quae viros & scientia & sanctitate omni exceptione majores, quibus certe fides adhibenda est, complectitur. Ibidem Num. 18. Ipse testatur Augustinus hac methodo ad fidem pervenisse: cum enim in antiquorum Philosophorum, maxime Academicorum sententiis inveniret difficultatum sylvam a quibus solvi non poterat, ab Ambrosio veritatem accepit: sic scribit c. 8. N. 20.

Sexta, nihil vitii esse in fide: & si vituperabilis est qui de omnibus dubitat, profecto laudabilis qui sapienter credit cap. 9. Num. 22. maxime cum pauci admodum idonei sint, ut ratione exquisita ad veritates religionis gradum possint facere: ita cap. 10. Num. 24. & cap. 21. Num. 25. quod quidem confirmat experimento quotidiano filiorum, qui tales vel tales pro parentibus habent, tametsi in hoc soli matri, & obstetricibus credere teneantur, cap. 16. Num. 26. ex quo infert tutissimum esse obtemperare sapientibus ibidem. Num. 27. & Num. 29. Religionem non recte quaeri nisi esse credatur: Pro isto momento audiendum esse Christum, qui exigit ab omnibus fidem. Joannis 14. 1. his verbis: *Credite Deo*, *& mihi credite*. Quandoquidem ejus auctoritas partim miraculis, partim sequentium multitudine constituta & confirmata est cap. 15. Num. 33. 34.

S. Augustinus cap. 9. Num. 21. perstringit haereticos contraria sentientes, & sic loquitur: " Ridiculum, inquis, „ istud est, cum omnes hanc se profiteantur tenere, ac docere. Profitentur „ hoc omnes haeretici, negare non possunt, sed ita ut eis quos illectant rationem se de obscurissimis rebus polliceantur reddituros: eoque Catholicam „ maxime criminantur, quod illis qui „ ad eam veniunt praecipitur ut credant; „ se autem non jugum credendi imponere, sed docendi fontem aperire gloriantur. Quid, inquis, dici potuit „ quod ad eorum laudem magis pertineret? non a te est, hoc enim faciunt „ nullo robore praediti, sed ut aliquam „ concilient multitudinem nomine rationis, qua promissa naturaliter anima „ gaudet humana, nec vires suas valetudinemque considerans, sanorum escas „ appetendo, quae male committuntur nisi „ valentibus, irruit in venena fallentium. „ Nam *vera religio*, nisi credantur ea quae „ quisque postea, si se bene gesserit, dignusque fuerit, assequatur atque perficiat, omnino, SINE QUODAM „ GRAVI AUCTORITATIS IMPERIO INIRI RECTE NULLO PACTO POTEST. „

Denique cap. 18. Num. 56. aureis istis verbis sic concludit & sic Honoratum alloquitur: " Quamobrem si quid te vel ra-

„ ratio, vel oratio nostra commovit, & „ si veram, ut credo, curam tui geris; „ velim me audias, & bonis præceptoribus Catholicæ Christianitatis te pia „ fide, alacri spe, simplici charitate „ committas: Deumque ipsum, cujus „ unius & bonitate facti sumus, & ju„stitia pœnas luimus, & clementia li„beramur, orare non cesses. Ita tibi „ neque præcepta & disputationes do„ctissimorum hominum, & vere Chri„stianorum, neque libri, neque serenæ „ ipsæ cogitationes defuerint, quibus fa„cile quod quæris invenias; nam istos „ verbosos & miseros (quid enim aliud „ mitius dixerim?) penitus desere: qui „ dum nimis quærunt unde sit malum, „ nihil reperiunt nisi malum. „

FINIS.

Si quid erroris, tametsi involuntarie, in istis de Deo uno ejusque attributis Tractatibus irrepserit, hoc ipsum toto mentis affectu retracto, & uti non scriptum habeo. Cuncta quoque ea qua par est reverentia sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ judicio, omni seclusa mentis restrictione, committo & subjicio.

CANONES

CONCILII CARISIACI.

De Prædestinatione.

I.

Quod una tantum sit prædestinatio Dei.

DEUS Omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in Paradiso posuit, quem in sanctitate justitiæ permanere voluit. Homo libero arbitrio male utens peccavit & cecidit, & factus est massa perditionis totius generis humani. Deus autem bonus & justus elegit ex eadem massa perditionis, secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad gratiam, & vitam illis prædestinavit æternam: Cæteros autem, quos justitiæ judicio in massa perditionis reliquit, perituros præscivit, sed non ut perirent prædestinavit: pœnam autem illis, quia justus est, prædestinavit æternam. Ac per hoc unam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ.

II.

Quod liberum hominis arbitrium per gratiam sanetur.

Libertatem arbitrii in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus: & habemus liberum arbitrium ad bonum præventum & adjutum a gratia, & habemus liberum arbitrium ad malum, desertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum.

III.

Quod Deus omnes homines velit salvos fieri.

Deus Omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum: quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.

IV.

Quod Christus pro omnibus hominibus passus sit.

Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit, homo, pro quo passus non fuerit; licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur. Quod vero omnes passionis ejus mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem & pretii copiositatem, sed ad infidelium, & ad non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, respicit partem, quia poculum humanæ salutis, quod confectum est infirmitate nostra, & virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur.

CA-

CANONES

CONCILII SEPTIMI GENERALIS

Contra Iconomachos.

I.

VENERANDAS Imagines veneramur. Qui sic non credunt, anathema. Qui aliter sentiunt, longe ab Ecclesia abjiciantur.

II.

Nos venerandas Imagines salutamus. Nos, qui sic nolunt, anathemati subjicimus.

III.

Qui sacras Imagines idola vocant, anathema.

IV.

Qui communionem habent cum iis qui sanctas Imagines rejiciunt aut contemnunt, anathema.

CANONES

CONCILII TRIDENTINI.

De libero Arbitrio, & Praedestinatione. Sess. 6.

I.

SI QUIS dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet; neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.

II.

Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; anathema sit.

III.

Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, & per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judae quam vocatio Pauli; anathema sit.

IV.

Si quis justificationis gratiam nonnisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate praedestinatos ad malum; anathema sit.

TRA-

TRACTATUS QUINTUS

DE

SANCTISSIMÆ TRINITATIS MYSTERIO.

De hæresibus exortis circa sanctissimæ Trinitatis mysterium.



RIMO LOCO occurrunt Gentiles, qui ignorantes unius Dei existentiam, Trinitatem personarum in unica natura irrident.

Secundo loco: Judæi plebeji, & crassiores, quibus ad cautelam tantum, non explicatum est a Prophetis mysterium, ne ad idololatriam propensi, multiplicitatem Deorum, in Trinitate admitterent.

Tertio loco, circa annum 209. apparuerunt Noetiani a Noeto; Sabellius, a quo Sabelliani; Priscillianus, a quo Priscillianistæ, qui omnes ex unitate naturæ in Deo inferebant unitatem personæ; & si qui sacræ Scripturæ oraculis victi distinctionem personarum agnoscerent, nonnisi ad diversa officia, vel diversos effectus referebant, propugnando quod eadem persona divina ut principium creandi diceretur Pater; eadem prout incarnata, Filius; atque iterum eadem ut sanctificans creaturas, Spiritus sanctus; hinc Deum non Trinum, sed Trino-unum solummodo asserebant; Dicti sunt etiam Patropassiani, quippe qui Patrem passum fuisse non sine ausu temerario prædicarent.

Quarto loco, circa annum 314. impius Arius Presbyter Alexandrinus, docuit Filium processisse quidem a Patre, sed processione tantum ad extra; unde Verbum Divinum tametsi diceret supra omnes creaturas excellentissimum, non tamen Patri consubstantiale usquam dixit. Ab Ario nati sunt Ariani, idest hæretici eamdem sustinentes doctrinam.

Quinto loco, circa annum 360. sub Constantio Imperatore, Macedonius Episcopus CP. docuit de Spiritu sancto, quod Arius dixerat de Filio, scilicet esse creaturam, Angelis quidem superiorem, sed a Patre in tempore productam per Filium, ad conservandum & movendum universum; hinc eum vocabat Dei famulum & Ministrum, omnia quæ Angelis conveniunt illi tribuebat; sed nusquam eum ut personam divinam agnovit.

Sexto loco. Numerantur Semi-Ariani, quorum alii rejiciebant solum nomen consubstantialitatis pacis prætextu, Filiumque ejusdem cum Patre substantiæ, & in natura similem, ita sincere propugnabant, ut quidam etiam pro hac veritate martyrium generose subierint sub Constantio Arianorum fautore. Alii vero nomen consubstantialitatis & realitatem objiciebant, Filium tamen dicebant Patri similem, sed in quo esset ista similitudo, an in natura? an in conformitate tantum voluntatis, qualis est in hominibus justis? non designabant. Pro duce Acacium Cæsariensem Episcopum habebant qui cum Semi-Arianis diu primum conjunctus, ab eis tandem secessit odio Cyrilli Hierosolymitani. Ita colligitur ex sancto Epiphanio hæresi 73. & 74. Porro Semi-Ariani priores baptizabant verbis Evangelicis, e contra vero posteriores.

Septimo loco, circa annum 1555. Michael Servetus Lutheri discipulus docuit nullam esse distinctionem personarum: com-

combustus est Genevæ, jussu Calvini, licet ut fertur, paratus foret suam abjurare hæresim: habuit tamen quosdam sui erroris, & successores, & Ministros in Transilvania.

Eodem tempore, quidam Valentinus Italus asseruit tres esse in Trinitate Personas, seu tres spiritus æternos sed essentiali differentia distinctos; Patrem esse longe eminentiorem cæteris, immo esse solum verum, & summum Deum, solumque essentiatorem; alias vero personas esse essentiatas. Flammis addictus est Bernæ undecimo post Serveti mortem anno, dicendo cæteros Martyres pro Christo occubuisse; se autem mori pro gloria, & eminentia Patris. Habuit in Polonia suæ hæreseos discipulos & fautores.

Ultimo denique loco ponitur Socinus a quo Sociniani; hic hæresi Calviniana primum conspersus ultra progredi non abhorruit, namque anno 1578. docuit nullam esse Trinitatem, Patrem esse solum Deum, Filium meram creaturam, nomine, & honore duntaxat Deum; missum quidem ad salutem hominum, nullam tamen pro eis dedisse satisfactionem; unde multi e suis negant Christum invocandum esse. Spiritum sanctum etiam creaturam dixit, asserens esse duntaxat effectum & virtutem Dei omnipotentis. Anno circiter 1612. Joannes Crellius Cracoviæ in Polonia Minister eosdem renovavit, & docuit errores, immo & cum sectæ suæ discipuli magno applausu, ut legitur in libro suo primo sect. 3. cap. 7. 8. &c. ejus auscultarent doctrinam, hæresis non sine magna animarum pernicie, serpsit ut cancer ubique.

Ex his sequitur quosdam errasse circa existentiam sanctissimæ Trinitatis negando ipsius realitatem; quosdam circa substantiam mysterii, aut confundendo Personas, aut Dei entitatem absurde multiplicantes; quosdam circa personam Patris, dicendo non esse per se Deum, sed divinitatem resultare ex tribus personis veluti ex aggregato per accidens; quosdam circa personam Filii ipsum habendo ut puram creaturam; quosdam circa Spiritum sanctum illum etiam creaturam prædicando; quosdam denique circa Missiones negando Filium a Patre missum.

ORDO TRACTATUS.

His erroribus sequentia opponimus fidei dogmata.

Primum est, datur mysterium sanctissimæ Trinitatis.

Secundum, tres sunt in unica natura divina Personæ subsistentes.

Tertium, prima persona est per se Deus, principium non de principio.

Quartum, Filius est Patri consubstantialis.

Quintum, Spiritus sanctus est verus Deus a Patre a & Filio procedens.

Sextum, datur missio Personarum divinarum.

Sex igitur quæruntur de sanctissima Trinitate, 1. An sit beatissima Trinitas? 2. Quid sit? Qualis Pater? 4. Qualis Filius? 5. Qualis Spiritus sanctus? 6. An Personæ divinæ mittantur, & veniant ad nos.

DISSERTATIO PRIMA.

De existentia sanctissimæ Trinitatis.

Gentiles qui nullum agnoscunt Deum, a fortiori negant Trinitatem Personarum in Deo: Judæi crassiores illam ut plurimum ignorabant; Sociniani tandem unicum sine Trinitate propugnant Deum, sed contra quod dicitur 1. Joan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: Et hi tres unum sunt*.

Dogma de existentia sanctissimæ Trinitatis quatuor argumentis ostenditur.

Primo: Contra Gentiles, quia non repugnat tale mysterium.

Secundo: Contra Judæorum vulgus, quia Patriarchis, & Prophetis revelatum est.

Tertio: Contra Socinianos, quia revelatum est ut aliquid ineffabile, & ideo non est negandum licet rationi sit impervium.

Quarto: Contra Praxeam, Noetum, Sabellium & alios omnes negantes, quia de facto datur.

A R-

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum repugnet dari mysterium sanctissimæ Trinitatis?

CONCLUSIO.

Dicimus contra Gentiles Mysterium sanctissimæ Trinitatis non repugnare.

Probatur multiplici ratione.

PRIMA sic exponitur. Illud mysterium non repugnat, quod non involvit contradictionem: Atqui mysterium sanctissimæ Trinitatis non involvit contradictionem: & probatur, 1. Quia nihil est impossibile apud Deum omnipotentem. 2. Quia teste Augustino, plus de supremo numine cogitare debemus, quam potest capere ratio creata. Et vero, multi sunt effectus etiam naturales quorum principium, fons, & origo nobis non innotescit, a fortiori concludere debemus plura in Deo latere quæ mentis aciem penitus fugiunt. 3. Quia nullum est Paganorum argumentum in contrarium, quod solvi non possit, dicendo naturaliter quidem non posse demonstrari ineffabile illud mysterium, bene vero supernaturaliter: illud quidem esse supra rationem, sed non contra rationem, quæ humiliter captiva debet credere de Deo, quod nec capit, nec comprehendit.

Secunda sic habet. Illud non repugnat quod est possibile: Sed mysterium sanctissimæ Trinitatis est possibile: Et probatur ex divo Thoma qui hic prima parte q. 27 art. 1. sic loquitur: " Quicumque ,, intelligit ex hoc ipso quod intelligit, ,, procedit aliquid intra ipsum. [,, Scilicet Verbum: pari & consimili ratione, qui amat, procedit aliquid intra ipsum, nimirum pondus. Jamvero innata habemus cognitione agens operari juxta conatum suum: ex quo sequitur nos inferre Deum utpote infinitum producere & Verbum, & pondus tum cognitioni, tum amori correspondentia, adeoque infinita. Revera quidem hujusmodi operationum terminos esse Deo consubstantiales non capimus quidem, sed neque ita esse negare possumus: quin potius hoc ipsum esse possibile suspicamur: Ergo &c.

Tertia. Illud non repugnat quod ipsi Philosophi & Pagani celebres suspicati sunt, & quasi adumbrarunt: Atqui res ita se habet pro mysterio de quo nunc agimus: Et probatur 1. Zoroastri hæc verba tribuuntur: " Omnia perfecit Pater, ,, & menti tradidit secundæ. ,, 2. Hæc subsequentia Mercurio Trismegisto qui paulo post Moisen florebat: " Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem. ,, 3. Sibylla Erythræa, referente Augustino lib. 18. de civ. cap. 13. annuntiavit Christum Filium Dei venturum; Delphica, & Phrygia prædixerunt ipsius passionem. 4. Plato in variis operibus agnoscit Deum, & ipsius verbum ab ipso genitum, ut in epistola 2. ad Dionysium: hanc refert Eusebius lib. 11. de præparatione Evangelii. 5. Aristoteles l. de cœlo text. 2. asserit veteres numero ternario coluisse Deum: Denique Pythagoras docet quod omnia tria sint, & tria unum.

Quarta sic exponitur: illud non repugnat quod multis insinuatur naturæ symbolis: Atqui mysterium sanctissimæ Trinitatis insinuatur multis naturæ symbolis: Igitur non repugnat, immo est possibile. Probatur minor multis exemplis.

Primum petitur ex appetitu innato quem habemus ad beatitudinem: Hoc utitur exemplo sanctus Thomas in libris contra Gentiles, ut illis probet conjecturaliter beatitudinem, & Dei Trini visionem non repugnare.

Secundum exemplum est solis, radii, & splendoris, ex utroque micantis, quæ tamen omnia sunt unum. Hac utitur comparatione sanctus Athanasius orat. 9. contra Arianos ad explicandum ineffabile illud mysterium.

Tertium est fontis, motus aquæ, & fluminis ex utroque profluentis. Hoc utitur symbolo sanctus Augustinus libro de fide, & symbolo cap. 9. hæc siquidem tria confluunt in unum flumen quod suam e fonte ducit originem.

Quartum est radicis, trunci & rami in eadem arbore, quæ omnia unicam constituunt arborem. Hac utitur similitudine Tertullianus lib. adversus Praxeam.

Quintum est trium lucernarum in eodem cubiculo in unicum lumen confluentium. Hoc utitur signo Gregorius Nazianzenus Orat. 5. de Theol.

Sextum est ignis splendoris, & caloris unum lucem efficientium.

Septimum est intellectus, memoriæ & voluntatis, unam animam rationalem constituentium.

Ex his sequitur hoc sancti Augustini ratiocinium cætera confirmans, ac roborans. Unaquæque res connotat primum principium a quo fluit, & est Pater æternus, ideam æternam ad quam formata est, & est Verbum divinum: denique finem propter quem facta est, & est Spiritus sanctus: Igitur sanctissima Trinitas expressa in suis effectibus adumbratur.

Confirmatur.

MYSTERIUM sanctissimæ Trinitatis est credibile: Ergo & possibile: consequentia patet: Antecedens probatur quinque credibilitatis motivis quæ a Contensonio Scholæ Thomisticæ Theologo hic referuntur.

Primum, est testimonium Prophetarum quorum alii sanctissimam Trinitatem in visione quasi expressam contemplati sunt, ut legitur Isaiæ 6. Alii prædicaverunt Christum venturum, & tanquam Filium Dei designaverunt, itidem Isaias qui illum vocat (*Emmanuel*) id est nobiscum Deus; alii Spiritus sancti super fideles descensum, ut Joel.

Quibus positis hoc sequitur argumentum. Illud non debet in mente Gentilium repugnare, quod designatur a Prophetis, cujus aliquæ personæ a longe enuntiantur & prædicuntur in mundum venturæ: Atqui res sic se habet: Siquidem, ut dictum est, Prophetæ prædicaverunt adventum Filii in mundum qui visus & conversatus est cum hominibus, suamque multis signis, & portentis missionem, & cum Patre consubstantialitatem probavit. Prædicaverunt etiam vates Spiritus sancti descensum. Ergo &c.

Secundum petitur ex propagatione religionis sanctissimæ Trinitatis; hanc enim totus mundus recepit, non obstantibus hinc inde difficultatibus, & quod demirandum magis a duodecim piscatoribus, rudibus, & imperitis, fides Christi annuntiata est, quique non potestatis sæcularis viribus, non divitiarum copia, non armorum strepitu, non voluptatum blandimentis, non honorum fastu, non eloquentiæ humanæ verbis, sed infirmitate, rerum omnium penuria, laborum tolerantia, deliciarum contemptu, humilitate morum, simplicitate sermonum, de supremis mundi rectoribus, potestate tremendis, divitiarum copia affluentibus, deliciarum volutabro immersis, honorum gradu auctis, triumpharunt. Quod quidem paucis explicat Paulus 1. Corinth. 1. his verbis. *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus: & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret.*

Tertium desumitur ex puritate fidei Christianæ quæ bonum omne consulit, & præcipit, malum vero prohibet, & punit: quinimmo præcipit benefacere his qui nos oderunt, & vincere in bono malum. Jam vero quis poterit aut adumbrare, aut enarrare sermonibus odia aperta, & capitalia quibus peccatum insectatur, minas in quas erumpit, quos incutit terrores maleficientibus, quas ab orbe condito exercuit in prævaricatores vindictas, quot denique terribiles cruciatus paravit in inferis pro impœnitentibus, Deus, magnus, fortis, & potens, unus, & trinus.

Quartum, multitudo miraculorum quæ patrarunt sancti ad fidem sanctissimæ Trinitatis stabiliendam: quæ quidem tanta sunt, ut vel sola Petri umbra sanaret ægrotos.

Quintum, est copia cujuscumque sexus, & conditionis, & ætatis Martyrum qui pro veritate unius Dei, & Trini generose vitam dederunt; ita ut, inquit Tertullianus, *sanguis Martyrum fieret semen Christianorum*. Igitur mysterium sanctissimæ Trinitatis est credibile.

Solvuntur objectiones.

OBJICIUNT Gentiles Philosophi religioni Christianæ adversantes. Illud mysterium repugnat, quod manifestam implicat contradictionem: Atqui mysterium sanctissimæ Trinitatis manifestam implicat contradictionem: & probatur minor. 1. Sequitur quod Deus sit unus, & non unus. 2. Quod res eadem, natura scilicet divina, sit una simul & multiplex. 3. Quod eadem natura communicetur,

tur, & non communicetur; siquidem personæ sunt relative oppositæ: Sed hæc omnia manifestam implicant contradictionem: Ergo &c.

Respondeo negando minorem: ad probationem distinguo, Deus erit unus, & non unus secundum diversum respectum, concedo: secundum eumdem, nego: Igitur est unus in natura, & trinus in personis. Item, natura est una secundum se sumpta, multiplex vero si sumatur pro personis, quia personæ dicunt relationes quibus ad invicem relative opponuntur, & distinguuntur. Item, natura est communicabilis, ut dicit absolutum; incommunicabilis vero ut dicit relativum: namque ut connotat v.g. paternitatem, soli primæ personæ convenit.

Instabis: atqui hoc implicat secundum idem: Et probatur. De eadem natura dicitur quod sit communicabilis, & incommunicabilis: Igitur est contradictio secundum eumdem respectum.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, distinguo: de eadem natura identice & relative spectata dicitur quod sit communicabilis, & incommunicabilis, concedo: identice tantum sumpta, nego. Natura divina potest considerari dupliciter, scilicet identice, & ut est quid absolutum, & sub hoc respectu eadem est in tribus personis, & communicatur. Deinde vero, ut est quid absolutum simul, & relativum, seu ut est absolutum connotans relativum, v. g. ut connotat paternitatem, & sub hoc respectu in prima duntaxat persona reperitur, & est incommunicabilis: Igitur non est contradictio secundum diversum respectum.

Insistes. Trinitas attenditur secundum quod est quid completum, nempe ut dicit naturam, & personam; natura enim non potest concipi sine persona seu sine subsistentia: Ergo eadem est in tribus personis ut subsistens: Igitur est unica in Deo persona, vel si tres, manifesta erit contradictio, nempe quod natura subsistens sit a se diversa in tribus personis, tum quia Trinitas videtur esse aggregatum per accidens, nempe ex tribus personis complete sumptis.

Respondeo distinguendo: Trinitas attenditur ut est quid completum in concreto, nimirum ut dicit tres personas quibus constituitur, concedo: in abstracto subdistinguo, est quid completum absolute, concedo: relative, nego. Natura in priori personarum considerata, concipitur ut quid completum absolute, quia dicit subsistentiam absolutam, minime relative; nondum enim dicit personas, donec concipiatur ut intelligens, & spirans, unde non sequitur quod Trinitas sit aggregatum per accidens, siquidem natura ut subsistens absolute communicatur, & est eadem in tribus personis, immo & ab illis solum virtualiter distinguitur, subsistentia autem absoluta non constituit personam distinctam a Patre, & Filio, & Spiritu sancto, quia illis relative non opponitur.

Urgebis. Natura subsistens subsistentia absoluta est ens completum: ergo implicat alias habere personas, saltem realiter distinctas; sin minus, sequetur semper eam esse aggregatum per accidens.

Respondeo distinguendo: natura subsistens subsistentia absoluta est ens completum essentialiter, concedo: notionaliter, & relative, nego. Cum igitur sit de essentia entis supremi se intelligere, & amare, & utriusque operationis habere terminos, non censetur in omni linea completum, nisi concipiatur Verbum, & Spiritus sanctus; Verbum quidem ab ejus intellectione promanans; Spiritus vero sanctus ab amore, unde nego consequentiam.

Ad probationem similiter distinguo: natura erit compositum ex multis entibus relativis a se ipsa realiter indistinctis, concedo: a se re distinctis, nego. Aggregatum autem per accidens dicit multa entia completa a se mutuo realiter distincta: natura autem divina, non distinguitur nisi virtualiter a personis, neque personæ ab invicem realiter distinguuntur secundum esse *in* & absolutum, sed solummodo secundum relativum.

Persistes. Persona est ens completum, definitur enim naturæ spiritualis individua substantia: Ergo SS. Trinitas erit aggregatum per accidens, quia componetur ex quatuor entibus completis, scilicet ex natura, & ex tribus personis; quod certe implicat.

Respondeo distinguendo: persona in concreto sumpta est ens completum concedo: Sic enim dicit naturam, & relationem, & sub hoc respectu exprimitur in definitione allata; in abstracto, nego; dicit

enim purum naturæ terminum, v. g. paternitatem, & filiationem, & sic SS. Trinitas non est aggregatum per accidens.

Instabis. Persona divina in abstracto non est nihil, sed perfectio infinita, adeoque ens completum, ergo manet semper contradictio, & absurdum.

Respondent quidam relationes in abstracto non esse perfectiones, sed solum exprimere respectus naturæ divinæ infinite perfectæ.

Respondeo distinguendo, Personæ in abstracto sunt perfectiones relativæ, concedo: quia non exprimunt perfectionem in omni genere completam. Perfectiones absolutæ, nego: personæ possunt considerari dupliciter, nempe secundum esse in, & secundum esse ad: priori modo considerantur ut sunt in natura, & eamdem cum ipsa habent entitatem: alio vero modo considerantur ut puri respectus, qui quia implicite dicunt absolutum, etiam implicite concipiuntur omni perfectione repleti, & sic omnia in Deo sunt summa.

Rursus instabis: natura in priori personarum concipitur completa, & perfecte subsistens: Igitur implicat quod communicetur tribus personis; sic natura humana semel terminata per unam subsistentiam, manet incommunicabilis alteri.

Respondeo ut supra distinguendo, natura divina in priori personarum concipitur completa absolute, concedo; relative, nego: cum enim in Deo nullum sit accidens, relationes sunt substantiæ, & constituunt diversas hypostases a se quidem realiter distinctas, virtualiter vero tantum ab ipsa natura, cum qua unicam faciunt entitatem.

Ad probationem nego paritatem: Ratio discriminis est, quod natura humana sit finita, unde semel terminata per unam hypostasim, manet incommunicabilis alteri individuo: at vero natura divina utpote infinite fœcunda, unico non clauditur termino, sed in tribus invenitur personis: tum quia ab ipsis non distinguitur entitative, unde non constituit diversa entia completa, juxta illud Patrum axioma, *omnia sunt unum in divinis, ubi non obviat relationis oppositio*.

Dices, sequetur semper contradictio, nempe quod idem [referatur ad seipsum, scilicet natura ad seipsam, eo ipso quo est idem ens cum tribus personis: Ergo &c.

Respondeo negando sequelam: ad probationem distinguo, sequitur quod idem referatur ad seipsum sub diverso respectu, concedo: sub eodem, nego. Natura ut dicit relationes refertur ad seipsam, minime vero ut dicit quid absolutum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Mysterium sanctissimæ Trinitatis non repugnat.

PRIMO: quia non implicat contradictionem; namque potentiam arguit infinitam, cujus termini sunt ineffabiles, adeoque credendi, & non blasphemandi sunt.

Secundo: quia cognoscimus naturaliter omne intelligens producere aliquid intra se quum intelligit; producere pondus quum amat: facile igitur inferri potest Deum, quem cognoscimus esse infinite, & intelligentem, & amantem, habere utriusque actionis terminos, adeoque non repugnare dari plures in Deo personas, & consequenter Deum unum in se, & trinum in personis.

Tertio: hoc ipsum denotant multa Symbola quæ nostris subjiciuntur oculis. In sole v. g. tria reperiuntur, nimirum sol, lux, & radius e sole emissus; ista tamen tria unum solem constituunt. In fonte tria utique reperiuntur, videlicet fons, aquæ, & motus: attamen tria hæc unum constituunt fontem: Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO, tres esse in una natura personas implicat quidem in creatis, non tamen in divinis, maxime vero cum hoc secundum diversos respectus relativos adimpleatur.

Secundo, tametsi natura divina in priori ad personas sit ens completum absolute, non tamen relative, quocirca tribus communicari personis, quid vetat?

Tertio, neque vero aliquod in hoc mysterio facescit negotium, quod quælibet persona sit infinite perfecta, hoc quippe intelligitur relative, non absolute. Igitur non habent omnem perfectionem, videlicet, & absolutam, & relativam, nisi cum natu-

natura conjungantur, unde neque plures Deos, neque aggregatum per accidens constituunt.

Quarto, sane non eodem modo ratiocinandum est de natura humana, & de divina: illa finita est, & clauditur terminis, unde una persona terminata, manet incommunicabilis alteri: non sic illa, quippe quæ sit infinita & mirabiliter fœcunda.

Quinto, ultro fatemur plures subsistentias absolutas in Deo non reperiri, cum enim multiplicent absolutum, utique, & multiplicarent divinitatem, & ideo tres essent Dii, quod fidei adversatur: Sed personæ multiplicant tantummodo relativum. Igitur in sanctissima Trinitate tres quidem personæ admittendæ sunt, nusquam vero tres Dii.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum mysterium Sanctissimæ Trinitatis notum fuerit Judæis.

CONCLUSIO.

Mysterium sanctissimæ Trinitatis Judæis notum fuit.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

ILLUD mysterium fuit Judæis revelatum & notum, quod continetur in lege expressum: Atqui ita expressum est mysterium sanctissimæ Trinitatis: Ergo &c. Probatur minor. Gen. 1. habetur *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Ibidem 3. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, cap. 11. Deus volens confundere superbos qui ædificabant turrim, ait: *Venite ascendamus, & confundamus ibi linguam eorum*. Ubique Deus loquitur in plurali, quod sane denotat pluralitatem, non quidem naturæ sed personarum. Neque vero hoc potest intelligi de Angelis; ad summum enim Deus eis usus est tanquam instrumentis, & ministris, nullus autem artifex loquitur instrumento tanquam æquali personæ, sicut sonant expressiones laudatæ, quæ quidem ad personas tum in natura, tum in virtute æquales diriguntur. Igitur fit mentio in libro legis de SS. Trinitate.

Rursus. Illud mysterium fuit Judæis revelatum quod manifestatum est & Patriarchis, & Prophetis: Atqui tale mysterium manifestatum est Patriarchis, & Prophetis quibus filius Dei sæpe apparuit: Ergo &c. Probatur minor. Gen. 18. Abraham tres Angelos vidit, & unum Dominum adoravit, sic enim habetur: *Dixerunt ad eum*, scilicet Angeli, *ubi est Sara uxor tua? ille respondit: ecce in tabernaculo est. Cui dixit: revertens veniam ad te tempore isto vita comite, & habebit filium Sara uxor tua. Quo audito, Sara risit ... erant autem ambo senes ... dixit autem Dominus ad Abraham*. Videas velim quod e tribus Angelis unus loquatur ut Dominus, tanquam repræsentans unitatem in tribus personis; item Isaiæ 6. habetur quod in visione conspexerit Propheta, & audierit duos Seraphim clamantes ter: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus*, subdendo, *plena est omnis terra gloria ejus*, quæ laus ter repetita, designat secundum Patres Trinitatem in unitate: Ergo &c.

Rursus. Illud mysterium notum fuit Judæis si Prophetæ prædicaverint adventum secundæ personæ, & descensum tertiæ super Apostolos: Atqui sic prædicaverunt Prophetæ: & probatur: Isaias prædixit Christi nativitatem, Jeremias ipsius passionem, Daniel ejus post septuaginta hebdomades completas adventum, & ipsius supra omnes Reges dominium & imperium: Joel vero descensum Spiritus sancti super fideles: Ergo &c.

His adde Psalmistam qui Ps. 32. sic loquitur: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. In istis verbis denotantur tres personæ, Pater scilicet ly *Domini*, Verbum ly *Verbo*, Spiritus, ly *Spiritus oris ejus*.

Rursus. Illud mysterium revelatum est Judæis, si ipsi petierint secundæ personæ adventum: si multi e Patriarchis, & Prophetis, ejus diem viderint & gavisi sint: Atqui res sic se habet, juxta illud Isaiæ 45. *Rorate cæli desuper & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem*. Et illud beati Simeonis Luc. 1. *Nunc dimittis servum tuum Domine .... Quia viderunt oculi mei salutare tuum*. Et illud Christi Joannis 8. ad Judæos: *Abraham Pater vester exultavit, ut videret*

ret diem meum, *vidit*, & *gavisus est*. Et iterum Matth. 13. *Amen quippe dico vobis*, *quia multi Prophetæ*, & *justi cupierunt videre quæ videtis*, & *non viderunt*. Quæ verba intelliguntur de visione Christi filii Dei. Ergo &c.

Rursus. Illud mysterium revelatum est Judæis quod in figuris, & sacrificiis exprimebatur: Atqui mysterium sanctissimæ Trinitatis in figuris, & Sacrificiis veteris legis exprimebatur, siquidem ex Evangelio, serpens elevatus in deserto ad sanitatem recuperandam, Christum repræsentabat: sicut & sanguis vitulæ quo Sacerdos aspergebat populum, ut Apostolus testatur in epist. ad Hebræos: Ergo, &c.

Secundo, ex Sanctis Patribus.

Sanctus Epiphanius initio seu procemio libri adversus hæreses sic loquitur: " Valde timeo, ut qui moliar opus non vulgare. Et invoco ipsum sanctum Deum, & unigenitum ipsius Filium Jesum Christum, & sanctum ipsius Spiritum . . . Adam protoplastus formatus est, non circumcisus, sed carne præputium habens. Non autem erat idololatra, & novit Patrem Deum, & Filium, & Spiritum sanctum. "

S. Augustini l. 3. contra Maximinum cap. 26. ait SS. Trinitatem fuisse Abrahæ manifestatam: " Visum esse Deum Abrahæ negare non possimus. Scriptura quippe fidelissima apertissime hoc loquitur, dicens: *Visus est autem illi Deus ad quercum Mambre* . . . Cum autem narret Scriptura, quomodo ei visus sit Deus, tres viros illi apparuisse declarat, in quibus magis ipsa Trinitas, quæ unus est Deus, intelligi potest. Denique tres videt, & non Dominos, sed Dominum appellat, quoniam Trinitas tres quidem personæ sunt, sed unus Dominus Deus. "

Cyrillus Alexandrinus l. 1. contra Julianum pag. 11. ait: " Sic eruditum esse & Abraham dicimus. Scriptum est enim sic de Abraham, apparuit autem Deus ad quercum Mambre, sedente ipso in ostio tabernaculi sui meridie. Cum autem suspexisset suis oculis, vidit, & ecce tres viri steterunt super eum, & videns occurrit in occursum eis ab ostio Tabernaculi sui, & adoravit super terram, & dixit, Domine si inveni gratiam coram te, ne prætereas puerum tuum. "

Theodoretus sermone 2. de principio. pag. 496. loquens de antiquis Judæis sic effatur: " Trinitatis tamen dogmata ne tunc quidem venturis in posterum penitus occultavit perfectior Theologia, quasi semina quædam dispergens: ideo singulariter quidem sub unius nomine legem sancivit, obscure tamen Trinitatem indicat. Qui enim dicit, *audi Israel*, *Dominus Deus tuus*, *Dominus unus est*, & unitatem docet, & Trinitatem significat. "

Ex his hoc sequitur argumentum. Quod traditione firmatur, ut quid certum haberi debet: Atqui traditione Patrum habetur notam fuisse Judæis sanctissimam Trinitatem. Ergo de facto illis SS. Trinitas revelata est.

Tertio, ex Rabbinis.

Philo Judæus lib. 1. de agricult. pag. 155. distinguit Verbum a Patre, & vocat primo-genitum Dei Filium, tum lib. de mundi opificio docet mundum esse a Verbo creatum: Sed qui distinguit Verbum a Deo Patre, agnoscit Trinitatem. Ergo &c.

Paraphrases Chaldaicæ similiter easdem distinguunt personas innuentes Verbum esse quod apparuit Patriarchis, & quandoque in mundum venturum esse ad salvandos homines.

Targum Onchelos, & Jonathæ explicans illa Gen. 3. verba v. 3. *Audierunt vocem Domini Dei sui*, legit; *Audierunt vocem Verbum Dei*, & cap. 2. v. 3. *Deus vocavit Adamum*; Targum Jerosolymitanum dicit, & *Verbum Domini vocavit Adamum*. Sic Oseæ 1. v. 7. *Et servabo ipsos per Jeovam Deum ipsorum*. Targum Jonathæ habet: *Servabo eos per Verbum Dei Domini sui*. Item Psal. 110. *Dixit Dominus Domino meo*, *sede a dextris meis*. Alia versio in Psalmos vertit: *Dixit Dominus Verbo suo*, *sede a dextris meis*. Targum illud non quidem extat hodie, sed Galatinus lib. 3. cap. 38. & Paulus Fagius ad caput 5. Heterologii testimonium de ipso perhibent: Porro istæ paraphrases maximi sunt apud Judæos ponderis: Igitur cum agnoscant Verbum & ipsum ut personam distinctam

ctam a prima perhibeant, dicendum est mysterium apad Judæos fuisse notum.

Quarto, ratione.

Prima: ab actu ad posse valet consequentia: Sed constat ex dictis mysterium a Patriarchis, & Doctoribus fuisse notum: immo & constat plebeios implicite saltem illud agnovisse; siquidem mulier Samaritana illud præcognoscebat iuxta illud Joannis 4. v. 25. *Dixit ei mulier*, scilicet Christo, *scio quia Messias venit qui dicitur Christus, cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia*: Cognoscendo autem Verbum incarnatum, consequenter cognoscebant Trinitatem. Ergo &c.

Secunda: Illi cognoverunt sanctissimam Trinitatem, qui Verbi incarnati dispensationem petiere: Atqui Judæi omnes, saltem præcellentes petebant Verbi dispensationem, immo omnes expectabant Messiam tanquam salvatorem, & consequenter ut Deum, siquidem solus filius Dei incarnandus satisfacere poterat plene pro nobis: hoc docebant Doctores in Synagogis, hoc Prophetiæ, quæ teste divo Petro Actibus legebantur in Sabbatho, annuntiabant: Igitur Judæi mysterium SS. Trinitatis non ignorabant.

Tertia. Omnes Judæi peccatores justificabantur per fidem in Christum venturum; ita docet divus Thomas, ita omnium Theologorum cœtus: Sed fides ducit in cognitionem illius qui suum est objectum. Ergo Judæi cognoscebant filium Dei incarnandum, adeoque sanctissimam Trinitatem.

Quarta: Judæis nota fuere promissa Dei, cum ad stimulandam & fidem, & in mandatis adimplendis fervorem facta sint: Sed non semel eis promittitur Filius Redemptor qui omnes iniquitates deleturus esset: non semel & Spiritus sanctus ad operationem miraculorum, dicente Deo Joel. 2. *effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri*: Ergo &c.

Diluuntur Objectiones.

OBJICIES 1. Si probaretur Trinitas, maxime ex aliquibus Geneseos locis ubi Deus alios veluti æquales invitat ad operandum, ut in isto: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: Atqui videtur ex hoc inferri non posse illud mysterium: Ergo &c. Probatur minor. Mos invaluit apud homines sic loqui quando ad opus se accingere satagunt. Ergo &c.

Respondeo negando Minorem. Ad probationem distinguo, mos invaluit apud homines sic loqui, quando operis habent socios, concedo: quum soli operantur, nego: alias foret imperfecta locutio; quando enim aliquis, se solo, agit, non dicit invitando, faciamus hoc ad imaginem nostram, vox enim *faciamus*, plures designat personas.

Instabis. Viri perillustres ad auctoritatem, & magnificentiam ostendendam, ut Reges, solent in plurali loqui: Igitur pluralis locutio nihil probat pro revelatione facta in libris Moysis de sanctissima Trinitate.

Respondeo distinguendo antecedens, Magnates loquuntur in plurali sine fundamento, concedo: cum fundamento, nego. Ab initio non fuit sic, siquidem Pharao, Abimelech, aliique Reges apud Moysen semper in singulari loquuntur: cum igitur idem sit sermonis tenor de eo qui in plurali ut Deus loquitur, hoc ipsum designat Trinitatem: tum quia aliæ veteris testamenti Scripturæ Judæis notæ expresse loquuntur de sanctissima Trinitate.

Insistes: In locis in probationibus adductis, Deus loquitur per Angelos; Angelus enim loquebatur Abrahæ: Igitur nihil concluditur ex his. Confirmatur. Ex Catholicis quidam dicunt Trinitatem non inferri per loca Geneseos laudata, ut Bonfrerius in Genesim, & Maldonatus in cap. 1. Geneseos: Ex Heterodoxis vero multi sic sentiunt. Ergo &c.

Respondeo distinguendo. Et Angelus loquebatur in persona Dei, ut orator loquitur in persona principis, concedo: in propria persona, nego.

Ad probationem dico paucos recentiores, & hoc absque sufficienti fundamento contrarium sentire, nec eos satis in hoc cohærere traditioni: Et vero Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone, Theophilus Antiochenus ad Autolycum, Irenæus lib. 3. cap. 11. Tertullianus adversus Praxeam cap. 12. 13. & 16. Concilium

Antiochenum adversus Paulum Samosatenum; Athanasius lib. contra Gentiles, Gregorius Nyssenus adversus Judæos, Basilius hom. 9. in Exameron. Ambrosius lib. 6. in Exam. cap. 1. Augustinus lib. 11. de Gen. ad litteram c. 39. explicavere loca Geneseos laudata de Trinitate; immo in Concilio Sirmiensi anathema dictum est illis qui hæc loca in sensum improprium, relicto naturali, verterent.

Dices. Judæi voluerunt lapidare Christum eo quod se faceret Deum, ut habetur Joan. 10. Igitur non cognoscebant Judæi mysterium sanctissimæ Trinitatis, & hoc videntur innuere Patres, ut Basilius lib. 2. contra Eunomium, Hilarius lib. 8. de Trinitate, præcipue vero Tertullianus adversus Praxeam cap. 31. ubi dicit fidem sanctissimæ Trinitatis esse novo Testamento propriam. Ergo &c.

Respondeo distinguendo consequens. Judæi non cognoscebant in particulari Christum esse Deum, & Verbum incarnatum, concedo; saltem præ malitia nolebant agnoscere, eo quod depravatos eorum mores insectaretur: non cognoscebant sanctissimam Trinitatem, subdistinguo, Majores, ut Patriarchæ, Prophetæ, & legis Doctores, nego; Plebei, adhuc subdistinguo. Non cognoscebant explicite, concedo: & hoc solum volunt Patres; implicite, nego.

Ad probationem patet solutio: unde distinguo: fides explicita sanctissimæ Trinitatis est novo Testamento propria, quia omnes, etiam plebei debent explicite cognoscere sanctissimam Trinitatem, concedo: fides implicita, nego. Dictum est fidem saltem implicitam sanctissimæ Trinitatis communem fuisse omnibus Judæis.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Mysterium sanctissimæ Trinitatis fuit Judæis notum.

PRIMO, Scripturæ veteris Testamenti datæ Judæis hoc ipsum non semel indigitant, maxime vero istud Isaiæ 6. adagium *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus*, quo sanctissima Trinitas juxta Patrum, & Rabbinorum interpretationem significatur, cum ad eorum instructionem scripserint Prophetæ.

Secundo, ita tenent, & docent Patres, ut Epiphanius hæresi 5. Theodoretus ser. 2. de principio, & alii.

Tertio, tota Synagoga Christum Redemptorem secundam sanctissimæ Trinitatis personam incarnandam expostulabat juxta illud Isaiæ 45. effatum, *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet salvatorem*. Igitur Judæi sanctissimam præcognoscebant Trinitatem: tum quia, teste divo Thoma, peccatores justificabuntur per fidem vivam, & charitate plenam in Christum.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO, Tametsi mos apud Magnates invaluerit loqui in plurali, non inde sequitur ista Geneseos verba, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, significare singularitatem personæ, cum aliæ veteris Testamenti scripturæ promittant, & Filium ad redemptionem, & Spiritum sanctum ad operationem miraculorum, dicente Domino Joel. 2. *Effundam spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri &c.* certe Judæi promissa Dei noverant: Ergo &c.

Secundo, Pharisæi obdurati, Christum quidem Deum esse negabant, sed ex hoc tantummodo sequitur Incarnationem in Christo adimpletam ignorare voluisse. Igitur non ideo sanctissimæ Trinitatis notitia illis abneganda est: quinimmo Filium alteram a Patre personam, ut incarnandam, quæ cum gloria mundana super solium David sederet, expectabant.

Tertio, cætera argumenta in contrarium probant duntaxat plebem inter Judæos explicitam sanctissimæ Trinitatis fidem non habuisse.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum mysterium sanctissimæ Trinitatis naturaliter possit demonstrari?

SOCINIANI Mysteria ratione humana ponderantes, blasphemant quod capere

re nequeunt, & negant sanctissimam Trinitatem, sed teste Augustino ille minus de Deo sentit, qui solum credit quod suo perverso potest metiri ingenio. Raymundus Lullius e contra, nimis rationi indulgens posuit sanctissimam Trinitatem ratione demonstrabilem esse, sed in medio virtus sita est; unde contra istum sit

CONCLUSIO.

Mysterium sanctissimæ Trinitatis non potest naturaliter demonstrari.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

MATTHÆI 11. Christus dicit, *nemo novit filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi filius, & cui voluerit filius revelare*. Ibidem cap. 16. postquam Petrus a Christo interrogatus quid de se sentiret? Respondit, *tu es Christus Filius Dei vivi*: Tum Christus addidit: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Cœlis est*. Quibus positis, & prælusis sic argumentor. Quod non potest sciri per carnem, & sanguinem, idest per rationem hominis, quod nullus scit nisi Pater, & Filius, & ii quibus revelatur, nequit demonstrari naturaliter, nam omnis demonstratio ratione procedit: Atqui tale est mysterium sanctissimæ Trinitatis ex Scriptura sacra. Igitur ratione demonstrari non potest.

Secundo, ex sanctis Patribus.

Divus Dionysius lib. 10. de divinis nominibus; ait: " Illa superstantialis unitas; & illa supra mentem unitas.... ,, Non effabilis ratione, intelligentia, ,, nomineque vacans, nullius rei similitudinem habens.... Summæ quidem ,, divinitatis arcanum illud quod omnem ,, intelligentiam substantiamque transcendit. ,,

Concinit sanctus Hieronymus lib. 18. in Isaiam in proœmio, ubi sic ait, " Non ,, dico de mysterio Trinitatis cujus recta ,, confessio, est ignoratio scientiæ. ,,

Suffragatur Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 5. " Impossibile est, *ait*, ,, generationis scire secretum, ,, scilicet Verbi.

His adde sanctum Augustinum qui lib. 7. de Trinitate, cap. ultimo sic loquitur de mysterio: " Quod si intellectu capi ,, non potest, fide teneatur, donec illucescat in cordibus ille qui ait per ,, Prophetam: nisi credideritis, non intelligetis. ,,

D. Bernardus, adversus Abaillardum qui volebat rationem prævenire fidem, epist. 9. dicit nihil esse magis contra rationem, quam præsumere, id quod est supra rationem, ratione comprehendere, quod quidem ratiocinium mysterio sanctissimæ Trinitatis applicat.

Doctor Angelicus 1. parte quæst. 32. ar. 1. hanc ponit, & statuit conclusionem, his verbis: " Impossibile est per rationem naturalem, ad cognitionem Trinitatis divinarum personarum pervenire. ,,

Ex his testimoniis istud formatur argumentum. Quod omnem superat rationem, quod hominis intelligentia non potest consequi, quod sciri nequit: uno verbo, quod sola fide teneri debet, illud naturaliter demonstrari non potest: Atqui sic est sanctissima Trinitas quam sane inquit Hormisdas summus Pontifex, nulla visibilium, nec invisibilium creaturarum potuit investigare natura, ita in epistola ad Justinum Imperatorem cap. 1. Ergo &c.

Tertio, ex ratione, eaque multiplici.

PRIMA: Quod est ineffabile nequit naturaliter cognosci: Atqui tale est mysterium sanctissimæ Trinitatis, juxta illud Angeli in persona Dei loquentis, Judic. 13. ad Manue: *Cur quæris nomen meum quod est mirabile?* Ergo &c.

Secunda: Quod est cogitatu incomprehensibile, nequit naturaliter demonstrari, requiritur enim ad demonstrationem aliqua rei comprehensio: Atqui sic est mysterium sanctissimæ Trinitatis, dicente Jeremia 32. de Deo Trino, *incomprehensibilis cogitatu*. Ergo &c.

Tertia: Illud non est naturaliter demonstrabile cujus viæ sunt investigabiles, & de quo prædicat Apostolus summam esse altitudinem: Atqui mysterium sanctissimæ Trinitatis ita est, ait enim Apostolus Rom.

Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*. Quam *incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus*.

Quarta: Hoc nequit ratione probari, quod est supremum fidei objectum: Atqui sic est mysterium sanctissimæ & individuæ Trinitatis juxta illud Apostoli Heb. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum &c.* Ergo &c.

Quinta: Nulli aut Philosophi antiqui, aut alii scientia præpollentes viri, hactenus illud potuerunt demonstrare mysterium, quippe quod sit supra & rationem omnem, & experientiam tres esse in unica natura personas unum Deum constituentes: Ergo &c.

Sexta: Omnis demonstratio est vel a priori, vel a posteriori. Atqui sanctissima Trinitas non potest demonstrari a priori naturaliter, siquidem non habet causam, omnis autem demonstratio a priori fit per causam: neque a posteriori, & per creaturas, nam creaturæ non habent necessariam cum Deo Trino connexionem, sed tantum cum Deo uno & creatore. Ergo &c.

Septima: Illud ratione demonstrari non potest, si illi omnes qui ratione hoc mensurare mysterium ausi sunt, erravere: Atqui omnes qui sola ratione ducti hoc mysterium scrutati sunt, erravere: sic Sabelliani, sic Noetiani, sic Priscillianistæ, unicam posuerunt personam, immo & opinio Raymundi Lulli, qui posuerat ratione demonstrari posse, proscripta est ab universitate Parisiensi, ita refert Gersonius tract. de examine doctrinarum ep. 2. ad Bartholomæum fratrem Cartusianum. Ergo &c.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES, antiqui Philosophi multa differuere de Trinitate: Ergo demonstrari potest naturaliter, quandoquidem sola utebantur ratione. Probatur Antecedens 1. Zoroastri hæc verba tribuuntur apud Petavium lib. 1. de Trinitate cap. 2. numero 2. " Omnia enim perfecit pater ,, & mente tradidit. ,, Eo loci loquitur de Patre qui verbo omnem condidit creaturam.

2. *Hæc* verba tribuuntur quoque Mercurio Trismegisto: " Monas genuit mo- ,, nadem, & in se suum reflexit ardorem. ,, 3. Sibylla Erithræa, referente Augustino, lib. 18. de civit. cap. 23. annuntiavit Christum Filium Dei venturum. 4. Plato in variis operibus agnoscit Deum, & verbum ab ipso genitum, ut epist. 2. ad Dionysium. 5. Aristoteles lib. de cœlo textu 2. testatur veteres numero ternario coluisse Deum. Denique Pythagoras dicit quod omnia tria sunt, & tria unum. Ergo &c. His adde Philonem Platonis scholæ alumnum qui in primo de agricultura pag. 132. editionis Græcæ hæc habet de Deo: " Tanquam Pastor ,, & Rex Deus administrat secundum ju- ,, stam legem, cum iis rectam suam ra- ,, tionem primogenitum filium præsece- ,, rit, qui sacri illius gregis curam velut ,, magni Regis præfectus suscipiat. Nam ,, & alicubi dictum est: Ecce ego sum: ,, Mittam Angelum meum ante faciem ,, tuam, ut te custodiat in via. ,, Rursus, lib. de vita Moysis vocat secundam personam, " Dei hujus mundi parentis fi- ,, lium. ,, Quibus, & similibus sententiis agnoscit sanctissimam Trinitatem, saltem quoad primam, & secundam personam: quinimmo magnis propter hoc effert Philonem laudibus Isidorus Pelusiota, quod de verbo divino tam aperte loquatur: Lib. 20. epist. 143. similibus donatur præconiis ab Eusebio Cæsariensi apud Petavium lib. 1. de Trinitate cap. 2. nu. 1. Igitur mysterium non fuit rationi naturali impervium.

Respondeo 1. ad hæc omnia distinguendo consequens: cognoverunt antiqui sanctissimam Trinitatem conjecturaliter, & in confuso, transeat; hoc enim solum videtur tribui posse Christiano, qui fide imbutus, & illa præsupposita saniorem habet rationem qua potest uti ad cognoscendum conjecturaliter tantum mysterium: cognoverunt demonstrative, nego. Nequidem enim hoc implicite potest fieri propter rationes allatas.

Respondeo 2. Aliter distinguendo: cognoverunt Philosophi sanctissimam Trinitatem modo erroneo, concedo: modo sano, & sicut oportet, nego. Plato dicebat Verbum, & Spiritum sanctum esse personas creatas: ita refert Macrobius libro 1. in somnium Scipionis, cap. 14. ubi Platonis mentem sic exponit: " Deus, ,, quia prima causa est'. . . . Unum om- ,, nium origo est, hic superabundanti ma- ,, jesta-

„ jestatis fœcunditate de se mentem crea-„ vit . „ Cyrillus lib. 3. in Julianum hunc laudat Macrobii locum.

Respondeo 3. ea, quæ dixere Platonici, & alii de sanctissima Trinitate, hausisse ex libris Moysis, & Prophetarum, quæ quidem retulerunt, sed non capiebant. Ut testatur Justinus Martyr Apologia 2. tum & Clemens Alexandrinus lib. 3. strom. Nec dicas ætate Platonis nondum fuisse in Græcam linguam textum Moysis translatum, hunc enim vel per interpretes potuit Plato ediscere, vel ex colloquiis cum Judæis, sicut & alii Philosophi qui aliquid novi ediscendi causa provincias, & regna peragrare satagebant.

Respondeo jam ad singulos 1. Quidem ad Zoroastrem opus illi attributum, esse suppositititium, & post Christi solum tempora apparuisse; illudque ex Platonicorum, & hæreticorum officina prodiisse. Ita sentit Petavius lib. 1. de Trinit. cap. 2. n. 3. 4. & 5.

Ad Trismegisti opus, Casaubonus exercit. 1. contra Baronium cap. 1. scribit supposititium esse.

Ad Sibyllæ carmina. Idem permulti senserunt, qui & contendunt ea apparuisse secundo solum sæculo, alii, & melius credunt Virgines illas inspiratione Dei, ut mysteria præluderent Gentilibus, fuisse locutas.

Ad Platonem jam responsum est. Ad Aristotelem

Respondeo distinguendo, & vereres coluerunt Deum unum, seu supremum numen numero ternario in precibus, & sacrificiis usurpato, eo quod numero hunc crederent perfectissimum, concedo: Et agnoverunt sanctissimam Trinitatem, nego.

Ad Pythagoram, idem respondemus, quandoquidem ratio tota videtur in ternario numero: Et vero tres sunt gradus naturarum, scilicet esse, vivere, & intelligere: Item in eis triplex vita, vegetativa nempe, sensitiva & rationalis. Item triplex in anima potentia, nimirum intellectus, memoria & voluntas. Item tres Angelorum Hierarchiæ, & tres eorum operationes, scilicet purgare, illuminare & perficere: Rursus tres status naturæ, nimirum puræ, gratiæ, & gloriæ; deinde tria sunt in quolibet ente, principium scilicet, medium, & finis.

Ad auctoritatem Philonis respondeo sua hausisse dicta ex veteri testamento, ut illa *mittam Angelum meum &c.* quæ leguntur Malachiæ 3. ex quo liquet Philonem non solum ratione, sed & Scriptura sacra suffultum quædam de sanctissima Trinitate scripsisse.

Instabis. Atqui vel ipsa ratione ducti Philosophi potuerunt sanctissimam cognoscere Trinitatem. Ergo &c. Probatur subsumptum. Quod variis symbolis naturalibus se prodit, lumine a natura insito cognosci potest: Atqui sanctissima Trinitas variis symbolis quasi nostris se subjicit oculis: Et vero, intellectus, voluntas, & anima tria sunt, & tamen unum constituunt hominem. Rursus sol, radius, & radii calor tria sunt, sed nihilominus unum sunt ens, & compositum: Non absimili igitur ratione Philosophi intelligentes Deum esse & intelligentem, & volentem, potuerunt & trinum concipere.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem distinguo: quod variis se prodit symbolis potest sola ratione naturali investigari, si symbola necessariam habeant cum Deo Trino connexionem, concedo: si habeant solum cum Deo uno, nego. Porro effectus creati habent relationem intrinsecam, & necessariam tantum ad creatorem, adeoque ad Deum unum, nulla quippe creatura indicat tria realiter inter se distincta esse unum in substantia, bene vero accidentia in una subjectari substantia, sic intellectus, & voluntas inhærent animæ, ut accidentia; lumen & radius, soli; quocirca Deum trinum non nisi conjecturaliter indicant symbola. Solutio est divi Thomæ in 1. l. dist. 33. q. 1. ar. 2. his verbis: " Omnia similia quæ de creaturis ad explicandum hoc mysterium adduci possunt, „ plus habent de dissimilitudine: ideo „ magis abducunt a veritate hujus mysterii, quam in ejus veritatem intellectum inducant. „

Instabis. Deus ut unus non minus est supernaturalis quam Deus ut trinus: Sed cognoscitur naturaliter ut unus: igitur & ut trinus.

Respondeo distinguendo: Non minus est supernaturalis entitative concedo: in ratione objecti cognoscibilis, nego: namque Deus ut unus habet connexionem cum effectibus creatis, & ideo est objectum co-

cognoscibile per creaturas, non quidem immediate, cognoscibilitas enim immediata sequitur entitatem rei, quia est cognitio rei in seipsa: sed mediate, & ista est cognitio rei in alio, seu per aliud.

Urgebis. Imago ducit in cognitionem sui prototypi: Atqui homo v. g. est imago sanctissimæ Trinitatis; factus enim est ad similitudinem Dei, juxta illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: imago perfecta qualis est filius respectu Patris ducit in cognitionem prototypi, concedo: imago imperfecta, subdistinguo, ducit in cognitionem imperfectam, & conjecturalem, concedo: perfectam, eamque demonstrativam, nego, & sic distincta minore, nego consequentiam.

Instes. Paternitas divina est exemplar omnis paternitatis quæ est in terra, teste Apostolo: Atqui exemplatum ducit in cognitionem sui exemplaris: Ergo sanctissima Trinitas potest cognosci per creaturas etiam demonstrative: sic personalitas, seu subsistentia creata est participatio personalitatis divinæ. Ergo &c.

Respondeo applicando explicationem mox datam. Quid plura? Paternitas non ducit in cognitionem Spiritus sancti, nec personalitas creata participat subsistentias relativas divinas quæ constituunt personas, sed solum subsistentiam divinam absolutam, & essentiam divinam, quæ est eminenter communicabilis, & incommunicabilis.

Dices, tota ratio cur sanctissima Trinitas non possit cognosci per creaturas, ea est, quia effectus creati non procedunt a Deo, ut Trino, sed ut Uno: atqui illa ratio nulla est. Ergo &c. Probatur minor: Ex visione beatifica cognita, evidenter cognoscitur sanctissima Trinitas: Igitur ex effectibus creatis cognosci potest.

Respondeo 1. argumentum nihil probare contra nos: Et vero visio beatifica est effectus supernaturalis, & sola gratia cognoscibilis, unde non mirum si ea sanctissimam beati cognoscant Trinitatem.

Respondeo 2. negando minorem: Ad probationem distinguo: ex visione beatifica evidenter cognita sanctissima Trinitas cognoscitur tanquam objectum in actu suo, concedo: tanquam causa per effectum, nego; visio enim beatifica non dicit ordinem ad sanctissimam Trinitatem, ut effectus ad causam, sed ut actus ad objectum suum.

Iterum instabis. Philosophus cognoscit naturaliter dari unum Deum: igitur & trinum. Probatur consequentia: eo ipso quo cognoscit Deum ut unum, & quidem ut ens infinitum, adeoque spiritale intelligens, & volens infinite, consequenter capit terminum intellectionis, & volitionis esse infinitum: scilicet verbum, & amorem subsistentem a se: cognoscit igitur & sanctissimam Trinitatem.

Respondeo negando consequentiam. Ad probationem distinguo, & non cognoscit terminos esse consubstantiales, concedo: & cognoscit, nego: Licet enim Philosophus cognoscat principium increatum & infinitum, non potest tamen capere tres personas esse in unica natura, contrarium quippe videt in creaturis omnibus. Sic videmus quod licet anima sit substantia subsistens, terminum tamen ejus intellectionis, & volitionis esse accidentia asserimus, nec consubstantiales animæ terminos eos dicimus: Sed dato & non concesso, quod Philosophus posset cognoscere terminos intellectionis, & volitionis divinæ esse infinitos, sic distinguo: & inferret pluralitatem Deorum sicut antiqui, concedo: pluralitas autem Deorum, nullitas est Deorum: inferret pluralitatem personarum in unitate naturæ, nego. Et vero non potest capere Philosophus tres personas esse eundem numerice Deum; hinc pluralitatem Deorum Philosophi admittebant.

Urgebis: Innato lumine cognoscimus effectum adæquare conatum causæ. Igitur eo ipso quo cognoscimus Deum infinite intelligentem, & amantem, cognoscimus quoque terminos & intellectionis, & volitionis esse infinitos, adeoque & consubstantiales.

Respondeo distinguendo, cognoscimus effectum adæquare connatum causæ finitæ, quæque est ordinis naturalis, concedo: causæ infinitæ, & ordinis superioris, nego. Hoc sane nos latet, cum in immensum efficacia agentis nostrum superet captum. Neque vero diffitemur Deum cognosci naturaliter, ut ens perfectissimum, quocirca & potentissimum, adeoque posse producere effectum syncategore-

ma-

matice infinitum, hoc est posse producere usque in infinitum mundos, & quidem semper prioribus perfectiores; posse consequenter habere conceptus in infinitum perfectiores, similiter & amoris terminos magis ac magis perfectos, sed terminum intellectionis, amorisve esse sibi consubstantiales prorsus fugit creati intellectus aciem.

Persistes: quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, & hoc ratione patet. Igitur Philosophus cognoscendo unum Deum, & terminos intellectionis & volitionis divinæ, potest cognoscere esse, & consubstantiales, & idem cum Deo.

Respondeo 1. Philosophum cognoscere quidem terminos esse infinitos, sed esse consubstantiales non capit.

Respondeo 2. distinguendo: quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem quoad se concedo: quoad nos subdistinguo: in creatis concedo; in divinis nego; Ad hoc enim requiritur fides. Quid plura adjiciam? In creatis quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se quoad speciem, sed non quoad entitatem, sicut de tribus personis divinis docet fides.

Instabis. Creaturæ habent necessariam connexionem cum sanctissima Trinitate, ut unus Deus est: Ergo sanctissima Trinitas potest clare cognosci per creaturas.

Respondeo distinguendo: habent connexionem cum sanctissima Trinitate reduplicative, ut unus Deus est, concedo: agit enim Deus ad extra, vi omnipotentiæ quæ est attributum commune tribus personis; unde Theologi dicunt opera ad extra esse omnibus personis communia. Habent cum sanctissima Trinitate connexionem reduplicative, ut Trinitas est, nego. Personæ enim divinæ non habent relationem realem ad creaturas, sed solum ad se ipsas.

Repones. Debemus Deo omnem tribuere perfectionem possibilem: Igitur possumus cognoscere sanctissimam Trinitatem, quia perfectius est cognoscere Deum ut Trinum, quam ut unum: Ergo &c.

Confirmatur: Cognoscimus naturaliter religionem nostram non repugnare, adeoque & articulos fidei: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: debemus Deo tribuere omnem perfectionem, juxta capacitatem, & captum mentis nostræ, concedo: ultra intelligentiam nostram, nego. Porro Deum esse trinum non capimus. Ad confirmationem distinguo: & hoc probat sanctissimam Trinitatem posse cognosci conjecturaliter, concedo: demonstrative, nego.

Instabis. Demonstratur mysterium esse possibile, vel impossibile, non enim datur medium: Atqui non potest demonstrari esse impossibile: Igitur potest demonstrari esse possibile, adeoque ratione naturali cognoscibile.

Respondeo, neutrum demonstrari naturaliter, & dari medium inter demonstrari possibile, & impossibile, nempe cognosci conjecturaliter.

Insistes: In Deo est beatitudo, idque naturaliter cognoscitur. Sed ubi est beatitudo, est bonum beatificativum, beatificans, & beatificatum: Beatificativum est Pater, quia habet beatitudinem, beatificans est Verbum, quia est notio patris, beatificatum est Spiritus sanctus terminus utriusque boni, scilicet beatificativi, & beatificantis. Igitur naturaliter potest saltem a doctis cognosci sanctissima Trinitas.

Respondeo distinguendo: & non possumus naturaliter scire bonum beatificativum, beatificans, & beatificatum, esse ejusdem naturæ & unius substantiæ, concedo: & possumus naturaliter ista concipere, nego. Ratio non capit tres esse quid unum tam specificative, quam numerice.

Persistes: Cognoscimus naturaliter Deum existere: Igitur & esse Trinum. Probatur consequentia: ideo cognoscimus naturaliter Deum esse, quia inter Deum & creaturas est necessaria connexio: Sed illa necessaria connexio invenitur etiam inter creaturas & Deum ut Trinum: Ergo &c.

Respondeo nego paritatem. Ratio discriminis est, quod omnis effectus indigitet causæ existentiam, quippe qui ab ea essentialiter dependeat: verum ut cognoscatur causa quoad quid est, & in se, connexio debet esse, & ex parte medii cognitionis, & ex parte rei in se cognitæ: Porro licet creaturæ a Deo dependeant, non tamen e contra Deus ab eis dependet. Porro inter relationem effectus creati ad causam creatam, & relationem ipsius causæ ad effectum est mutua dependentia.

Ad probationem distinguo: ideo cognoscimus

scimus Deum esse, quia est connexio & dependentia ex parte creaturæ tanquam effectus qui a causa dependet, concedo: quia est connexio & dependentia etiam ex parte Dei, nego: namque Deus bonorum nostrorum non indiget, & a nobis teste Propheta Regio Psal. 15. independens est: & sic distincta minore, nego consequentiam. Cum igitur non sit ex parte Dei tum connexio, tum dependentia, non possumus naturaliter cognoscere illum esse Trinum, ad hoc enim requireretur ut Philosophus Deum cognosceret in se & quoad quid est.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Dari mysterium sanctissimæ Trinitatis ratione mere naturali probari non potest.

PRIMO: hoc ex Scriptura sacra colligitur, sic enim loquitur Christus Matthæi 11. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Ex quo sequitur illud Rom. 11. *O altitudo divitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus*.

Secundo: id ipsum confirmant Patres: Hilarius, Hieronymus, in primis Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. ult.

Tertio: Ratio est, quia fugit prorsus rationem creatam, verbum mentis, & voluntatis impulsum, esse terminos ipsi intelligenti consubstantiales.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Nonnulli Philosophi quibusdam expressionibus sanctissimam Trinitatem adumbrasse videntur, sed certe nonnisi conjecturaliter.

Secundo: Hoc mysterium clarius a Sibyllis delineatum fuisse constat; sed afflatu Spiritus sancti loquutas fuisse non pauci existimant Patres.

Tertio: ultro fatendum est rationem Philosophi cognoscere dari ens infinitum, immo & infinite intelligentem, atque amantem: Sed utrum terminus mentis, & amoris impulsus sint ipsi consubstantiales, neque capit, neque judicat, neque definit ratio humana.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum tres sint Personæ apud Deum in una natura subsistentes.

AD hanc provinciam perfecte adimplendam, prius explanandæ sunt hæreses, Unde sit

SECTIO PRIMA.

Historia critica fusior, & per ordinem digesta hæresum circa mysterium sanctissimæ Trinitatis.

ORTUS.

NON defuerunt qui malignitatis suæ virus in sanctissimam Trinitatem evomuerint, negando tres esse in Deo personas. Cuncta tribuebant Patri opera ad extra, eamdemque personam diversis juxta factorum diversitatem celebrabant nominibus: quinimmo Patrem passum esse effutiebant. Hanc novitatem prior invexit in mundum Praxeas qui primum Montanista, deinde Montani hostis infensissimus, quippe qui nefarii erroris Architectum ad Zephyrinum detulerit, fuitque in causa ut a summo Pontifice proscriberetur. Sic refert Tertullianus l. contra Praxeam cap. 1. Praxeam abnegasse hæresim ibidem scribit Tertullianus, sed eam postea excussa fronte iterum disseminasse tradit: "Denique, *inquit*, caverat pristinum „ Doctor de emendatione sua, & manet „ chirographum apud Psychicos, apud „ quos tunc gesta res est; exinde silen- „ tium. Et nos quidem postea agnitio „ Paracleti, atque defensio, disjunxit a „ Psychicis. Avenæ vero illæ ubique „ tunc semen excusserant. Ita aliquandiu „ per hypocrisim subdola vivacitate latita- „ vit & nunc denuo erupit. Sed & denuo „ eradicabitur, si voluerit Dominus, &c.„

Sub annum Christi 245. Noetus Ephesius juxta Epiphanium, Smyrnæus vero secundum Theodoretum eamdem perversam de sanctissima Trinitate doctrinam acrius propugnavit, prædicans Patrem, Filium & Spiritum sanctum unum esse nedum natura, sed & persona, ut scribit Epiphanius hæresi 7. similiter & Theodoretus l. 3. hær. fab.

Pro-

Progressus.

In apertum erupit incendium error ille versus annum 257. Sabellius quippe Lybicus, Ptolemaide Ægypti oriundus nomine suo, & patrocinio illum celebriorem fecit, docendo unicam esse in Deo personam: Tria vero nomina nihil aliud quam diversos erga creaturas respectus, & effectus importare. Epiphanius hæresi 62.

Errores Sabellii.

Primo: Docuit Patrem in veteri Testamento legem tulisse; in novo autem, ut Filium hominem esse factum, ut Spiritum sanctum ad homines venisse. Hilarius, Epiphanius, Augustinus.

Secundo: Patrem comparavit solis hypostasi, Filium illuminationi, & radio; Spiritum sanctum, calefactioni. Hilarius lib. 3. de Trinit.

Tertio: Christum Salvatorem nostrum, nec Patris æterni Filium agnovit, neque omnis creaturæ primogenitum: immo ejus existentiam penitus sustulit. Euseb. l. 7. cap. 5.

Quarto: Spiritum quoque sanctum omni prorsus intellectu, & cognitione spoliavit. Hilar. lib. 6. de Trinit.

Quinto: Alteram blasphemiam ex Hermogene præcedentibus adjecit, materiam ingenitam esse, idest, Deo coævam, & omnis principii expertem effutiit. Eusebius ex Dionysio lib. 7. de præp. cap. 8. Istum errorem nefandi homines tertio sæculo adversus sanctissimam Trinitatem docuerant. Eundem anno 1531. instaurare conatus est Michael Servetus Hispanus Tarraconensis, qui primum Lutheranus, deinde Calvini collega, tum Trinitarius fuit. Cœpit Parisiis vacare Medicinæ, sed in Africam profectus, Mahumetæ adhæsit, ita ut & libros ad Mahumetismum propagandum exarare non erubuerit; sed dum Genevæ Pauli Samosateni deliramenta prædicaret, sanctissimum Trinitatis mysterium inficiatur, urgente vel ipso Calvino Magistratus sententia in rogo ardenti luit pœnas criminis.

Errores Servetis.

Varios Servetus libros in quibus suos disseminat errores, composuit.

Primo quidem Trinitatem esse monstrum non sine horribili blasphemia dicit. Constanter negat tres personas incorporeas posse in una natura distinctas subsistere: quocirca confitentes sanctissimam & individuam Trinitatem atheos nominare non dubitat l. 1. de Trinit.

Secundo: Sanctum Athanasium non veretur appellare satanam, & Patres Nicænos Sophistas, eo quod sanctissimam propugnaverint Trinitatem. Calvinus contra Servetum pag. 880.

Tertio: Docet Scripturas sacras nonnisi de Christo homine fuisse loquutas l. 1. de Trinit. pag. 47.

Quarto: Negat Spiritum sanctum esse tertiam ex Trinitate personam: addit nullam fieri de illo ineffabili spiritu mentionem nisi ubi est sermo de agendo, idcirco nonnisi ut quandam fidei agitationem, & motum habet, l. 1. de Trin. fol. 28.

Quinto: Animam ex Deo esse asserit, id est ex ejus substantia, dialogo 1. & l. 4. de regenerat. Ex his concludit regeneratos aliam prorsus habere animam quam ante propter substantiam innovatam, & novam deitatem adjunctam.

Sexto: Contendit vel ipsum Deum adoratione non fuisse donatum in lege veteri, sed duntaxat Angelos ipsum repræsentantes Deum: Subjungit eos ab initio fuisse realiter, & restauratione aliqua indiguisse, postquam illorum caput Christus factus est, l. 4. de regenerat.

Septimo: Asserit hominem non damnari propter peccatum originale, nec quemquam aliquod peccatum mortale committere donec vigesimum attigerit annum, Calv. in refut. err. serv.

Octavo: Neque erubescit dicere homines absque Christi cognitione salvari, & Mahumetanos per orationes suas, quæ sunt, ait, optimæ, Christi promissiones consequi. Calv. in refut. err. serv.

Socinus anno circiter 1574. qui ex Lutheri, & Calvini schola prodiit, etiam mysterium sanctissimæ Trinitatis impugnavit. Henr. Spond. Florimundus, & Raymundus.

In-

Interitus, seu proscriptio haresis.

Tertullianus Praxeam debellavit. Epiphanius hæresi 64. & 65. Theodoretus l. 3. hæresi fab. cap. 3. Aug. hæresi 36. suum acuerunt zelum contra Noetum. S. Leo epist. 71. ad Astorigensem Episcopum. Hilarius in decem de Trinitate libris. Aug. in quindecim; Richardus a S. Victore in sex hanc profligarunt hæresim. Eadem proscripta est in Concilio Romano ubi actitatum est de causa Dionysii Alexandrini de Sabellianismo accusati auno Christi 263. tempore Dionysii Papæ. In Concilio Alexandrino ann. 319. sub sancto Sylvestro Papa, & in Concilio Sirmiensi sub Constante anno 357. in causa Photini & Pauli Samosateni, ut scribit Nicephorus l. 9. cap. 31.

Patres primorum sæculorum pro virili illam verbis & scriptis confutavere hæresim. S. Athanasius contra gregales Sabellii. Basilius hom. 27. & alii.

SECTIO SECUNDA.

De natura mysterii sanctissimæ Trinitatis.

TOTA difficultas in hoc potissimum incumbit ut tres esse in una natura apud Deum personas astruatur. Pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO AFFIRMATIVA

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra veteris Testamenti.

NOMINE sanctissimæ Trinitatis intelligimus Trinitatem Personarum in unitate naturæ: Atqui hæc duo simul prædicantur in veteri Testamento: Igitur tres sunt personæ in una natura subsistentes apud Deum. Probatur minor quoad utramque partem, maxime vero quoad unitatem naturæ, namque infra specialiter agemus de distinctione personarum; quænam vero sit, dicemus?

Trinitatem non in uno asserit loco vetus Testamentum. Gen. 1. habetur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quem locum S. Hilarius l. 4. de Trin. Ambrosius l. 6. in Exam. cap. 7. Chrysost. ho. 8. in Gen. Fulgentius l. de fide ad Petrum c. 1. interpretantur de personis sanctissimæ Trinitatis. Egregium est de hoc momento Theodoreti testimonium q. 19. in Gen. ubi hæc habet: " Dum enim inquit, *dixit Deus*, „ communionem divinæ naturæ explanavit: Subjungens autem illud, *faciamus*, expressit numerum personarum. „ Similiter quum iterum singulari numero dixit, *imaginem*: eandem esse naturam ostendit. „

S. Basilius expressius loquitur hom. 9. in exam. pag. 45. sic enim revincit Judæos, & Sabellianos qui ad veritatem evacuandam, respondent Regem ita loqui solere ut suam demonstret auctoritatem, dicendo, volumus, cum tamen ille solus velit, & imperet, aitque S. Doctor: " Quis enim faber, aut ærarius . . . . „ solus ipse quidem, nec alio quoque sibi cooperaute stipatus, interque suæ „ artis instrumenta desideus: Quis, inquam, sibi ipsi admurmurat, dicens, „ *faciamus gladium*, aut compingamus aratrum? „ Quasi vero aliquis sibi ipsi imperet: Deum autem esse mundi opificem, vel ipsi ultro concedunt adversarii. Igitur cum eo loci Geneseos sermo sit de supremo rerum artifice, citra dubium est mentionem ibi fieri de pluribus personis in una natura subsistentibus.

Atque alius Geneseos locus cap. 3. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est:* Et iste cap. 11. *Venite, descendamus, & confundamus linguam eorum*, non minus Trinitatem personarum indigitant. Priorem sententiam S. Basilius l. 5. contra Eunomium. S. Augustinus l. 11. Gen. ad litt. cap. 37. Cyrillus l. 3. contra Julianum, posteriorem vero Theodoretus orat. 2. ad Græcos sic intelligunt. His adde colloquium Abrahæ cum tribus Angelis quos veluti unicum adoravit Dominum, cap. 18. namque S. Augustinus l. 2. de Trinitate, & S. Cyrillus Alex. l. 1. contra Julianum asserunt Trinitatem personarum, unitatem vero naturæ ibi designari.

Non omittenda sane illa ejusdem libri cap. 19. verba: *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem, a Domino de cælo.* Nomine Domini SS. Patres, in primis Hilarius l. 2. de Synod. intelligit Filium; Irenæus l. 3. adversus hær.

hær. cap. 6. *Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur a Domino de cælo*. Filium enim " hic significat, qui, „ & Abrahæ collocutus fit. „ Quid plu-„ ra? Exodi 3. legitur: *Ego sum Deus Patris tui, & Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob*. Ibi animadvertas velim ter ly, *Deus*, repeti ut personarum Trinitatem discas in una natura subsistentes.

Quid memorem Prophetas? Celebre est istud Isaiæ 6. trisagium: *Seraphim ... dicebant sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum*: Ecce personarum Trinitas, & simul naturæ unitas dum unus Dominus, unus Deus proclamatur. Istum prodit sensum Auctor Canonicus ibidem c. 34. his verbis: *Requirite diligenter in libro Domini, & legite: unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsivit, quia quod ex ore meo procedit ille mandavit, & Spiritus ejus ipse congregavit ea*. Audis Patrem loquentem, audis Filium ex ejus ore prodeuntem, & mandatum, ac cuncta creantem: Audis Spiritum sanctum omnia congregantem. Iterum idem Propheta cap. 61. indigitat & Filium & Spiritum sanctum: *Spiritus Domini super me*: quem locum de verbo ad verbum repetit S. Lucas cap. 4. & de Christo interpretatur. Mitto infinita prope alia loca quibus Prophetæ prænuntiant & Adventum Christi, & Spiritus sancti descensum super fideles, ejusque mirabiles effectus, quæ & similia Trinitatem personarum indicant juxta interpretationem SS. Patrum. Instar omnium sit S. Ambrosius qui l. 2. de fide ad Gratianum c. 4. de Trisagio pag. 295. sic loquitur: " Quid sibi vult sub uno no-„ mine sanctitatis trina repetitio? Si tri-„ na repetitio, cur una laudatio? Si una „ laudatio, cur trina repetitio? Trina „ repetitio cur, nisi quia Pater, & Fi-„ lius, & Spiritus sanctus sanctitate unum „ sunt? Non dixit semel, ne Filium „ sequestraret, non bis, ne Spiritum san-„ ctum præteriret; non quater, ne crea-„ turam sibi conjungeret. Et ut ostende-„ ret Trinitatis unam esse Deitatem, cum „ tertio dixisset: Sanctus, Sanctus, San-„ ctus: addidit singulariter: Dominus „ Deus Sabaoth. „

Neque vero siletur naturæ unitas, ubique enim non Dii, non Domini, sed Deus, sed Dominus prædicatur. Sic enim habetur Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram*. Exodi 3. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio Rubi*. Cap. 6. *Dixit Dominus ad Moisen*. Deut. 6. *Dominus Deus tuus, Deus unus est*. A primo igitur ad ultimum liquet, in sanctissima Trinitate tres esse personas in una natura subsistentes.

Secundo, ex novo Testamento.

POSSEM innumera recensere pro Trinitate personarum astruenda cum & Evangelium, & Apostolorum tum acta, tum Epistolæ, tum B. Joannis Apocalypseos liber, & Christum, & Spiritus sancti effectus, & Patris æterni erga nos homines amorem passim, & ubique clare admodum annuntient, sed duo, aut tria loca pro instituto nostro sufficient. Matth. 3. habetur: *Baptizatus Jesus confestim ascendit de aquis, & ecce aperti sunt cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super ipsum, & ecce vox de cælis dicens, hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui*. Dubio-procul tres personæ distinctæ comparent, videlicet Filius incarnatus qui baptizatur a Joanne: Spiritus sanctus qui sub forma columbæ sedit super eum: Pater vero qui ait, *hic est filius meus dilectus*. Ergo &c.

Ipse Christus eamdem manifestat veritatem; suos enim alloquens discipulos Matth. 18. ait: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Rursus Joan. 15. *Nunc autem, & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum ... cum autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Ecce tres personæ clarissime explicatæ. Hanc eamdem veritatem passim disseminat Doctor gentium in suis Epistolis. Sic 1. Cor. 1. ait, *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi*. Thess. 4. *Qui hæc spernit non hominem spernit, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis*. Sed inter omnia testimonia celeberrimum est istud Joannis 1. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*. Intelligas velim tres personas in una natura consubstantialiter sibi adhærentes, atque subsistentes: ita prædicantur, ut nec Rex Alaricus Arianus, nec suarum partium Aria-

Ariani Præsules quicquam refricare potuerint, quum ea in confessione fidei Patrum Africanorum conspexerunt juxta textum græcum hæc verba: *Et hi tres in unum sunt*, qua quidem expressione ostenditur tres personas in unam confluere naturam. Ex his omnibus illud conficitur argumentum. Quæ pendent ex voluntate Dei, nobis per sacras manifestantur Scripturas: sed in eis tres personæ in una natura subsistentes manifestantur: Ergo &c.

Tertio, ex traditione.

Ex primo sæculo. Hermias libro 3. simili 5. Cum interrogasset: " Quare, inquam filius Dei in similitudine hac servili loco ponitur? Respondet pastor: " Audi, *inquit*, in servili conditione non ponitur filius Dei; sed in magna potestate, & imperio. " Rursus similitudine 9. Filius quidem Dei omni creatura antiquior est, ita ut consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam. " Ibidem meminit Spiritus sancti.

Clemens Romanus apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 6. probat traditione mysterium. Sic Beatus Martialis Episcopus epistola ad Burdegalenses cap. 10. quæ refertur in fine Clementinarum editionis Coloniæ Agrippinæ anno salutis 1569. pag. 461. ait: " Itaque nihil discretum in divinitate Trinitatis sentiatis; quia nobis unus & idem Deus, qui cuncta creavit, Pater: & unus & idem Dominus, per quem omnia facta sunt, filius ejus Jesus Christus: & unus idemque Deus Spiritus sanctus, in quo omnia subsistunt. Et hæc in personis tria divisa: in divinitate, unus Deus iudivisus est. "

Sanctus Ignatius apud Theodoretum Dial. 1. pag. 41. epist. ad Rom. sic loquitur: " Dominum desidero filium veri Dei & Patris Jesum Christum. " Ibid. pag. 42. vocat Christum filium hominis secundum carnem, filium vero Dei secundum personam.

Post Ignatium occurrit Aristides Atheniensis qui Adriano Principi de religione Christiana obtulit volumen nostri dogmatis rationem continens; & ad probandum quod Jesus Christus solus esset Deus, præsente Imperatore luculentissime peroravit, ita Martyrologium Romanum, & Adonis die 31. Aug. ita Eusebius l. 4. hist. cap. 3.

His accenseri debet sanctus Polycarpus qui approximante martyrio Deum sic aloquutus est: " Pater dilecti, & benedicti filii tui Jesu Christi, . . . ac propterea præ cæteris omnibus te laudo, te benedico, te glorifico, per Jesum Christum dilectum filium tuum Pontificem æternum: per quem tibi cum eo in Spiritu sancto gloria nunc, & in futura sæcula sæculorum. Amen. " Sic referunt Acta Martyrii apud Eusebium l. 4. c. 14. pag. 98.

Ex secundo sæculo, Justinus in expositione fidei de sancta coessentiali Triutate pag. 191. sic ait: " Decet igitur ut unum Deum confiteamur in Patre, Filio, Spirituque sancto agnitum: quatenus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus unius deitatis dignoscendo subsistentias: quatenus autem Deus, essentiam communem subsisteutiarum intelligendo, unitas enim in Trinitate intelligitur, & Trinitas in unitate noscitur. "

Athenagoras eiusdem est labii, in legatione pro Christianis ubi hæc habet pag. 10. " Est filius Dei, verbum Patris in idea, & operatione; ab ipso enim, & per ipsum omnia facta sunt, cum sint unum Pater, & filius, & sit in Patre filius, & Pater in filio, unitate, & virtute Spiritus. " Rursus ibidem: " Quis igitur non miretur nos, qui Deum Patrem prædicamus, & Deum filium, & Spiritum sanctum .... impios, & sine Deo homines vocari. "

Juxta editionem Basileæ 1565. " Is, *scilicet filius*, germen est Patris, non tanquam factum; a primordio enim Deus mens æterna existens, habuit ipse in seipso rationem & verbum, ut qui perennerationalis sit: verum cum materialia simul omnia naturæ informis & qualitatis expertis & terræ, ad vehiculi, quod vectorem excipit, instar, subjacerent, crassioribus in eis, cum levioribus commistis, ut forma & efficacia eorum esset, tanquam progressum. " Tum paulo post: " Quis igitur non obstupescat, si atheos vocari nos audiat, qui dicimus Deum Patrem, & Filium Deum, & Spiritum sanctum Deum, illorum & in unione virtutem, & in ordine distinctionem demonstrantes.

Egre-

Egregius est locus Irenæi lib. 4. cap. 14. " Propter hoc, *inquit*, in omnibus & per " omnia unus Deus Pater, & unum ver- " bum, & unus Filius, & unus Spiritus " sanctus. "

Ex tertio sæculo, Hippolytus apud Theodoretum dialogo 1. tom. 4. pag. 36. idem docet, maxime sermone 1. apud Anastasium in collectione pag. 210. " Verbum " enim Dei, nulla re mutatum esse, " *asserit*, nec in ullo prorsus, in quo " idem est cum Patre, factum esse idem " cum carne, propter exinanitionem: " Sed cujusmodi erat, absque carne, ita " mansisse extra omnem circumscriptio- " nem. "

Dionysius Papa epist. contra Sabellium apud Athan. lib. de decret. pag. 421. " " Hic enim blasphemat, filium ipsum " asserens esse Patrem, & e converso " patrem esse filium. At isti tres quo- " dammodo Deos prædicant, dum sanctam " Monadem dividunt in tres hypostases " peregrinas a se invicem plane separa- " tas. " Quare non sunt separatæ? quia " in natura adunantur. Rursus ibidem: " Jam vero divinam quoque Trinitatem in " unum, velut in caput, & coalescere " prorsus est necesse. "

Non omittendus sanctus Cyprianus qui epist. 73. pag. 186. ad Jubajanum, Sanctissimam Trinitatem in unitate positam prædicat, dicens: " Quando ipse Chri- " stus gentes baptizari jubeat in plena, " & adunata Trinitate. " Et iterum lib. de unitate Ecclesiæ cap. 4. ait: " De " Patre, & Filio, & spiritu sancto scri- " ptum est, & hi tres unum sunt. " Suffragatur Origenes apud S. Basilium pag. 219. ad hæret. Theognostus apud S. Athanasium lib. de decretis Synodi Nicænæ pag. 420.

Tertullianus lib. contra Praxeam propugnat fidem sanctissimæ Trinitatis cap. 3. his verbis, quibus asserit falli hæreticos qui " Numerum & dispositionem Trini- " tatis, divisionem præsumunt unitatis; " quando unitas ex semetipsa derivans " Trinitatem, non destruatur ab illa, " sed administretur. Itaque duos & tres " jam jactitant a nobis prædicari, se ve- " ro unius Dei cultores præsumunt, qua- " si non, & unitas irrationabiliter colle- " cta, hæresim faciat; & Trinitas ratio- " nabiliter expensa veritatem constituat. "

Rursus antea cap. 8. dixerat: " Custo- " diatur œconomiæ Sacramentum, quæ " unitatem in Trinitatem disponit, tres " dirigens, Patrem, & Filium, & Spi- " ritum sanctum. Tres autem non statu, " sed gradu, nec substantia, sed forma; " nec potestate, sed specie: unius autem " substantiæ, & unius status, & unius po- " testatis; quia unus Deus. "

Clemens Alexandrinus ad calcem lib. 3. Pædagogi pag. 266. suum addit calculum, aitque: " Gratias agamus, & laudemus " unum Patrem, & Filium, Filium, " inquam Pædagogum, & Magistrum, " una cum sancto Spiritu qui unus est om- " nia, in quo omnia, per quem omnia " unum. "

Minutius Felix in Octavio pag. 48. Arnobius lib. 2. contra Gentes pag. 54. & lib. 3. pag. 127. Lactantius l. 4. c. 12. ejusdem sunt sententiæ.

Ex quarto sæculo, S. Athanasius orat. contra Sabellii Gregales pag. 100. " At- " que ita vere, *inquit*, Trinitas coadu- " nata est sine ullis intervallis. Nihil " enim est quod illos distineat, coexistunt " æternaliter, quum nullum ævum inter- " cedat. Formam porro unam, & eam- " dem ex se reddunt. Patre quidem in " filio spectabili, filio vero & Spiritu in- " tellibigili, & ab homine in participa- " tum recepto. "

Ex quinto sæculo, S. Gregorius Nazianzenus orat. 37. " Nobis Deus unus " est, quoniam una deitas, atque ad u- " num, ea quæ ex eo sunt, referuntur: " etiam si tres personas credimus. Ne- " que enim hoc magis, illud minus est " Deus, nec hoc prius, illud posterius. " Nec voluntate scinduntur, nec poten- " tia dividuntur. "

Simile quicquam profert S. Greg. Nyssenus lib. de sancta Trinitate pag. 97. his verbis: Deus quidem pater; Deus item " filius: unus vero in eadem prædica- " tione Deus est: quippe quum neque na- " turæ, neque efficientiæ aliqua differen- " tia in deitate consideretur. " Sed præsertim lib. de Trinitate adversus Judæos ubi plura affert testimonia in probationem mysterii contra ipsos. Sic initio loquitur S. Doctor; " Tria igitur intellige, juben- " tem & imperantem Dominum: crean- " tem sermonem, sive verbum: firman- " tem & solidantem hoc est Spiritum. "

Ambrosius mira dicit de hoc momento lib. de fide Orthodoxa contra Arianos cap. 7. " Pater ac filius etsi duæ per- ,, sonæ creduntur, ratione tamen & ,, substantia unum sunt . . . Cum autem ,, ego patrem & filium statuo, unitatem ,, generis assigno. ,,

His omnibus accedit Augustinus l. 5. de Trinitate c. 8. " Sicut non dicimus, ,, *inquit*, tres essentias, sic non dicimus ,, tres magnitudines, sed unam essentiam ,, & unam magnitudinem. ,, Rursus lib. 7. c. 2. scribit: " Non quia Pater non ,, est filius, & filius non est Pater, aut ,, ille ingenitus, ille autem genitus; ideo ,, non una essentia, quia his nominibus ,, relativa eorum ostenduntur. Uterque ,, autem simul una sapientia, & una es- ,, sentia, ubi hoc est esse, quod sapere. ,,

Non absimili modo loquuntur de sanctissima Trinitate Patres subsequentium sæculorum, in primis Fulgentius lib. 10. objectione 7. Damascenus lib. 1. cap. 11. Bernardus sermone 1. de Trinitate pag. 410. & omnes Academiæ: Igitur ex sanctis Patribus utique affulgent in mysterio ineffabili sanctissimæ Trinitatis tres personæ in unitate naturæ; quod enim traditione firmatur citra errorem abnegari non potest. Ergo &c.

Quarto, ex Conciliis.

Concilium Nicænum hanc approbavit Osii fidei professionem: " Unum consilium, ,, unum Regnum, unam voluntatem, ,, unam dominationem in res omnes crea- ,, tas, tam quæ visu, quam quæ mente, ,, & intelligentia percipiuntur, unam di- ,, vinitatem & eamdem essentiam confi- ,, teri nos opportet Patris, & Filii, & ,, Spiritus sancti. ,, Sic refert Gelasius Cyzicenus lib. 2. hist. Concilii Nicæni c. 2. tom. 2. Conc. pag. 74.

Alexandrinum anno 362. in epistola Synodica sic habet: " Unam autem hypo- ,, stasim se se intelligere partim quia fi- ,, lius ex essentia Patris sit, partim quia ,, in tribus sit identitas naturæ. ,,

Concilium Toletanum tertium, in professione fidei sic pronuntiat: " Persona alius ,, sit pater qui genuit, alius sit filius qui ,, fuerit generatus, unius tamen uterque ,, substantiæ, Spiritus æque sanctus confi- ,, tendus a nobis, & prædicandus a Pa- ,, tre, & Filio procedere, & cum Pa- ,, tre, & Filio unius esse substantiæ. ,; Tom. 5. Conc. pag. 997.

Laterano 4 cap. firmiter: " Hæc san- ,, cta Trinitas, *inquit*, secundum com- ,, munem essentiam individua. ,,

Denique Florentinum sessione 18. Joannes nomine Latinorum, de natura Divina ait: " Quæ cum una numero sit, ,, idcirco non ea ratione communis di- ,, citur esse, qua est humanitas, sed ra- ,, tionem tantum habet communis, qua- ,, tenus communicabilis est. ,, Subdit: " Realem identitatem naturæ manere in ,, unaquaque persona. ,, Ubique unitas naturæ in Trinitate personarum asseritur. Igitur tres sunt in una natura subsistentes personæ.

Quinto, ex Symbolis.

APOSTOLI in suo Symbolo hanc sanctissimæ Trinitatis fidem docent his verbis; *Credo in Deum Patrem omnipotentem: Creatorem cœli, & terræ: & in Jesum Christum, Filium ejus unicum . . . Credo in Spiritum sanctum*. In Nicæno: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ . . . . Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum . . . Consubstantialem Patri . . . . Et in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre filioque procedit, qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas*. In his omnibus tres personæ consubstantiales numerantur; hinc in Symbolo quod tribuitur Athanasio habetur: *Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti: Sed Patris, & Filii, & Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas*.

Sexto, ex rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod de fide definitum est ab Ecclesia, non debet in dubium revocari: Sed de fide definitum est ab Ecclesia in Conciliis adunata, ut supra ostensum est, esse unum Deum in Trinitate. Sic referunt symbola. Ergo &c.

Secunda: Quod primi Christiani ad sanguinis usque effusionem defenderunt, & adversantibus paganis ferro & igne sævientibus confessi sunt, hæc est fides Catho-

lica

lica quam nisi quisque servaverit, salvus esse non poterit: Atqui res sic se habet pro tribus personis apud Deum in una natura subsistentibus. Ergo &c. Minor patet: ex variis Patrum auctoritatibus jam jam laudatis: hoc ex insulsis exprobrationibus Gentilium, qui objiciebant Fidelibus veluti magnum convicium quod tres Deos colerent, maxime unum a Judæis non sine magno dedecore crucifixum. Ista referunt Justinus Apol. 1. Origenes lib. 8. contra Celsum. Ex quibus concludebant Gentiles Christianos absque fundamento impugnare suorum Deorum multitudinem: quæ quidem objectio magnum argumentum est, fideles a nato Christianismo tres subsistentes in una natura personas credidisse.

Tertia: Illa de sanctissima Trinitate doctrina sola audienda est in scholis, cujus contraria ut primum apparuit, absque mora, & impugnata a sanctis Patribus, & in Conciliis proscripta fuit: Atqui talis est hæc doctrina: Et probatur. Vix Sabellii errores apparuere quod sanctus Athanasius, & contra auctorem, & contra ejus Gregales suum acuerit zelum: non minori fervore Patres Antiocheni illum anathemate confixerunt. Ergo &c.

Quarta: Non repugnat tres personas in una natura subsistere. Ergo &c. Probatur antecedens: personæ sanctissimæ Trinitatis constituuntur per relationes, quis autem non videat in eodem homine, multas esse, videlicet relationem filii ad patrem, similitudinis ad alium hominem, & quidem a fundamento realiter distinctas: esto quod sint accidentia; sed in Deo sunt substantiæ. Igitur non implicat in eadem natura plures esse relationes ad invicem realiter distinctas, & consequenter personas.

Respondetur argumentis in contrarium.

OBJICIES: Natura & persona non distinguuntur: Igitur cum sit in Deo una natura, erit utique una persona.

Respondeo distinguendo Antecedens: non distinguuntur identice, concedo: Virtualiter, nego. Distinctio autem virtualis in divinis æquivalet reali in creatis; immo in creatis licet anima rationalis, sensitiva, & vegetativa in homine distinguantur solum virtualiter, sint tamen principia diversarum realiter operationum, intelligendi nempe, sentiendi, & vegetandi.

Instabis. Personæ sunt eædem inter se: ergo non constituunt pluralitatem: Probatur Antecedens: sunt idem cum natura: Ergo &c.

Respondeo distinguendo Antecedens: personæ sunt idem inter se secundum terminum in quo adunantur, concedo; secundum alium respectum, nego. Solutio alibi explicata est ubi diximus eas adunari in natura.

Oppones 2. Joan. 7. Christus sic loquitur: *Pater sancte serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos*. Sed nos homines non sumus unum in substantia cum Deo: Igitur neque filius cum Patre.

Respondeo 1. distinguendo, & Christus eo loci loquitur ut homo, concedo; nam ibi orat, qui autem aliquem deprecatur, ipsi est inferior; sicque non est unus in substantia cum Deo: & loquitur ut Deus, nego.

Respondeo 2. aliter distinguendo, Christus rogat ut unum simus cum eo secundum quid, & unione morali quæ consistit in conformitate voluntatis, concedo: in unione omnimoda, & substantiali, nego. Cæterum omnis comparatio claudicat & non est adæquata, alias esset ipsa res, sic cum Matth. 5. dicit Christus, *Estote ergo vos perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est*. Nemo tamen sanæ mentis dixerit aliquem posse esse perfectum, ut Deus est, sed comparationem esse solum secundum quid.

Instabis. Ubique in Scriptura dicitur unicum esse Deum: Igitur non est Trinitas.

Respondeo distinguendo antecedens: est unicus Deus absolute, concedo; relative, hoc est, Deus unicus habet unicam personam, nego: cæterum cum unicam personæ habeant naturam, *tres*, ut ait divus Joannes, *unum sunt*, ideo est unus Deus.

Urgebis, si primi Christiani tres in Deo personas agnovissent, cum exprobrabant Gentilibus inanem Deorum multitudinem, pagani potuissent in ipsos retorquere argumentum: Sed id non legitur. Argumentum est igitur primos Christianos tres in Deo personas non agnovisse.

Respondeo negando Minorem. Annales enim Ecclesiæ non semel referunt Celsum Philosophum Epicureum reprehen-

disse Christianos quod multitudinem Deorum irriderent, & nihilominus adorarent Deum, & Christum; unde Origenes l. 8. contra Celsum, illum confutat ostendendo discrimen esse inter nos, & Gentiles, quod dicamus Christum Filium Dei, & unum in natura cum Patre, adeoque esse semper unicum Deum. Item Praxeas hæreticus ex fide sanctissimæ Trinitatis inferebat Catholicos tres colere Deos, quam tamen Deorum multiplicitatem falsam esse demonstrat Tertullianus in lib. contra ipsum Praxeam: Igitur tres personas unum vero Deum venerabantur primi Christiani.

Rursus instabis, si primi Christiani agnovissent sanctissimam Trinitatem, non vocati fuissent Athei ab Ethnicis: Atqui sic vocabantur. Ergo &c.

Respondeo distinguendo Minorem, vocabantur Athei sine fundamento, concedo: cum fundamento, nego. Ideo Athei vocabantur, non quia Trinitatem, sed multitudinem Deorum inanem negarent, unde Athenagoras de Paganis conqueritur quod Christianos apellarent Atheos quia agnoscebant Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum ut Deum.

Insistes. Si primi Christiani coluissent tres personas in Trinitate, tale Mysterium irrisissent Ethnici: Atqui id non apparet.

Respondeo 1. Christianos solitos fuisse occultare mysteria non solum inimicis religionis, sed & ipsis Catechumenis qui post Evangelium Missæ dimittebantur, clamante Diacono, *Ite, Missa est*: Ratio Augustini est, quia Christus nondum se credebat eis.

Respondeo 2. negando Minorem, patet enim ex Dialogo Luciani qui inscribitur Philopatris, Gentiles irrisisse sanctissimam Trinitatem. Quid plura? Apostolus dicit mysterium Incarnationis, in quo una persona tanquam a Patre distincta caro facta est, esse & Judæis scandalum, & Gentilibus stultitiam, Ergo &c.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Tres sunt in una natura personæ subsistentes.

PRIMO, utrumque Testamentum hanc præclaram declarat veritatem: vetus quidem quum in libro Geneseos, plures inducit personas loquentes in creatione: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, Ibidem ait: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: Novum vero, his verbis Christi Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti*.

Secundo, hoc definit Concilium Lateranense IV. cap. *Firmiter*. Hoc annuntiant Symbola, hoc ipsum prædicant Patres; Justinus quidem Apol. 2, Tertullianus lib. de pudic. cap. 21. &c.

Tertio, hac ratione probatur. Quæ in Deo latent, nobis & per Scripturam sacram, & per traditionem manifestantur: Sed tres esse apud Deum una natura subsistentes personas annuntiat Scriptura, declarat traditio: Ergo &c.

Synopsis argumentorum in contrarium, & solutionum.

PRIMO: Esto quod natura & personæ non distinguantur identice in Deo, bene tamen virtualiter, quæ quidem distinctio virtualis sufficit ad personarum pluralitatem, quippe quæ operetur in divinis quod realis in creatis, & adimplet.

Secundo: Nec illud negamus axioma, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, cujus veritas etiam in divinis claret, quandoquidem personæ sunt eædem inter se secundum absolutum, hoc est secundum naturam in qua veluti in uno tertio copulantur.

Tertio: Oeconomiæ causa nonnunquam primi Christiani a Trinitatis nomine abstinebant, ne pluralitatem deorum admittere, vel infirmis in fide, & Catechumenis, vel etiam Ethnicis viderentur.

DISSERTATIO SECUNDA

De essentia mysterii sanctissimæ Trinitatis in particulari.



D quæstionem an est, sequitur quæstio quid est: probata igitur mysterii sanctissimæ Trinitatis existentia, ordo rerum postulat ut duce fidei lumine quæramus in quo consistat illud mysterium ineffabile. Multi erraverunt circa hoc momentum, præcipue Sabelliani qui Trinitatem voce tenus agnoscebant. Et vero licet in divinis Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, quoad munia admitterent, minime quoad personas eredebant. Alii in contrarium, multiplicatis tamen personis, multiplicabant utique & naturam, ideoque Tritheistæ vocati sunt, sed contra quod dicit Joannes 1. epistola cap. 5. vers. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.*

Dogma de natura, & substantia mysterii sanctissimæ Trinitatis quatuor probatur momentis.

Primo, quia duæ sunt in Deo processiones, quæ exigunt tres personas.

Secundo, quia sunt quatuor relationes quæ & constituunt tres personas.

Tertio, quia sunt tres personæ vere, & realiter distinctæ inter se.

Quarto, quia est unica, & eadem in tribus personis natura.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum dentur in Deo processiones?

NONNULLA ad quæstionis intelligentiam prælibanda sunt.

Observes igitur velim, primo processionem indigitare motum ad aliquem terminum, ut vel ipsum sonat nomen; qui quidem motus duplex distinguitur; unus videlicet physicus, alter vero metaphysicus: Prior est exitus unius ab alio per realem dependentiam a principio a quo aliquid procedit; saltem hoc ipsum importat in ente quod ab alio fluit: Metaphysicus nihil præter originem unius ab alio dicit; quandoque autem illa emanatio intra principium sistit, & dicitur immanens: Hujus naturæ est verbum mentis seu conceptus, quandoque etiam transit ad extra; sic filius in humanis a patre procedit.

Prænotare quoque juvat processionem modo fieri per dependentiam, modo etiam per independentiam: Physica sortitur dependentiæ naturam, sed Metaphysica non semper. Argumentum dependentiæ illud habebis, si terminus procedat a principio in tempore, tunc enim principium seu causa est ante effectum, quocirca effectus nonnisi dependenter a principio habet esse: Signum vero independentiæ illud est, quum terminus est principio æterno coævus, & ab ipso procedit, non quidem in tempore, sed in æternitate, ita ut non sit verum dicere Patrem v. g. in divinis fuisse in aliquo instanti in quo nondum erat filius.

Ad omnimodam hujus principii intelligentiam non abs re erit impræsentiarum triplex secernere instans, unum quidem temporis, in quo principium est, & nondum producitur effectus: alterum naturæ, in quo, & in hac durationis mensura effectus est simul cum causa, sed eatenus per dependentiam ab illa fluit, quatenus ab eadem accipit esse, & ipsa causa poterat absque effectu existere: hujusce rei accipe exemplum radii solaris, qui quidem foret ab æterno, si sol ab æterno fuisset creatus; attamen ab ipso in hypothesi penderet a sole ut a causa, ipse vero sol potuisset esse absque radio: neminem

quippe latet Deum posse impedire fulgorem hujusce sideris, non destructo sole; sicut caloris effectum ab igne fornacis Babylonicæ in gratiam puerorum fidelium suspendit. Tertium denique instans nomine instantis a *quo* seu *originis* celebratur; & illud censetur cum terminus procedit a principio ab æternitate omni seclusa dependentiæ labe: Sic Filius æternus juxta fidem a Patre procedit: quocirca Pater dicitur prior Filio, non quidem tempore, immo nec prioritate naturæ in quo, sed tantum prioritate originis seu naturæ a quo. Cæterum licet omnis causa sit principium, non tamen omne principium est semper causa: Ratio ea est, quia causa semper importat in effectu dependentiam, principium vero secundum se spectatum, nonnisi in termino emanationem.

Neque prætereundum est duplicem esse in divinis actionem, alteram scilicet essentialem, notionalem vero alteram: essentialis ea censetur, quæ competit Deo ut præintelligitur personis: hoc est ut secundum se consideratur, quam acceptionem non semel Scriptura sacra indigitat, puta, eum, omissis personis, ait de Deo, Psalm. 113. *Quæcumque voluit, fecit*: Et rursus Gen. 31. *Deus Abraham, Deus Jacob, &c.* Notionalis ea est quæ convenit Deo relative ad personas; v. g. cum Christus Joan. 8. sic loquitur: *Ego enim ex Deo processi*. Notionalis dicitur ea potissimum ratione, quod aliquam connotet personam.

Denique operæ-pretium est observare cum Philosophis duplex esse alicujus actionis principium, videlicet adæquatum, & inadæquatum: adæquatum illud dicitur quod agit; & ista proprietas tribuitur personæ; quocirca in hoc sensu istud apud eosdem Philosophos emersit axioma: *Actiones sunt suppositorum*. Nec mirum; persona definitur *spiritualis creatura individua substantia*. Et de facto cum quæritur, quis hoc fecit? Respondetur v. g. Petrus vel illa persona hoc operata est: inadæquatum vero est id quo persona aliquid agit: Sic in nobis natura in abstracto seu secundum se spectata, est id quo agimus; hinc natura dicitur principium radicale alicujus operationis; suppositum seu persona, principium immediatum: ubi vero adsunt potentiæ a natura distinctæ, ipsa potentia dicitur principium proximum quo immediate aliquis operatur: Sic in nobis intellectus est id quo immediate aliquid concipimus.

Ergo in divinis principium *adæquatum* Verbi est Pater, *inadæquatum remotum & radicale*, est natura divina, proximum est intellectus. Porro natura dicitur principium radicale propter duo: primo quidem ex eo quod in ipsa & intellectus, & voluntas radicentur: Secundo quia de facto suas habet actiones & per intellectum & per voluntatem: quamobrem intellectus est id quo immediate intelligit, sicut voluntas est certe id quo immediate amat. Jam nunc quæritur num sint in Deo processiones, & quæ sint?

SECTIO PRIMA.

De processionibus in genere.

CONCLUSIO.

Dantur in Deo processiones.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo quidem ex veteri Testamento.

LEGITUR Psalmo 2. *Ego hodie genui te*: quæ quidem verba Propheta Regius de verbo divino effatur. Concinit illud Micheæ 5. oraculum. *Egressus ejus ab initio a diebus æternitatis*: Sed generatio formaliter & in suo conceptu dicit processionem unius ab alio: sed exitus idem sonat. Igitur dantur in Deo processiones, & sic inquit Divus Thomas 1. q. 27. 1. fides catholica processionem ponit in divinis.

Secundo, ex novo Testamento.

CHRISTUS eandem celebrat in multis locis veritatem. Joann. 8. sic intonat: *Ego enim ex Deo processi*. Idem de Spiritu sancto Joan. 16. loquens ait: *De meo accipiet*. ibid. dicit: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Quibus positis sic licet argumentari. Processio est exitus unius ab alio a quo suscipit esse: Atqui filius æternus a Patre generatur, & ab eo exit: Atqui Spiritus san-

sanctus ab eodem Patre procedit & accipit esse; immo & a Filio, juxta illa Christi verba : *Ille de meo accipiet*. Ergo &c.

Tertio, ex sanctis Patribus.

TATIANUS in oratione ad Græcos meminit processionis Filii a Patre.

Justinus in expositione fidei hunc habet sermonem : " *Filius lumen de lumine generatione oritur*. Spiritus sanctus lumen „ itidem de lumine non generatione, verum processione prodiit. „

Tertullianus venit quoque in testimonium lib. contra Praxeam qui suo perstringit stylo censorio hunc hæresiarcham, quod de Trinitate catholice male sentiret. De Filio Dei sic loquitur cap. 8. argumentando ad hominem : " Prolatus est sermo Dei an non? Hic mecum gradum „ fige. Si prolatus est, cognosce probolam veritatis, & viderit hæresis si „ quid de veritate imitata est, ... Hæc „ erit probola veritatis, custos unitatis, „ qua prolatum dicimus Filium a Patre, „ sed non separatum. „

Suffragatur S. Athanasius qui epist. ad Serapionem Episcopum Thmueos pag. 712. ait : " Veri idcirco adoratores adorent „ quidem Patrem, sed in spiritu & veritate, confitentes Filium, & in Filio Spiritum, cum sit Spiritus inseparabilis a Filio, ut inseparabilis est Filius „ a Patre : Quod & ipsa veritas suo testimonio probat, quum dicit : Mittam „ vobis Paracletum Spiritum veritatis, „ qui a Patre procedit, quem mundus capere non potest.

Non prætereundus S. Aug. qui suum tantæ veritati addit calculum lib. 15. de Trin. c. 17. ubi sic loquitur : " Qui Spiritus sanctus secundum Scripturas sanctas, „ nec Patris solius est, nec Filii solius, „ sed amborum. " Rursus ibidem : Ideo „ autem addidi, *principaliter*, quia & de „ Filius Spiritus sanctus procedere reperitur. „

Ex iis & similibus auctoritatibus hoc sequitur ratiocinium. Ubi plures adsunt personæ, quæ ad invicem referuntur, & inter quas una dicitur a Patre procedere, ut Filius : altera vero a Patre & Filio ut eorum impulsus; ibi necesse est admittere processiones : Sed ex traditione Patrum liquet res sic se habere in divinis : Ergo &c.

Quarto, ex rationibus Theologicis.

PRIMA, sic exponitur. Quod est quid certum de fide definitum, irrefragabiliter tenendum est : Atqui est de fide definitum dari in Deo processiones : Et probatur ex symbolis in quibus fides explicatur. In Nicæno quidem ubi sic legitur : *Credo in unum Deum Patrem ... Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum ... Deum de Deo ... Lumen de lumine ... Et in Spiritum sanctum qui a Patre Filioque procedit*. Ecce processiones adamussim explanatæ. Et iterum in Symbolo quod tribuitur S. Athanasio habetur : *Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus : Spiritus sanctus a Patre, & Filio : non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*.

Secunda hæc est : Quicumque intelligit aliquid, format verbum seu speciem de objecto concepto ut illud ad nutum in ista imagine contempletur; qui vero amat, vi suæ dilectionis producit in se pondus in amatum, juxta illud axioma, *Amor meus pondus meum*. Quod quidem pondus dicitur amor, impulsus, seu etiam spiritus : utriusque operationis experimentum habemus : sed omnis fœcunditas primitus Deo convenit : Igitur si creatura rationalis intelligendo producit verbum, amando vero pondus in objectum amatum, a fortiori hoc ipsum in Deo agnoscere debemus. Hæc ratio est divi Thomæ hic quæstio. 27. art. 1. ubi sic habet : " Quicumque autem intelligit, ex hoc ipso „ quod intelligit, procedit aliquid intra „ ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiva proveniens, ut „ ejus notitia procedens. „ Ergo &c.

Tertia. Ubi aliquid profluit ab alio, & relative ei opponitur, dubio-procul ibi est vera & proprie dicta processio; in hoc enim processio vera distinguitur a processione improprie dicta; in ista quippe quod intelligitur emanare ab alio, relative illi non opponitur, neque ab eo distinguitur, nisi ad summum virtualiter, ut gradus metaphysici in homine, & attributa in divinis; quocirca sapientia, v. g. & bonitas vel in ipso Deo non dicuntur personæ; Atqui in divinis multa nationaliter procedunt, secunda scilicet persona a prima, tertia vero ab utraque; & relati-

ve

ve ad invicem primo opponuntur, tum distinguuntur: Pater enim relative non est Filius, Pater vero & Filius non sunt Spiritus sanctus notionaliter. Ergo &c.

Diluuntur objecta.

Objicies 1. non datur processio: Ergo &c. Probatur antecedens. Processio est exitus unius personæ ab alia: Atqui non datur hujusmodi exitus. Ergo &c. Probatur minor. Exitus in distinctione fundatur: Sed personæ non distinguuntur a principio, scilicet natura: Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem nego minorem. Ad ulteriorem probationem distinguo minorem. Personæ non distinguuntur a principio identice, concedo; virtualiter, nego. Porro distinguuntur virtualiter a natura, realiter vero inter se, quatenus distinctio virtualis in divinis æquivalet distinctioni reali in creatis, & idem operatur. Quod quidem potest illustrari exemplo graduum metaphysicorum, qui tametsi in se una sint, & indivisa entitas; sunt tamen principia operationum inter se realiter distinctarum, videlicet sentiendi, tum & ratiocinandi.

Instabis: Ad processionem requiritur distinctio realis inter personam procedentem, & alteram a qua procedit: Sed ea nusquam reperitur inter personas: Et probatur. Non reperitur inter naturam & personas: Igitur nec inter personas ad invicem.

Respondeo negando minorem: Ad probationem nego paritatem. Ratio discriminis est quod personæ non opponantur relative naturæ, bene vero ad invicem.

Urgebis: Personæ sunt quoque idem ad invicem; Igitur ne quidem inter se relative opponuntur. Probatur antecedens. Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se: Atqui personæ sunt eadem uni tertio, videlicet cum natura; Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo majorem; quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se ratione illius in quo adunantur, concedo; sub alio respectu, nego: Personæ secundum esse *in*, seu absolutum, sunt una & eadem entitas: at vero ut sunt respectus non sic, quippe quæ relative opponantur.

Replicabis. Personæ non distinguuntur ad invicem secundum esse *in*: Igitur neque secundum esse *ad*. Probatur consequentia: secundum esse *ad* non sunt nihil, sed entitas realis. Ergo si non distinguantur secundum absolutum, neque similiter secundum relativum.

Respondeo negando paritatem; quandoquidem relativa se mutuo excludunt. Ad probationem distinguo: Personæ secundum esse *ad* sunt entitas relativa, concedo; absoluta, nego. Omnes sunt una & eadem entitas quæ plures habet respectus; Igitur indistincta in se manet, verum penes respectus subit distinctionem.

Insistes; Ex hoc sequitur unam perfectionem esse in Patre quæ non est in Filio: absurdum consequens: Ergo & antecedens.

Respondeo distinguendo sequelam: sequitur unam perfectionem esse in Patre quæ non est in Filio: hoc est, paternitatem non esse filiationem: concedo: hoc est, aliquem defectum inesse alicui personæ, nego. Personæ ut sunt respectus, non dicunt subjectum, sed motum ad terminum, quocirca non est verum dicere aliquam perfectionem esse in una persona, & non in altera, maxime vero cum adunentur in natura, juxta illud Christi: *Ego in Patre, & Pater in me est.*

Instabis. Ut esset processio personarum, deberent distingui personæ realiter etiam ab essentia: Et probatur: attributa profluunt ab essentia, & tamen ab ea non procedunt proprie, eo quod ab ea non distinguantur realiter. Ergo &c.

Respondeo negando majorem. Dictum est enim distinctionem virtualem æquivalere distinctioni reali quæ reperitur in creatis. Ad probationem nego paritatem. Ratio discriminis non una est. Prima quidem, attributa nonnisi ab essentia per simplicem emanationem fluunt, namque proprietates sunt solum termini secundarii agentis. Altera ea est, attributa inter se non opponuntur relative, hinc personæ sunt termini processionum, non attributa.

Dices: Tametsi distinctio virtualis intercedat inter essentiam & attributa, non tamen realis inter attributa ad invicem: Igitur eadem ratione nec inter personas; quocirca dicendum est secundam & tertiam non procedere.

Respon-

Respondeo negando paritatem : Ratio discrepantiæ ea est, quod omnia in divinis unum sunt, ubi non obviat relationis oppositio, quæ quidem inter personas, non inter attributa reperitur.

Oppones 2. Ut sit processio, Deus debet communicari ad intra alicui : sed non communicatur alicui : Et probatur. Deus habet naturam infinite perfectam. Igitur non indiget communicari ulterioribus personis, cum intellectus & voluntas sint quid idem cum natura. Igitur neque ex propria ratione exigunt terminos immanentes, cum ex illa identitate quidquid perfectionis est, habeant.

Respondeo naturam divinam non communicari propter indigentiam sicut natura creata, quæ a termino aliquam suscipit perfectionem, sed ex summa fœcunditate. Ad probationem distinguo: intellectio & volitio sunt idem absolute cum natura, concedo: relative, seu notionaliter, nego. Si spectes utramque illam actionem cum natura, dubio-procul sunt una & eadem cum illa entitas : si vero notionaliter & ut suum connotant terminum, quamlibet suam producere personam, quid vetat? Cum non sint actiones otiosæ, & ab ipsa natura distinguantur virtualiter, quæ quidem distinctio plusquam sufficiens est, ut sint principia terminorum realiter relative inter se distinctorum ; quandoquidem eadem entitas in homine habet gradus vitæ & sensus solummodo virtualiter distinctos ab illa ; qui tamen gradus sunt principia effectuum inter se realiter distinctorum, qualis est, crementum seu vegetatio & sensatio.

Urgebis, eo ipso quo natura est infinite perfecta, alteri incommunicabilis esse censetur : Igitur eo ipso quo est infinita, non communicatur ad personas producendas.

Respondeo distinguendo : non est communicabilis ut aliquam suscipiat perfectionem absolutam, concedo : relativam, nego. Quia vero hoc contingit non ex indigentia, cum personæ identificentur in eadem natura, iisdem communicatur absque mutationis labe, quippe quæ nihil realitatis aut deperdit, aut acquirit ex personarum processione, & veluti productione.

Instabis : Si illa natura produceret personas, maxime per intellectionem, & volitionem ut dictum est : Sed neutra actio est personarum productiva : Et probatur. Primo quidem non producitur natura, sed neque persoua, cum sit ens a se, adeoque principium non de principio. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem, actio intellectus & voluntatis in rebus creatis non est personarum productiva, concedo : in divinis, nego. Intellectio, & volitio humana sunt accidentia, quocirca nihil utique ultra producunt præter accidentia, quale est verbum rei intellectæ, & pondus in rem amatam : sed in immensum excedunt intellectio, & volitio divina intellectionem, & volitionem creatam : cum enim omnia in Deo sit ipse Deus, quid mirum, si illæ actiones producant utique personas divinas?

Ad probationem distinguo, non producitur persona per dependentiam, concedo : per originem, nego. Ultro fatemur naturam non produci ; sed contendimus personam in concreto eatenus produci per originem, quatenus illi communicatur natura, quod duplici potest illustrari exemplo. Primo quidem Verbi incarnati quod secundum se, & in abstracto non producitur, bene vero in concreto, eo ipso quo humanæ communicatur naturæ. Secundo hominis, cujus anima certe non producitur ab homine, sed a Deo creatur & infunditur ; quia tamen communicatur corpori ab homine producto, terminus ille in concreto seu adæquate sumptus produci dicitur.

Replicabis : Ex hoc sequitur in personis divinis dependentia, & unam esse altera priorem : Sed absurdum consequens : Igitur & antecedens.

Respondeo negando sequelam : hæc enim imperfectio non nisi inter creaturas comperitur, quandoquidem una prior est tempore altera, & ab eadem accipit esse quod antea non habebat : Sed non sic in divinis in quibus personæ sunt eodem prorsus tempore, & in omni perfectione æquales, quocirca non habet locum in eis illud axioma, *Beatius est dare quam accipere* : nec una persona dicitur prior altera nisi ratione originis.

Persistes : Atqui in hypothesi processionum una persona altera perfectior evadet: Ergo &c. Probatur subsumptum. Dubio-procul relationes divinæ sunt perfectiones, & qui-

& quidem infinitæ, namque paternitas, & filiatio divina non sunt nihil: paternitas autem erit solum in prima persona, filiatio vero reperietur tantum in secunda. Ergo &c.

Respondeo negando sequelam; omnem enim habet perfectionem persona secundum esse *in*, seu penes naturam vel absolutum, in quo omnes personæ identificantur, quippe quæ unicum cum natura constituant Deum.

Ad probationem distinguendo: erit aliqua perfectio relativa in una persona, quæ non erit in altera, concedo: aliqua absoluta, nego. Relativum reduplicative ut relativum, hoc est, secundum esse ad, non explicat perfectionem, sed solummodo motum ad terminum: Sed si spectetur secundum esse *in*, jam dicit absolutum, in quo fundatur, & a quo habet quod sit entitas realis absoluta.

Instabis, repugnat potentiam esse in Deo: Sed admissis processionibus, defectus iste sequeretur in eo. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: repugnat potentiam esse in Deo, si potentia sumatur pro alicujus perfectionis privatione, concedo: Si vero pro facultate & principio operandi, nego. Potentia a Philosophis in duplici sumitur sensu: primoquidem pro defectu, & tunc dicitur potentialitas, seu aptitudo ad aliquam perfectionem suscipiendam; deinde vero pro operationis principio in qua quidem acceptione intellectus, & voluntas dicuntur potentiæ animæ. Priori modo in Deo non adinvenitur potentia; bene vero posteriori modo.

Replicabis: Ideo ex divo Thoma potentia intellectiva in Deo producit Verbum, quia quicumque intelligit, eo ipso quo intelligit procedit aliquid intra ipsum: Sed hoc non est semper verum: Et probatur . . . Beati vident Deum intuitive, & tamen juxta divi Thomæ sententiam, de eo non producunt verbum. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: Beati non producunt de Deo verbum, bene vero de aliis objectis, concedo: & non producunt de cæteris objectis, nego. Ad axioma divi Thomæ sufficit ut quicumque intelligit, producat verbum in intellectione alicujus objecti: quod autem beati non producant verbum de Deo, ex duobus potissimum contingit. Primo quidem ex eo quod natura divina uniatur illis per modum speciei impressæ & expressæ, & ideo non indigent producere verbum, ut in eo contempleutur Deum: Altera ratio hæc est, quod res creata, ut pote finita, non possit repræsentare Deum sicuti est.

Repones: Creaturæ producunt verbum ex indigentia, & ex necessitate, eo quod non possint immediate uniri objectis quæ sunt extra eas: Sed Deus est semper sibi præsens, est sibi objectum intelligibile simul & intellectum in actu: Igitur non producit verbum.

Respondeo negando paritatem. Ratio discriminis est quod creaturæ sint potentiales & imperfectæ qua de causa verbum producunt ex necessitate: Sed Deus ex fœcunditate: Et hoc unum probat objectio: Quomodo vero hoc fiat, exclamemus cum Apostolo Roman. 11. *O altitudo divitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*

Dices: Ideo Angelus producit verbum de sua propria essentia, quia est limitatus, nec est suum esse: Sed Deus est suum esse, &, nusquam est in potentia ad seipsum cognoscendum: Igitur non producit verbum.

Respondeo distinguendo consequens sicut supra: Deus non producit verbum ex indigentia, concedo: ex fœcunditate, nego. Et hoc non mirum: tametsi enim ab æterno se cognoscat, nec sit instans etiam naturæ in quo seipsum non contempletur, verum est tamen semper dicere Deum se cognoscere: Quidni igitur intellectio divina producere ex fœcunditate verbum in quo velut in speculo & se, & suas infinitas perfectiones Deus conspiciat?

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Dantur in Deo processiones.

PRIMO, hoc patet ex sacris Scripturis; legitur enim Psal. 2. de processione Filii, *Ego hodie genui te*; Et Joan. 8. Christus ait: *Ego enim ex Deo processi*. Ipse vero Joan. 16. de processione Spiritus sancti dicit: *De meo accipiet*.

Secundo, concinunt SS. Patres Tatianus orat. ad Græcos, Justinus in expositione

tione fidei, Tertullianus l. 8. contra Praxeam &c.

Tertio, ratio divi Thomæ hic art. 1. est : Quicumque intelligit, & amat procedit ex hoc aliquid intra ipsum quod sit intellectionis, & volitionis terminus. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO, verum quidem est personas non distingui realiter a suo principio, bene tamen virtualiter; & hoc sufficit, distinctio enim virtualis in divinis facit idem quod distinctio realis in creatis : hoc est, ea quæ distinguuntur virtualiter, possunt esse principia diversarum rerum, puta, personarum inter se realiter relative distinctarum.

Secundo, tametsi natura divina ut præintelligitur personis sit subsistens, & infinite perfecta, non implicat tamen communicari ad intra quibusdam terminis, & hoc ex fœcunditate, maxime cum sub isto respectu non subsistat relative, adeoque incommunicabiliter, sed tantum absolute.

Tertio, esto quod non producatur natura, sed persona producitur per communicationem naturæ quæ unitur termino intellectionis & volitionis quæ in Deo sunt Deus & non accidens; hinc & termini non sunt dependentes; nec alia prioritas inter principium & terminum invenitur, nisi originis. Ergo ne potentialitas in Deo? Absit, est potentia quidem ut idem sonat ac principium, sed nusquam ut importat imperfectionis labem, videlicet alicujus perfectionis privationem.

SECTIO SECUNDA.

Num sint in Deo plures aut pauciores quam duæ processiones?

CONCLUSIO.

Sunt tantummodo duæ in Deo processiones.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA : Non possumus de mysteriis ratiocinari nisi divinis suffulti Scripturis, cum creatam prorsus superent mentem : Sed ex textu sacro liquet duas esse in Deo processiones, nec plures, nec etiam pauciores : Et probatur. Joannis 8. vel ipse Christus de seipso sermonem instituens, ait : *Ego enim ex Deo processi*. Idem vero de Spiritu sancto loquens Joan. 15. dicit : *Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis qui a Patre procedit*. Ergo &c.

Altera sic se habet : Processiones sunt termini actionum immanentium quatenus duo ab aliquo fluunt principio : Sed nihil invenitur in Deo præter duos processionum terminos, secundam scilicet, & tertiam personam, seu Filium qui a Patre procedit, deinde vero Spiritum sanctum qui a Patre simul & Filio promanat : & probatur. Eo ipso quo aliquis intelligit, & amat, procedit aliquid ad intra simile terminans quidem cognitionem, quæ est assimilativa : impulsus vero ad amorem, qui est ponderativus, juxta illud Christi effatum Matth. 6. *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Ergo &c.

Ista ratio est D. Thomæ hic 1. p. q. 27. art. 3. his verbis : " Processio autem ,, Verbi attenditur secundum actionem ,, intelligibilem; secundum autem operationem voluntatis invenitur in nobis ,, quædam alia processio, scilicet processio amoris, secundum quam amatum ,, est in amante, sicut per conceptionem ,, Verbi, res dicta vel intellecta est in ,, intelligente, unde, & præter processionem Verbi ponitur alia processio in ,, divinis, quæ est processio amoris.

Tertia & quidem a priori sic procedit. Non est unica in Deo processio; hoc ipsum ex Scripturis mox laudatis patet, & ratio ulterior etiam suffragatur, quæ iis concipitur terminis. Ubi sunt præter principium activum duo termini relative oppositi, ibi dubio-procul admittendæ sunt plures processiones : Porro in divinis Pater est principium, non de principio, Filius vero exit a Patre, & relative illi opponitur; Spiritus sanctus procedit a Patre & Filio ut ab uno principio, quatenus eadem est in utroque spiratio activa : relinquitur igitur ut sint in Deo duo procedentes, sed nec plures admittendi sunt; si quidem in Deo sunt tantum duæ actiones productivæ, quæ perfecte terminan-

minantur altera per Verbum, altera vero per Spiritum sanctum. Igitur nec plures, nec pauciores quam duæ sunt in Deo processiones.

Hæc ratio utique sumitur ex S. Thoma ibidem art. 5. his verbis: " Dicendum, „ quod processiones in divinis accipi non „ possunt nisi secundum actiones quæ in „ agente manent; hujusmodi autem actio- „ nes in natura intellectuali & divina „ non sunt nisi duæ, scilicet intelligere, „ & velle. „ Ergo &c.

Fit satis objectionibus.

OBJICIES primo: In Deo nonnisi unica admittenda est processio: Ergo &c. Probatur Antecedens multipliciter. Primo quidem processio est infinita simpliciter & physice, etiam in genere actionis: Sed infinitum hujusmodi non est multiplex, alias non foret infinitum. Ergo &c.

Secundo, admissis multis processionibus, jam daretur progressus in infinitum, videlicet processio processionis absque termino, maxime cum Deus sit infinite fecundus, quod quidem implicat. Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo: Infinitum non est multiplex in eadem linea specifica, concedo: generica, nego. Ultro fatemur unicam esse in Deo generice actionem, quippe qui sit agens infinitum: Sed duæ reperiuntur specifice, videlicet intellectio, & amor quibus in particulari assignandus est terminus, nempe Verbum pro una, Spiritus vero sanctus pro altera.

Ad alteram probationem, nego inde sequi progressum in infinitum; quandoquidem processiones in divinis ultimate terminantur per pondus in amatum nec quid ultra expectatur. Solutio est divi Thomæ qui hic, art. 3. ad 1. sic respondet ad argumentum: " Dicendum, quod non „ est necessarium procedere in divinis „ processionibus in infinitum. Processio „ enim quæ est ad intra in intellectuali „ natura, terminatur in processione vo- „ luntatis. „

Instabis. Processio divina terminum habet infinitum: Sed nihil infinito addendum est: Igitur admittenda est unica in Deo processio: maxime vero cum voluntas non sit aliud ab intellectu in Deo.

Respondeo distinguendo: infinito in omni genere nihil additur, concedo: infinito tantum in aliqua linea, nego. In Deo est ens verum, simul & bonum, quocirca utroque modo exigit sese communicare in processionibus. Tametsi igitur prima processio habeat terminum infinitum in linea veritatis: non implicat & habere in linea bonitatis: cujus rei argumentum est, quod cognitio objecti sit semper propter amorem objecti, & in affectu terminetur, juxta illud axioma: *Nihil amatum quin præcognitum*.

Ad confirmationem distinguo: voluntas in Deo non est aliud ab intellectu identice, concedo: secundum operationum ordinem, nego. Quamvis cuncta in Deo sint unum, voluntas tamen virtualiter distinguitur ab intellectu, & sui ordinis habet operationem: ex quo sequitur alium esse terminum intellectionis; alium vero voluntatis: Ita divus Thomas hic ar. 3. qui verbis subsequentibus sic solvit difficultatem: " Licet in Deo non sit aliud „ voluntas, & intellectus, tamen de ra- „ tione voluntatis, & intellectus est, „ quod processiones, quæ sunt secundum „ actionem utriusque, se habeant secun- „ dum quemdam ordinem, non enim est „ processio amoris nisi in ordine ad pro- „ cessionem Verbi: nihil enim potest vo- „ luntate amari, nisi sit in intellectu „ conceptum. Sicut igitur attenditur qui- „ dam ordo Verbi ad principium a quo „ procedit, licet in divinis sit eadem sub- „ stantia intellectus & conceptio intelle- „ ctus; ita licet in Deo sit idem volun- „ tas & intellectus, tamen quia de ra- „ tione amoris est quod non procedat nisi „ a conceptione intellectus, habet ordi- „ nis distinctionem processio amoris a pro- „ cessione Verbi in divinis.

Urgebis. Unicus est terminus processionis in divinis, scilicet natura: Igitur & unica processio.

Respondeo distinguendo Antecedens; est unicus terminus communicatus in divinis, concedo: unicus productus, nego. Nec mirum: natura communicatur & Filio, & Spiritui sancto; utraque autem persona producitur via originis, unde nego consequentiam.

Replicabis: Pater communicat id totum quod est Filio; Igitur nihil superest communicandum. Ex quo sequitur non esse

esse in divinis nisi unicam processionem.

Respondeo distinguendo Antecedens: Pater id totum quod est in ratione veri communicat Filio, concedo: id totum quod est in ratione boni, subdistinguo, identice, concedo: formaliter & ex vi processionis, nego. Supra ostensum est, omnia in divinis realiter esse quid unum; sed res non sic se habet in processionibus relationes connotantibus: nam ex divo Thoma aliud est ordo intellectionis ad terminum, alius volitionis & amoris ad suum; ex quo concludimus cum sancto Doctore duas esse in Deo processiones.

Persistes; Ut essent duæ processiones, duo quoque deberent esse termini realiter a se invicem distincti: Sed hoc ipsum non contingit: Et probatur. Intellectio & volitio divina non distinguuntur realiter ad invicem: Igitur nec consequenter eorum termini.

Respondeo negando minorem. Ad probationem nego paritatem & consequentiam. Ratio discrepantiæ est, quod termini relative opponantur; quocirca & realiter ad invicem distinguantur: verum non idem de intellectione & volitione accidit; quia tamen distinguuntur ad invicem virtualiter, fundant diversos ordines, ad diversos terminos, qui propter relationem distinguuntur plusquam virtualiter.

Oppones secundo. Videtur quod sint plures quam duæ in divinis processiones: Ergo &c. Probatur antecedens. Intellectio convenit Filio sicut & Patri, idem dicendum de amore activo pro Spiritu sancto. Igitur Filius quoque generat, Spiritus vero sanctus spirat; & sic duæ erunt in Deo generationes, pari & consimili ratione, duæ spirationes.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo, intellectio essentialis sicut Patri, sic & Filio convenit, concedo; notionalis, nego. Similiter & ad aliam partem distinguo, amor activus essentialis est quid tribus personis commune, concedo; amor notionalis, nego. Operatio duplicis generis distinguitur in divinis, altera essentialis, notionalis altera: Prior tribuitur naturæ, quæ cum sit eadem in tribus personis, similiter est & ejus intellectio ac volitio, posterior vero non nisi quibusdam personis quæ constituuntur per relationes naturæ advenientes; unde non mirum si intellectio generativa conveniat soli Patri, spiratio activa soli Patri & Filio, & non Spiritui sancto. Quid plura adjiciam? Quod Filius non generet, & Spiritus sanctus alteram non producat personam, contingit ratione impossibilitatis, eo quod generatio exhausta sit in Filio, sicut & spiratio activa in Spiritu sancto; nusquam vero ratione defectus & infirmitatis.

Instabis: Filius accipit a Patre virtutem generativam: Igitur Filium Patris æterni tametsi genitum, alterum generare non implicat.

Respondeo distinguendo: Filius in creatis virtutem generandi suscipit a Patre, concedo: in divinis, nego. Alio prorsus modo res se habet in divinis; namque generationis fœcunditas in Filio per omnia exhauritur, quippe qui perfecte & adæquate terminet generationem Patris: in humanis non sic, quandoquidem natura non in uno tantum, sed in multiplici servatur individuo.

Replicabis. Filius unius hominis adæquate etiam terminat generationem, & tamen natura sicut in Patre, sic rursus & in Filio generat: Quidni & in divinis generabit & in prima & in secunda persona?

Respondeo negando iterum paritatem. Ratio discriminis hæc est quod natura humana individuata perfecte quidem in unico terminatur individuo; nusquam vero natura secundum se considerata; quandoquidem juxta saniorum Philosophorum mentem est sub isto respectu universalis, quocirca appetit ulterioribus communicari individuis usque in infinitum syncategorematice, eo quod sit etiam secundum se essentialiter limitata; porro citra dubium est finitum posse in numero semper crescere: at vero natura divina & secundum se, & ut personæ Filii appropriata, est in omni perfectionum genere illimitata; ex qua quidem duo sequuntur: alterum Patrem non generare ex indigentia, ut in individuo producto ejus natura conservetur; Alterum, generationem ejus in Filio prorsus exhauriri, addo Filium non generare defectu virtutis, sed possibilitatis.

Unum præ oculis semper habendum est, unam & eandem entitatem multos complecti respectus etiam inter se realiter distinctos, quod quidem non uno illustratur

exem-

exemplo, maxime hominis, qui idem in se manens habet relationem Filii ad Patrem; similitudinis ad alium hominem, Doctoris & scientiæ ad alium Doctorem; quæ tamen relationes juxta Thomistarum placita inter se realiter unitate naturæ humanæ in Petro v. g. permanente, distinguuntur. Jam cum dicitur relativum non est nihil in divinis, esto: ultro confitemur & propugnamus. Ergo relativum ne quidem ab absoluto secernitur; distinguo: ut entitas est, concedo: ut respectus, nego. In relativo divino duo sunt distinguenda, & nusquam confundenda: videlicet, id quod entitatis est, & id quod respectus: priori modo vel ipsum relativum non distinguitur ab alio relativo, bene vero ut respectus est: sicut videre est in homine, quia vero in divinis relativum non accidens, sed subsistentia est, idcirco tot constituit personas, quot sunt respectus relative oppositi; porro tres numerantur: Igitur & tres personæ quę nihil aliud sunt præter unam & eandem entitatem multos in se complectens reales respectus.

Dices. Respectus realis eo ipso quo est realis, entitas est: Sed absque fidei dispendio dici nequit entitatem divinam distingui realiter ab alia entitate divina: Igitur illi respectus non distinguuntur inter se realiter, adeoque nec personæ.

Respondeo distinguendo: respectus realis entitas est secundum esse *in*, concedo: secundum esse *ad*, subdistinguo: est entitas communicata, explicata & propagata, concedo: non prapagata, nego. Una & eadem entitas agnoscitur in divinis: sed realiter communicatur & propagatur; quocirca sunt tres personæ ad invicem distinctæ, non tamen tres entitates, quia absolutum indivisum manet, scilicet natura, quæ cum sit infinita & illimitata, inest tribus personis absque sui divisione, ex quo fit unum esse in tribus personis Deum.

Oppones 2. Attributa promanant a natura, & ab ea virtualiter distinguuntur, sicut & personæ. Igitur & ratione consimili aliæ pro eis admittendæ sunt processiones.

Respondeo distinguendo Antecedens: attributa promanant a natura secundum se spectata, ut a radice, & sicut proprietates ejus essentiales, concedo: a natura in concreto sumpta, & per personas terminata, nego. Natura potest considerari dupliciter, videlicet in abstracto, & secundum se, deinde vero in concreto & ut actuata per personas: priori modo habet suas proprietates, videlicet attributa, quæ per simplicem emanationem ab ea fluunt: Sed posteriori modo, personas; hinc attributa sub isto respectu, non sunt nisi termini ejus secundarii.

Urgebis. Ideo natura terminata per personas aliquid producit quia est completa etiam in ratione subsistendi: Sed secundum se considerata, est utique completa; nimirum per subsistentiam absolutam: Igitur attributa per veram processionem ab ea fluunt.

Respondeo distinguendo majorem: Ideo natura producit personas, quia est completa notionaliter, concedo: absolute seu per subsistentiam absolutam, nego. Similiter & distinguo minorem: completa per subsistentiam absolutam essentialiter, concedo: notionaliter, nego minorem & consequentiam. Quatuor in Deo distinguuntur subsistentiæ, una scilicet absoluta, & tres relativæ quæ dicuntur hypostases: per primam natura completur in ratione entis, & nihil producit; namque proprietates fluunt ab essentia per simplicem emanationem, ne dicam & veluti per resultantiam, completur vero notionaliter per cæteras subsistentias; ex quo fit Patrem generare Filium; Patrem & Filium spirare Spiritum sanctum.

Insistes. Omnipotentia in Deo, memoria, similiter & bonitas, cujus proprium est sese diffundere, sunt attributa operativa, quæ consequenter exigunt terminos. Igitur & pro quolibet admittenda est processio, adeoque plusquam duæ in divinis sunt processiones.

Respondeo distinguendo Antecedens, attributa laudata sunt operativa ad extra, concedo: ad intra, nego. Omnipotentia cuncta creavit, & creaturæ ejus termini ab ipsa dependent. Idem dicendum de bonitate quæ sese ad nos quotidie diffundit; sed non est operativa ad intra nisi in Patre & Filio qui sese Spiritui sancto communicant. Memoria proprie loquendo non est operativa, sed repræsentativa: addam & non reperiri in Deo, quippe qui sit semper in actu intelligibilium, & non transeat sicut creaturæ, de potentia ad

actum

actum intellectionis; memoria enim in nobis requiritur ut de præteritis recordemur.

Solutio est D. Thomæ qui hic art. 5. ad 1. sic loquitur: " Dicendum, quod
„ potentia est principium agendi in aliud,
„ unde secundum potentiam accipitur a-
„ ctio ad extra, & sic secundum attribu-
„ tum potentiæ non accipitur processio
„ divinæ personæ, sed solum processio
„ creaturarum. „

Pergit: " Ad secundum dicendum, quod
„ bonum sicut dicit Boetius in libro de heb-
„ dumadibus, pertinet ad essentiam, &
„ non ad operationem, nisi forte sicut ob-
„ jectum voluntatis. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sunt tantum duæ in Deo processiones, scilicet generatio & spiratio.

PRIMO: quæ latent in Deo, non nisi per revelationem innotescunt: Porro Scriptura meminit solum duarum processionum, Filii scilicet a Patre, Spiritus vero sancti a Patre & Filio.

Secundo, processiones active sumptæ sunt operationes divinæ notionales, passive vero habent terminos: Sed in Deo est solum duplex operatio notionalis, videlicet intellectio & spiratio, seu volitio: duplex quoque tantum terminus, nimirum Filius & Spiritus sanctus. Ergo &c.

Tertio, quæstio movetur hic de iis quæ fiunt ad intra, unde licet omnipotentia plures produxerit ad extra creaturas, non inde multiplicantur processiones; sed duæ solum admittendæ.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO, quamvis prima processio sit infinita active & passive sumpta, non implicat tamen alteram dari in linea voluntatis. Quia vero Verbum adæquate terminat intellectionem, & Spiritus sanctus spirationem, non datur processus in infinitum; namque ultra duas personas a Patre procedentes, non est ulterior expectanda.

Secundo, confitemur quidem omnia in Deo esse quid unum, sed ubi non obviat relationis oppositio: quocirca Verbum & Spiritus sanctus sunt quidem identice idem, sed non relative: Quid plura adjiciam, intellectio, & volitio notionalis distinguuntur inter se virtualiter, quod sufficit ut sint diversorum terminorum inter se realiter relative distinctorum principia.

Tertio, tametsi intellectio & volitio essentialis conveniat omnibus personis, non tamen notionalis; idcirco nec plures nec pauciores sunt quam duæ in Deo processiones: nec inter eos annumerandus est attributorum effluxus, cum sint meræ a natura emanationes, & sequantur ad eam sicut proprietates ad essentiam.

SECTIO TERTIA.

Utrum prima processio dicatur generatio, altera vero spiratio activa.

CONCLUSIO.

Sola prima processio dicitur generatio, altera vero dicitur tantum spiratio.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quotiescumque Scriptura sacra de divinis loquitur processionibus, de generatione perpetuam facit mentionem, ubi de prima agitur, alteram vero nonnisi nominis Spiritus & Paracleti celebrat; Paracleti quidem, sed distincti a Filio qui utique est Paracletus: Atqui de processionibus nemini fas est, nisi, duce Scriptura sacra, loqui. Igitur juxta ejus oracula prior processio generatio appellenda est; posterior vero impulsus seu spiritus. Juvat hic texere ea quæ de utroque momento profert textus facer.

Ex veteri Testamento Psalmo 2. habetur de termino primæ processionis: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; Et iterum Psalmo 109. *Ex utero ante luciferum genui te*: Et rursus Isaiæ 53. *Generationem ejus quis enarrabit*? Ex novo vero Testamento Matth. 3. Pater divinus Christum alloquens sic intonat: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui*. Capite 11. *Nemo novit Filium nisi pater*; Et iterum capite 16. Petrus de Christo ait: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Similiter & Joannis 10. habetur: *Unigenitus Filius* qui

qui est in sinu Patris. Denique & Romanorum 8. *Qui etiam proprio Filio non pepercit*.

Scriptura sacra non silet Spiritum sanctum : Joan. 15. sic legitur : *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*. Rursus 1. Corinth. 2. Apostolus ait : *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*. Ergo &c.

Secunda sic se habet : Non licitum est citra errorem sanctis refragari Patribus, divinam interpretantibus Scripturam : Sed isti uno veluti calamo scribunt esse quid ineffabile nec ratione comprehendi posse cur prima processio sit generatio, secunda vero dicatur impulsus. Igitur standum est symbolo quod D. tribuitur Athanasio ubi habetur : *Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus a Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Observes velim terminum secundæ processionis eo loci vocari Spiritum sanctum : Porro utramque processionem etiam nomine atque vocabulo ineffabilem esse asserunt. Gregorius Nazianzenus, oratione 29. S. Basilius liber 3. contra Eunomium ; S. Chrysostomus homilia 4. de incomprehensibili Dei natura ; S. Cyrillus Alexandrinus libro 2. Thesauri ; S. Ambrosius libro 1. de fide cap. 5. Ante ipsos S. Athanasius epistola de Synodi Nicænæ decretis. Non prætereundus sanctus Augustinus qui lib. 15. de Trinitate cap. 27. fuso scribit calamo terminum solius primæ processionis esse Filium genitum, libro vero tertio contra Maximinum cap. 14. sic loquitur : " Cur unus Filius sit, „ & alius non sit filius . . . quid autem „ inter nasci & procedere intersit, de „ illa excellentissima natura loquens, ex- „ plicare quis potest ? . . . Distinguere „ autem inter illam generationem & hanc „ processionem nescio, non valeo, non „ sufficio. „

Tertia : Illa processio generatio esse censetur, in qua terminus procedit formaliter in similitudinem naturæ ; generatio quippe sic a Philosophis definitur, origo viventis a vivente, principio conjuncto in similitudinem naturæ; illa vero nomine Spiritus insignienda est, ubi terminus veluti pondus, inclinatio & impulsus ad alterum procedit : Atqui res sic habet respectu prioris & posterioris processionis apud Deum : Ergo &c. Ista ratio est D. Thomæ qui hoc ipsum probat ex professo hic art. 4. his verbis : " Processio „ igitur, quæ attenditur secundum ratio- „ nem intellectus, est secundum rationem „ similitudinis. Et in tantum potest ha- „ bere rationem generationis, quia om- „ ne generans generat sibi simile : Pro- „ cessio autem quæ attenditur secundum „ rationem voluntatis non consideratur „ secundum rationem similitudinis, sed „ magis secundum rationem impellentis „ & moventis in aliquid, & ideo quod „ procedit in divinis per modum amoris, „ non procedit ut genitum, vel ut filius, „ sed magis procedit ut spiritus. Quo no- „ mine quædam vitalis motio & impul- „ sio designatur : pro ut aliquis ex amore „ dicitur moveri vel impelli ad aliquid „ faciendum. „

Diluuntur objecta.

Objicies 1. Prima processio absque ratione dicitur generatio : Ergo &c. Probatur antecedens. Intellectio non nisi in esse intentionali & repræsentative, nusquam vero substantialiter producit terminum similem. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem distinguo, intellectio in creatis non producit terminum in substantia similem, concedo : in divinis, nego. Intellectio creata est solummodo accidens, quocirca deficit ut producat substantiam ; secus vero intellectio divina quæ est ipse Deus apud quem accidens non habet locum : aliunde autem constat intellectionem divinam esse fœcundam : Igitur producit terminum in substantia similem.

Instabis. Si intellectio divina producat terminum substantialiter similem, hoc ipsum contingit vel ratione objecti cogniti, vel ratione ipsius principii generantis : Sed neutrum admittendum est : non primum quidem, alias similitudinem repræsentationis objecti tantum produceret, quod dubio-procul ad generationem non spectat : alterum quoque deest ; intellectus enim non producit intellectum. Igitur nec intellectio quid simile generanti.

Respondeo negando minorem, & dico neque intellectum solum, neque vel ipsam in tel-

intellectionem divinam producere terminum, sed patrem, sed naturam subsistentia paternitatis actuatam producere vi suæ intellectionis personam sibi in substantia similem. Igitur similitudo attenditur & secundum objectum repræsentatum; Deus quippe se contemplans producit Filium: & secundum principium generans, quatenus generat Filium sibi similem.

Urgebis. Atqui intellectus simul cum natura operans non potest producere terminum in substantia similem: Et probatur. Intellectus non producit Verbum nisi ut actuatus specie impressa quæ est vicaria objecti in creatis, & nisi in divinis essentia divina illi uniatur per modum speciei impressæ: & hoc ut producat Verbum: Sed hæc generationis ratio terminatur ad similitudinem solum repræsentationis, adeoque ad similitudinem metaphoricam: Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Intellectio Dei generat Verbum quatenus essentia divina unitur intellectui suo per modum speciei impressæ quæ est ipsa Dei natura, quæque se communicat eo ipso quo Deus se contemplatur, concedo: secus, nego Antecedens & consequentiam. Non eodem modo ratiocinandum est, inquit D. Thomas hic art. 2. de Deo & de creaturis. Revera quidem intellectus communicat naturam præconceptam termino conceptionis, quo fœcundatur ad concipiendum objectum, & juxta conatum suum & non ultra: Si igitur sit creatus, jam ipse est accidens, jam species impressa qua fœcundatur ad producendum Verbum de objecto est utique accidens: quid igitur mirum si producendo Verbum quod ejus dicitur conceptus, solummodo producat Verbum quod est repræsentatio objecti solum accidentalis? in Deo vero cuncta sunt Deus & substantia: & ideo intellectus divinus, cum natura illi unita per modum speciei impressæ, non solum in esse intentionali, sed & in esse substantiali producit Verbum.

Oppones secundo: qui procedit in similitudinem naturæ est genitus, & actio ex qua procedit generationis nomine celebranda est: Atqui Spiritus sanctus procedit in similitudinem naturæ: Igitur non una sed multiplex est generatio. Probatur minor. Spiritus ille non est a Deo extraneus: si non procederet in similitudinem naturæ, jam foret extraneus, quod magnam implicat contradictionem, immo & blasphemiam spirat. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo, si Spiritus sanctus non procederet vi amoris divini, & quidem infiniti, foret extraneus, concedo: sin minus, nego. Iterum atque iterum dicimus cuncta in Deo esse unum, sed juxta processiones, diversos in Deo ordines distingui: videlicet ordinem Patris ad Filium, qui via intellectus assimilativi procedit; ordinem vero Patris & Filii ad Spiritum sanctum per modum impulsus, & ponderis ad objectum amatum: ea ducti ratione sancti Doctores duas in Deo agnoscunt processiones, non penes naturam, sed penes intellectum & voluntatem operantes; hinc una jure merito dicitur generatio, altera vero spiratio.

Sic respondet ad difficultatem D. Thomas hic quæstio. 27. art. 4. ad primum his verbis: " Dicendum, quod quidquid est „ in divinis, est unum; cum divina „ natura. Unde ex parte hujus unitatis „ non potest accipi propria ratio hujus „ processionis, vel illius: secundum quam „ una distinguatur ab alia, sed oportet „ quod propria ratio hujus vel illius pro„ cessionis accipiatur secundum ordinem „ unius processionis ad aliam. Hujusmodi „ autem ordo attenditur secundum ratio„ nem voluntatis & intellectus. Unde „ secundum horum propriam rationem sor„ titur in divinis nomen utraque proces„ sio, quod imponitur ad propriam ratio„ nem rei significandam. Et inde est quod „ procedens per modum amoris, & divi„ nam naturam accipit, & tamen non di„ citur natum. „

Instabis: Atqui Spiritus sanctus vi suæ processionis formaliter procedit ut similis: Igitur & dicendus est genitus. Probatur Antecedens. Procedit formaliter ut Deus, alias diceretur Deus per accidens. Igitur & ut similis.

Respondeo distinguendo. Spiritus sanctus procedit formaliter ut Deus, quatenus terminat amorem Dei, concedo: ita ut vi suæ processionis evadat similis, nego. Certum est actum quo Pater & Filius se mutuo diligunt esse divinum, quia infinitus est; quocirca cum infinitum physi-

cum in solo Deo reperiatur, manifestum est Spiritum sanctum procedere ut Deum, & esse Deum per se, nusquam vero per accidens. Nec mirum: Pater a nullo procedit, quippe qui sit principium non de principio: ex quo sequitur Deum non esse præcise Deum propter similitudinem quæ in prima contingit processione, sed ex eo quod sit ens a se: sive igitur Deus se contempletur, sive se amet, utroque modo suam communicat naturam, & ex illius naturæ communicatione terminus tum intellectus, tum voluntatis nominatur Deus & de facto est.

Urgebis: amor ex similitudine profluit in alterum. Igitur Spiritus sanctus tametsi amore procedat, dicendus est genitus.

Respondeo distinguendo, amor profluit in alterum ex similitudine radicali, & principii cum termino, concedo: ex similitudine formali, ita ut actus amoris sit formaliter assimilativus, nego. Similitudo duplex distinguenda est: altera quæ est amoris principium, altera quæ est ipse terminus amoris. Citra dubium est Patrem & Filium, summam in se prahibere bonitatem quæ est ratio mutui amoris motiva: Sed ejusdem amoris terminus est pondus ad se ipsos, & non similitudo quæ jam supponitur expressa in generatione filii.

Hæc ratio est D. Thomæ qui ibidem ar. 4. ad secundum sic habet: " Dicendum, " quod similitudo aliter pertinet ad verbum, & aliter ad amorem, nam ad " verbum pertinet in quantum ipsum est " quædam similitudo rei intellectæ, sicut genitum est similitudo generantis, " sed ad amorem pertinet, non quod ipse amor sit similitudo, sed in quantum similitudo est prircipium amandi. " Unde non sequitur quod amor sit genitus, sed quod genitum sit principium " amoris. "

Insistes: processio secunda communicat termino unam & eamdem naturam quæ communicatur filio. Igitur Spiritus sanctus procedit formaliter, ut similis & genitus. Probatur consequentia. Si non procederet formaliter ut similis, esset cum cæteris personis quid unum solummodo moraliter & affective: sed absurdum consequens: Ergo & antecedens.

Respondeo distinguendo Antecedens: processio secunda communicat termino unam & eamdem naturam unitate identica, concedo: unitate similitudinis, subdistinguendo, similitudinis substantialis, concedo; similitudinis activæ, nego. Concedimus Spiritum sanctum esse eatenus Patri & Filio similem identice, quatenus eadem est in omnibus personis natura, & quidem singularis, siquidem personæ non sunt similes Patri per meram naturæ conformitatem, sicut duo homines dicuntur inter se similes; namque tres personæ sunt unicus Deus: Sed contendimus Spiritum sanctum non habere similitudinem actionis, cum procedat amore, qui quidem non est assimilativus sed ponderativus.

Ad confirmationem, nego inde sequi Spiritum sanctum esse Deum tantum affective; sicut enim Filius non est Deus mere intentionaliter, tametsi procedat via intellectus objectum sibi repræsentantis, quia intellectio est infinita, adeoque ab omni accidentis labe immunis, sed reipsa in se substantialis, & consequenter in termino; pari & consimili ratione Spiritus sanctus est Deus substantialiter; quandoquidem procedit ex amore quidem affectivo, sed infinito & substantiali, qui certe terminum quoque exigit substantialem.

Dices: Si Verbum procedit ex cognitione Dei, Spiritus vero sanctus ex ejus amore, jam Filius procedet quoque ex cognitione creaturarum, Spiritus vero sanctus ex earum amore: Sed absurdum consequens, cum Deus a creaturis non dependeat: Ergo &c.

Respondeo negando utramque sequelam; Verbum enim est terminus primarius cognitionis Patris; sicut & Spiritus sanctus primarius sui amoris; creaturæ vero non sunt nisi termini secundarii tum intellectus, tum voluntatis Dei; unde tametsi Deus eas & intelligat, & amet, nihil tamen ad intra ex eis consequitur in eo.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Prima processio recte dicitur generatio, secunda vero spiratio activa.

PRIMO, Scriptura sacra meminit solum duplicis processionis: terminum prioris vocat Filium genitum; posterioris vero Spiritum sanctum.

S -

Secundo, SS. Patres uno veluti calamo hæc scribunt. Inprimis S. Basilius l. 3. contra Eunomium, Chrysostomus Hom. 4. de incomprehensibili Dei natura &c.

Tertio, ratio D. Thomæ ea est. Persona secunda procedit in similitudinem naturæ, videlicet per intellectum qui est assimilativus: secunda, ut pondus, nempe per amorem. Igitur &c.

Synopsis argumentorum in contrarium, & responsionum.

PRIMO: Intellectio Dei non est accidens, unde personam producere valet: quia vero actiones sunt suppositorum, non dicimus intellectionem producere Filium, sed Patrem ista mirabili fœcunditate donari.

Secundo: Tametsi intellectus Patris sit fœcundus, quatenus natura divina per modum speciei impressæ, & expressæ illi unitur, non inde concludendum est, intellectum Patris producere Verbum inane & solam objecti intellecti repræsentationem, sed potius Verbum ipsi Patri consubstantiale, quia & intellectus, & intellectio quibus producitur sunt substantiæ, entia a se, & ipse Deus.

Tertio: Spiritus sanctus non procedit in similitudinem naturæ, nisi identice, & supponit similitudinem Patris expressam in Filio: Quocirca nemo Catholicus dixerit Spiritum sanctum esse genitum; & consequenter ejus processionem nomine generationis celebrari.

ARTICULUS SECUNDUS.

De relationibus & constitutivo personarum.

RELATIONES in creatis sunt quidem minimæ, in divinis vero sunt supremæ entitates, quia in his fundatur mysterium sanctissimæ Trinitatis: ipsæ autem a processionibus suam ducunt originem. De iis ergo quærimus 1. An sint? 2. An distinguantur ab essentia? 3. An sint de integritate intrinseca essentiæ? 4. Quomodo realis eorum distinctio maneat cum unitate naturæ in qua identificantur? 5. Utrum addant essentiæ aliquam perfectionem? 6. Denique an propriam habeant existentiam?

SECTIO PRIMA.

An sint in deo relationes reales, & quot?

SUPPONO personas divinas realiter distingui inter se; cum enim fides dicat esse tres, hanc quoque innuit distinctionem, distinctio autem personalis est realis; unde in Concilio Florentino sessione 16. habetur tres esse hypostases reipsa differentes. Quæritur ergo an dentur in deo relationes reales, & quot sint? Unde sit

CONCLUSIO PRIMA.

Dantur in Deo relationes reales.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo auctoritate.

LEGITUR 1. Joan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Audis Patrem, Filium & Spiritum sanctum mutuos habere respectus; quis enim negaverit Patrem, v. g. non referri ad filium, & vicissim filium ad Patrem? Igitur ex sacra Scriptura dantur in Deo relationes. S. Thomas hic, q. 28. art. 1. est Scripturæ fidelis interpres. In argumento, sed contra, ita loquitur: " Pater non dicitur nisi a paternitate, & filius a filiatione. Si igitur paternitas & filiatio non sunt in Deo realiter, sequitur quod Deus non sit realiter Pater, aut Filius, sed secundum rationem intelligentiæ tantum. Quod est hæresis Sabelliana. " Tum in corpore: " Dicendum, quod relationes quædam sunt in divinis realiter... Necesse est quod relationes quæ secundum processiones divinas accipiuntur, sint relationes reales. " Quid plura adjiciam? Ita definitum est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Firmiter*.

Secundo, rationibus Theologicis.

PRIMA hæc est: Inter personas prima dicitur Pater, altera, Filius; tertia, Spiritus sanctus. Juxta illud Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spi-*

Spiritus sancti, sed Pater refertur ad Filium, Filius vero ad Patrem. Sed Pater & Filius referuntur ad Spiritum sanctum, sanctus vero Spiritus ad utrumque. Igitur dantur relationes reales in Deo.

Secunda: Ubi est principium & emanatio alicujus ab alio, ibi sunt relationes reales, quia sunt respectus emanati a principio a quo res emanant: Atqui in divinis est principium a quo emanat secunda persona, & etiam a quo emanat tertia. Igitur in Deo sunt relationes reales.

Tertia: Respectus qui reperitur inter duo realia nemine cogitante, est realis: Atqui Pater in divinis, nemine cogitante, habet respectum ad Filium, & e contra Filius ad Patrem: Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Sunt tantum in divinis quatuor relationes, paternitas scilicet, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva. Ita D. Thomas hic ex professo cum aliis Theologis.

Probatur ratione.

DUÆ sunt tantum processiones in divinis, seu origines, & in ipsis fundantur relationes: Sed quælibet fundat duas. Ergo &c. Probatur minor. Generatio, v. g. active sumpta ex parte principii a quo fluit, fundat paternitatem, quæ ad ipsam resultat, passive vero considerata & ex parte termini fundat filiationem, qua filius refertur ad Patrem. Item spiratio activa ex parte principii Patris scilicet & Filii fundat unam relationem spirationis activæ ad terminum: Dico unam, quia Pater & Filius eadem volitione spirant Spiritum sanctum, unde sunt quidem duo spirantes, unus vero spirator. Passive autem considerata fundat relationem spirationis passivæ qua Spiritus sanctus refertur ad Patrem & Filium. Ergo &c.

Solvuntur objectiones adversus primam conclusionem militantes.

OBJICIES: D. Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 12. & 15. pag. 122. comparat relationem Patris ad Filium cum ea qua Dominus refertur ad servum: Sed ista est tantum relatio rationis: Igitur & relatio divina.

Confirmatur. Idem lib. 5. de Trinit. cap. 16. comparat relationem Dei cum ea quam habet numisma census ad Principem, qui potest illi determinare modo majus, modo minus pretium: Sed hæc est relatio rationis. Ergo &c.

Respondeo distinguendo Antecedens. S. Augustinus comparat relationem Patris divini ad suum Filium cum ea quam Dominus habet ad servum, quoad aliquid, concedo: comparat quantum ad omnia, nego. Comparatio est solum penes respectus, & non penes entitatem & dependentiam; namque servus dependet a Domino, nusquam vero verbum a Patre: Item mutui respectus Domini ad servum, sunt accidentia; sed in Trinitate omnia sunt Deus. Cæterum non habetur expresse S. Doctorem laudatam instituere comparationem.

Ad confirmationem eadem est responsio. Quid plura? Argumentum non militat de relationibus quæ sunt inter personas divinas, sed de relatione Dei ad creaturas, quas potest Creator mutare ad libitum sine sui mutatione, sicut numisma census invariatum physice manens, variatur in pretio ad libitum Principis: Porro relationes divinæ sunt substantiales seu proprietates personales per se subsistentes, quippe quæ sint divinæ; ita colligitur ex Augustino lib. 5. de Trinit. cap. 5. pag. 120. " Quamvis, *inquit*, diversum sit Patrem „ esse, & Filium esse, non est tamen di„ versa substantia: quia hæc non secun„ dum substantiam dicuntur, sed secundum „ relativum, quod tamen relativum non „ est accidens, quia non est mutabile. „

Instabis: Relata mutuam dependentiam inter se dicunt: Sed non potest esse in Deo dependentia: Ergo nec relatio realis.

Respondeo distinguendo, in creatis, concedo: Nam ibi relationes sunt accidentia quæ dependent a subjecto, sicut & terminus a principio: in divinis, nego; dicunt enim solum exclusionem & distinctionem termini a principio, suntque perfectiones simpliciter simplices.

Urgebis, si darentur relationes reales in divinis, esset in Deo mutatio: absurdum consequens, Ergo & antecedens. Probatur sequela, adveniret, v. g. Deo paternitas, sed ubi aliquid advenit, ibi fit & mutatio. Ergo &c.

Respondeo negando sequelam, mutatio enim reperitur solum in creatis. Ad probatio-

bationem distinguo, advenit paternitas secundum respectum & esse *ad*, in instanti a quo ab ipso fluit Filius, concedo; secundum rem & in instanti in quo, nego.

Oppones 2. Relatio rationis sufficit in Deo ad constituendas personas. Igitur relationes in Deo non sunt reales. Probatur antecedens, 1. Deus dicitur realiter Creator a relatione rationis, quam habet ad creaturas. Item Christus dicitur realiter Filius beatissimæ Virginis per relationem rationis, quam habet ad ipsam. Ergo &c.

Respondeo negando utramque paritatem. Aliud namque est denominare, aliud est constituere personam: licet relatio sit tantum rationis, denominat tamen realiter aliquid, quia fundatur in actione reali physica, sed non constituit illud in ratione personæ. Relatio quidem Creatoris fundata in productione creaturarum est in Deo solum relatio rationis, quia non advenit illi aliquid ex productione creaturarum; unde non mutatur physice, & ideo non refertur realiter ad creaturas; tum quia est infinite supra eas, & ab illis omnino independens; advenit tamen illi respectus rationis fundatus in dependentia novi termini ad extra positi, qui quidem respectus denominat illum Creatorem. Similiter Christus, licet accipiat esse a BB. Virgine, quia tamen relatio filiationis fundatur in supposito, quod in creatis dependet a causa productiva, & ex alia parte Christus sit persona divina, adeoque a creaturis independens, dicitur solum Filius Patris æterni per relationem realem, Filius vero beatæ Virginis, & quidem vere, per relationem rationis. Quare vero Filius BB. Virginis? quia relatio illa rationis habet fundamentum reale, concursum scilicet Deiparæ ad producendam sanctam humanitatem quæ physice unita est Verbo divino. Sicut igitur mater Petri vere dicitur ejus mater tametsi non produxerit animam, quia ad hoc sufficit ut concursus mulieris ad humanitatem terminetur, quæ unitur animæ, sic & idem dicendum proportione servata, de BB. Virgine respectu Christi.

Solvuntur objectiones contra secundam conclusionem procedentes.

OBJICIES: Si sint quatuor in Deo relationes, erit in Deo compositio: Absurdum consequens, ergo & antecedens. Probatur Antecedens. Deus erit compositus ex natura & quatuor relationibus seu etiam & tribus personis. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens, ad probationem distinguo, erit in Deo compositio ex relationibus & personis sine fundamento & solum propter debilitatem intellectus nostri, qui concipit divina sicut creata, concedo: cum fundamento, nego. Ad cujus explicationem notandum est triplicem distingui a Philosophis compositionem; alteram physicam quæ est ex materia & forma; alteram metaphysicam, quæ coalescit ex forma & subsistentia, quæ quidem subsistentia dicit & subsistentiam ipsam, & existentiam per quam limitat formam & contrahit ad talem naturam; alteram demum logicalem quæ constat genere & differentia, quæque consistit in conceptu duplici, altero scilicet communi fundato in materia physica, vel materia metaphysica, altero vero particulari fundato in forma sive physica, sive metaphysica, id est intellectus ex materia & forma producit conceptum modo communem, ut conceptum animalitatis, seu principii sentiendi, quod convenit tam brutis quam hominibus, modo particularem, ut conceptum rationalitatis, qui convenit solis hominibus ratione naturæ humanæ.

Porro, nulla ex his compositionibus reperitur in Deo, ne quidem logicalis, saltem cum fundamento, quia hæc fundatur supra compositionem vel physicam, vel metaphysicam, quæ non est in Deo. Præterea personæ sunt quid completum ratione termini seu subsistentiæ relativæ, paternitas enim, v. g. infinitam importat perfectionem in sua linea, quippe quæ dicat absolutum simul & relativum, videlicet naturam tali, vel tali relatione & subsistentia actuatam.

Dices: dum concipitur Deus Pater, & postea Deus Filius, concipitur major perfectio in secundo instanti. Igitur conceptus Patris se habet, ut perfectibile ad conceptum Filii, tanquam ad suum perfectivum.

Respondeo distinguendo, concipitur major perfectio extrinsece & propter debilitatem nostri intellectus, concedo: Intrinsece & cum fundamento in re, nego.

X 4 *Instabis.*

Instabis, si sint quatuor relationes, erunt tres personæ, adeoque numerus in Deo: Sed numerus dicit imperfectionem, & naturarum divisionem. Ergo &c. Probatur Antecedens, numerus resultat ex multis unitatibus, seu entibus completis quorum quodlibet est unum in se: Ergo &c.

Respondeo distinguendo, erit numerus physicus fundatus in entibus materialibus, nego: Metaphysicus, subdistinguo, relativus, concedo, & ad hunc sufficiunt multæ personæ completæ in linea personæ; absolutus, resultans ex multis entibus completis, nego. Cum autem sit unica natura, est utique unicum absolutum, & proinde in hoc nullus numerus absolutus.

Ad probationem similiter distinguo: numerus resultat ex multis unitatibus vel absolutis, vel relativis, concedo: ex multis absolutis semper, nego. Est autem in sanctissima Trinitate numerus solum in personis, quæ dicunt aliquid relativum formaliter habens eandem naturam; unde sunt tres personæ, non autem tres Dii.

Insistes; Relatio reddit naturam divinam incommunicabilem: Igitur si sint plures relationes, erunt plures Dii.

Respondeo distinguendo: reddit naturam divinam incommunicabilem, ut appropriatam, concedo: secundum se, nego. Natura divina potest considerari dupliciter, ut appropriata, v. g. per paternitatem; sic enim illam dicit Pater, & sub hoc respectu non communicatur Filio. 2. Secundum se, & sic est eadem & communis in omnibus personis.

Rursus instabis: suppositum divinum est natura divina individuata per relationem. Igitur erunt tres naturæ, adeoque tres Dii.

Respondeo distinguendo, & illa natura secundum se manet semper communicabilis, concedo: Incommunicabilis, nego. Natura divina formaliter ut connotat paternitatem, non communicatur Filio, alias esset ipse Pater, bene tamen secundum se. Porro, ut essent multi Dii, forma absoluta substantialis deberet multiplicari, cum autem immultiplicata maneat, est unicus Deus.

Dices, Pater & Filius vi innati amoris sanctum spirant Spiritum: Igitur duæ relationes spirationis activæ admittendæ sunt, unde sequitur reperiri in Deo quinque relationes.

Respondeo distinguendo. Pater & Filius sanctum spirant Spiritum eadem amoris vi & virtute, concedo: diversa, nego. Relative non opponuntur in spirando, unde idem est in Patre & Filio amoris impulsus. Quocirca inquit divus Thomas, tametsi duo sint spirantes, unicus tamen est spirator.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Dantur in Deo relationes reales.

Quatuor numerantur.

PRIMUM patet juxta illud 1. Joan. 5. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*. Sed prima persona est realiter Pater, similiter & secunda realiter Filius, tertia etiam realiter Spiritus sanctus; Pater vero refertur ad Filium, & alternata vice Filius refertur ad Patrem, uterque vero ad Spiritum sanctum, sicut & Spiritus sanctus correfertur ad Patrem & Filium. Ergo &c.

Secundum, non minus evidens est. Et certe, tot sunt in Deo relationes, quot mutui inter personas divinas reperiuntur respectus: Atqui inter personas divinas quatuor sunt ejusmodi respectus, quandoquidem prima persona secundam respicit ut Filium, ista vero primam ut Patrem. Igitur, in prima est relatio paternitatis, in secunda vero filiationis respectus. Insuper Pater & Filius se mutuo redamantes respiciunt Spiritum sanctum, ut sui amoris terminum; Spiritus vero ille ineffabilis ad utrumque veluti unicum processionis suæ principium vicissim respicit, unde resultat relatio spirationis activæ in Patre & Filio, relatio vero spirationis passivæ in Spiritu sancto. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametsi reales admittantur in divinis relationes, non inde sequitur esse in Deo, vel dependentiam, aut mutationem: Non quidem primum, quia relationes illæ mirabiles non sunt accidentia, sed ipsa Dei substantia: nec quoque secundum, quia non datur instans, in quo non

sit

sit Pater, non sit Filius, non sit Spiritus sanctus: sed nec istæ relationes sunt meræ rationis respectus, cum sint ipsissimæ divinæ personæ, quæ per relationes constituuntur, ut dicetur infra.

Secundo: Dicimus quoque nec plures, nec pauciores esse in Deo quam quatuor relationes. Et vero licet Pater & Filius sanctum spirent Spiritum, hoc fit per modum unius principii, non enim Pater & Filius relative in spirando opponuntur, unde sunt quidem duo spirantes, unus vero spirator. Ergone multiplicatis relationibus, multiplicatur divinitas? Nullo modo; siquidem relationes secundum esse *in* sunt ipse Deus. Quocirca numerus est penes personas, & compositio non nisi extrinseca.

SECTIO SECUNDA.

Utrum relationes distinguantur ab essentia.

GILBERTUS Porretanus Episcopus Pictaviensis, insignis Philosophus, sed pessimus Theologus circa annum 1145. docuit abstracta in divinis differre realiter a concretis, v. g. Deitatem differre a Deo, paternitatem a Patre; item relationes divinas distingui realiter ab essentia. Habita est collatio cum ipso, alia Augustoduni, alia Lutetiæ Parisiorum, sed sophistice argumentando, vacuam remisit omnem demonstrationem, unde in opinione pertinax remansit; tandem in Concilio Rhemensi sub Eugenio III. divus Bernardus ipsum vicit & convertit, ut legitur in Serm. 80. in Cant. de hac disputatione; Specie tamen honoris Gilbertus non fuit in Concilio damnatus, sed ad reconciliationem admissus. Ex alia parte Durandus posuit relationes divinas distingui ab essentia divina realiter, non quidem tanquam rem & rem, sed modaliter, ut rem & modum suum. Denique Scotus vult illas distingui a natura formaliter ex natura rei, & nemine cogitante. Contra quos sit

CONCLUSIO.

Relationes divinæ virtualiter solum distinguuntur ab essentia.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Conciliis.

LATERANENSE cap. *Damnamus*, dicit relationes in Deo & essentiam, esse unam & eandem simplicem entitatem. Rhemense vult scribi stylo ferreo, sapientiam aliaque attributa esse Deum. Florentinum sess. 16. definit essentiam & relationes sola ratione distingui; sic enim ibi loquitur Joannes Theologus Latinus: " Substantia & persona re sunt idem, ,, secundum autem modum intellectionis ,, nostræ differunt. ,, Marcus Theologus Græcus respondet: " Græcos non dif- ,, ferre a Latinis hac in re. ,, Igitur ex totius Ecclesiæ consensu, relationes divinæ nonnisi virtualiter ab essentia distinguuntur.

Secundo, ex ratione, eaque multiplici.

PRIMO QUIDEM evertendo fundamentum opinionis contrariæ. Si esset distinctio realis inter relationes & essentiam, jam esset in Deo quaternitas entitatum, nempe essentia & tres personæ, & hoc damnatur a Concilio Lateranensi. Quoad Scotum: vel ejus distinctio coincidit in opinionem Durandi, vel in nostram: si primum, admitteret quaternitatem; si secundum, confiteatur unicam entitatem in relationibus & essentia: unde non potest esse nisi distinctio per mentem.

Secundo: Ex omnibus Doctoribus & Theologis, omnia in Deo sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Sed relationes non opponuntur cum essentia. Igitur sunt idem re, adeoque ab ea distinctæ tantum per mentem.

Tertio: Idem isto probatur ratiocinio. Essentia divina includit in suo conceptu relationes, ita D. Thomas hic, qu. 28. ar. 2. ubi dicit esse increatum eodem modo se habere ad relationes divinas, sicut esse inhærens respectu relationis creatæ, & infra q. 33. art. 3. ad 1. ubi docet in divinis communia includi in conceptu pro-

proprium. Igitur essentia non distinguitur realiter a relationibus, alias non includeret eas in suo conceptu objectivo & formali. Probatur breviter. Essentia potest considerari, vel ut ens increatum, vel ut ens a se & ut constitutivum divinæ: Atqui sub priori respectu explicite dicit omnia attributa tam personalia quam absoluta: formaliter enim sunt quid increatum, implicite vero includit relationes: In quantum ens a se, est fons & origo omnium perfectionum & personarum. Ergo &c. Cæterum personæ spectatæ ut termini naturæ illam dicunt explicite, quia sunt ejus complementa.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES, divus Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 4. dicit quod Deus non eo Deus est, quo Pater; Igitur deitas plusquam ratione distinguitur a paternitate.

Respondeo distinguendo Antecedens, Deus non eo Deus est quo Pater, secundum modum significandi, concedo: a parte rei, & secundum rem, nego. Primum solummodo intendit Augustinus; ratio enim ejus cur Deus non sit Deus sub eadem ratione qua Pater est, in eo consistit quod Deus per paternitatem se habeat ad alterum, secus vero si secundum se spectetur.

Instabis. S. Augustinus ibidem dicit, quod Deus eo sit Deus, quo est sapiens. Igitur vult Deum magis distingui a paternitate quam a sapientia, adeoque & plusquam virtualiter, sed ex natura rei.

Respondeo distinguendo Antecedens: Deus eo Deus est quo sapiens, physice, concedo: Formaliter, nego. Entitative omnia sunt unum in Deo, ut non semel dictum est; sed quia sapientia, paternitas, & alia attributa, tum absoluta, tum relativa distinguuntur virtualiter ab essentia, ideo formalitas deitatis, & sapientiæ, & paternitatis, similiter & filiationis ac spirationis passivæ multiplex est, non quidem a parte rei, sed per mentis operationem.

Instabis. Atqui multiplex censeri debet ante ipsam mentis operationem. Ergo &c. Probatur Antecedens. Diversa non possunt prædicari de eodem, nisi sint talia ante mentis conceptum; Sed deitas & paternitas, v. g. sunt quid diversum. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem distinguo Antecedens; diversa non possunt prædicari de eodem secundum eumdem respectum, concedo: Secundum diversum, nego. Norunt omnes Theologi distinctionem virtualem inter essentiam & attributa sufficere ad fundandos diversos conceptus, quibus & attributa veluti diversæ ab essentia perfectiones explicantur; hinc recte dicitur, Deus est sapiens, est bonus, justus &c.

Insistes. Ante omnem operationem & nemine cogitante, essentia divina prout absoluta, est communicabilis, & de facto communicatur tribus personis, secus vero ut relationem connotat. Igitur paternitas distinguitur ab essentia ex natura rei.

Respondeo negando consequentiam. Ad hoc enim sufficit distinctio virtualis inter essentiam & paternitatem, ut natura secundum se sit communicabilis, tum & incommunicabilis, sic est ut appropriata, scilicet, ut dicit paternitatem.

Persistes. Spiratio activa, v. g. quæ est in filio est a Patre & per Patrem in Filio, & ab eo profluit. Igitur relatio distinguitur formaliter ex natura rei ab essentia.

Respondeo distinguendo Antecedens: Spiratio activa est a Patre, ut a principio illam communicante, concedo: ut a termino relativo, subdistinguo, respectu Spiritus sancti, concedo: respectu Filii, nego. Spiratio enim illa non habet cum Filio oppositionem relativam, quocirca non est in eo, nec ut processio, nec ut relatio constituens personam.

Persistes, spiratio passiva nullam habet oppositionem cum paternitate & filiatione, & tamen ab illis distinguitur. Ergo &c.

Respondeo distinguendo Antecedens, spiratio passiva non habet oppositionem immediatam, concedo; mediatam, nego. Paternitas enim & filiatio postulant spirationem activam, qua mediante opponantur Spiritui sancto relative, unde Spiritus sanctus per spirationem passivam est persona realiter distincta a Patre & Filio, sed non ab essentia.

Dices: Tam spiratio activa in Patre, mediante paternitate, opponitur filiationi, quam filiatio, mediante spiratione acti-

va opponitur spirationi passivæ. Ergo &c.

Respondeo negando antecedens & paritatem propter duo: primoquidem quia paternitas est prior spiratione activa, & non e contra; ac proinde paternitas nec intercedit media inter spirationem activam, & filiationem, nec spiratio activa opponitur relative filio. Secundo, quia filius mediante spiratione activa producit Spiritum sanctum, e contra vero Pater mediante spiratione activa non producit filium; adeoque inter Patrem & Filium nulla est oppositio relativa sive mediata, sive immediata per spirationem activam, secus vero cum Spiritu sancto.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Relationes divinæ virtualiter tantum ab essentia distinguuntur.

PRIMO: Ita propugnat Concilium Lateranense cap. *Damnamus*: Florentinum sess. 16. ubi habetur, *Substantia & persona re sunt idem.*

Secundo: Idem hoc ratiocinio probatur: distinctio realis solum reperitur in divinis inter ea quæ relative opponuntur, alias si multiplicaretur absolutum, multiplicaretur & divinitas: hoc est, si adesset distinctio realis inter essentiam & personas, similiter & inter attributa ad invicem, jam plures essent Dii: Atqui essentia divina relative non opponitur cum personis. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Bene dicit Augustinus, Deum non eo esse Deum, quo Patrem: Deus quippe aliquid mere absolutum importat, Pater vero dicit relativum: Igitur sub diverso respectu hoc dicitur, quod distinctionem tantummodo virtualem inter essentiam & personas arguit. Quinimmo ista distinctio sufficit, ut diversa eaque opposita de Deo prædicentur, videlicet absolutum & relativum, quod Pater generet & non Filius.

Secundo: Ex eo quod maior appareat distinctio inter absolutum & relativum, quam inter duo absoluta, v. g. inter sapientiam & bonitatem; hoc certe non fit nisi per rationem, & juxta nostrum concipiendi modum; res enim divinas per analogiam ad creata concipimus.

Tertio: Spiratio activa nonnisi Spiritui sancto relative opponitur; quocirca fundat distinctionem realem inter spirantes & spiratum, seu, Spiritum sanctum, nusquam vero inter Patrem & Filium.

SECTIO TERTIA.

Quænam sit natura relationum in divinis?

SUPPONO essentiam relationis in eo potissimum consistere, quod sit ad aliud, quippe quæ merus sit respectus: non nihil tamen difficultatis occurrit circa relationes divinas; hinc quædam quæsita ad elucidationem instituere juvat.

Quæres 1. Utrum relationes aliquam addant essentiæ Dei perfectionem?

Respondeo 1. Nullam addere in sensu identico, quandoquidem quidquid in Deo reperitur, ipse Deus est: quia vero distinctio virtualis essentiam inter & relationes reperitur, non eodem modo ratiocinandum est in sensu formali.

Respondeo igitur 2. Relationes divinas aliquam addere essentiæ perfectionem. Et probatur: Quæ distinguuntur virtualiter ab essentia, ab eadem veluti ejus proprietas & attributa promanant, adeoque ut quid illi additum: Sed attributa relativa sicut & absoluta ab essentia virtualiter profluunt: igitur sunt ejus proprietates & dotes, & consequenter perfectiones ipsi additæ. Altera ratio hæc est: Relatio divina formaliter ut relatio constituit personam; paternitate enim Deus est Pater, secunda persona est Filius per filiationis relationem; tertia Spiritus dicitur, & talis est per spirationem passivam: Sed nullus præter Heterodoxum dixerit personas, aut nihil esse, aut per aliquid a perfectione deficiens constitui: Igitur relationes sunt perfectiones reales, ipsi naturæ mirum in modum cohærentes.

Dices, D. Thomas hic q. 42. art. 4. ait relationem non habere ex se, quod sit aliquid, sed quod sit ad aliud, omnem vero perfectionem attendi penes essentiam, & non penes relationem: " Ad
" se-

„ secundum, *inquit*, quod æqualitas attenditur secundum magnitudinem. Magnitudo autem in divinis significat perfectionem naturæ, ut dictum est, & ad essentiam pertinet: & ideo æqualitas in divinis & similitudo secundum essentialia attenditur: nec possunt secundum distinctionem relationum, inæqualitas, vel dissimilitudo dici. „ Igitur relatio reduplicative ut talis, aliquam non addit essentiæ divinæ perfectionem.

Respondeo 1. Theologos quosdam non ignoti nominis propugnare, vel ipsas relationes divinas aliquam non importare perfectionem, secundum esse *ad*; quippe quæ dicant solummodo respectum ad aliud; id vero quod in se perfectum est, designat quid absolutum, & esse *in*, hoc est subjectum aliquam habens perfectionem; nec inde sequi aliquam defectus labem in personis, cum non sit de ratione relationis formaliter spectatæ, aliquam perfectionem explicare.

Respondeo 2. distinguendo: Relatio generice sumpta non habet quod sit aliquid, concedo: Specifice considerata, subdistinguo, in creatis, concedo: in divinis, nego. Relatio universim sumpta est minimum ens, cum sit merus ad aliud respectus: & hoc in creatis sic contingit, sed non in divinis, in quibus cuncta sunt Deus: quia tamen relatio ex natura sua est ad aliud, est quoque infinita in Deo perfectio, sed hoc ipsum sub ista formalitate non explicat: vel ut verius loquar, explicat per modum respectus, non autem per modum habentis, nisi secundum esse *in*. S. Thomas loquitur de relatione creata, quum illam minimum ens vocat; divinam vero penes esse *in* spectat, quando dignitatem divinæ essentiæ repetit ex absolutis, sed non excludendo relativa: Apostolus namque ait, omnem paternitatem in terris a paternitate increata promanare; cæterum si quando Patres asserant perfectionem in diviuis non dici relative, intelligunt tantum non explicari; maxime eo quod perfectio in sensu obvio importet absolutum: Quid plura? Relationes divinæ cum essentia identificantur. Igitur sunt quid perfectissimum.

Quæres 2. Quot sint in Deo subsistentiæ?

Respondeo 1. Unicam esse absolutam; quandoquidem absoluta non multiplicatur in divinis, alias non unus, sed multiplex foret Deus. Alteram inpræsentiarum rationem subjicere non abs re erit. Deus ut præintelligitur personis, est ens in se completum, juxta illud Exod. 3. *Ego sum, qui sum*. Item & unicus est, dicente Scriptura Ephes. 4. *Unus Deus*. Igitur datur in Deo subsistentia absoluta, eaque unica. Hoc rationis momentum depromitur ex D. Thoma qui q. 2. de potentia, art. 6. ait: " Non est concedendum quod aliquid absolutum in divinis multiplicetur, sicut quidam proclamant duplex esse in divinis, essentiale scilicet & personale, omne enim esse in divinis essentiale est, non vero personale. „

Respondeo 2. Tres esse in Deo subsistentias relativas: & probatur brevi, sed efficaci ratiocinio. Tot sunt subsistentiæ relativæ, quot sunt personæ, si quidem persona divina & est ens per se subsistens, & per relationem in esse personæ constituitur: Sed tres sunt personæ seu hypostases: Igitur & tres subsistentiæ relativæ.

Quæres 3. Utrum subsistentiæ relativæ distinguantur a subsistentia absoluta, & ab ipsa essentia?

Respondeo 1. Subsistentias relativas, nonnisi juxta nostrum concipiendi modum ab absoluta secerni. Et vero quæ eandem spectant lineam, ne virtualiter quidem cum fundamento in re, sed ad summum propter imperfectum res divinas concipiendi modum, ad invicem distinguuntur. Sed subsistentia absoluta & relativæ eatenus intra eandem lineam in ratione essendi concluduntur, quatenus quælibet per se existere importat. Igitur solummodo penes nostrum concipiendi modum, & per quandam ad creaturas analogiam, distinctionem patiuntur.

Respondeo 2. Subsistentia relativa ab essentia distinguitur virtualiter. Revera quidem, ea virtualiter cum fundamento in re distinguuntur in divinis, quæ æquivalent multis ex natura sua apud creaturas distinctis: Sed relativum & absolutum ex natura sua distinguuntur in creatis, si quidem relatio est in eis minimum ens, illudque accidens, e contra vero absolutum, quid substantiale. Igitur in divinis admittenda est distinctio virtualis.

lis inter subsistentias relativas & ipsam essentiam.

Quæres 4. Utrum sit unica in tribus personis existentia?

Respondeo affirmative, existentia namque sequitur naturam, quippe quæ sit quid absolutum, & ultimum ipsius entis complementum: Sed natura eadem est in omnibus personis. Igitur & una eademque pro omnibus existentia.

Dices. S. Augustinus in libris de Trinitate passim hæc profert: " Aliud est " esse Deum, aliud, esse Patrem. " Igitur non una, sed multiplex est existentia in Deo.

Respondeo distinguendo: aliud est, esse Patrem, aliud esse Filium, notionaliter: hoc est, Pater & Filius sunt duæ personæ realiter distinctæ, concedo: aliud est, absolute; nego. Tres personæ sunt una & eadem entitas; idcirco non plures existentiæ admittuntur in divinis; sed una & eadem est pro omnibus personis. S. Augustinus nihil aliud intendit quam personas distinguere, quæ ne confundantur, ut efficiebant Sabelliani, ait: aliud est esse Patrem, aliud esse Filium.

Instabis: Processio terminatur ad existentiam alicujus personæ: Sed duplex est processio, & quælibet habet pro termino unam personam. Igitur & existentiam prorsus diversam; adeoque non est in divinis existentia.

Respondeo distinguendo, processio terminatur ad existentiam communicandam, concedo: producendam, nego. Sicut natura sic & existentia vi processionum communicatur personis; quocirca sola subsistentia relativa qua constituitur persona, producitur.

Urgebis: Tres sunt in Deo entitates: Igitur & tres existentiæ. Probatur Antecedens: Quælibet persona est entitas; & quælibet ab alia persona realiter distinguitur. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens, hoc enim citra fidem dici non potest. Ad probationem distinguo, quælibet persona est entitas relative ab alia persona distincta, concedo: absolute ab alia seiuncta atque divulsa, nego. Est unica in Deo entitas seu natura, quæ tribus communicatur personis, & ideo non nisi relative ab invicem distinctis.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Relationes in divinis aliquam addunt secundum modum concipiendi, essentiæ perfectionem, non tamen existentiam ab absoluta aut realiter aut virtualiter distinctam.

PRIMO: Relationes divinas esse perfectiones nemo Theologus non novit, & hoc propter tria, 1. quia quidquid in Deo est, Deus est, inesse autem sanctissimæ Trinitati paternitatis, filiationis, spirationis activæ & passivæ relationes cuncta confitetur Ecclesia. 2. Personæ constituuntur per relationes. 3. Teste Apostolo, paternitas humana quæ est summa perfectio, a paternitate divina veluti a primigenio fonte promanat. Ergo &c.

Secundo: Constat quoque ineffabiles illas relationes, de quibus hic est controversia, triplicem non importare existentiam; & ratio est, quia relatio duo importat, videlicet esse *in* & esse *ad*: Certo certius est non illam dicere existentiam præcise secundum esse *ad*, sub hac quippe consideratione est tantum respectus, bene vero secundum esse *in*, seu secundum absolutum quod habet, & est res divina. Igitur personæ existunt existentia absoluta, alias si propriam unaquæque relatio haberet, jam foret in Deo quaternitas, quandoquidem existentia multiplicat absolutum, quia vero omnes relationes unica gaudent, manet unitas Dei in Trinitate personarum.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: In creatis quidem perfectio relative non dicitur, eo quod relatio creata, sit inter entia etiam accidentalia, minimum; bene vero in divinis, ubi relatio est ens a se & ipse Deus.

Secundo: Ultro fatemur quod aliud sit esse Deum, aliud vero esse Patrem, sed hoc ipsum multiplicat solum personas, minime vero existentiam. De fide quoque tenemus tres esse in Deo personas subsistentes: Ergo-ne & tres existentias? Nullo modo. Enimvero juxta optimam Angelicæ Scholæ opinionem, subsistentia non distinguitur ab existentia.

SEC-

SECTIO QUARTA.

Quid sit persona, & utrum in divinis reperiatur? Quænam notiones, & quomodo loquendum de mysterio sanctissimæ Trinitatis?

PERSONA definitur a Boetio, rationalis naturæ individua substantia. Dicitur 1. substantia, idest, ens completum; hinc anima separata tametsi per se subsistens, non tamen nomine personæ gaudet. 2. Individua vocatur, qua quidem proprietate excluduntur a ratione personæ naturæ universales; sola enim substantia singularis & incommunicabilis nomen personæ sibi vindicat. 3. Additur rationalis seu intellectualis naturæ, unde substantiæ irrationales non sunt personæ.

Persona nonunquam a sanctis Doctoribus per nomen hypostasis designatur. Sic S. Basilius epist. ad Terentium distinguit usiam seu substantiam, quæ est ratio communis, ab hypostasi quæ est persona: " Hypostasis, *inquit*, in proprietate pa„ ternitatis, aut filiationis, aut sanctifi„ cantis virtutis cernitur. „ Sic Gregorius Nazianzenus epist. 1. ad Cledon. dicit Deum unum usia, Trinum hypostasibus esse. Sic Cyrillus Alexandrinus in dialogo 1. de Trinit. Sic Theodoretus in dialogo 1. adversus hæreses; sic tandem alii Patres bene multi. His prælibatis,

Quæres. 1. An inveniatur in Deo ratio personæ proprie dictæ?

Respondeo affirmative. Ita definitur in Concilio Lateranensi cap. *Firmiter*, & habetur in symbolo divi Athanasii, his verbis: *Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti*.

Probatur ratione. Persona proprie dicta est naturæ spiritualis individua substantia: Atqui talis est in divinis, quod sic probatur; Pater, v. g. divinus, habet naturam supra modum spiritalem, & natura ut paternitate actuata, est sub isto respectu incommunicabilis. Idem proportionaliter dicendum de aliis personis: Igitur in Deo est proprie persona; tum quia persona est quid perfectissimum in omni genere entis.

Quæres 2. Quid significet nomen personæ?

Respondeo personam dupliciter considerari posse, vel in concreto, vel in abstracto; in concreto dicit naturam cum relatione seu hypostasi, & sub hoc respectu est natura individua & incommunicabilis, ut jam diximus; sumpta vero in abstracto, & quatenus relationem importat seu hypostasim, potest considerari ut dicit ens per se subsistens & independens: 2. Ut dicit ens incommunicabile alteri, & jam quæruntur duo; 1. An detur subsistentia absoluta, & quotuplex sit persona?

Respondeo 1. Dari subsistentiam absolutam in Deo, ut sumitur pro ente per se subsistente & independente, & convenire Deo, ut præintelligitur personis. Ita divus Thomas in 1. dist. 21. q. 2. art. 1. ubi sic loquitur: " Natura divina est in „ se habens esse subsistens, nulla intelle„ cta personarum distinctione. „ Ratio est, quia Deus, ut præintelligitur personis, est ens ultimate completum & a se; subsistentia autem absoluta, est ultima rei actualitas, & complementum. Porro hæc est unica in Deo, nec multiplicatur in personis, ut jam de existentia probatum est, quippe quæ sit idem re cum subsistentia secundum Thomistas.

Respondeo 2. Subsistentiam, ut dicit aseitatem singularem, connotare naturam tali vel tali relatione & persona actuatam; adeoque sub isto respectu incommunicabilem: Sic essentia relatione paternitatis terminata, soli primæ personæ convenit, ex quo sequitur subsistentiam divinam esse triplici modo incommunicabilem, videlicet ut appropriatur Patri, ut Filio, ut Spiritui sancto: quia vero spiratio activa est eadem in Patre & Filio, & jam supponat personas istas esse, non constituit personam, sed solum spiratio passiva.

Respondeo 3. Dari hypostasim in divinis, ut ex SS. Patribus liquet. Ratio est, quia persona est naturæ spiritualis individua substantia: Sed natura divina appropriata, v. g. primæ personæ per paternitatem, est individua substantia, sub ista enim consideratione est cæteris personis incommunicabilis. Igitur datur persona in divinis.

Dices natura divina modificata paternitate v. g. est ens completum, & in ratione naturæ, & in ratione personæ. Igitur est unica subsistentia relativa, & una per-

persona scilicet Patris. Probatur consequentia, natura est completa in omni linea. Igitur nequit amplius subsistere in altera persona.

Respondeo distinguendo Antecedens, natura paternitate modificata est completa in ratione naturæ & personæ secundum lineam paternitatis, concedo: & sub hoc respectu est incommunicabilis, & nequit habere alteram subsistentiam relativam paternitatis: secundum omnem lineam, nego. Manet enim adhuc communicabilis subsistentiæ relativæ & filiationis, & spirationis passivæ.

Replicabis; ergo natura divina ut connotat sapientiam potest adhuc terminari ab aliis attributis absolutis, & sic tot erunt personæ in divinis, quot attributa, sicut & quia manet communicabilis Filio & Spiritui sancto præter primam personam, sunt adhuc duæ.

Respondeo negando sequelam & paritatem: attributa enim relative non opponuntur, sed sunt quid absolutum, pertinens ad ipsam naturæ lineam, unde non constituunt personam, neque subsistentias relativas, sed subsistunt in natura per ipsius subsistentiam absolutam.

Quæres 3. Quid sit notio in divinis, & quotuplex sit?

Respondeo 1. Notionem esse notam qua designatur aliqua persona, & tria exigit, 1. Quod dicat aliquid pertinens ad originem, quandoquidem personæ distinguuntur ab invicem relatione originis. 2. Quod significet aliquid pertinens ad dignitatem; nam persona est nomen dignitatis. 3. Quod importet aliquid speciale; nam quod est commune non est ratio discernendi. Præterea ut sit nomen abstractum, quod est ratio cognoscendi personam divinam, unde est conceptus objectivus præbens intellectui fundamentum quo unam personam ab alia distinguat. Notio autem sic sumpta est in divinis: Paternitas enim, v. g. est quid speciale & designat personam infinite dignam, scilicet Patris. Igitur datur notio in divinis.

Respondeo 2. Quintuplicem esse notionem in Deo, videlicet innascibilitatem, paternitatem, filiationem, spirationem activam & spirationem passivam. Innascibilitas & paternitas designant primam personam; filiatio annuntiat secundam; spiratio activa subindigitat spiratorem, seu primam & secundam personam, ut tertiam spirantes: spiratio passiva notificat Spiritum sanctum.

Quæres 4. Quomodo loquendum sit de sanctissima Trinitate?

Respondeo 1. Nomina quæ conveniunt Personis divinis ratione essentiæ singulariter dici, quæ vero conveniunt ratione relationum pluraliter simul & singulariter: Ita colligitur ex Concilio Toletano 2. Ratio est quia essentia divina est unica, unde quæ dicuntur de personis ratione essentiæ, singulariter dicuntur; relationes vero sunt plures, unde quæ dicuntur de personis, pluraliter dicuntur & singulariter simul.

Respondeo 2. Quod recte dicatur, Deus est Trinitas vel Trinus, quia nomen Trinitatis numerum & distinctionem personarum significat connotando essentiæ unitatem, non tamen dicitur Deus est triplex vel multiplex; quia voces illæ multitudinem formæ absolutæ significant, quæ per terminum significantur, cui adjunguntur: unde cum non multiplicetur forma, non potest dici, Deus est multiplex.

Respondeo 3. Recte dici tres personas esse in divinis, quia persona dicit in recto relationem quæ est multiplex: sicut & dicuntur tres hypostases propter eandem rationem, non tamen tres existentiæ, tres æternitates, tres immensitates, tres veritates, quia hæc omnia appellant supra absolutum, & sequuntur naturam, cujus sunt proprietates: Sunt tamen tres sapientes, tres æterni, nomen enim adjectivum appellat supra suppositum, quod est multiplex. Item sunt duo spirantes, sed unus spirator, quia spirans est adjectivum appellans supra personas; Pater autem & Filius spirant Spiritum sanctum; sed spirator est nomen substantivum, adeoque appellans supra naturam, quæ est una in divinis; unde dicitur unus spirator.

Respondeo 4. Deum non dici solitarium, quia sunt tres personæ in divinis & perfectionibus consimiles: Si tamen esset unica persona, Deus diceretur solitarius, licet esset cum Angelis & hominibus, nam creaturæ non sunt ejusdem cum eo naturæ. Denique Pater non dicitur esse aliud a Filio, quia vox *aliud* dicit diversitatem naturæ, bene tamen alius, cum hoc dicat solum diversitatem suppositi.

Sy-

Synopsis eorum quæ in hac sectione continentur.

Primo datur & reperitur persona in divinis.

PROBATUR. Persona est spiritualis naturæ individua substantia: Atqui persona sic delineata locum habet in divinis: Et probatur: Naturam in Deo esse substantiam spiritualem, nemo non novit, cum Deus sit merus summe spiritus; illam vero esse individuam facile concipies, si attendas naturam v. g. reduplicative ut Patri appropriatam, seu ut dicit formaliter paternitatem & esse singularem, & sub isto respectu, non nisi primæ personæ convenit. Ergo &c.

Secundo: Recte in divinis admittitur notio, & quidem quintuplex, quod sic demonstratur. Notio est quoddam signum aliquid significans: Sed ejusmodi signum reperitur in divinis, & quidem quintuplex; innascibilitas quippe & paternitas primam designant personam; filiatio denominat secundam: spiratio activa, primam & secundam, ut unum principium a quo Spiritus sanctus.

SECTIO QUINTA.

Utrum personæ constituantur per relationes.

QUÆRITUR quænam sit formalitas qua persona divina constituitur in ratione personæ, an sit quid absolutum vel relativum?

Ad cujus intelligentiam, notandum est personam posse considerari dupliciter: 1. Ut dicit perseitatem independentiæ, id est ens per se subsistens independenter ab alio, & sub hoc respectu, dicitur subsistentia absoluta. 2. Ut importat perseitatem incommunicabilitatis alteri ut supposito, id est, ens substantiale per se subsistens independenter ab alio, & incommunicabile individuum, sic est alteri incommunicabile, v. g. Pater, non enim Filio communicatur paternitas: ista autem dicitur subsistentia relativa & proprietas personalis, quæ utique potest considerari dupliciter, nempe secundum esse *in*, & ut est quid absolutum relatum ad aliud, seu connotans relationem ad terminum; deinde secundum esse *ad*, & sic est relatio pura & in abstracto, v. g. paternitas: Porro secundum esse *in*, est forma hypostatica, secundum vero esse *ad* relatio nominatur. Difficultas est de subsistentia relativa, & quomodo possit constituere personam. Difficultas est etiam specialis de Patre; an constituatur in ratione personæ, vel per innascibilitatem, vel per subsistentiam relativam. Omissis variis opinionibus, sit

CONCLUSIO.

Personæ divinæ formaliter constituuntur in ratione personarum per subsistentias relativas, ut dicunt quid absolutum ad aliud relatum.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura sacra.

LEGITUR Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Quo posito sic licet argumentari. Nomina explicant rerum naturas. Sed ex Scriptura sacra personæ divinæ nomen accipiunt a proprietatibus relativis. Igitur formaliter constituuntur in esse personæ per proprietates seu subsistentias relativas.

Secundo, ex Conciliis.

LATERANENSE cap. *Firmiter* ait: *Sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, & secundum personales proprietates discreta.*

Florentinum sess. 1. dicit personas divinas per suas proprietates ab invicem differre. Ex his fit istud argumentum. Idem est constitutivum ac distinctivum: Igitur cum ex Conciliis divinæ personæ distinguantur inter se per proprietates relativas, utique per easdem formaliter constituuntur.

Tertio, ex sanctis Doctoribus.

S. FULGENTIUS lib. respons. adversus Arianos, ita loquitur: " Pater ergo & ,, Filius relativa sunt nomina, quæ na- ,, turam gignentis, genitique non sepa- ,, rant, sed unam sine dubitatione signifi- ,, cent.

„ cent. Relativum vero illud dicimus, „ quod ad alium agnoscendum referimus, ut, dum unum nominamus, alium „ demonstremus. „ Dei .de subdit: " Illud nomen Patri semper esse Filioque „ commune, non quo relatio personalis „ ostenditur, sed quo substantialis proprietas demonstratur. „ Isidorus Hispalensis lib. de differentiis, hæc scribit: " In relatione personarum Trinitas est, in substantia vero naturæ unus „ Deus est, Pater scilicet, & Filius, & „ Spiritus sanctus. „ His addamus Augustinum, qui lib. 7. de Trinit. cap. 2. & lib. 8. cap. 1. & lib. 11. de civitate Dei idem dicit & asserit.

Suffragatur divus Thomas, qui hic quæst. 40. art. 4. sic habet: " Proprietas „ personalis Patris potest considerari dupliciter: uno modo ut est relatio, & „ sic iterum secundum intellectum præsupponit actum notionalem; quia relatio „ in quantum hujusmodi, fundatur super „ actum. Alio modo secundum quod est „ constitutiva personæ; & sic oportet „ quod præintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens intelligitur actioni. „ Quibus verbis edocet relationem ad actionem personæ sequi: Igitur supponit illam, adeoque ipsam non constituit nisi ut importat & dicit quid absolutum.

Quarto ex ratione multiplici.

PRIMA est: Non possunt personæ constitui formaliter per aliquid pure absolutum; nam subsistentia absoluta est aliquid commune; unde si per hanc constituerentur personæ, esset unica in Deo persona. Item, non constituuntur per origines, quandoquidem istæ supponunt personas constitutas, prius est enim Patrem esse personam, quam generare; Patrem & Filium esse personas, quam spirare; actiones enim sunt suppositorum, & illas supponunt tanquam principia. Item, si origo sumatur passive, etiam supponit personam; generatio enim v. g. ad actum redacta, est ipse Filius. Ergo &c.

Secunda ratio sic exponitur: Pater v. g. non constituitur per innascibilitatem, seu rationem ingeniti, sed per subsistentiam relativam paternitatis. Rationem hanc affert divus Thomas, hic quæst. 40. art. 3. ad 3. ubi asserit rationem ingeniti nihil ponere in re, & innascibilitatem solum dicere aliquid negativum, nempe negationem principii ab alio principio: Sed persona divina non consistit in puro negativo. Igitur Pater constituitur per subsistentiam relativam connotantem quid absolutum.

Tertia, eaque demonstrativa. Idem est distinctivum ac constitutivum; sed personæ inter se distinguuntur per proprietates relativas; omnia quippe in divinis sunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppositio: sed per easdem proprietates constituuntur: positis enim relationibus, prima persona est Pater; secunda, Filius; tertia, Spiritus sanctus. Ergo &c.

Fit satis objectionibus.

OBJICIES: S. Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 40. n. 9. sic loquitur: " Omnis enim „ res ad seipsam subsistit, quanto magis „ Deus? „ Item divus Thomas quæst. 9. de potentia art. 5. ad 1. docet personas divinas habere ab essentia quod subsistant. Ergo personæ non constituuntur formaliter per subsistentias relativas, sed per absolutam, quandoquidem omnis res est ad seipsam.

Respondeo distinguendo consequens; persona constituitur in ratione personæ absolutæ per subsistentiam absolutam, concedo: in ratione personæ relativæ, nego. Persona, ut notatum est, duplex est, altera absoluta, & quæ dicit solum perseitatem independentiæ, & hæc constituitur per subsistentiam absolutam; Sic est Deus, ut præintelligitur personis; sic & homo secundum se, antequam generet; altera relativa, & hæc dicit incommunicabilitatem alteri, ut suppositum est, sic est Pater quicumque, & ista persona constituitur per proprietatem relativam. SS. Augustinus & Thomas loquuntur de persona in primo sensu spectata, & alii Patres communiter qui vulgo non attendunt ad statera Logicæ.

Instabis: Persona idem est ac suppositum rationalis naturæ, & importat incommunicabilitatem. Homo v. g. licet non generet, v. g. Petrus, manet tamen incommunicabilis. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Persona absolu-

ta idem est ac suppositum absolutum, concedo: Sic enim est incommunicabilis alteri ut supposito; idest, persona Petri, non est persona Jacobi. Persona relativa idem est ac suppositum ut sic, nego. Est enim incommunicabilis relative: Sic homo generans Filium, communicat quidem illi naturam, sed non suppositum formaliter ut generans, alias generatus, filius simul & pater diceretur. Et sic patet solutio totius argumenti.

Insistes: Si persona constitueretur per proprietatem relativam, esset unita naturæ, faceret unum cum illa, & ad illam referretur: Sed proprietas relativa non sic se habet ad naturam divinam, neque enim ad illam refertur nisi per rationem; quandoquidem relative non opponitur illi, neque realiter ab illa distinguitur. Ergo &c.

Respondeo hoc esse verum de relatione creata, quæ est accidens dependens a subjecto: Sed relatio divina pertinet ad lineam naturæ identice, unde non unitur naturæ, sed est ipsa natura divina, & licet virtualiter ab ipsa distinguatur, non tamen resultat ex ea ut persona, cum ab ea non distinguatur realiter.

Urgebis: Ex hoc sequitur personam constitui per seipsam: absurdum consequens: Ergo & antecedens.

Respondeo distinguendo, physice, concedo: est enim una & eadem entitas in persona qua Deus est ens a se: metaphysice, nego. Constituitur enim per absolutum connotans relativum.

Sed inquies: Ergo persona saltem constituitur per originem. Et probatur: Persona in tantum dicitur relativa, in quantum generat vel spirat. Ergo &c.

Respondeo negando sequelam: Ad probationem distinguo, persona in quantum est ad actum redacta, in tantum generat vel spirat, concedo: persona secundum se, nego. Persona relativa potest considerari dupliciter, 1. secundum se, 2. ut agit: priori modo spectata, constituitur per hypostasim connotantem relationem, posteriori vero considerata, constituitur in exercitio; prius est enim personam esse quam generare; & sic explicantur Patres, quando contrarium videntur asserere.

Urgebis: Pater eatenus est pater, quatenus generat: Igitur persona constituitur formaliter per originem.

Respondeo distinguendo: est pater in actu secundo seu exercitio, concedo: in actu primo & ut persona, nego. Generatio, v. g. potest considerari ut actio intenta ab agente, & ut est ad terminum; 2. ut est in facto esse; 3. ut relatio paternitatis resultat ad eam. Intellectio v. g. divina creaturarum, non est generatio, quia non est ab agente ut patre, & ut intenta ad filium generandum, bene vero ut est intellectio terminata ad naturæ expressionem; sic enim intenta constituit personam patris: ut exercita constituit eum agentem in actu secundo; ut passive recepta in termino constituit filium; & tunc resultat relatio paternitatis in principio & filiationis in termino.

Persistes: Ideo ex dictis, personæ constituuntur per proprietates relativas, quia idem est constitutivum & distinctivum: Sed hæc ratio nulla est: Ergo &c. Probatur minor: Pater & Filius constituuntur per paternitatem & filiationem, nec tamen per illas distinguuntur a Spiritu sancto, sed per spirationem activam: Ergo &c.

Respondeo negando minorem; Ad probationem distinguo; Pater & Filius non distinguuntur immediate per paternitatem & filiationem a Spiritu sancto, concedo; mediate, nego. Paternitas enim & filiatio sunt rationes cur aliæ personæ a tertia distinguantur; ideo enim prima & secunda distinguuntur a tertia, quia illam spirant, & prima est pater, & secunda filius.

Instabis iterum, relatio paternitatis nondum est, quando concipitur prima persona, nam resultat solum ad generationem in actu secundo positam, & tamen est persona. Igitur prima persona nec denominatur per paternitatem.

Respondeo distinguendo antecedens, nondum est secundum esse *ad*, concedo: secundum esse *in*, nego. Cum relatio in divinis sit substantia, duplex habet officium, quod non habet in creatis; alterum per ordinem ad subjectum, & secundum esse *in*, sub quo respectu, est forma hypostatica, & constituit personam; alterum secundum esse *ad* & per ordinem ad terminum, sub quo respectu denominat & subjectum, in quantum v. g. posita generatione divina ad actum resultat in principio paternitas, & in termino agentis filiatio;

tio; denominatio enim fit ab actione completa: sed constitutio personæ prior est; quandoquidem prius est agens generare quam denominari Patrem, & tamen in illo priori est persona generans, actiones enim sunt suppositorum.

Dices, non potest intelligi relatio, nisi intelligatur secundum suam essentiam: relationis est referre actu, aliunde vero illa resultat tantum ad terminum positum. Igitur paternitas v. g. non constituit personam secundum esse *in*; quia nondum est relatio paternitatis, nisi concipiatur terminus ad quem resultat.

Respondeo distinguendo majorem: in creatis, concedo; cum enim relatio sit accidens a subjecto, & termino dependens, nequit intelligi nisi posito termino. In divinis, subdistinguo, non potest intelligi secundum suam essentiam vel inadæquatam vel adæquatam, concedo, inadæquatam, nego. Et distinguo minorem, essentia adæquata est referre, concedo: inadæquata, nego. In divinis autem concipitur secundum esse *in* & ut forma hypostatica, priusquam concipiatur secundum esse *ad*: quia tamen esse *ad* connotat quandoquidem in instanti quo persona generat, est ordo realis ad terminum quem denotat, per hoc persona & constituitur & distinguitur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Personæ sanctissimæ Trinitatis constituuntur in esse personæ per proprietates relativas.

PRIMO: Hoc ipsum non obscure insinuat Scriptura sacra. Matthæi enim ultimo nominantur personæ per proprietates personales his verbis: *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti*. Sed nomina explicant rerum naturas. Ergo &c.

Secundo. Idem demonstrant & Concilia & Patres, Synodus Lateranensis cap. *Firmiter* ait sanctissimam Trinitatem esse quidem secundum essentiam, quid commune & indivisum, discretum vero per proprietates personales. Hoc confirmat Fulgentius lib. resp. adversus Arianos pag. 300. Hoc sanctus Thomas hic q. 40. art. 4.

Tertio: Ratio suffragatur. Idem namque est distinctivum ac constitutivum: Sed personæ distinguuntur ad invicem per relationes: omnia siquidem in divinis sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio; sed constituuntur per proprietates relativas; sublatis quippe relationibus, omnia sunt in sanctissima Trinitate communia. Et vero sublata v. g. paternitate, prima persona non dicitur Pater. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametsi persona in esse entitatis constituatur per subsistentiam absolutam, attamen si consideretur formaliter ut persona, constituitur formaliter per proprietatem relativam: quia vero subsistentia relativa idem est re cum absoluta, proprietates relativæ multiplicant quidem personas, nusquam vero, ut non semel diximus, absolutum.

Secundo. Actio generativa & spirativa, a personis quidem reduplicative ut personis promanant, non tamen ipsas constituunt formaliter in esse personarum, sed tantummodo agentium, ratio ea est, quia persona non censetur persona formaliter completa, donec accedat proprietas relativa.

Dices: Relatio paternitatis, v. g. resultat ad generationem ad actum redacta. Igitur persona non constituitur in esse personæ per relationem, cum ipsi præintelligatur.

Respondeo relationem in creatis, utpote accidens resultare: sed hoc non habet locum in divinis, ubi relatio est quid per se subsistens: unde licet præintelligatur generatio paternitati secundum esse *ad*, nusquam tamen secundum esse *in*. Porro proprietas relativa secundum esse *in* considerata, & ut hypostasis connotans relationem, constituit personam.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum sint in Deo tres Personæ realiter distinctæ.

NEGOTIUM hic habemus speciale cum Sabellianis, qui nomine quidem & verbo

verbo teuus tres dicebant personas, sed rem totis viribus, & magna mentis pertinacia, abnegabant. Contra quos sit

CONCLUSIO CATHOLICA.

Tres sunt in Deo personæ realiter distinctæ.

Probatur ex multis capitibus.

Primo ex veteri Testamento.

IBI est personarum distinctio, ubi Deus loquitur in plurali in operibus ad extra, quæ sunt, omnibus testantibus Patribus, toti Trinitati communia: Atqui Deus loquitur in plurali, ut Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Gen. 19. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem a Domino de cælo.* Isaiæ 6. *Clamabant alter ad alterum ... Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum:* Sed hæc oracula intelliguntur de pluralitate personarum inter se distinctarum. Igitur tres sunt personæ inter se distinctæ. Probatur minor, scilicet quod loca Scripturæ intelligantur de pluralitate personarum realiter inter se distinctarum.

Sic intelligit primum locum Basilius homil. 9. in Exaemeron pag. 45. his verbis: " Erat igitur & tunc in iis quæ dicere „ Judæus solet, cuivis obvia & cognos- „ cibilis omnibus absurditas; quis enim „ faber aut ærarius aut lignarius, solus „ ipse quidem, nec alio quoquam sibi co- „ operante stipatus, interque suæ artis „ instrumenta desidens, quis inquam sibi „ ipsi admurmurat dicens; faciamus gla- „ dium, aut compingamus aratrum ... ac „ non potius silentio, suam cum libuerit „ accomodatam ad artem, exequitur ope- „ rationem? Sunt enim insignes profecto „ nugæ, unum aliquem inveniri qui sibi „ imperet, sive præceptorem desidere, „ ac heriliter seipsum vehementerque ur- „ gere & adhortari. „

Idem ibidem revincit quosdam Hæreticos qui dicebant Deum locutum fuisse Angelis, cum dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ibidem pag. 45. " Considera autem id quod con- „ tinenter sequitur: ad imaginem no- „ stram: Quid ad hæc dicere paras? Num „ una & Dei & Angelorum imago est? „ ... Cui dicit ad imaginem nostram? „ Cui, quæso te, alii, quam ei qui splen- „ dor est gloriæ, & figura substantiæ ejus, „ qui est imago Dei invisibilis? Suæ igitur „ imagini propriæ, quæ vivit, quæ di- „ xit: *Ego & Pater unum sumus, & qui me* „ *vidit, vidit Patrem.* „

Sic Justinus Martyr intelligit locum Genes. 19. in dialogo cum Tryphone pag. 78. his verbis: " Non jam duo Angeli ver- „ sabantur cum Loth, sed ipse, ut „ Scriptura indicat: & est Dominus, „ a Domino illo cælesti, hoc est rerum „ Creatore, accepta potestate animadver- „ tendi in Sodomam, Gomorrhamque, quod „ his verbis recenset: Dominus pluit su- „ per Sodomam & Gomorrham sulphur & „ & ignem a Domino de cœlo. „

Suffragatur S. Irenæus l. 3. adversus hær. c. 6. " *Et pluit Dominus super Sodomam &* „ *Gomorrham ignem & sulphur a Domino de* „ *cælo.* Filium enim hic significat, qui & „ Abrahæ conloquutus sit.

Theodoretus in eodem sensu loca laudata & similia intelligit, in primis q. 19. in Genes. ubi sic loquitur. " In universa pla- „ ne Scriptura divina licet audire Deum „ omnium singulari numero loquentem. „ Raro autem pluraliter sermonem format, „ nisi quum innuit numerum personarum „ Trinitatis. „

Pari & simili ratione tertium locum ex Isaia excerptum explanat S. Ambrosius l. 2. de fide ad Gratianum cap. 4. pag. 295. his verbis: " Quid sibi vult sub uno nomi- „ ne sanctitatis, trina repetitio? Si tri- „ na repetitio, cur una laudatio? Si una „ laudatio, cur trina repetitio? Trina re- „ petitio cur nisi quia Pater & Filius, „ & Spiritus sanctus sanctitate unum sunt? „ Non dixit semel, ne Filium sequestra- „ ret, non bis, ne Spiritum præteri- „ ret, non quater, ne creaturam sibi „ conjungeret. Et ut ostenderet Trinita- „ tis unam esse deitatem, cum tertio di- „ xisset: Sanctus, Sanctus, Sanctus: Ad- „ didit singulariter: Dominus Deus Saba- „ oth. „

Sanctus Gregorius Nyssenus in explicatione veteris testamenti de Trinitate adversus Judæos, pag. 245. explanat verba Genes. „ 18. de mysterio: Apparuit ei Deus ad „ quercum opacam sedenti in ostio taber- „ naculi sui tempore meridiano. Quum „ sustulisset autem oculos, vidit: & „ ecce tres viri astabant supra eum ... „ Ecce

„ Ecce igitur dicit quod Deus quidem apparuisset ei, sed quod tres tamen viri „ essent, qui conspecti fuissent: ipsum „ autem rursus non quasi tribus dixisse, „ Domini, si inveni gratiam coram vobis, ne prætereatis puerum vestrum: „ sed Dominum singulariter ternos nominasse, & tanquam unum invitasse ad „ divertendum. Item tanquam unus loquitur, veniam. Vide igitur quod illi, „ qui apparuerunt, tres quidem erant, „ & in propriæ personæ constitutione subsistebant: sed ratione tamen ejusdem „ essentiæ atque naturæ comprehensi erant; „ atque etiam tanquam unus colloquebantur. „ Igitur tres sunt in sanctissima Trinitate personæ.

Secundo, ex novo Testamento.

Christus Dominus Joan. 17. ait: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus:* quomodo autem manifestavit, nisi se ipsum cum Patre manifestando, Pater namque non est absque filio: hoc ipsum Evangelista cap. 1. explicat dicens, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Quæ verba ponderans Tertullianus l. contra Praxeam cap. 21. ait: " Nam si hæc non aliter accipi licet, „ quam quomodo scripta sunt, indubitanter alius ostenditur, qui fuerit a principio, alius apud quem fuit: alium sermonem esse, alium Deum; licet & „ Deus sermo; sed qua Dei Filius, non „ qua Pater; alium per quem omnia, alium de quo omnia. „

Christus Dominus suam expressius prodit mentem circa pluralitatem personarum Joan. 14. his verbis quæ ad suos dirigit Apostolos: " *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis... Philippe, qui videt me, videt & Patrem.... Non creditis quia ego in Patre & Pater in me est?... Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis.* Certe pronomen *alium* apud omnes significat distinctionem realem unius personæ ab altera, maxime quum persona loquens intendit aliam designare personam, sicut eo loci Christus distinguit Patrem a semetipso, sic & Spiritum sanctum & a se, & a Patre secernit. Igitur ex ipso Christo docente, tres sunt personæ ad invicem realiter distinctæ in sanctissima Trinitate: Ita concludit S. Athanasius interpretans locum laudatum orat. contra Sabellii gregales ubi ait: " Si enim una persona est, „ cur altera emittit, altera emittitur, & „ per carnem conspicitur... Nam superius dixerat, si cognovissetis me, „ etiam Patrem cognovissetis, dualitatem personarum expressis verbis nobis „ declarans.

Iterum Joan. 8. *Ego sum*, inquit, *qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater:* " En, „ tibi duas personas ait Athanasius: Et „ nisi dicas vere duos esse, cum hæc „ loquitur, non permittis testimonium „ verum existere. „

Insuper Christus Joan. 10. ait: *Ego & Pater unum sumus* quæ verba Tertullianus l. contra Praxeam cap. 22. hoc sensu exponit: " Unum dicit neutrali verbo, „ quod non pertinet ad singularitatem, „ sed ad unitatem, ad similitudinem, ad „ conjunctionem, ad dilectionem Patris, „ qui Filium diligit; & ad obsequium „ Filii, qui voluntati Patris obsequitur. „ *Unum sumus*, dicens, *ego & Pater*, „ ostendit duos esse, quos æquat & jungit. „

Tertio, ex Conciliis.

ANTIOCHENUM primum in Epistola Synodica contra Paulum Samosatenum ait: *Generavit quidem Filium Pater tanquam actum viventem & per se existentem, omnia in omnibus operantem... Hunc dicit Scriptura descendisse & apparuisse Abrahæ ad quercum Mambre, unum ex tribus cum quo Patriarcha tanquam cum Domino & Judice colloquebatur, ut qui judicium a Patre accepisset, de quo scriptum est, pluit super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur a Domino de cœlo.*

Nicænum in suo Symbolo ait: *Credo in unum Deum Patrem... Et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum... Et in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit:* Cui Symbolo addas velim professionem fidei ab Athanasio editam, in qua dicitur: *Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti.*

Lateranense 4. cap. 2. definit de sanctissima Trinitate disserens: *Quod una quædam*

summa res est, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres simul personæ, ac singulatim quælibet earumdem.

Quarto, ex sanctis Patribus.

Primo, ex Græcis.

JUSTINUS Apol. 2. tres enumerat in sacrosancta Trinitate personas: " Sed nos, „ *inquit*, verissimis illius Dei Patris, videlicet justitiæ ... Filium, & Spiritum propheticum colimus & adoramus. „

Athenagoras ejusdem est labii apologia pro Christianis ad Aurelium Antoninum pag. 10. Deum habere Filium asserit: " Verbum, *ait*, Patris in idea & efficacia, ab ipso enim & per ipsum facta sunt omnia, cum Pater & Filius unum sint, ita ut Filius sit in Patre, & Pater in Filio. „ Rursus ibid. pag. 11. " Quis igitur non miretur nos qui „ Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum sanctum, ita ut & unionis eorum vim & ordinis distinctionem exponamus, impios, & fine Deo homines vocari. „ Rursus juxta edit. Basileæ 1565. " Si Plato atheus non est, qui mente & intelligentia unum Conditorem rerum ... ingenitum agnovit; nec nos athei sumus, qui eum scimus & retinemus Deum, cujus ratione & verbo λόγῳ universa sunt condita, & condita spiritu ejus continentur. „

Theophilus Antiochenus l. 2. ad Autolicum hæc habet: " Quod quidem verbum „ operum suorum ad ministrum adhibuit, „ ac per ipsum universa molitus. „ Subdit ibidem hæc verba: " Tres dies qui „ præcessere creatione duorum luminarium, Trinitatis mysterium sacro-sanctum repræsentant, videlicet Deum, Sermonem, Sapientiam. „ In primo loco Theophilus a Patre secernit Filium: in altero suam expressius prodit mentem, & tres distinguit personas, quippe qui nomine Dei intelligat Patrem; nomine sermonis Filium; nomine sapientiæ, Spiritum sanctum.

Irenæus suum addit ubique calculum, l. 4. cap. 14. ait. " Et propter hoc in omnibus & per omnia unus Deus Pater, „ & unum Verbum, & unus Spiritus sanctus. „ Ibidem cap. 17. " Ministrat enim, „ ei *scilicet Patri*, ad omnia sua progenies & figuratio sua, id est Filius, & Spiritus Sanctus, Verbum & Sapientia, quibus serviunt & subjecti sunt omnes Angeli. „ Animadvertas velim, Irenæum distinguere realiter Filium & Spiritum sanctum a Patre per processionem, tum per ministerium: sed ne aliquid a divinitate Filii & Spiritus sancti detrahat, subdit, eis subjectos esse Angelos omnes. Eandem astruit veritatem, l. 5. cap. 6.

Clemens Alexandrinus l. 1. strom. de sapientia Dei ita scribit: " Tota mens, „ tota lux paterna. „ Expressius l. 3. Pædag. cap. 12. " Laudemus, *inquit*, Patrem & Filium, Filium, inquam, Pædagogum & Magistrum, una cum sancto Spiritu. „

Sic Athanasius non minori cura personas illas ineffabiles esse ad invicem realiter distinctas observat: Siquidem orat. contra Sabellii sequaces, pag. 515. loquens de Patre, hæc verba habet: " Radix & fons Filii, & „ Spiritus sancti. „ Rursus ad Serapionem pag. 371. " Veri adoratores adorant quidem Patrem, sed in Spiritu & veritate, confitentes Filium, & in Filio „ Spiritum &c. „

Secundo, ex Patribus Latinis.

EIDEM subscribunt veritati Latinæ Ecclesiæ Patres: inprimis S. Cyprianus qui l. de unitate Ecclesiæ sic fatur: " De Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est, hi tres unum sunt. „ Epist. 63. ad Jubajanum prædicat personarum distinctionem, cum dicit Baptismum dari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Tertullianus in toto libro contra Praxeam probat distinctionem personarum validissimis argumentis cap. 11. ex Processionibus: cap. 14. ostendit filium a Patre distingui eo quod visibilis factus sit, non Pater: cap. 27. idem docet, quia filius non a seipso, sed a Patre unctus fuit. Unus aut alter locus sufficiat, c. 2. hæc habet: " Dum unicum Deum non alias „ putat credendum quam si ipsum eumdemque & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum dicat .... quia unus Deus, ex „ quo & gradus isti, & formæ & species, „ in

„ in nomine Patris, & Filii, & Spiri- „ tus sancti deputantur. „ Eo loci confutat Hæreticos qui unicam in Deo admittebant personam, quocirca nihil probaret, si a distinctione reali personarum secederet.

Dionysius Romanus Epist. adversus Sabell. sic loquitur de Christi discipulis qui personas quidem ad invicem distinguunt, sed a natura non sejungunt, ut Hæretici, qui eas ut totidem Deos habebant: " Hi, „ *inquit*, Trinitatem a Scriptura sacra „ prædicari plane intelligunt, tres autem „ Deos, neque in veteri, neque in no- „ vo testamento doceri. „

Novatianus inter omnes maxime pro hoc momento audiendus est, cuncta namque distinguit & secernit. Inprimis personarum distinctionem egregie probat l. de Trinit. cap. 22. his verbis: " Si erat, „ ut Hæretici putant, Pater Christus, „ oportuit dicere, ego & Pater unum „ sum; at cum ego, dicit, deinde Pa- „ trem infert dicendo, ego & Pater, „ proprietatem personæ suæ, ideft filii a „ paterna auctoritate discernit atque di- „ stinguit, non tantummodo de solo no- „ mine, sed etiam de Ordine dispositæ „ potestatis, qui potuisset dicere, ego „ Pater, si Patrem se esse meminisset? „ & quia dixit *unum*, intelligant Hære- „ tici, quia non dixit *unus*, unum enim „ naturaliter positum, societatis concor- „ diam, non unitatem personæ sonat. „ Unum enim non unus esse dicitur, „ quoniam nec ad numerum refertur, sed „ ad societatem alterius expromitur. De- „ nique adjicit dicens, sumus; non, „ sum, ut ostenderet per hoc quod dixit, „ sumus, & Pater, duas esse personas. „

Non prætereundus S. Augustinus, lib. 15. de Trinit. cap. 17. n. 27. ait: " Qui Spiritus sanctus secundum Scriptu- „ ras sanctas nec Patris socius est, nec „ filii socius sed amborum. „ Idem docet n. 29.

Quinto, ex rationibus Theologicis.

PRIMA est. In illo mysterio tres admittendæ sunt personæ realiter distinctæ quas prædicat uti tales Scriptura, quas agnoscunt Patres, quas Ecclesia defendit contra hæreticam pravitatem: Atqui tres personæ realiter distinctæ prædicantur in Deo a Scriptura utriusque testamenti, ut dictum est superius, totidem prædicant Patres citati, tot credere jubet Ecclesia, tot in Symbolis & orationibus eadem profitetur, & qui contra censuerunt, habiti sunt ut Ethnici & Publicani; ut patet de Noetianis, de Sabellianis, de Socinianis, quos omnes Ecclesia detestatur. Igitur tres sunt in Deo distinctæ realiter personæ.

Secunda sic se habet: Tot sunt in divinis personæ realiter distinctæ, quot sunt termini relative oppositi: Atqui tres numerantur: & probatur. Paternitas terminatur ad filium, filiatio vero ad Patrem; quocirca quælibet relatio unam constituit personam: spiratio activa Patris & Filii refertur ad Spiritum sanctum: passiva vicissim quæ est in Spiritu sancto correfertur ad spirantes, unde unam tertiam constituit personam: Ergo &c.

Tertia: Trinitas personarum in Deo realiter distinctarum sunt cæterorum ad extra mysteriorum basis & fundamentum, ita ut, illis ablatis, exsufflentur alia pro nobis peracta mysteria. Igitur tot sunt in Deo admittendæ personæ, alias rueret funditus religio. Probatur antecedens. Mysteria ad extra propter nostram salutem instituta, sunt divina incarnatio, descensus Spiritus sancti super Apostolos & fideles, gratia, Sacramenta: Atqui hæc omnia mysteria fundantur in tribus personis sanctæ Trinitatis realiter distinctis, incarnatio quidem, quia est filii a Patre in terras missio, *Apparuit*, inquit, Joan. epist. 1. 3. *ut dissolvat opera diaboli*... Descensus Spiritus sancti, teste enim eodem Joanne a Patre & Filio missus est, ea potissimum de causa, ut doceret omnem veritatem. Cæterum ex eodem Evangelista gratia per Jesum Christum facta est, qui Sacramenta ad hunc instituit finem, ut gratia a divinitate per humanitatem, & ab humanitate per signa sancta, eaque sensibilia ad nos proflueret. Igitur omnia mysteria propter nostram salutem patrata fundantur in tribus personis divinis: Igitur tres in Deo realiter distinctæ agnoscendæ sunt personæ: Et certe Pater non dicitur incarnatus, quod quidem proferre ausi sunt Patropassiani, sed ab Ecclesia anathemate percussi fuere. Spiritus sanctus non est personaliter Filius, alias frustra Christus alium Paracletum a

se distinctum promisisset. Ergo &c.

Quarta: Sine distinctione reali trium personarum evacuatur fides, evacuatur spes & charitas nostra. Igitur admittendæ sunt in Deo tres personæ realiter distinctæ. Probatur Antecedens. Tanquam fidei objectum proponitur nobis Deus Pater Creator omnium, tum Filius incarnatus, tum etiam Spiritus sanctificator: Sed hi omnes proponuntur, ut tres personæ realiter distinctæ; *Alia est enim*, inquit Athanasius, *persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti . . . Hæc est fides Catholica quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*. Fidem habemus in Filium tanquam a Patre missum propter nostram salutem. Charitatem credimus diffundi in cordibus nostris per Spiritum sanctum, & ab ipso ut a primo amore habemus gratiam, & virtutem qua diligimus Deum ex toto corde, ex tota anima & ex tota fortitudine nostra. Igitur sine distinctione personarum perit fidas, perit spes, perit etiam & charitas.

Exploduntur hæreticorum commenta.

OBJICIES, Isaiæ 44. habetur: *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum*, 1. Cor. 8. *Et si sunt qui dicantur dii sive in cælo, sive in terra; si quidem sunt dii multi, & Domini multi: nobis tamen unus Deus, Pater ex quo omnia*, mentio fit de Deo uno. Igitur non sunt plures personæ, alias essent plures dii, vel si plures personæ, mentio fieret de eis.

Respondeo 1. Scripturam optime loqui, dicendo unum Deum, pluralitas siquidem personarum subsistit in unitate naturæ, unde sunt unus Deus.

Respondeo 2. Scripturarum mentionem facere de pluribus personis: Et vero Isaias cap. 9. ait: *Parvulus enim natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis*. Apostolus vocat Deum Patrem; Pater autem non est sine Filio, ubique etiam vocat Christum Filium Dei, maxime epist. ad Hebræos cap. 1. *Multifariam... Locutus est nobis in filio*.

Respondeo 3. In forma: est unus Deus per exclusionem plurium naturarum, concedo: per exclusionem plurium personarum, nego. Quotiescumque scriptura dicit Deum solum esse, excludere tantum intendit aut falsa numina Gentilium, aut plures in Deo naturas, ita enim confitetur personas ut unam agnoscat in Deo naturam, adeoque & unum Deum.

Solutio est Tertulliani qui libro contra Praxeam cap. 19. sic de Deo discurrit: "
„ Quantum ad cæteras virtutes solus,
„ præstruens adversus conjecturas hære-
„ ticorum, qui mundum ab Angelis &
„ potestatibus diversis volunt structum, qui
„ & ipsum creatorem, aut Angelum fa-
„ ciunt, aut ad alia quæ extrinsecus, ut
„ opera mundi, ignorantem quoque su-
„ bornatum, aut si sic solus cœlum ex-
„ tendit, quomodo isti præsumunt in per-
„ versum hæretici, quasi singularis non
„ admittatur sophia illa dicens, cum pa-
„ reret cœlos, ego aderam illi simul....
„ Sed & Evangelium recusetur, quod di-
„ cat omnia per sermonem a Deo facta
„ esse, & sine eo nihil factum. Nisi enim
„ fallor, & alibi scriptum est, sermone
„ ejus cœli firmati sunt, & spiritu oris
„ ejus omnes virtutes eorum. Et sermo
„ autem, virtus & sophia, ipsa erit Dei
„ filius. Ita si per filium omnia, cœlum
„ quoque per filium extendens, non so-
„ lus extendit, nisi illa ratione qua a cæ-
„ teris solus. „

Solutio est etiam S. Athanasii Orat. 4. contra Arianos, pag. 25. " Quapropter
„ quum Pater solus Deus & verus appel-
„ latur, non ad exauctorationem ejus ap-
„ pellatur qui dicit, *Ego sum veritas*, sed
„ ad demolitionem eorum, qui ex natura
„ tales non sunt, qualis est Pater & Pa-
„ tris Verbum, neque veri dii sunt. „

Suffragatur Epiphanius hæresi 57. ubi explicans locum Apostoli in objectione positum, ait: " Quis enim non gaudet,
„ unum veritatis Deum esse? Patrem
„ omnipotentem, ex quo unigenitus Fi-
„ lius in veritate Deus Verbum, in sub-
„ stantia Verbum verum genitus ex ipso,
„ sine principio, sine tempore? ... Qua
„ propter unam deitatem novit Ecclesia.
„ Unus est Deus veritatis Pater, Pater per-
„ fectus in substantia, Filius perfectus in
„ substantia, & sanctus Spiritus perfectus
„ in substantia, una Deitas, unus princi-
„ patus, unum Dominium .... Primum
„ igitur, quandoquidem introduxit hoc ca-
„ put,

„ put, quod unus Deus ex quo omnia, „ & nos per ipsum: & unus Dominus „ Jesus Christus, per quem omnia, & „ nos per ipsum: non vides, quod unus „ Deus ex quo omnia, & nos in ipsum, „ quomodo unum principium significat? „ Ut ne ad multa principia mentem con- „ vertat, & rursus ad multitudinem „ Deorum, seductam hominum mentem „ per inanem multitudinis Deorum vo- „ cem agat? Vides enim quod uno nomi- „ ne utitur, & una appellatione, non „ negans unigenitum Deum. „

Instabis: Joan. 10. Christus sic loquitur, *Ego & Pater unum sumus*: Ergo non sunt in Deo tres personæ realiter distinctæ. Probatur consequentia, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: sed tres personæ sunt eadem uni tertio, nempe cum natura divina. Ergo & inter se.

Respondeo distinguendo consequens, non sunt tres personæ realiter substantialiter distinctæ, concedo: est enim unica substantia & essentia in tribus personis. Non sunt tres personæ relative distinctæ, nego. Sunt enim tres respectus realiter distincti juxta illud Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*.

Ad confirmationem distinguo ut supra, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, eo modo quo sunt eadem uni tertio, concedo: secus, nego. Tres personæ sunt unum & idem uni tertio, scilicet cum natura divina, unde sunt eædem inter se in essentia: siquidem unica est in tribus personis, sed non sequitur quod sint eædem inter se secundum respectus; nam ut sic, sunt relative oppositæ: Solutio est Concilii Lateranensis quarti cap. 2. definit enim quod sanctissima Trinitas una quædam summa res sit incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater & Filius & Spiritus, tres simul personæ; ac singulatim qualibet earumdem.

Insistes: illi respectus constituens personas, vel sunt accidentia, vel substantiæ; non primum, nullum quippe accidens admittitur in Deo; si secundum, igitur sunt tres substantiæ in Deo, adeoque si tres personæ, tres quoque dii, sed absurdum consequens. Ergo & antecedens.

Respondeo illos respectus in concreto esse naturam diversis subsistentiis relativis appropriatam: in prima persona, v. g. est natura illi appropriata per paternitatem; in abstracto vero esse modos subsistendi diversos; subsistentia enim relativa dicit naturam modo peculiari subsistentem, scilicet per paternitatem v. g. in prima persona, qui quidem modi in Deo sunt entia completa substantive, quia relatio secundum esse *in* dicit absolutum, scilicet naturam divinam. Quæ cum sit eadem in omnibus personis, non multiplicantur dii, licet multiplicentur personæ.

Propter multiplicem respectum diversa prædicantur de Deo, scilicet quod sit genitus & non genitus, genitus in filio, & ingenitus in Patre, & nulla est contradictio, quia hæc prædicata non dicuntur sub eodem respectu. Sic totum explicat S. Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 7. " Nul- „ lum prædicamenti genus est secundum „ quod aliquid aiere volumus, nisi ut se- „ cundum idipsum prædicamentum nega- „ re convincamur, si præponere negati- „ vam particulam voluerimus. Quæ cum „ ita sint, si substantialiter aierem, di- „ cendo Filius, substantialiter negarem, „ dicendo non Filius. Quia vero relative „ aio, cum dico, Filius est: ad Patrem „ enim refero: relative nego: si dicam, „ non Filius est: ad parentem enim ean- „ dem negationem refero, volens osten- „ dere quod ei parens non sit. At si quan- „ tum valet quod dicitur Filius. . . tan- „ tumdem ergo valet quod dicitur non „ genitus, quantum valet quod dicitur „ non Filius, relative autem negamus, „ dicendo non Filius; relative igitur ne- „ gamus, dicendo, non genitus &c. „

Instabis iterum. Pater non generat: Igitur non dantur in Deo plures personæ realiter distinctæ. Probatur antecedens. 1. Si generet, vel generat existentem, vel generat non existentem; si primum, non est generatio, quia generatio dat esse termino: supponitur autem terminus habere esse. Si secundum, terminus est creatura, effectus enim posterior Deo in duratione, est creatura. 2. Si Pater generat, erit in illo perfectio quæ non reperietur in Filio. Absurdum consequens. Ergo & antecedens.

Respondeo negando antecedens; ad probationem dico Patrem æternum generare jam existentem, quo quidem prior est origine, non causalitate: sicut igitur si sol esset ab æterno, lumen produceret ab æterno;

no; quidni & Pater æternus non generabit ab æterno Filium qui in Symbolo dicitur: *Lumen de lumine*: solum in creatis, in quibus effectus dependet a causa, & genitor se conservat in genito, generatur non existens: at Deus generat per fœcunditatem: velut Oceanus immensus ex quo procedunt personæ, & cum ipsis omnium perfectionum flumina, quæ per personas procedentes ad ipsum refluunt, absque eo quod aut minuatur generando & spirando, aut redundet recipiendo in sinu suo ineffabili, & Verbum generatum, & Spiritum sanctum spiratum.

Solutio est Basilii lib. 2. contra Eunomium, pag. 271. his verbis: " Nec sensum principii custodit, nec ipsi in principio subsistentiam unigeniti conjungit. Nihil enim excogitari potest principio antiquius, & esse Dei verbi, inseparabile est a principio. Quare quantumcunque voluerit inutili mentis inquisitione retro currere, pertransire tamen quod erat, & ultra illud ferri cogitationibus non poteris." Idem dicit Gregorius Nazianzenus orat. 35. Idem Hilarius, lib. 12. de Trinit. pag. 107. ubi sic loquitur de verbo: " Erat igitur atque est: quia ab eo est, qui quod est: semper est: Ab eo autem esse, idest, ex Patre esse, Nativitas est. Esse autem semper ab eo, qui est semper, æternitas est." Ratio autem cur Verbum sit ab æterno, est quia generatio ejus mensuratur æternitate, eo enim ipso quo Deus æternus est, ab æterno se intelligit, adeoque ab æterno generat.

Ad secundam probationem distinguo; aliqua perfectio erit in Patre, scilicet generatio, & non erit in Filio in abstracto, & relative considerato, concedo: sic enim dicit solummodo filiationem, filiatio autem relative sumpta, non est Paternitas in concreto, nego: Sub isto enim respectu importat naturam, in qua omnia adunantur: Ergo ne omnia in Deo sunt confusa & synonyma? Minime. Distinctio enim virtualis in Deo facit idem ac realis in creatis. Cum igitur natura distinguatur virtualiter a relationibus, hoc sufficit, ut dicatur generans, prout est paternitate actuata, genita vero, ut filiationem dicit, seu ut explicat Lateranense IV. cap. 2. Trinitas, *Quædam summa res est incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*. Unde natura non dicitur generans aut genita, sic enim sumitur secundum se; sed solus Pater dicitur generans, Filius vero genitus, & sic natura sumitur in concreto, & ut appropriata, unde potest dici, natura ut connotans paternitatem generat.

Hæc responsio est S. Gregorii Nazianzeni orat. 37. pag. 597. ubi sic loquitur: " Deesse nihil dicimus: Non enim Deo quidquam deest, verum manifestationis, ut ita dicam mutuæque eorum relationis differentia, diversa quoque ipsis nomina procreavit. Neque enim filio aliquid deest, ad hoc ut sit Pater, nec enim defectus est filiatio, nec propterea tamen Pater est, Alioquin eadem ratione Patri aliquid deerit, ad hoc ut sit Filius: nec enim Pater Filius est, sed hæc defectum proculdubio non arguunt, nec essentiæ summissionem: quin potius ex his verbis, quod genitus non sit, & quod genitus, & quod procedat, effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus appelletur: atque ita inconfusa trium personarum distinctio in una divinitatis natura & dignitate conservetur."

Urgebis: natura etiam in concreto, & ut connotans paternitatem non generat. Igitur ruit fundamentum distinctionis inter Patrem & Filium. Probatur Antecedens: Paternitas resultat solum ad generationem. Igitur nondum est quando Pater supponitur generare, sicque non generat natura, quia nondum est in illo priori actuata Paternitate.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem distinguo, paternitas secundum esse *ad* resultat ad generationem, & nondum est, concedo: secundum esse *in*, nego. Enimvero eo ipso quo Deus se intelligit & cognoscit, est fundamentum relationis paternitatis, scilicet intellectio quæ tendit ad exprimendum Deum, adeoque ad Verbum generandum, unde relatio secundum esse *in*, apparet in fundamento, & connotatur secundum esse *ad*. Quocirca & in illo priori paternitas importatur in obliquo & implicite, quod sufficit ut persona dicatur generans.

Persistes: Deus est in se perfectissimus; Igitur non generat, neque spirat, quia generatio & spiratio tendunt ad perfectio-

ctionem aliquam, nempe ad generationem verbi & spirationem amoris. Immo repugnat unitati & simplicitati Dei quod multiplicetur in personis.

Respondeo distinguendo consequens, Deus non generat per indigentiam, ut creaturæ quæ producunt sui simile, ut se conservent in multitudine individuorum, concedo: per fœcunditatem, nego. Immo ex eo quod res sit perfectissima, est fœcundissima, quia bonum, teste Dionysio, est sui diffusivum. Deus igitur est fœcundus, quod quidem non opponitur, aut unitati naturæ, personarum-ve multiplicitati, quia licet sit in personis multiplicitas, manet tamen Deus in se semper unus. Quod mirum in modum explicat Athanasius Orat. 4. contra Arianos: " Est enim, *inquit*, filius in Patre, quatenus intelligere conceditur, eo quod " quicquid est filius, id universum sit " proprium substantiæ Patris ... Estque " vice versa Pater in filio, eo quod id, " quod est Patri proprium ac suum, idipsum sit Filius, ut in radiis sol, mens " in hoc ipso est Filius, sicut in splendore radius, fons in flumine."

Rursus instabis, natura & persona non distinguuntur. Igitur cum sit unica natura, est utique una persona.

Respondeo distinguendo Antecedens, non distinguuntur identice, concedo: virtualiter, nego. Distinctio autem virtualis in divinis, ut jam jam dictum est, æquivalet reali in creatis, immo licet in creatis anima rationalis, anima sensitiva & vegetativa in homine distinguantur solum virtualiter, sunt tamen principia diversarum realiter operationum, intelligendi nempe sentiendi & vegetandi. Igitur distinctio virtualis inter essentiam & relationes in divinis sufficit ad fundandos diversos respectus, qui cum inter se relative opponantur, diversas constituunt personas inter se ad invicem realiter distinctas.

Repones, Pater est Deus etiam secundum esse *ad*, seu relativum, sicut & Filius & Spiritus sanctus: Sed unicus est Deus. Igitur personæ ut personæ non distinguuntur.

Respondeo distinguendo Antecedens. Pater est Deus, & formalitas Dei appellat supra naturam & absolutum, nam τὸ Deus est nomen substantivum, inquit divus Thomas, concedo: & non appellat, nego. Licet autem personæ secundum esse ad & relativum etiam dicant divinitatem implicite, Pater enim est persona divina; non tamen explicite. Unde in recto dicit solum relationem paternitatis; adeoque licet personæ sint unicus Deus, sunt tamen realiter distinctæ.

Dices: Dei notio duo dicit: 1. Quod sit unus Deus. 2. Quod subsistat: Sed subsistit eo modo quo est unus: Igitur cum sit unus, erit ubique unica subsistentia & persona.

Respondeo distinguendo Antecedens. Notio dicit quod Deus subsistat subsistentia absoluta, concedo: subsistentia relativa, subdistinguo, ut est operans ad intra, & hoc per multiplicem relationem, concedo: per unicam, nego. Deus potest considerari dupliciter; 1. Secundum se & ut præintelligitur personis; sic subsistit subsistentia absoluta quæ est unica sicut natura, quæque non constituit personam relativam, sed absolutam seu unicum Deum. 2. Ut operans ad intra tum intelligendo, tum amando, & sic relative dicitur, quia resultat relatio inter principium agens & terminum, & sic subsistit triplici hypostasi, hoc est, personalitate; natura enim divina utpote infinita, non quidem ex indigentia, sed ex fœcunditate potest subsistere in pluribus personis, & de facto subsistit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Tres sunt in Deo personæ realiter distinctæ.

PRIMO: Hoc non semel utrumque Testamentum ostendit; vetus quidem his Genes. 1. verbis: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: Expressius novum Matth. ultimo, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*.

Secundo: Hoc idem declarat Patrum traditio: hoc prædicat Justinus Dial. cum Tryphone, hoc Athenagoras orat. pro Christianis: Hoc Irenæus lib. 4. cap. 17.

Tertio: Tot sunt personæ realiter in divinis, quot sunt termini relative oppositi, relatio quippe est unius ad aliud: Atqui tres reperiuntur termini relative oppositi: Et probatur. Paternitas terminatur

natur ad Filium, filiatio ad Patrem, quocirca quælibet relatio unam denotat personam; spiratio vero activa Patris & Filii terminatur ad Spiritum sanctum, passiva tandem ad spirantes, hine unam tertiam constituit personam. Ergo &c.

Synopsis argumentorum in contrarium & responsionum.

PRIMO: Cum Deus Isa. 44. ait, *nullus mecum*, excludit per ista & similia verba pluralitatem Deorum, nusquam vero pluralitatem personarum. Sic respondet Tertullianus lib. contra Prax. c. 19. non absimili ratione Christus ait: *Ego & Pater unum sumus*, hoc est *unum* unitate naturæ, non personæ.

Secundo: Tametsi quælibet persona sit substantia, quia tamen ista est tribus personis communis, est unus in tribus personis Deus. Solutio est S. Aug. lib. 1. de Trin. cap. 7.

Tertio: Pater vere generat, tametsi generet ab æterno existentem, ad hoc quippe sufficit, ut sit prior filio prioritate originis. Quid plura? Licet paternitas nondum concipiatur secundum esse *ad* in instanti a quo dum Pater actu generat, intelligitur tamen esse secundum id quod est quid absolutum connotans relativum.

Quarto: Ex hoc quod persona nonnisi virtualiter ab essentia distinguatur, non inde sequitur unicam esse personam sicut de facto unica est natura. Et vero distinctio virtualis inter personas, & naturam in divinis sufficit ad fundandos diversos respectus, qui cum relative opponantur, diversas constituunt personas realiter inter se distinctas.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum unitas subsistat cum personarum Trinitate?

QUIDAM hæretici naturam in divinis personis multiplicavere; quocirca Tritheistæ dicti sunt, eo quod tot admitterent Deos, quot sunt in Deo personæ. Contra quos sit

CONCLUSIO.

Est unica in tribus personis natura, adeoque unus Deus.

Probatur omni argumentorum genere.

Primo, ex veteri & novo Testamento.

DEUS ipse Deut. 32. sic loquitur: *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*. Rursus Isa. 44. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum*. Primæ vero Cor. 8. ait Apostolus, *Et si sunt, qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, si quidem sunt dii multi, & Domini multi; nobis tamen unus Deus*. Et iterum Eph. 4. *Unus Deus & Pater omnium*. His & similibus sententiis claret unum esse Deum, & unitatem in Trinitate subsistere.

Secundo, ex Conciliis & Symbolis.

IN Symbolo Nicæno hanc profitemur fidem: *Credo in unum Deum*, in Symbolo S. Athanasii: *Ita ut per omnia sicut jam supra dictum est, & unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda sit*.

Concilium Lateranense quartum cap 2. sic definit: *Nos autem sacro & universali Concilio approbante, credimus, & confitemur cum Petro quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres simul personæ ac singulatim qualibet earundem. Et ideo in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas: quia qualibet personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest*.

Succinit Romanum sub Agathone in epist. Synodica ad Imperatorem Constantinum Pogonatum quæ lecta fuit & approbata in sexta Synodo generali actione 6. ubi Patres profitentur: *Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate: unitatem quidem essentiæ, Trinitatem vero personarum, sive subsistentiarum, Deum Patrem confitentes, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum; non tres Deos, sed unum Deum*.

Ipsa sexta Synodus generalis Act. 18. ap-

approbat ista Sophronii epistolæ verba: *Neque vero tres aliquos Deos novimus; sive tres quasdam naturas, aut tres aliquas substantias, aut tres aliquas deitates scimus, non congeneres, non ejusdem forma vel disparis.*

Non prætereundum est Concilium Mediolanense, quod in confessione fidei tempore Constantini Magni hæc effatur de sanctissima Trinitate: " Non tres naturas introducentes, ut Arius blasphemat, qui tres Deos prædicavit, excellentiorem, minorem, & inferiorem." Igitur ex his liquet unitatem naturæ subsistere cum Trinitate personarum.

Tertio, ex Patribus Græcis.

Patres Græci eidem astipulantur veritati. Dionysius lib. de Div. nominibus cap. 10. ait: " Unitas est, unifica unitatis omnis." Hæc de Trinitate.

Justinus in Ecthesi: " Unitas enim in Trinitate intelligitur, & Trinitas in unitate cognoscitur."

S. Athanasius orat. 5. pag. 307. adversus Arianos idem profitetur his verbis: " Qui unum dicit Deum, duo profitetur; eo ipso quod Pater & Filius divinitate sint unum." Rursus ibidem pag. 395.

S. Gregorius Nyssænus suum addit calculum orat. Cath. cap. 3. " Nullo id sermone, *ait*, consequi posse nos quemadmodum res eadem numerabilis sit & numerum fugiat: tum ut distincta cernatur, & in unitate nihilominus intelligatur: atque & hypostasi disjuncta, & subjecto minime divisa sit: ac rursus aliud sit illud, cujus & Verbum est, & Spiritus."

S. Gregorius Nazianzenus accedit orat. 37. pag. 601. " Nobis unus est Deus; quoniam una est divinitas." Rursus ibidem: " Individua individuis, ut uno verbo dicam, est divinitas: ac velut in tribus solibus sibi cohærentibus una lucis est commixtio & temperatio."

S. Basilius suffragatur, epist. 141. his verbis dicens: " Nos unum Deum, non numero, sed natura, profiteri. Quidquid numero unum dicitur, hoc revera unum non est, neque natura simplex."

Mitto multos alios Patres Græcos namque Proclus Constantinopolitanus epist. ad Armenos: Anastasius Sinaita lib. 1. de rectis fidei dogmatibus. Damascenus lib. 1. de fide Orthod. cap. 11. idem docent. Juvat tamen hic texere locum Cyrilli ex lib. 10. contra Julianum ubi de Filio Dei sic loquitur: " Unum est, ad suum genitorem identitate naturali: tametsi secundum hypostasin propriam existat." Isidorus Pelusiota epist. 143. paucis multa dicit: " At personas, *inquit*, in sanctam Trinitatem ita collactare, ut in unam substantiam colligas, rectissimum, est ac verissimum dogma." Observes ex Patribus sequi, distinctionem realem esse quidem inter personas SS. Trinitatis, minime vero proprie dictam, quia talis, multiplicat naturam, seu multiplicatam supponit.

Quarto, ex Græcis recentioribus.

NEC ab hac fide recedunt Græci recentiores. Theodoretus Abucara opusculo 1. pag. 382. tom. 1. Bibliot. PP. Græcæ collationis, negat hypostasim in Deo esse a natura distinctam, alias, inquit: " Necesse foret Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, tres numerari particulares naturas; ac tres dici deos, & divinitates tres. Quæ est summa omnium blasphemia."

Michael Syncellus in epist. quam nomine Thomæ Jerosolymitani Patriarchæ scribit, sic loquitur: " Veritatis iste sermo est, ut ait Gregorius Theologus, unitatem esse in Trinitate, & Trinitatem in unitate adorandam. Est igitur monas, idest unitas, naturæ unitas, non unitas hypostasis: Trinitas vero hypostaseon, Trinitas, non Trinitas naturarum."

Constantinus Harmenopolus in professione fidei Orthodoxæ ait: " Trinitatem in unitate credimus, & unitatem in Trinitate celebramus."

Joannes Cyparissiota decade 9. cap. 9. ait: " Una ut diximus, est essentia Trinitatis, & una solum semper. Hæc igitur essentia singularissima trium." Ergo &c.

Quinto, ex Patribus latinis.

HILARIUS agmen ducet; lib. 7. de Trinit. sic pronuntiat: " Filius namque Dei Deus est: hoc enim significatur ex nomine

„ mine. Non duos Deos connumerat nomen unum, quia unius, atque indifferentis naturæ unum Deus nomen est.„

Lucifer Calaritanus Hilario coævus lib. de non conven. cum hæret. ejusdem est labii, aitque: “ *Unam esse deitatem* Patris & Filii, & lib. de non parcen. in Deum delinq. subdit: “ Perfectam esse divinam Trinitatem: & unam habere substantiam.„

S. Ambrosius suffragatur lib. in Symb. Apost. cap. 5. “ Adoremus, *inquit*, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; in Filio Patrem, in Spiritu autem sancto, aut Patrem & Filium intelligentes: distinguentes antequam conjungamus, & jungentes antequam dividamus, unitatem in Trinitate venerantes, & Trinitatem in unitate confitentes.„ Idem docet lib. 1. de fide cap. 11. & lib. 4. cap. 2.

Accedit S. Hieronymus epist. 57. ad Damasum: “ Tota, *inquit*, sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasin, nisi usiam, novit.... Illa sola natura est perfecta & in tribus personis deitas una subsistit, quæ est vere, & una natura est.„

Audiendus est de hoc momento sanctus Augustinus qui in lib. contra sermonem Arianorum cap. 18. ita effatur: “ Patris ergo & Filii, & Spiritus sancti, etiamsi disparem cogitent potestatem, naturam saltem confiteantur æqualem.„

Non omittendus Philastrius Brixiensis, nec Paulinus, prior hæresi 45. ait: “ Trium itaque harum personarum una est veritas, majestas, & substantia, æqualitas & divinitas sempiterna.„ Posterior epist. 27. ad Victricium: “ Cum ergo, *inquit*, fides & confessio tua, ut credimus atque confidimus, coæternam Trinitatem unius divinitatis, & substantiæ, & operis & regni esse testetur... a Deo doctus es, doces unitatem Trinitatis sine confusione jungens, & Trinitatem ipsius unitatis sine separatione distinguens; ita ut nulla alteri personæ conveniat, & in omni persona trium Deus unus eluceat; & tantus quidem Filius quantus & Pater, quantus & Spiritus sanctus: Sed semper quisque sui nominis proprietate distinctus, individuam retinet in virtutis & gloriæ æqualitate concordiam.„

His accedunt Gaudentius Brixianus serm. 7. de Exodo. Petrus Chrysolog. serm. 88. Vincentius Lirinensis Commonitorii cap. 18. sanctus Leo serm. 3. de nativit. cap. 2. Eucherius Lugd. Hom. 2. de Symb. Fulgentius in respons. ad Arianorum objecta. Rusticus Diaconus disput. contra Acephalos. Ergo &c.

Sexto, ex Patrum rationibus.

PRIMA: Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 13. Dionysius Romanus epist. adversus Sabellianos unum ideo prædicant Deum, quia una est in tribus personis natura: cui ratiocinio adhæret Justinus Dial. cum Tryph. pag. 358. adhæret Clemens Alex. lib. 3. Pædagogi: adhæret Synodus Alexandrina ann. 362. in epistola Synodica: Ergo &c.

Altera: Patres opponunt naturæ unitatem personarum Trinitati: sic opponit Athenagoras in legatione pro Christianis pag. 10. & 11. sic Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 2. sic Theophilus Mart. lib. contra Noetum: sic Basilius oratione contra Sabellianos: Ergo &c.

Tertia: Patres divinas secernunt hypostases a creatis in eo quod istæ sint a natura dependentes, & vicissim natura pendeat ab eis in esse & subsistere, ita ut sic ab eis contrahatur & limitetur, ut multiplicata & divisa persona, ipsa quoque dividatur, & in singulis individuis multiplicetur. Talis est sententia Gregorii Nazian. orat. 37. Ambrosii lib. 5. de fide cap. 1. Augustini in Psal. 68. concione prima; hujusmodi autem defectus ex SS. Doctoribus a sanctissima Trinitate secluduntur.

Quarta: Patres asserunt cum Apostolo Rom. 11. Mysterium sanctissimæ Trinitatis esse incomprehensibile & ineffabile: Sed si pro singulis personis esset una natura, hoc non foret ineffabile, sed quid creatis commune. Ergo &c.

Quinta: Si natura sublata unitate, multiplicaretur in personis, nec fuissent tot hæreses adversus mysterium, neque tot in Ecclesia circa istud momentum disceptationes: Atqui tamen ut primum apparuerunt Tritheistæ, absque mora eos Concilia proscripsere, ut patet ex sexto generali Act. 11. ex Sophronii Episcopi Jerosolymitani ad Sergium epistola, quæ Act. 3. ejus-

3. ejusdem Concilii lecta & approbata fuit. Quid plura? Epiphanius, Nicephorus & alii inter hæreticos annumerant Tritheistas. Ergo &c.

Septimo, ex ulterioribus rationibus.

PRIMA: Si natura multiplicaretur in personis, essent tres dii, & consequenter, ne quidem unus, quandoquidem multiplicitas Deorum, nullitatem Deorum arguit; eo enim ipso, quo distinguerentur realiter, utique dividerentur; & sic esset una perfectio in uno quæ non reperiretur in altero, sin minus non dividerentur: Sed horrendum est negare unicum esse Deum: Igitur & multiplicare naturam in personis.

Secunda: Ubi intercedit solum distinctio realis relativa, ibi una est natura; ubi autem una substantia, ibi unus est Dominus: Atqui in sanctissima Trinitate est solum distinctio relativa non absoluta, sed tantum una substantia: Igitur & una divinitas.

Tertia hæc additur: Ens perfectissimum & infinitum non potest esse multiplex, nec habere entia æqualia substantialiter a se distincta, jam enim amitteret rationem entis perfectissimi: Sed divinitas est perfectissima, ita ut quid perfectius concipi non possit. Ergo &c.

Quarta: Quorum est una efficientia, ibi dubio-procul est una & eadem in singulis natura: Sed personarum divinarum una est efficientia, unum principium, scilicet omnipotentia quæ quidem omnibus personis communis est: Hinc & istud emanatum est apud Theologos Adagium: *Omnia sunt unum in Deo, ubi [illegible] obviat relationis oppositio*: Et istud [illegible] *Opera ad extra sunt personis divinis [illegible]munia*: Igitur una est pro tribus personis natura. Unam esse in sanctissima Trinitate efficientiam docent SS. Athanasius de com. essent. pag. 375. Gregorius Nyss. orat. 3. in orat. Dominic. Et alii apud Petavium l. 4. de Trin. c. 15. Ergo &c.

Respondetur objectionibus.

OBJICIES: Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 13. hanc affert rationem, cur Pater, Filius, & Spiritus sanctus non vocentur Dii, ne forte inquit hæc cognitio homines redderet ad martyria timidiores. Adsunt verba: " Cæterum si " ex conscientia qui scimus Dei nomen " & Domini & Patri, & Filio, & Spi" ritui convenire, Deos & Dominos no" minaremus, extinxisse faces nostras " etiam ad martyria timidiores quibus " evadendi quoque pateret occasio juran" tibus statim per Deos & Dominos. " Igitur censuit de facto tres esse Deos.

Respondeo distinguendo: Et ratio adducta a Tertulliano non est adæquata, concedo: & est adæquata, nego. Cum Praxeas ex distinctione Filii a Patre duos esse Deos inferret; hoc ipsum debellat Tertullianus: 1. Quia ex quo instituta est religio catholica, hoc ipsum nusquam dictum est. 2. Quia debet esse differentia inter cultores unius veri Dei, & inanium Deorum adoratores. 3. Quia si illud concederent Christiani, jam cessarent martyria: quæ ratio nedum adversa fidei sed plurimum urget Praxeam, ejusque objectionem funditus evertit; quandoquidem exosi Gentilibus in eo potissimum erant Christiani, quod tres agnoscendo in divinis personas, unum tamen Deum esse propugnarent.

Oppones 2. S. Ambrosius l. 5. de fide c. 1. 2. & 3. disputans contra Arianos qui ex consubstantialitate Verbi cum Patre concludebant argumentando ad hominem adversus Catholicos duos esse Deos; respondet eis homines tametsi numero prope infinitos, unicam tamen humanam constituere naturam. Ergo si comparatio valet, sicut homines licet specie unumquid, numero tamen sunt multi, ita erunt plures Dii.

Respondeo distinguendo: & comparatio est in aliquo, concedo: & est in omnibus, nego. Immo hac similitudine Ambrosius vult probare quod sicut homines licet multi, constituunt tamen unicam naturam humanam, ita tres personæ, unicum Deum: Sed disparitas est, quod nulla sit distinctio numerica in natura divina, adeoque non sunt multi Dii. Altera similitudine idem probat S. Augustinus quum in Psal. 68. pag. 294. sic loquitur: " Ut dicimus Patrem, & Fi" lium, & Spiritum sanctum unius esse " substantiæ: Quid est unius substantiæ? " v. g. si aurum est Pater, aurum & " Filius, aurum & Spiritus sanctus. "

Hoc

Hoc eſt ſicut tres particulæ auri ſunt unum ſpecifice metallum, ita tres perſonæ divinæ unus Deus & numerice, & ſpecifice & generice.

Inſtabis : Atqui tres perſonæ ſunt unus Deus ſolum ſpecifice, & non numerice: Ergo &c. Probatur ſubſumptum ex S. Greg. Nyſſ. orat. ad Ablavium : Sunt unus Deus ſolum ut Petrus & Paulus unus homo ſunt. Ergo &c. Non abſimilia profert Baſilius.

Confirmatur. Ubi ſunt tres perſonæ realiter diſtinctæ, ibi ſunt tres Dii ; ſic Gentiles agnoſcebant quidem unam divinitatem, in re vero plures Deos. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : & comparatio S. Gregorii eſt in aliquo, concedo : in omnibus, nego. Cum in creatis non habeamus ſimilitudinem omnimodam, vult ſolum ille Pater, quod ſicut Petrus, Paulus & Joannes ſunt unus homo ſpecie, ita tres perſonæ in ſe ſint unus Deus ſimpliciter, ſiquidem in libro citato dicit ſe execrari errorem Tritheiſtarum; hanc enim epiſtolam ſeu librum hoc donat titulo : *Quod non ſunt tres Dii* ; Et orat. catechetica cap. 3. ait : " Naturæ „ unitas non admittit diviſionem. „

Simili modo explicatur Baſilius. Unde lib. de Spiritu ſancto cap. 18. dicit : " Fi„ lius enim in Patre, & Pater in Fi„ lio, quandoquidem hic talis eſt, qua„ lis ille, & ille qualis hic ; atque hac „ quidem in parte unum ſunt. „

Ad confirmationem diſtinguo : ubi ſunt tres perſonæ & totidem naturæ, debent eſſe tres dii, concedo : ubi unica eſt in tribus perſonis natura, ibi ſunt tres dii, nego. Solutio eſt D. Athanaſii qui in expoſitione fidei pag. 84. ait, " Neque „ tres ſubſtantias ſeorſum diſtinctas, ut „ corporaliter in hominibus fit, cogita„ mus, ne deorum pluralitatem ad in„ ſtar gentium ſapere videamur. „ Et ſic patet reſponſio ad Philoſophos, cum enim ſecluſa fide ratiocinarentur, multiplicatis perſonis, multiplicabant & naturam & divinitatem.

Inſiſtes : Ergo erit quaternitas in Deo, quod eſt contra definitionem Concilii Lateranenſis. Probatur ſequela, Deus ſubſiſtit ſecundum ſe ſubſiſtentia abſoluta quæ conſtituit perſonam : Præterea ſubſiſtit adhuc in tribus perſonis relativis : erit igitur quaternitas.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem diſtinguo : & ſubſiſtentia abſoluta non diſtinguitur realiter a ſubſiſtentiis relativis, concedo : & diſtinguitur, nego. Porro realis diſtinctio requiritur inter ſubſiſtentias, ut conſtituant diverſas perſonas ; cum autem ſubſiſtentia abſoluta ſit eadem in tribus perſonis, & non opponatur relative, non conſtituit perſonam diſtinctam a tribus aliis.

Urgebis : In illo priori rationis quo Deus præintelligitur perſonis eſt perſona, & ſi per impoſſibile perſonæ aliæ relativæ non ſequerentur, verum eſſet dicere ſemper quod Deus eſſet perſona, ſicut dicitur de quolibet homine : Igitur erunt quatuor perſonæ in Deo.

Reſpondeo diſtinguendo Antecedens, eſt perſona abſoluta, concedo : relativa & quæ poteſt opponi cæteris relative, nego : in hoc igitur eſt mirabile Myſterium quod ſubſiſtentia ſeu perſona abſoluta per fœcunditatem ſui intellectus, ſuæque voluntatis ſe diffundat, & ſe ſe explicet in tribus perſonis veluti in tot terminis realiter inter ſe diſtinctis.

Perſiſtes. Ergo erunt tres dii : Probatur ſequela : Una perſona excludit alteram & tamen quælibet eſt Deus. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam : Ad probationem diſtinguo : Una excludit alteram ſecundum eſſe relativum, concedo : ſecundum eſſe abſolutum, quod eſt ipſa natura cum omnibus attributis, quæque omnia ſunt communia omnibus perſonis, nego antecedens, & conſequentiam.

Rurſus : Perſona eſt ſingularis naturæ ſpiritualis individua ſubſtantia : Ergo ſi ſunt t[illegible]rſonæ, erunt & tres ſubſtantiæ, a[illegible]e tres Dii.

Reſpon[illegible] diſtinguendo antecedens, perſona in concreto eſt ſingularis natura individua ſubſtantia, concedo : In abſtracto, ſubdiſtinguo: implicite, concedo: explicite, nego. Perſona poteſt conſiderari dupliciter ; in concreto ſcilicet & in abſtracto: concretum primæ perſonæ v.g. eſt Pater, & ſic dicit naturam cum hypoſtaſi, in abſtracto vero dicit ſolum ultimam extra cauſas ſiſtentiam & exiſtentiam, in divinis autem præter hoc dicit formam abſtractam, nempe hypoſtaſim, aut perſonalitatem, paternitatem, v. g. in Patre, & filiationem in filio abſtrahendo

hendo a natura : divinitas autem cum sit quid absolutum, appellat supra naturam', quæ cum immultiplicata maneat, est utique unica divinitas & unus Deus: verum quidem est quod paternitas v. g. ut pote divina, implicite dicat naturam, unde concreta & abstracta in Deo sunt idem re: Sed non dicit explicite, unde manet distinctio virtualis cum fundamento in re inter hypostasim & naturam, tanquam inter quid absolutum, & relativum, quo fit ut omnia concilientur; Trinitas scilicet in unitate, & unitas in Trinitate ineffabili.

Insistes: Tres personæ sunt tres res a parte rei: Igitur si sint tres, videtur utique quod erunt tres dii.

Respondeo distinguendo antecedens, & habent unicam naturam, concedo: tres naturas, nego: Est enim eadem natura absoluta habens quatuor respectus qui constituunt tres personas, sed non multiplicatur divinitas, & forma absoluta, unde, nego consequentiam.

Instabis. Personæ ut sunt respectus, sunt quid reale: Igitur cum respectus reales multiplicentur, videtur quod & multiplicetur divinitas.

Respondeo distinguendo Antecedens: sunt multi respectus idem re cum natura, & solum ab ipsa virtualiter distincti, concedo: ab ipsa realiter distincti, nego. Unde licet multiplicentur respectus, non multiplicantur realitates secundum absolutum, adeoque est unicus Deus.

Persistes: Subjectum debet multiplicari, multiplicata forma: Atqui sunt tres personæ hypostaticæ, & natura se habet ad illas, ut subjectum virtuale: Igitur si multiplicentur hypostases debet & multiplicari natura.

Respondeo distinguendo Antecedens: Multiplicata forma seu persona, multiplicatur subjectum, in creatis, concedo: in divinis, nego. Cum natura creata sit finita, non potest subsistere nisi unica subsistentia, qua quidem ita sit individua & incommunicabilis, ut licet Petrus & Paulus eandem specifice habeant naturam, sunt tamen duo numerice homines: Sed non sic natura divina, quæ quia infinita est, terminata una persona potest ulterioribus terminari personis, quia non dividitur in eis, sicut natura creata in diversis subjectis: Hinc non est paritas. Maxime cum natura divina non sit proprie loquendo subjectum, sed ipsa sit omnia: hinc non limitatur a persona qua terminatur.

Instabis: Natura divina terminata per unam personam est hæc numero natura: Igitur sicut in humanis, multiplicata persona, multiplicatur & natura: sic erit & in divinis &c.

Respondeo distinguendo consequens, si cætera sint paria, concedo: Si non sint, nego: Non est autem paritas in divinis, sicut in humanis; nam natura divina licet terminata una hypostasi, manet alteri communicabilis propter duo: 1. Quia est infinita, & ideo ex natura sua non potest individuari & limitari. 2. Quia est solum virtualiter distincta a personis, unde re est idem cum eis; natura vero humana est realiter distincta a subsistentia & existentia quæ componunt personalitatem creatam, unde ita individuatur per illam, ut sit alteri personæ incommunicabilis.

Dices: Igitur Pater est Filius, & Filius est Pater in divinis, sicque non videtur Trinitas.

Respondeo distinguendo, Pater est Filius re, & secundum absolutum, concedo: unde Christus Joan. 10. ait, *Ego & Pater unum sumus*: secundum relativum, nego. Porro ly *Pater* explicat relativum & paternitatem, adeoque secundum formalitatem Patris, & Filii, non est verum dicere Pater est Filius, sed sunt duæ personæ.

Instabis: In creatis quia Pater non est Filius, est distinctio omnimoda realis inter eos: Sed est etiam distinctio realis in divinis inter Patrem, & Filium: Igitur etiam identice non sunt idem: ergo si sint tres personæ, erunt & tres naturæ, & consequenter tres Dii, quod citra errorem dici non potest.

Respondeo distinguendo majorem: est distinctio realis in creatis inter personas, & ipsam naturam quæ est in Patre & Filio, concedo: in divinis nego. Manet enim distinctio realis solum inter relativa & inter personas, non vero inter naturam Patris & Filii: & sic distincta minore, nego consequentiam.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Unitas divinitatis cohæret cum Trinitate personarum.

PRIMO, Sacra Scriptura ubique unicum prædicat Deum, & tres in sanctissima Trinitate personas, maxime istud 1. Joan. 5. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* Eandem veritatem prædicat simul & explicat Symbolum Nicænum; eandem Symbolum S. Athanasii.

Secundo, Suum addunt tantæ veritati calculum utriusque Ecclesiæ, Orientalis scilicet, & Occidentalis Patres, ut Dionysius de div. nom. c. 1. Justinus in Ecthesi, Basilius epist. 141. Ambrosius lib. in Symb. Apost. c. 5. ait: "Unitatem in Trinitate venerantes, & Trinitatem in unitate confitentes."

Tertio, Ratio suffragatur. Ens infinite perfectum unum est in substantia, alias si divisum foret, jam non esset perfectissimum, divisio quippe arguit aliquam perfectionem in uno quæ non esset in alio. Et vero si substantia, quæ in multis dividitur individuis, haberet in singulis omnem omnino perfectionem, profecto jam ne quidem numerice divideretur, & una in se manaret in omnibus: Sed Deus, sed natura divina est ens perfectissimum. Igitur unitas cum Trinitate cohæret in Deo.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO, Cum Tertullianus dicit primos Christianos, nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum nominasse Deos, non propugnat tres fuisse apud fideles Deos, sed Christianorum hanc fuisse fidem, quamlibet personam unum esse in una natura Deum, pro qua divinitatis unitate Martyres ad sanguinis effusionem usque decertabant.

Secundo, Neque Catholicæ veritati adversantur Patres, cum ad probandum in divinis unitatem cum Trinitate cohærere, naturæ humanæ, quæ specifice una est in multis, utuntur exemplo: hæc quippe comparatio inadæquata est: hoc unum intendunt, quod si natura humana tametsi in multis substantialiter divisa sit, una tamen specifice censetur, nullum esse inconveniens naturam divinam in se perfectissimam, & specifice, & numerice unam in tribus personis subsistere.

Tertio, Deus ut præintelligitur persona est quidem persona absoluta, sed non relativa: quia vero utraque eadem res est, certe pluritas substantiæ a divinis prorsus amovenda est: quod Evangelium non semel prædicat, cum ait Patrem esse in Filio, & Filium vicissim in Patre & utrumque quid unum esse.



DIS-

DISSERTATIO TERTIA.

De persona Patris.



ABBAS Joachim posuit Patrem non esse Deum per se, sed solummodo per resultantiam, ita ut divinitas cum personis sit aggregatum per accidens; sicque quaternitatem in Deo admittebat. In eundem prope errorem prolapsus est Gilberbertus Porretanus concreta ab abstractis realiter distinguendo, hinc secundum ejus sententiam bonitas in Deo non erat Deus. Demum qui Trinitatem inficiantur, negant utique primam personam esse Patrem ad intra. Sed contra quod dicit ipse Deus Exod. 3. *Ego sum qui sum.*

Dogma de excellentia primæ personæ, quatuor præsertim modis explicatur, & ostenditur.

PRIMO: Quia prima persona est Deus per se,

Secundo: Quia in divinis omnia sunt Deus.

Tertio: Quia prima persona est Pater.

Quarto: Quia est innascibilis & principium non de principio.

ATICULUS PRIMUS.

Utrum prima persona sit per se Deus.

QUIDAM putaverunt divinitatem resultare ad personas, adeoque Deum Patrem esse Deum per quandam resultantiam & sic de aliis personis. Contra quos sit

CONCLUSIO.

Prima persona est Deus per se.

Probatur multis momentis.

Primo, auctoritate.

IN veteri Testamento sicut & in novo Deus, non nominatis personis, passim & ubique dicitur Deus, maxime in veteri, ne populus crassus tot coleret Deos, quot personæ prædicarentur. Hinc Deut. 4. *Dominus*, ait Moises, *ipse est Deus*. Ibidem cap. 7. *Et scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus*. Rursus cap. 32. *Deus fidelis & absque ulla iniquitate, justus & rectus*. Marci vero 12. idem prope repetit Christus, his verbis. *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est*. Igitur Deus ut præintelligitur personis est Deus, nec divinitas est quid ad personas resultans.

Scripturæ Sacræ, accedit Patrum celebris auctoritas, maxime Justini Martyris, Tertulliani, Athenagoræ, qui insignes pro defensione unius Dei contra inanem deorum multitudinem conscripsere Apologias. Ergo &c.

Secundo, ex rationibus Theologicis.

PRIMA, sic exponitur. Deus ut præintelligitur personis sæpius nominatur, & vere est, juxta illud Exod. 3. *Ego sum qui sum*. Rursus ibidem: *Dominus Deus patrum vestrorum . . . Misit me ad vos*. Ergo &c.

Secunda, Deus ut præintelligitur personis est ens a se & per se subsistens: Igitur Deus per se.

Tertia, Deus ut præintelligitur personis est omnia, & summum bonum, secundum illud Exod. 8. *Veni, ostendam omne bonum tibi*, ergo prima persona non est Deus per resultantiam, alias non esset per se omnia.

Quarta, Ex Concilio Lateranensi IV. cap. 2. in Deo est unica res simplicissima, & illa res simplicissima est Deus, & Trinitas: Igitur Deus ut præintelligitur personis est Deus per se, alias esset quid compositum ut homo, qui resultat ex unione animæ cum corpore.

Quinta, Ex Patribus Deus est simplicissimus & perfectissimus, ita ut sit ipsa bonitas, ipsa sapientia, & sic concipitur, ut præintelligitur personis: Igitur est Deus per se non per resultantiam, quia esse Dei, est esse omne perfectum.

Sexta: Nulla est in Deo potentialitas, nulla imperfectionis umbra: Sed si esset Deus per resultantiam, foret in potentia, quia ut præintellectus personis nondum esset Deus, nondum sapiens. Ergo &c.

Septima, Personæ habent a Deo quod sint divinæ, sapientia habet quod sit divina & infinita: Igitur Deus ut præintelligitur personis est Deus & omnia, nec habet quod sit, per resultantiam ad personas.

Octava, Homo supponitur homo antequam intelligat & amet: ergo a fortiori Deus Pater. Igitur non est Deus per resultantiam ad personas, siquidem personæ habent quod sint personæ, ab operationibus mentis & voluntatis Dei.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES: Deus ut præintelligitur personis nihil est: Igitur divinitas resultat ad personas. Probatur antecedens. Persona dicit subsistentiam & existentiam in abstracto considerata; in concreto vero dicit totum ens, naturam scilicet a parte rei complete existentem: Igitur Deus ut præintelligitur personis nihil est, quia tunc nondum concipitur subsistentia, nondum existentia, nondum natura.

Respondeo negando Antecedens: Siquidem Deus est ens a se, ens infinitum, & omni perfectione refertum. Ad probationem distinguo, persona tam absoluta, quam relativa, dicit subsistentiam & existentiam, concedo: persona relativa tantum, nego. Duplex distinguitur in Deo subsistentia, alia absoluta, relativa altera: prima ea est qua in se subsistit Deus & est, vocaturque essentialis, quia convenit naturæ secundum se, estque tribus personis communis: Posterior qua subsistit in personis, & est ipsa natura ut relatione aut paternitatis, aut filiationis, aut spirationis passivæ terminata, & hæc triplex est; siquidem in Deo tres sunt personæ & hypostases; licet autem Deus ut præintelligitur personis non sit Pater, est tamen Deus, & ens a se: Accipe exemplum in humanis. Petrus v. g. antequam generet, est verus homo, & ens per se subsistens, quando vero generavit, non est tantum homo per se subsistens absolute ut antea, sed relative. Sic Deus ut præintelligitur personis, est per se Deus absolute, relative vero cum generat & generavit Filium. Item & cum spirat & spiravit Spiritum sanctum.

Instabis: Hoc posito sequitur quod sint in Deo quatuor personæ: absurdum consequens, ergo & Antecedens. Probatur sequela: Est persona absoluta ut præintelligitur personis, quia est subsistentia absoluta; deinde vero tres personæ relativæ constituunt tres hypostases. Ergo &c.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem, distinguo: & subsistentia absoluta est communis tribus personis, concedo, & non est communis, nego. Omnia sunt unum in divinis ubi non obviat relationis oppositio, subsistentia autem absoluta utpote communis & naturæ divinæ conveniens secundum se consideratæ relative non opponitur, unde non constituit personam distinctam: Sic in Petro homine & in Petro generante non sunt duæ personæ, quia eadem est quæ generat, ita in divinis Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Rursus instabis: Si ita est, jam ruit mysterium SS. Trinitatis, & probatur. Erit unica in Deo persona, & probatur. Persona in abstracto considerata dicit subsistentiam & existentiam, adeoque subsistentia relativa nihil addit absolutæ nisi solum relationem; Ergo &c.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem nego, quod in hypothesi unica esset in Deo persona. Ad ulteriorem probationem distinguo: subsistentia relativa addit tantummodo relationem secundum esse *ad*, concedo: secundum esse *in*, nego: dicit enim sub isto respectu naturam variis subsistentiis relativis actuatam; adeoque & personis, quippe quæ constituantur per relationes.

Insistes

Insistes: Esto quod Deus ut præintelligitur personis sit Deus a se; sequitur tamen Deum non esse per se Patrem, cum paternitas sic relatio, adeoque per resultantiam fiat, Ergo &c.

Respondeo negando sequelam propter duo: Primo quidem, licet relatio resultet ad fundamentum, non tamen agens: Igitur Pater est per se Pater, quia est per se generans, tametsi paternitas subsequatur ad intellectionem. Secundo, licet relatio creata fiat per resultantiam, eo quod sit ens minimum & accidens, non tamen divina, quia est ens summum, & ipse Deus.

Urgebis: Paternitas concipitur resultare in divinis: Igitur Deus non est per se Pater, quia forma a qua denominatur Pater, concipitur per resultantiam.

Respondeo distinguendo; paternitas concipitur resultare absque fundamento in re, & defectu intellectus creati qui divina sicut humana concipit, concedo: cum fundamento, nego. Et vero Deus Pater non habet principium, quocirca non debet concipi ut aliquid ad aliud resultans, sed est Deus per se, & ex natura sua.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Prima persona est Deus per se.

PRIMO: Hoc ex sacra constat Scriptura, ubi Deus, tacito personarum nomine, centies vocatur Deus: quod & infinita prope Dei perfectissima opera manifestant.

Secundo: Idem clarissime probatur in Apologiis quas Justinus, Tertullianus, Athenagoras pro unitate Dei contra inanem deorum multitudinem conscripserunt, ex quo patet primam personam esse per se Deum, nec divinitatem ad personas resultare.

Tertio: Personæ habent a Deo, quod sint divinæ: Igitur Deus ut præintelligitur personis est Deus, & ens a se, atque omnium perfectionum fons & origo.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Deus ut præintelligitur personis habet subsistentiam absolutam, unde sub ista consideratione, non est nihil, sed ens a se, & summum bonum a quo cuncta profluunt bona.

Secundo. Tametsi Deus ut præintelligitur personis sit a se, & per se subsistens, non inde sequitur aut quatuor personas, aut quatuor res in Deo reperiri, quandoquidem subsistentia absoluta omnibus personis communis est, & ipsæ personæ res una & dicuntur, & sunt.

Tertio: Ex unitate entitatis mysterium non destruitur; namque relativum additur absoluto: hoc est, absolutum varias habet relationes, quæ tres constituunt personas.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Deus sit Deus in omnibus, idest utrum perfectiones tam relativa quam absoluta sint Deus?

CUM prima persona sit Deus, & principium a quo omnia, quia est primum principium, quæritur utrum Pater qui est Deus per se, sit etiam Deus in omnibus, ita ut paternitas, filiatio, spiratio activa, bonitas, & aliæ perfectiones sint Deus. Hoc ipsum negavit Gilbertus Porretanus existimans abstracta in divinis, ita distingui a concretis, ut sicut in creatis sapientia non est homo, v. g. ita nec in Deo, est Deus.

CONCLUSIO.

Quidquid est in Deo, Deus est.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra Conciliis explicata.

DEUS Exod. 3. sic loquitur: *Ego sum qui sum*. Hoc est qui sum sapientia, bonitas, & Deus in omnibus: alias aliquid esset in Deo, quod non esset Deus, sicque aliqua perfectio adveniret Deo quod est contra fidem.

Concilium Lateranense 4. sub Innocentio III. in eo prorsus sensu explanat Scripturam; sic enim loquiutr cap. 1. contra Abbatem Joachim & alios opposita sentientes

tes: *Firmiter*, ait, *credimus*, *& simpliciter confitemur*, *quod unus solus est verus Deus* ... *tres quidem personæ*, *sed una essentia*, *substantia*, *seu natura simplex omnino*. Tum cap. 2. *Nos autem sacro & universali Concilio approbante*, *credimus & confitemur cum Petro*, *quod una quædam summa res est*, *incomprehensibilis quidem & ineffabilis*, *quæ veraciter est Pater*, *& Filius*, *& Spiritus sanctus*, *tres simul personæ*, *ac singulatim qualibet earundem*: *Et ideo in Deo Trinitas est solummodo*, *non quaternitas*: *quia qualibet trium personarum est illa res*, *videlicet substantia*, *essentia*, *sive natura divina*.

Eodem stylo eademque fidei professione loquitur Concilium Rhemense; & sic perstringit Gilbertum Porretanum qui vana delusus Logica dicebat, bonitatem, sapientiam, &c. in Deo non esse Deum; Eo autem loci S. Bernardus qui eum debellavit & ad meliorem frugem adduxit, vult ut sequens fidei professio *scribatur stylo ferreo*, *ungue adamantino*. Sic refert Otto Frisig. cap. 56. apud Binium in notis ad Concilium pag. 1333. *Credimus simpliciter naturam divinitatis esse Deum*, *nec aliquo sensu catholico posse negari*, *quin divinitas sit Deus*, *& Deus divinitas*. *Si vero dicitur*, *sapientia sapientem*, *magnitudine magnum*, *æternitate æternum*, *unitate unum*, *divinitate Deum esse*, *& alia hujusmodi*; *credamus nonnisi ea sapientia quæ est ipse Deus*, *sapientem esse*; *nonnisi magnitudine*, *quæ est ipse Deus*, *magnum esse &c.*

Secundo, *ex sanctis Doctoribus*.

Divus Bernardus sermone 80. super Cantica ait: " Sola summa & increata natura, quæ est Trinitas Deus, hanc sibi vindicat meram singularemque suæ essentiæ simplicitatem, ut non aliud & aliud, non alibi quoque, & alibi, sed ne modo quidem & modo inveniatur in ea ... Deus est magnitudo, bonitas, justitia, sapientia. " Rursus lib. 5. de considerat. cap. 7. Est qui est .... purus, simplex, integer, perfectus, constans sibi. "

Suffragatur S. Thomas qui hic q. 39. art. 4. & 5. dicit concreta & abstracta esse eandem rem in divinis, quia Deus sibi identificat omnia. Et q. 14. dicit operationem in Deo bonitatem & omnia in Deo esse substantiam, quia nihil Deo advenit, nihil adhæret, nihil accidentale in eo est; alioquin mutaretur.

Tertio, *ex rationibus Theologicis*.

PRIMA hæc est: quod est ens a se, ens plenum & actus purus, est omnia in omnibus, alias esset in potentia ad aliquid, & reciperet perfectionem quam non haberet, siquidem qui non est ipsa perfectio illam recipit: Sed Deus est ens a se, ens plenum, actus purus, id est, ens, quod est semper in actu omnium perfectionum: Igitur est Deus in omnibus adeoque paternitas, sapientia sunt ipse Deus.

Secunda: Quælibet perfectio divina sive relativa, sive absoluta est ens a se, est intelligere per essentiam, bonitas per essentiam, alias non esset perfectio divina, quia esset in potentia ad aliquid perfectius habendum, scilicet ad divinitatem; immo si bonitas non sit Deus, est solum divina & infinita per participationem, adeoque accidens, quod est contra fidem.

Tertia. Deus est ens immensum, omnia consequenter comprehendens, & omnem in sinu suo adunans perfectionem: Igitur quælibet perfectio in Deo est Deus, quia omnis perfectio, omnis operatio, & omnis facultas adunatur in Deo substantialiter.

Quarta. Deus est spiritalis & indivisibilis ex Patribus: Igitur est in omnibus suis perfectionibus, & totaliter & non per divisionem. Et vero si anima rationalis, quia est spiritalis & indivisibilis est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte, tota in intellectu, tota in voluntate, a fortiori Deus erit totus in suis perfectionibus.

Quinta: Deus est summum bonum, adeoque sui diffusivum: Sed diffundit se totum in bonitate, in sapientia, &c. se diffundit modo sibi convenienti, id est totaliter divino, sicut fons diffundendo aquas suas, semper fons est, ita Deus semper Deus in omnibus.

Sexta: Deus est immutabilis, & infinitus; est summe & essentialiter perfectus: Sed nisi sit sua bonitas, & ipsa bonitas sit Deus, nisi sapientia, &c. erit ipse mutabilis, adveniet enim ei nova perfectio; erit finitus, non enim habebit omnem

omnem perfectionem. Ergo &c.

Septima: Ex Scriptura Deus est omnia, Pater a quo omne lumen & vita, per quem omnia vivunt. Igitur vita Dei, & sapientia Dei sunt ipse Deus.

Diluuntur objectiones.

OBJICIES: Sapientia non est de essentia Dei: Igitur non est Deus. Probatur Antecedens. Est proprietas essentiæ: Ergo non est de essentia Dei.

Respondeo distinguendo: Sapientia non est de essentia Dei formaliter, concedo: identice, nego. Non est quidem de essentia formaliter, quia alius est conceptus essentiæ, alius conceptus bonitatis, bene vero entitative.

Ad probationem, concessa majore, distinguo minorem. In creatis proprietas non est de essentia seu substantia rei, concedo, quia advenit subjecto illud perficiendo: in divinis, nego. Etvero omnia in Deo sunt substantia Dei, siquidem nullum est accidens in eo.

Instabis: Atqui abstracta in divinis, ut sapientia, bonitas nullo modo sunt de essentia Dei: Et probatur. Essentia explicatur per definitionem rei: Sed alia est definitio essentiæ Dei, alia vero bonitatis. Ergo &c.

Respondeo negando sequelam, sunt enim de essentia identice, quia in Deo, ut definit Conc. Lateranense IV. cap. 2. omnia sunt una res simplicissima. Ad probationem distinguo: essentia explicatur adæquate per definitionem adæquatam, concedo: secus, nego. Quia igitur creatura quantumvis perfecta, nequit Deum comprehendere, nec utique eum definire potest, sicut oportet: Non mirum igitur si alia sit definitio essentiæ divinæ, alia bonitatis. Dicendum tamen conceptum essentiæ implicite enuntiare bonitatem, quia eo ipso quo est conceptus essentiæ divinæ, omnem necessario complectitur perfectionem.

Rursus instabis: Sequitur ex hac doctrina, quod aut nulla sint Dei attributa, aut sint confusa: 2. Quod Pater sit Filius, & Filius sit Pater. 3. Quod filiatio sit paternitas: Atqui ista sunt absurda. Ergo &c.

Respondeo negando omnes istas sequelas, sufficit enim distinctio relativa realis inter personas ut una non sit altera; virtualis vero inter attributa, ut non sint confusa. Anima rationalis v. g. est eadem entitative ut vegetativa & sensitiva; quia tamen æquivalet forma vegetativa & sensitiva quæ distinguuntur realiter in plantis & brutis, isti gradus distinguuntur in anima; ita & pariter distinguenda sunt attributa divina, quia eadem essentia divina æquivalet bonitate & sapientia, quæ realiter distinguuntur in creatis.

Respondeo ad primum distinguendo: Pater est Filius substantialiter, concedo; una quippe est pro tribus personis natura: est Filius relative & personaliter, nego. Dictum & probatum manet esse personas realiter distinctas.

Ad secundum distinguo etiam; attributa erunt confusa & in se commixta, idest erunt una res, concedo; unum attributum ex multis aliis conflatum, nego. Sufficit distinctio virtualis ad invicem ut multiplicia concipiamus, cum hujusmodi distinctio æquivaleat distinctioni reali quæ reperitur in perfectionibus creatis a parte rei a se invicem distinctis. Hinc idem facit quod ista, salvo tamen divinitatis jure, ita ut in Deo omnia sint quid unum.

Insistes; Bonitas advenit Deo, & aliquid ei addit; nam perfectior est conceptus Dei cum bonitate quam separatim a bonitate. Ergo &c.

Respondeo distinguendo; bonitas advenit Deo secundum nostrum concipiendi modum, & conceptus Dei cum bonitate est perfectior quoad nos, concedo; quoad se, nego. Est eadem res; omnia enim sibi identificat divina essentia, immo & ipsas relationes.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Quidquid est in Deo, Deus est.

PRIMO; Istud Exodi 3. oraculum: *Ego sum qui sum*, nostram eatenus demonstrat conclusionem, quatenus qui est, omnia quoque est, quod certe definivit Concilium Rhemense, cum dixit sapientiam Dei esse Deum.

Secundo; Hanc assertionis reddit rationem divus Bernardus serm. 80. in can. in Deo non est aliud & aliud; hoc est, in

in Deo & natura & personæ & attributa una res simplicissima sunt.

Tertio. Alteram subjungit rationem D. Thomas hic q. 39. art. 4. diceus concreta in divinis idem esse a parte rei cum abstractis. Sapiens v. g. & sapientia: Bonus & bonitas non faciunt numerum. Et vero, eo ipso quo bonitas est & increata & infinita, eam Deum esse necesse est. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO. Tametsi sapientia, aliaque attributa non sint in Deo formaliter de natura & ejus essentia, bene tamen identice: quocirca abstracta in divinis non sunt aliud & ab essentia, & a concretis.

Secundo: Esto quod abstracta diversam habeant a concretis inadæquatam definitionem, non tamen adæquatam; ex quo manifeste sequitur sapientiam esse Deum; & idem prorsus de quolibet attributo asserendum esse.

Tertio; Nec inde sequitur attributa aut nulla esse, aut si admittantur, quid confusum esse, distinctio quippe virtualis, salvo divinitatis jure, idem facit quod distinctio realis in rebus creatis operatur; hinc in Deo attributa & agnoscimus, & ab invicem absque confusionis dispendio secernimus.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum conveniat prima persona esse Patrem.

ARIANI nomen Patris denegaverunt primæ personæ, tanquam aliquid Dei indignum, quippe qui Verbum puram dicerent creaturam, hinc Deum Creatorem non Patrem vocabant: ita colligitur ex Petavio lib. 5. de Trinit. cap. 14. contra quos sit

CONCLUSIO.

Nomen Patris convenit Deo, maxime primæ personæ.

Probatur ex multis capitibus.

Primo, ex Scriptura sacra.

DEUTERONOMII 32. habetur; *Numquid non ipse est Pater tuus qui possedit te?* Rursus Psal. 88. *Ipse invocabit me: Pater meus es tu*. Et adhuc Eph. 3. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi ex quo paternitas omnis in cælo, & in terra nominatur*. Demum Heb. 1. *Cui enim dixit aliquando Angelorum Filius meus es tu; ego hodie genui te*. Igitur nomen Patris convenit Deo, maxime primæ personæ, quippe quæ sit principium non de principio.

Secundo, ex Symbolis.

CONCINUNT Symbola. In illo quod ad Apostolis compositum est, habetur; *Credo in Deum, Patrem omnipotentem*. In Nicæno vero. *Credo in unum Deum, Patrem*. S. Athanasius in eo quod illi tribuitur, fidem sic explicat: *Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti*. Ergo &c.

Tertio, ex sanctis Patribus, & Doctoribus.

VENIT iterum in testimonium S. Athanasius qui orat. 2. pag. 143. ita loquitur. " Quapropter in sua deitate Pater proprie Pater est, & Filius proprie Filius est, & in illis solis consistit; ut Pater semper sit Pater, & Filius semper sit Filius. "

Faustinus lib. contra Arianos, inquit; " Deus solus proprie verus est Pater, qui sine initio & sine Pater est.... Solus autem Filius Dei verus est Filius, existens hoc sine initio, sine fine, semper habens Patrem, & nunquam ipse ut est unigenitus, generans accipit vocabulum Patris. "

Gregorius Naz. orat. 35. pag. 564. " Quis est igitur Pater qui principium non habuit... Quamobrem nec Pater

postea

„ postea exstitit, quandoquidem nec esse aliquando cœpit, & Pater proprie „ est, quia non etiam Filius. „

Hieronymus in cap. 3. epist. ad Ephes. “ Paternitatis nomen ex semetipso largitus est omnibus... Et quomodo nomen „ commune substantiæ, sibi proprium „ vindicat Deus..... Sicut ergo solus „ bonus, bonos facit; & solus immortalis immortalitatem tribuit; & solus verus, veritatis nomen impertit; „ & solus Pater, quia Creator est omnium. „

Guillelmus Parisiensis l. de fide c. 3. “ Nequius blasphemat qui negat Deum „ Patrem genuisse Filium. „

Ambrosius lib. in Symbolum c. 11. “ Æternus Pater Filium genuit coæternum. „

Cyrillus dial. 2. de Trinit. pag. 457. “ Simul Deus est & simul Pater generationem non habens posteriorem, sed „ una est & subsistit, intelligiturque Pater. „

Fulgentius l. de fide ad Petrum cap. 1. “ Unus est Deus, Deus Pater, qui solus essentialiter de seipso unum Filium „ genuit. „

Concinit Hilarius; “ Et quis igitur ambiget, *inquit*, lib. 12. de Trinitate „ pag. 107. quinquæ in rebus humanis nata sunt, aliquando non fuerint, sed „ aliud est ex eo nasci qui non fuit, aliud „ ex eo nasci qui semper est. Infantia „ enim omnis cum antea non fuisset, „ cœpit ex tempore; quæ rursum in pueritiam excrescens, post etiam adolescentiam coegit in Patrem, & non „ semper Pater est, qni ante in adolescentiam per pueritiam, & in pueritiam „ per infantiam cœptam profecerit; Ergo qui non semper Pater est, non semper & genuit. Ubi autem semper Pater est, semper & Filius est. “ Si itaque habes in cognitione vel sensu Deum, „ in cujus cognitionis sacramento proprium est, quod Pater est, non semper „ Patrem esse Filii unigeniti: Habes & „ in intelligentia & scientia, non semper Filium esse qui genitus est; quod si „ semper Patri proprium est, quod semper Pater est: necesse est filio semper „ proprium esse, quod semper est Filius. „ Et quomodo in sermonem nostrum atque intelligentiam cadet, ut non fuerit antequam nasceretur, cui proprium „ est semper esse, quod natus est. „

Subscribit Maximus Martyr in enarrat. Domin. orat. apud Euthymium: “ Relatio vim habet ejusmodi, ut una significet alterum. „ Et Faustus Regiensis: “ Hoc ipsum Filii nomen, *inquit*, ex „ Patris derivari nomine creditur..... „ & cum Filius ex Patre sit, Patri nomen Filius facit. „

Huic Patrum multitudini accedit Toletana Synodus XI. dicens: “ Patrem semper fuisse Patrem, eo quod semper habuerit Filium. „ Quid clarius, quid validius contra impugnatores Paternitatis divinæ?

Simili prorsus modo scribit Doctor Angelicus hic q. 3. art. 2. “ Dicendum quod „ nomen proprium cujuslibet personæ significat id per quod illa persona distinguitur ab omnibus aliis. „ Deinde subdit: “ Unde proprium nomen personæ „ Patris, est hoc nomen Pater quod significat paternitatem. „

Quarto, ex ratione, eaque multiplici.

Prima: Esse Patrem est esse alicujus vel principium vel causa, quia relatio paternitatis resultat ad actionem alicuius, & ipsius terminum: Sed Deus est prima omnium creaturarum causa, sed prima persona ad intra est primum principium a quo Filius: Igitur convenit illi esse Patrem.

Secunda: Ille dicitur Pater qui dat esse alicui: Atqui prima persona dat esse Filio ad intra juxta illud Psal. 109. *In splendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te*. Ad extra vero produxit omnem creaturam, juxta illud Gen. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*. Ergo &c.

Tertia: Ille est Pater & vere dicitur a quo procedit terminus secundum similitudinem vel univocam, vel saltem analogam: Atqui Verbum ad intra procedit a prima persona secundum similitudinem univocam, dicente Apostolo de Filio Dei incarnato, Philip. 2. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*. Creaturæ vero procedunt secundum aliquam similitudinem magis vel minus perfectam, juxta gradum naturæ & gratiæ magis vel minus excellentem: Igitur ratio Patris

tris

tris maxime convenit primæ personæ.

Divus Thomas hic q. 33. art. 3. mirum in modum hanc explicat veritatem his verbis : " Manifestum est autem ex præ- „ missis quod perfecta ratio paternitatis „ & filiationis invenitur in Deo Patre, „ & Deo Filio, quia Patris, & Filii „ una est natura & gloria, sed in crea- „ tura filiatio invenitur respectu Dei, „ non secundum perfectam rationem, „ cum non sit una natura Creatoris, & „ creaturæ, sed secundum aliqualem si- „ militudinem, quæ quanto perfectior „ fuerit tanto propinquius acceditur ad „ veram filiationis rationem. Dicitur „ enim Deus, alicujus creaturæ Pater, „ propter similitudinem vestigii tantum, „ utpote irrationalium creaturarum, se- „ cundum illud Job 38. Quis est pluviæ „ Pater, aut quis genuit stillas roris? „ Alicujus vero creaturæ, scilicet ratio- „ nalis secundum similitudinem imaginis „ secundum illud Deut. 32. Nonne est „ ipse Pater tuus qui possedit, & fecit, „ & creavit te? aliquorum vero est Pater „ secundum similitudinem gratiæ, qui „ etiam dicuntur Filii adoptivi, secun- „ dum quod ordinantur ad hæreditatem „ æternæ gloriæ per munus gratiæ accep- „ tum, secundum illud Rom. 8. Ipse Spiri- „ tus reddit testimonium spiritui nostro „ quod sumus filii Dei : Si autem filii & „ hæredes; aliquorum vero secundum si- „ militudinem gloriæ, prout jam gloriæ „ hæreditatem possident secundum illud „ Rom. 5. gloriamur in spe gloriæ filiorum „ Dei : Sic igitur Pater, quod per prius „ paternitas dicitur in divinis secundum „ quod importatur respectu personæ ad „ personam, quam secundum quod impor- „ tatur respectu Dei ad creaturam. „

Ex his sequitur rationem paternitatis prius dici notionaliter quam essentialiter, idest primam personam prius esse Patrem ad intra quam ad extra. Ita divus Thomas ibidem art. 3. ex professo propter duo. 1. Quia Pater divinus generat Verbum ab æterno, creaturas vero solum produxit in tempore. 2. Quia Verbum procedit a Deo secundum perfectam similitudinem, & in generante est habitudo substantialis ad terminum, ad quem resultat relatio paternitatis quæ distinguit primam personam a secunda : & ideo paternitas dicitur notionalis; minime vero productio creaturæ : tum quia creatio convenit omnibus personis, tum quia non constituit personam divinam, sicut paternitas constituit, sed denominat solummodo Deum Creatorem per relationem rationis quam concipimus in Deo agente & producente, & per realem quæ resultat in creatura producta : Certum est autem id quod perfectius est, prius convenire agenti. Igitur prius convenit Deo esse Patrem ad intra, quam ad extra : Nec mirum : convenit illi ex natura & necessario producere Verbum, libere vero producere creaturam.

Sequitur etiam primam personam dici quidem principium Spiritus sancti, minime vero Patrem; quia ut suo loco dicetur, tertia persona non procedit formaliter vi spirationis activæ in similitudinem naturæ, eo quod procedat per voluntatem; voluntas autem non est assimilativa.

Solvitur una objectio.

DICES, si Deus est Pater, mutatur, quia generans perfectionem acquirit mirabilem, scilicet Filium : Sed Deus est immutabilis : Ergo &c.

Respondeo negando sequelam : Deus Pater generat quidem, sed ab æterno; unde nihil acquirit, quia totum semper habuit, & habet, & habebit : Filius vero non procedit a Patre ut a causa & per dependentiam, sed per simplicem emanationem & per generationem æternam. Imperfectiones prædictæ in solis creaturis reperiuntur. Ita S. Athanasius orat. 2. " Non enim, *inquit*, Deus est ut homo, „ nam neque Pater ex Patre est altero, „ ideo nec cum gignit, qui sit futurus „ Pater, neque Filius ex fluxione Patris „ est, aut ab genito Patre genitus, qua- „ re non in hoc generatur ut gignat. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Primæ convenit personæ esse Patrem.

PRIMO : Ita sacra pronuntiat Scriptura his verbis Deut. 32. *Nonne est iste Pater tuus qui possedit, & fecit, & creavit te?*

Secundo. Symbola videlicet, & Apostolicum, & Nicænum, & S. Athanasii primam

mam distinguunt personam penes Patris proprietatem: cui veritati omnis Patrum cœtus suffragatur; ut Gregorius Naz. orat. 35. Hieronymus in cap. 3. epist. ad Ephes. &c.

Tertio. Patrem esse isti plurimum convenit personæ, cui maxime convenit primum esse rerum omnium principium: Atqui primæ sanctissimæ Trinitatis personæ hoc ita convenit, quippe quæ sit per antonomasiam principium non de principio, nedum ad extra, verumetiam ad intra; ab ipsa siquidem & quæ in cœlo, & quæ super terram sunt, ut a primigenio profluunt fonte. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Non negamus Patris proprietatem aliis a Patre personis etiam convenire, sed solummodo ad extra, quatenus creaturarum factura omnibus sanctissimæ Trinitatis personis communis est; primæ vero etiam ad intra, & non cæteris esse Patrem convenit.

Secundo. Neque vero quidquam mutationi primæ advenit personæ, ex eo quod sit omnium Pater, dat quippe omnibus & esse, & vivere, sed nihil aut deperdendo, aut etiam acquirendo.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum conveniat primæ personæ esse principium non de principio.

MANICHÆI aliquid in hac parte a Deo detraxerunt, dicentes creaturas sensibiles non esse a bono Deo: Duæ sunt hic quæstiones explicandæ, scilicet an esse principium conveniat Deo Patri, deinde an prima persona sit innascibilis seu principium non de principio? Unde sit

CONCLUSIO PRIMA.

Esse principium competit maxime Patri ad intra & ad extra.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura.

LEGITUR Joan. 1. *In principio erat Verbum*. Psal. 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ*: Et Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram*. Rursus: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, inquit Joannes cap. 1. Igitur convenit Patri & quidem maxime esse principium ad intra & ad extra, quia est prima persona.

Secundo, ex sanctis Doctoribus.

S. Athanasius orat. 2. pag. 151. sic scribit: " Si nomine unigeniti in prætextum dato, hæresim suam dissimulent, quum tamen vox illa suo significatu non ad Filium (ut ipsi murmurant) sed ad genita, hoc est creata propendeat.

Gregorius Naz. orat. 36. " Proprium, *inquit*, ejus qui principio caret, nomen est Pater. "

Succinit Zacharias Mytilenæus lib. de mundi opificio, pag. 366. " Pater expers principii & ingenite, Fili, sine principio genite: Spiritus Dei sine principio a Patre procedens. " Idem docent Hilarius lib. 4. de Tr. Petrus Chrysologus Serm. 60. non omittendus Cyrillus Alex. lib. 5. Thesauri, ubi ait: " Impie loqui eos qui ab initio aliquo cœpisse generare Deum asserunt ... Ut Pater ipse initio caret. "

His accedit Ambrosius lib. 10. in Luc. " Dominus Pater quia radix Filii. " Rursus lib. 4. de fide c. 5. " Fons Pater, Filii est radix. Radix Pater Filii est. " Ita etiam Basilius hom. 27. contra Sabell. pag. 606. " Est quidem Pater, *inquit*, perfectum habens esse, & nullius egens, radix & fons Filii, & sancti Spiritus. " Ubique prima persona proclamatur Pater, & sine principio. Audiendus de hoc momento S. Augustinus l. 3. contra Maximum c. 27.

" Pa-

" Pater principium non de principio: Filius ,, principium de principio : sed utrumque simul : non duo, sed unum principium. ,, Rursus l. 4. de Trinit. Pater est principium totius Trinitatis. ,,

Non prætereundus divus Thomas, qui hic 1. p. q. 33. art. 1. ita scribit : " Dicendum, quod hoc nomen principium, nihil aliud significat quam id, a quo aliquid procedit, omne enim a quo aliquid procedit, quocumque modo dicimus esse principium, & e converso. Cum ergo Pater sit a quo procedit alius, sequitur quod Pater est principium. ,,

Tertio, rationibus Theologicis.

PRIMA : Pater est principium a nullo alio : Igitur maxime illi convenit esse principium.

Secunda, Nomen principii nullam dicit imperfectionem, quia principium latius patet quam causa, punctum enim est principium lineæ, non causa ; Secundo, quia nomen causæ dicit diversitatem in substantia & dependentiam quæ ad intra non est admittenda in Deo : Igitur nomen principii maxime convenit primæ personæ.

Tertia : Nomen principii convenit ad intra & ad extra Deo : Igitur maxime Patri, quia sic explicatur omnis Patris activitas.

CONCLUSIO SECUNDA.

Esse principium creaturarum convenit omnibus personis.

Probatur multis momentis.

PRIMO Ex Scriptura sacra. Gen. 1. habetur. *In principio creavit Deus, &c.* Eo loci, Deus dicitur essentialiter, id est, ut communis tribus personis. Ibidem. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Tum Propheta Regius Psal. 32. *Ipse dixit & facta sunt*. In his & similibus textibus vox *Deus* pro omnibus supponit personis, maxime quum dicitur, faciamus hominem &c. Igitur Patri simul & Filio, & Spiritui sancto convenit esse creaturarum principium.

Secundo ex sanctis Patribus. S. Augustinus in Enchir. cap. 38. sic loquitur : " Neque enim separabilia sunt opera ,, Trinitatis, cur in ea facienda solus ,, Spiritus sanctus nominatus est ? An & ,, quando unus trium in aliquo opere nominatur, universa operari Trinitas intelligitur. ,, Rursus lib. 1. de Trinitate cap. 4. " Pater & Filius & Spiritus sanctus sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur. ,, Tum epist. 99. ad Evodium : " Sed quid facit Filius ,, sine Spiritu sancto, vel sine Patre, ,, cum inseparabilia sint omnia opera Trinitatis ? ,,

Suffragatur S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 16. loquens de creatis ait : " In horum autem creatione cogita mihi ,, principalem causam eorum quæ fiunt, ,, Patrem, dein conditricem, Filium, ,, perfectricem, Spiritum sanctum. ,,

Tertio, ratione. Quæ procedunt a Deo secundum omnipotentiam sunt opera toti Trinitati communia, cum istud attributum omnibus tribuatur personis juxta illud Symb. S. Athan. *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus*. Sed Deus cuncta fecit ratione suæ omnipotentiæ, juxta illud Psal. 32. *Ipse mandavit & creata sunt*. Ergo &c. Hoc ipsum annuntiant exempla. Primo quidem in creatione Deus loquendo mundum condidit : *Dixitque Deus, fiat lux, & facta est lux*. Ibi adsunt duæ personæ, Pater scilicet qui loquitur, Filius vero qui est ejusdem Patris verbum & sermo : Sed & Spiritus sanctus in hoc opere complendo utique operatur, ibidem enim legitur : *Spiritus Dei ferebatur super aquas*. Rursus in Incarnatione omnes personæ divinæ magnum illud & ineffabile mysterium operantur ; Pater quidem dum suum mittit Filium, Filius vero cum ipse incarnetur : demum Spiritus sanctus ; sic enim habetur Luc. 1. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te, sanctum, vocabitur Filius Dei*. Ergo &c.

CON-

CONCLUSIO TERTIA.

Pater est innascibilis seu principium non de principio.

Probatur multis momentis.

PRIMO, ex Scriptura Matth. 28. Pater nominatur primus : *Baptizantes eo in nomine Patris &c.* Si primus : Igitur non habet principium.

Secundo. Ex Concilio Toletano 4. his verbis in professione fidei : *Credimus Patrem ingenitum, increatum, fontem & originem totius Trinitatis.*

Tertio. Ex SS. Doctoribus, sanctus Gregorius Nyss. l. 1. contra Eunomium ubi ait : " Patrem quidem principio carentem & ingenitum esse. ,,

Concinit, Gregorius Nazianzenus orat. 35. ubi loquens de divinis personis ait : " Si Filius & Spiritus sanctus Patri coæterni sunt, quid afferri potest, quin principii quoque, quemadmodum & ille, sint expertes? Quia ab ipso sunt, licet non post ipsum. Quod enim principio caret, æternum quoque est : quod autem æternum est, non protinus quoque principio vacat, quandiu ad Patrem, velut ad principium & originem refertur. ,, Rursus orat. 36. " Proprium, *inquit*, ejus qui principio caret, nomen est Pater. ,, Ergo ex S. Greg. Pater est principium sine principio, nec procedit ab aliquo sicut aliæ personæ.

Divus Thomas hic q. 33. art. 4. in argumento sed contra, post Hilarium sic loquitur : " Est unus ab uno, scilicet ab ingenito genitus : proprietate videlicet in unoquoque & innascibilitatis & originis. ,,

Quarto, ratione ; Qui est principium non de principio est innascibilis : Atqui Pater est principium non de principio. Ergo &c.

Confirmatur. In Deo nihil est Patre prius : Ergo est principium non de principio : Igitur & innascibilis, aliæ enim personæ procedunt a Patre.

Dices. Quod convenit tribus personis Patri non est proprium : Sed nomen ingeniti convenit aliis personis, nempe Spiritui sancto cujus processio non est generatio : convenit etiam essentiæ divinæ quæ nec generat, nec generatur. Ergo &c.

Respondeo : Hanc vocem *ingeniti* non solum significare negationem generationis, sed etiam processionis ; & sic soli Patri convenit, Spiritus enim sanctus ex Patre Filioque procedit, Pater vero a nulla persona promanat, præterea illa vox *ingeniti* essentiæ a Theologis nunquam applicata est, sed personæ primæ, alioquin ratio ingeniti conveniret tribus personis quod est aperte contra traditionem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Prima convenit personæ esse principium, ad intra & ad extra, hinc innascibilis vocatur.

PRIMUM patet ex illo Joannis effato cap. 1. *In principio erat Verbum*, hoc est Filius in Patre : ita propugnant Greg. Naz. orat. 35. Athanasius orat. 2. Ratio D. Thomæ ea est. Ille recte dicitur principium a quo cuncta procedunt : Atqui cuncta, tum ad intra, tum ad extra a Patre procedunt : ad intra quidem, namque Filius a prima persona generatur, ista eadem persona sanctum spirat Spiritum: ad exra vero, quatenus cuncta & facit, & creavit. Ergo &c.

Secundum quoque eatenus claret, quatenus prima persona Pater nuncupatur : certe si genita foret, non diceretur saltem ad intra Pater : Sed & ad extra, & ad intra Pater est, & dicitur. Igitur & innascibilis. Hoc ipsum innuit sextum Concilium Toletanum : hoc Greg. Naz. orat. 35. Ergo &c.

Synopsis unius difficultatis & responsionis.

TAMETSI Spiritus sanctus non sit genitus, non tamen innascibilis, quia procedit a Patre & Filio.

DISSERTATIO QUARTA

De persona Filii, maxime de ejus divinitate.



RIANI negaverunt Verbum esse Deum; Semiariani esse Patri consubstantiale; Jurius vero in perfectionibus & operationibus ipsi inæquale. Sed contra quod dicitur Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

Dogma de divinitate Verbi quatuor argumentis demonstratur.

PRIMO: Quia ex Scriptura, ex traditione Patrum, & ratione Theologica constat Verbum esse Deum.

Secundo: Quia Verbum est Patri consubstantiale.

Tertio: Quia vi generationis suæ est Filius Dei.

Quarto: Quia est Patri per omnia in natura & perfectionibus æquale.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ex Scriptura, Patribus & ratione Theologica constet Verbum esse Deum.

DICIMUS contra Arianos & Socinianos Verbum esse Deum, idque de fide definitum est in primo Concilio generali. Hanc veritatem triplici argumento probamus: Primo quidem ex Scriptura sacra. 2. Ex Patrum traditione. 3. Ex ratione Theologica, eaque multiplici & efficacissima: Sed ne materiæ copia, aut confusionem, aut difficultatem pariat, hanc argumentorum seriem in variis sectionibus producere & ordinare juvat. Ante omnia hic texenda est hæresis Arianæ Historia.

SECTIO PRIMA.

Historia critica Arianismi.

Ortus.

HÆRESI Arianæ circa filii consubstantialitatem arma præbuit Plato, qui distinguebat tres Deos inæquales inter se, e quibus primus cæterorum erat parens, & conditor, secundus rerum omnium artifex, tertius demum anima mundi. Arius ex Libya oriundus auctor fuit & caput hæreseos circa Verbi cum Patre consubstantialitatem. Primus Meletiani schismatis particeps fuit, quocirca & a sancto Petro Alexandrino excommunicatus; tum deinde resipiscens ab Achilla Petri successore Presbyter ordinatus, Ecclesiam Alexandrinam suis blasphemiis turbare cœpit circa annum 321. Namque ambitionis & invidię stimulis exagitatus; contra Alexandrum, quem moleste ferebat sibi in Sede Alexandrina præpositum, ejus doctrinam insectari non cessavit. Primum asseruit Verbum Dei non fuisse ab æterno, sed ex nihilo in tempore productum, & quidem in natura Patris dissimile, ita tamen ut Dei ad condendas creaturas fuerit instrumentum. Plurimos sectarios sibi conciliavit. Prima quidem secta fuit Anomæorum quos puros Arianos vocant, quippe qui Filium meram esse creaturam dicerent, sic & locutus est Arius: hujus sectæ signifer fuit Aetius, & post eum Eunomius. Secunda est semi-Arianorum qui abjicientes vocabulum ὁμοούσιον, Filium tamen per omnia Patri similem esse concedebant: quia vero mente versipelli nonnulli hæc assererent, semi-Arianorum nomine donata est secta. Tertia inter utramque media eorum fuit qui Filium nec Patri consubstantialem, nec in substantia adæquate similem, sed solummodo in genere & vage similem illi esse statuebant. Creaturam qui-

quidem ex cæterarum ordine esse, vel negabant, vel manifeste profiteri non audebant. Hujus sectæ Architectus fuit Acacius Cæsareæ in Palæstina Episcopus.

Progressus.

PROSCRIPTUS quidem fuit Arius in Concilio primo Nicæno ; Post tam celebrem pro consubstantialitate Verbi cum Patre definitionem hæresim Arianam crederes dissipatam, verum nonnisi ficte se se submiserunt definitioni Ariani, qui vix, absoluta synodo, fidem Nicænam in sancto Athanasio impugnaverunt. Infinita prope sunt quæ pro hoc momento & excogitavere & fecere.

Sanctus Hilarius formulas & Arianorum & semi-Arianorum non absque fundamento fidem temporum appellavit, nam etsi Verbum Deum esse quandoque faterentur, immo & Patri simile, attamen fraudem ut plurimum paratam habebant. Quis hujusmodi formulas, quis Synodos ad fidem Nicænam vel tentandam, vel etiam prorsus eliminandam adunatas enumeret ? Intra viginti circiter annos sexdecim fidei confessiones finxere & refinxere. Sex Antiochiæ, tres Sirmii concinnaverunt, reliquarum sex ; una Philippopoli, altera Ancyræ, tertia Seleuciæ, quarta demum Nicææ in Thracia edita fuit : ista Ariminensium nomen retinet, eo quod subsignata fuerit ab aliquibus e Concilio primo Ariminensi Patribus, qui, illo absoluto, Constantii Imperatoris ad Epistolam Concilii encyclicam responsionem expectantes, minis & pœnis postea victi, Nicæam in Thracia profecti sunt, ubi & Novæ subscripserunt formulæ. Quinta Constantinopoli conflata fuit. Sexta demum ex quibusdam collectionibus formulæ Antiochenæ contra Paulum Samosatenum, & primæ Sirmiensi facta est in Thracia, ubi adscitus Liberius suum etiam ei addidit calculum. Ex Antiochenis sexta pessima est, quandoquidem nedum ὁμοούσιον, sed & ὁμοιούσιον tollit. Secunda ex Sirmiensibus prorsus blasphematoria. Tertia vix toleranda, cum substantiæ vocem removeat. Prima a Basilio Ancyrano alias catholico facta sensum fidei consonum præ se fert, namque Verbum per omnia Patri simile ibi conclamatur : tum illi omnes qui Verbum aut ex nihilo, aut ex præjacente materia factum asserebant alieni ab Ecclesia declarantur. Liberius isti & non secundæ, immo nec tertiæ subscripsit, cum jam Beroæa Romam revocatus esset. Osius secundæ quidem consensit, sed tormentis coactus, a quo tamen casu ante mortem surrexit. Formulam Niceæ Thraciæ concinnatam exuberanti œconomia admisere aliqui Ariminenses Patres, quos de hæreseos labe insimulare nec veritati, nec pietati consonum est. Formulæ tum Arianæ tum semi-Arianæ in hoc peccant quod aliæ ipsum ὁμοούσιον rejiciant, aliquæ ipsam substantiæ vocem tollant ; nulla denique quæ ὁμοούσιον non submoveat.

Interitus seu proscriptio.

INNUMERA prope ad hæresim suam stabiliendam Ariani adunavere conciliabula, sed his alias & fide, & virtute meliores Synodos opposuit sancta mater Ecclesia Romana ab anno 315. usque ad annum 589. quibus in tanta temporum acerbitate ejus Universalitas roborata veluti fluvius paradisi voluptatis perenni fidei fluxu & refluxu totum irrigavit orbem. Primum Concilium adunatum est a S. Petro martyre & Alexandriæ Episcopo contra Arium anno 315. Secundum est alterum Alexandrinum anno 319. in quo Ariana hæresis iterum proscripta fuit. Tertium est Nicænum primum, illudque generale anno 325. ubi majori solemnitate Arius, ejusque errores repetitis anathematibus percussi sunt. Quartum Romæ habitum est sub Julio primo summo Pontifice pro defensione & sancti Athanasii, & fidei Nicænæ. Quintum in eadem urbe anno 341. congregatum est. In eo Julius primus cum toto Concilio suscepit sancti Athanasii defensionem, & iterum atque iterum anathemate confixit Arianos, maxime Eusebianos. Sextum est tertia Synodus anno 342. pro iisdem momentis Romæ celebrata. Septimum est Sardicense anno 347. ubi proscripti sunt adhuc Ariani. Octavum Ariminense legitimum anno 359. Patres nedum Arianismum, sed & Arianismi Coryphæos suos perstrinxerunt stilo censorio. Nonum vel ipse Athanasius anno 362. Alexandriæ adunavit adversus obstrepentes Arianos.

De-

Decimum, Romanum est sub sancto Damaso qui in eo compressit Arianorum proterviam, anno scilicet 369. anno vero 379. Imperator Gratianus jussit Episcopos Catholicos auctoritate Constantii exules in suam vicissim restitui Sedem. Undecimum eodem anno Antiochiæ celebratum est, in quo quidem Præsules Arianismi reliquias ab Oriente eradicare fategerunt. Duodecimum tenet locum Constantinopolitanum secundum generale anno 381. ubi fractis Macedonianis, novo anathematis ictu percussus est Arianismus. Decimum tertium eodem anno Aquileiæ adunatum est adversus Arianam perfidiam. Decimum quartum ad pestiferam Arianorum luem exterminandam Romæ anno 382. adunatum est. Decimum quintum est primum Aurelianense anno 511. ad instaurandam labefactatam per Arianismum disciplinam: eadem in urbe alterum congregatum est specialiter adversus Arianos, quos fovebat Rex Alaricus, ut testatur Hincmarus in vita sancti Remigii. Decimum septimum est Epaunense versus Viennensium fines, anno 517. adversus Arianorum vafritiem. Decimum octavum contra eosdem Arianos in Africa anno 531. congregatum. Decimum nonum anno 534. pro eadem causa Carthagine habitum. Vigesimum est Bracarense anno 572. ubi eadem fides Nicæna conclamata est. Vigesimum primum & ultimum est Toletanum tertium anno 579. quod quidem Visigothos, aliosque Arianos in Hispania degentes tandem proscripsit, & funditus evertit.

SECTIO SECUNDA.

Utrum ex Scriptura sacra constet Verbum esse Deum.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

QUATUOR argumentorum genera e Scripturis sacris eruimus, ad comprobandam Verbi divinitatem. 1. Ex nominibus quæ Scriptura illi tribuit, quæque soli Deo conveniunt. 2. Ex apparitionibus factis Patriarchis in quibus Verbum visum est loquens ut Deus. 3. Ex visionibus Prophetarum qui & illud audierunt loquens tanquam habens Dei auctoritatem 4. Ex oraculis novi Testamenti quæ ipsum ubique Deum esse prædicant.

§. I.

Primum argumentum: Probatur divinitas Verbi, ex nominibus divinis ipsi attributis.

PRIMUM nomen est Jeova, latine, *Dominus*, Deo maxime proprium: juxta illud Exod. 3. *Dicit Dominus ad Moysen, ego sum qui sum*. Et cap. 6. *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Ego Dominus*. Et illud Isaiæ 42. *Ego Dominus, hoc est nomen meum: Gloriam meam alteri non dabo*. Atqui hoc nomen convenit Verbo, Isaias enim cap. 8. sic loquitur: *Dominum exercituum sanctificate, ipse pavor vester, ipse terror, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali, duabus domibus Israel, & laqueum, & in ruinam habitantibus Jerusalem*: Sed ibi Propheta per ly *Dominum*, intelligit Verbum incarnatum: Ergo &c. Probatur minor. Prophetam explicat beatus Simeon Luc. 2. de Christo: *Ecce positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur*. Sic explicat S. Paulus Rom. 9. ostendens verba Prophetæ solum de Christo intelligi: *Offenderunt*, inquit, Judæi *in lapidem offensionis & petram scandali* .... Sic utique explicat Prophetam B. Petrus in 1. epist. cap. 2. ubi multis Scripturæ locis de Deo incarnato adductis, concludit: *Ecce pono in Sion lapidem summum angularem ... Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis & petra scandali his qui offendunt Verbo, nec credunt*. Nomen Domini convenit Verbo ex utraque Scriptura, veteris scilicet & novi Testamenti. Igitur Verbum est Deus.

Secundum Creatori proprissimum nomen est τὸ *Deus* ut patet ex omnibus ferme textus sacri paginis, maxime ex libro Exodi ubi passim Creator mundi vocatur Deus Abraham, Deus Isaac & Jacob. Atqui illud nomen convenit Verbo: Et probatur ex ipsa utriusque Testamenti Scriptura. Isai. 7. habetur de Verbo incarnato: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*:

Quem

Quem quidem locum sic explanat Matthæus cap. 1. *Pariet autem Filium : Et vocabis nomen ejus Jesum ; Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum . Hoc autem totum factum est , ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem ; Ecce Virgo in utero habebit & pariet Filium ; Vocabunt nomen ejus Emmanuel ; quod est interpretatum nobiscum Deus .*

Confirmatur . Ex Evangelio Joan. 1. habetur ; *In principio erat Verbum , & Verbum erat apud Deum , & Deus erat Verbum* . Rursus ibidem cap. 20. Verbum incarnatum a Thoma Apostolo proclamatur ut Deus his Verbis ; *Dominus meus & Deus meus* . Igitur nomen *Dei* Verbo proprissimum est.

Item Act. 20. Paulus congregatis Asiæ Episcopis , ait ; *Attendite vobis & universo gregi , in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos , regere Ecclesiam Dei , quam acquisivit sanguine suo* . Certe Deus ille qui fundavit Ecclesiam , & suo acquisivit sanguine , non alius est quam Verbum incarnatum . Ergo &c.

Rursus Rom. 9. Apostolus de Israelitis loquens ait : *Ex quibus est Christus secundum carnem , qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* . Et ad Philipp. 2. illos ad humilitatem exhortans exemplo Christi , sic loquitur : *Qui cum in forma Dei esset , non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens* . Rursus ad Coloss. 2. vers. 9. de eodem sic ait : *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* . Sed in omnibus Apostolus loquitur de Verbo incarnato , & ubique dicit Deum factum esse hominem , se exinanivisse . Ergo &c.

§. II.

Secundum argumentum : divinitas Verbi demonstratur ex apparitionibus factis Patriarchis .

VERBUM apparuit ut Deus Patriarchis : Igitur est Deus . Sin minus , falsa annuntiassent & conficta dum illi sancti testantur se vidisse Deum qui eos alloquebatur per Angelos ut Deus . Probatur Antecedens ex 1. Concilio Antiocheno quod in illo sensu interpretatur apparitiones . Sic loquuntur Patres in professi. fidei edit. Labbæi 846. & seq.

Hunc dicit Scriptura , nempe Filium Dei : *Descendisse & apparuisse Abrahæ ad quercum Mambre , unum ex tribus , cum quo Patriarcha tanquam cum Domino & Judice colloquebatur ; ut qui omne judicium a Patre accepisset de quo scriptum est , Dominus pluit super Sodomam , & Gomorrham ignem & sulphur a Domino de cælo . Qui implens voluntatem paternam Patriarchis apparet , & cum eis loquitur in eisdem clausulis , & eisdem capitibus , aliquando quidem tanquam Angelus , quandoque vero tanquam Dominus , quandoque autem Deus esse affirmatur , Deum enim universi impium est existimare vocari Angelum , Filius vero Angelus patris est , qui est ipse Dominus & Deus , scriptum enim est ; Angelus magni consilii , sicut & alias in Abraham , & vocavit eum Angelus Domini de cælo , & quæ deinceps sequuntur , nunc enim cognovi quod times Deum , & non pepercisti Filio tuo dilecto propter me . Et vocavit nomen loci , Dominus vidit ; ut dicant usque in hodiernum diem , in monte Dominus apparuit . Et in Jacob. dixit* , inquit , *mihi Angelus Dei per somnium , Jacob. Ego dixi ; quid est ? Et dixit : respice oculis tuis , & quæ sequuntur ; Ego sum Deus , qui apparui tibi in loco Dei , ubi unxisti mihi illic titulum , & vovisti mihi illic votum . Et post luctam , eamque hominis præfigurati , subjungitur ; & appellavit Jacob nomen loci illius , facies Dei , vidi enim Deum facie ad faciem , & salva facta est anima mea .*

In his sanctæ Synodi verbis attente animadvertas , Filium Dei seu Verbum apparuisse Abrahæ , tanquam Dominum & Judicem , de quo scriptum est Dominum pluisse ignem a Domino , & quod si quando Angelus dicatur in aliquibus apparitionibus , tamen Deum semper esse intelligendum , illique tribui nomen Angeli magni consilii , Domini & Dei . Observes etiam Patres eo loci probare divinitatem Verbi contra Paulum Samosatenum , adeoque intelligere Verbum quod apparuit , esse Deum , alias nihil concluderent .

Tum paucis interjectis sic prosequitur Concilium . *Hac etiam docet nos Moyses , cui apparuit Angelus in flamma ignis ex rubo , & quæ sequuntur . Postquam autem vidit Dominus quod pergit ad videndum* ,

vocavit eum ex rubo . Et rursus : ingrediens congrega senatum filiorum Israel , & dices eis : Dominus Deus Patrum nostrorum apparuit mihi , Deus Abraham , Deus Isaac , & Deus Jacob , & quæ sequuntur : Si igitur non crediderint mihi , nec audierint vocem meam , dicent enim quod non apparuit mihi Dominus Deus , quid eis dicam . . . . Et alias : & dixit Dominus ad Moysen . . . Ego transibo prius te in gloria mea , & vocabo in nomine Domini coram te , & miserebor cui misertus sum , & misericordiam præstabo cui miserebor . Quod quidem sic perficitur : Et descendit Dominus in nube , & stetit coram eo illic , & vocavit in nomine Domini . Et transivit Dominus ante faciem ejus , & vocavit Dominus Deus . . . . Deinde Patres Concilii sic concludunt . *Qui enim supra promiserat se transiturum Filius Dei Dominus , & vocavit in nomine Domini , qui est Pater , hic est qui vere ait : non quia Patrem vidit quispiam , &c.* Ergo ex Antiochena Synodo hæ apparitiones Patriarchis concessæ soli Verbo conveniunt , si quidem soli Filio Dei incarnato ex sancta Synodo tribui possunt : Ergo &c.

§. III.

Tertium argumentum desumitur ex visionibus Prophetarum qui Verbum ut ipsi tanquam Deum loquentem audierunt .

ISAIÆ cap. 9. vocat Verbum incarnandum Deum fortem , Patrem futuri sæculi , Emmanuel. Cap. 63. Videns illum ut mediatorem qui virtute propria adducit justitiam & sanctitatem confert , mirabundus exclamat : " Quis est iste qui venit de Edom , tinctis vestibus de Bosra ? Iste formosus in stola sua , gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego qui loquor justitiam , & propugnator sum ad salvandum . "

Illustris est Micheæ locus cap. 5. ubi Propheta de Verbo incarnato sic loquitur : *Et tu Betbleem Ephrata parvulus es in millibus Juda . Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel , & egressus ejus ab initio , a diebus æternitatis .* Eo loci Propheta duplicem describit Verbi incarnati Nativitatem , unam temporalem quæ illi convenit ut homo est , alteram vero æternam quæ illi ut Deo competit . Ergo &c.

Celeberrimum est utique pro divinitate Verbi astruenda testimonium sancti Joannis Baptistæ qui Prophetarum v. l. numerum claudit . Matth. 3. ait de Christo Verbo incarnato : " Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam : qui autem post me venturus est , fortior me est . " Tum Joan. 1. de eodem ; " Ipse est , qui post me venturus est , qui ante me factus est . " Quomodo autem Christus Joanni præexisteret nisi Deus foret , cum Joannes antecesserit ejus ex BB. Virgine nativitatem ? Expressius ibidem ait Baptista : *Testimonium perhibui , quia hic est Filius Dei .*

§. IV.

Quartum argumentum . Eadem Verbi divinitas ex oraculis ulterioribus novi Testamenti ostenditur .

HABETUR Joan. 1. *In principio erat Verbum , & Verbum erat apud Deum , & Deus erat Verbum .* Igitur ex sancto Joanne Verbum ut Verbum erat Deus; quandoquidem sacer Evangelista suum ibi acuit zelum adversus Ebionistas , qui Christum etiam secundum personam creaturam esse & purum hominem autumabant : hinc nihil contra eos probaret nisi Verbi cum Patre consubstantialitatem astrueret .

Christus ipse Joan. 6. de seipso ait : *Antequam Abraham esset , ego sum .* Cap. 10. *Ego & Pater unum sumus .* Cap. 14. *Qui videt me , videt & patrem . . . Ego in Patre , & pater in me est .* Cap. 16. *Exivi a patre , & veni in mundum .* Cap. 17. *Nunc clarifica me tu pater apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus fieret .* Sed Christum esse ante Abraham est esse ab æterno : Sed esse in Patre & unum cum illo , sed videre Patrem videndo Christum , sed exire a Patre , & claritatem ab ipso habere ante mundi constitutionem , soli Deo conveniunt . Igitur Verbum ut Verbum est Deus; hinc Christus Judæos incredulos qui illum ut purum hominem habebant , sic alloquitur Joan. 10. *Si mihi non vultis credere , operibus credite .*

Suffragatur Apostolus 1. Cor. 10. his ver-

verbis: *Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt.* Eo loci nomine Christi intelligit S. Paulus Verbum divinum æternum incarnandum, nondum quippe tunc erat Christus natus: Si æternum ut Verbum profecto Deus, cum soli Deo conveniat æternitas. Istam divinitatis dotem S. Joann. Apocal. 22. tribuit Christo, quem ut Deum simul & hominem sic loquentem inducit. *Ego sum alpha & omega; primus & novissimus, principium & finis.* Quas proprietates jamjam Christus sibi applicaverat dicens de seipso: *Principium, qui & loquor vobis.* Joan. 8.

Juvat iterum ponderare Synodum Antiochenam quæ eandem Verbi divinitatem exquisitis utriusque Testamenti auctoritatibus celebrat: *Hunc autem*, inquit, *Filium genitum, unigenitum, imaginem Dei invisibilis, primogenitum omnis creaturæ, sapientiam, & verbum, ac virtutem Dei ante sæcula, non præcognitione, sed substantia & hypostasi Deum, Dei Filium, cum in veteri & novo Testamento cognoverimus, confitemur & prædicamus. Qui autem contra dicit, Filium Dei non esse ante constitutionem mundi dicitque, credere & confiteri esse Deum, non esse aliud quam duos Deos prædicare, qui Filium Dei non esse Deum prædicat, hunc alienum esse ab ecclesiastica regula arbitramur, & omnes Ecclesiæ Catholicæ nobiscum consentiunt. De hoc enim scriptum est. Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga rectitudinis, virga regni tui: Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Et rursus Isaias: *Deus noster judicium retribuit & retribuet: Ipse veniet, & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum . . .* Et rursus: *In te adorabunt, quoniam in te est Deus, & non est alius præter te: tu enim es Deus, & nescivimus; Deus Israel Salvator.* Et apud Apostolum: *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen. In quibus illud, qui est super omnia; & illud, præter te, in omnibus creaturis intelligendum est.* Et in Osea. *Quoniam Deus ego sum, & non homo in te sanctus, & non ingrediar in civitatem: Post Dominum ambulabo. Et omnes Scripturæ divinæ Deum Filium Dei declarant.*

Istam divinitatis Verbi manifestam, sapientissimamque & confessionem & probationem qui habet aures audiendi, audiat, hanc si audierit, profecto hauriet vitam & salutem, audiet etenim Verbum esse unigenitum Dei, thronum Dei, Deum tribuentem judicium, Deum Israel Salvatorem, super omnia Deum benedictum in sæcula, Deum & non hominem tantum audiet inquam a fide alienum esse arbitrari Filium Dei non esse ante mundi constitutionem. Sed Patrum Antiochenorum vestigia adhuc modicum teneamus. Sic enim prosequuntur.

Hunc *Filium, qui semper cum Patre est, credimus implevisse voluntatem paternam in creatione universi. Ipse enim dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Qui autem mandat, alteri mandat. Quem non alium esse persuasum habemus, quam unigenitum Filium Dei Deum, cui dixit: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et in summa dictum sit secundum Evangelium. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et secundum Apostolum: *In ipso condita sunt omnia quæ in cœlis, & quæ in terra, sive visibilia, sive invisibilia, sive Throni, sive Principatus, sive Dominationes, sive Potestates: Omnia per ipsum & in ipso creata sunt: quippe qui vere est & operatur, utpote Verbum, simul & Deus, per quem omnia fecit Pater, non tanquam per instrumentum, neque tanquam per scientiam, non per se existentem. Generavit quidem Filium Pater, tanquam actum viventem, & per se existentem, omnia in omnibus operantem.*

Ecce fides catholica ab ore Ecclesiæ prolata in tertio sæculo, quam qui firmiter non tenet, jure habendus est ut Ethnicus & Paganus; in hac enim sancti Concilii divina voce Filius Dei semper fuisse cum Patre dicitur: Verbum simul & Deus, declaratur, immo & actus vivens Patris, per se existens, omnia in omnibus operibus: Sed actus vivens, per se existens, omnia operans, est natura Deus, hinc prius Concilium dixerat Verbum esse substantia & hypostasi Deum, ac Dei Filium. Ergo &c.

§. V.

Diluuntur Heterodoxorum argumenta, ex veteri testamento deprompta.

OBJICIUNT; Si aliquo ex loco statueretur verbi divinitas, maxime ex illo Geneseos versu cap. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram*; In principio hoc est per Verbum; Sed hæc Lectio non valet; *In principio* enim significat initium substantiæ creatæ; Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo, & ista vocabula denotant æternitatem artificis qui operatur, concedo; denotant tempus, subdistinguo; tempus operis producti ad extra, concedo; tempus productionis Verbi, ita ut sit factum in tempore, nego.

Insistunt, ista Scripturæ verba Psal. 36. *Verbo Domini cæli firmati sunt*, denotant solummodo imperium Dei, non vero verbum. 2. Quum dicitur Joan. 1. *Omnia* per Verbum *facta sunt*, significatur cuncta religionis, sed non creationis opera, a Verbo incarnato facta fuisse; hinc Apostolus 1. Cor. 8. ait, *Unus Dominus Jesus-Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*. Sic Sociniani in adulterinum sensum trahunt Scripturas, ut Verbi divinitatem exsufflent; Ergo &c.

Respondeo ad primum, distinguendo; & illud Dei imperium est ipsum Verbum æternum a se essentialiter indistinctum, concedo; & istud Verbum non est Deus, nego. Verbum seu sermo Dei & ejus imperium est actus practicus intellectus divini quo cuncta fecit, juxta illud Psal. 135. *Qui fecit cælos in intellectu*. Sed intellectus ille non est accidens, aut aliquid substantialiter a Deo divulsum, alias Deus non diceretur mundi creator.

Ad secundum nego cuncta per verbum non fuisse creata. Verbum igitur potest considerari duplici modo; videlicet secundum se, tum ut incarnatum. Priori modo spectatum, est rerum omnium Creator, sic prædicante Joanne cap. 1. *In principio erat Verbum... Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Posteriori modo est Redemptor. De illo sub utroque respectu loquitur B. Paulus, in loco pro objectione allato, sed a Socinianis non bene explicato.

Urgent: Qui est primogenitus omnis creaturæ, non est Deus, sed solum inter creaturas excellentissima: Atqui Christus etiam secundum personam spectatus, adeoque ut Verbum, est ut ait Apostolus Col. 1. *Primogenitus omnis creaturæ*. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Christus ut homo est primogenitus omnis creaturæ, quippequi sit totius Ecclesiæ caput, concedo: ut Verbum, subdistinguo: Primogenitus hoc est Filius Dei naturalis, per quem Filii Dei adoptivi & secundarii evadimus, concedo: Filius creatus, nego. Solutio est B. Joan. 1. *Et Deus erat Verbum.... Mundus per ipsum factus est.... In propria venit: Et sui eum*, scilicet Christum, *non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus libro 10. Thesau. c. 4. mira dicit de hoc momento. Ipse refert hanc Heterodoxorum objectionem, illamque dirimit: " Si creatu-
" ra, inquiunt, Filius non esset, non di-
" ceretur omnium creaturarum primogeni-
" tus. Nam quia magnam habet cum crea-
" turis conjunctionem, quamvis primus
" earum & ante omnes sit, hoc nomine
" appellatus est. Et si difficile non est ad
" rem ipsam statim respondere, primum
" tamen illud dicendum: si quia primoge-
" nitus omnium dicitur creaturarum cum
" creaturis connumerandus videtur, om-
" nem rursus excedere creaturam videbi-
" tur: quia solus unigenitus dictus est.
" Nam sicut primogenitus vocatur qui mul-
" tos fratres habet: sic non est unigeni-
" tus, nisi qui solus ita natus est ut nullos
" habeat fratres. Quomodo igitur primo-
" genitus & unigenitus simul erit cum hæc
" inter se manifeste repugnent? Nam
" quoniam utroque modo a Scriptura no-
" minatur, necesse est ut diligenter quæ-
" ratur, quomodo unigenitus, & quomo-
" do primogenitus est. Unigenitus igitur
" est, quia solus ex Patre nascitur, &
" solus Dei Filius naturaliter est: Pri-
" mogenitus vero non simpliciter, sed in
" multis scribitur fratribus. Quando igitur
" natura ipse Deus, homine assumpto fra-
" ter factus est noster, tunc etiam pri-
" mogenitus factus est in multis fratribus,
" quia multos Filios Dei per gratiam effe-
" cit. Primogenitus ergo vocatur, non quia
" tem-

,, tempore præcessit, nec quia ejusdem ,, ipse in quantum Dei Verbum, cum ,, creaturis essentiæ est: Sed quia in ipso ,, primo deificati sumus: ideo unigenitus ,, nulla causa addita simpliciter appellatur, quia solus ut vere Filius, in sinu ,, Patris est. Primogenitus vero ita dicitur, ut & causa, & quorum est primus, statim afferatur: Primogenitus, ,, *inquit*, in multis fratribus & primogenitus ex mortuis. Nam cum ipse natura increatus sit, & omnium Dominus ,, atque Creator, creatura etiam factus primus invenitur inter omnes homines, ,, quos assumpta humana natura reformavit. Non est igitur ipse ut verbum creatura. Nam si in eo universa creata sunt, ,, ut ait Paulus, nihil est creatum, quod ,, per ipsum creatum non sit. Aut si omnia quæ creata sunt, per ipsum facta sunt, ,, ipse seipsum creavit, si creatura secundum hæreticos est: Quod omnino impossibile invenitur. Primogenitus igitur ,, in multis fratribus pie intelligitur, ut ,, diximus: quia factus homo & frater noster primus nos in seipso sanctificavit: ,, Primogenitus autem etiam ex mortuis, ,, quia primus ipse morte calcata surrexit, ,, & primus carnem nostram in cœlos reduxit. Ideo ait: ego sum via & ego ,, sum ostium, per ipsum enim natura nostra novum iter facere docta est, & quasi per portam quandam cœlos ingreditur. Propter misericordiam igitur suam ,, creaturis se factus homo connumeravit, ,, & primogenitus earum factus universa ,, reformavit. Unigenitus ergo Filius Patris secundum naturam est. Et vidimus, ,, inquit, gloriam ejus, sicut gloriam unigeniti a Patre. Deus enim verus est, ,, ex Deo vero, lumen ex lumine, primogenitus vero propter nos, ut sicut ,, per ipsum facta sunt omnia, sic etiam in ,, ipso reformata salventur. Quare sicut ,, initium viarum creatus est, quia per ,, ipsum omnes possunt recurrere: sic primogenitus vocatur in multis fratribus, ,, quia vocavit nos omnes ad adoptionem ,, Dei per gratiam. ,,

Urgent: Quem sacra Scriptura verbis apertis creaturam nominat, inter creaturas annumerari debet: Atqui res sic se habet: Et probatur. Proverb. 8. scriptum est de sapientia Dei: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*. Septuaginta vertunt: *Dominus creavit me initium viarum suarum*: Igitur Verbum est quid creatum. Rursus cap. 9. prudentia quæ est quid creatum vel ipsi sapientiæ Dei tribuitur: *Ambulate per vias prudentiæ*. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem non una est responsio. Prima hæc est. Textus Hebraicus cæterorum fons & origo cui vulgata nostra concordat, habet: *Dominus possedit me, in initio viarum suarum antequam quidquam faceret*: Igitur sapientia non fuit facta, quod ista innuunt verba: *Antequam quidquam faceret*, hoc est nihil fuerat. Alii interpretes græci sic etiam vertunt: quippequi legant ἔκτησε per litteram eta η, quod significat generare: nusquam vero per iota ι, quod tunc creare importat. Basilius lib. 2. contra Eunomium & Gregorius lib. 1. contra eundem observant ἔκτησε priori modo scriptum generationem dicere. Altera ratio hæc est nonnullos Typographos, vel ex inadvertentia, vel etiam ex ignorantia posuisse ἔκτισε, pro ἐκτήσατο: & sic variasse sensum. Tertia, alii non ignoti nominis auctores existimant septuaginta per vocabulum *creavit* scripsisse propter duo: Primoquidem ex eo quod apprime significet emanationem Verbi a Patre: Secundo, ut generationem Filii Regi Pagano occultarent, ne fides in periculum venisset, & duos etiam Deos apud Judæos esse crederet.

S. Hilarius hanc non obscure indigitat responsionem lib. de Synod. pag. 105. his verbis: " Sapientia, quæ se dixit creatam, eadem in consequenti se dixit & ,, genitam. ,,

Respondeo secundo ad eamdem minorem, distinguendo: Sapientia incarnata creata fuit, concedo: Sapientia secundum se & in abstracto spectata, nego. Neminem latet Christum Filium Dei fuisse in tempore incarnatum, Christus enim factus est ex muliere, teste Apostolo: Sed nusquam si secundum se consideretur. S. Athanasius isto explicat modo locum Proverbiorum, orat. 3. adversus Arianos aitque: " Verba ista, *Dominus creavit me* ,, *ab initio viarum suarum*, eandem vim ,, habent ac ista, *Pater mihi corpus perfecit*; Et inter homines me creando constituit pro hominum salute. ,, Quæ qui-

quidem S. Doctoris sententia fundatur in istis Sacræ scripturæ verbis: *Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum & posuit mensam*. Quod intelligunt SS. Patres modo de institutione Eucharistiæ per Christum sapientiam incarnatam, modo de incarnatione in qua humanitas eatenus facta est Dei templum, quatenus divinitas inhabitabat in ea per unionem hypostaticam etiam corporaliter.

Audiendus de iis omnibus momentis S. Cyrillus Alexandrinus qui lib. 5. Thesau. c. 1. sic refricat Arianos ex eo quod hæc objicerent: " Qui furorem Arii suscepe- „ runt atque amplificarunt, quia in Pro- „ verbiis, scribitur, *Dominus creavit me*: „ suam impietatem auctoritate firmatam „ credentes, creaturam esse Filium prædicant: nec tamen ut unam creaturarum genitum esse dicunt, nec tamen „ ut unum genitorum. Sed si Filius creatura est, quomodo non erit sic ur una „ creaturarum? Nam aut cum creaturis „ connumerabitur, & ita non erit creatura: aut si cum creaturis connumeratur, quomodo non erit sicut una creaturarum? Sed putatis fortasse præcipuum „ quendam honorem filio facere, creaturam ipsum dicentes, sed non sicut unam „ creaturarum. Id autem honorare Filium „ non est. Nam si creatus esset sicut cæteræ creaturæ, nihil quantum ad creatum esse ab illis differret etiam si naturæ diversæ sit. „

Pergit ibidem: " Non ergo est creatura „ Filius. Neque ideo creare potest, quia „ non est ut una creaturarum: Sed quia ex „ substantia Patris prodit, & omnia naturaliter habet quæ in Patre naturaliter sunt. Ad hæc si creatura esset, & „ tamen adoratur, quum cæteræ quoque „ creaturæ a se invicem non adorantur, „ sed omnes creaturæ adorant? Nam si „ creatura esset, & tamen adoraretur, „ esset aliquo modo in adorantium numero ille qui adoratur: Quod impossibile „ est. Maxima enim inter hæc differentia est. Accedit, quod si creatura esset, „ se ipsum ipse crearet, omnia enim per „ ipsum Pater creat, quod dictu stultissimum est. Sequeretur enim, ut aliquid „ esset, quando ipsum non esset. Non ergo creatura Filius est, sed Dei Patris „ fructus, creandi vim veluti Deus verus „ naturaliter habens. Adde, quod ipse solus revelat Patrem, quod cæteræ creaturæ facere nequeunt. Solus Patrem novit, quod de cæteris creaturis non dicitur. Nullus enim, *inquit*, Patrem novit, nisi Filius, & cui Filius revelaverit. Et Deum nemo vidit unquam, „ ut Joannes ait, videt autem solus Filius. Scriptum est enim, a nullo videri Patrem, nisi ab eo qui est ex Patre. „ Si ergo solus Filius, omnibus exceptis „ creaturis, & videt & cognoscit Patrem „ & revelat cui vult, quomodo ipse creatura est, qui scribitur Verbum Patris „ proprium esse? Cognoscit igitur Patrem, „ & videt eum, quia ex eo est, & in eo „ est, & revelat eum, quia in seipso eum „ demonstrat, quod creaturæ facere nequeunt. Non enim potest perfecta naturalisque creatoris similitudo esse in creaturis, nec in iis quæ ex nihilo producta „ sunt, qui æternus est, perfecte unquam „ inspici poterit. Inspicitur autem perfecte in filio: imago enim ejus incommutabilis est. Quare cum Pater non sit „ creatura, nec Filius creatura erit, in „ quo ut in vera naturalique imagine atque „ charactere Pater ipse inspicitur, & ideo „ ipse quidem adoratur a creaturis. „

Ex S. Cyrillo Filius Dei non est creatura quia ipse Creator est, ipse adoratur, ipse solus revelat Patrem, ipse solus eum comprehendit: ipse solus Deo perfecte similis & coæternus est, nusquam vero creatura. Igitur illa Prov. verba: *Dominus creavit*, de sapientia tantum incarnata intelligenda veniunt.

Rursus idem Pater suam apertius prodit mentem, ibidem c. 4. explicans ista verba: *Dominus creavit me initium viarum suarum*, ait: " Ad intelligendum autem propositum proverbiorum textum, primo „ illud dicendum est quod omnia quæ „ proverbialiter dicuntur alium verba sensum significare videntur, alium ex ipsis verbis veritas parturit: ideo salvator ad discipulos ait: hæc in proverbiis locutus sum vobis, sed veniet hora „ quando non in proverbiis loquar vobis, „ sed palam. Hinc patet, quod per proverbia non palam ostendimus quod volumus. Sapientia igitur proverbialiter dicit, *Dominus creavit me & rursum* apertius, „ *sapientia ædificavit sibi ipsi domum*. Si ergo „ sapientia Filius Dei est, & sibi domum „ ædificat, quærendum est, quis est qui „ dixit,

„ dixit *Dominus creavit me*, Christus igi-
„ tur jam homo factus Coloss. 2. id de se
„ dixit, ut homo enim sapientiæ domus
„ ædificatus est: ille inquam homo qui
„ ex virgine natus est, & in quo ple-
„ nitudo deitatis, corporaliter, secun-
„ dum Paulum, habitavit. Qui ergo Ver-
„ bum caro factum est, de ipso dicitur,
„ quia Dominus creavit eum, in quantum
„ factus est caro. Illud enim, creavit me,
„ non originem semper apud Scripturas si-
„ gnificat, sed plerumque a re aliqua in
„ aliam translationem. Et certe quum di-
„ citur, Dominus creavit me initium via-
„ rum suarum: si quis diligenter consi-
„ deret, non ipsum esse sapientiæ signi-
„ ficari potest .... Dominus enim crea-
„ vit me, *inquit*, non ad esse a nihilo pro-
„ duxit, sed initium viarum suarum in
„ opera ejus. Sic ergo, ut latius dica-
„ mus, intelligendum est. Legalis vita in
„ Judæa colebatur, gentes autem nullo mo-
„ do justitiæ vitam cognoscebant. Filius
„ ergo Dei factus est homo, & creatus
„ secundum carnem, ut initium viarum
„ Domini & operum suorum omnibus da-
„ ret. Christo enim, primo Evangelica
„ vita effulsit. Quid enim aliud opera &
„ viæ Domini significant, præter manda-
„ ta ejus? quæ custodientes, recto itinere
„ ad ipsum pergimus.

Insurgunt: Qui est tantummodo vox Patris non est ipsi consubstantialis, quandoquidem vox nihil præter sonum est, seu id quo aliquis auditur: Sed Filius Dei est vox Patris eo prope modo quo Aaron erat vox Moisis: Et hoc ipsum importat nomen Verbum quo Filius donatur. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Filius est vox in sinu Patris coexistens & a se indistincta, concedo. Vox proprie dicta, nego; alias accidens admitteretur in Deo quod impium est: & ipsum Verbum foret sui ipsius Verbum; teste S. Joan. c. 1. *Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil*. Deinde sub finem capitis distinguit illam vocem mirabilem vel ab ipso Moise dicendo: *Lex per Moisen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Deum nemo vidit unquam: unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit*. Audis Filium esse vocem in sinu Patris, & ipsi consubstantialem: audis solum Filium, Deum comprehendere, & veluti vocem a Patre inseparabilem enarrare quid sit Deus. Si igitur solus Filius sit in sinu Patris: si solus Deum comprehendat: si solus enarret quid sit Deus, dubio procul ipse est Deus. Quocirca non nisi secundum quid vox illa comparabitur cum Aaron, ita ut sicut Aaron explicabat quid Moises dicebat, ita & Verbum, sed modo in immensum excellentiori, docet Dei mysteria.

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. Thesau. v. edit. c. 4. hanc eandem Eunomii sibi proponit objectionem, & sic solvit: " Si Ver-
„ bum Dei appellatum est secundum Eu-
„ nomium non [quia secundum naturam
„ ex Patre sit, & genitoris essentiam in
„ seipso demonstrat: Sed quoniam quod a
„ Patre Verbum audiat, id nobis enun-
„ tiat: servat in cæteris quoque eandem
„ consequentiam rerum, ut sua impietas
„ apertius detegatur. Nam si Verbum
„ dicitur Filius quia Verbum audit, erit
„ participatione Verbi Verbum, & conse-
„ quenter sanctificatio & veritas, non se-
„ cundum naturam, sed participatione
„ sanctitatis & veritatis. Quæ autem non
„ secundum naturam insunt, sed extrin-
„ secus adveniunt, facile quoque perdun-
„ tur. Dicat igitur quæso quando Filius
„ Dei, nec sanctus, nec bonus, & cæ-
„ tera hujusmodi fuit, & cum dicat: qui
„ videt me, videt & Patrem; hæc blas-
„ phemia usque ad Patrem ejus perveniet.
„ Desinas igitur has leges scripturis impo-
„ nere. Nemo enim insanus, ut spero,
„ ut cavillatorias expositiones tuas de Ver-
„ bo Dei potius sequatur, quam ipsum Spi-
„ ritum sanctum. Spiritus enim sanctus
„ Filium Dei Verbum per Scripturas no-
„ minat. „

Replicant. Qui subditur mandatis non est Deus; Sed Filius subditur mandatis Patris. Et probatur. Sic loquuntur Ariani apud S. Cyrillum Alexandrinum lib. 7. Thesau. cap. 2" Sed invenitur, Inquiunt, Pater di-
„ cens ad Filium Gen. 1. faciamus homi-
„ nem, & ipse Salvator ad Judæos; Ego
„ a me ipso non loquor, sed quæ a Patre
„ audivi, hæc annuntio vobis. Joan. 8.„
Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem, distinguo: Filius ut homo subditur mandatis, concedo: hoc ipsum profitetur Christus dicens: Ioan. 8. *Quæ placita ei, facio semper*: Et Luc. 22. *Non mea volun-*

voluntas, *sed tua fiat*, sub isto respectu ab eo etiam edocetur: Filius ut Deus, seu ratione personæ, subdistinguo; subditur mandatis improprie, concedo: proprie, nego. Filius potest dici Minister Patris duplici modo: Videlicet proprie & per dependentiam, ita ut non sit sui juris: improprie & juxta loquendi modum, & in eo sensu quo est Verbum & imperium Patris illi consubstantiale, quod ut explicet Scriptura sacra ad captum nostrum inducit Patrem sic Filium alloquentem, Gen. 1. *Faciamus*: Id est non solus loquor. Quod non nisi processionem Filii a Patre, nusquam vero dependentiam importat. In ista acceptatione Filius, etiam, ut Filius dicitur Minister, Patris suscipere mandata & loquendi a se ipso non loqui, cum ipse dicat: *Non sum solus*, & iterum, *exivi a Patre*, & rursus, *Ego in Patre & Pater in me est*, Quid igitur mirum si loquatur per Patrem cum sit ejus Verbum? Quomodo vero discit a Patre, Joannes c. 1. ait: *Qui est in sinu Patris ipse enarravit*; scilicet Patris divinitatem: Porro hanc in sinu Patris scientiam esse Patri consubstantialem ex eodem liquet Evangelista, cum, ipso teste, sit comprehensiva Dei, & nulli nisi Christo fuerit familiaris & concessa. SS. Patres nomine visionis Filii in sinu Patris intelligunt visionem Patris comprehensivam & consubstantialem quæ soli Filio convenit. Quare? Nisi quia est Patri æqualis & nullo modo inferior juxta illud Philipp. 2. *Qui cum in forma Dei esset*, *non rapinam arbitratus est*, *esse se æqualem Deo*.

Sanctus Cyrillus ibidem respondet ista verba *Faciamus hominem*, nihil a divinitate Verbi detrahere: " Psalmista canit, *inquit*, ,, quis in nubibus æquabitur Domino, & ,, in filiis Dei. Neminem enim aperte ,, exæquari Filio ait, nec ita ipsis Prophetis, quos & nubes tropologice di- ,, xit, nec in filiis Dei, id est, per gratiam Baptismatis jam adoptatis. ,, Sed & contendit Filium nihil a Patre ediscere nisi ut homo est. Subdit enim: " Præ- ,, terea, si aliud Verbum insitum Patris ,, est secundum naturam, quam illud de ,, quo Scripturæ loquuntur, ut sit aliud ,, intrinsecum & quasi occultatum in Pa- ,, tre, aliud enuntians manifestansque ,, mysteria Dei, quod Deum esse Joan- ,, nes asserit, erit compositio in deitate. ,, Componetur enim secundum istos Deus ,, Pater ex essentia, & Verbo suo intrin- ,, seco. Sed compositum esse Deum peni- ,, tus impossibile est, & omnibus ita vi- ,, detur. Unicum ergo Verbum Dei est ,, naturale atque intrinsecum, id est Fi- ,, lius suus. ,, Tum c. 3. " Loquitur enim ,, Pater ineffabiliter ad Filium. Habet e- ,, nim Filius naturaliter perfectam voluntatis paternæ cognitionem, nec Verbum ,, expectat, cum ipse sit Verbum Dei. ,, Quando igitur de Deo humano more ,, aliquid dicitur, qui audit, non humano ,, more, sed spiritaliter divina intelligat.,, Igitur juxta S. Cyrillum divina intelligenda sunt spiritaliter, nusquam vero in sensu obvio, quum Verba Scripturæ aliquam spirant dependentiam.

Diluuntur objecta contra æternitatem Verbi.

OPPONUNT Heterodoxi: ex illo Micheæ 5. oraculo: *Egressus ejus ab initio*, *a diebus æternitatis*, non recte probatur Verbi æter- ,, nitas. Ergo &c. Probatur antecedens. In codice Hebraico legitur, *Egressiones ejus a diebus sæculi*; vox enim *ollam*, non significat æternitatem. Ergo &c. Confirmatur 1. Jeremiæ 25. terra Canaan dicitur a sæculo Israelitis data; nemo tamen cordatus dixerit eos habuisse illam ab æternitate: Pari ejus & consimili ratione eo ipso quo egressus verbi a diebus sæculi proclamatur factus, non nisi tamen in tempore contigisse asserendum est; maxime cum citra dubium sit Verbum incarnatum, de quo loquitur Micheas, seu Christus, de facto natus sit in Bethleem Juda in diebus Herodis Regis.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem distinguo, codex Hebraicus habet a diebus sæculi, & eo loci illa verba sonant æternitatem, concedo: & non idem significant, nego. Tametsi verba laudata non dicant semper æternitatem, secus cum ponitur vox *ollam*, quippe quæ non dicat determinatam durationem, adeoque importet indefinitam, & consequenter æternam. Nec desunt in Scripturis exempla quibus astruitur æternitas per illam phrasim, a diebus sæculi: nam Psal. 92. habetur: *A sæculo tu es Deus*; hoc est ab æterno, quod vel ipsi Sociniani u'tro concedunt. Item Isai. 43. legitur

tur : *Ab initio, ego ipse :* Hebraice, *Ex quo dies est, ego ipse.* Nempe ab æterno, quod si negaret Socinianus, vel ab ipso Deo auferret æternitatem.

Ad primam confirmationem distinguo, terra Chanaam dicitur apud Jeremiam a sæculo data, hoc est ab æterno secundum propositum Dei, concedo : ab æterno in executione, nego. Deus ab æterno decreverat dare Israelitis terram Chanaam, sed hoc executioni solum in tempore demandatum est, ut non semel Scriptura testatur : at nullibi dicit Verbum secundum se spectatum factum fuisse in tempore; unde non est paritas.

Ad secundam confirmationem distinguo, Verbum ut incarnatum, seu Christus natus est in Bethleem Juda tempore Herodis Regis, concedo : Reduplicative ut Verbum, de quo præsens movetur controversia, nego.

Fit satis objectionibus ex novo Testamento excerptis.

Primo ex capite primo Evangelii secundum Joannem.

OPPONUNT Ariani : ex istis B. Joannis 1. verbis ; *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum ;* Non recte colligitur Verbum esse Deum. Ergo &c. Probatur Antecedens. In quibusdam codicibus non habetur ; *Et Deus erat Verbum ;* sed tantum, *& Deus erat.* Ergo &c.

Respondeo distinguendo, & vox *Verbum* omittitur, vel habetur interpunctio post istas voces : *Et Deus erat*, in quibusdam tantum codicibus ab Arianis defloratis, concedo ; in genuinis, nego ; cæteri quippe alias optimæ notæ & vetustissimi referunt ; *Et Deus erat Verbum.* Sic & vulgata legit. Luce igitur meridiana clarius apparet vox *Verbum* omitti ; vel interpunctionem appositam fuisse post ista vocabula, (*Et Deus erat*) Sic propugnat S. Augustinus l. 3. de Doctr. Christiana c. 2. nec mirum ; si omittatur vox, *Verbum*, frustra addidisset S. Evangelista, *Et Deus erat*, de quo ne ullus quidem dubitabat. Si ponitur interpunctio post illam vocem, *erat*, jam vox, *Verbum*, nullum reddet sensum, & prorsus inutilis erit, cum ad sequentia non videatur referri. Sic enim habetur in Vulgata : *Et Deus erat Verbum ; Hoc erat in principio apud Deum :* nam & post vocem, *Verbum*, omnes pene codices interpunctionem adhibent. Cæterum ad scopum intentum non pergeret Joannes : eo quippe loci intendit probare Christi divinitatem adversus Ebionitas. Debuit igitur dicere : *Et Deus erat Verbum.*

Persistunt : nomen Dei cum sermo est de Patre, scribitur cum apostrophe, ὁ Θεός : ubi vero agitur de Filio sine adjuncto articulo ponitur, sed mere Θεός. Sed hoc ipsum argumentum est, inquiunt, Filium non esse eodem modo Deum sicut est Pater. Ergo &c.

Respondeo distinguendo : Et Pater similiter quandoque dicitur Θεός sine articulo, ὁ, concedo; secus, nego. Igitur nullius est momenti objectio cum vel ipsi Ariani non diffiteantur Patrem esse Deum : Quod autem apud Græcos non semel Pater vocetur Θεός sine addito, patet Rom. 1. v. 7. quinimmo Filius etiam cum articulo non semel ὁ Θεός appellatur, ut Rom. 9. v. 7. ut observat S. Chrysostomus hom. 3. in Joannem.

Argumenta contra unitatem naturalem Filii cum Patre. Joan. 10.

OBJICIUNT iterum Ariani. Verbi divinitas si quæ est, maxime peti debet ex unitate quam Filius habet cum Patre : Sed ex isto capite non potest evinci Verbum esse Deum : Et probatur : Cum Christus ait Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus*, hoc ipsum intelligitur de unione morali, & voluntatis conformitate. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem nego utique Antecedens : namque Scriptura est sui ipsius inrerpres, cum eo loci Evangelista referat Judæos voluisse lapidare Christum, eo quod se fecisset Deum, non quidem per participationem, sciebant enim omnes justos juxta legis effatum isto modo esse Deos, sed per essentiam ; alias non cohæreret sibi Evangelii textus. *De bono opere non lapidamus te*, ajunt Pharisæi, *sed de blasphemia: & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Subjicit Christus suam probans ex missione & ex operibus miraculosis divinitatem : *Nonne scriptum est in lege vestra ;*

tra : quia ego dixi dii estis ? Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura : quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis; quia blasphemas : quia dixi Filius Dei sum : si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio; & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.

Patres in isto prorsus sensu intelligunt verba Christi. Instar omnium sit S. Athanasius orat. 4. contra Arianos his verbis: " Hac etiam ratione complures inter homines Patri similes reperiuntur. Multi enim Martyres extitere, & ante Martyres Apostoli, & Prophetæ, & ante Apostolos, & Prophetas Patriarchæ, plurimique etiam nunc sunt qui servant præcepta Patris.... Quorum nemo tamen neque Verbum, neque sapientia, neque unigenitus Filius, neque imago fuerit. Neque quisquam eorum ausus est dicere, ego & Pater unum sumus. Aut ego in Patre, & Pater in me est : Sed ab omnibus dicitur: quis similis tibi, inter deos Domine? Aut quis æquabitur Domino inter filios Dei? "

Instabis, atqui illa unitas est tantum concordiæ. Ergo &c. Probatur subsumptum. Eodem modo illa unitas intelligenda est, ac ista de qua ibidem Joan. 17. ubi Christus, ait : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos*. Sed dubio procul ista unitas quam expostulat Christus pro discipulis est, tantum unitas moralis & concordiæ : Igitur & altera, videlicet quæ intercedit inter Patrem & Filium.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo : unitas quam expostulat Christus pro Apostolis eadem est cum ea quam habet, ut homo cum Deo, concedo : quam habet ut Verbum, nego. Ibi Christus loquitur ut homo, cum oret, oratio quippe dirigitur ad superiorem a quo gratia aliqua expectatur; nusquam vero ut Verbum de quo solum hic movetur controversia. Rogat Christus ut sint unum cum Deo per charitatem, per perfectionis plenitudinem, eo prope modo quo humanitas sancta est omni gratiarum supellectili adornata : Eodem etiam prorsus sensu ait Matth. 5. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*

2. *Augustinus* lib. 3. contra Maximinum Arianum cap. 22. vet. edit. sic solvit objectionem & ait : " Poscit ergo Filius ut ita sint unum quomodo ipse & Pater unum sunt; idest, non solum natura, quod jam erant; verum etiam perfectione charitatis atque justitiæ pro suæ capacitate naturæ, quantum in Dei regno esse potuerint. Ut etiam ipsi unum sint in natura sua quemadmodum Pater & Filius summe unum sunt, quamvis in excellentiore atque incomparabiliter meliore natura sua. Dixit ergo ad Patrem Filius, *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi ut sint unum sicut & nos*. Non dixit ut sint unum nobiscum; aut ut simus unum ipsi & nos. Item paulo post : *Non pro eis autem rogo, tantum, sed etiam pro eis, qui credituri sunt per Verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint*. Neque hic dixit, ut ipsi & nos unum sint in nobis. Quoniam homines qui natura unum sunt, *hoc est specifice*, summe atque perfecte secundum suum modum unum esse non possunt justitiæ plenitudine nisi in Deo perficiantur, ut unum sint in Patre & Filio, idest, in ipsis unum, non cum ipsis unum... Tu si vis respondere, ostende secundum Scripturas sanctas de aliquibus rebus dictum, unum sunt, quarum est diversa substantia. Hoc enim Christus non dixit, quod tamen tu ausus es dicere, idest, Apostolos, unum esse cum Patre & Filio : in eo quod in omnibus ad voluntatem Dei Patris respicientes ad imitationem Filii subditi uni Deo Patri, & ipsi inveniuntur. Potest ergo quisquam sanctorum dicere, ego & Deus unum sumus? Absit? " Quibus sententiis hanc ponit discrepantiam S. Doctor inter Christum & puros homines, quod Christus sit unum cum Patre substantialiter, justi vero moraliter, quatenus eorum natura charitate, tum justitiæ plenitudine perficitur in Deo.

Insistunt Ariani, in primis Maximinus apud Augustinum ibidem : " Unum sunt, *inquis*, Pater & Filius, non tamen unus : continuo qua subjungis; unum ad concordiam pertinet, unus ad numerum singularitatis. Igitur Filius Dei non est Patri consubstantialis, non unus cum eo unitate naturæ, sed quid

" unum

,, unum unitate concordiæ ,, Confirmatur 1. Corint. 6. legitur, *Qui adhæret Deo unus Spiritus est*: Rursus Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum: & anima una*. Igitur cum Christus dixerit, ego & Pater unum sumus, & non unus sumus, locutus est solum de unitate concordiæ.

Respondeo negando Antecedens; cum enim de pluribus natura diversis dicitur unus est, una est, additur quid, unus vel una: si vero unus vel unum prædicetur sine addito, jam argumentum est unitatem naturæ inter personas inesse. In isto prorsus sensu Filius & Pater unum sunt: Sed nusquam homines quantumvis justi unum sunt cum Deo. Quid plura? Recte dicitur de Filio & Patre unus sunt Deus juxta illud Joan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum . . . Ego in Patre, & Pater in me est*. Sicque & unum & unus in eodem sensu dicuntur de Patre & Filio: Quis autem cordatus dixerit tantum de homine justo, puta de sancto Philippo, S. Philippus & Pater æternus, sunt unus?

S. Augustinus & objectionem, & confirmationem sibi alternata vice proponit ibidem l. 3. contra Maximinum & facit satis. Primo quidem cap. 20. his verbis: " Quando de rebus duabus aut pluribus ,, dicitur, unus est, vel una est, & additur quid unus, vel quid una; & de ,, his quæ diversæ, & de his quæ unius ,, sunt substantiæ dici potest: diversæ ,, enim sunt substantiæ Spiritus hominis, ,, & Spiritus Domini: & tamen dictum ,, est, *Qui adhæret Domino unus Spiritus* ,, *est*. Unius autem substantiæ sunt ani- ,, mæ hominum, & corda hominum: ,, de quibus dictum est: *Erat illis anima* ,, *una, & cor unum*. Ubi autem dicitur ,, de duobus aut pluribus unum sunt, nec ,, additur quid unum sint, non diversi ,, intelliguntur, sed unius esse substan- ,, tiæ: sicut dictum est: qui plantat, ,, & qui rigat unum sunt, &, ego & ,, Pater unum sumus. ,,

S. Doctor ibidem c. 22. sic insurgit adversus Maximinum, & proposita objectione, eum sic alloquitur: " Volebas au- ,, tem dicere unum sunt, ad concordiam ,, pertinet: unus est, ad numerum sin- ,, gularitatis. Sed te a consideratione ,, verborum tuorum impetus disputatio- ,, nis avertit. Nam & unum & unus ,, utique pertinet ad numerum singula- ,, rem. Sed quod Verbum est, unum ,, sunt: propter & quod additum est, ,, sunt, pluralem indicat numerum qua- ,, dam singularitate connexum: Unus est ,, autem apertissime numerus est singula- ,, ris. Sed nunquid Apostolus diceret, ,, qui autem adhæret Domino unum sunt? ,, Quid enim aliud diceret, si hoc dice- ,, ret, nisi homo sanctus & Deus unum ,, sunt? Sed absit ab illa sapientia ista ,, sententia, & tamen dixit, qui autem ,, adhæret Domino unus Spiritus est; ut ,, noveris de his dici, unum sunt, qui ,, unius sunt, ejusdemque substantiæ, si- ,, cut quibusdam hominibus dictum est, ,, omnes enim vos, unum estis in Chri- ,, sto Jesu: & sicut ait ipse Christus, ,, ego & Pater unum sumus. Cum au- ,, tem unus dicitur, & quid unus natu- ,, ra, & quid unus adjicitur: & de di- ,, versis substantiis dici potest, sicut di- ,, ctum est, qui adhæret Domino unus ,, spiritus est: & de rebus unius sub- ,, stantiæ sicut dictum est, erat eis ani- ,, ma una, & cor unum. Erat, dixit, ,, non dixit erant: quoniam dixit & quid ,, erat, idest anima & corpus: sic & de ,, Patre & Filio, unum sunt, dicimus, ,, quia unius substantiæ duo sunt, & unus ,, est, dicimus, sed addimus quid unus, ,, idest unus Deus, unus Dominus, unus ,, omnipotens, & si quid hujusmodi satis ,, me vobis duarum istarum locutionum ,, arbitror inculcasse distantiam. ,, Audis S. Doctorem asserere unum dici singulariter sicut unus, & utrumque dici de Deo Patre & Filio naturaliter, sed nonnisi per voluntatis concordiam de justis & Deo. Igitur alio modo unum intelligitur de prima & secunda persona, alio prorsus de justis relative ad Deum.

Replicant: Atqui ex mente sancti Joannis *unum* pertinet ad concordiam, *sunt* verò ad numerum, ita ut sensus sit, Pater & Filius unum sunt moraliter ex eo quod Filius in omnibus obediat Patri, ut ipse dicit, quæ placita sunt ei facio semper; *sunt*, explicat numerum, videlicet Patrem & Filium, qui certe si unum forent substantialiter, numerum non constituerent. Igitur non alio modo quam in sensu morali intelligenda est unitas Patris cum Filio. Probatur subsumptum:

Chri-

Christus ibidem cap. 17. probat se esse hominem : Sed inter hominem & Deum est tantum unio moralis. Ergo &c. Probatur minor duobus momentis. Primo quidem Christus postulat a Patre claritatem quam habebat priusquam mundus fieret : Porro claritatem seu gloriam eo loci postulat finitam, scilicet pro humanitate eandem cum ea quam ante mundi constitutionem habebat, petit, ista igitur sicut illa erat finita : Igitur Verbum incarnatum non erat Deus ante mundum conditum, seu unum substantialiter cum Patre : *Clarifica me tu Pater*, inquit, *apud temetipsum, claritate, quam habui priusquam mundus esset* : Secundo vel ipse Christus verbis expressis ibidem solum Patrem esse Deum asserit : *Hac est autem*, ait, *vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum*. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Et vero ne quidem sibi cohæreret textus, si *unum* ad concordiam, *sunt* disjunctive ad numerum spectaret, cum *unum* & *sunt*, connexionem correlativam habeant, quandoquidem grammatice loquendo, *unum* est Verbi nominativum, adeoque ita cum voce, *sunt* conjunctum, ut si *unum* demas a verbo, *sunt* aut nihil significat, aut contraria importat, scilicet Patrem cum Filio esse unum & non unum. Sensus igitur obvius ille est, Pater & Filius qui sunt duo ratione personæ & faciunt numerum, ratione naturæ unum sunt. Hoc ipsum probat Christus Joan. 10. ubi Judæos discredentes sic alloquitur : *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre*.

Ad probationem distinguo majorem, Christus probat se esse hominem & simul se Deum esse prædicat, concedo : & deitatem a se ipso propellit, nego. Similiter distinguo minorem : inter Deum & hominem purum non est alia unio præter moralem, concedo : inter Deum & hominem a Verbo assumptum, subdistinguo : ratione humanitatis, concedo : ratione personæ qua subsistit humanitas, nego. Non Verbum secundum se & in abstracto, sed Verbum incarnatum in illo toto decimo septimo capite loquitur, & consequenter quædam humanitatem, quædam etiam divinitatem spectant, Christus se prodit ut hominem cum claritatem coram ipsis hominibus sibi dari deprecatur : ut Deum vero, cum ait claritatem habuisse apud Patrem antequam fieret mundus & a Deo missum fuisse in mundum : si igitur apud Patrem ante mundum conditum clarificatus, deinde missus, dubio procul erat Deus ante sæcula, cum nonnisi in tempore factus sit homo, & hoc teste Abacuc cap. 3. *In medio annorum*, cum, qui mittitur, jam supponatur esse & præexistat, & tamen incarnatio solum in utero beatissimæ Virginis adimpleta legitur : *Pater*, inquit, *venit hora, clarifica Filium tuum ut Filius tuus clarificet te*. Hoc est ut manifestem nomen tuum hominibus. Rursus ibidem. *Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum : ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per Verbum eorum in me : . . ut credat mundus quia tu me misisti. Et ego claritatem quam tu dedisti mihi, dedi eis.... Et cognoscat mundus quia tu me misisti*. Audis Christum loqui ut hominem, cum ibi Patrem deprecetur : Audis expostulare ut cognoscatur a mundo ut Deus, & uti talis habeatur per prædicationem & miracula Apostolorum, ut eam habeat claritatem & gloriam apud homines, quam in æternitate habuit in sinu Patris. Uno verbo, ut sicut Pater ab æterno illum habuit ut Filium suum naturalem, sic & homines illum supplici confessione habeant.

Ad primam probationem, jam eo prorsus modo distinguo : Christus claritatem a Patre postulat & pro sua humanitate, & pro nobis concedo : pro sua persona, subdistinguo, claritatem extrinsecam, concedo : intrinsecam, nego. Postulat ut humanitas sancta ratione & plenitudinis gratiæ, & virtutis miraculorum clarificetur, & hæc eadem claritas transeat ad homines, maxime ad Apostolos : Postulat etiam pro sua persona, sed extrinsecam, hoc est ut homines cognoscant illum esse Deum Patri consubstantialem, sed non intrinsecam & naturalem, cum jam ante ipsam mundi constitutionem apud Patrem, ut ipse testatur, hanc haberet gloriam.

Solutio est S. Cyrilli Alexandrini qui l. 10. Thesauri c. 2. vet. edit. hanc Arianorum objectionem sibi proponit, & mirum

rum in modum omni rationum genere solvit, & textum Joannis : *Pater venit hora clarifica Filium*, sic interpretatur : " Petit igitur, accipitque a Patre quæ " naturaliter habet ut Deus, sed quoniam " homo factus est, & carnem sumpsit, " quæ non alterius quam ipsius Filii " Dei caro est, jure gloriam petit, qua " natura humana eget, & accipit a Pa- " tre, atque etiam a seipso, quæ natura- " liter habet ut Deus. Ipse igitur petit " ut homo, & dat ut Deus una cum Pa- " tre. Cur igitur hujusmodi voces hos tur- " bant? Nam si factus est verus homo, " cur non concedunt ei, ut plerumque tan- " quam verus homo loquatur : Si enim " factus homo non esset, ipsi Verbo hæc " viderentur attribuenda : Sin autem cre- " dunt verum hominem factum esse, cur " ignorationem, petitionemque gloriæ, " cæteraque hujusmodi ut homini non at- " tribuunt? Sed impie in Filium Dei ita " hæc inferunt, ut creaturam prædicare " non vereantur. Præterea, si absurdum " est opinari verbum Dei aut glorificari " a Patre, aut accipere aliquid, sanctifi- " cari, ut isti credunt : nos certe sumus " qui accipimus, & sanctificamur atque " glorificamur in ipso : & propter nos " ipse ut homo, hujusmodi vocibus usus " est. Nam si propter seipsum Verbum " Dei glorificari, sanctificarique petit, " nihil nobis contulit incarnatio Christi, " & natura nostra denudata Dei gratia " demonstratur. Nam si Verbum glorifi- " cari & sanctificari eget : quomodo no- " bis hæc largita per ipsum sunt? Dein- " de sui potius causa, quam nostra factus " homo videbitur, si tunc glorificatus, " sanctificatusque potestatem accepit, & " cætera quæ de ipso similiter scribun- " tur, quibus isti ajunt, etiam ante In- " carnationem ipsum caruisse, & acce- " pisse postea factum hominem. Gratias " igitur agat carni per quam melior fa- " ctus est. Verum quoniam hæc impia " cogitata sunt, venit enim ut hominem " glorificet atque sanctificet, non accipit " hæc Dei Filius ut verbum, sic enim " perfectus est, quemadmodum & Pater : " Sed nos in ipso ut in homine tunc hæc " accepimus, quando carnem assumpsit. " Sicut enim nos per Resurrectionem " suam resurreximus, & per ascensum " suum in cœlos renovata nobis ascenden- " di via est; sic quando glorificari & san- " ctificari dicitur, nos in ipso hæc om- " nia accepimus. Itaque illa ipse natura- " liter habet ut Deus, & ea propter nos " petit ut homo. Pater, *inquit*, glorifi- " cat Filium suum &c. omnia mihi tra- " dita sunt a Patre meo. Et post Re- " surrectionem : Data est mihi omnis po- " testas in cœlo & in terra : Omnia enim " per ipsum facta sunt. Et Psalmista, " omnia sibi servire ait. Et ipse de glo- " ria, inquit : Pater glorifica Filium " tuum ea gloria, quam habebat apud te " ante constitutionem mundi. Si ergo an- " tequam mundus esset, gloriam hanc " habebat apud Patrem, quomodo eam " petit? Perspicuum est ipsum petere ut " hominem : ita naturæ nostræ petitio, " ut glorificaretur in ipso, facta est, po- " testatem etiam, quam post Resurrectio- " nem dicit sibi datam, ante Resurrectio- " nem quoque habebat. Nam si non habe- " bat, quomodo repulit diabolum dicens, " vade retro satanas? Et quomodo Discipu- " lis potestatem adversus dæmonia dedit? " Quomodo filiam Abrahæ, ut scribitur, " a diabolo ligatam, ut potestatem habens " solvit? Quomodo paralytico sanitatem " largitus est? Quomodo peccatrici fœmi- " næ peccata dimisit? Quomodo mortuos " revocavit a morte, & cæcorum aperuit " oculos? Perspicuum igitur undique est, " non ut Verbum ante incarnationem, sed " ut hominem, quando factus est homo Pa- " tri gratias vobis petere. " Observes velim, benevole Lector, eo loci sanctum Doctorem nedum explicare textum Evangelii, sed & luculentissimis rationibus probare Verbi divinitatem, 1. quia habebat claritatem innatam ante mundi constitutionem. 2. Ex eo quod ut incarnatum esset auctor gratiæ, & haberet potestatem in dæmonia quam & communicavit Apostolis exercendam.

Ad secundam probationem distinguo ; Christus ait Patrem esse solum verum Deum per exclusionem falsorum numinum, concedo ; per exclusionem sui, nego. Nam ibidem Joan. 17. subdit, *Ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Sed si Christus est vita æterna, nemo cordatus dixerit esse creaturam etiam ratione personæ. Suam clare postea prodit mentem dicendo ; *Et cognoscat mundus quia tu me misisti* : Et paulo superius.

rius. *Pater in me, & ego in te*.

S. Cyrillus eodem prorsus modo facit satis isti difficultati l. 10. c. 6. his verbis; " Ecce, *inquiunt*, ipse Filius ait solum ,, Patrem Deum verum esse. Sed ipse ,, quoque Pater dicere invenitur; Ego ,, Deus primus, & ego post hæc, nec ,, est Deus præter me. Quomodo igitur ,, ad primum & solum verum Deum, ,, alium vos quasi verum Deum adjicere ,, audetis? Sed non ad dejectionem Filii ,, hæc a Patre dicuntur, nisi forsan, ut ,, apud fabulas Gentium fertur, inter Filium & Patrem bellum esse credatis. ,, sed ad dejectionem falsorum Deorum ,, primum postremumque, hoc est sempiternum se Pater Deum appellat, secumque Filium necessario intelligit. ,, Ubi autem Filius est, ibi Spiritum quoque suum adesse necesse est. Quod autem Salvator ait, ut te cognoscant verum solum Deum. Nonne vides quod ,, statim conjungitur, & quem misisti Jesum Christum? Ut ergo verus Deus Pater cognoscendus est, ita non aliter Jesus quoque Christus habendus est. Nam ,, si Verbum Patris est, sicuti certe ab ,, omnibus conceditur, quis adeo mentis ,, inops dicere audebit, Patrem ut Filium ,, a deitate depelleret dixisse, nec Deus ,, præter me. Creaturas igitur a quibus ,, falso Dei nomen occupatur, illis verbis Pater, non Filium repulit. ,,

Obstrepunt iterum; Nullibi unitatem inter Patrem & Filium magis celebrat S. Joannes quam in prima epistola c. 5. his verbis; *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*. Sed eo loci loquitur solum in sensu morali; Igitur a fortiori in cæteris. Probatur minor. Subjungit; *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, sanguis & aqua, & hi tres unum sunt*. Audis Evangelistam conjungere per particulam, *Et*, versiculum illum octavum cum septimo, adeoque perfectam inter utrumque instituere comparationem: Sed claret secundam sententiam intelligi solum in sensu morali, cum constet spiritum, sanguinem, & aquam non esse quid unum physice, quippe quæ diversæ sint naturæ, ergo & prima de unitate sententia in eodem prorsus sensu sumi debet: quocirca Augustinus illa non usus est ad perstringendum Maximinum Arianum l. 3. c. 22. adversus eum: immo nec Cyrillus, nec Ambrosius.

Respondeo negando minorem: Ad probationem, distinguo: & beatus Evangelista utitur postrema sententia ut Symbolo ad explicandam priorem, concedo: & perfectam, omnimodamque inter utrumque versum instituit comparationem, nego. Teste S. Chrysostomo comparatio nusquam est adæquata, alias, *inquit*, non comparatio, sed res ipsa foret. Porro Christus mysteria parabolis & similitudinibus ad captum humanum solet explicare, juxta illud Prophetæ Psal. 77. de ipso: *Aperiam in parabolis os meum*. Hinc seipsum modo agnum, modo leonem, modo etiam vitem dicit, ut auditores intelligerent se ad parcendum mansuetum, ad inimicos salutis nostræ propellendos fortissimum, ad benefaciendum omnibus abundantissimum esse: Quid mirum igitur si & Joannes utatur in octavo versiculo similitudine, ut vel ipsis in fide aut titubantibus, aut infirmis ostenderet mysterium sanctissimæ Trinitatis tametsi altissimum, esse tamen possibile. Revera quidem, & moraliter & symbolice spiritus, sanguis & aqua eatenus denotant unitatem substantialem quæ intercedit inter Patrem & Filium, quatenus teste Cyrillo l. 14. Thesau. c. 5. unum Christum mediatorem designant, cujus typus fuere sanguis & aqua, quæ ex ejus latere aperto profluxerunt: Hinc ista symbola, sanguis, scilicet, spiritus & aqua juxta Ambrosium l. 1. de Spiritu sancto c. 6. sunt, *unum mysterio*, & secundum Augustinum l. 3. adversus Maximinum c. 22. *unum significatione*, gratiæ baptismalis quæ a Patre simul & a Filio & a Spiritu sancto ut ab uno Deo confertur. Scriptum est enim Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Hoc est ad solum Deum spectat dare gratiam: Si igitur in Baptismo detur in nomine Filii, dubio-procul dicendus est & confitendus cum Patre Deus.

Neque vero nos movet quod isti tres sancti Doctores & alii quidam cum eis versiculum septimum omittentes, octavum in medium adversus inimicos fidei adducerent: non enim una est hujusce momenti ratio. Prima quidem: codices forcipe versiculi aut dubios, aut defloratos præ oculis habebant, hinc æquum duxere

illam

illam præterire sententiam, cum innumera alia Scripturæ sacræ testimonia ad probandam & Verbi, & Spiritus sancti cum Patre consubstantialitatem in promptu sibi erant, ut videre est in libris quatuordecim S. Cyrilli de Trinitate: in tribus quos Augustinus pro eodem momento adversus Maximinum Arianum conscripsit, & sic de Ambrosio. Altera omissionis septimi versiculi ratio non levior est, quia Arianos exsufflare, aut in sensum adulterinum trahere cuncta Scripturæ loca quæ de unitate substantiali Filii cum Patre adducuntur, eaque nonnisi de unione morali interpretari potissimum innixos octavi versiculi auctoritate, animadvertebant, quocirca opus fuit referre istum versiculum, illumque explicare relative ad septimum, ita ut foret symbolum unitatis substantialis quæ prædicatur in septimo. Quotiescumque enim similitudo adducitur, semper ad explicandam veritatem physicam & naturalem hoc fit: neque enim propositio moralis, moraliter tantum sumitur, nisi quum est sola. Cæterum solemne fuit apud Patres in operibus polemicis, ea præcipue testimonia recensere, quibus Heterodoxi utebantur, ut restituto sensu obvio, & naturali vel ipsa iniquitas sibi mentiretur.

Instar omnium sit B. Augustinus qui l. 3. adversus Maximinum cap. 22. exponit Hæresiarchæ objectionem: " Tres, *inquit*, sunt, spiritus, aqua, & sanguis, & tres unum sunt: ne forte dicas spiritum, & aquam, & sanguinem diversas esse substantias, & tamen dictum esse, tres unum sunt. Propter hoc admonuit te ne fallaris, hæc enim sacramenta sunt in quibus non quid sint, sed quid ostendant semper attenditur. " Huic adde S. Cyrillum Alex. qui l. 12. Thesau. c. 6. probat divinitatem Christi ex variis testimoniis ex epistola ad Philippenses excerptis, & tamen istud inter cætera celeberrimum: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, omittit.

Obstrepunt iterum Ariani: Si Verbum sit Patri consubstantiale, ipse Pater erit Verbum: Absurdum consequens: Ergo & Antecedens.

Respondeo distinguendo sequelam, Pater erit Verbum essentialiter, quatenus est una in Patre & Filio natura, concedo: notionaliter, nego. Primum sensum exhibet ipse Filius dicendo: *Ego in Patre, & Pater in me est*. Alterum vero, ipsa notio Filii, cum filiatio sibi propria relative opponatur Patri. Ita Cyrill. Alex. l. 7. Thesau. c. 1. his verbis: " Verum igitur Patris Verbum Filius est, neque est aliud verum Patris Verbum quam Filius. Nam si ea de causa putant Hæretici non esse Filium Patri consubstantialem quoniam neque Pater Verbum est, neque Verbum Pater: Et propter differentiam personarum, substantiarum quoque differentiam inducunt: quo Abel, & Adam consubstantiales dici poterunt? Cum neque Abel possit esse Adam, neque Adam Abel. Quod si differentia personarum identitatem naturæ non destruit hominibus: quomodo non erit impium, ea de causa putare supernaturalem Dei substantiam diversificari? Sicut igitur si non esset consubstantialis Patri Filius; non esset Verbum Patris verum: Sic quoniam consubstantialis est, verum ejus verbum est. " Quibus verbis probat sanctus Doctor consubstantialitatem non evacuare personarum distinctionem. Abel enim & Adam eandem naturam specificam habebant, nec tamen Adam erat Abel, aut vicissim Abel Adam, sed duæ personæ distinctæ; quidni & Filius in divinis erit persona a persona Patris distincta, tametsi in utroque sit eadem & specifice & numerice natura?

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Divinitas Verbi ex utroque Testamento probatur.

PRIMO: Vetus non in uno loco Verbi indigitat divinitatem: & hoc magnis luculentisque argumentis. Primoquidem ex nominibus Deo propriis quæ illi tribuit. Exod. 3. vocatur, Qui est. Isa. 7. Emmanuel & Deus nobiscum. 2. Deus in lib. Gen. dicitur apparuisse & Abrahæ, Jacob. Hunc Deum esse Verbum asserit Concilium primum Antioc. 3. Micheas 5. *Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis*, est. Ergo &c.

Secundo: Concinit & novum Testamentum Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum*. Item 1. Cor.

1. Col.

1. Col. 1. Hebr. 1. Apoc. 22. quam quidem fidem fuso calamo exquisitis Scripturæ locis expandit Concilium supra laudatum.

Synopsis argumentorum Socinianorum & responsionum.

PRIMO: Tametsi Verbum in principio dicatur esse, non tamen creatum; habet quidem principium originem quatenus a Patre procedit, sed non initium, alio quippe modo & prorsus a Moise diverso, dicitur Deus, Moises enim Pharaonis Deus propter imperium nuncupatur, Verbum vero propter substantiam quam habet cum Patre æterno per omnia similem; unde cum dicitur Filius primogenitus, non ideo a Patre extraneus: sed ideo primogenitus, quia & primus Filius naturalis, & solus ab æterno genitus.

Secundo. Sapientia ullo absque fundamento creata dicitur: namque septuaginta legunt Dominus possedit me, generavit me. Idem sonat codex hebraicus. Præ ignorantia Librariorum, quandoque creavit, pro voce generavit appositum est.

Tertio, Sed nec ullum facessit negotium dum Sociniani locum Micheæ sic legere volunt: *Egressus ejus a diebus sæculi*; namque hoc ipsum idem sonat apud textum hebraicum ac ab æterno. Cæterum, Christus ut homo natus in Bethleem; nusquam vero ut Deus: Sub isto quippe respectu ab æterno in splendore Sanctorum & genitus est, & perenni generatione a Patre Deo procedit.

SECTIO TERTIA.

Utrum ex Traditione constet Verbum esse Deum.

HETERODOXI Verbi divinitatem impugnantes quosdam primorum sæculorum Patres in suas partes trahere non erubuerunt: nec inter ipsos Catholicos defuere qui propter styli acerbitatem eosdem saltem subobscure idem dogma tractasse autumant: Quocirca hanc materiam in variis punctis discutere necesse est, ut innotescat omnibus illos Patres sicut solide sic & clare Verbi divinitatem & prædicasse, & propugnasse.

PUNCTUM PRIMUM.

Expenditur Traditio pro divinitate Verbi.

CONCLUSIO.

Ex Traditione constat Verbum esse Deum.

Ex primo sæculo.

AGMEN ducet S. Barnabas D. Pauli socius in epistola quæ ejus circumfertur nomine, & magni est apud viros eruditos ponderis, quippe quæ sub finem secundi sæculi apparuerit: In ea versus initium de Verbo sic loquitur. " Ad extremum „ docens Israel, atque tam magna pro- „ digia & signa faciens ... Tunc palam „ fecit se esse Filium Dei. Nisi enim ve- „ nisset in carne, quomodo servati fuisse- „ mus nos homines? „ Et iterum n. 17. juxta versionem latinam de eodem Verbo incarnato ait: " Habes interim de maje- „ state Christi quomodo omnia in illo & „ per illum facta sunt. Cui sit honor, „ virtus, & gloria nunc & in sæcula sæ- „ culorum. „ Versio græca sic legit: " Habes & in homine gloria Jesu, quod „ per ipsum & propter ipsum omnia. „ Eo loci Verbum Deus proclamatur, & ex hoc concludit auctor Filium Dei redemisse mundum. Ibidem probat Verbi divinitatem hoc ulteriori argumento, quod per ipsum facta sint omnia: Porro creationem soli Deo tribui vel ipsi fatentur Heterodoxi. Igitur ex D. Barnabæ testimonio liquet Verbum esse Deum.

Ejusdem sæculi divinitatis Verbi præco celeberrimus est Hermas de quo meminit S. Paulus epist. ad Rom. cap. 16. Ille veluti alter Joannes multas habuit visiones judicio Ecclesiæ a Deo inspiratas, quas quidem in opere, cujus titulus *Pastor*, conclusit: Et per modum dialogi fecit. Ibi Pastor edocet Hermam, & quæstionibus multis de Trinitate propositis, respondet simil. 9. Hermas, & testatur in visu illi apparuisse magnam in campo petram: quænam vero illa sit expostulat n. 2. a Pastore: " Domine hoc mi- „ hi demonstra. Petra hæc, *ait Pastor*, „ Filius Dei est. Quonam pacto, inquam Do-

„ Domine, petra vetus est, porta autem „ nova? Audi, inquit insipiens & intel„ lige. Filius quidem Dei omni creatura „ antiquior est, ita ut in consilio Patri „ suo adfuerit ad condendam creaturam: „ porta autem propterea nova est, quia in „ consummatione, in novissimis diebus ap„ parebit, ut qui assecuturi sunt salutem, „ per eam intrent in regnum Dei. „ Rursus ibidem: " Audi... nomen Filii Dei „ magnum & immensum est, & totus ab „ ipso sustentatur orbis. „ Tum lib. 3. „ simil. 3. nu. 6. " Audi, *inquit*, in ser„ vili conditione non ponitur Filius Dei, „ sed in magna potestate & imperio. „ Observes velim, benevole Lector, Pastorem prædicare discipulo multa. Primo quidem Verbum esse Filium Dei. 2. Per ipsum cuncta facta. 3. Omni creaturæ præexistens. 4. Esse portam novam per quam electi intrabunt in regnum cœlorum. 5. Verbum quidem incarnatum servilem induisse conditionem, nusquam vero reduplicative ut Verbum, & in abstracto, seu secundum se spectatum. Quas omnes egregias dotes soli Dei convenire nullus cordatus diffitebitur. Igitur, Herma testante, Verbum est Deus.

Tertius testis est Clemens Romanus D. Petri in Pontificatu successor, de quo mentionem facit Apostolus ad Philipp. 4. Duæ epistolæ de eo circumferuntur, & cum sint antiquissimæ, ab omnibus fere veluti genuinæ habentur. Prior apud antiquos celeberrima est, & ad Corinthios directa. Legitur paulo post excidium Jerosolymæ. Illos autem Christianos & ad pacem inter se servandam, & ad humilitatem, & ad patientiam exemplo Christi adhortatur. N. 16. eosdem sic alloqui„ tur: " Sceptrum majestatis Dei Domi„ nus noster Jesus Christus. Jesus non ve„ nit in jactantia arrogantiæ, neque su„ perbiæ cum potens sit, sed in humili„ tate, quemadmodum Spiritus sanctus de „ ipso locutus est, ait quippe, Domine „ quis credidit auditui tuo? „ Ibidem asserit Christum creaturis antiquiorem esse. Ibidem pag. 20. subdit: " Unum Deum „ habemus & unum Christum, & unum „ Spiritum gratiæ effusum in nos. „ Rursus num. 32. Ab illo, ait, *scilicet a Deo*, Dominus Jesus secundum carnem. „ Et „ nu. 36. " Qui cum sit splendor maje„ statis ejus, tanto major est Angelis, „ quanto excellentius nomen sortitus est. „ Ita quippe scriptum est, qui facit An„ gelos suos spiritus, & Ministros suos „ flammam ignis. De Filio autem suo sic „ dicit Dominus: Filius meus es tu; ego „ hodie genui te. „

Ex secundo sæculo.

PRIMUS se se objicit oculis S. Ignatius Martyr Petri discipulus, qui sub Trajano Romæ dilaceratus est a bestiis; huc veniens, septem in itinere scripsit epistolas quæ sunt apud veteres maximo in honore. In epistola ad Ephesios Christum vocat Deum, & de illo num. 7. sic loquitur: " Medicus unus est carnalis & „ spiritualis, factus & non factus, in ho„ mine existens Deus, in morte vita ve„ ra, & ex Maria & ex Deo, primum „ passibilis, & tunc impassibilis Iesus Chri„ stus Dominus noster. „ Quibus verbis Filii Dei explicat generationem & æ„ ternam & temporalem. Inter antiquos „ Scriptores hunc locum laudavit Athanasius epist. de Synodis Arimini & Seleuciæ, sicut & Theodoretus dialog. 1. pag. 34.

Secundus recensendus est Aristides Atheniensis qui Adriano Principi volumen de Religione Christiana obtulit, ubi defendit & explicat Verbi incarnati divinitatem: ita refert Martyrologium Romanum, & Adonis.

Post illum sequitur Plinius junior, qui quidem profanus, & ideo minime suspectus, lib. 10. epist. 97. ait Trajano Christianos ante lucem surgere, hymnos cantare Deo suo, carnem Christi, quasi carnem Dei sumere: Igitur tunc Christiani Verbum profitebantur esse Deum.

Quartus est B. Polycarpus Martyr Smyrnensis Episcopus, & Joannis auditor in epistola ad Philip. ante mille & centum annos laudata: Sed primum edita a Pacardo in calce Notarum ad lib. 3. S. Irenæi, num. 9. ait: " Dominus Pater, „ Dominus noster Jesus Christus & ipse „ sempiternus Pontifex, Dei Filius Jesus „ Christus ædificat vos in fide & verita„ te. „ Eusebius lib. 4. c. 14. hæc ver„ ba S. Polycarpi etiam refert: " Dilecti „ & benedicti filii tui Jesu Christi Pater... „ Propterea & de omnibus te laudo, te „ benedico, te glorifico, per sempiter„ num Pontificem Jesum Christum dile-

„ ctum Filium tuum per quem tibi cum „ ipso in Spiritu sancto gloria nunc & in „ futura sæcula. „

His additur clarissimus Ecclesiæ Romanæ Pontifex Victor Martyr qui docuit Verbum esse Deum, & per illud omnia esse facta, unde Theodorum Coriarium divinitatem Christi negantem a Communione Ecclesiæ semovit. Ita refert Eusebius lib. 5. Hist. Eccles. c. 28.

Ex tertio sæculo.

PRIOR est Caius Romanæ Ecclesiæ Presbyter qui Artemam ab Ecclesia ejecit, eo quod idem prædicaret contra divinitatem Christi quod Theodorus. Ad hanc hæresim confutandam librum scripsit insignem, in quo Christi divinitatem ex professo defendit Eusebius loco mox citato.

Dionysius Romanus apud sanctum Athanasium lib. de decret. Synodi Nicænæ pag. 418. de Filio Dei hæc habet: " Cum enim sit splendor lucis æternæ, prorsus „ æternus est & ipse. „ Plura huic testimonio similia contexuit, ut quum dicit Filium omousion, id est ejusdem cum Patre substantiæ. Ibidem ait: " Necesse est „ uniri omnium Deo Dei verbum, & in „ Deo manere. „

S. Cyprianus lib. de Idolorum vanitate Filium incarnatum adstruit esse vere Deum, dicens: " Hic est virtus Dei, hic ratio, „ hic sapientia ejus & gloria, hic in Virginem illabitur.... Deus cum homine „ miscetur. „ Rursus ibidem: " Hic Deus „ noster, hic Christus est. „

Quartus est Hippolytus Martyr Portuensis Episcopus, Irenæi & Clementis Alexand. quondam discipulus, apud Theodoretum dial. 1. tom. 4. pag. 36. de eo quem Maria in alvo concludebat sic loquitur: " „ Verbum erat Dei, primogenitum e cœlo ad te delapsum, & homo primogenitus in utero formatus, ut primogenitum Verbum Dei primogenito conjunctum homini monstretur. „

Quintus est Novatianus qui licet circa gratiam Christi erraverit, non tamen circa divinitatem. De Filio Dei dicit: " „ Eadem regula veritatis docet nos credere post Patrem etiam in Filium Dei „ Christum Jesum, Dominum Deum nostrum, sed Dei Filium, hujus Dei, qui „ unus & solus est. „ Ita legitur lib. de Trinit. ipsi attributo. cap. 2.

Sextus, Gregorius Thaumaturgus qui in confess. fidei quam edidit Gerardus Vossius sic loquitur: " Unus Deus Pater viventis sapientiæ, subsistentis, & characteris sempiterni, perfectus perfecti „ genitor, unus Dominus solus ex solo „ Deus ex Deo, potentia universæ creaturæ effectiva, Filius verus veri Patris, sempiternus sempiterni, unus & „ Spiritus sanctus in quo manifestatur Deus „ Pater, & Deus Filius. „ Tum in oratione quam habuit in laudem Origenis dicit: " Verbum esse Filium Dei unigenitum & æqualem. „

Septimus est sanctus Athanasius qui orat. 1. pag. 121. ait: " Fidem a majoribus traditam retinent, eam Patres illi scribendo petierunt qui Nicææ congregati „ sunt: & ne illos tolerent qui contra „ eam novi aliquid moliantur, totus fuit „ pro verbi divinitate confessio, ita ut „ nec altitudo, nec profunditas, nec persecutio poterit illos separare ab hac fide. „

Denique Theognostus scriptor Antiquus quem Athanasius in lib. de decret. Synodi Nicænæ & Seleuciæ egregium fidei defensorem nominat, varios edidit libros inscriptos Hypotyposion, sed unum locum secundi libri maxime laudat & refert, ubi Theognostus dicit Verbum non esse Patri substantia extrinsecum, sed ut ejus ferunt Verba, *ex Patris substantia productum*.

Ex quarto sæculo.

ANTESIGNANUS fit Arnobius qui cum Siccæ sub Diocletiano Rhetoricam doceret, libros adversus Gentiles pro religione Christiana conscripsit, in quibus, maxime lib. 1. docet eandem fuisse tunc doctrinam de sanctissima Trinitate, ac erat in prioribus sæculis. Lib. 1. contra gentes ait de Christo: " Deus ille sublimis, „ Deus radice ab intima. „ Tum lib. 2. „ contra eosdem: " Et ideo Christus, „ licet vobis invitis, Deus. „

Secundus est Lactantius Arnobii discipulus qui septem scripsit libros contra Gentiles pro nostra religione. Lib. 4. cap. 13. ex professo docet duplicem Christi Nativita-

vitatem, unam divinam ab æterno, & ex Patre Deo: alteram temporalem & ex Maria Virgine c. 12. sic locutus est explicans illud Psal. 84. *Veritas de terra est*: " Quia, *inquit*, Deus in quo veritas est, „ terrenum corpus accepit. „

Tertius, est Lucianus Martyr insignis. De sana ipsius doctrina quidam dubitavere, sed absque sufficienti fundamento, etenim S. Hilarius lib. 6. de Synodis demonstrat adversus Arianos eum bene censuisse de divinitate Christi pro quo glorioso agone suum fudit sanguinem, qui quidem vox est Verbi conclamans divinitatem.

Quartus, est Hilarius lib. 6. de Trinit. in hæc verba: *Qui proprio Filio suo non pepercit*, ait: " Naturæ veritatem significan- „ ter expressit, ut qui superius filios plu- „ res per spiritum adoptionis demonstras- „ set, nunc Unigenitum Dei Filium „ proprietatis ostenderet. „ Rursus lib. 8. perstringit eos qui asserere audebant non esse inter Patrem & Filium unitatem naturalem & substantialem: hanc eandem probat ex unione substantiali quam habemus cum Christo per Eucharistiam: Igitur Verbum est Deus, si Deo Patri sit consubstantialis & illi naturaliter unitum. Tum ait: " Eos nunc qui inter Patrem & „ Filium voluntatis ingerunt unitatem, „ interrogo utrum ne per naturæ verita- „ tem hodie Christus in nobis sit, an per „ concordiam voluntatis? Si enim vere „ Verbum caro factum est, & nos vere „ Verbum carnem cibo dominico sumi- „ mus. „ &c.

Ex quinto sæculo.

S. Ambrosius mirabiliter præsens dogma corroborat lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 5. in hæc Evangelistæ Verba, *In principio erat Verbum*, hæc subjungit: " Erat „ apud Deum, erat, erat, erat, „ ecce quater erat, ubi impium invenit „ quod non erat? alibi quoque Joannes in „ Epistola sua dicit, quod erat in princi- „ pio, indefinite tenditur erat, quicquid „ excogitaveris, erat Filius, omnes au- „ tem hæreses hoc capite brevi noster „ piscator exclusit, quod enim erat in prin- „ cipio, non includitur in tempore, non „ principio prævenitur, ergo Arius con- „ ticescat; quod autem erat apud Deum, „ non commistione confunditur, sed ma- „ nentis Verbi apud Patrem solida perfe- „ ctione distinguitur, ut Sabellius obmu- „ tescat. Et Deus erat Verbum, non er- „ go in prolatione sermonis hoc Verbum „ est, sed in illa cælestis designatione „ virtutis, ut confutetur Photinus; quod „ vero erat in principio apud Deum sem- „ piternæ divinitatis in Patre, & Filio „ inseparabilis unitas edocetur, ut erubes- „ cat Eudoxius & Eunomius: postremo „ cum omnia per ipsum facta dicantur, „ ipse conditor novi utique testamenti & „ veteris designatur, ut Manichæus locum „ tentationis habere non possit. „

Beatus Augustinus tract. 35. in Joannem explicans Evangelistam, ait: " Non dixit „ Pater, ego sum, aut ego & Pater u- „ num est, sed cum dicit, ego & Pater u- „ num sumus, utrumque audio, & unum „ & sumus, & a Charybdi, & a Scylla „ liberaberis in duobus istis verbis: quod „ dixit unum, liberat te ab Ario: Quod, „ dixit sumus, liberat te a Sabellio. „

S. Cyrillus Alex. ejusdem est labii l. 2. in Joan. cap. 8. " Deus, *inquit*, ex Deo gi- „ gnetur, quemadmodum homo ex homi- „ ne, nec aberrabit Deive Patris antecel- „ lens omnibus natura, ut congruentem „ sibi non pariat fructum. „ Idem dicit lib. 2. Thesaur. pag. 326.

S. Basilius concinit orat. de fide, ait enim de Verbo: " Ut ergo Filius est, natu- „ raliter quæ Patris sunt possidet, ut au- „ tem unigenitus, omnia in seipso com- „ prehendit, nihil cum altero dividens. „

S. Chrysostomus, lib. 4. de incomprehensibili Dei natura contra Anomæos explicans verba Joannis, *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit*, scribit: " Vox „ ista *Filius*, inest & hominibus, inest „ & Christo. Sed nobis abusione qua- „ dam, Christo vero proprie .... Ut igi- „ tur ex appellatione illa quæ nulli inest, „ alteram, quæ inest multis esse propriam „ existimo, ideo prius dixit, Unigenitus, „ deinde Filius.

Ex his istud conficitur in probationem argumentum. Ille est Deus qui est unus inseparabiliter cum Patre, qui est ipsi coæternus & solus Filius Unigenitus: Atqui ex Patribus allatis Verbum divinum tale est: Ergo &c.

Mitto Fulgentium, Bernardum, aliosque Patres subsequentium sæculorum, qui

 uni

una voce cum Nicæna Synodo primo Verbum Deum & confessi sunt, & prædicarunt: Ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIUNT hæretici. 1. Barnabas in epist. quæ illi tribuitur a doctissimis viris num. 6. Verbum incarnatum vocat vas Spiritus sancti. Igitur non est Deus, siquidem anima sola justi & Angeli sancti vocantur Spiritus sancti templum.

Respondeo distinguendo, Verbum incarnatum dicitur vas Spiritus sancti ratione humanitatis assumptæ, juxta illud B. Pauli Colos. 2. de Christo homine: *In ipso inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter*, concedo: ratione sui & secundum se, nego. Quod autem hæc sit mens D. Barnabæ patet, eo quod ibidem duplicem agnoscat in Verbo incarnato naturam: unam divinam, humanam alteram. Ita vel ipse Bullus Anglus tametsi heterodoxus confitetur & docet Sect. 1. c. 2. num 5. & ante notaverat Grotius ad cap. 2. Marci v. 8. adduntque Spiritus nomine non semel in Scripturis Christi divinitatem intelligi.

Opponunt. 2. Hermas lib. 3. simil. 5. num. 6. Christum dicit servum Spiritus sancti, & Deum habitare in illo. Tum simil. 3. vocat Filium Dei Spiritum sanctum, his verbis, *Filius Dei Spiritus sanctus est*. Ergo &c.

Respondeo ad primum, Hermam loqui de Christo ut homine, & de Verbo ut incarnato, quod in corpore passum est: sic enim habet in loco objecto: " Cum ergo „ illud corpus paruisset omni tempore Spi„ ritui sancto, recteque & caste laborasset „ cum eo, Deo receptum est. „

Ad secundum distinguo, Filius Dei vocatur Spiritus sanctus essentialiter consideratus, concedo: notionaliter & ut procedit, dicens relationem filiationis, nego. Omnes personæ sanctissimæ Trinitatis si considerentur secundum se, & abstractive a notionibus, a relationibus, & processionibus dicuntur Spiritus juxta illud Ioan. 4. *Spiritus est Deus*.

Tertullianus contra Praxeam c. 6. Hyppolitus homilia contra Noetum, & Episcopi Galli post Concilium Nicænum in epist. Synodica ad Episcopos Orientales, vocant Filium Dei Spiritum sanctum, sicut & alii Patres qui scripserunt contra Anthropomorphitas, ut illis probarent Deum non esse corpus, sed spiritum.

Reponunt 3. Clemens Romanus epist. 1. Verbum incarnatum distinguit a Deo sicut & S. Polycarpus epist. 1. ad Philipp. hinc Photius codice 126. existimat Clementem non satis congruenter locutum fuisse de Verbo. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Clemens Verbum incarnatum in concreto distinguit a Deo, concedo: quia ut sic dicit humanitatem cum divinitate: Verbum in abstracto & secundum se, subdistinguo, distinguit personaliter seu notionaliter, quia est persona distincta a Patre, concedo: essentialiter & secundum naturam, nego.

Ad Photium dico iniquiorem esse erga Patres, nec satis ipse respicit ad scopum, quem scribendo ipsi habebant, non tamen absolute hæreseos labem eis inurit.

Opponunt 4. Nullæ jam supersunt genuinæ S. Ignatii epistolæ, sic propugnat Blondellus, Dallæus, & Bochardus: Igitur frustra adducuntur in testimonium divinitatis Verbi.

Respondeo fidem non esse adhibendam illis Calvinistis, siquidem S. Ignatii epistolæ præsentiam realem Christi in Eucharistia exhibent, quam ipsi totis viribus impugnant. Cæterum licet plures sub S. Ignatii nomine circumferantur epistolæ quarum aliæ suppositiciæ sunt, aliæ vero interpolatæ, septem tamen recipiuntur ut genuinæ, ita e nostris contendunt Cotelerius, Petavius, & alii. Ex Anglis vero Usserius, Hammondus, & Pearsonius, immo inter eruditos nullus relinquitur de his ambigendi locus.

Objiciunt 5. Tatianus concedit quidem Verbum in Patre fuisse ab omni æternitate, sed in potentia tantum: " Cum ip„ so, *inquit*, per rationalem vim, sed „ ipse Deus Pater, & Verbum, cum in „ ipso erat subsistit. „ Igitur non existimavit Tatianus Verbum extitisse actu ab æterno adeoque esse Deum.

Respondeo distinguendo Antecedens: Tatianus existimavit non extitisse Verbum actu ab æterno quoad vim exercitam ad extra, quæ apparuit tum in mundi creatione, tum in incarnatione, concedo: quoad vim notionalem, nego. Enimvero dicit Verbum extitisse secundum rationalem

vim,

vim, adeoque secundum intellectionem quæ dicitur ratio Patris æterni qua generat Verbum suum, quod Patres appellant sermonem Dei. Eodem modo intelligitur Tatianus quum subdit, Verbum processisse ex Deo quando orbem terrarum condidit, denique & quando ibidem dicit Verbum progressum a Patre primigenium ipsius opus. Namque Verbum ut expressum ad extra in creaturis fuit primigenium Dei opus, quando vero in incarnatione se sensibile & spectabile præbuit, tum fuit ad extra secundum, illudque mirificum Dei opus.

Reponunt 6. Hippolytus lib. contra Noetum scribit. 1. Solum Patrem esse proprie Deum, & super omnia. 2. Ibidem asserit Patrem præceptum imponere Filio, & Filium illud perficere; " Pater, " *inquit*, mandat Filio, Filius perficit. " 3. Verbum a patre processisse quum Deus mundum condidit; Sed hæc & similia, creaturam spirant. Ergo &c.

Respondeo ad primum distinguendo; solus pater est proprie Deus notionaliter, eo quod sit principium non de principio, concedo, essentialiter, nego. Ista responsio est ad mentem S. Hippolyti, ut mox patebit.

Ad secundum intelligit solum S. Martyr patrem improprie aliquid filio præcipere, ab isto non excludendo divinitatem, quippequi ibidem sic loquatur; " Unus est " Deus, qui mandat pater, qui obedit Fi" lius. " Si Filius cum patre Deus, juxta Hippolytum, nihil ab ejus detrahitur divinitate.

Ad tertium distinguo, Verbum processit ad extra operando, concedo; ad intra, nego. In hoc eodem sensu Gregorius Thaumaturgus in disput. adversus aliquem gentilem, teste Basilio epist. 64. ad Leonem Cæsariensem, Verbum appellat creaturam, hinc sic distinguendum est; Verbum reduplicative ut incarnatum, concedo; secundum se, subdistinguo, est creatum ratione termini ab ipso producti, concedo; secundum se, nego. Ita Basilius ibidem.

Opponunt 7. Auctor constitut. Apost. lib. 7. cap. 4. dicit patrem solum esse omnipotentem, solum verum Deum, item & Novatianus, & Dionysius Alexand. Ergo &c.

Respondeo nos parum curare de illis tribus auctoritatibus, Photius enim in Bibliotheca codice 112. & 113. dicit auctorem constitutionum non sine difficultate ab Ariana hæresi posse vindicari, immo Tertullianus, & alii quidam Patres existimant hujusmodi constitutiones ab Heterodoxis emanatas esse. Novatianus vero est suspectæ fidei. Nihilominus benigne potest explicari, nam quando lib. de Trinit. cap. 31. dicit Filium Patre minorem, hoc intelligitur vel ratione humanitatis assumptæ, vel improprie in quantum est Patre posterior origine. Ibidem enim subdit: " Quod necesse est prior sit, quo " Pater sit, quoniam antecedat necesse " est, eum, qui habet originem, ille qui " originem nescit. " Sic refert Petavius lib. 2. cap. 2. num. 17. Dionysius denique a S. Basilio epist. 43. a Gennadio Massiliensi lib. de dogmat. Ecclesiast. cap. 4. Arianæ hæresis macula notatur. Sed benigne utique explicari potest, ut dicetur infra.

Objiciunt 8. Gregorius Thaumaturgus in disput. adversus Æmilianum gentilem, Verbum incarnatum appellat creaturam, teste Basilio epist. 64. Ergo &c.

Respondeo distinguendo, Verbum vocat creaturam ratione humanitatis & unionis in tempore factæ cum natura humana, concedo: ratione sui, subdistinguo. Vocat disputando & sermonem ad hominis ethnici captum accommodando, concedo: definiendo, nego. Ita ipsum explicat Basilius ibidem, additque morem fuisse apud Patres sic loqui, ut facilius auditores ad obediendum veritati flecterent. Sic Arnobius explicatur quum dicit Deum esse ingenitum, & Deum non esse qui matris in utero conclusus est, loquitur enim de Verbo solum ratione humanitatis: & hoc ut revincat Gentiles qui puros homines pro diis habebant. Sic & explicatur Lactantius quando lib. 2. cap. 8. & lib. 4. cap. 6. asserit Filium Dei inter exordia fuisse procreatum. Siquidem hoc intelligitur, vel ratione humanitatis assumptæ, vel ratione creationis mundi, in qua apparuit. Cæterum frustra Photius & sine causa impugnat fidem Theognosti, eo quod dicat Verbum solis ratione præditis dominari: loquitur enim de Verbo, ut procedit per intellectionem, quum dicit dominari tantum entibus ratione præditis, quia sic magis creaturæ cum Verbo conveniunt: at vero si Verbum sumatur essentialiter, præest omnibus creatu-

ris sine distinctione. Igitur Theognostus locutione sua vult solum explicare quid sit Verbum notionaliter sumptum.

Instant. Lactantius lib. 4. c. 14. ait Christum numquam se appellasse Deum: Igitur ex ipso Verbum non est Deus.

Respondeo primo opponendo Lactantium Lactantio; nam lib. 4. c. 13. diserte propugnat Verbi divinitatem: primo quidem caput ipsum sic inscribit: *De Jesu Deo & homine*, deque eo *testimonium Prophetarum*. Secundo eo loci sic loquitur de Filio Dei; " In prima enim nativitate spi-„ rituali ἀμήτωρ fuit, quia sine officio „ matris a solo Deo Patre progeneratus „ est. „ Rursus: " Factus est Dei Filius „ per Spiritum, & hominis per carnem, „ id est, Deus, & homo. „

Respondeo secundo distinguendo Antecedens: & ibi loquitur de Christo ut homine, concedo: de Christo ut Deo, nego. Lactantius est sui ipsius interpres; unde totus textus legendus est: " Ille vero, *in-„ quit*, exhibuit Deo fidem; docuit enim „ quod unus Deus sit, eumque solum coli „ oportere, nec unquam seipse Deum „ dixit, quia non servasset fidem, si mis-„ sus, ut Deos tolleret, & unum asse-„ reret, induceret alium præter u-„ num. „

Respondeo tertio iterum distinguendo Antecedens: Numquam ipse se Deum dixit a Patre divulsum, concedo: a Patre in natura indistinctum, nego. Quod quidem probat his verbis: " Hoc erat de uno „ Deo facere præconium, nec ejus qui „ miserat, sed suum proprium negotium „ gerere, ac se, ab eo quem illustratum „ venerat, separare. „

Replicant 9. Primum Concilium Antiochenum congregatum contra Paulum Samosatenum, qui unicam in Deo personam volebat esse, probat Filium esse a Patre distinctum, quia Pater præcepit Filio ut mundum conderet. Igitur agnoscit Filium Patre minorem.

Respondeo distinguendo Antecedens, præcepit improprie, vocabulo *præcepit* utuntur patres Concilii, ut explicent ad captum nostrum quomodo Filius voluntatem patris implevit, concedo. Præcipit per auctoritatem, nego. Qui de hujus Concilii mente dubitaverit, legat divina & Sacrosancta testimonia quæ in probationibus retulimus, in quibus apparet quæ fuerit Antiochenæ Synodi circa divinitatem Verbi fides.

Instant. Patres secundæ Synodi Antiochenæ adversus eundem Paulum Samosatenum vocem ὁμοούσιον seu consubstantiale, pro Verbo divino rejecerunt, teste S. Athanasio lib. de Synod. Arimin. & Seleuc. teste Basilio epist. 300. immo & libro de Synod. ad finem. Igitur Verbum non credebant Deum.

Respondeo distinguendo, rejecerunt in sensu Pauli Samozateni, concedo: in sensu Catholico, nego. Paulus duplici modo in perversum trahebat τὸ *consubstantiale*. 1. Ex hoc quod Verbum diceretur Patri consubstantiale, unicam dicebat utique personam, 2. More rerum corporearum dicebat Verbum. natura distinctum a patre, quia sicut res corporeæ, licet quidem naturæ specificæ, sunt tamen diversæ numericæ, ita & pater & Filius; unde vel statuebat unicam ex patre & Filio personam, vel si diversam, etiam diversam numero naturam admittebat; inde in utroque sensu merito patres Antiocheni rejiciunt vocabulum *consubstantiale*, sed non in sensu Concilii Nicæni, quod vocem illam admittit, ut definiat unam naturam in patre & Filio contra Arium, sic enim loquitur S. Athanasius in libro de decret. Nicæn. " Etsi amborum Conciliorum, „ *Antiocheni & Niceni*, patres diversi-„ mode de consubstantiali mentionem fe-„ cere, non tamen propterea ab illis di-„ scedere debemus, sed illorum mentem & „ sententiam scrutari, quod si fecerimus, „ omnino inveniemus ambas Synodos in-„ ter se consentire: Qui enim Samosa-„ tenum sustulerunt, hanc vocem, *con-„ substantiale*, corporaliter accepere, cum „ scilicet Paulus sophisticari vellet, & „ diceret: si non ex hoc Christus Deus „ factus est, igitur est consubstantialis pa-„ tri, unde necessario tres esse subsisten-„ tias, unam quidem quæ prior sit, re-„ liquas vero duas ex ea oriundas; ideo „ merito vitantes illud sophisma Pauli, „ dixerunt Christum non esse consubstan-„ tialem. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Patres omnium sæculorum agnoscunt & propugnant Verbi divinitatem.

Ex primo sæculo, S. Barnabas in sua epistola. Hermas in libro dial. Simil. 9.

Ex secundo, Ignatius Martyr in sua ad Ephes. epist. Aristides, ut habetur in Martyr. Rom. S. Polycarpus epist. ad Phil.

Ex tertio, Caius in suo de Verbi divinitate libro. Dionysius Roman. apud S. Athanasium lib. de decretis Syn. Nicæn.

Ex quarto, Arnobius lib. 1. contra gentes. Ambrosius lib. 1. de fide ad Grat. Aug. tract. 35. in Joan. & alii.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO, Si quando Patres Verbum dicant *vas Spiritus sancti*, *servus Dei Patris*, hoc intelligunt de Verbo incarnato ratione humanitatis.

Secundo, Neque diffitemur Verbum etiam secundum se spectatum a SS. Patribus quandoque vocari Patris ministrum, sed dubio-procul loquuntur de ministro late sumpto, & in eo solum sensu fuisse ministrum Patris in creatione, quatenus Deus cuncta per suum Verbum creavit: Verbum autem & sermo Dei est ejus juxta Patres Sophia ipsi con-substantialis.

Tertio, Nec mirum cuiquam videri debet, si solus Pater nonnunquam dicatur Deus: hoc enim fit solum per exclusionem falsorum numinum: Patres Antiocheni abjiciunt quidem vocem, *consubstantiale*, sed in sensu Pauli Samosateni, qui ex consubstantialitate Verbi cum Patre concludebat naturæ divinæ multiplicationem.

SUNCTUM SECUNDUM.

Utrum Justinus Philosophus, insignis Christi Martyr vere & clare divinitatem Verbi defenderit.

MINISTER Jurius in suo tabellæ opusculo ex variis epistolis conflato docet Patres priorum sæculorum obscure tantum locutos fuisse de divinitate Verbi, quod quidem in natura, minime vero in perfectionibus & operationibus æquale eos agnovisse non sine horribili calumnia testatur. Duo sunt contra ipsum momenta explicanda & probanda; alterum quod Patres primorum sæculorum vere & clare propugnaverint divinitatem Verbi, alterum quod ipsius per omnia consubstantialitatem & æqualitatem ad sanguinis usque effusionem defenderint: Primum impræsentiarum movemus & præcipue de Patribus eminentissimis secundi & tertii sæculi, quos propter duras aliquas expressiones in pravos detorquent sensus hæretici: secundum vero tractabimus art. 2. 3. & præcipue 4. ubi de æqualitate substantiali personarum divinarum agemus ex professo contra Jurium. Jam sit

CONCLUSIO.

Justinus vere & clare propugnavit Verbi divinitatem.

PROBATUR 1. Ille vere & clare Verbi divinitatem profitetur, qui illud vocat Dei Patris progeniem æternam, cum qua Pater loquitur, & est quid unum, quæque est vera sapientia: Atqui sic docet Justinus de Verbo in dial. cum Tryphone, pag. 285. " Verum: *inquit*, hæc ipsa a Patre revera edita progenies, ante creaturas omnes una cum Patre fuit, & cum ea colloquitur, prout Verbum per Salomonem declaravit: primitus ante creaturas omnes hanc ipsam progeniem, a Deo genitam esse, quæ sapientia a Salomone vocatur. " Rursus Apologia pro Christianis de Deo Patre loquens ait: " Hunc ipsum, & qui ab eo venit Filium, & Spiritum propheticum colimus, & adoramus. "

Probatur 2. Ille clare propugnavit Verbi divinitatem qui dicit Verbum solum esse verum Dei Filium, id est consubstantialem; enimvero Angelus & Homo non sunt univoce Filii Dei, sed solum per participationem: Atqui ex Justino solum Verbum est vere Filius Dei, nam Apolog. 1. loquens de Patre, hæc subjungit de Verbo ejus Filio: " Porro Filius ejus, qui solus proprie dicitur Filius, Verbum

„ bum simul cum illo ante creaturas & „ existens, & nascens, quoniam primi- „ tus per eum cuncta condidit & orna- „ vit. „ Ergo &c.

Probatur 3. Ille clare in suis scriptis propugnat Verbi divinitatem, qui dicit Verbum apparuisse Patriarchis, esse Deum & rationalem Dei vim: Sed ista profert Justinus dial. cum Tryph. pag. 284. postquam enim docuit Verbum apparuisse Abrahæ & Moisi subdit: Aliud vero et- „ iam nobis, o amici, ex sacris Litteris „ producam testimonium, primitus ante „ creaturas omnes Deum genuisse ex se „ virtutem quamdam rationalem, qui qui- „ dem & gloria Domini a Spiritu san- „ cto vocatur, nonnunquam autem Fi- „ lius, aliquando sapientia, quandoque „ Angelus, interdum Deus, aliquando „ Dominus & Verbum. „ Postea ejus generationem explicat exemplo Verbi quod nos ipsi formamus & concipimus in mente: Igitur & vere & clare propugnavit Verbi divinitatem Justinus.

Probatur. 4. Ille propugnavit vere & clare Verbi divinitatem, qui martyrio sanguinis effusione coronatus est propter fidem sanctissimæ Trinitatis & Christi divinitatem, quam fortiter ad finem usque sustinuit: Atqui ex Martyrologio Romano & actibus Martyrii sancti Justini constat ea de causa dedisse sanguinem. Hoc etiam constat ex duplici Apologia pro Christianorum fide quam ad Imperatorem direxit: Igitur clare & vere defendit Verbi divinitatem.

Diluuntur Objectiones.

OBJICIES primo: Justinus in dialogo cum Trypho. dicit Christum aliud esse a Patre: Secundo Patrem causam Filii appellat: Sed qui est aliud a Patre, & habet causam, non est Deus: Ergo &c.

Respondeo ad primum distinguendo: Verbum est aliud personaliter a Patre, seu alia persona, concedo: aliud substantialiter & divisa substantia, nego: hæc enim subdit Justinus: " Ita tamen Filium a Pa- „ tre esse genitum, ut non sit dispartita „ essentia. Illic autem impugnat quosdam Sabellii præcones, qui dicebant personam Filii esse ab ipso Patre indistinctam: unde contra illos ostendit esse personam distinctam, & dari plures in deo personas.

Ad secundum distinguo: Justinus vocat Patrem causam Filii improprie, hoc est, ut causa dicit principium & originem sonat, concedo: proprie, & rigorose, nego. in primo sensu loquitur Justinus, sic enim Græci ut plurimum accipiunt causam & de facto ante Nicæuum Patres nomine causæ intelligunt principium & originem, ut Petrus Alexand. lib. 1. cap. 4. apud Theodoretum, Basilius lib. 1. contra Eunomium. Gregorius Nazian. orat. 36. Chrysostomus homilia 22. in Ioannem: Item & Latini auctores etiam post Concilium Nicænum, ut Marius Victorinus, lib. 1. contra Arium, Hilarius lib. 12. de Trin. & alii.

Instabis: Idem, Justinus Apolog. 2. vocat Filium Dei secundam post Patrem potestatem: Secundo, idem dicit Filium esse a Patre, & post ipsum honorari pag. enim 60. sic loquitur: " Filium in secun- „ do loco habentes cum ratione venera- „ mur. „ Sed qui est secunda potestas, secundus a Patre, & secundos habet post ipsum honores, non est Deus: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Filius Dei est secunda potestas, secundosque habet post Patrem honores notionaliter sumptus, & posterioritate originis, concedo: Secundum se sumptus, & per exclusionem divinitatis, nego. Quandoque Patres nominant personas Trinitatis per nomina absoluta; sic Methodius apud Photium codice 23. Patrem & Filium, duas potestates vocat: Tum ex eo quod Filius procedat a Patre quidam alii vocant illum secundam potestatem, dicuntque etiam secundos post Patrem habere honores, ut probent contra Sabellianos dari plures in Deo personas; quod autem Justinus probare tantum intendat Filium esse secundam origine, non vero inferioritate personam, liquet ex Apolog. prima ubi pagina 56. asserit Christianos una eademque adoratione Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, ut unum Deum prosequi: unde sic distincta minore, nego consequentiam.

Insistes: Si verbum ut incarnandum & quod apparuit Patriarchis est Deus, non debet dici visibile: Sed Justinus dicit non solum Verbum incarnatum, sed etiam incarnandum esse visibile: quod enim apparuit Patriarchis est visibile, & ta-

men

men nondum erat incarnatum : sic autem loquitur Justinus dialogo cum Tryphone pag. 79. " Hic qui conspectus Patriarchis ,, dicitur, Deus & Angelus, & Domi- ,, nus appellatur. ,, Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Verbum incarnandum Justinus dicit visibile, quia apparebat sub forma visibili sicut Spiritus sanctus apparuit sub forma columbæ, ut se accommodaret captui hominum quibus apparebat, concedo: Unde Isaiæ apparuit sub forma hominis habentis vestem sanguine tinctam, & hoc ut facilius ostenderet quid in tempore volebat facere, suum pro hominibus fundendo sanguinem, juxta illud quidem Prophetæ cap. 63. " Quis ,, est iste qui venit de Edom tinctis vesti- ,, bis de Bosra . . . *Ego qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum*. Verbum est visibile secundum se, nego. Cæterum divus Thomas notat quod Prophetæ in apparitionibus videbant mysteria & Verbum incarnandum sub formis sensibilibus: Igitur absque discrimine fidei potuit Justinus dicere Filium visibilem, & a Patriarchis conspectum, modo sub forma Angeli, modo sub forma hominis, cujus vestis erat sanguine conspersa.

Instabis: Justinus dial. cum Tryph. dicit Patrem non apparuisse Prophetis quia incircumscriptus & immensus est: Igitur ex Justino Verbum non est immensum secundum se, alias nihil concluderet.

Respondeo distinguendo Antecedens. Pater non apparuit, quia est immensus tam in præsenti, quam in futuro, quia nec incarnandus erat, sicque debebat manere semper invisibilis, concedo: secus, nego. Principium enim sine principio non poterat mitti: porro Filius est incircunscriptus solum ratione divinitatis, & est principium de principio, adeoque poterat mitti, & de facto missus est; unde non est paritas. Porro sanctus Justinus ibidem pag. 284. loquens de visione quam Jacob vidit, Verbum inducit hæc verba ad Patriarcham dirigens: *Ego sum Deus a te conspectus*. Tum alias de Verbo apparitiones cæteris Patriarchis factas commemorat.

Rursus instabis: Deus est invisibilis, nec potest apparere: Igitur cum Verbum apparuerit, videtur quod non sit appellandus Deus. Probatur Antecedens ex Justino dialog. cum Tryphone pag. 134. ubi ita loquitur: " Ergo nec Abraham, nec ,, Isaac, nec Jacob, nec ullus alius ho- ,, mo vidit Patrem illum & ineffabilem ,, universorum atque etiam ipsius Christi ,, Dominum: sed eum qui juxta illius vo- ,, luntatem Deus est, quippe Filius. ,,

Respondeo distinguendo: & ex his Justini verbis solum colligi potest Filium esse circumscriptum & visibilem propter naturam assumptam, concedo: esse circumscriptum & visibilem ratione divinitatis, nego. Scopus Justini est demonstrare Tryphoni qui Scripturas admittebat, Patrem a Patriarchis non fuisse visum, quia invisibilitas in sacris paginis passim illi tribuitur, visibilitas vero Filio, qui licet natura etiam invisibilis & immensus, ex dispensatione tamen fieri visibilis & circumscriptus fieri voluit; nam, ut ajunt Theologi, Filius est splendor & imago Patris; Pater ad extra non se manifestat, bene vero Filius, quamobrem S. Irenæus lib. 4. adversus hæref. cap. 14. non dubitavit dicere quod per ipsum Verbum visibile & palpabile factum, Pater ostendebatur; in quo sensu dixerat Justinus hæc verba in eodem dialogo de Filio Dei: " ,, Ipse enim quæcumque cognita . . . . an- ,, nuntiat, & mittitur, ut quæcumque ,, nuntiantur indicet. ,,

Persistes: Justinus ibidem ideo dicit Filium apparuisse quia Verbum est minister Patris: Sed qui est minister Dei non est Deus. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: est minister ut homo, eo quod venerit facere voluntatem Patris, concedo: ut Verbum, subdistinguo, est minister improprie, concedo: proprie, nego. Minister proprie dictus dependet, alter vero exequitur voluntatem sine dependentia: quia autem Filius ut Deus emanat a Patre & ab ipso missus est in mundum ut ejus adimpleret voluntatem, in hoc solum sensu dicitur minister, non vero in proprio & per dependentiam, quod patet ex ipsis Justini sermonibus dicentis in epistola ad Diognetum: " Ipse omnipotens, *inquit*, & omnium ,, conditor, & invisibilis Deus e cœlis ,, veritatem, & Verbum sanctum & in- ,, comprehensibile inter homines locavit ,, . . . Non quemadmodum aliquis conjice- ,, re possit, misso hominibus ministro ali-

,, quo

„ quo, sive Angelo, sive Principe, sive „ aliquo eorum qui terrena gubernat... „ sed ipso opifice & creatore omnium : „ quo cœlos condidit, quo mare suis terminis conclusit... Hunc ad eos misit, an ut aliquis cogitare possit in tyrannis.... minime vero, sed in clementia & in lenitate, tamquam Rex „ mittens Filium Regem, misit tamquam „ Deum, tamquam ad homines misit, „ tamquam servans misit. „ Sufficit hæc sola loquendi forma ad Justini defensionem. Ecce ibi ait Verbum esse sanctum & incomprehensibile, Ministrum esse, non ut Angelum, aut Principem tantum, sed ut opificem & Creatorem omnium, missum ad nos a Rege divino tamquam Regem Regum, tamquam Deum. Qui deposito erroris spiritu, hunc locum perlustrabit oculis, ore confitebitur & corde credet Justinum de Filio Dei vere, legitime, & catholice sensisse.

Instabis : Atqui Justinus existimavit Filium esse Patris ministrum per dependentiam ; Ergo nulla solutio. Probatur subsumptum. Qui propugnat Filium esse tantum Patris legatum, apostolum, & doctorem. 2. Deum esse duntaxat propter sapientiam. 3. Ministrum Patris de ejus voluntate, dubio-procul credidit Filium esse Dei Patris ministrum per dependentiam & in sensu rigoroso : Atqui sic propugnavit Justinus : Et probatur quoad singulas partes. Primo quidem apol. 2. pag. 65. ait : " Omnia hæc ita futura „ atque eventura esse prædixisse affirmo, „ Doctorem nostrum atque parentis universorum, & Domini Dei Filium, & „ apostolum sive legatum Jesum Christum, a quo etiam Christiani... in „ hoc etiam insaniam nobis obtrectatores „ objiciunt, secundos *honores* post immutabilem ac sempiternum Deum & „ parentem omnium homini crucifixo deferre, dicentes &c. „ Audis referre veluti calumniam a Paganis irrogatam quod Christiani Filium uti Deum haberent. Secundum ibidem expresse dicit nempe Filium esse Deum, quia sapientia Dei est. Tertium dialogo cum Tryphone asserit, negat enim Filium qui apparuit Patriarchis, fuisse mundi conditorem, sed voluntate Patris in creatione ejus ministrum : " Sed quem vobis, *ait*, demonstravimus Abraham, & Jacob visum esse, qui conditoris universorum voluntati ministravit.... Igitur nec Abraham, nec Isaac, nec Jacob, nec alium „ mortalium quisquam, vidit Patrem, „ & ineffabilem Dominum omnium, „ adeoque ipsiusmet Christi : Sed illum „ qui de ipsius voluntate Deus est ejus „ Filius : Et Angelus ex eo quod illius „ voluntatis minister est. „ Observes solum Patrem vocari a Justino universorum conditorem, omnium, quinimmo & ipsius Christi Dominum, Filium eatenus Patris ministrum, quatenus Angelus est: quæ quidem & similia summam spirant dependentiam. Additur Justinum probare Filium alium esse a Patre propter duo : primo quidem, ex eo quod Filius sit visibilis : Secundo, quia movetur localiter, e contra vero Pater nec visibilis, nec mobilis localiter, quippe qui sit incircumscriptus, immensus, & ubique : Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum : Ad probationes dico solutionem patere ex dictis, & absque negotio solvi, nec aliud probare quam Filium secundum se consideratum esse Patre origine posteriorem, & ministrum, eo prope modo quo vox hominis vel ejus sapientia, alia-ve quæcumque virtus dicitur minister, seu id quo agitur; cum autem in Deo non sint accidentia, sed omnia sint Deus, liquido constat sermonem ejus quo cuncta fecit, esse ejusdem cum ipso substantiæ, verum ad abundantiam juris singulis respondere juvat.

Ad primam probationem distinguo, Filius est legatus & apostolus Patris, sed ab ipso in substantia & natura indivulsus, concedo : legatus in rigore & per dependentiam, nego. Justinus est sui ipsius interpres in dialogo cum Tryphone pag. 358. his verbis : " Virtutem hanc di„ cens de Patre genitam, virtute, & „ consilio ipsius, non per abscissionem tam„ quam dispartita esset Patris essentia, „ prout omnia alia divisa & secta, non „ eadem sunt, quæ ante fuerunt quam „ scinderentur, atque exempli gratia il„ lud sumpsi quod ex igne ignes alios ac„ censos videmus, illo nihil diminuto, „ sed eodem manente, unde multi accen„ di possunt ignes. „ Certe clare eo loci explicat Christi divinitatem Justinus, quocirca nonnisi improprie minister ibi prædicatur : Sic & magister. Suam ipse

Justi-

Justinus prodit montem apol. 2. pag. 153. edit. 1555. " Fatemur quidem nos hostes ,, Deorum istorum fictitiorum, at non illius verissimi Dei, Patris justitiæ, prudentiæque & cæterarum virtutum, ,, cunctorum expertis vitiorum: Sed & ,, cum & ab ipso missum Filium magistrum nostrum, reliquumque similem ,, hujus bonorum Angelorum ipsius ductum sequentem exercitum, necnon spiritum propheticum, veneramur, adoramusque. ,, Profecto soli Deo debetur adoratio: Cum igitur pari illo honore & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum donari asserat Justinus: Luce meridiana clarius prædicat Verbi divinitatem, quam quidem a falsa distingui in immensum contendit, eo quod Filius Dei incarnatus suam & antiquitate, & sanctitate propria, tum & suæ legis divinitatem consignavit: e contra vero Dii Gentilium fuerunt homines mortales, & vitiosi.

Ad secundam probationem similiter distinguo, Filius est Deus quia sapientia Patris est, sed ejusdem substantiæ cum illo, concedo: diversæ, nego, Justinus sane in priori tantum sensu loquitur, & sic se explicat apolog. 2. ejusdem edit. pag. 161. " Cæterum Dei Filius Jesus, ,, etiamsi tantum vulgaris homo esset, ,, propter sapientiam Filius Dei juste diceretur. Nam Patrem hominumque, ,, Deumque omnes Scriptores Deum appellant. Cum vero peculiariter, non ,, more communi prognatum ex Deo dicimus Dei sermonem. ,, Audis Filium esse Deum per sapientiam, apud Justinum non esse particularem diminutivam, sed potius divinitatis Christi assertivam, eo quippe loci sermonem habet de Filio Dei incarnato, & ait, quod licet homo communis apparuerit conversans inter homines, eum tamen dicendum esse Deum tres propter rationes quas adducit. Primo quia est Dei sapientia, sermonem autem Dei, inquit, ex Deo genitum propugnamus: Secundo, quia sic Scriptores omni exceptione majores nuncupant: Demum, quia ex Deo prognatus est ex generatione æterna, ex quo velut ab argumento irrefragabili concludit Verbum esse Deum. Quid clarius?

Ibidem ex miraculis luculentissime probat Verbi incarnati divinitatem, & Christum a Mercurio, aliisque fictitiis diis secernit, quod isti nonnisi commentitia operarentur miracula, & ideo Dii fictiles essent: " Agnoscitis, *ait*, simile ,, quiddam in vestro Mercurio, quem ,, sermonem internuntium Dei dicitis: ,, quod si crucifixus displicet, hoc quo- ,, que commune habet cum cladibus supra dictorum Jovis filiorum, si vera ,, narrant vestri auctores; nam & illorum varias mortes legimus . . . Porro quod e Virgine natum credimus; ,, idem apud vos fertur de Perseo; item ,, quod dicimus eum claudos, paralyticos, ,, a nativitate cæcos persanasse, mortuos ,, ad vitam revocasse; hæc similia videntur illis quæ jactantur de Æsculapio. Ut autem jam declaremus, quod ,, quæcumque loquimur instituti a Christo & Prophetis qui eum antecesserunt, ,, sola vera sint & antiquiora Scriptoribus omnibus: & quod nostra placita, ,, non ut vestris consona, sed ut vera ,, admitti postulemus nempe a Jesu Christo accepta, qui proprie Filius Dei ,, primogenitus, mens, virtusque ipsius, ,, ex voluntate Patris homo factus. ,, Eo loci ostendit Iustinus meras esse fabulas ea quæ de Diis gentium circumferuntur: Solum Christum esse verum Deum a Prophetis annuntiatum.

Ad ulteriorem minoris probationem, adhuc distinguo, Filius Dei est Patris minister improprie, ut dictum est, & de voluntate Patris quatenus non coacte a Patre procedit, nec invitus incarnatus est, concedo: Minister proprie & per dependentiam voluntatis Patris, nego. Familiare fuit Patribus trium primorum sæculorum vocare Filium Patris æterni Ministrum, ut Patripassianis personas confundentibus, demonstrarent tres esse in sanctissima Trinitate personas. Irenæus lib. 4. cap. 17. ait: *Ministrat ei ad omnia sua progenies*: Clemens Alexandr. lib. 7. Strom. *Cum boni, & omnipotentis Patris voluntati servit*. Tertullianus lib. contra Pra. cap. 12. *In sermone Christo assistente & administrante*. Eodem prorsus sensu loquitur Iustinus, namque eosdem Hæreticos confutat, insuper & Iudæos in dialogo cum Tryphone & Gentiles in apologiis, ubi ex professo probat Christi divinitatem & oraculis Prophetarum, & miraculis ab ipso patratis, & auctoritate Scri-

Scriptorum Ecclesiasticorum : unde mirum videri debet quod Jurius tam splendide imponat Justino & aliis antiquis Patribus, cum unum præ oculis & pro scopo haberent , scilicet probare Verbi incarnati divinitatem : Hanc autem provinciam perfecte adimplet Iustinus, ostendendo Verbum esse personam divinam , sed a Patre distinctam , eo quod Filius factus sit visibilis, secus Pater : quod Pater sit solus universorum conditor ut principium non de principio , sed non negat & Filium conditorem , quippe qui dicat Patrem per Filium seu sermonem & sapientiam creasse mundum ; quis autem cordatus dixerit Regem aliquid facere per aliud a se separatum , si proprio illud adimpleat imperio : Jam vero quod Filius sit incarnatus , & non Pater ; sequitur illum ut hominem localiter moveri , & circumscribi ratione humanitatis assumptæ, sed certe non secundum se & in abstracto spectatum , adeoque Verbum semper & mansisse, & manere Deum.

Audiendus est iterum Iustinus ibidem apol. 2. ejusdem edit. Eo loci probat Christi divinitatem sanctitate ejus legis pag. 156. & illa exposita , ait : " Quis ,, sanus non fatebitur ? Tum eum qui ,, nos hæc docuit, & in hoc natus est , ,, Jesum Christum, crucifixum, sub Pon- ,, tio Pilato in Judæa Procuratore Tiberii ,, Cæsaris, agnoscimus veri Dei Filium, ,, & loco secundo colimus , tertiumque ,, ordine spiritum propheticum . ,, Audis Justinum non posterioritatem temporis, sed tantum ordinis juxta processiones admittere. pag. 157. vocat Christum Patrem cælestem .

Demum dialog. cum Tryphone ejus edit. pag. 66. probat Christi divinitatem, primo ex generatione æterna : Secundo, ex prophetiis in ipso adimpletis , maxime quia natus est ex Virgine de stirpe David : & hunc laudat pro isto momento Isaiæ locum cap. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Sed ne aliquam facessere possint difficultatem apparitiones Verbi Patriarchis factæ sub forma Angeli , asserit Angelum illum esse æternum Dei Filium, qui credentibus est vita æterna : tum pag. 67. subjungit eum esse Patribus veteris legis antiquiorem, & verum Deum qui illis apparuit : " Per hunc ipsum Chri- ,, stum , *ait* , in resurrectione pariter tum ,, posteriores , tum illi priores Noe , ,, Enoch, Iacob, & his similes cæteri , ,, servabuntur , cum agnoscentibus hunc ,, Christum esse Dei Filium . ,, Ibidem alterius edit. pag. 284. " Quemadmodum ,, Verbum, eum qui in somnis apparuit ,, Iacob , Angelum appellat : deinde eum, ,, ipsum, qui in somnis apparuit Ange- ,, lum ipsi dixisse ait, Ego sum Deus a te conspectus . ,, Ergo &c.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Justinus Martyr clare propugnavit Verbi divinitatem.

PRIMO , dialog. cum Tryphone pag. 285. vocat Filium Dei progeniem æternam : Sed si æternum prædicat , utique & Deum : Ergo &c.

Secundo : Apol. 1. ait Verbum solum esse verum Dei filium : Et hoc ad distinctionem Iustorum qui nonnisi per participationem sunt filii Dei.

Tertio : dial. cum Tryphone pag. 284. Verbum quidem appellat modo virtutem Dei , modo magni consilii Angelum , modo etiam Verbum & Deum.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO : Cum Iustinus vocat Verbum aliud a Patre , solum per vocem *aliud* intelligit personam ab eo distinctam.

Secundo : Nec ullum facessit negotium dum ait Verbum esse Patris ministrum : loquitur enim de ministro improprie dicto : sic & de causa late sumpta , prout idem est ac principium , instituit sermonem , quando Patrem æternum Verbi causam appellat.

Tertio : Neque vero negamus Iustinum dicere Verbum esse ejusdem Patris legatum & apostolum , sed ab ipsius substantia indivulsum , ut expresse scribit dial. cum Tryphone pag. 358. " Non per ab- ,, scissionem tanquam dispartita esset Pa- ,, tris essentia.

PUN-

PUNCTUM TERTIUM.

Utrum Athenagoras vere & clare divinitatem Verbi defenderit.

CONCLUSIO.

Dicimus contra Jurium Athenagoram vere & clare divinitatem Verbi tenuisse.

Probatur ex variis ipsius testimoniis.

ILLE bene sentit de divinitate Verbi, & clare admodum illam propugnat, qui illud agnoscit Filium Dei, Filium Patri coæternum, & Filium cum ipso unum & consubstantialem : Atqui Athenagoras agnoscit Verbum esse tale, & probatur: Legat. pag. 2. " Est, *inquit*, Filius Dei ,, Verbum Patris in idea & operatione ; ,, ab ipso enim, & per ipsum omnia facta sunt, cum sit unum Pater, & Filius, & sit in Patre Filius, & Pater ,, in Filio, unitate & virtute Spiritus ,, sancti. ,,

Idem ibidem pag. 10. sic effatur : " Nec ,, est quod quis ridiculum putet Deo Filium a me attribui, non enim ut Poetæ fabulantur, qui nihilo-meliores hominibus Deos suos faciunt, vel de Deo ,, Patre, vel de Filio sentimus, sed Filius Dei est Verbum Patris ; quod si ,, vobis qui intellectus subtilitate excellitis altius repetendum videtur, quid,, nam sibi velit Filius Dei, paucis dicam primigeniam illum esse Patris progeniem, non quasi factum quiddam sit, ,, a principio enim Deus, qui est æterna ,, mens, habuit in seipso λόγον, idest sermo. ,, Quibus verbis ita clare explicat divinitatem Filii, annuntiando eum æternum, non factum, ut Arianam perfidiam penitus gladio oris sui confodiat atque compescat.

Ibidem pag. 27. " Asserimus, *inquit*, ,, & Filium ipsius Verbum, & Spiritum ,, sanctum virtute unitos, Patrem & Filium & Spiritum sanctum : Filius enim ,, Patris mens, Verbum, & sapientia est; ,, & Spiritus, effluentia, ut lumen ab igne.,,

Quid plura dicam? Quomodo aliquis superesset circa mentem Athenagoræ dubitandi locus, ipse etenim pag. 11. propellens calumniam quam contra Christianos evomebant Gentiles, eos appellando Atheos, sic loquitur : " Quis igitur non ,, miretur, cum audiat nos, qui Deum ,, Patrem prædicamus, & Deum Filium, ,, & Spiritum sanctum, eorum in unitate virtutem; & in ordine distinctionem ,, explicantes Atheos vocari? ,, En plena Trinitatis confessio, tres enim ordine, unum vero in virtute seu essentia prædicat Athenagoras, quinimmo Filium verbis expressis vocat & appellat Deum. Ergo &c.

Fit satis objectionibus.

OBJICIES : Athenagoras in apologia pro Christianis ad Imperatores, dicit Verbum esse rationem Dei, & sapientiam, seu ideam internam, his verbis : " Deus qui ,, æterna mens habuit in seipso sermonem. ,, Sed ratio non est distincta ab intelligente, saltem in divinis : Igitur ex Athenagora non datur Verbum nisi creatum in Deo, quando scilicet loquutus est ad creandum mundum.

Respondeo distinguendo minorem, ratio essentialis non distinguitur personaliter in Deo; concedo ; ratio notionalis, nego. Ratio duplex distinguitur in Deo; altera quæ convenit illi, ut præintelligitur personis ; altera vero ut est prima persona & ut connotat paternitatem. Prima quidem ratio non est persona, secus secunda ; & de ista loquitur Athenagoras eodem sensu quo & sanctus Athanasius oratione prima, tertia, & quinta : eodem Basilius lib. contra Eunomium : eodem Gregorius Nyssenus lib. 1. contra eumdem : eodem Nazianzenus orat. 35. quum vocant Verbum ideam Patris : quinimmo veteres Patres probant Verbum esse æternum, quia Deus nunquam est sine ratione, quam vocant partem rationalem ; non quidem discurrentem, sed intelligentem.

Instabis. Idem vocat Verbum productum, quia quidquid genitum est, censet creatum & corruptibile, his verbis ibidem : " Res omnis est vel ingenita, adeo- ,, que æterna, vel genita, adeoque cor- ,, ruptibilis. ,, Ergo &c.

Respondeo distinguendo, vocat Verbum extrinsecus prolatum, productum, nempe in termino, scilicet in creaturis quas condidit ; similiter & in incarnatione, siquidem unio Verbi cum humanitate crea-

ta

ta est, & ipsum Verbum incarnatum, ut homo, erat mortale, concedo: sic vocat ratione sui & ad intra, nego. Loquitur Athenagoras solum in priori sensu, & hoc ut Verbi operationibus ipsius in Patre coexistentiam comprobaret, sicque Paganis insinuaret Verbum carnem factum esse, & Christum esse Dei Filium unigenitum.

Insistes: Ibidem dicit Verbum a Patre prodiisse, cum mundum condidit. Igitur antea non erat, ex Athenagora, adeoque creatum credebat.

Respondeo distinguendo, Verbum prodiit ad extra & se manifestavit, cum Deus mundum condidit, concedo: Idest creatum fuit, nego. Athenagoras loquitur tantum in primo sensu, siquidem verbis expressis ibidem dicit Verbum non esse factum.

Repones: Propter illam ad extra progressionem Athenagoras dicit Verbum primam esse Dei Patris progeniem. Igitur antea non erat progenitum.

Respondeo distinguendo, Athenagoras propter creationem vocat Verbum primam Patris progeniem ad extra, concedo: primam tam ad extra, quam ad intra, nego. Progenies Verbi apparuit dupliciter ad extra, primo quidem in creatione, deinde vero in incarnatione. Creatio dicitur prima Verbi progenies, idest, primus effectus quo Verbum ad extra se manifestavit: porro effectus dicitur causæ expressio, & in hoc sensu Illust. Bossuetius Episcopus Meldensis in tertio commonitorio contra Jurium dicit Verbum esse primogenitum ad extra, quia se expressit in creaturis.

Replicabis: Atqui progeniem Dei etiam ad intra Athenagoras credidit creaturam. Ergo &c. Probatur subsumptum. Cum loquitur de Deo, illum vocat ingenitum, quæ proprietas non convenit Filio, a fortiori nec Spiritui sancto: Sic loquitur in oratione quam habuit in sua legatione pro Christianis apud Imperatores Aurelium Antonium & Lucium Aurelium Commodum edit. Basiliensi 1564. pag. 222. " Deum ingenitum sempiternum ratione „ sola spectabilem, materiam autem geni- „ tam, & corruptibilem dicimus.... sed „ enim cum ratio & professio nostra „ Deum singularem & unum celebret, „ universitatis hujus auctorem, non qui „ genitus sit, quod τὸ ὄν, id quod sit, „ non gignitur: Sed τὸ μὴ ὄν, id quod „ non fit, per λόγον rationem seu Ver- „ bum suum autem condiderit omnia. „ Quibus verbis probat auctorem mundi esse Deum, quia genitus non est: genitus autem non est, eo quod mundum non immediate per se, sed per rationem & Verbum suum produxerit: Igitur ex principiis Athenagoræ Verbum non est Deus, quippe quod sit genitum, & per ipsum mundus conditus sit. Igitur intelligit vel ipsum per Verbum esse creatum, quia per illud mundus creatus est.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, distinguo, Athenagoras loquendo de Deo illum vocat ingenitum, ut essentialiter consideratur, concedo, ut notionaliter, subdistinguo, & tunc sermonem habet de Patre: concedo, de Filio, nego. Deus potest considerari duplici modo, nimirum ut præintelligitur personis & essentialiter, deinde vero ut est aliqua persona. Priori modo illum spectat Athenagoras, eo quippe loci probat adversus Gentiles dari unicum Deum & singularem, & partibus materialibus, quæ sunt corruptionis causæ, expertem: ex quo concludit Deum nostrum esse solum Deum, nusquam vero Jovem, Mercurium, & cæteros gentilitatis Deos qui homines mortales fuere: " Quis igitur illi, *inquit*, „ pag. 228. Dominus Deus noster, non „ reputabitur alter apud eum. Et rursum: „ Ego Deus primus, & ego postea: Et „ præter me, Deus non est. „ At vero cum loquitur de Deo notionaliter, tres clare admodum agnoscit personas in una natura subsistentes; subdit enim: " At ne quis hic mihi ridiculum esse au- „ tumet, quod Deo Filius sit, non enim „ sicut prout fabulis suis fingunt, Deos „ nihil meliores hominibus esse ostenden- „ tes, ita & nos vel de Deo & Patre, „ vel de Filio sentimus. Sed Filius Dei „ ratio & verbum, ὁ λόγος Patris est in „ forma & efficacia: ab ipso namque & „ per ipsum facta sunt omnia: Quod u- „ num sint Pater & Filius: & quod Fi- „ lius sit in Patre & Pater in Filio, u- „ nitate & virtute Spiritus sancti. „

Respondeo 2. ad eamdem probationem aliter distinguendo: Athenagoras vocat Deum ingenitum in sensu opposito materiæ quæ fuit genita, concedo: in sen-

su

su quod Filius genitus, non sit Deus, nego. Ille Pater est sui ipsius interpres: " Materiam autem genitam & corruptibilem dicimus. " Cæterum Verbum quo Deus produxit mundum quasi creatum habet, sed ratione effectus, & prolatione extrinseca, nusquam vero ratione sui.

Urgebis: Qui Filium vocat meram Dei formam & efficaciam, primum Dei germen, non credidit Verbum esse Deum: atqui sic posuit Athenagoras. Et probatur quoad utramque partem. Prima pars jam claret ex verbis mox laudatis & pag. 229. ait Verbum esse efficaciam rerum quas sustinet verbo virtutis suæ, adeoque quid creatum: " Verum, *ait*, " cum materialia simul omnia naturæ informis & qualitatis expertis & terræ, " ad vehiculi quod vectorem excipit instar, subjacerent crassioribus in eis cum " levioribus commixtis, ut forma & efficacia eorum esset tanquam progressum. " Secunda pars non minus constat pag. 228. his verbis: " Quod si animis vestris cupido incesserat, propter excellentem vestram prudentiam, contemplari quid sibi Filius velit, paucis " eloquar. Primum is germen est Patris. " Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Athenagoras vocat Verbum Dei efficaciam causaliter, quatenus est causa rerum, & ut ait Apostolus: *Portansque omnia verbo virtutis suæ*, concedo: formaliter, ita ut sit forma rerum creata, nego. Sic & primum germen Dei vocat idem Verbum, non quod sit alius Filius post eum ad intra, & aliud Verbum, sed quia est ei coævum, & non factum: Ideo igitur primum germen, hoc est ratio & sermo Dei, ab æterno ei connexus. Athenagoras ipse suam prodit mentem his verbis, ibidem: " Primum is germen est Patris, " non tanquam factum; a primordio " enim Deus, mens æterna existens, " habuit ipse in seipso rationem & verbum τὸν λόγον, ut qui perenne rationalis sit. Verum cum materialia &c. " Ergo &c.

Persistes: Eodem sensu Athenagoras vocat Filium efficaciam Dei, quo vocat & Spiritum sanctum: Sed appellat Spiritum sanctum efficaciam creatam, quæ profluxit in res creatas: Et probatur. pag. 229. ait: " Suffragatur autem rationi " huic Spiritus quoque propheticus: Dominus enim, *inquit*, Prov. 8. creavit " me principium viarum suarum in opera ejus. " Ergo &c.

Respondeo similiter distinguendo: & Spiritus sanctus est creaturarum efficacia causaliter, sicut dictum est de Filio, concedo: formaliter, nego. Hoc ipsum patet ex subsequentibus Athenagoræ verbis quibus ulla absque ambiguitate agnoscit tres Personas in unitate naturæ: " Quin " & ipsum, *ait*, qui efficaciter agit in " eis, qui prophetico more arcana proloquuntur, vatibus, Spiritum sanctum divinationem esse dicimus Dei, ab eo " defluentem & refluentem veluti radium solis. " Ecce quomodo agnoscit Spiritum sanctum Deum, ab ipso quippe Patre & Filio fluit; en processio: refluit, ecce unio indivulsa & inseparabilitas; quod quidem confirmat exemplo radii solaris, non in eo sane sensu quo, sicut radius fluit a sole & in illo remanet, sic & Spiritus sanctus a Deo promanat. Et ne quis putet illum dixisse dari rationem Dei creatam & finitam, qualis est homo, qui Dei est solum quædam participatio analoga: Subdit sic concludendo: " Quis igitur non obstupescat, si atheos " vocari nos audiat, qui dicimus Deum " Patrem, & Filium Deum, & Spiritum sanctum Deum, illorum & in unione virtutem, & in ordine distinctionem demonstrantes. " Rursus pag. 257. " Verum enim vero nos atheos, & " impios, qui Deum habeamus universitatis hujus parentem, & propriam ejus " rationem, & Verbum, & Spiritum " sanctum, &c. "

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Athenagoras sicut erudite, sic & clare Verbi defendit divinitatem.

PRIMO: Legat. pag. 27. dicit Verbum unum esse cum Patre.

Secundo: Ibidem pag. 10. " Filius Dei " est Verbum ... non quasi factum quiddam sit a principio. "

Tertio: pag. 11. conqueritur quod Christiani vocarentur Athei, quippe qui Patrem, & Filium & Spiritum sanctum virtute substantiali unitos dicerent.

SY-

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Esto quod Athenagoras vocet Filium rationem Patris, sed intelligit substantialem & ab ipso notionaliter distinctam.

Secundo: Quandoque etiam idem dicit Verbum conditum & prolatum, sed solum ratione effectus, mundi scilicet ab eo creati, nusquam vero ratione sui.

Tertio: Citra difficultatem est Deum ab Athenagora appellari ingenitum, loquitur enim de Deo essentialiter spectato, & ut vox *ingenitum*, idem sonat ac principium non de principio, sed non negat secundam personam notionaliter sumptam esse genitam.

PUNCTUM QUARTUM.

Num Irenæus, & Theophilus Antiochenus vere & clare propugnaverint divinitatem Verbi?

CONCLUSIO PRIMA.

Irenæus clare, & vere propugnavit Verbi divinitatem.

PROBATUR ex ipsius Irenæi verbis lib. 2. cap. 48. impugnans Valentinianos & Gnosticos hæreticos ita loquitur: " Si quis itaque nobis dixerit, quomodo „ ergo Filius prolatus a Patre est? Dicimus ei quia prolationem istam sive generationem, sive nuncupationem, sive adapertionem, aut quomodolibet quis nomine vocaverit generationem ejus inenarrabilem existentem nemo novit: non Valentinus, non Marcion &c. „ Tum lib. 3. cap. 8. " Sed nec quicquam „ ex his quæ constituta sunt .... comparabitur Verbo Dei per quem facta sunt omnia, qui est Dominus noster Jesus Christus ... Joannes quidem sic significavit; cum enim dixisset de Verbo Dei, quoniam erat in Patre, adjecit omnia per eum facta sunt, & sine eo factum est nihil. „

Iterum ibidem de Verbo Dei, ait: " Ita „ ut is quidem qui omnia fecerit, cum verbo suo juste dicatur Deus, & Dominus solus. „ Rursus lib. 2. cap. 43. sic habet: " Non enim infectus es o homo; „ neque semper coexistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum: Sed propter eminentem bonitatem ejus nunc initium facturæ accipiens, sensim discis a Verbo dispositiones Dei qui te fecit. „

Denique lib. 4. cap. 11. clarius adhuc sic se explicat circa Verbi divinitatem: " Qui igitur, *inquit*, a Prophetis adorabatur Deus vivus, hic est vivorum Deus, & Verbum ejus qui & locutus est Moysi .... ipse igitur Christus cum Patre vivorum est Deus, qui & locutus est Moysi, qui & Patribus manifestatus est. „

Ex his conficitur istud argumentum. Ille vere & clare agnovit Verbi divinitatem qui ejus generationem agnoscit ineffabilem, qui Deum illud conclamat, Deum, inquam, Patri coæternum, Deum verum qui apparuerit Patriarchis. Atqui Irenæus, ut ex locis adductis liquet, agnovit Verbum Dei, tanquam Deum Patri coæternum & ineffabiliter ab eo genitum, agnovit ipsum esse Deum qui apparuit Patriarchis. Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Theophilus Antiochenus similiter clare agnovit & propugnavit Verbi divinitatem.

PROBATUR. Lib. 2. pag. 88. clare agnoscit & distinguit Personas sanctissimæ Trinitatis; primam quidem, quam vocat Patrem, secundam quam vocat *logon*, seu sermonem Dei, tertiam quam appellat ejusdem Dei sapientiam: " Primum omnium, *inquit*, uno consensu nos Prophetæ docuerunt, Deum ex nihilo omnia creasse .... Deus igitur in suis visceribus *ton logon* habens ipsum una cum sapientia sua proferendo, genuit ante hæc universa. „

Ibidem pag. 34. eamdem sanctissimam Trinitatem verbis expressis agnoscit, subditque figuratam fuisse per tres illos dies, qui in mundi ortu solis ac lunæ procreationem antecesserunt deinde sic prosequitur: " Quid enim & alioquin prohibeat, „ quin & de eadem, *intellige de Trinitate*, & centuriam & milliadem nominemus, cum tot numeris componatur; „ nulla quippe, multoque plura, his in nu-

,, numerum cadunt. ,, Subdit esse æqualem pro omnibus honorem.

Tum pag. 1000. de Filio Dei sic loquitur; " Nec arbitreris ut Poetæ & fabularum Scriptores perhibent, Deorum ,, filios ex concubitu esse natos, sed intellige, ut veritas docet, *ton logon* æternum existentem. ,,

Jam his prælibatis, sic argumentari fas est. Qui agnoscit Verbum æternum, Verbum in sinu Patris coexistens, & improductum, vere & clare agnoscit Verbi divinitatem; Atqui sic docuit & prædicavit Theophilus: Ergo &c.

Solvuntur objectiones Heterodoxorum contra primam conclusionem.

OBJICIUNT 1. Magdeburgenses & Sociciani: Irenæus lib. 4. cap. 17. dicit Filium esse patris ministrum, adeoque ipsi interiorem, sic ait: " Ministrat enim ei ,, omnia sua progenies, & figuratio sua, ,, idest Filius. ,, Igitur Irenæus non agnovit Verbum ut Deum, siquidem in Deo nihil est inferius, sed omnia sunt æqualia.

Respondeo distinguendo: ex Irenæo Filius est minister Patris improprie, in quantum per Verbum fecit Deus omnia, concedo; Proprie & per dependentiam, nego. Irenæus est sui ipsius interpres; ibidem enim sic loquitur: " Hic enim Filius, qui est Verbum Dei, ab initio ,, præstruebat, non indigente Patre Angelis, uti faceret conditionem, & formaret hominem, propter quem & conditio fiebat: neque rursus indigente ministerio ad fabricationem eorum quæ facta sunt... Sed habente copiosum & ,, inenarrabile ministerium; ministrat enim ei ad omnia, sua progenies, & ,, figuratio sua, idest, Filius, & Spiritus sanctus, verbum & sapientia quibus ,, serviunt, & subjecti sunt omnes Angeli. ,, Ecce vocat Irenæus Verbum Patris configurationem, & Angelorum Dominum, quibus probat ipsius cum Patre æqualitatem; unde quando lib. 4. c. 17. dicit Patrem præcepisse Filio, hoc intelligitur metaphorice, & ut ad captum nostrum explicet quomodo Deus usus est verbo suo ad mundi productionem.

Instant: lib. 2. cap. 49. Irenæus dicit Patrem esse super omnia, & Filio majorem: immo dicit Filium ignorasse judicii diem; quæ quidem omnia non redolent divinitatem, ait: " Etenim si quis exquirat causam propter quam in omnibus Pater communicans Filio, solus scire & ,, horam, & diem a Domino manifestatus ,, est, neque aptabilem magis, neque decentiorem, nec sine periculo alteram, ,, quam hanc inveniat in præsenti, quoniam cum solus verax magister est Dominus, ut discamus per ipsum super omnia esse Patrem; etenim Pater, ait, ,, major me est. ,,

Respondeo distinguendo, Pater est Filio major secundum humanitatem, ut ipse Athanasius explicat in Symbolo, & ut intellexit Irenæus, concedo: Est major secundum divinitatem, subdistinguo, major origine, idest prior, concedo: major per dependentiam in Filio, nego: & hic est sensus Irenæi genuinus.

Ad aliud distinguo similiter: Filius ignoravit diem judicii, ut Deus incarnatus, nego, ut homo consideratus secundum se, & in abstracto, concedo; idest, Christus ut homo ex se diem judicii non cognoscebat, bene vero per dona gratiæ, quibus cumulata fuit sancta humanitas. Quod autem hic sit Irenæi sensus patet tum ex supradictis in probationibus, tum ex lib. 2. cap. 25. ubi asserit spiritum Salvatoris Dei altissima penetrasse.

Urgent: Qui comparat verbum Dei voci humanæ, non credidit Verbum Patri consubstantiale: Atqui ea fuit Irenæi sententia: Et probatur. Lib. 2. " Credere ,, autem talia debemus Deo, qui & nos ,, fecit. ,, Cap. 46. & 47. instituit comparationem inter verbum Dei, & vocem humanam, & distinguit Patrem a Verbo, quod Pater sit totus mens: sic loquitur c. 47. " Aliud enim est secundum Græcos *logos*, quod est principale quod excogitat; ,, aliud organum, per quod emittitur *logos*, & aliquando quidem quiescere, & ,, tacere hominem, aliquando autem loqui & operari. Deus autem cum sit totus mens, totus ratio & totus spiritus ,, operans, & totus lux, & semper idem, ,, & similiter existens, sicut & utile est ,, nobis sapere de Deo, & sicut ex Scripturis discimus, non jam hujusmodi affectus & divisiones erga eum subsequentur,,: Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probatio-

tionem distinguo: Irenæus comparat verbum Dei voci humanæ in sensu alieno, scilicet Valentinianorum, & Gnosticorum, qui Verbum Dei creatum habebant, concedo: in propria sententia, nego. Immo hanc ridiculam & blasphematoriam opinionem qua filii Dei divinitatem tentabant isti, pro virili debellat. Sic loquitur ibidem cap. 47. in verbis antecedentibus: " Hæc autem cæcitas, & stultiloquium inde provenit vobis, quod nihil Deo reservetis; sed & ipsius Dei & Ennœæ ejus & verbi, & vitæ, & Christi nativitates, & prolationes annuntiare vultis, & has non aliunde accipientes, sed ex affectione hominum, & non intelligitis quia in homine quidem, qui est compositum animal, capit hujusmodi dicere, sicut prædiximus sensum hominis & Ennœam hominis; & quia ex sensu Ennœæ, de Ennœa autem Enthymesis, de Enthymesi autem *logos*, quem autem *logon?* Aliud est enim &c. " Perstringit igitur Heterodoxos quod sermonem Dei & *logon* assimilarent voci humanæ: cap. 48. *logon* Dei ejusdem cum ipso naturæ agnoscit: " Deus autem, *inquit*, totus existens mens, & totus existens *logos*, quod cogitat, hoc & loquitur; & quod loquitur, hoc & cogitat. " Rursus ibidem subdit: " Qui ergo dicit mentem Dei, & prolationem propriam menti donat, compositionem eum pronuntiat, tanquam aliud quiddam sit Deus, aliud autem principalis mens existens. Similiter autem rursus & de *logo* tertiam prolationem ei a Patre donans, unde & ignorat magnitudinem ejus: Porro & longe *logon* a Deo separavit, & Propheta quidem ait de eo, generationem ejus quis enarrabit? vos autem generationem ejus ex Patre divinantes, & verbi hominum per linguam factam prolationem transferentes in verbum Dei, juste detegimini a vobis ipsis, quod neque humana, nec divina noveritis. "

Insurgunt: Qui solum Patrem uti Deum habet, Verbi abnegat divinitatem: Atqui sanctus Irenæus solum Patrem ut Deum habet: Et probatur. Lib. 3. cap. 6. sic loquitur: " Et ego igitur, invoco te Domine, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob (qui est & Israel) Pater Domini nostri Jesu Christi, Deus qui per multitudinem misericordiæ tuæ, & bene sensisti in nobis, ut te cognoscamus, qui fecisti cœlum & terram, & dominaris omnium, qui es & solus & verus Deus, super quem alius Deus non est. " Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: Solus Pater est solus Deus per exclusionem a falsis numinibus, concedo: per exclusionem a Filio: subdistinguo, ita ut non sit Deus a se distinctus, concedo: ita ut non sit Deus cum illo, nego. Sanctus Irenæus duo potissimum probat, videlicet non esse alios Deos in terra præter Deum Patrem, deinde vero *logon* non esse Deum ab illo distinctum, nemo quippe Catholicus dixerit tres in Trinitate personas, tres constituere Deos: tres enim unus sunt Deus. Quod hæc sit mens Irenæi patet ex verbis subsequentibus: " Etenim si sunt qui dicuntur Dii sive in cœlo, sive in terra, nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. " Audis Irenæum eo loci non excludere a Verbo incarnato divinitatem, cum asserat Patrem per Christum cuncta fecisse. Ne miremini si nominet hic Deum Patrem, quippequi loquatur de Deo ut visibilium & invisibilium conditore, adeoque & omnium creaturarum Patre, juxta illud Moisis ad populum Deuter. 32. *Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* jam vero, vel ipse Irenæus ait Verbum etiam cuncta creasse: " Unus Dominus, *inquit*, Jesus Christus, per quem omnia. " Ergo &c.

Diluuntur objectiones adversus secundam conclusionem militantes.

OBJICIES: Theophilus lib. 3. ad Autolycum dicit, primo Verbum non fuisse ab æterno a Patre distinctum: secundo esse insitum in corde Patris: tertio, tunc apparuisse, quando Deus condidit mundum. Igitur ex Theophilo Verbum non est a Patre distinctum, vel fuit creatum quando Deus condidit mundum.

Respondeo ut supra. Ad primum quidem distinguo; Verbum essentiale non est a Patre distinctum, concedo; Verbum notionale, nego. Ad secundum etiam distin-

stinguo, Verbum est insitum in corde Patris ut genitum, & ab illo inseparabile, concedo: ut productum, nego. Theophilus loquitur in sensu Joannis qui cap. 1. dicit Unigenitum esse in sinu Patris.

Ad tertium non est difficultas, sed veritas clara; siquidem Verbum solum nobis apparuit quando condidit mundum, & incarnatum est. Ne aliquis relinquatur ambigendi locus, advertendum est Deum ut præintelligitur personis esse intelligentem, & hujusmodi intellectionem dici essentialem. Ea seu hoc Verbo essentiali cuncta creavit dicendo, Genes. 1. *Fiat lux*: Deum cum personis spectatum habere sermonem, qui dicitur Verbum & Filius Patris, seu Verbum notionale, sub quo respectu est persona a Patre distincta.

Instabis. Ariani Verbum immanens & æternum in Deo agnoscebant, quia tamen extrinsecus prolatum est, ideo creatum volebant. Igitur eo ipso quo Theophilus dicit Verbum prolatum, dicit & creatum.

Respondeo negando paritatem. Discrimen est in duobus, primo quidem Ariani agnoscebant solum Verbum essentiale ab æterno esse, Theophilus vero agnoscit & notionale. Secundo Ariani Verbum creatum dicebant & factum, minime vero Theophilus, nisi ut incarnatum, juxta illud Joannis 1. *Verbum caro factum est*.

Insistes. Theophilus vocat Spiritum sanctum sapientiam Patris: Sed hoc non est clare loqui de Verbo: Et probatur. Trinitas constat ex Patre & Filio tamquam ex sapientia, adeoque vocare Spiritum sanctum sapientiam, est unam abstrahere a sanctissima Trinitate personam. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens: ad probationem, distinguo: Et Theophilus vocando Spiritum sanctum sapientiam, non confundit illam personam cum secunda. Et illam de facto confundit, nego. Sapientia sumitur tripliciter: Primo attributaliter, & sic est perfectio Dei sicut bonitas: Secundo pro Verbo divino quod procedit per intellectionem Patris, & sic est Filius Dei: Tertio pro gratia, seu flamma Patris & Filii qui sapientissime indivisibiliter uniuntur ineffabili amoris vinculo, & est Spiritus sanctus. In isto tertio sensu illam sumit Theophilus & præter ipsum Irenæus lib. v. cap. 55. Origenes lib. 6. contra Celsum. Hippolyt. Hom. de Deo uno & trino. Igitur Theophilus bene scripsit quando dixit, initio rerum Deum protulisse ex se Verbum & sapientiam, hoc est Filium, & Spiritum sanctum quibus tribuitur creatio mundi, juxta illud Psalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt & Spiritus oris ejus omnis virtus eorum*.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Irenæus & Theophilus Antiochenus clare & erudite Verbi divinitatem propugnaverunt.

PRIMO: Eam astruit Irenæus, namque generationem Verbi lib. 2. cap. 48. dicit ineffabilem. Ibidem cap. 43. Verbum Patri æternum prædicat. Rursus lib. 4. cap. 11. scribit esse Deum qui Patriarchis apparuit.

Secundo: Neque vero minus clare Theophilus eamdem agnoscit Verbi cum Patre consubstantialitatem, quippequi lib. 2. pag. 88. dicat Deum habere in suis visceribus *logon* seu sermonem, & per eum cuncta condidisse: pag. 34. Verbis expressis tres in una natura personas confitetur, sapientiam vocat Deo esse æqualem pag. 1000. Ab inanibus Diis amovet æternitatem, eamque soli tribui λόγῳ, seu Dei sermoni & Filio.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

IRENÆUS dicit quidem lib. 4. cap. 17. Filium esse Patris ministrum, lib. 2. cap. 49. Patrem Filio majorem, & Filium ignorasse diem judicii, eumdem Filium lib. 2. comparat voci humanæ lib. 3. cap. 6. solum Patrem uti Deum habet.

Respondeo ad singula. Ad primum quidem Irenæum intelligere ministrum lato modo sumptum, ut jamjam explicatum est. Ad secundum, eumdem loqui de Verbo incarnato ut homine. Ad tertium, comparationem Verbi factam ab Irenæo cum voce humana esse inadæquatam; & sensum esse, quod sicut homo voce sese explicat, sic & Deus per suum Verbum, quod credit Iræneus Patri consubstantiale; nam ibidem illud non secernit a Deo

quem dicit esse totum, *mens*. Ad quartum vult solum Patrem esse Deum, hoc est principium non de principio, sed sic loquendo non excludit a cæteris personis divinitatem, ut habetur in probationibus. Et sic patet solutio ad objectiones deromptas ex auctoritate Theophili, qui quidem non dicit Verbum secundum se spectatum, quid creatum, sed solummodo ut prolatum; hinc in ejus mente non verbum, sed ejus, cum in creatione, tum in incarnatione prolatio seu effusio fuit creata.

PUNCTUM QUINTUM.

Utrum Clemens Alexandrinus vere & clare crediderit, & docuerit divinitatem Verbi?

CONCLUSIO.

Probatur multis momentis.

PRIMO: Admonit. Ad gentes pag. 4. de Christo loquitur ut de vero Deo, ex David quidem oriundo, & tamen ante David existente. Quomodo quæso, nisi ratione divinitatis? " Qui autem, *inquit*, „ ex David ortus est, & ante ipsum „ fuit. „

Secundo: Ibidem pag. 5. edit. Parif. 1629. " Habes ergo, *ait*, promissionem, habes „ benignitatem, evade gratiæ particeps, „ & meum salutare canticum ne ita e„ xistimes esse novum, ut vas vel do„ mum; erat enim ante luciferum, & „ in principio erat Verbum, & Verbum „ erat apud Deum, & Deus erat Ver„ bum. „

Tertio: Ibidem pag. 7. de eodem Verbo differens sic intonat: " Ipse est Domi„ nus loquens in Isaia, ipse in Elia, ipse „ in ore Prophetarum. Quod si tu non cre„ dis Prophetis, fabulam autem existimas, „ & viros, & ignem, ipse tibi loquetur „ Dominus, qui cum in forma Dei esset, „ non rapinam arbitratus est omnia habere „ æqualia Deo. „

Quarto: Rursus ibidem pag. 68. de verbo quo mundus creatus est dicit: " Non enim „ tantum opus in tam parvo tempore abs„ que divina cura & providentia perficit „ Dominus, qui visus est despectus, re„ ipsa autem adoratur: qui expurgans, „ salutaris, benignusque & clemens est; „ Verbum divinum qui revera est Deus „ manifestissimus, qui est universorum Do„ mino exæquatus, quoniam erat ejus Fi„ lius. „ Observes velim Clementem in hoc toto opere refellere inanium Deorum commenta, & ex professo Verbi incarnati divinitatem astruere, ut amotis falsis numinibus, Gentes credant in eum: nihil autem probaret, si a divinitate Verbi discederet. Ergo &c.

Quinto: Nec silet Verbi divinitatem in aliis libris sanctus Clemens. Lib. 3. Pædag. ejusdem edit. pag. 238. " Ipse est, *in*„ *quit*, Abraham qui Deum quæsivit; „ *Is bonus est rursus, qui paret recta mo*„ *nenti*. Hi sunt discipuli, qui Verbo „ crediderunt: & ideo ille quidem appel„ latus est amicus, illi autem Apostoli. „ Unum & eumdem Deum ille quidem „ magna cura & studio inquirens, hi ve„ ro prædicantes. „ Ante hæc, lib. 1. cap. 10. probaverat Verbi divinitatem ex eo quod nos a peccatis purget, & per ipsum simus beati. Cap. 11. ait ipsum esse qui nos per Prophetas semitam vitæ æternæ docuit. Quis unquam & clarius, & magnificentius locutus est de divinitate Verbi? Et vero in primo loco dicit Verbum incarnatum extitisse ante David: in secundo, non esse divinitatis templum, sed Deum: in tertio, non rapinam arbitratum esse per omnia Deo æqualem, tametsi in incarnatione exinanitum: in quarto, Verbum esse manifestissimum Deum: in quinto, uti talem ab Abraham agnitum, & ab Apostolis prædicatum. Ergo &c.

Solvuntur Objectiones Socinianorum.

OBJICIUNT Sociniani. Clemens lib. strom. pag. 702. dicit Verbum habere naturam Patri propinquam his verbis: " Per„ fectissima autem & sanctissima, & ma„ xime principalis, & quæ maxime im„ perat, & est maxime regia, longe be„ neficentissima, est natura Filii, quæ est „ soli omnipotenti propinquissima. „ Sed habere naturam Patri propinquam, non est habere æqualem, sed diminutam, siquidem propinquitas sonat separabilitatem. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Clemens dicit naturam Filii esse Patris naturæ propinquissimam, quia est eadem identice cum

cum natura Patris, concedo: Secus, nego. Non dixit simpliciter propinquam, sed propinquissimam, hinc non intellexit naturam separatam a patre. Ibidem se ipsum explicat his verbis: " Numquam „ a sua excedit specula Dei Filius, ut „ qui non dividatur, non dissecetur, „ non transeat de loco ad locum, sit autem semper ubique, & contineatur nusquam, tota mens tota lux paterna... „ Dei autem esse Filium, & eum esse „ servatorem & Dominum, quem nos dicimus, aperte divinæ ostendunt Prophetiæ. „

Instabis: Idem lib. 1. Pædag. cap. 8. pag. 114. vocat Verbum humanitatis Dei sincerum adjutorem: Sed adjutor humanitatis non videtur esse Deus; id autem reipsa ostendit, his verbis de Filio Dei: " „ Qui est verus ac germanus coadjutor „ Dei in homines benevolentiæ. „ Item in libro hypotyposeon multi scatent errores: sic refert Photius in bibliotheca codice 109. his verbis: " Hypotyposes quidem disceptationem continent locorum „ aliquot veteris novique Testamenti, „ quæ etiam summatim explicat & interpretatur, etsi autem recte in quibusdam „ sentire visus est, in aliis rursus impie „ omnino fabuloseque disserit.... Immo „ ne hoc quidem, sic enim scribit: *Dicitur quidem & Filius Verbum æquivoce cum* „ *Patrio Verbo. Verum neque hoc illud Verbum est, quod caro factum est.* „

Respondeo ad primum distinguendo: Clemens vocat Verbum humanitatis adjutorium, quia illam adjuvat & gratia replet, concedo: adjutorem per dependentiam, & servitutem, nego; siquidem agnoscit illud unum patri ipsi coæternum & perfectum, ut patet ex probationibus. Ibid. pag. 113. est sui ipsius interpres S. Clemens his verbis: Nihil ergo odio ha„ bet Deus, sed neque Verbum: utrum„ que enim unum est, nempe Deus. Di„ xit enim in principio erat Verbum, & „ Verbum erat in Deo, & Deus erat „ Verbum. „

Ad secundum distinguo: & opera hypotyposeon S. Clementis decursu temporum fuerunt ab Hæreticis deflorata, concedo: secus, nego. Ita colligitur ex Photio qui ibidem sic loquitur: " Quam„ quam & alia id genus sexcenta blas„ phema voce nugatur, seu ipse, sive quis „ alius ejus personam indutus. „ Idem colligitur ex Rufino in apologia Origenis, ubi ait: " Clemens alius Presbyter „ & magister illius Ecclesiæ in omnibus „ pæne libris suis Trinitatis gloriam at„ que æternitatem, unam, eamdemque „ designat: & interdum inveniuntur ali„ qua ejus capitula in quibus Filium Dei „ creaturam dicit: non quidem credibi„ le est de tanto viro, tam in omnibus „ Catholico, tamque erudito, ut vel sibi „ contraria senserit; vel ea, quæ de Deo „ non dicam credere, sed audire quidem „ impium est, scripta reliquerit. „

Insistes: Ex Clemente, Filius Dei est patre inferior: Igitur ex ipso non est Deus. Probatur Antecedens. Solus pater, ait, est ineffabilis & incomprehensibilis, adeoque & infinitus. Sic loquitur libro 4. Stromatum pag. 537. " Atque Deus qui„ dem cum demonstrari nequeat, non „ efficit scientiam: Filius autem est & „ sapientia, & scientia, & veritas, & „ quæcumque cum his ullam habent co„ gnationem. „

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem nego quod ex Clemente solus Pater sit ineffabilis. Ad alteram probationem distinguo: Pater non cadit sub demonstrationem per se, & immediate, concedo; nam per Filium revelatur, quippe qui sit ejus expressio & verbum: non cadit sub demonstrationem ullo modo, nego. Clemens vult ostendere Deum esse incomprehensibilem hominibus, & per solum Filium revelari, juxta illud Joannis: *Unigenitus Filius qui in sinu Patris, ipse enarravit*. Eodem modo interpretatur hunc locum Tertullianus libro de anima cap. 1. his verbis: " Cui veritas comper„ ta sine Deo, cui cognitus Deus sine „ Christo, cui Christus exploratus sine Spi„ ritu sancto, cui Spiritus sanctus accom„ modatur sine fidei Sacramento? „

Instabis: Atqui Clemens Alexandr. revera existimat Verbum etiam secundum se spectatum esse Patri inferius. Ergo &c. Probatur subsumptum. Verbum in abstracto & secundum se consideratum est universorum principium: Sed & istud principium Clemens dicit factum, ut creaturam: sic enim loquitur, lib. 6. Strom. pag. 644. " Quoniam autem unum est in„ genitum, nempe Deus omnipotens, „ unum est etiam progenitum, per quod „ om-

„ omnia facta sunt, & sine ipso factum „ est nihil. Unus enim revera Deus, „ qui fecit principium universorum, significans primogenitum Filium, ut scribit Petrus præclare intelligens illud: „ in principio fecit Deus cœlum & terram. Is autem dictus est sapientia ab „ omnibus Prophetis. Is est Magister omnium quæ orta sunt, Dei consiliarius „ qui præscivit omnia. „ Audis Clementem secernere Patrem a Filio, quod ille non sit factus, e contra vero iste. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo minorem: principium universorum est factum, hoc est genitum, concedo: factum rigorose, ita ut e nihilo transierit ad esse, subdistinguo, reduplicative ut incarnatum, & prolatum, concedo: secundum se, nego. Filius, qui & sapientia patris nuncupatur, potest considerari duplici modo; nimirum secundum se, & ut incarnatus. Secundum se dicitur quandoque factus, sed improprie, pro ut factum idem est ac genitum: Sic Geneseos 12. sumitur factum his verbis de Abraham dictis: “ Tulit„ que Sara uxorem suam, & Loth filium „ fratris sui, universamque substantiam „ quam possederant, & animas quas fecerant in Aram. „ Hoc est, filios & filias quas genuerant. Concinit textus hebraicus qui dicit sapientiam genitam, nec in alio sensu septuaginta intelligunt, tametsi ponant creatam. Non enim nisi improprie intelligunt vocem *creatam*: Jam vero si sapientia reduplicative ut incarnata spectetur, non diffitemur esse factam. Si Clemens factam appellet superius unionem Verbi cum humanitate in temporum plenitudine adimpletam, in utroque loquitur sensu, maxime in posteriori, cum eam sapientiam ibidem dicat a Prophetis annuntiatam, qui dubio-procul loquuntur de Christo: nam sanctus Doctor subjungit eos habere cognitionem legis, qui credunt adventui Domini: “ Qui au„ tem, *ait*, ex eis crediderunt & Do„ mini adventui, & Scripturarum per„ spicuitati, ii versantur in cognitione „ legis: sicut etiam Philosophi per do„ ctrinam Domini perducuntur ad agni„ tionem veræ Philosophiæ. „ Eo loci perstringit Pharisæos, qui falsis adhærebant traditionibus; hinc contendit eos solos, qui in Christum credunt, veram habere legis cognitionem.

Persistes. Qui dicit Filium creatum, certe non existimavit esse Deum, sed quid revera Deo inferius: Atqui sic docet Clemens: Et probatur: Lib. 5. Strom. pag. 591. ait: “ Induxit autem eos quod di„ ctum in sapientia: transit aut pervadit „ omnia propter puritatem: quoniam non „ intellexerunt hæc dici de sapientia quæ „ fuit primo a Deo creata. „ Eo loci probat adversus Philosophos Deum esse ingenitum, mundum vero genitum. Porro primum probat præoccupando objectionem de generatione Dei, asserendo hanc tantummodo dici de sapientia [1], quam initio creavit Deus: “ Ajunt, *in„ quit*, Stoici Deum esse corpus & spi„ ritum essentiam, non sicut certe etiam „ animam . . . . sed illi quidem dicunt „ Deum universam pervadere essentiam: „ nos autem eum solum dicimus effecto„ ctorem, & verbo effectorem; induxit „ autem eos, &c. „

Respondeo negando minorem: Ad probationem distinguo: Sapientia Dei est creata ratione prolationis & effectus, concedo: ratione sui, nego. Ibi Clemens ex professo confutat Philosophos qui mundum esse a se, Deum vero factum effutiebant, ut probarent non creatum: ait mundum creatum, tum Deum esse ingenitum: Sed ab illo non separat Verbum, cum illum dicat Verbo suo mundi effectorem: Sic refert ibidem opinionem Philosophorum qui materiam ingenitam volebant, & rerum omnium principium: Ita, *inquiunt*, sed materiam ponunt Philosophi, & Stoici, & Pythagoras: quinetiam Aristoteles Peripateticus, non autem unum principium: ut igitur illos revincat, omne quod in mundo apparuit, dicit esse creatum; quia vero sapientia in creatione & incarnatione sese manifestavit, utique dicit creatam, scilicet ratione effectus, namque ibidem ait Deum Creatorem invisibilem, nimirum secundum se spectatum: quod autem sapientiam non nisi ratione prolationis dicat creatam; patet ex eo quod ibidem pag. 592. illam sapientiam vocet mundum: Rursus quando dixit: atque effectorem quidem, & Patrem hujus universi invenire est difficile, non solum mundum ostendit esse genitum, sed etiam ex seipso significat esse

esse genitum tanquam Filium: Patrem autem ejus esse vocatum, ut qui ex solo sit genitus pag. 593. pergit: " In principio e-„ nim, *inquit*, fecit Deus cœlum & ter-„ ram.

Insurges: Qui vocat Verbum Dei instrumentum, ejus consiliarium, quod non nisi ex voluntate Patris mundum condidit, magistrum, & hominum doctorem, illud non habuit uti verum Deum, cum hæc & similia apertam sonent dependentiam: Atqui Clemens sic locutus est de Verbo: Et probatur. Primo admonit. ad gentes pag. 5. de Filio ait: " Certe ip-„ se quoque Dei concinnum & aptum in-„ strumentum, & sanctum, sapientia su-„ permundana, Verbum cæleste. „ Secundo, lib. 7. Strom. pag. 702. " Hæc est „ maxima excellentia quæ omnia ordinat „ ex voluntate Patris, & optime guber-„ nat universum. „ Loquitur ibi de sapientia Patris. Ergo &c.

Respondeo distinguendo, Clemens vocat Verbum Dei instrumentum secundum quid, & improprie, concedo: proprie & in sensu rigoroso, subdistinguo, ratione humanitatis assumptæ, concedo: ratione sui, nego. Eadem distinctione solvitur ulterior instantiæ probatio. Revera quidem Filius Dei non nisi ut incarnatus dicitur a Clemente magister & doctor noster; quinimmo ipsum Christum constanter asserit esse Deum: quod & ejus miraculis probat, & Prophetis in illo adimpletis. Cæterum nonnunquam appellat Verbum consiliarium, sed improprie & quatenus est sermo Dei: proprie vero ratione humanitatis & in eo prorsus sensu Isaiæ qui vocat Christum Deum, mirabilem, consiliarium, quippe qui in hoc in mundum venerit, ut suis consiliis & monita salutis præbendo opera diaboli dissolveret.

Audiendus est Clemens qui clare admodum suam in omnibus prodit mentem. Certum est Deum creasse & hominem & mundum: utrumque tamen effectum verbo uti Deo tribuit Clemens admon. ad Gen. pag. 4. ubi ait: " Pulchrum instru-„ mentum Dominus & quidem spirans „ hominem fecit ad suam imaginem. Cer-„ te ipse quoque est Dei concinnum & „ aptum instrumentum. „ Audis instrumentum esse Dominum qui fecit hominem, non enim loquitur Clemens de Patre, nullus quippe dicitur suum instrumentum. Pag. 5. sermonem instituit de Verbo incarnato cujus divinitatem miraculis probat: " Quidnam ergo vult, *inquit*, „ instrumentum, Dei Verbum Dominus „ noster, & novum canticum? Patefacere „ oculos cæcorum, & aperire aures sur-„ dorum &c.„

Pergit pag. 6. ibidem: " Hoc est canti-„ cum novum, adventus qui nunc reful-„ sit in nobis, Verbi quod erat in prin-„ cipio, & prius fuit. Apparuit autem „ nuper, qui prius erat Salvator: appa-„ ruit qui est, in eo qui est, quoniam Ver-„ bum quod erat apud Deum, Doctor appa-„ ruit, per quod omnia sunt fabricata. „ Verbum quod cum olim vitam in crea-„ tione, ut opifex, dedisset, postquam „ tanquam magister se manifestavit, be-„ ne vivere docuit, ut æternam vitam „ postea, ut Deus, suppeditaret. „ Quid expressius pro Verbi divinitate? Clemens asserit Verbum fuisse in principio, scilicet in Deo, antequam mundum conderet: tum idem apparuisse, ut daret vitam tanquam Deus.

Rursus ibidem pag. 56. ait: " Gustate & „ videte quod Christus est Deus; fides „ introducet, experientia docebit, Scrip-„ tura instituet. „ Eundem sermonem loquitur pag. 66. & adhortatur homines spe vitæ æternæ consequendæ, ut credant Verbi incarnati divinitatem: " Crede, „ *inquit*, homo, homini & Deo; crede „ homo Deo viventi, qui passus est & „ adoratur... Credite servi mortuo; om-„ nes homines credite ei qui solus est Deus „ ex omnibus hominibus; credite & mer-„ cedem accipite salutem. „

Quod autem eum, qui ex voluntate Patris operatur, non excludat Clemens a divinitate, ipse dicit libro 7. Strom. pag. 702. Ait quidem, hæc est maxima excellentia quæ omnia ordinat ex voluntate Patris, hoc est non coacte, sed nullo modo per dependentiam: subdit enim: " Nunquam a sua excedit specula Dei Fi-„ lius, ut qui non dividatur, non disse-„ cetur, non transeat a loco ad locum, „ sit autem semper ubique, & continea-„ tur nusquam. „ Deinde vero sic concludit; " Dei autem esse Filium, & eum „ esse servatorem, & Dominum quem „ nos dicimus, saperte divinæ ostendunt „ Prophetiæ. „ Observes velim inter om-

nes Patres Clementem clarissime loqui de Verbi incarnati divinitate.

Replicabis: Qui docet Verbum esse tantummodo divinitatis typum, non credit esse entitative Deum: Atqui sic propugnat Clemens, & probatur. Admonit. ad gentes pag. 62. ait: " Solus universorum opifex Pater; cujus est ars longe optima & præstantissima, talem animatam imaginem, nos, nempe hominem fecit: Olimpius autem vester, imago imaginis, longe a veritate discrepans, est surdum opus manuum Atticarum. Est enim Dei imago ejus Verbum ... Verbi autem imago est homo. " Igitur ex Clemente non aliter Verbum est Dei imago, quam homo est ipsius Verbi imago & typus, adeoque finito modo; maxime cum solum Patrem asserat mundi artificem: quod quidem opus & Filio tribueret, si credidisset Patri consubstantialem.

Respondeo negando minorem, constat enim ex locis ab eodem Clementis opere excerptis Verbum etiam incarnatum esse Deum. Ad probationem distinguo; ex Clemente Verbum est imago Patris adæquata quæ est ejus Filius, concedo: inadæquata, nego. Homo est solum Verbi imago imperfecta; unde non est Deus, bene vero Verbum. Solutio patet ex ipso Clemente, qui alio prorsus modo & longe præstantiori, quam Olimpium dicit esse Dei imaginem, quippe qui sit & Filius: omnia verba recensere juvat: " Est enim, ait Clemens, Dei imago ejus Verbum, & Filius mentis legitimus divinum illud Verbum, lucis lux ... Verbi autem imago est homo. " Cæterum quandoque sancti Doctores vocant solum Patrem mundi artificem, eo quod maxime conveniat illi qui est principium non de principio, esse creaturarum principium, sed non ideo Clemens ab hoc opere excludit Filium, cum non semel dicat Patrem mundum creasse per eum, immo asserit Verbum vitam dare creaturis ut opificem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Clemens Alexandrinus clare propugnavit Verbi divinitatem.

PRIMO, quia Admon. ad Gentes. pag. 4. ait Verbum non esse merum Dei templum, sed verum Deum, ut habetur Joann. 1. cujus verba in probationem divinitatis Verbi laudat.

Secundo: pag. 7. pergit & dicit Verbum esse Deum a Prophetis prænuntiatum.

Tertio: Lib. 3. Pædag. pag. 238. sic loquitur: " Hi sunt discipuli qui verbo ejus crediderunt.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESOLUTIONUM.

PRIMO: Ait quidem Clemens naturam Verbi esse Deo propinquam, hoc est substantialiter Deo conjunctam, & perfectissimam secundum sanctum Doctorem ibidem.

Secundo: Esto quod Verbum sit Dei adjutor, sed non ut instrumentum dependens, verum potius ut ejus mens & intellectio substantialis: nec ipsum, nisi ratione humanitatis assumptæ, Patre inferiorem dicit.

Tertio: Neque diffitemur Clementem quandoque Verbum factum pronuntiare, sed factum apud ipsum idem sonat ac prolatum, tum in creatione, tum in incarnatione.

Quarto; Quando vocat Verbum Patris typum, nihil aliud intelligit præter imaginem vivam, & figuram substantiæ paternæ, in eodem scilicet sensu quo Hebr. 1. dicitur & prædicatur uti tale, his verbis: *Novissime diebus istis locutus est nobis Deus in Filio ... qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus ... sedet ad dexteram majestatis.*

PUNCTUM SEXTUM.

Utrum Tertullianus clare & recte senserit de divinitate Verbi?

CONCLUSIO.

Tertullianus clare Verbi divinitatem propugnavit.

PROBATUR: Ille clare agnovit divinitatem Verbi, qui illud vocat Deum habentem naturam a natura Dei Patris inseparabilem, qui illud agnovit omnipotens per quod Deus omnia condidit: Atqui Tertullianus sic prædicat Verbum in omnibus fere operibus suis. Ergo &c. Probatur minor variis ejus textibus.

Primo,

Primo, in apologetico cap. 21. sic alloquitur Gentiles : " Apud vestros quo-,, que sapientes λόγον, idest, sermonem ,, atque rationem constat artificem vide-,, ri universitatis... nos etiam sermoni ,, atque rationi, itemque virtuti, per ,, quæ omnia molitum Deum ediximus, ,, propriam substantiam spiritum inscri-,, bimus, cui & sermo insit pronuntian-,, ti, & ratio adsit disponenti, & virtus ,, præsit perficienti. Hunc ex Deo pro-,, latum didicimus, & prolatione gene-,, ratum, & idcirco Filium Dei, & ,, Deum dictum ex unitate substantiæ. ,, Nam & Deus spiritus. ,, Ibidem explicat Verbi generationem ineffabilem exemplo radii, e sole sine separatione egredientis. Ergo &c.

Secundo: Lib. contra Praxeam cap. 9. sic habet : " Hanc me regulam profes-,, sum, qua inseparatos ab alterutro Pa-,, trem & Filium & Spiritum testor, ,, tenet ubique; & ita quid quomodo di-,, catur agnosces. Ecce enim dico alium ,, esse Patrem, & alium Filium, & a-,, lium Spiritum. Male accipit idiotes ,, quisque aut perversus hoc dictum, qua-,, si diversitatem sonet, & ex diversitate ,, separationem protendat, Patris & Filii, ,, Spiritus. ,, Quibus verbis agnoscit tres personas in unitate naturæ. Ergo &c.

Tertio : Lib. contra Judæos cap. 7. ,, Christi autem, *ait*, regnum & nomen... ,, ubique adoratur... omnibus Rex... ,, omnibus Deus & Dominus. ,,

Quarto : Lib. de præscript. hæret. cap. 13. " Regula est autem fidei, ut jam ,, hinc quid defendamus, profiteamur, ,, illa scilicet qua creditur unum omnino ,, Deum esse, nec alium præter mundi ,, Conditorem, qui universa de nihilo pro-,, duxerit, per verbum suum primo om-,, nium demissum : Id Verbum Filium ,, ejus appellatum, in nomine Dei varie ,, visum a Patriarchis, in Prophetis sem-,, per auditum, postremo delatum ex spi-,, ritu Patris Dei & virtute in Virginem ,, Mariam, carnem factum in utero ejus.,,

Quinto : Lib. de carne Christi cap. 5. sic effatur de Filio Dei : " Utriusque sub-,, stantiæ census hominem & Deum ex-,, hibuit: hinc natum, inde non natum... ,, quæ proprietas conditionum divinæ & ,, humanæ, æqua utique naturæ utrius-,, que veritate dispuncta est, eadem fide ,, spiritus & carnis. ,, Ergo &c.

Sexto : In apologetico, & in libris septem adversus Marcionistas, maxime in quinque primis, Verbi incarnati divinitatem omni argumentorum genere ex professo probat. Ergo &c.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES: Tertullianus admittit separationem inter Patrem & Filium, lib. enim contra Praxeam cap. 6. ait : " Dehinc ,, assistente eam ipsa separatione cognos-,, ce. ,, Assistentem intellige Sophiam : Sed qui est separatus a Patre non est æternus, adeoque nec Deus. Igitur Tertullianus non agnovit divinitatem.

Respondeo distinguendo : Verbum ut persona est a Patre separatum, ex Tertulliano, idest, distinctum, concedo : idest, divisum, nego. Ibidem cap. 8. est sui ipsius interpres : ibi enim Valentinum, qui plures Æonas veluti tot deos a se invicem separatos insectatur, probando nullam esse inter personas divinas separationem; ex quo quidem principio recte colligitur tres unicum esse Deum, aitque:"Ser-,, mo ergo & in Patre semper, sicut dicit ,, ego in Patre. Et apud Deum semper, si-,, cut scriptum est : Et sermo erat apud ,, Deum, & nunquam separatus a Patre, ,, aut alius a Patre : quia, ego & Pater u-,, num sumus. ,, Rursus ibidem cap.9.hoc habet pro inconcusso principio, nullam esse inter personas divinas separationem: sic loquitur : " Hanc me regulam professum, ,, qua inseparatos ab alterutro Patrem & ,, Filium & Spiritum testor. ,,

Instabis : Atqui Tertullianus separationem in natura inter Patrem & Filium admittit : Et probatur : Qui dicit Filium Patre minorem, admittit in natura separationem: Atqui sic propugnat Tertullianus: Et probatur. Vocat Filium portionem divinitatis : Igitur & Patre minorem. In libro contra Praxeam cap.9.ait:"Pater enim ,, tota substantia est, Filius vere deriva-,, tio totius, & portio, sicut ipse profi-,, tetur, quia Pater major me est. ,,

Respondeo negando subsumptum, & minorem primæ probationis : ad alteram probationem distinguo : Filius est portio æqualis & derivata, quia Filius a Patre procedit, & vi generationis suæ æternæ accipit a Patre naturam divinam, omnesque

que perfectiones, concedo: Est portio inæqualis, & aritmethice sumpta, nego. Solutio patet ex verbis Tertulliani immediate antecedentibus ea quæ hic objiciuntur: " Necessitate autem, *inquit*, hoc „ dico, cum eumdem Patrem, & Fi„ lium, & Spiritum contendunt, adver„ sus œconomiam Monarchiæ adulantes, „ non tamen diversitate alium Filium a „ Patre, sed distributione; nec divisione „ alium, sed distinctione; quia non sit „ idem Pater & Filius vel modulo alius „ ab alio: Pater enim tota substantia est, „ Filius vero derivatio totius. „ Lib. contra Hermogenem cap. 7. ait: " Di„ vinitas autem gradum non habet. „ Utpote unica. Ergo Tertullianus per portionem non intelligit diminutionem: Igitur verba paululum duriora Patrum per clariora explicanda sunt.

Insistes: Tertullianus lib. contra Praxeam, cap. 14. asserit Deum Patrem invisibilem, Filium vero visibilem etiam antequam incarnaretur. Sed qui est visibilis, est creatus, Ergo &c. Probatur minor his verbis: " Consequens erit ut in„ visibilem Patrem intelligamus pro ple„ nitudine majestatis, visibilem vere Filium „ agnoscamus pro modulo derivationis. „

Respondeo distinguendo: Tertullianus dicit Filium Dei visibilem quia debebat apparere, tum in creatione, tum in incarnatione, concedo: visibilem secundum se, nego. Visibilitatem autem a Patre rejicit, quia non debebat aut mitti, aut apparere, ita ipse Tertullianus lib. contra eumdem Praxeam cap. 14. " Dici„ mus enim, *inquit*, & Filium suo no„ mine eatenus invisibilem, qua sermo „ & Spiritus Dei ex substantiæ conditio„ ne, jam nunc, & qua Deus, & ser„ mo, & Spiritus: visibilem autem fuis„ se ante carnem eo modo quo dicit nu. „ 12. ad Aaron & Mariam: & si fuerit „ Prophetes in nobis in visione cognoscar „ illi, & in somnio loquar illi, non quo„ modo Moysi.„ Et cap. 16. dicit Filium Dei visibilem factum esse in incarnatione.

Instabis: Ibidem cap. 12. dicit Patrem jussisse Filio ut mundum conderet: Sed qui accipit mandatum, est Patre divino inferior: Ergo &c. Tertullianus non bene sentit de divinitate Verbi, ut vult Rufinus in Apologia pro Origene: probatur major: Tertullianus loquens de Patre ipsum a Filio distinguit, eo quod præcipiat illi: " Alium dicam oportet & necessi„ tate sensus, eum qui jubet, & eum „ qui facit.

Respondeo distinguendo: Pater jussit Filio improprie, concedo: Verbo enim *mandare* utitur Tertullianus, ut ostendat Verbum adimplevisse Patris voluntatem in fabrica mundi, idest, Deum fecisse omnia quæcumque voluit per Verbum. Jussit proprie & per dependentiam in Verbo, nego. Namque Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 18. expresse dicit *Sophiam*, non fuisse in fabrica mundi Patri subditam. Quid plura? Ille doctor est sui ipsius interpres ibidem lib. contra Praxeam. Cap. 12. En sunt Verba immediate antecedentia: " Æternum ubique te„ neo, unam substantiam in tribus cohæ„ rentibus. Tamen alium dicam &c. „

Ad Rufin. dico eum sic loqui propter libellum quemdam qui juxta opera Tertulliani reperitur, & cujus auctor non est Tertullianus. Immo multi asserunt libellum ex parte Catholicum esse. Igitur errore facti deceptus est Rufinus.

Rursus instabis: Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 3. dicit Verbum factum, his verbis: " Ex quo esse cœpe„ runt in quæ potestas Domini ageret ex „ illo, per accessionem potestatis, & fa„ ctus & dictus est Dominus. „ Sed ille qui fit Dominus per potestatis accessum, non est Deus. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Tertullianus dicit Verbum factum, idest, prolatum ad extra, concedo: idest creatum tamquam aliquid quod antea non erat, nego. Ibi Tertullianus confutat Hermogenem qui dicebat materiam Deo coæternam, eo innixus fundamento, quia Deus ab æterno erat Dominus: Dominus autem, inquiebat Hermogenes, nequit esse sine dominio, nullum autem habet, nisi aliqua sit creatura cui dominetur; ex quo principio, falso concludebat materiam esse æternam, cui Deus tamquam Dominus ab æterno dominabatur, quod quidem impugnat valide Tertullianus. Eo loci duplicem in Deo distinguit proprietatem, alteram quoad se, ut esse Patrem & sapientem, alteram vero quoad nos, ut esse creatorem & Dominum. Primam dicit Deo ab æterno convenire, secundam vero solum

in.

in tempore, & ideo nedum solum Filium factum dicit in tempore Dominum, sed & ipsum Patrem. Sic enim ibidem loquitur: " Deus substantiæ ipsius nomen, ,, id est divinitatis; Dominus vero non ,, substantiæ, sed potestatis: substantiam ,, semper fuisse cum suo nomine, quod ,, est Deus, postea Dominus, accedentis ,, scilicet rei mentio, nam ex quo esse ,, cœperunt &c.

Adhuc instabis: Tertullianus ibidem dicit Deum esse solum Patrem Filii sui in tempore, & ipsum Filium non fuisse semper; sic loquitur ibid. " Quia & Pa- ,, ter Deus est, & judex Deus est; non ,, tamen ideo Pater & judex semper, ,, quia Deus semper. Nam nec Pater ,, potuit esse ante Filium, nec judex an- ,, te delictum: fuit autem tempus, cum ,, & delictum, & Filius non fuit, quod ,, judicem & qui Patrem Dominum fa- ,, ceret. Sic & Dominus non ante ea, ,, quorum Dominus existeret, sed Domi- ,, nus tantum futurus quandoque, sicut ,, Pater per Filium, sicut judex per de- ,, lictum. ,, In quo testimonio multa observanda sunt: Primoquidem quod Tertullianus dicat Deum non eo modo esse Patrem, sicut est Deus semper; quibus terminis excludit generationem æternam. Secundo, ait fuisse tempus cum & delictum & Filius non erant. His sermonibus eadem mensura metitur durationem Filii, qua & delictum, quod contigit ,, tantum in tempore. Tertio, etiam comparat filiationem Verbi cum dominatione, quæ certe, omnibus testantibus, solum apparuit tempore, maxime ex Tertulliano: qui ibi ex professo debellat Hermogenem ipsius evertendo fundamentum, & probando Deum solummodo in tempore fuisse Dominum. Ergo &c.

Respondeo negando consequentiam, scilicet Tertullianum male de divinitate Verbi male sensisse; unde ad primum distinguo: Deus fuit Pater in tempore respectu creaturarum, juxta illud Moysis Deut. 32. ad Israel, *Numquid non ipse est Pater tuus qui possedit te, & fecit & creavit &c.* concedo: ad intra, & respectu Verbi, subdistinguo, fuit solum Pater in tempore quoad nos, & manifestative, quia in tempore solum apparuit Filius, tum in creatione, tum in incarnatione, concedo: quoad se, nego. Immo verba Tertulliani magis intelliguntur de Deo, quam de Verbo, quia ibi probat ex scopo suo Deum non esse nisi in tempore dominum.

Respondeo secundo distinguendo: Deus non est Dominus ab æterno quoad exercitium, quia requiruntur subditi, concedo: quoad potestatem, nego. Sic quoad exercitium & quoad nos fuit Pater tantum in tempore, scilicet quando produxit creaturas, & Verbum incarnatum est: Tunc igitur Deus fuit, seu apparuit Pater, cum per Filium & mundum creavit, & lapsum reparavit. Unde ad aliud distinguo: Tertullianus eodem modo loquitur de duratione Filii & delicti extrinseca, concedo: De duratione intrinseca, nego. Comparatio igitur ab auctore facta de judice & delicto non est aritmethice sumenda, maxime ex eo quod Tertullianus ingenii subtilitate abreptus adversarium insectetur propositionibus generalibus, quæ cum exhibeant principia omnibus nota, etiam magis urgent heterodoxum: loquitur igitur more Jurisconsultorum, qui Filium numquam agnoscunt natum, licet præexistat in utero materno, donec in mundo appareat, hinc solum de procreatione Verbi extrinseca agit maxime, quia probandum habebat contra Hermogenem nihil sensibile & materiale esse Deo coæternum.

Ad tertium similiter distinguo: Tertullianus comparat durationem Verbi extrinsecam cum dominatione, concedo: durationem intrinsecam, nego: nam ibidem loquens de Verbo Dei, per quod omnia creata sunt, ipsum agnoscit Deum his verbis: " In principio fecit Deus ,, cœlum & terram . . . dixit Deus, ,, & fecit Deus, & vidit Deus, & nusquam adhuc Dominus. " Quinam autem sit ille Deus, per quem facta sunt omnia? est Verbum, ut ex probationibus liquet, quæ genuinam Tertulliani referunt mentem.

Persistes: Si Verbum non est in tempore factum, nihil concludit Tertullianus contra Hermogenem: enimvero contra ipsum infert ideo materiam factam, quia ipse Dei Filius factus est in tempore. Ergo &c.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem distinguo: infert materiam factam, quia Filius factus est visibilis in crea-

creatione & incarnatione, concedo : quia factus est in se ipso, nego : ita se explicat Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 8. his verbis : " Sermo ergo & in Pa-,, tre semper, sicut dicit, ego in Patre ,, & apud Deum semper, sicut scriptum ,, est, & sermo erat apud Deum, & ,, numquam separatus a Patre, aut alius ,, a Patre; quia, ego & Pater unum su-,, mus. ,, Quod adhuc explicat in ipso libro contra Hermogenem cap. 7. his verbis, *divinitas autem gradum non habet, utpote unica*.

Instabis : ibidem lib. contra Hermogenem cap. 18. Tertullianus dicit Sophiam etiam ad intra habere initium : Igitur eam credidit factam, non solum cum Deus condidit mundum, sed & ad intra. Probatur Antecedens : " Agnoscat ,, ergo Hermogenes, *inquit*, idcirco etiam ,, Sophiam Dei natam & conditam præ-,, dicari, ne quid innatum & incondi-,, tum præter solum Deum crederemus. ,, Si enim intra Dominum, quod ex ip-,, so & in ipso fuit, sine initio non ,, fuit (*Sophia scilicet*) *&c.*,, Quibus verbis Sophiam dicit initium habere tum intra, tum extra Deum.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem distinguo : Sophia habet initium originis intra Deum, concedo : initium creationis, subdistinguo: quoad operationem ad extra, & ratione effectuum ab ipsa productorum, concedo ; ad intra, nego. Argumentatur ex abundatia Tertullianus contra Hermogenem, qui materiam nolebat creatam ; ipse Filius Dei initium originis habet ad intra, ajebat ; à fortiori & materia debet habere, etiamsi ab æterno exiteret, quia nihil est innatum præter Deum Patrem : Jam vero ipsum Verbum, ut prolatum ad extra fit quodammodo in tempore, idest, fit visibile, se in suis creaturis expressit. Igitur, concludit auctor, materia non est æterna.

Cæterum Tertullianus non dicit Verbum fieri ad intra, sed Sophiam, quæ est intra Deum, genitam apparere in creatione mundi : ipse est sui ipsius interpres his verbis immediate subsequentibus ea quæ in objectione posita sunt : " Si enim, ,, *inquit*, intra Dominum quod ex ipso & ,, in ipso fuit, sine initio non fuit : So-,, phia scilicet ipsius exinde nata & con-,, dita, ex quo in sensu Dei ad opera ,, mundi disponenda cœpit agitari : mul-,, to magis non capit sine initio quic-,, quam fuisse, quod extra Dominum fue-,, rit. ,, Ibidem revincit Hermogenem, concludendo quod materia foret primogenito Filio Dei quid antiquius, & fortius, quippe quæ nullum haberet auctorem, nullumve principium, cum tamen Filius habeat Patrem, & principium originis, de quo hæc mirabilia subdit ibidem, quæque omnem prorsus tollunt ambiguitatem. Sic igitur loquitur Tertullianus : " Eructavit enim sermonem optimum, ,, non scio an a bono malum possit ad-,, duci, validius ab infirmo, ut innatum ,, a nato. Ita & hoc nomine materiam ,, Deo præponit Hermogenes, præpo-,, nendo eam Filio. Filius enim sermo, ,, & Deus sermo : &, ego & Pater u-num sumus. ,,

Eamdem æquivocationem de medio tollit Tertullianus : eodem libro contra Hermogenem initio capitis 18. his verbis : " Necessaria est Deo materia ad o-,, pera mundi, ut Hermogenes existima-,, vit, habuit materiam longe digniorem, ,, & idonejorem, non apud Philosophos ,, æstimandam, sed apud Prophetas in-,, telligendam, *Sophiam* suam scilicet ; ,, hæc denique sola cognovit sensum Do-,, mini ; quis enim scit quæ sunt Dei, ,, & quæ in ipso, nisi Spiritus qui in ip-,, so ? Sophia autem Spiritus; hæc illi ,, consiliarius fuit, via intelligentiæ & ,, scientiæ ipsa est. . , Cum pareret cœ-,, lum, inquit, aderam illi . . . . Quis ,, non hanc potius omnium fontem & ,, originem commendet ? materiam vero ,, materiarum, non subditam, non statu ,, diversam . . . sed insitam & propriam, ,, & compositam, & decoram, quasi ,, Deus potuit eguisse, sui magis quam ,, alieni agens. Denique ut necessariam ,, sentit ad opera mundi, statim ea con-,, dit, & generat in semetipso. ,,

Eo loci agnoscit Tertullianus *Sophiam* materiam nobilissimam, idest solidissimum ens, & hoc secundum mentem prophetarum, qui unanimiter illam Deum verum agnoscunt : illam vocat Spiritum Dei & sapientiam non subditam, non statu diversam : Igitur consubstantialem, unde subdit : de Deo relative ad Sophiam sibi consubstantialem, *sui magis quam alieni*

ni egens. Tum dicit Tertullianus Deum illam condidisse & generasse in semetipso Sophiam, quando mundum condidit, id est, generationem Verbi sibi intrinsecam produxisse ad extra. Quod autem non sit alius Tertulliani sensus, patet ex eo quod alibi multoties eamdem Sophiam dicat æternam & a Deo inseparabilem.

Diluitur aliud argumentum contra æternitatem Verbi.

OBJICIES: qui aperte impugnat Verbi æternitatem, ejus quoque impugnat consubstantialitatem: enimvero si Verbum non est æternum, nec utique ejusdem substantiæ cum Patre dicendum est; quando quidem substantia Dei est æterna; Atqui Tertullianus impugnat Verbi Divini æternitatem: Et probatur: Verbum ab initio mundi dicit esse creatum: sic loquitur lib. contra Praxeam cap. 6. " Itaque *Sophiam* ,, quoque exaudi, ut secundam personam ,, conditam. ,, Quibus verbis Tertullianus denotat se credere Verbum nedum penes effectus creatos, cujus fuit conditor, factum, sed & secundum se: quod profecto a fide Catholica alienum est.

Respondeo distinguendo minorem: Tertullianus impugnat Verbi æternitatem relative ad prolationem ad extra, concedo: ad intra & in se, nego. Ibi Tertullianus impugnat errorem Praxeæ, qui unicam admittebat in Deo personam, existimans secundam esse quid vagum & inane, eo quod sit Patris ratio & cogitatio, conceptum enim a concipiente distinguere abnuebat, ut igitur Tertullianus ei ostendat Verbum non esse nihil, duobus utitur mediis: Primo quidem duas in Verbo distinguit generationes, alteram ad intra, qua dicitur ratio Patris, Verbum & Spiritus, eamque æternam dicit, quatenus sub isto respectu Deum unum cum Patre profitetur: alteram ad extra, cum scilicet filius mundum condidit, Patriarchis apparuit, & incarnatus est. Porro quasdam veluti adventitias & secundarias proprietates in posteriori generatione tribuit Verbo Tertullianus, ut esse sermonem, esse Filium, & Dominum, quæ quidem omnia in tempore solum habuit, sed cum addito, hoc est, sermo ad extra prolatus censetur, Filius revelatus & incarnatus, Dominus suam exercens potestatem apparuit in tempore, & sic ostendit Tertullianus Praxeæ Verbum non esse vocem inanem; quod ulteriori confirmat argumento, quia, inquit, cuncta visibilia & invisibilia per Sophiam facta sunt; Ab æterno creaturæ erant in ideis, & in ratione seu Verbo cogitatæ. Deinde cum Deus voluit, per Sophiam eas protulit; Sophiam utique & quodammodo generavit, idest, manifestavit. Et tunc Deus, nedum ut Deus, juxta Tertullianum, sed ut Pater apparuit. In eodem igitur prorsus sensu loquitur ille doctor ac S. Joannes, qui dicit Verbum semper fuisse apud Deum, omnia ante mundum conditum in Verbo vitam habuisse; sic enim ibidem scribit Tertullianus; " Protulit *Deus* Sermonem ,, habentem in se individuas suas, Ratio- ,, nem & Sophiam, ut per ipsum fierent ,, universa, per quem erant cogitata atque ,, disposita, immo & facta jam, quantum ,, in Dei sensu. ,,

Instabis: prolatio externa penes effectus creatos est; Sed Tertullianus non solum dicit Verbum, prolatum, generatum & factum ratione effectus, verum etiam ratione sui & secundum se, ulla absque ad creaturas relatione; ibidem enim cap. 7. sic loquitur; " Dominus condidit me ini- ,, tium viarum. Dehinc generatus ad ef- ,, fectum. ,, Ecce duas ibi commemorat Tertullianus generationes, alteram ad intra quæ Verbum in se respicit; alteram ad extra, & per ordinem ad effectus illam considerat; Sed in utraque Verbum dicit factum; in prima quidem introducit *Sophiam* sic loquentem; " Dominus condidit me initio viarum. ,, hoc est, dum mundum condere voluit & incepit. In secunda vero utique, nam de sermone Dei hæc scribit; " Dehinc generatus ad effe- ,, ctum. ,, Igitur Tertullianus Verbo divino etiam ad intra spectato aufert æternitatem.

Respondeo distinguendo, Tertullianus etiam aufert Verbo æternitatem in abstracto, secundum se & in sinu Patris spectato, nego: relative ad creaturarum productionem, subdistinguo, quatenus Verbum sermo est, & loquitur, *fiat lux*, *fiant luminaria*, seu, ut est actio ad extra transiens, concedo: ut Spiritus & virtus vocis Patris est, seu, ut ratio & actio formaliter immanens, nego. Scriptum est Deum cuncta creasse Verbo, juxta illud Psal. 32.

Ipso

Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Rursus Psal. 155. *Qui fecit cœlos in intellectu*. Verbum potest considerari secundum se: deinde vero ut loquens, & intellectio quæ ad extra se prodit. Priori modo consideratum est terminus intellectionis notionalis Patris, & vocatur Verbum, ratio, conceptus, Spiritus & virtus Patris; posteriori sub respectu spectatum dicitur sermo, seu loquela Patris ad extra; quæque etiam duplici consideratur modo, nempe active, & passive: active quatenus est actio transiens: passive quatenus est in termino. Utroque illo modo, esto generetur in tempore secundum Tertullianum, videlicet ut actio transiens, quatenus est initio viarum, & locutus est ad extra Deus in tempore, & quidem initio, & hoc antequam quicquam faceret; prius enim est Deum loqui per Sophiam, quam res produci; unde facta hac sermonis generatione per filium, tum ipse generatus est ad effectum, hoc est, post quam Verbum locutum est, factus est mundus vi & virtute tantæ vocis, juxta illud Psalmi 32. *Ipse dixit & facta sunt*. Hæc omnia distinguit Tertullianus in Verbo, & sic revincit Praxeam, ostendendo Verbum non esse vocem inanem, sed a Deo realiter procedere, cum actio sit realis et ratione sui, et ratione termini, scilicet creaturæ conditæ: Nusquam vero scripsit aut dixit Tertullianus Verbum secundum se ad intra factum et in tempore productum; maxime cum dicat fuisse semper cum Deo et unum cum illo; cum ex professo probet in isto libro Verbi incarnati divinitatem ex Prophetiis, tum et in libris quos adversus Marcionem conscripsit, magnifice vero in Apologetico.

Sed ut redeat, unde sumpsit exordium oratio, audiendus est Tertullianus de his quæ scripsit contra Praxeam: Sic enim cap. 7. sese explicat de Filio Dei: "Dehinc generatus ad effectum; cum pareret cœlum, aderam illi simul. Exinde eum parem sibi faciens, de quo procedendo Filius factus est, primogenitus, ut ante omnia genitus; et unigenitus, ut solus ex Deo genitus; proprie de vulva cordis ipsius, secundum quod et Pater ipse testatur, eructavit cor meum sermonem optimum. Ad quem deinceps gaudens proinde gaudentem in persona illius: Filius meus es tu, ego hodie genui te, et, ante Luciferum genui te; Sic et Filius ex sua persona profitetur Patrem in nomine Sophiæ; Dominus condidit me initium viarum in opera sua. Ante omnes autem colles generavit me. Nam si hic quidem Sophia videtur dicere conditam se a Domino in opera, et vias ejus: alibi autem per sermonem ostenditur omnia facta esse, et sine illo nihil factum: sicut & rursum, sermone ejus cœli confirmati sunt, & spiritu ejus omnes vires eorum; utique eo spiritu qui sermoni inerrat: apparet unam eamdemque vim esse nunc in nomine Sophiæ, nunc in appellatione sermonis, quæ initium accepit viarum in Dei opera; & quæ cœlum confirmavit."

Observes, benevole Lector, 1. Tertullianum dicere Sophiam conditam solum in opera, hoc est prolatam & manifestatam: Secundo *videri* conditam, nec simpliciter velle eam conditam: Igitur condita in tempore fuit juxta illum & ratione actionis virtualiter transeuntis, cum Verbum initio viarum dixit, & facta sunt; & ratione termini seu creaturæ quæ facta est. Tertio Sophiam esse Deo parem. Quarto inesse spiritum & vim in Sophia: Porro spiritus, ex Tertulliano, est Deus. Quinto nec tacet generationem æternam, cum de Filio loquens laudet illud Scripturæ Psal. 106. *Ante Luciferum genui te*. Quod Patres & ipse Tertullianus intelligunt de æterna generatione Filii.

Neque vero ullus est ambigendi locus de mente Tertulliani circa istud momentum, quippe qui dicat Sophiam, seu sermonem Dei esse unum cum Patre, Filium esse ab eo quidem distinctum, sed nunquam separatum. Sic scribit ibidem cap. 8. "Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit, Ego in Patre. Et apud Deum semper, sicut scriptum est: Et sermo erat apud Deum; & nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre: quia, Ego & Pater unum sumus: hæc erit probola veritatis, custos unitatis, qua prolatum dicimus Filium a Patre, sed non separatum. Protulit enim Deus sermonem, quemadmodum etiam Paracletus docet: sicut radix fruticem, & fons fluvium, & sol radium: nam istæ species probolæ sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitaverim Filium dicere, & radicis

„ fru-

„ fruticem, & fontis fluvium, & solis „ radium: quia omnis origo parens est; „ & omne quod ex origine profertur, „ progenies est: multo magis sermo Dei, „ qui etiam proprie nomen Filii accepit: „ nec frutex tamen a radice, nec fluvius „ a fonte, nec radius a sole discernitur... „ nam & radix & frutex duæ res sunt, „ sed conjunctæ.... Hanc me regulam „ professum, qua inseparatos ab alteru- „ tro Patrem & Filium, & Spiritum te- „ stor. „

Urgebis: Qui dicit sermonem primo productum, & eo tempore quo cuncta Deus creavit, initio nimirum viarum, hoc est factorum: qui nedum sermonem, sed & Filium, qui est terminus primarius intellectionis Patris æterni, conditum asserit, certe tenet Verbum fuisse etiam secundum se, & ad intra productum: Atqui utrumque asserit Tertull. his verbis ibid. cap. 5. “ Loquaris illud in animo necesse est: & dum loqueris, conlocutorem pateris sermonem, in quo inest „ hæc ipsa ratio, qua cum eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitas. Ita „ secundus quodammodo in te est sermo, „ per quem loqueris cogitando, & per „ quem cogitas loquendo. Ipse sermo „ alius est. Quanto ergo plenius hoc agi- „ tur in Deo, cujus tu quoque imago & „ similitudo censeris, quod habeat in se „ etiam tacendo rationem, & in ratio- „ ne sermonem? Possum itaque non te- „ mere præstruxisse, & tunc Deum ante „ universitatis constitutionem solum non „ fuisse, habentem in semetipso proinde „ rationem & in ratione sermonem, „ quem secundum a se faceret agitando „ intra se. Hæc vis & hæc divini sen- „ sus dispositio, apud Scripturas etiam in „ Sophiæ nomine ostenditur. Quid enim „ sapientius ratione Dei, sive sermone? „ Itaque Sophiam quoque exaudi, ut se- „ cundam personam conditam. Primo, „ Dominus creavit me initium viarum „ in opera sua. „

Multa hic observanda veniunt. Primo quidem dicit Tertullianus, hominem loquentem: Secundo, ex locutione resultare sermonem, quem vocat conlocutorem: Tertio, hominem cogitando loqui, & loquendo cogitare, adeoque sermonem alium esse ab eo qui cogitat: Quarto, hoc ipsum plenius & in Deo reperiri, qui etiam tacendo rationem habet, seu rationalis est, & in ratione sermonem: Quinto, Deum ante mundi constitutionem universi solum non fuisse, sed habuisse in semetipso rationem, & in ratione sermonem: Sexto, hunc sermonem ad intra fecisse, se agitando: Septimo, hanc vim seu dispositionem apud Scripturas nomine Sophiæ celebrari: Octavo denique primario hunc sermonem sic dispositum fecisse ut personam conditam; habetur enim: Dominus creavit me initium viarum: Igitur ex Tertulliano Sophia ante mundi constitutionem erat solum disposita intra Deum, & ut fœtus solummodo intra spiritus & cordis vulvam, ut loquitur, inchoatus; formatus vero & ad perfectionem perductus etiam ut persona est, & secundum se, cum mundum condidit Deus; tunc enim Sophiam ut secundam personam creavit initium viarum suarum. Igitur Tertullianus negat & aufert æternitatem Verbi etiam secundum se spectati.

Respondeo distinguendo: Ex Tertulliano *Sophia* ante mundi constitutionem erat solum disposita, & veluti fœtus in vulva adhuc informis quoad nostrum concipiendi modum, concedo: quoad se ita ut fuerit condita postea, quando Universus conditus est, & hoc ut quid primum & initium viarum Dei, subdistinguo, relative ad nos, concedo: simpliciter & absolute, nego. Tertullianus insectatur semper adversarium qui Verbum tanquam vocem inanem habebat, & ei ostendit Deum esse rationalem, & in ratione habere sermonem, quem conlocutorem vocat. Sicut igitur ab æterno, non diffitente Tertulliano, Deus est rationalis, ita & ab æterno ex tali principio conlocutorem habet verum, ut quasi sensibiliter Praxeæ demonstret Verbum non esse vocem inanem. Duo igitur dicit, & Verbum in tempore realiter fuisse locutum, quod quidem vocat generationem temporalem Verbi, etiam ut persona est, quatenus loquitur ad extra ut persona, *fiat lux*; & ex locutione mundum factum fuisse; quod idem auctor generationem ad effectum nuncupat. Prima ex illis prolationibus ad extra ab eo vocatur creatio et initium viarum Domini, sed relative, et non absolute: relative quidem, et hoc multipliciter. Primo respectu creationis mundi, prius quippe est Verbum ad extra loqui, quam creaturas produci: Secundo compa-

rative

rative ad incarnationem quæ est temporalis generatio manifesta Verbi, namque etiam prius Verbum se manifestavit et in creationis opere, et loquendo tum Patriarchis, tum Prophetis, quibus, teste Irenæo, se manifestavit, ut suam præluderet incarnationem, antequam de facto incarnaretur: ex his omnibus prolationibus externis Tertullianus, ne dimittat adversarium, qui generationem ad intra tanquam vocem mere inanem habebat, ostendit Verbum neque esse quid fictitium et inane, sed veram personam a prima realiter distinctam; ast nusquam Verbum secundum se et relative ad Patrem dixit factum, cum unnm esse cum illo in unitate et naturæ et divinitatis ubique asserat atque conclamet. Sicut igitur ex Tertulliano Deus est ab æterno tametsi sit solum in tempore Dominus, ita et Filius Dei et Verbum ab æterno est, licet in tempore solum sit Verbum prolatum.

Nihil igitur virium habet argumentum, quo dicitur adversus Tertullianum, illum Doctorem dicere *Sophiam* esse solum in corde Patris veluti in vulva dispositam, Filium non esse Filium, nisi in tempore; hæc enim et similia argumenta distinguo; ex Tertulliano *Sophia* est solum ad intra disposita, et Filius in tempore quoad nos et secundum regulam Summistarum, qui quandiu Filius est in utero absconditus, licet perfectus homo, non tamen illum dicunt hominem, concedo; Theologice, ita ut Verbum senserit quid inane, nego. Loquitur solum in primo sensu Tertullianus, et eo quidem scopo ut perstringat Praxeam, qui sermonem Dei ad intra vocem inanem esse putabat: Hoc falsum est, inquit, Tertullianus, tametsi enim in utero mentali Patris absconditus ab æterno foret, non tamen nihil erat, cujus rei argumentum est, quod realiter in tempore locutus sit, & produxerit mundum. Igitur non vox inanis.

Instes: Qui tribuit solum in tempore existentiam Verbo, ut persona est, profecto ab illo amovet æternitatem, & consequenter divinitatem: Atqui Tertullianus existentiam tribuit verbo tantummodo in *tempore*: Et probatur: Tribuit illi speciem, ornatum, & perfectam nativitatem solum in tempore. Sic loquitur ibidem cap. 7. " Tunc igitur etiam ipse „ sermo speciem & ornatum suum sumit, „ sonum & vocem, cum dicit Deus, „ fiat lux; hæc est Nativitas perfecta „ sermonis, dum ex Deo procedit: „ conditus ab eo primum ad cogitatum „ in nomine *Sophiæ*: Dominus condidit „ me initium viarum. „ Ergo &c.

Respondeo negando minorem: Ad probationem distinguo: ex Tertulliano sermo Dei, quatenus est actio virtualiter transiens ad extra, perfectam nativitatem habuit, concedo: namque antea non erat ut talis, scilicet ut actio transiens ad extra, cum ante Deus nondum locutus fuerat: Sermo Dei interior non erat ad intra, nego. Loquitur Tertullianus tantum de sermone in prima acceptione, quod enim loquatur de sermone, ut est actio virtualiter transiens, patet ex his quæ subjungit, Verbum scilicet habuisse ornatum, speciem, sonum, vocem, cum dixit: *fiat lux*. Namque actio transiens solum est talis, cum agens immutat creaturam. Igitur solum cognoscitur ab hominibus esse, quando ad extra loquitur, cum sonum & vocem emittit; species vero ejus & ornamentum est ipsius creaturæ factio, eo propemodo, quo Filius est ornamentum & species Patris, quatenus Pater constituitur in esse Patris per Filium, qui refertur ad Patrem & illum notificat. Igitur Verbum non habuit prolationem adæquatam, hoc est, etiam extrinsece, nisi quando locutum est ad mundum condendum; ut Praxeas intelligeret non esse ens inane: hoc unum prætendit Tertullianus. Quod patet ex ejus contextu.

Sic loquitur ibidem cap. 7. Praxeæ objectionem referendo: " Ergo, inquis, „ das aliquam substantiam esse sermonem, „ Spiritu & Sophiæ traditione constructam? Plane. Non vis enim eum substantivum habere in re per substantiæ „ proprietatem, ut res & persona quædam „ videri possit, & ita capiat secundus a „ Deo constitutus duos efficere, Patrem & „ Filium, Deum & sermonem; quid est „ enim, dices, sermo, nisi vox et sonus „ oris, et sicut Grammatici tradunt, „ aer offensus, intelligibilis auditu; cœterum vacuum nescio quid, et inane, et „ incorporale? At ego nihil dico de Deo „ inane et vacuum prodire potuisse, ut „ non de inani, et vacuo prolatum; nec „ carere substantia, quod de tanta substantia processit, et tantas substantias fecit;

„ cit : Fecit enim & ipse quæ facta sunt „ per illam. Quale est ut nihil sit ipse, „ sine quo nihil factum est? ut inanis solida, & vacuus plena, & incorporalis „ corporalia sit operatus? Nam etsi potest aliquando quid fieri diversum ejus „ per quod fit, nihil tamen potest fieri „ per id quod vacuum & inane est. „ Quæ conclusio omnium textuum qui objiciuntur contra fidem Tertulliani de verbi consubstantialitate, hoc unum colligit ex dictis suis, tum in quinto, sexto, & septimo capite, Verbum non esse accidens, sed substantiam, non vocem inanem, sed ens plenum & substantiale, quod probat duobus istis argumentis: Primo ex eo quod a magna & infinita substantia, scilicet Deo, procedat: Secundo, quia per ipsam Sophiam facta sunt omnia entia Universi qui est substantiis refertus, immo tot entia, tot substantiæ : vacuum autem & inane non potest facere substantiam, ens solidum & plenum.

Quod autem Tertullianus ibi non inficietur Verbi æternitatem ex eo patet, quia ex professo ibi probat ejus divinitatem, ibidem enim post verba modo laudata, subdit argumentando ad hominem: " Vacua „ & inanis res est sermo Dei, qui Filius „ dictus est, qui ipse Deus cognominatus „ est : & sermo erat apud Deum, & „ Deus erat sermo. Scriptum est: non „ sumes nomen Dei in vanum. Hic certe est, qui in effigie Dei constitutus, „ non rapinam existimavit esse se æqualem Deo. „ Ibidem vocat quidem Deum corporalem, sed ut suo loco dictum est, sumit vocem *corporale*, ut dicit ens solidum, vacuo & inani oppositum: ne enim Praxeas Filium Dei inanem vocem appellare non cessaret, maluit appellare corporalem, hoc est, ens substantivum, ut ipse dicit: & hoc quia Praxeas omne ens mentale ad intra procedens, vacuum appellabat, & cuncta solis exceptis corporalibus vocaret inania : unde subdit Tertullianus: " Quis enim negabit Deum corpus esse, „ etsi Deus Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. „ Si Spiritus, certe non corporalis corporeitate extensa in longum, latum, & profundum, sed quæ est substantia solida & per se, & a se subsistens. Igitur non licet hæreseos labem Tertulliano inurere; maxime in duobus istis momentis, videlicet circa Verbi divini æternitatem atque cum Patre substantialitatem, & circa ejusdem summam spiritualitatem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Tertullianus recte & clare Verbi propugnavit divinitatem.

PRIMO: Apolog. 21. ait de Filio Dei : " Hunc ex Deo prolatum didicimus, & „ prolatione generatum, & idcirco Filium „ Dei, & Deum dictum ex unitate substan„ tiæ.

Secundo: Lib. contra Praxeam cap. 9. tres clare distinguit & nominat personas, & eodem modo Filium Deum nominat ac Patrem; immo increpat idiotam qui eas separat in substantia personas.

Tertio: Lib. de præscript. cap. 3. Filium dicit esse qui Patriarchis & Prophetis apparuit.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Dicit quidem Tertullianus lib. contra Praxeam Sapientiam a Deo separatam esse: Secundo ibidem cap. 14. Deum esse invisibilem, minime vero Filium. Tertio ibidem cap. 12. Patrem mandatum imposuisse Verbo, ut mundum conderet. Quarto, lib. contra Hermogenem cap. 3. Verbum dicit factum, & fuisse tempus in quo Filius non fuit, sicut judex non fuit ante delictum: immo nisi Tertullianus intelligat Verbum esse factum, nihil videtur concludere adversus Hermogenem qui ponebat materiam Deo coæternam, cujus contrarium intendit probare, sic argumentando : nequidem Verbum est est æternum : a fortiori nec materia.

Respondeo ad primum, Tertullianum vocabulo, *separatam*, intelligere solum distinctam sapientiam, quam ut quid inane Verbum habebat Praxeas : hinc voce, *separatam* ; utitur, ut Praxeas intelligat esse realiter distinctam a Patre personam.

Ad secundum, distinguo : Deus Pater erat invisibilis, quia incarnari non debebat, concedo : Deus Filius, nego. Tertullianus loquitur in eodem sensu ac Patres jam-

jamjam superioribus articulis laudati.

Ad tertium, dico Tertullianum loqui de mandato late sumpto, quum ait Deum jussisse Verbo, ut mundum conderet; & eodem semper scopo, scilicet ut per vocem, *mandavit*, Praxeæ demonstraret Verbum esse vere Filium a Patre distinctum.

Ad alia esto quod Tertullianus dicat Verbum, ut prolatum, in creatione & incarnatione factum, non tamen ratione sui, sed ratione effectuum, quos solum in tempore produxit: sic vel ipsum Deum non dicit ab æterno Dominum, tametsi ab æterno omnipotentem; quia dominatio non actu exercetur nisi super creaturas, quæ solum in tempore factæ sunt. Ex iis autem recte concludit Tertullianus contra Hermogenem materiam non esse æternam: alias Deus foret ab æterno Dominus, suum in eam exercens dominium, quod quidem non admittit ille Doctor, qui proprio confodit gladio Hermogenem, sic argumentando ad hominem. Deus ab æterno non habet dominium in materiam: Igitur materia Deo non coexistit ab æterno.

PUNCTUM SEPTIMUM.

Utrum Origenes bene censuerit de divinitate Verbi.

PATRES in duas dividuntur partes circa mentem Origenis pro divinitate Verbi. Quidam Arianæ hæreseos notam illi inurunt; quidam vero eum absolvunt: cum istis sit

CONCLUSIO.

Origenes bene sensit de divinitate Verbi & clare illam propugnavit.

PROBATUR PRIMO. Ille bene sensit de divinitate Verbi & illam clare in suis libris propugnat, qui illud agnoscit Deum, ipsique omnes divinitatis proprietates tribuit: Atqui sic docuit Origenes in operibus suis quæ nunc extant, quæque apud omnes genuina & vera habentur. Ergo &c. Probatur minor quoad singulas partes.

Primo, Agnoscit Verbum Deum lib. 6. contra Celsum, dicendo rationem Dei esse ab ipso solo comprehensibilem, respondens enim Celso qui Deum ratione incomprehensibilem dicebat, ait: " Distinguo „ significatum, & dico, si intelligatur „ de ratione quæ vel inserta est nobis, „ vel e nobis se exierit, hac non esse „ Deum comprehensibilem, sin de illa „ quæ erat a principio, & quæ erat apud „ Deum, & ipsa erat Deus, aimus, hac „ Deum esse comprehensibilem. „

Secundo, lib 5. contra Celsum vocat Filium Dei æternæ lucis splendorem: rationem enim reddens cur Christiani, non Solem & Lunam adorarent, ait: " Itaque „ non decebat eos qui didicerant generose creaturam transcendere, contendebantque studiis ferventibus ad immarcescibilem illam sapientiam, aut jam perceperant eam; eam, inquam, qua æternæ lucis splendor est, obstupescere ad „ solis, lunæ, stellarumque lumen sensibile. „

Tertio, agnoscit Verbum Deum immortalem, sic enim habet lib. 4. contra eumdem: " Quod si Verbum Deus immortalis, quia corpus mortale, animamque „ assumpserit, Celso idcirco immutari videatur; discat Verbum manere Verbum „ sua substantia, nec pati eorum quidquam, „ quæ corpus aut anima patitur. „

Quarto, lib. 4. in epistolam ad Romanos confitetur totam sanctissimam Trinitatem, agnoscit Filium ut personam a Patre quidem distinctam, sed ipsi æqualem: " Fidere autem dicimus, *ait*, in Patrem „ & Filium, & Spiritum sanctum, qui „ integram substantiam, plenam, perfectam, qui nihil diversum, nihil discrepans, aut extraneum in Trinitate profitetur „ Tum lib. 5. de Christo sic habet: " Non rapinam ducit esse se æqualem Deo, hoc est, non sibi magni aliquid „ deputat, quod ipse quidem æqualis Deo, „ & unum cum Patre est. „

Quinto, Docet Filium Dei non esse factum. Lib. 6. contra Celsum, ubi sic loquitur: " Non enim eum qui factus non „ est, & naturæ omnis factæ primogenitum pro dignitate scire quis potest, sicut ille qui ipsum genuit Pater. „ Rursus tom. 2. in Joannem 3. & 4. probat incessanter Filium Dei esse Deum, & insurgit contra eos, qui ipsum talem renuunt agnoscere; ut tom. 4. pag. 189. edit. Paris. anno 1574.

Probatur secundo: Ille agnoscit Verbi divini-

vinitatem, qui impugnat negantes: atqui Origenes libro octavo in epistolam S.Pauli ad Romanos impugnat negantes Verbi divinitatem, his verbis: " Sunt enim nonnulli qui annuntiant quidem de Patre, & Filio, & Spiritu sancto non sincere, non integre, ut sunt omnes hæretici, qui Patrem quidem, & Filium & Spiritum sanctum annuntiant, sed non bene, non fideliter annuntiant. Aut enim male separant Filium a Patre, aut alterius naturæ Patrem, alterius Filium dicunt, aut male confundunt, ut ex tribus compositum Deum, vel trinæ tantummodo appellationis in eo esse vocabulum putent: qui autem bene annuntiat bona, proprietates quidem Patri, & Filio, & Spiritui sancto suas cuique dabit, nihil autem diversitatis esse confitebitur in natura, vel in substantia. " Immediate ante dixerat: " Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: hæc sunt ergo Evangelizantium bona. " Ibi loquitur eodem modo de Patre & Filio, & Spiritu sancto. Ergo &c.

Probatur tertio: Ille bene sensit de divinitate Verbi qui testimonium habet pro hoc momento Petri Alexandrini, Dionysii Alexandrini, Firmiliani, Gregorii Thaumaturgi, Pamphili Martyris, Eusebii Cæsariensis, Basilii, Gregorii Nazianzeni & Nysseni, Didymi Alexandrini, sed maxime magni Athanasii, qui sicut inter omnes Arianæ perfidiæ hostis percelebris, ita & inter omnes, dum testimonium reddit de alicujus fide pro Christi divinitate, testis est celeberrimus; ipsi autem lib. de decretis Synodi Nicænæ pag. 423. ipsius Origenis utitur auctoritate ad confundendos Arianos, sic autem ait: " Verbum porro æternaliter esse cum Patre, neque alterius essentiæ, aut substantiæ, Patrisque sui proprium Filium, ut sancitum est ab illis, qui Synodo interfuerunt, licebit denuo ex laborioso illo Origene audire ..... Si est, inquit, *refert Verba Origenis*, ulla imago invisibilis Dei, ipsa quoque imago invisibilis fuerit: immo hoc quoque ausim addere, cum sit illi similitudo Patris, fieri non posse ut fuerit, quando non fuerit. Quando enim Deus qui secundum Joannem Evangelistam lux dicitur, splendore caruit suæ majestatis? Ut quis audeat Filio principium adscribere, quasi antea non existenti. " Ibidem aliud celebre testimonium Origenis affert his verbis: " Idem Origenes alibi dicit: sed fas non est, neque periculo vacuum est ob infirmitatem nostram, quantum in nobis est spoliare Patrem unigenito suo, semper secum existente Verbo. " Ergo &c.

Non potest dici Origenem, ut quidam recentiores autumant, hæc omnia non dixisse, & Rufinum Origenis interpretem, aut perperam reddidisse latine; siquidem Athanasius noverat optime genuina Origenis opera, quippequi eodem floreret sæculo: præterea omnes ultro concedunt libros Origenis contra Celsum, ex quibus clara depromsimus testimonia, esse legitimos & nusquam assutos Origenis fœtus.

Probatur quarto Ratione. Non est probabile Origenem in omnibus fere operibus sibi ipsi fuisse contrarium, & modo ex professo propugnasse Verbi divinitatem, modo ex professo aperte eandem impugnasse: Sed hoc esset verum, si de facto male sensisset de Verbi divinitate, quandoquidem præter loca in probationibus adducti, plurima alia sunt, quibus egregie defendit Filii Dei divinitatem: Igitur, & ut nunc est communior sententia, de facto illam docuit & prædicavit.

Respondetur Objectionibus.

OBJICIUNT. Ille non agnovit divinitatem, qui negat Filium Dei esse Deum per se: Atqui sic docuit Origenes: Et probatur. Tomo 2. in Joannem sic habet: " Dicendum enim est illis, quod αὐτόθεος hoc est quidem, per se Deus, Deus ille est cum articulo, propter quod & servator in precatione ad Patrem, inquit, ut agnoscant te illum solum verum Deum quidquid vero est præter hunc, qui αὐτόθεος dicitur, hoc est, per se Deus, participatione & communione divinitatis illius deificatum, non ille Deus cum articulo, sed Deus sine articulo magis proprie dicendum esse, quo nomine omnino primogenitus omnis creaturæ, quippequi cum primus sit apud ipsum attrahens divinitatem ad seipsum, honorabilior est reliquis Diis, qui sunt præter ipsum quorum ille Deus. " Quibus verbis Origenes primo Deum Patrem solum

Deum cum articulo, id est Deum per se agnoscit. Secundo, dicit primogenitum esse solum Deum per participationem. Tertio dicit esse Deum sicut cœteri justi sunt Dii, in quantum ad se attrahit divinitatem. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et ibi Origenes vult solum distinguere Filium ut personam a Patre distinctam, concedo: & negat Filii divinitatem, nego: Ibi enim ex professo refellit eos, qui Sabelliano adhærentes errori confundebant Filium cum Patre, dicentes nomine solum esse Deum. Sic enim habet paulo ante locum in objectione citatum: " Hinc solvi potest il-„ lud quod perturbat multos profitentes se „ Dei amantes esse, ac verentes duos „ prædicare Deos, & propter hoc in fal-„ sa & impia dogmata incidentes, vel „ negantes proprietatem Filii, esse aliam „ a Patris proprietate, confitentes Deum „ esse cum nomine tantum, qui apud ip-„ sos Filius appellatur, vel negantes Filii „ divinitatem, & ponentes ipsius proprie-„ tatem & essentiam per descriptionem „ existere aliam a Patre. Dicendum enim „ est illis &c.„ Patet igitur per verba objectionis, Origenem refutare negantes Filii divinitatem, alias nihil probaret. Unde.

Ad primum distinguo: Filius non est per se Deus, id est principium sine principio, concedo: sic enim est solus Pater, propter quod dicitur Deus cum articulo: Non est absolute Deus, nego; Nam ibidem dicit Origenes de Filio: " Deus est, juxta id, „ quod dicitur ille Deus Deorum Domi-„ nus locutus est, & vocavit terram, „ dans esse Diis a Deo hauriens abundan-„ ter, unde ipsos efficiat Deos. „ Si igitur ex Origene Filius est Deus qui vocavit terram, & qui alios Deos, scilicet justos facit, profecto est verus Deus, quia teste Apostolo, solus Deus creat, solus dat gratiam & gloriam: unde ibidem Origenes ait de Filio Dei: honorabilior est reliquis Diis, id est, & diversæ naturæ, adeoqu e non creatæ.

Ad secundum distinguo: primogenitu s est Deus per participationem univocam sicut Filius dicitur participare naturam Patris, concedo: per participationem analogam, nego. Unde Origenes ibidem dicit Filium unigenitum esse Patris imaginem & exemplar, sed alio penitus modo quam cæteri Justi, quippequi sit tanquam Deus manens apud Deum. Rursus, inquit Origenes: " Multarum imaginum archetypa, imago „ est ille αὐτός qui est apud Deum in „ principio existens, quia si apud Deum „ semper manens Deus, haudquaquam „ id habiturus, nisi apud Deum esset, „ & haudquaquam Deus mansurus, ni-„ si perpetuo permansisset in contem-„ platione paternæ profunditatis. „

Ad tertium distinguo: ex Origene Filius est Deus sicut cæteri sunt Dii, secundum quid & per distributionem accomodam, concedo: Per comparationem omnimodam, nego. Vult solum Origenes omnem divinitatem esse a Patre Filii quidem ut a principio, & sine dependentia, justorum vero ut a causa & per dependentiam; unde ibidem ne aliquis credat Verbi divinitatem aut negasse, aut dissimulasse, eo quod dixerit auxilium non esse Deum cum articulo & per se, se explicat his verbis: " Sed quoniam fortasse „ verisimile est futurum, ut multi offendan-„ tur, qui dixerimus unum esse verum „ Deum, nempe Patrem, & præter „ Deum verum multos falsos Deos parti-„ cipatione Dei: verentes gloriam ejus, „ qui omnem creaturam præcellit, æquari „ reliquis obtinentibus appellationem Dei „ sine articulo, præter datam differen-„ tiam, per quam Deum λόγον diximus, „ reliquis omnibus Diis ministrum esse dei-„ tatis, etiam hæc differentia est apponen-„ da.... Ut enim Pater αὐτόθεος, hoc est, „ per se Deus & verus Deus, se habet ad „ imaginem, & ad imagines imaginis, „ quam ob causam etiam dicuntur homines „ non esse imagines, sed ad imaginem, sic „ hunc in modum se habuit ipse λόγος: hoc „ est, ipsa ratio ad eam, quæ est in singulis, „ rationem; utraque enim locum obtinet „ fontis & originis, Pater quidem divi-„ nitatis, Filius vero, λόγου, id est ratio-„ nis. „

Origenes hic perfecte suam explicat fidem: Et vero multos agnoscit Deos, sed solum participatione, deinde Filii divinitatem, quam a cæteris Diis per participationem distinguit. Primo, quia est Deus cum Patre: Secundo, quia est minister deitatis, id est, Verbum quo Deus creavit omnia: Tertio, quia non est ad imaginem, sicut

sicut alii justi, sed ipsa imago: Denique, quia cum Patre est fons & origo sapientiæ & rationis.

Instant: Origenes lib. 8. contra Celsum dicit Filium habere substantiam a Patre distinctam, his verbis: " Itaque religiose „ colimus Patrem veritatis, & verita- „ tem Filium, duos quidem substantia, „ unum vero concordia, consensu &c. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Origenes dicit Filium & Patrem duos substantia, id est subsistentia, ut vertit Heschelius, concedo: sic substantiam sumit Hippolytus contra Noetum, Dionysius Alexandrin. apud Theodoretum lib. 1. cap. 4. & alii, ut demonstrat Bullus, sicut & Petavius lib. 4. de Trinitate cap. 12. Origenes dicit duos substantia, id est, essentia, nego. Licet autem Hieronymus, epistol. 57. ad Damasum, intelligat essentiam, respondemus errore facti deceptum hoc sic intellixisse, & de facto verba Origenis genuinum exhibent sensum; postquam enim dixit: *Unum vero concordia*, *consensu*, addit, *voluntatisque identitate*. Si est identitas voluntatis, ergo & substantiæ.

Instabit: Origenes tom. 1. in Joan. sic loquitur: " Dicendum est, Deum cum a- „ nimatam sapientiam creasset, illius cu- „ ræ permisisse, ut ex figuris & specie- „ bus, quas ipse habebat, subsistentiam „ & plasmationem & formas præberet en- „ tibus & materiæ. „ Tom. 2. ibidem sic ait: " Si omnia per sermonem facta fue- „ runt, non a sermone facta fuerunt, „ sed ab eo, qui ipso sermone major est, „ quem quis alium dixerit, quam Patrem „ ipsum? „ In primo loco dicit sapientiam creatam: in secundo loco eandem dicit non fecisse omnia; ergo non credidit Origenes sapientiam Dei Deum: unde ibidem tom. 2. sic habet: " Deum igitur, „ alii quidem Deum universorum habent: „ qui vero hos proxime sequuntur, in Chri- „ stum Dei ipsius Filium defixi sunt. Ter- „ tii vero sunt qui solem, lunam, om- „ neque cœli ornamentum habentes a Deo „ aberrant. „ Censet igitur Origenes eos solum approximare ad Deum, qui Christum Dei Filium agnoscunt.

Respondeo distinguendo: Deus creavit sapientiam & ipsum sermonem, id est genuit, ut fert textus hebraicus, concedo: id est creavit, & e nihilo eduxit, sub distinguo, sermonem expressum in creaturis, concedo: sermonem qui est fons & principium sapientiæ in creaturis expressæ, nego. Quod autem hic sit Origenis sensus patet ex toto tom. 2. textu: ibi enim multos λόγους distinguit, alterum increatum, qui est fons cæterorum, alterum vero, qui participat de primo in peccatorum justificatione; sic enim habet de Dei ratione quam distinxerat: " Utraque „ enim locum obtinent fontis & origi- „ nis, Pater quidem divinitatis, Filius „ vero λόγου, id est, rationis, quemad- „ modum ergo dii multi, sed nobis unus „ Deus est, nempe ille Pater, & multi „ Domini sunt, sed nobis unus Dominus est „ Jesus Christus, sic multi etiam sunt λόγοι, „ hoc est, rationes, sed nobis illum λόγον, „ idest, rationem illam precamur inesse, „ quæ est in principio, quæ est apud Deum, „ quæ est Deus λόγος, &c. . . . „ Quibus verbis agnoscit Verbum & Dominum & Deum.

Ad secundum distinguo: sermo Dei factus passive, id est expressus est in creaturis, seu ipsæ creaturæ factæ sunt justæ per gratiam atque participationem Verbi Dei, concedo: secus, nego.

Ad tertium distinguo: & Origenes loquitur in sententia aliorum quando dicit eos tantum approximare ad Deum, qui Verbum incarnatum asserunt Deum, concedo: hoc patet ex terminis; & loquitur in propria sententia, nego. Seipsum explicat verbis sequentibus hoc modo: " At om- „ nium ultimi sunt, qui dicati sunt his, „ qui dii quidem dicuntur, haudquaquam „ vero sunt. Similiter igitur aliquid par- „ ticipant quidem ipsius λόγου, id est, ra- „ tionis, sive sermonis qui est in principio, „ qui est apud Deum, qui est Deus. „ Quid clarius? Quandoquidem ille non est Deus per participationem secundum Origenem per quem alii sunt Dii per participationem, quemque simpliciter vocat Deum ad cæterorum distinctionem, sic autem se explicat Origenes.

Instabis. Origenes lib. 5. contra Celsum docet: " Verbum incarnatum eodem cul- „ tu non coli cum Patre, nisi abusive, „ omnes, *inquit*, deprecationes . . . . „ & gratiarum actiones fundendæ sunt „ Deo, rerum omnium Domino, per ma- „ jorem omnibus Angelis Pontificem Ver- „ bum & Deum; Verbum etiam depreca- „ turi sumus, & ei gratias agemus . . . mo-

„ do intelligamus .... quomodo hæc accipimus vel abusive, vel proprie. „ Sed qui credit Verbum eodem cultu non esse cum Patre adorandum, non credit esse Deum. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et vult solum Origenes quod Verbum incarnatum, & ut mediator, non sit adorandum ut Deus Pater, concedo: Verbum secundum se, subdistinguo, non esse adorandum ut primum Trinitatis principium, concedo: absolute, nego. Non dicit Origenes abusive Verbum coli, quandoquidem in ipso loco objecto, illud vocat Deum, sed attendendum esse ut convenienti colatur modo, quasi Deus quidem, sed ut principium de principio, ut homo vero cultu hyperduliæ. Quod autem non neget Verbum esse adorandum, patet ex lib. 5. contra Celsum, in quo defendit Christianos qui militiam celi adorare nolebant, dicendo: " Majori sapientiæ „ pulchritudine attractos ipsam adora- „ re sapientiam; itaque, *inquit*, non „ decebat eos qui didicerant generose crea- „ turam transcendere, contendebantque „ studiis ferventibus ad immarcescibilem „ illam sapientiam, aut jam perceperant „ eam, eam inquam, quæ æternæ lucis „ splendor est, obstupescere ad solis, lu- „ næ, stellarumque lumen sensibile, in „ tantum ut propterea se inferiores existi- „ marent, cum ipsi habeant tantam lucem „ intelligibilem, lucem veram, lucem mun- „ di, lucem hominum, eamque adorarent. „

Respondeo 2. Eodem prope modo explicandum esse Origenem, cum eodem lib. 5. pag. 258. appellat Christum Deum secundum, sic enim intelligendus est, secundus origine, & non dependentia. Item cum pag. 238. dicit Filium non esse bonum, sed solum Deum propter illa Evangelii verba: *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Sic enim distinguendum est: Christus ut homo, transeat, si quidem est bonus bonitate participata: Christus ut Filius Dei, subdistinguo: non est bonus bonitate primaria originis, concedo: bonitas enim essentialis, cæteræque perfectiones conveniunt Patri per appropriationem primariam: non est bonus bonitate divina & absolute, nego. Quod sit sensus Origenis patet, nam ibidem vocat Verbum mentem, rationem, & sapientiam divinam: denique quando lib. 6. pag. 317. dicit Verbum esse proximum mundi opificem, Patrem vero primarium, intelligendus est de primatu originis tantum, minime vero de primatu per dependentiam.

Cæterum Origenes in cap. 9. epist. ad Rom. vers. 5. clare aperit suam mentem his verbis: " Miror quomodo quidam le- „ gentes quod idem Apostolus in aliis di- „ cit, Unus Deus Pater ex quo omnia, „ & unus Dominus Jesus Christus per quem „ omnia, negent Filium Dei Deum debere „ profiteri, ne duos Deos dicere videantur. „ Et quid de hoc loco Apostoli facient, „ in quo aperte Christus super omnia Deus „ esse perscribitur? Sed non advertunt, „ qui hæc ita sentiunt, quod sicut Do- „ minum Jesum Christum, non ita unum „ esse Dominum dixit, ut ex hoc Deus „ Pater non Dominus dicatur: ita & „ Deum Patrem non dixit, ita esse unum „ Deum, ut Deus Filius non credatur. „ Vera est enim Scriptura quæ dicit: „ Scitote quoniam Dominus ipse est Deus. „ Unus autem uterque est Deus, quia non „ est aliud Filio divinitatis initium, quam „ Pater, sed ipsius unius paterni fontis „ (sicut sapientia dicit) purissima est ema- „ natio Filius. Est ergo Christus Deus su- „ per omnia.

Instant. Multi accusant Origenem de Arianismo, & Verbum credidisse creaturam: Ita Hieronymus epist. ad Avitum. Epiphanius hæresi 64. Augustinus lib. de hæresibus cap. 48. Patres quintæ Synodi Oecumenicæ, Justinianus Imperator in epist. ad Mennam, & alii permulti: sed non est probabile tantos viros in hoc momento deceptos. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et probabile est laudatos Patres errore facti fuisse detentos circa illud momentum, concedo: secus, nego. Quod quidem constat ex multis. 1. Quia Augustinus in loco allato postquam retulit verba Epiphanii Origenem accusantis, fatetur eumdem multos habuisse defensores, his verbis: " Hæc quidem „ de Origene Epiphanius refert; sed de- „ fensores ejus dicunt Origenem, Pa- „ trem & Filium, & Spiritum sanctum „ unius ejusdemque substantiæ docuisse, „ neque resurrectionem repulisse mortuo- „ rum. „ Censebat igitur Augustinus momentum nondum sufficienter eliquatum. 2. Ex auctoritate ejus defensorum; quis enim melius scire poterat meu-

mentem Origenis, quam S. Athanasius qui eodem florebat sæculo, anno scilicet 295. Origenes vero 230. quique ipsius usus est auctoritate contra Arianos ad probandam Verbi divinitatem? Porro Athanasius non dubia, a fortiori falsa auctoritate usus est, contra tam apertos Verbi divinitatis hostes.

Instant. Rufinus textum Origenis non reddidit fideliter in latina lingua, quinimmo multos interpolatus est talis auctoris textus, & ad defensionem Origenis cui adhærebat, loca sana substituit locis erroneis pro divinitate Verbi. Et probatur: de hoc accusatus est Rufinus, & in sua apologia non se defendit, sed illud siluit. Ergo &c.

Respondeo hæc dici sine fundamento de Rufino. Et vero florebat quarto sæculo, & initio quinti; Athanasius vero in tertio & ipse, ut jamjam notavimus, nonnulla loca Origenis, eaque maxime catholica profert pro Verbi divinitate astruenda: certe non potest dici quod tunc temporis textus Origenis fuerat interpolatus: Igitur Rufinus qui scripsit sequenti sæculo debuit reddere textum Origenis catholicum, cum tempore Athanasii sic haberetur. 2. Quomodo tantam induxisset in Origene variationem Rufinus, cum ex professo in multis locis atque operibus, præcipue vero in Joannem Origenes divinitatem Verbi & doceat, & probet? Ad hoc autem oportuisset novum omnino exerere textum, quod non apparet, maxime cum & idem stylus, & idem sententiarum nexus atque compages ubique & cernatur, & servetur.

Ad confirmationem distinguo: siluit Rufinus pro momento allato, quia de hoc non erat magna difficultas, sed simplex opinio atque levior calumnia quæ ipsam destruebatur per auctoritatem tum Athanasii, tum Gregorii Thaumaturgi, Nazianzeni & Nysseni, qui fuerant Origenis discipuli, & divinitatis Verbi acerrimi defensores, tum infinitorum prope Martyrum, quos habuit Origenes discipulos; ita ut ipsius schola, Martyrum schola vocaretur, qui omnes pro divinitate Verbi sanguinem dederunt; quare vero? nisi quia bene fuerant ab Origene edocti de Verbi divinitate. Cæterum Rufinus de aliis gravioribus accusabatur erroribus, quos eum ab Origene hausisse sermo volabat. De istis se justificat in sua apologia, quandoquidem graves erant pro his momentis probationes: Quid mirum igitur, si omissis minimis, majora curarit Rufinus?

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Origenes catholice censuit de Verbi divinitate, nec uno in loco clare eam defendit.

PRIMO, l. 6. contra Celsum, in primis explan. in Joan. ait Verbum esse Deum, & in probationem affert, illud Joan. 1. oraculum: *In principio erat Verbum*, &c.

Secundo, l. 5. contra Celsum vocat Filium Dei sapientiam, & æternum Patris splendorem. Tum l. 4. contra eundem, vocat secundam SS. Trinitatis personam, Deum, aitque: "Si Verbum Deus „ immortalis, quia corpus mortale ani„ mamque assumpserit, Celso idcirco im„ mutari videatur, discat Verbum semper „ manere Verbum sua substantia, nec pa„ ti eorum quidquam. „

Tertio: Patres testimonium reddunt de fide Origenis circa Verbi divinitatem: ut Dionysius Alex. Firmilianus, in primis S. Athanasius qui l. de Syn. Nic. utitur auctoritate Origenis ad confutandos Arianos divinitatis Verbi hostes infensissimos.

Synopsis argumentorum in contrarium & responsionum.

PRIMO QUIDEM nulli mirum videri debet, si Origenes dicat Verbum non esse Deum per se, sed per participationem; vult enim solum esse principium de principio, sed alio modo quam justi, cum isti sint solum dii per gratiam, Verbum vero per naturam & univocam essentiæ Patris participationem.

Secundo, nec quicquam urget contra fidem Origenis, cum dicitur eum admittere in Filio substantiam a Patrem distinctam; eo etenim loco nomine substantiæ intelligit subsistentiam ut Hippolytus Martyr, & alii multi Patres Græci.

Tertio, in eodem sensu dicit sapientiam factam, quo cæteri ejus ætatis sancti Doctores, id est, genitam. Quod si quidam

inter Latinos Arianismi Origenem insimulent, errore facti detentos fuisse dicendum est; magis quippe credendum est S. Athanasio fidei Nicænæ acerrimo defensori, qui suum fidei Origenis ita addit calculum, ut ad confutandos Arianos auctoritate vel ipsius Origenis uti non dubitet.

PUNCTUM OCTAVUM.

Utrum Eusebius Cæsariensis agnoverit divinitatem Verbi.

CONCLUSIO.

Eusebius Cæsariensis Verbi divinitatem abnegavit.

Probatur multis.

Primum argumentum ex textibus auctoris.

QUI unitatem Dei 1. in uno Patre seorsim a Filio collocat. 2. Qui solum Patrem vult esse Deum universorum, & Deum super omnia. 3. Filium e contra dicit secundum Deum, sicut & secundum Dominum, ille abnegat Verbi divinitatem: Atqui sic censet Eusebius. Ergo &c. Probatur minor quoad singulas partes.

Prima pars habetur in verbis quæ profert explicans Psalmum 10. Asaphi, pag. 424. ubi istam interpretans Scripturæ sententiam: *Deus stetit in Synagoga Deorum*, ait: " Ac ne quis ob Monarchiæ, sive ,, unius principii rationem turbaretur, ,, Christum Dei Deum esse audiens, con- ,, gruenter hic multos Deos nominat, eos ,, qui sub hæc incusantur, tantum præci- ,, piens ut ne cunctemur Filium quoque ,, Dei Deum vocare; si enim gentis Prin- ,, cipes qui male audiebant, Dei nomine ,, dignati sunt, quod, quæso, periculum ,, fuerit, si virum dexteræ Dei, & Fi- ,, lium hominis confirmatum, Deum fatea- ,, mur? ,, Ecce Eusebius Filium Dei a divinitate repellit; & ne quis reponat Patrem ideo Deum universorum appellari, quod sit fons & origo Trinitatis & in ratione principii primus existat, hoc catholicum interpretandi genus respuens, præoccupat dicens, non ob Monarchiæ tantum & unius principii rationem Deum unum stare, sed etiam quod Christus sit solum Deus veluti alii sunt Dii. Tum lib. 1. de Ecclesiastica Theologia adversus Marcellum cap. 11. ait: " Sciant quod licet ,, Filium profiteamur Deum, unus tamen ,, nostra sententia Deus sit, ille nimi- ,, rum qui solus principio caret, qui in- ,, genitus, qui propriam a se possideat di- ,, vinitatem. ,, Rursus lib. 4. demonst. ,, Evang. c. 3. Filius autem seorsum a Pa- ,, tre per seipsum subsistit ... Pater prius- ,, quam Filius, & ante generationem ejus ,, subsistit. ,, Ergo &c.

Secunda pars utique patet ex expositione in Psal. 88. pag. 560. " Quoniam quis in ,, nubibus æquabitur Domino: hæc de u- ,, nigenito Dei dicta, *ait*, piam servant ,, sententiam: de Patre vero ac Deo u- ,, niversorum secus, impropria enim & ,, impia comparatio esset. ,, Ecce hic Eusebius Patrem asserit solum Deum universorum, impia enim ex ipso hæc comparatio foret, si Filio tribueretur.

Tertia pars colligitur ex lib. 4. de demonstr. Evang. cap. 3. pag. 147. cujus hæc sunt verba: " Hic autem (de Filio Dei ,, nempe) tanquam ex causa factus Filius, ,, secundus est ab eo cujus est Filius.... ,, ac rursum: splendor quidem non ex pro- ,, posito & voluntate luminis splendet, ,, sed secundum accidens quidpiam a sub- ,, stantia inseparabile. ,, Et lib. 6. in initio proœmii ait Filium secundam esse post Patrem substantiam. Et lib. 5. cap. 1. vocat ipsum secundam causam. Et cap. 6. secundum Dominum. Postquam vero dixit solum Patrem esse Deum universorum, de Verbo subdit: " Secundus merito & ip- ,, se Dominus pie nominetur. ,, Ergo Eusebius agnovit Verbum secundum esse Deum & Dominum. Igitur divinitatem Verbi abnegavit.

Secundum argumentum ex ulterioribus textibus.

QUI dicit solum Patrem esse vere Deum, & Filium solum esse Deum communicatione: qui dicit Filium Dei existere post Patrem, ille haud dubio Verbo divinitatem abnegat: Atqui hæc dicit Eusebius, ut patet ex l. 4. demonstr. Evang. cap. 3. ubi sic loquitur: " Pater autem Filio ,, præexistebat, & ante ortum ejus exi- ,, stebat. ,, Rursus ibidem l. 5. pag. 226.

,, Ita-

„ Itaque ex his verus & solus Deus unus „ fuerit, qui solus hanc appellationem „ proprie obtinet; secundus autem participatione veri communicatione illa dignatus est, qui non sine Patre qui ipsum Deum efficit, per se existit & subsistit, neque sine Patre Deus vocatur. „ Rursus epist. ad Euphrationem de Filio: " Ut cognoscant te solum verum Deum, non quasi unus solus sit „ verus Deus .... Nam & ipse quidem „ Filius, Deus, sed non verus Deus.... „ Si quidem & Deus erat Verbum, non „ tamen sicut ille solus verus Deus. „ Ibidem: " Non enim coexistere Filium „ Patri; sed ante fuisse Patrem, quam Filium dicimus. Nam si coexistunt, quomodo erat Pater, aut Filius? vel quomodo unus quidem primus, alter secundus est? „

Rursus l. 4. demonst. Evang. cap. 3. instituit comparationes inter lucis splendorem, & Filium Dei: inter Moisen & Verbum, quas omnes hic texere non injucundum erit: " Sensibili quidem lumine splendor separari non potest, Filius „ vero seorsum a Patre per seipsum subsistit. Ac luminis quidem splendor efficientiæ locum obtinet, Filius vero aliud „ quidpiam quam secundum efficientiam „ est, per seipsum substantia præditus. „ Rursum splendor simul existit cum lumine, illudque quodammodo complet; „ nam sine splendore lumen nequaquam „ subsistit, simulque cum illo ac secundum illud subsistit; Pater autem Filio „ præexistebat, & ante ortum ejus existebat, quatenus solus non genitus erat. „ Et ille quidem per seipsum perfectus & „ primus, utpote pater, & constitutionis „ Filii causa, nihil ad deitatis suæ complementum a Filio accipiens; hic autem tanquam ex causa factus Filius, secundus est ab eo cujus est Filius, quippe qui a Patre, & ut sit, & ut talis „ sit, acceperit. „ Quibus concinunt illa ejusdem Eusebii verba l. 1. Hist. Eccl. c. 2. quibus comparat Filium Dei cum Moyse in dependentia ab ipso Deo, aitque: " Moysen induxisse Patrem & fabricatorem, ut summum moderatorem, nutu „ sub Regio de rerum creatione præcepta tradentem: Verbum autem Dei ab „ ipso secundum, paternis præceptis obtemperans. „

Rursus lib. 1. de Ecclesiastica Theol. contra Marcellum, cap. 11. " Sciant, *inquit*, quod licet Filium profiteamur „ Deum, unus tamen nostra sententia „ Deus sit: ille nimirum qui solus principio caret, qui ingenitus, qui propriam „ a se possidet divinitatem, qui ipsi insuper Filio existendi caussam, & taliter „ existendi dedit. Quam ob causam nostrum ille Deum esse docet Patrem, atque suum Deum, &c. „

Denique lib. 2. cap. 7. " Fatetur se vivere per patrem: nec quidquam posse „ facere sine patre. Non suam, sed patris voluntatem facere .... quibus omnibus ostendit se alium a patre, & paternam gloriam majorem insinuat esse, „ cum se ab illo missum dicat; se vero „ missum, de cælo descendisse, non ut „ suam voluntatem faceret, sed voluntatem ejus qui misit eum. „ Ex quibus „ sequitur Eusebium credidisse solum patrem esse vere Deum, & Filium post patrem existere.

Tertium argumentum ex Conciliorum sententiis.

MULTA Concilia Eusebium Cæsariensem hæresis Arianæ insimulant: Ergo &c. Probatur Antecedens. Præsules Concilii Alexandrini apud S. Athanasium apolog. 2. in epistola Synodica de Synodo Tyria sic loquuntur: " Quis enim ibi conventus Episcoporum, aut consessus veri „ studiosus? Quis non ex plerisque noster inimicus? Nonne Eusebius, Eusebianique studio Arianismi ad id Concilium perrexerunt, reliquis ejusdem secum sententiæ adductis? Nonne & nos „ contra eosdem homines, eo nomine quod „ arianicæ opinionis essent, scripta evulgavimus? Nonne Eusebius Cæsariensis „ de immolatione idolorum a nostris Confessoribus accusatus fuit?

Sardicense ejusdem est labii in epist. Synodica ad universæ Ecclesiæ Episcopos: " Asclepas autem, *inquit*, comminister „ noster in sacris prolatis actorum monumentis Antiochiæ confectis docuit, „ cum ibi simul & accusatores, & ipse „ Eusebius Cæsariensis adessent, judiciis „ Episcoporum, qui huic causæ præsidebant, se innocentem pronuntiatum esse. „

Non

Non omittendum 7. Concilium quod actione 5. propter hæresim Arianam reijcit auctoritatem Eusebii, quam Iconomachi pro se laudabant, namque Tharasius Patriarcha dixit: " Hic reliquis nobis „ majore odio est prosequendus. „ Et rursus: " Ostensa sunt commentaria Eusebii „ aliena esse a sancta Ecclesia Catholica. „ Actione 6. Epiphanius Diaconus eadem ductus ratione exsufflat illa commentaria. Revera quidem Eusebius epistola ad Euphrationem blasphemat adversus Filium Dei: Lecta est in eadem Synodo ista epistola, tum & absque mora proscripta. Ergo &c.

Quartum argumentum ex sanctorum Patrum & Auctorum testimoniis.

INTER omnes testes eminet S. Athanasius, qui lib. de decret. Synodi Nicænæ non obscure indicat Eusebium Cæsariensem tum ante, tum post Concilium generale Nicænum adhæsisse Arianis, & fidem consubstantialitatis Verbi divini cum Patre abnuisse. Sic enim de illo loquitur: " Eusebius ex Cæsarea Palæstinæ „ cum pridie abnegasset, in eandem sen- „ tentiam tamen postridie subscripsit, „ quam etiam Ecclesiæ legendam misit, „ dicens eam esse Ecclesiæ fidem, & Pa- „ trum traditionem, omnibusque manife- „ sto apparuit, eum prius & temere er- „ rasse, & frustra contra veritatem pu- „ gnasse . . . licet postmodum Eusebia- „ ni, mutato animo tanquam canes ad „ vomitum regressi sint. „

Porro fides cui nonnisi simulate subscripserat Eusebius, erat vel ipsum divinitatis Verbi catholicum dogma, quod propugnaverat, & alternata vice postea impugnavit. Sic præter Athanasium censet S. Hilarius in libello ad Constant. Sic Hieronymus l. 1. adversus Rufinum cap. 2. Sic Epiphanius hæref. 68. Sic Theodoretus l. 1. Hist. Eccl. cap. 21. Sic Nicephorus Patriarcha in capitulis duodecim. cap. 2. qui vocat Eusebium *Arianæ insaniæ Principem*. Sic Nicephorus Callixtus l. 6. Hist. Eccl. cap. 27. ubi eandem hæreseos notam ei inurit. Sic Epiphanius Diaconus in actione 6. septimæ Synodi generalis: " In cunctis, *inquit loquens de Eusebio*, „ historicis suis libellis Filium & Ver- „ bum Dei creaturam vocat. „

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES in gratiam Eusebii: Qui subscripsit fidei Nicænæ, agnovit Verbi divinitatem: Atqui Eusebius, ut ipse in sua ad Cæsarienses epistola sic subscripsit. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: qui subscripsit fidei Nicænæ corde sincero & perfecto Verbi divinitatem confessus est, concedo: qui subscripsit tantum mente versipelli, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam: subscripsit solum, ne Imperatorem fidei acerrimum defensorem offenderet: quod non levius ipse Eusebius subindigitat in laudata epistola, ubi sermonem instituens de verbo ὁμοούσιον, diversis explicationibus, ait, *usque ad extremam horam obstitimus*, ne vocabulum reciperemus. Quam fictionem aperte declarat S. Athanasius l. de decr. &c. ubi dicit Eusebianos tanquam canes, mutato animo, ad vomitum rediisse.

Sic respondet Domnus Montfauconius S. Bened. Monachus in sua collectione nova Patrum & Scriptorum Græcorum ann. 1706. edit. Paris. in præliminariis ad comm. Eusebii in Psal. pag. 25. & 26. " Objicere solent qui Eusebii partes tu- „ tantur, ipsum in Synodo Nicæna τῷ „ ὁμοουσίῳ, sive consubstantiali subscripsis- „ se, & id sane testificatur Eusebius in „ epistola sua ad Cæsarienses, nam cum, „ Imperatore præsente, instaret exilii „ metus, Eusebius qui non ex eorum nu- „ mero fuit, qui de civitate maluerunt „ quam de sententia dimoveri, ægre tan- „ dem Synodi placitis adsensus est. Ut „ ipse nec obscure innuit in eadem epi- „ stola, *usque ad extremam horam obstiti-* „ *mus* . . . Quare id non puto esse tanti „ ad ejus defensionem . . . . Nam hæc ea- „ dem in epistola profert: *verum hisce ver-* „ *bis, consubstantialem Patri, indicari nul-* „ *lam Filio Dei cum factis & creatis rebus* „ *esse similitudinem; sed soli Patri, qui ipsum* „ *genuit, omnimodo similem esse, neque ex* „ *alia quam ex Patris hypostasi & substantia es-* „ *se*. Ubi vides eatenus Filium Patri con- „ substantialem dici, quatenus non creatis „ rebus, sed Patri omni modo similis est.

Ad secundum, distinguo: agnovit Verbum esse substantiale, idest, Patri simile, & dissimile a creaturis, concedo;

sub-

substantiale, idest, ejusdem substantiæ & naturæ cum Patre, nego. Non videtur ergo tanti esse ad Eusebii defensionem illa subscriptio, quippe qui in eadem epistola sua ad Cæsarienses solita impietatis suæ verba repetat hoc modo: " Patri „ consubstantialem, nihil aliud ostendere „ quam Filium Dei ad reliquas creaturas „ nullam habere similitudinem. „ Igitur per *substantiale* non intellexit Verbum esse ejusdem essentiæ cum Patre, sed solum admisit similitudinem illam quam Ariani admittebant, & per quam effabantur Verbum esse perfectissimam Patris imaginem & similitudinem, quia erat Patris opificium, quam explicationem tenet Eusebius in hac epist." His verbis, Con„ substantialem Patri, indicari nullam „ Filio Dei cum factis & creatis rebus esse „ similitudinem, sed soli Patri, qui ip„ sum genuit omni modo similitudinem.„ Et facta comparatione imaginis cujuspiam a peritissimo Pictore depictæ, addit, ex eo & persona ejus expressa, eumque perfecte exhibere dicitur etsi diversæ substantiæ sit; ita & Filius Dei.

Respondeo 2. iterum sed aliter distinguendo: Eusebius agnovit Verbi consubstantialitatem in sensu Platonicorum, concedo: in sensu catholico, nego. Platonici omnes creaturas Deo consubstantiales eatenus esse ponebant, quatenus sunt supremi entis derivationes & participationes, hunc sensum perversum affixit Eusebius etiam Verbo Dei ut ex probationibus luce clarius colligitur. Igitur ejusdem Verbi univocam consubstantialitatem abnuit.

Instabis: Eusebius in libris contra Marcellum legitime censet de Verbi divinitate, lib. enim 1. de Ecclesiastica Theologia cap. 8. his utitur vocibus: " Eccle„ sia Dei Filium unigenitum agnoscit eum „ qui ante omnia sæcula de Patre fuit „ genitus. . . Deum de Deo, lumen de „ lumine, vitam de vita. „ Cap. 9. reprehendit eos qui ajunt Filium Dei esse creaturam; cap. 10. in hunc modum de Verbo disserit; " Qui secundum verita„ tem Dei Filius est, de illo, hoc est, „ de Patre genitus; quid mirum si & di„ lectus audiat, & Patris sui unigenitus, „ ob quam ipsam causam, & Deus fuerit, „ de Deo siquidem, quid aliud gigni „ possit quam quod ipsi sit per omnia si„ milimum. „ Deinde prosequitur, Filium conditum, & Patrem Filii a se geniti conditorem dici posse negans, sed bene genitorem. Ergo Eusebius confitens Filium ante sæcula de Patre genitum tanquam Deum de Deo; negans illum esse creaturam, sed propalans eum secundum veritatem, Dei Filium esse, Patri simillimum, a Deo non factum, sed genitum, de Verbi divinitate recte censuit.

Respondeo ad primum locum distinguendo: Filium dicit ante sæcula genitum tanquam Deum de Deo, & hoc ait in sensu Ariano, in quantum per *τὸ ante sæcula* intelligit ante omnes creaturas, & per ly *Deum de Deo* intelligit Filium esse Patris imaginem, concedo; & hoc ait in sensu catholico, nego. Porro Ariani dicebant Verbum ante omnia factum, quia volebant illud esse ante cæteras creaturas, ante Angelos, ante homines, sæcula enim secundum illos inceperant tantum a creatione mundi, quod hic admittit etiam Eusebius, non propterea tamen concedens Verbum esse æternum, nam lib. 2. c. 12. contra Marcellum æternitatem Verbi ita negat, ut salvari nequaquam possit; hoc enim utitur dilemnate: " Si Filius sit sempiternus, vel duo erunt „ sempiterna, nempe Pater & Filius, „ quod est a fide absonum, vel Pater & „ Filius unum erunt sempiternum, quod „ est Sabellianum. „ Ergo Eusebius æternitatem a Verbo semovit, eo sensu quo ipsi ab Ecclesia tribuitur, & consequenter quando dixit Verbum esse Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de vita, non intellixit per similitudinem naturæ omnimodam & univocam, sed ut ipse ait lib. 4. demonst. Evang. cap. 3. per similitudinem imperfectam & veluti inseparabile quoddam accidens; unde ibid. cap. 10. pag. 138. hæc iterum effutit: " Is „ autem fuerit qui ante sæcula est Dei „ Verbum, major quidem omni angelica „ natura, minor vero illa prima causa. „

Ad secundum locum similiter distinguo: negat Eusebius Filium Dei esse creaturam similem aliis creaturis, concedo: negat absolute, nego. Solutio constat ex lib. 1. de Ecclesiastica Theologia cap. 9. ait: " Qui Dei unigenitus, si eamdem „ cum reliquis creaturis naturam sortia„ tur, hoc enim pacto ipsarum potius es„ set frater, quam Filius Dei, „ Et lib, 3. cap.

3. cap. 2. cum dixerit Scripturam asserere Verbum processisse, qua mente dicat sic aperit: " Nec quoad modum creaturarum reliquarum, de non ente producebatur: Sed quod subsistens & vivens, sed quod præexistens, & præsubsistens, ante omnem mundi conditionem erat." Ergo Eusebius negat tantum Verbum esse creaturam in sensu identico cum aliis creaturis, quia illud perfectius opus Dei dicebat esse, ut in demonst. Evang. ubi Filium nuncupat, perfectum perfecti opificium, & sapientis sapiens artefactum. Igitur quando negat Verbum esse creaturam; non recusat in sensu catholico.

Ad tertium locum distinguo: Eusebius dicit Filium Patri simillimum, similitudine analoga, concedo: similitudine univoca, nego. Ita passim loquebantur Ariani, & ipse Eusebius lib. 3. contra Marcellum cap. 19. pag. 192. in hæc verba: *Ego & Pater unum sumus*. Ita discurrit: " Atque ad hunc modum nos omnes cum Patre & Filio unum erimus, quemadmodum enim ipse, se & Patrem unum esse dixit, ego inquiens, & Pater unum sumus, ita quoque ut ad ipsius imitationem nos omnes ejusdem unionis participes simus precatus est, non quod Verbum ut Marcellus vult, uniatur Deo, & substantialiter ipsi conjungatur, sed ut veritas ipse servator scilicet testificatur dicens, gloriam quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum sicut & nos unum sumus." Quid contra Eusebium validius? hanc etiam similitudinem univocam in probationibus ostendimus a Verbo eliminare dum dixit Filium Dei Patri similem sicut imago a Pictore conficta, est similis prototypo, licet diversæ substantiæ. Unde ad secundam partem, distinguo, Eusebius dicit Verbum genitum & non conditum sicut cæteræ creaturæ conditæ sunt, concedo: genitum in similitudinem naturæ & essentiæ, nego. Vult enim Verbum esse in sinu Patris quomodo sunt Abraham, Isaac & Jacob, non ut unum idem cum Patre sit: Igitur non agnovit Verbum vere, proprie & catholico sensu genitum, nam generatio dicit similitudinem naturæ.

Instabis Eusebius in commentariis in Psal. ad hunc versum: *Ego hodie genui te*. Sic scribit: " Ego hodie genui te, id videlicet de temporali generatione dictum, quæ per œconomiam facta est; de illa namque quæ sine principio est, ait ipse David, ex utero ante Luciferum genui te." Igitur Eusebius agnovit nativitatem Verbi divinam quæ est sine principio & ante Luciferum.

Respondeo distinguendo: & per *ly* ante Luciferum intelligit Eusebius ante initium temporis, concedo: & intelligit æternitatem, nego. Concedit quidem Verbum ante sæcula fuisse, ante omnes creaturas, negat vero fuisse ab æterno, hinc in his commentariis, hanc vocem *tetragrammaton* quam Patri tribuit, a Filio tollit dicens accommodate & non proprie Verbum, Dei appellatione dictum esse. Rursus in Præfat. lib. 6. de demonst. Evang. appellat Filium aliam præter Patrem essentiam, & alibi dicit Patrem illo usum esse tanquam instrumento in productione mundi. Demum lib. 1. adversus Marcellum cap. 1. hæc exhibet de Filio Dei: " Mediator autem unius non est: Deus autem unus est. Non ergo Deus mediator, nam cujus tandem esset mediator, neque ipse ille qui mediator est, eo ipso Deus est, nam unius non est mediator idem, cum medius inter duos interponatur." Quibus verbis claret Eusebium & divinitatem, & consubstantialitatem, & æternitatem a Verbo semper amandasse.

Insistes: Eusebius passim loquitur catholice: nam lib. 1. de Eccl. Theol. cap. 8. Verbum Filium unigenitum Dei appellat lib. 5. demonst. Evang. cap. 1 ait, *Verbum per se ipsum & essentiam obtinet & consistit*. Lib. 1. de Eccl. Theol. cap. 10. idem Verbum Deum nominat, vult ipsum adorari, & eandem habere cum Patre naturam: *Qui*, inquit, *ex illo Patre genitus in forma Dei erat*. Lib. 10. hist. Eccl. cap. 4. de Filio Dei sic loquitur. *Non ut rex vulgaris ex hominibus factus prædicetur, sed tanquam summi omnium Dei naturalis Filius ac per se Deus adoretur*. Qui quidem locus ait Valesius in notis, sufficit " ad repellendas omnes calumnias eorum, qui Eusebium nostrum Ariani dogmatis labe aspersum fuisse crediderunt." Quid plura? Eusebius una cum Pamphilo Martyre Origenis Apologiam elucubravit, ubi eum ab omni erroris nævo circa Verbi divinitatem purgat: Quod dubio-procul non fecis-

fecisset, si in contraria circa istud momentum versatus fuisset sententia: Atqui loca obscura per clariora explicanda sunt, & sentiendum est in bonitate de proximo. Ergo &c.

Respondeo 1. Eusebium non nisi ex terminis catholice loqui ut fructum faciat, ut jam dictum est: & omnia laudata unum tantummodo probare, Verbum propter suam super creaturas eminentiam nomine, & cultu adorationis donari: Origenis tandem partes suscepisse defendendas, quippequi in multis accusaretur: Sed non legitur in hac Apologia, Verbi consubstantialitem aperte ore, & corde clare propugnasse. Cæterum magis credendum est SS. Athanasio, Hilario, Hieronymo qui Eusebium habent, ut divinitati Verbi adversum, quam Valesio & ex recentioribus Lherminier qui illum ab omni Arianismi labe vindicant.

Respondeo 2. auctorum ex charitate intentionem benigne interpretandam esse, nusquam vero scripta cum dogma venit in periculum: iterum autem, atque iterum ostensum est Eusebium male scripsisse de Verbi divinitate. Norunt in historia sacra versati libros Origenis & tria capitula ad tempus ex diuturniori œconomia tolerata magnas movisse in Ecclesia tragœdias, hinc & a quinta Synodo generali tandem proscripta fuere: quidni & propellerentur iniquæ Eusebii de divinitate Verbi sententiæ?

Respondeo 3. distinguendo majorem: Eusebius passim catholice loquitur juxta versionem interpretis qui illum ubique Catholicum reddit, concedo: juxta textum Originalem, nego. Hoc subnotat passim Dom. Bernardus Montfauconius quem in hac dissertatione ut eruditum & exactum, atque in lingua græca peritum sequimur. Ibidem prælim. comm. in Psal. pag. 19. ait: " Interpres sive insito erga Eusebium affectu; sive alia ignota de causa, multa secus posita ad Catholicam sententiam pro more suo deflexit: nam illud καθ' ἑαυτὸν ὑφισάμενος, sic transtulit, *Non per seipsum substantiam nactus, sed a Patre*, cum disparatam omnino sententiam efferat Eusebius, *per se & seorsim substantiam habens*. Pari modo illud ℓ: ὁ δὲ πατὴρ, ἅτε προϋπάρχων τοῦ υἱοῦ, καὶ τῆς γενέσεως αὐτοῦ προϋφέστηκεν, ᾗ μόνος ἀγέννητος. Sic ille vertit: *At a Patre Filius procedit, & illum generat, at ipse non genitus est*. At vera sententia hæc est: *Pater autem Filio præexistebat, & ante ortum ejus existebat, quatenus solus non genitus*. Mitto alia non absimilia. Ergo &c.

Montfauconius ibidem loco laudato pag. 27. allatam solvit difficultatem, his verbis: " Quod ad æternitatem vero Filii ante incarnationem, ne latum unguem ab Arianorum sententia deflectere videtur, qui dicebant Filium non ἀΐδιον, sive sempiternum esse: Sed ante omnia factum. Sic & ille Filium quidem dicit *ante sæcula* productum: nam sæcula & tempus omne cum mundo cœpisse cum multis aliis veteribus arbitratur, nec vox αἰώνιος apud Eusebium, pro æternitate ante creationem usquam sumitur: nam hujusmodi æternitatem in Filio evidenter negat, & contra Marcellum agens affirmat Filium non posse dici ἀΐδιον sive sempiternum, ut videre est lib. 2. c. 12. .... Nec diffiteor tamen in commentariis in Psalmos ad hunc versum, *Ego hodie genui te*: hæc haberi, Hoc est, *ego hodie genui te, id videlicet de temporali generatione dictum*, quæ per œconomiam facta est: de illa namque quæ sine principio est, ait ipse David: Ex utero ante luciferum genui te. Verum id nihil veræ Eusebii sententiæ officiat, nam ut vides, ἄναρχον vocat Verbi generationem, quia ante luciferum, idest, ante principium temporis fuit: si quidem Verbum, ut ait Joannes, in principio erat quod ille de principio temporis explicat, atque ideo hic ἄναρχος Verbi ortus dicitur, quia cum ante omne tempus & ante omnia sæcula fuerit, non habet principium temporis, ἄναρχον tamen ille ubique alias cum de Filio loquitur respuit, & soli Patri competere dicit. "

Urgebis: Qui negat Filium aut ex aliqua præjacente materia, aut ex nihilo factum, agnoscit æternam Verbi generationem: Atqui sic propugnat Eusebius l. 1. contr. Marcellum pag. 67. & 69. namque in Nicæna fide cui subscripsit Eusebius Arianicum istud *ex non existentibus* damnatur: immo l. 3. contra Marcellum cap. 11. damnat qui talia loquuntur: Quod si, *inquit*, Scriptura dicat creatum illum fuisse

„ se, non sic accipiendum est, quasi e „ non extante ad existentiam pervenerit, „ neque quasi similiter ac reliquæ crea- „ turæ, ipse ex nihilo productus sit, que- „ madmodum haud aliqui recte senserunt, „ sed ita potius ut subsistens vivensque „ fuerit, & ante mundi constitutionem „ extiterit. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem, qui abnegat Verbum factum ex nihilo tam ante tempus & sæcula, quam in tempore, agnoscit Verbi æternitatem, concedo: qui negat tantummodo Verbum factum in tempore, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Non negat absolute Eusebius Verbum factum, cum vel in ipso textu objectionis dicat illud ex scriptura creatum, sed negat factum sicut creaturam, ita ut prius non fuerit in tempore, & ex nihilo factum sit, postea seu ex non extantibus conditum. Quem sensum suscipiebant Ariani, hinc & merito proscripti.

Instabis: Eusebius Cæsariensis habetur ut sanctus in Martyrologio Usuardi, ut legitur die 21. Junii. Item in Martyrologio Adonis Viennensis ad eamdem diem, & in Martyrologio Notkeri, eadem die, & in codice Ecclesiæ Parisiensis ante annos 800. exarato continente Eusebii historiam Ecclesiasticam a Rufino explicatam. Sic enim habetur: " Incipit historia sancti Eusebii Cæsariensis Episcopi. „ Item in Breviario Lemovicensis Ecclesiæ ubi habetur in festo sancti Eusebii lectio in qua affirmatur: " Quod cum aliquan- „ do Eusebius Ariana hæresi laborasset, „ ad Synodum Nicænam accedens, Spi- „ ritu sancto inspiratus Patrum senten- „ tiam secutus est, ac deinceps usque ad „ mortem sanctissime cum Orthodoxa fi- „ de vixit. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et illa Martyrologia, atque Ecclesiæ istæ particulares errore facti decipiuntur, concedo: secus, nego. In facto erraverunt illa monumenta quod loco sancti Eusebii Samosateni Martyris, Eusebium Cæsariensem scripferint, vel loco Eusebii Cæsariensis in Cappadocia Episcopi olim beati Basilii successoris apposuerint Eusebium Cæsareæ in Palæstina. Præterea particulares Ecclesiæ facile falli possunt in hoc facto, non legimus autem Ecclesiam universalem, aut Pontifices Romanos Eusebium Cæsariensem SS. numero adscripsisse.

Instabis: Socrates lib. 2. hist. Ecclesiast. cap. 19. & Gelasius Cyzicenus lib. 2. cap. 1. vindicant Eusebium ab hæresi. Ergo &c.

Respondeo horum duorum scriptorum auctoritatem non esse anteponendam gravissimis testimoniis divi Athanasii, Episcoporum Alexandrinæ Synodi, Patrum Concilii Sardicensis, SS. Hieronymi, Hilarii, Epiphanii, Theodoreti, Synodi septimæ Oecumenicæ, Epiphanii Diaconi, Photii, Nicephori Constantinopolitani, & Nicephori Callisti, qui omnes unanimi voce conclamant Eusebium hæreticum: cæterum Socrates volens ab hæresi purgare Eusebium falso nititur fundamento, quippequi eum ab hæresi vindicet ex eo quod subscripserit Synodo Nicenæ, & Marcellum impugnaverit: Sed ex dictis constat ficto animo Eusebium subscripsisse fidei Nicænæ, modo probabitur Marcellum ab omni hæreseos labe immunem fuisse; hinc nihil validi habetur pro fide Eusebii ex eo quod Marcellum scriptis exagitaveuit. Gelasius quidem Cyzicenus lib. 2. hist. Conc. Nicæ. cap. 1. scribit Eusebium Apologias suas ad universos Episcopos Orientales misisse, & ante natam Arianam hæresim suos conscripsisse libros, quod certe antiquitati concordat. De hoc momento præf. comm. Eusebii in Psalmis, sic loquitur Montfauconius: " De hinc Eu- „ sebius toto vitæ tempore cum Arianis „ concordissime vixit, Athanasium afflixit, „ Marcellum infecit calumniis plurimis, „ quia ambo Verbi divinitatem propugna- „ bant. Tandem scribens acta Nicænæ Sy- „ nodi, ex industria, de Ariana hæresi „ & Ario altum servat silentium, vel „ uti quis si Tridentinæ Synodi gesta scri- „ beret nihil de Luthero diceret, non „ suspectæ foret fidei? Ex fructibus suis „ ergo cognoscatur Eusebius. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Eusebius Cæsariensis Verbi abnegavit divinitatem.

Hoc colligitur ex multis momentis.

Primo [illegible]*dem* comment. in Psal. Asaphi explicans illa Psalmistæ verba: *Deus stetit in Synagoga Deorum*, Christum habet Deum solummodo, ut alios justos.

Secun-

Secundo: Lib. 4. demonst. Ev. c. 3. Filium Dei, a Patre separat, his verbis: " Filius autem seorsum a Patre per se " ipsum subsistit. "

Tertio: Ibidem Verbum a Deo ut ex causa factum docet.

Quarto: SS. Athanasius, Hilarius, Hieronymus uti Arianum Eusebium insectantur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Eusebius subscripsit quidem Synodo Nicænæ, sed qua mente? Versipelli certe, ut scribit S. Athanasius.

Secundo: Neque vero aliquas expressiones Catholicas de Verbi consubstantialitate in operibus Eusebii quandoque reperiri negamus; sed relative ad ejus principia, vel ipsi termini fidei speciem præ se ferentes, Arianismum spirant, maxime si ad textum originalem fiat recursus.

Tertio: Esto quod nonnulli ab hæreseos labe vindicent Eusebium, sed absque fundamento, ne dicam & cum aliquo consubstantialitatis dispendio, quæ quidem in periculum venire potest, si molliores admittantur auctorum suspectæ fidei expressiones.

PUNCTUM NONUM.

Utrum Marcellus Ancyranus Verbi divinitatem propugnaverit.

CONCLUSIO.

Marcellus Ancyranus Verbi divinitatem propugnavit.

PROBATUR 1. Ille Verbi divinitatem confessus est, qui agnovit, Verbum esse Filium Dei cum Patre semper existens, nec existendi initium habuisse; qui conclamat, inquam, Verbum a Deo procedens, non creatum, non factum sed existens semper, & cum Deo perpetuo regnans; atqui sic confessus est Marcellus, sic tenuit ut legitur in ejus confessione fidei quam ex integro tradit Epiphanius hæresi 72. cujus hæc sunt verba: " Sacris litteris inhærens, ait Marcellus, " credo unum esse Deum, & unigenitum ejus Filium Verbum, qui cum Patre semper existit, nec existendi initium ullum unquam habuit, idem " vera a Deo procedens, non creatus, " non factus, sed existens semper, ac " cum Deo Patre perpetuo regnans. " Ergo &c.

Probatur 2. In eadem fidei professione sic iterum ait Marcellus de Verbo: " Hic " ipse Filius, ipse virtus, ipse sapientia, ipse proprium verumque Dei Verbum Dominus noster Jesus Christus, " indivisa Dei virtus per quem creata " omnia... Ut Evangelium docet, in " principio, *inquit*, erat Verbum, & " Verbum erat apud Deum, & Deus erat " Verbum. " Deinde hoc Symbolqm recitat: " Credo igitur in Deum omnipotentem, & in Jesum Christum ejus Filium unigenitum Dominum nostrum. " Tum emissa fidei Apostolicæ formula, hæc addit: " Jam Patris & Filii divinitatem dividi non posse, e sacris litteris didicimus, nam si quis Filium, " hoc est, omnipotentis Dei Verbum separare voluerit, necesse est ut aut duos " esse Deos, arbitretur, id quod a cælesti doctrina, confessione omnium abhorret, aut Verbum esse Deum inficietur, quod & ipsum ab sincera fide " videtur alienum, cum Evangelista dicat, & Deus erat Verbum. Ergo &c.

Probatur 3. Ex professione fidei quam misit Marcellus ad Episcopos propter Orthodoxam fidem exulantes, in qua sic ait: " Si quis initium aut finem Dei Filio ac " Verbo, vel regno ipsius adscribit; Anathema sit. Si quis Filium, vel Spiritum sanctum partem esse Patris asserit, " neque Filium Dei ex Patris essentia " prius omni cogitatione genitum fateatur; Anathema sit. " Quid Apostolicæ fidei magis consentaneum, quam istæ loquendi formulæ? In prima Verbum cum Patre semper existere & cum Deo perpetuo regnans, non factum, non creatum concinit Marcellus: in secunda appellat Verbum Dei virtutem per quod creata sunt omnia, & de quo Evangelium ait, *& Deus erat Verbum*: In tertia pronunciat Anathema ei qui dixerit Verbum initium, aut finem habere, Filium non esse ex substantia Patris genitum ante omnem cogitationem: Sed qui talia credit, con-

confitetur Verbi divinitatem, ergo & eam credidit Marcellus.

Probatur 4. Synodus Sardicensis Marcellum tanquam falso accusatum absolvit, lectis enim discussisque ejus libris in epistola Synodica, hæc habentur: " Recitata quoque sunt scripta Collegæ nostri in factis Marcelli, & deprehensa est Eusebii dolosa ars, quæ enim Marcellus per modum quærentis protulerat, ea tanquam ita esse profiteretur, calumniati sunt. Recitata propterea sunt in illis quæ antecederent & subsequerentur quæstionibus, & inventa est bona, & recta fides istius viri. " Postea asserit Synodus Marcellum divinitatem Verbi agnovisse, atque scripsisse regnum ejus, nec finem, nec initium habere. Ergo &c.

Probatur 5. Ex S. Athanasio qui in Epist. ad solitarios pag. 292. " De Marcello autem Episcopo Galatiæ, supervacuum fuerit fortasse mentionem facere, cum nulli non constet, Eusebianos ab eo de hæresi reprehensos, hæreseos recriminationem pro talione illi vicissim impegisse, senemque hominem in exilium ejecisse. Ille autem Romam profectus, sese innocentem docuit, & ut jussus ab illis fuerat, scripto suam fidem, quam Sardica Synodus amplexa est, edidit. Eusebiani contra, neque causam dixerunt, neque de impietate scriptorum suorum convicti, pudore repressi sunt, sed potius gravius in omnes sævierunt. Igitur ex S. Athanasio sola Eusebianorum factione Marcellus accusatus fuerat, & sese innocentem Romæ demonstravit.

Demum, in epist. Julii quæ jacet in Apologia secunda divi Athanasii, hæc de Marcello leguntur: " Athanasius contra & Marcellus Episcopi plurimos habent, qui verbis scriptisque suis eorum innocentiam tuentur: Marcelli enim fides confessioque Nicææ spectata est, quum Arianis contradiceret. " Et ibid. " Quod autem non temere aut injuste susceperim, *ait Julius*, in Communionem Coepiscopos nostros, Athanasium, & Marcellum, etiam si prius dicta sufficiant, brevibus tamen ratio vobis istarum rerum demonstranda est. " Deinde justificans Athanasium pervenit Julius ad causam Marcelli, de quo sic iterum, *ait*, " " De Marcello autem postquam de illo quoque, ut impio, in Christum perscripsistis, vobis studui significare, eum cum huc venisset, affirmasse falsa esse quæ de se in litteris vestris scripta essent, sed tamen cum a nobis postularetur, ut de fide diceret, tanta cum fiducia per se respondit, ut nemo non perciperet, eum nihil a veritate profiteri alienum, sed eadem cum pietate qua Ecclesia de Domino ac Salvatore nostro sentire, neque jam tantummodo, sed etiam olim hujus sententiæ se fuisse confirmabat, uti & nostri Presbyteri, qui tunc in Nicæno Concilio aderant, de ipsius recta fide contestabantur. " Hæc sola indigent lectione, ut luce clarius innocentia, & recta Marcelli fides appareat.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES 1. Sanctus Basilius epist. 52. quæ est ad magnum Athanasium hæc de Marcello scribit: " Marcellum vero, qui ex diametro respondentem Ario impietatem attulit, atque contra eamdem unigeniti, divinitatisque essentiam impie egit, Verbique appellationem male usurpavit, ne semel quidem accusare videntur: qui Verbum quidem unigenitum vocari tradit ratione ministerii ac dispensationis, & quatenus in tempore natus prodiit: cæterum ad eum, unde egressus erat, reversum, nec ante regressum fuisse, nec post regressum subsistere. Et hujus experimentum ac demonstrationem reconditi apud me iniquæ illius syngraphæ libri continent. "

Rursus epist. 71. ad Occidentales Episcopos: " Scitis, *inquit*, quam omnem spem nostram irritam faciat dogma Marcelli, quod neque Filium propria ac discreta hypostasi præditum confitetur, sed productum. "

Rursus epist. 78. " Marcellus impie sentiens contra personam Domini nostri Jesu Christi, ac nudum illum esse verbum exponens, illinc ausus est se impietatis hujus causas sumpsisse prætexere, male videlicet τῷ ὁμουσίῳ coessentialis intellectu exposito. " Ergo ex S. Basilio Marcellus divinitatem Verbi inficiatus est.

Respondeo distinguendo: & Basilius errore facti detentus fuit, concedo: secus, ne-

nego. Quomodo enim S. Basilius damnare potest, quem duæ Synodi, Romana nempe & Sardicensis innoxium & Catholicum agnoverunt? Julius Pontifex Romanus eum aperte ab errore Ariano vindicat, ut patet ex Apologia S. Athanasii, qui refert epistolam istius Papæ, quam citavimus modo, & in qua Julius conqueritur de injuria illata tum Athanasio, tum Marcello, & ut omnem rescindat circa hanc causam Eusebianorum clamitationem, sic ait: " Et ne mihi scribatis quod Marcelli & Athanasii communionem potius quam vestram præoptaverim: nam hæc non pacis, sed contentionis, & odii fraterni argumenta sunt. " Igitur Julius nequaquam credidit Marcellum in aliquem errorem impegisse, nec immerito crediderat; eum enim de fide sua differentem audierat: accusatores ejus pugnantes solum inter se litteras scripserant, ita ut primæ a secundis destruerentur, & secundæ per priores redderentur suspectæ. Porro magis habenda est fides Julio, qui Marcellum audierat, quam Basilio, qui a Marcelli patria remotus credidit divulgatum ab Arianis contra Marcelli scripta hæreseos crimen: nec interest quod libros ejus legeret; librorum enim obscura loca levi negotio in pravum sensum abeunt, præsertim cum scriptor zelo plenus sic unam insectatur partem, ut ad aliam, quam pari animo abhorret, quasi inflectere videatur. Instabat Marcellus acrius, ac unam Patris & Filii ita prædicabat naturam, ut Sabellio favere videretur, quippequi cum acerrimis & pertinacibus pugnaret Hæreticis. Sic August. adversus Pelagianos gratiam defendens, visus est libertatem perimere: sic Cyrillus contra Nestorium dimicans Orientalibus apparuit in Apollinaris errorem inclinare: quod tamen a maximorum virorum mente valde distabat; Igitur a pari non videtur inde damnandus Marcellus.

Oppones 2. Epiphanius hæresi 72. affirmat Marcellum idem cum Sabellio censuisse: Sanctus Hieronymus cap. 97. de Scriptoribus Ecclesiasticis probat ex testimonio Hilarii Marcellum hæreticum fuisse, & Chrysostomus in epist. ad Hebr. cap. 1. Marcellum culpat, quod dixerit Verbum ejusdem non tantum substantiæ, sed etiam hypostasis esse cum Patre, eumque cum Photino, Sabellio, Paulo Samosateno & hæreticis pessimis annumerat, sicut & Theodoretus lib. 2. Hæreticarum fabularum cap. 10. Ergo &c.

Respondeo, ad Epiphanium, illum nihil determinare contra Marcellum, sed fluctuantem inter varia, quæ de ipso versabantur, nihil velle affirmare; nam relata professione fidei quam Marcellus obtulerat Julio I. judicium relinquit lectori: " Quid in eo libello, *inquit*, vitii sit judicent, nihil enim præter quam quod scimus . . . . . asseverare volumus. " Quod vero subdit exinde Epiphanius Marcellum a fide declinasse, quia Apologia ei opus fuerat, non videtur legitima illatio; nam qui falso accusatur, jus habet se purgandi, nec ex ista purgatione noxius efficitur. Sic enim Dionysius Alexandrinus hæresi recte inficeretur, quia Apologium edidit, ut se justificaret apud Dionysium Papam; immo & ipse Athanasius accusandus foret, duas enim instituit Apologias, ut causam suam justam demonstraret.

Ad Hieronymum, dico eum referre sensum Hilarii, nihil tamen ipse definiens; Hilarius autem ab Athanasio dicit compertam habuisse Marcelli male sanam fidem, & Athanasius non videtur id de Marcello pronuntiasse; immo eum in Apologia sua ad Constantinum, & in epist. ad Solitarios inter cæteros Catholicos Episcopos reponit. Chrysostomus vero falsis rumoribus ab Arianis & Eusebio disseminatis deceptus fuit, sicut & Theodoretus, quippequi a tempore Marcelli remoti erant; maior Julio Papæ tunc viventi quam posteris adhibenda fiducia: Socratem etiam & Sozomenum fefellerunt Eusebii Cæsariensis scripta: Cæterum redarguunt Marcellum quod Filium dixerit ejusdem esse cum Patre hypostasis, aut eo quod tres hypostases ejus discipuli dicerent; sed tunc sana servata mente, utrumque usurpare licebat, ut definitum fuerat in Synodo Alexandrina, præside Athanasio.

Objicies 3. Sulpitius Severus lib. 2. historiæ sacræ dicit Athanasium aliquando communionem suam Marcello denegasse, eo quod Sabellianæ hæresis auctor existeret. Ergo &c.

Respondeo Sulpitium qui hoc scripsit id accepisse ab Hilario, qui illud deprompserat ex Synodo Sirmiensi in qua Ariani Episcopi præsidebant, quique Marcello ma-

maxime adversabantur; at apud Athanasium illius rei nullum reperitur argumentum.

Instabis: Eusebius Cæsariensis pag. 4. & 5. de Marcelliana opinione tradit, quod dixerit Verbum ab æterno una esse cum Patre essentia, & hypostasi, ita ut solis nominibus mutuo differrent. Pag. 6. refert eum dixisse Verbum esse solum Filium Dei, quando carnem assumpsit: Pag. 19. eum non fuisse Dei imaginem antequam homo fieret. Pag. 35. & 36. asserit Marcellum paria cum Sabellio sentire. Tandem pag. 167. & 174. eum increpat quod dixerit Deum trinominalem. Ergo &c.

Respondeo testimonium Eusebii hac in re flocci faciendum esse, si quidem ex Athanasio ea tantum scripserit, quia Marcellus eum redargueraț propter Arianismum, cujus erat fautor. 2. Male Eusebius accusat Marcellum eo quod Patrem & Filium unum hypostasi dixerit, nam hanc locutionem admiserat Synodus Alexandrina, & Athanasius hunc loquendi modum usurpaverat, tunc enim hypostasim habent pro natura. 3. Eusebius pugnantia refert, dum ait Marcellum Sabellianum fuisse, si quidem ex verbis Marcelli, quæ scribit paulo post objecta, Verbum vere & personaliter distinguitur de Patre: ita pag. 39. ubi sic loquitur Marcellus: " „ Ante omnem rerum creationem erat, „ ut par est credere, qui est in Deo, exi- „ stente apud Deum Verbo. „ Quod concordat cum Athanasio post Evangelistam. 4. Falsum est Marcellum scripsisse Verbum esse Maria posterius, sive esse solum Filium Dei in incarnatione. Marcellus enim ex Eusebio hunc locum, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, de Patre & Filio sic loquentibus intelligit. 5. Dixerat Marcellus Verbum esse imaginem Dei antequam homo fieret, sed dixerat in sensu Apostoli, qui in epist. ad Hebr. cap. 1. dicit etiam Filium Dei esse ejus imaginem: at si Marcellus in sensu absoluto dixisset Verbum esse imaginem Dei tantum post incarnationem, inter Anomæos computaretur, quod nemo de eo ausus est dicere. 6. Redarguit eum Eusebius, quod dixerit Deum trinominalem; addo quod etiam eum reprehendat eo quod dixerit tripersonalem: quæ reprehensio ab Arianorum fautore solum esse poterat. Neque vero plus urget quod addit Eusebius, Marcellum dixisse Verbum ingenitum, ea enim locutione usus est, ut e diametro Arianis opponeretur, qui ly *genitum*, factum intelligebant.

Quod si aiunt quidam Marcelli discipulos de hæresi accusatos fuisse; respondeo leve esse argumentum, in sua enim fidei formula non veluti pœnitentes, sed tanquam prudentes in fide loquuntur hoc modo: " Neque enim censemus alium esse „ Filium, alium esse Verbum, ut quidam „ nos sentire mentiti sunt. „ Igitur Marcellus nec in se, nec in suis discipulis culpandus videtur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Marcellus Ancyranus bene censuit de divinitate Verbi.

PRIMO: Marcellus apud Epiphanium hær. 72. clare Verbi divinitatem confitetur his verbis: " Sacris litteris inhæ- „ rens, *ait Marcellus*, credo unum esse „ Deum, & unigenitum ejus Filium Ver- „ bum, qui cum Patre semper existit. „ &c. In eadem confessione ait Verbum esse ipsam Dei virtutem, ejus sapientiam, proprium Filium: Immo Anathema pronuntiat ei qui dixerit, aut Verbum, aut Spiritum sanctum esse Patris partem.

Secundo: Con. Sardi. in epist. Synod. Marcellum, ut fidei Nicęnæ tenacem & confessorem pronuntiat.

Tertio: Suum addunt fidei Marcelli calculum Julius I. apud Ath. Apol. 2. Ipse Athanasius in sua ad solitarios epistola.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET DILUCIDATIONUM.

PRIMO: Verum est S. Basilium & quosdam alios Marcello labem hæreseos inurere, sed luce clarius apparet, eos errore facti detentos fuisse.

Secundo: Parum urget quod ipse Eusebius Cæsariensis Marcellum hæresis insimulet, quippe qui odio eum haberet, eo quod ipsum Marcellus propter hæresim Arianam insectaretur.

Tertio: nec sequitur Marcellum fidem consubstantialitatis Verbi temerasse, cum Deum modo trinominalem, modo triper-

personalem appellat, namque Verbo trinominalem & tripersonalem tres intelligit hypostases, quod Ariani abnuebant.

PUNCTUM DECIMUM.

Utrum Liberius Papa Verbi consubstantialitatem abnegaverit?

NE copia materiæ pariat obscuritatem, tria prius enucleanda sunt: videlicet de formulis Sirmiensibus: alterum de voce ὁμοούσιον hoc est, consubstantiale: tertium denique de altera voce ὁμοιούσιον seu simile. Unde sit

§. I.

De formulis Sirmiensibus, & occasione data prius de quibusdam aliis a Semiarianis juris publici factis Antiochiæ.

QUONIAM controvertitur inter Historicos de perseverantia in fide Papæ Liberii, operæ-pretium est hic texere varias Semiarianorum fidei professiones, ut magis elucescat, cui ex eis subscripserit Liberius, unde immaculatam ejus fidem absque negotio defendamus.

Anno circiter 341. quatuor fidei formulæ Semiarianorum in primo eorum Concilio Antiocheno in Eucæniis congregato, Julio I. summo Pontifice, apparuerunt: quod quidem Concilium anno 341. adunatum est, in quo non sine magna injustitia S. Athanasius expoliatus ingemuit: omnes tamen formulæ, excepta quod vox *consubstantiale* reticebatur, nihil nisi catholicum respirant.

Et vero, in prima sic loquuntur Episcopi: " Nos neque sumus Arii sectatores ,, ... Neque aliam fidem, quam quæ ,, ab initio divulgata sit, recipimus: Sed ,, cum in fidem ejus studiose inquirere, ,, eamque accurate expendere niteremur, ,, Arium potius ad nos revertentem admisimus, quam ejus opinioni sumus ipsi ,, obsecuti .... nam nos ab initio, di- ,, dicimus, in unum Deum totius universitatis, omnium rerum, quæ tum mente tum sensu percipiuntur, opificem & ,, curatorem credere, & in unum Filium ,, Dei unigenitum, qui fuit ante omnia ,, sæcula, & una cum Patre, qui eum ,, genuerat, extitit: per quem omnia visibilia & invisibilia facta sunt .... ac ,, Deus in sæcula permansurus. ,,

In secunda hæc habentur & quidem expressius pro Verbi divinitate: " Deum de ,, Deo, totum ex toto, solum ex solo, ,, perfectum ex perfecto. ,,

In tertia sic legitur: " Et in Filium e- ,, jus unigenitum, Deum, Verbum, po- ,, tentiam, sapientiam, Dominum nostrum ,, Jesum Christum, per quem omnia: eum- ,, que genitum esse ex Patre & ante sæcu- ,, la, Deum perfectum ex Deo perfecto. ,, Baron. ad ann. 341.

In quarta denique sic loquuntur Præsules de Filio Dei: " Deum ex Deo, lu- ,, men de lumine, per quem omnia facta ,, sunt ... eumdemque Verbum esse, sa- ,, pientiam, virtutem, vitam & veram ,, lucem. ,,

Iidem alterum Concilium eodem in loco congregavere anno 344. claves Ecclesiæ tenente eodem Julio: Sed eorum fidei professio non parum circa divinitatem Verbi ambigua videtur: Sic tamen de Filio Dei loquuntur: " Non enim recentem ,, dignitatem assumpsit Christus, sed ab ,, initio eum Patri per omnia similem cre- ,, dimus. ,, Et in hoc discrepant ab Acacianis, qui Filium Dei non sine magna contumelia per omnia Patri similem esse abnegabant.

De triplici fidei professione Sirmica.

PRIMAM edidere Semiariani in Concilio Sirmii adunato anno 351. & græce conscripta apparuit. Altera ab Arianis anno 357. data est: Tertia vero a Semiarianis anno 359. sic refert Baronius ad illos annos: Ita scribit Petavius in notis ad Epiphanium: Ita Valesius in notis ad Sozomenum: Ita Tilmundus lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 14. & alii. Primam commemorat sanctus Athanasius libro de Synodis: ibidem & duas posteriores eodem idiomate refert. Prima ab Orientalibus Episcopis in Concilio adversus Photinum, Sabellium, & Paulum Samosatenum adunato fuit composita: In ea Præsules nomen *consubstantiale* reticent; & Arii errorem aperte non damnat, ita tamen de Filio Dei effantur.

" Credimus in unum Deum Patrem ,, omnipotentem, & in primogenitum ,, ejus Filium Dominum nostrum Jesum

„ Christum ante omnia sæcula ex Patre „ genitum, ex Deo lumen de lumine per „ quem omnia in cœlis & in terra facta „ sunt, tam visibilia quam invisibilia, „ eumdemque Verbum esse & sapientiam, „ lucem veram & vitam. Eos porro qui „ dicunt, ex non ente, aut ex alio subsistente, & non ex Deo Filium extitisse, aut quod tempus, aut ætas fuit, „ quando ille non erat, alienos a se censet sancta & Catholica Ecclesia... Si „ quis dilatatam essentiam, Filium efficere dicat, aut dilatationem in substantia Dei Filium nominet, anathema esto. „ Si quis merum hominem ex Maria natum esse dicat, anathema esto... Si „ quis voluntate Dei Filium Dei ita extitisse dicat, ut aliquid conditum, „ anathema esto.. Si quis Christum Deum, „ Filium Dei ante sæcula, administrumque ad universitatis opificium fuisse neget; sed ex quo tempore ex Maria genitus est, Christum & Filium appellatum fuisse, & principium suæ deitatis „ tum accepisse dicat, anathema esto. „

Eo loci Præsules agnoscunt Dei sapientiam & lucem; agnoscunt Filium Dei non dilatatione seu effusione substantiæ Patris, atque participatione per gratiam Deum esse, sed per simplicem & entitativam emanationem: in quo quidem sensu Tertullianus dixit divinitatem non suscipere gradum juxta majus & minus; agnoscunt Christum non purum hominem, sed Filium Dei, non voluntate & libere sicut aliquid conditum & factum, sed necessario a Deo Patre procedere: agnoscunt quidem & ministrum in creatione, sed improprie, & in eodem sensu quo Patres primorum sæculorum vocant Verbum: Si quidem anathematizant eos qui dixerint Verbum suæ deitatis principium accipere, cum in utero beatissimæ Virginis incarnatum est, & sic Filium naturalem & non adoptivum profitentur, adeoque & Patri consubstantialem.

Idcirco Patres multi istud tulere de hac formula judicium. S. Hilarius lib. de Synodis eam veluti catholicam habet: similiter & Philastrius de hæresibus capite 65. qui illius Auctores sanctos vocat: Vigilius Tapsensis Synodum, in qua promulgata est, totius Orientis catholico nomine celebrat libro 5. contra Eutychen.

Secunda formula anno 357. edita est a nonnulis Episcopis Occidentalibus, inprimis ab Ursacio, Valente, Germiniano, & Potamio. A sancto Athanasio rejicitur libro de Synodis Ariminii & Seleuciæ: Eam quoque procul facit S. Hilarius libro de Synodis, & apud eum hanc habet inscriptionem: “ Exemplum blasphemiæ „ apud Sirmium per Osium & Potamium „ conscriptæ. „ Revera quidem tot & tantis referta est impietatibus, ut Semiariani Præsules, videlicet Basilius Ancyranus, & alii in Concilio Ancyrano eam abnegaverint: namque in ea habetur Filium Dei non esse Patri & consubstantialem, & similem: “ Nulli vero ambiguum, inquiunt, Patrem majorem esse: neque est quod quisquam dubitet, „ Patrem honore, dignitate, deitate, „ atque adeo ipso nomine paterno majorem esse... Filium vero Patri, cum „ omnibus quæ illi Pater subjecit, subjectum esse. „

Tertia formula de Filio Dei hæc habet: “ Natum impassibiliter ex Deo, „ solum ex solo Patre, Deum de Deo, „ similem Patri suo qui ipsum genuit, „ cujus secundum Scripturas generationem nemo novit, nisi solus qui eum „ genuit Pater. „

Sanctus Athanasius illorum Episcoporum exagitat temeritatem, ea ductus ratione, quia tres aut quatuor adunati professionem fidei ediderint: quod trecenti & octodecim Patres Nicæni non fecerunt, inquit libro de Synodis. Hæc formula vocem quidem substantiæ reticet, sed Filium Patri per omnia similem prædicat. Ibidem de ea sic loquitur ille Pater Præsulum referendo verba: “ Vocabulum porro substantiæ, quia „ simplicius a Patribus positum est, & a „ populis ignoratur, & scandalum affert, „ eo quod in Scripturis non contineantur, „ placuit ut de medio tolleretur, & nullam post hac de Dei substantia mentionem esse faciendam, eo quod sacræ Scripturæ nusquam meminere substantiæ Patris & Filii; Filium autem Patri per omnia similem dicimus, quemadmodum sacræ Scripturæ dicunt & docent. „ Hæc sunt istius formulæ verba.

Synopsis eorum quæ in hoc primo paragrapho continentur.

PRIMO: Semiariani quatuor fidei formulas

las in Concilio Antiocheno anno 341. dederunt, quas S. Hilarius fidem temporum non sine fundamento appellat: nam & silent ὁμοούσιον & varios ad nutum possunt subire sensus.

Secundo: Præter istas tres Sirmicæ apparuerunt, prima quidem ann. 351. & laudatur ab Hilario, tametsi enim reticeat ὁμοούσιον, habet tamen sensum obvium optimum: secunda ann. 357. est blasphemiis adversus Verbum divinum referta: tertia ann. 359. potest benignam subire interpretationem, sed jejune Verbum patri similem profert.

§. II.

De vocabulo ὁμοούσιον.

QUIA vero non semel malæ fidei homines fidei dogmata refricare verbis dolosis ausi sunt, Ecclesia æquum duxit quibusdam uti terminis ad occludendum omni errori effugium; quos tamen quibusdam calumniis evacuare tentarunt. Ita se gessere Ariani, qui quandoque Verbum creaturam esse prædicabant; quandoque etiam juxta temporum varietatem, & ut Ecclesiæ anathemata declinarent verbis ambiguis suos simulabant errores: quocirca ne remaneret evadendi aditus, vox ὁμοούσιον ad significandam Verbi divinitatem celebrata est: quia tamen non invenitur quoad syllabas in Scripturis sacris, Hæretici versipelles eam rejecerunt. Hinc quæritur utrum rite apposita sit symbolo pro verbi divinitate explicanda. Pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO.

Rite apposita est vox ὁμοούσιον symbolo.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Illud rite appositum est vocabulum symbolo, quod clarissime explicat Verbi divinitatem, tum in veteri, tum in novo Testamento celebratam, quæque vox consequenter continetur in Scripturis quoad substantiam: Atqui res sic se habet: Ergo &c. Major patet, cum voces adhibeantur ad significandum & ad explicandum: Probatur minor quoad utramque partem. Primo quidem divinitas Verbi prædicatur in veteri Testamento juxta illud Isaiæ adagium cap. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth:* Deus ter dicitur sanctus: Ecce Trinitas: Et tamen non in plurali, sed in singulari Deus proclamatur Dominus, hoc est, tres sunt Sancti, scilicet Pater, & Filius & Spiritus; ita tamen ut tres personæ sint unus Dominus. Concinit novum Testamentum, maxime illud Joannis 1. cap. 5. versu 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* Ecce unitas in Trinitate clare admodum proposita. Altera minoris pars, nimirum quod vox ὁμοούσιον æquivalenter in divinis exprimatur Scripturis, liquet, cum nihil præter Trinitatem personarum in unitate exprimat, maxime vero unitatem in natura, quæ intercedit inter Filium & Patrem, quamquo non obscure indigitat ipse Christus Joannis 10. his verbis: *Ego & Pater unum sumus.*

Secunda ratio hæc est. Ecclesia est infallibilis, & ipso Spiritu sancto edocta tum ut credenda proponat, tum ut eadem explicet & propugnet adversus malignantes: sed vel ipsa Ecclesia addidit Symbolo ad explicandam Verbi divinitatem ὁμοούσιον. Igitur non absque temeritate animo irreverenti & contradicenti hanc aliquis rejiceret vocem. Quod autem ipsam Ecclesiam pro usu hujusce vocis habeamus magistram, audi, benevole Lector, Patres Concilii Nicæni, dicentes: *Credo in unum Deum Patrem .... & in unum Dominum Jesum Christum.... consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt.*

Audi Synodum Parisiensem quæ in epistola Synodica anno 362. conscripta, quæque apud sanctum Hilarium legitur in fragmentis, in qua quidem sic loquuntur, "„ Ὁμοούσιον sermonem ad veram & legitimam ex Deo Patre unigeniti Dei na„ tivitatem sumus amplexi. „ Ergo &c.

Tertia sic proponitur: Illa vox prædicta non sine fundamento a Patribus Nicænis instituta est, qua seclusa, vix Hæreticorum cavillos perrumpere & præpedire poterat Ecclesia: Atqui, ista omissa voce, difficile admodum erat frangere Arianorum iniquitatem, maxime vero illos distinguere, & a Fidelibus secernere. Ergo &c. Non unum est Patrum testimonium ad probandam minorem.

S. Athanasius agmen ipse ducet. In epistola

stola de Nicænæ Synodi contra Arianos decretis pag. 415. sic loquitur: " Ista quidem eatenus sustinebant Eusebiani, nihil ausi contradicere, ob probrum quod in dictis suis refutatis passi erant; sed ita tamen ut deprehenderentur inter sese mussitare, nutus conferre, oculisque sibi invicem applaudere, quasi illud simile esse & in eo esse, & eius potentiam esse, communia Filio nobiscum essent; neque obstare quidquam quominus nobis ea ipsa quoque adaptarentur, eo quod de similitudine nostra cum Deo scriptum habeatur, hominem esse & imaginem & gloriam Dei ... Cæterum Episcopi considerata illorum hypocrisi & vafritie, ipsi quoque necessitate coacti sunt sententiam earum rerum ex Scripturis colligere, & quæ prius dixerant, apertioribus verbis repetere & scribere Filium consubstantialem esse Patri, ut non solum similem similitudine, sed eumdem ea voce, qua esse ex Patre dicitur, significarent; atque aliam Filii similitudinem & inconvertibilitatem declararent, diversamque ab ea, quæ in nobis est, imitationem quam ex virtute per observationem mandatorum consequimur.

Eo loci S. Athanasius reddit rationem Patres Nicæni ad significandam Verbi divinitatem, vocem ὁμοούσιον adoptaverint, eo quod voce ὁμοιούσιον abuterentur Ariani, quippe qui Filium similem quidem Patri prædicarent, sed quo sensu? Intelligite, ea similitudine qua creaturæ Deo similes dicuntur. Quocirca ne remanerent in ore blasphemantium redargutiones, æquum duxere Patres Synodici apponere ὁμοούσιον.

Non injucundum erit de eodem momento audire S. Hilarium qui libro de Synodis revincit Arianos eo quod rejicerent verbum *consubstantiale*: " Inane est, *inquit*, calumniam verbi pertimescere, ubi res ipsa, cuius verbum est, non habeat difficultatem. Displicet cuiquam in Synodo Nicæna ὁμοούσιον esse susceptum; hoc si displicet, necesse est placeat, quod ab Arianis est negatum. Negatum enim idcirco est ὁμοούσιον, ne ex substantia Dei Patris Dei Filius natus, sed secundum creaturas ex nihilo conditus prædicaretur. "

Suo calculo eamdem muniunt vocem cæteri Patres, in primis S. Epiphanius hæresi 69. Ambrosius libro 3. de fide cap. 7. Augustinus libro contra sermonem Arianorum. His adde Marium Victorinum qui sub Costantino Imperatore floruit: ille lib. 2. adversus Arium non una ratione probat verbi ὁμοούσιον convenientiam, ne dicam necessitatem; deinde librum sic concludit: " Ὁμοούσιον vero magis ac magis teneatur, scribatur, dicatur, tractetur, in Ecclesiis omnibus, prædicetur. Hæc enim fides apud Nicæam, hæc fides Apostolorum, hæc fides catholica; hinc Ariani; hinc Hæretici vincuntur universi. "

Solvuntur objecta.

OBJICIUNT Heterodoxi: Illa vox non est admittenda, quæ in Scripturis sacris nusquam reperitur: Atqui ὁμοούσιον ubique deest in sanctis Scripturis: Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem, si non sit æquivalenter, concedo: sin minus, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Solutio est divi Athanasii qui libro de decretis Synodi Nicænæ objectionem præoccupat his verbis: " Quod si rursus, quia voces istæ in Scripturis solemnes non sint, obmurmurationes faciant, æquum profecto est, ut ea de causa ipsi potissimum rejiciantur .... sed tamen cognoscet, quisquis est studiosioris animi, has voces tametsi in Scripturis non reperiantur, habere tamen eas eam sententiam quam Scripturæ volunt. "

S. Gregorius Nazianzenus oratione 49. facit utique satis objectioni: " Si, *inquit*, dicis mihi *homousion* quod est unius essentiæ nomen, ob hoc nominari non oportere, quia in Scripturis divinis non contineatur: Quæro autem, o homo! qui hoc prohibes, utrum ideo nominari non debeat, quia scriptum non est, an quia credi ita non licet. Quod si ita credendum est, cur non ita profitendum? Aut si ideo nominandum non est, quia nec ita credendum; obtinuit Arianæ labis assertio ... frustra times, o homo! profiteri quod credis: aut frustra credis, si ita non profiteris, & merito hæreticus denotaris. "

Instant: Illa vox nova atque inaudita ad

ad Nicænum usque Concilium fuerat: Igitur nc quidem implicite in divinis continetur Scripturis: alias non inaudita censeretur.

Respondeo sicut prius: est nova quoad syllabas, transeat: quoad sensum, nego antecedens & consequentiam. Neque vero semel adumbratur in Scripturis maxime Philippensium 2. ubi Apostolus de Christo sic loquitur: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. (In forma) hoc est, in natura Dei esset; ex qua senteutia concludit S. Paulus: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. Quod quidem non justum foret, si Verbum incarnatum extitisse Deo æquale forma accidentali, & per gratiam creatam, &c.

Quid plura adjiciam? Vox *ingenitus* in Scripturis quoad syllabas nusquam reperies: & tamen uonnunquam sancti Doctores illam Patri tribuunt, ut denotent eum esse principium non de principio, quandoque etiam, & Filio; ut significent non esse factum & meram creaturam. In utroque sensu eam usurpat Sanctus Athanasius lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ his verbis. " Inter has agitur significationes, si „ quis ad priorem significationem respi- „ ciens, cum id denotatur, quod aucto- „ re sui careat, atque eo modo Filium „ non esse ingenitum dixerit, nequaquam „ ille culpaverit alium, qui cum Filium „ neque creaturam, neque opus esse, „ dicat eum ingenitum esse: uterque enim „ suum scopum spectans, recte locutus „ est. „

Dixi ad solutionem antecedentis transeat: namque falsum est vocem *homousion* non fuisse ante Concilium Nicænum usurpatam, quandoquidem, teste S. Athanasio lib. de decretis huiusce Synodi, & Theognostus, & Dionysius Alexandrinus, immo & Romanus summus Pontifex ante Concilii adunationem hanc ipsam vocem usurparunt, dicendo: " Filium ex Patris „ substantia productum & Patri consub- „ stantialem. „ Et rursus Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Paulum Samosatenum ait: Consubstantialem dici Filium Patri ab antiquis &c.

Urgent. Vox, quæ rejicitur a Conciliis, non potest admitti veluti sacræ Scripturæ fœtus ad explicationem divinitatis Verbi: Atqui Concilium Antiochenum illam rejicit. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Concilium Antiochenum illam vocem rejicit in sensu opposito Paulo Samosateno, concedo: in sensu catholico, nego. Dictum est supra Paulum iex consubstantialitate personarum conclusisse aut unicam esse in Deo personam, aut si plures, jam ipsas esse in natura etiam distinctas ad modum rerum corporearum. Solutio est divi Athanasii lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ; nec non & S. Hilarii lib. de Synodis sub finem, ubi respondens objectioni sic loquitur: " Damnemus iu commune vitio- „ sam intelligentiam: non auferamus fi- „ dei securitatem. Synodo Samosatenæ „ subscribendum putas, ne secundum Sa- „ mosateni intelligentiam quisquam sibi u- „ surpet ὁμούσιον: Subscribamus & Nicæ- „ næ Synodo ne ὁμούσιον improbent Aria- „ ni. „

Persistunt: Ratio qua ducti sunt Patres in Concilio Antiocheno rescindere vocem ὁμούσιον, eadem & erat tempore Concilii Nicæni quandoquidem plures Pauli Samosateni tunc aderant discipuli, cum ipsi Patres canone 19. mentionem de eis faciant, & collatum ab eis rejiciant Baptismum. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et ratio ulterior coegit Patres Nicænos restituere ὁμούσιον, concedo: & nulla erat, nego. Non diffitemur Pauli discipulos Ecclesiam vel ipso tempore Concilii Nicæni adhuc exagitasse, & idcirco Patres iterato anathemate eatenus eos percusserunt, quatenus illorum Baptisma vacuum declararunt, quippequi baptizarent in nomine Filii minoris, in quo cum Arianis conveniebant: Sed cum ex altera parte, scilicet quoad distinctionem personarum confutati manerent, Arius vero non distinctionem Verbi a Patre, sed consubstantialitatem aperte totis viribus impugnaret (hæresim quam Episcopi Ariani non pauci involucris obtegebant) operæ-pretium fuit ad illos detegendos simul & perstrigendos, uti verbo ὁμούσιον.

Replicant: Ariani fuerant quoque in duobus Conciliis Alexandrinis anathemate perculsi. Igitur non opus erat adversus eos iterum atque iterum insurgere per vocem ὁμούσιον.

Respondeo distinguendo: Et absolutis Conciliis allatis, invalescebant Ariani, concedo:

cedo: Et tunc non exardescebat controversia, nego. Arius tametsi damnatus multos sibi devinxerat Episcopos: hinc in apertum erupit incendium ejus hæresis, idcirco compescenda erat Concilio Oecumenico. Quia vero Arianismi fautores, ut declinarent Ecclesiæ anathemata, Verbum cum fraude parata dicebant Patri simile, necesse fuit fidem per *homousion* exprimere.

Insistunt: qui post Nicænum, omisso ὁμοούσιον, retinuerunt ὁμοιούσιον, non habiti fuut ut Hæretici. Igitur absque fundamento Patres Nicæni sub anathematis intermiuatione præceperunt subscribi ὁμοούσιον.

Respondeo distinguendo, qui retinuerunt solummodo ὁμοιούσιον corde perfecto, non fuerunt Hæretici, concedo: omissis quibusdam conditionibus, nego. Istæ erant secundum Athanasium, ut admitterent decreta Nicæna: juxta Hilarium dicerent Verbum simile in ideutitate, & secundum Basilium ὁμοιούσιον citra varietatem crederent, sed ὁμοούσιον in sensu obvio, & absque explicatione fidem consubstantialitatis Verbi continebat; hinc licet extra Concilium non fuerit absolute necessarium, secus in Concilio, quod regulam fidei condere debebat adversus Arianam perfidiam; Porro neminem latet canonem dogma complectentem verbis ita expressis fieri debere, ut non relinquatur aut ambigendi aut tergiversandi locus.

Reponunt, S. Athanasius in suo symbolo silet ὁμοούσιον: silet & Cyrillus Jerosolymitanus in suis Catechesibus, in quibus fidem pro rudioribus explicat & explanat. Igitur vox illa erat prorsus inutilis.

Respondeo 1. S. Athanasium silere etiam ὁμοιούσιον, & nonnisi implicite istam sicut & alteram vocem commemorare.

Respondeo 2. distinguendo: S. Athanasius silet ὁμοούσιον, ex eo quod Verbi consubstantialitas erat fusiori stilo explicanda, concedo: ex eo quod vox foret inutilis, nego. In Symbolis fides quoad omnes articulos clare explicatur. Sic consubstantialitatis dogma sanctus Præsul explanavit, dicendo: *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus; increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus; immensus Pater*, &c.

Ad S. Cyrillum Hierosolymitanum dico illam siluisse vocem propter duo, ut jam dictum est: Primo, quia inde Ariani sumebant accusare Catholicos de Sabellianismo. Secundo, ex eo quod propter novitatem vocis multi a suscipiendo Baptismate deterrebantur.

Obstrepunt iterum: vox ambigua, quæque scandalum parit, procul facienda est: Sed talis naturæ ὁμοούσιον tunc temporis erat. Igitur velut inutilis rescindenda erat; maxime cum fides Ecclesiæ per vocem ὁμοιούσιον sufficienter explicaretur.

Respondeo distinguendo minorem: vox ὁμοούσιον exposita pariebat scandalum, nego: non sufficienter exposita, subdistinguo: erat petra scandali simplicibus & Hæreticis, concedo: Catholicis, nego. Solutio est Theodoreti qui lib. 1. hist. Ecclesiast. cap. 12. sic loquitur: " Fatebantur illi ex substantia idem significare ex Patre esse, non tamen partem Patris esse.... Eodem modo etiam illud, Filium Patri consubstantialem esse, ratione & exquisitum est & probatum, non more corporeo debere intelligi, neque quidquam habere simile cum mortalibus animantibus: nam neque divisione substantiæ, neque defectione, sed nec affectione ulla, mutationeve paternæ essentiae & facultatis posse constare, ingenitam enim Patris naturam ab his omnibus prorsus alienam esse."

Ad probationem, nego inutilem fuisse vocem *homousion*, tunc temporis, ingravescente hæresi Ariana, fidem sufficienter explicatam extitisse per vocabulum *homoiousion*, quandoquidem Eusebiani, ut dictum est, teste D. Athanasio epist. de Nicænæ Synodi, decretis in pravum detorquebant sensum *homoiousion*. Non diffitemur tamen Verbi consubstantialitatem apprime illa voce exponi, dicendo Verbum esse Patri per omnia simile: Sed dubio-procul adhuc melius per *homousion*.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Vox ὁμοούσιον ad explicandam Verbi divinitatem Symbolo Nicæno recte apposita est.

PRIMOQUIDEM, quia citra tergiversationem importat substantiam Filii esse indivulsam a substantia Patris.

Secundo, quia inest Ecclesiæ potestas assumendi verba quæ ad explicandam fidem

fidem obtinent principatum; cum enim Ariani Verbum mente versipelli simile Patri dicerent, compulsi sunt Patres Nicæni, inquit S. Athanasius epist. de Synod. Nic. decretis, Verbo *consubstantialis* uti, ut non remaneret fidei adversariis effugiendi locus.

Tertio, S. Hilarius l. de Syn. Epiphanius hær. 69. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 7. & alii Patres, & post ipsos universalis Ecclesia traditione perpetua colit hoc vocabulum ad explicandam Verbi cum patre consubstantialitatem.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Incassum opponunt Heterodoxi vocem laudatam in Scriptura sacra non reperiri. Esto quoad syllabas, sed quoad substantiam dubio-procul legitur, maxime Phil. 2. ubi Christus dicitur Patri æqualis.

Secundo: Nec magis proficiunt dicentes vocem a Concilio Antiocheno rejici; sed quo sensu? Nisi in sensu Sabellianorum, qui ex consubstantialitate trium personarum, totidem concludebant esse Deos: quam quidem abyssum ut vitarent, in alteram impegerunt, asserentes unicam esse in divinis personam.

Tertio: Vocem ambiguam & uti scandalum inducentem prædicant: Sed quo animo hæc disseminabant Ariani, nisi quia non remanebant in eis vi vocabuli in ore redargutiones?

§. III.

Utrum vox ὁμοούσιον statim post Nicænam Synodum fuerit in usu?

VOX ὁμοούσιον quod redditur latine, *simile*, nonnullas movit in Ecclesia tragœdias, aliis ad significandam Verbi divinitatem sufficere propugnantibus, aliis e contra, minus virium habere proclamantibus: ut autem hæc controversia adamussim dirimatur, duo impræsentiarum enucleanda veniunt: alterum de necessitate ὁμούσιον: alterum vero de sufficientia ὁμοιούσιον ad fidei explicationem; unde primum momentum in articulo præsenti & speciali tractare juvat. Alterum in subsequenti explicabimus.

CONCLUSIO.

Ὁμούσιον non fuit vox necessaria necessitate absoluta immediate post completam Nicænam Synodum ad explicationem fidei, ita ut apud omnes Catholicos fuerit tunc in usu.

Probatur multis argumentis.

PRIMO QUIDEM ex Concilio Antiocheno, quod œconomiæ causa illam siluerat vocem, ea ductum ratione quod Sabelliani ex consubstantialitate personarum divinarum, earumdem inter se distinctionem realem exsufflare atque tentare molirentur: Igitur non absimili ratione potuit Ecclesia permittere ad tempus *homousii* omissionem; & hoc variis motivis: Primo quidem ex eo quod illud vocabulum, propter novitatem quoad syllabas, non paucos conturbaret: Secundo, quia inde Ariani sumebant argumentum Catholicos ut Sabellianos & prædicare & habere: Ergo &c.

Idem colligitur ex Synodo Parisiensi anno 362. adunata; namque Patres in epistola Synodica ad Episcopos Orientales multa de utroque vocabulo & *homoousion* & *homoiousion* disserunt: tum subnotant *homoousion* non fuisse semper in usu, deinde vero ejusdem vocabuli applicationem celebrant: tertio loco similitudinem in natura non abnegant: “ Plures numero, ,, *inquiunt*, qui aut Arimini, aut Nicææ ,, adfuerunt, sub auctoritate vestri nomi- ,, nis ad usiæ silentium sunt coacti; ,, quod Verbum a vobis quondam contra ,, Ariomanitarum hæresim inventum, a ,, nobis semper sancte fideliterque susce- ,, ptum est. ,, Eo loci agnoscunt Gallicani Præsules, Patres tum Sirmienses, tum etiam Nicænos quandoque omisisse *homoousion*; deinde hæc subjungunt de Verbo: “ Et quia ex ipso esset, ut ex ,, patre filius, ut ex Deo Deus, ut ex ,, virtute virtus, ut ex spiritu spiritus, ,, ut lumen ex lumine; similitudinem quo- ,, que ejus ad Deum Patrem non inviti ,, audientes, quippe cum imago invisibilis ,, Dei sit, sed eam solum similitudinem ,, dignam ad Patrem intelligentes, quæ

veri

„ veri Dei sit ad Deum verum : ita ut „ non unio divinitatis, sed unitas intelligatur : quia unio sit singularis, unitas vero secundum nativitatis veritatem „ plenitudo nascentis sit : maxime cum „ Dominus noster Jesus Christus ad discipulos suos sit professus dicens : *Ego & Pater unum sumus* : quo non solum charitatem quæ ad Patrem est, sed & divinitatem, quæ Dei ex Deo est, significat, secundum illud : *Qui me videt, videt & Patrem*. „ Quibus verbis non abjicit Concilium similitudinem quæ est & specifica, & substantialis, quæquæ Filium ejusdem cum Patre naturæ necessario existere significat.

Secundo, eadem veritas propugnatorem habet vel ipsum Athanasium qui adfuit Concilio Nicæno. Ille enim post elapsum Concilium, in libro quem de Synodis conscripsit, testatur se habere ut confratres eos, qui, omisso *homousio* ponebant *homoiousion*. Igitur prima vox completa Synodo Nicæna, non erat absolute necessaria ad fidei explicationem: Sic loquitur sanctus Doctor loco citato pag. 705. " Adversus autem eos qui omnia Synodi „ scripta recipiunt, de solo autem consubstantiali ambigunt, non ut adversus „ inimicos affici nos decet : neque enim „ veluti adversus Ariomanitas, aut quasi „ bellum gesturi Patribus contradicimus, „ sed veluti fratres cum fratribus disceptamus, ut cum quibus nobis eadem sit „ sententia, controversia autem de verbis. Nam cum profiteantur Filium ex „ Patris substantia, & non ex alia substantia esse, nec creaturam eum, nec „ opus existere, sed genitum & naturalem Patris fœtum, & æternaliter cum „ Patre esse, cum ejus & ratio & sapientia sit, non longe absunt a recipiendo consubstantiali. Talis est Basilius ex Ancyra in scriptis suis de fide.„ Ecce palam S. Athanasius proclamat illos esse Catholicos, qui Verbum Patri simile confitentur, nec eos a fide Nicæna discedere, modo Concilii suscipiant definitiones. Quid plura adjiciam? In Symbolo quod beato tribuitur Athanasio tota sanctissimæ Trinitatis fides explicatur, & tamen ὁμούσιον siletur. Ergo &c.

Non dissentit sanctus Hilarius qui omittentes vocem ὁμούσιον, excusatos habet, eo ipso quod Filium per omnia Patri similem assererent. In libro de Synodis ait: " Caret igitur, fratres, similitudo naturæ contumeliæ suspicione. Nec potest „ videri Filius idcirco in proprietate paternæ naturæ non esse, quia similis est; „ cum similitudo nulla sit, nisi ex æqualitate naturæ : æqualitas autem naturæ non potest esse, nisi una sit, una „ vero non personæ unitate, sed generis. Hæc fides pia est, hæc conscientia religiosa, hic salutaris sermo est, „ unam substantiam Patris & Filii idcirco non negare, quia similis est; similem vero ob id prædicare, quia unum „ sunt. „ Observes velim S. Hilarium excusatos habere eos qui, omisso ὁμοούσιον, ponebant, ὁμοιούσιον, quatenus simile idem sonat ac æquale : æquale vero unitatem in substantia importat, quod quidem optimum ducit sanctus Doctor, qui certe post Nicænam Synodum scripsit.

Facundus Hermianensis Episcopus lib. 1. cap. 6. magnis effert laudibus sanctum Hilarium propter ejus in alios & humanitatem & caritatem, & sic de eo loquitur: " Illud est multo amplius, quod idem sanctus Hilarius æque defendit Sirmiense „ Concilium, in cujus decretis dictum „ est, si quis est &c. „

Rursus lib. 11. cap. 8. de eodem momento sic habet : " Fas non est omnino „ de tantæ pietatis viris male sentire, „ qui ex semetipsis alios æstimantes excusare studuerunt dicta majorum, & „ qualiter a se dici possint, taliter ab illis prolata & ab Ecclesia suscepta crediderunt, ut in ea permanerent Episcopi. „ Scilicet Sirmienses : Ergo &c.

Tertio, his adde Theophanem qui in chronologia sanctum Cyrillum Hierosolymitanum ab omni erroris nævo vindicat, tametsi ὁμούσιον tacuisset : " Quod, *inquit*, *consubstantialis* vocem in Catechesibus conticuerit, oportebat.... *Consubstantialis* vocem silere quæ plurimos „ offendebat, & adversariorum controversiis a sacro Baptismate multos deterritura erat. *Consubstantialis* autem notitiam paribus significationis vocibus „ clarius exprimere, quod a Cyrillo præstitum est. „ His nempe ductus rationibus, ne scilicet adversariorum fidei controversiis & querelis plurimi a Baptismo suscipiendo deterrerentur, sanctus Cyril-

lus

lus æquum duxit omittere ὁμοούσιον. Igitur statim post Nicænam Synodum vocabulum ὁμοούσιον apud omnes etiam sanctos Episcopos non fuit in usu.

Quarto, celebre est pro eodem momento testimonium Marci Ephesini qui in Synodo Florentina Sessione 5. sic loquitur: " Post factam a prima Synodo fidei expo-,, sitionem, transactis non paucis annis us-,, que ad secundam, medio illo tempore ,, diversis in locis a Provincialibus Con-,, ciliis factæ sunt supra triginta exposi-,, tiones, in quibus sublata illa voce *con-,, substantialis* reliqua sunt valde similia ,, primæ illi expositioni.,, Claret eum habere sermonem de professionibus fidei Semiarianorum: neque vero hoc reprehendit Florentinum.

Quinto, denique illud eandem indicat veritatem quod per diu post Nicænam Synodum Ariani Catholicis consociati erant. Audiendus de hac re Theodoretus epistola 122. " Nam & in magna Synodo Ni-,, cæna, *ait*, suffragati quidem sunt Or-,, thodoxis illis, qui Arii partium erant, ,, & Apostolicæ fidei expositioni mani-,, bus suis assensere: perrexerunt tamen ,, veritati bellum inferre, quod ad Ec-,, clesiæ corpus differpsere & triginta qui-,, dem per annos inter se communican-,, tes præstiterunt, tum qui Apostoli-,, cis dogmatibus inhærebant, tum qui ,, Arii blasphemia laborabant.,,

Quid plura? Eidem ex professo subscribunt sententiæ non ignoti nominis Theologi. Inprimis Petavius; tomo primo de Dogmatibus. Thomasinus dissert. 5. in Synodum Ariminensem. P. Alexander dissert. 15. quarti sæculi. Vel ipsa ratio suffragatur quæ in hac proponitur forma. Quoties emergit aliqua circa fidem controversia, maxime vero penes vocabula, ad pacem componendam, ne res in deterius abeant, nullus culpæ reus habetur, modo in substantia dogma salvetur; parum quippe refert idem uno aut altero exprimi vocabulo, modo alterutrum idem in re significet: Ecclesia enim non semel hac usa est œconomia: Igitur ista potuit licentiam facere expresso, vel tacito consensu consubstantiatem verbi modo per ὁμοούσιον, modo per ὁμοιούσιον exprimi. Igitur non necesse absolute erat statim post completam Synodum Nicænam Filii divinitatem verbo ὁμοούσιον explanare.

Diluuntur objectiones.

OBJICIES: Concilium Nicænum ὁμοούσιον vocem consecravit, ad exprimendam Verbi divinitatem, & sub pœna anathematis voluit recipi, ita ut renitentes exauctoraverit; inter quos nonnulli præ pertinacia etiam in exilium pulsi sint: Igitur a Concilio completo nemini licitum erat a vocabulo *homousion* abstinere.

Respondeo distinguendo Antecedens: & Patres vocem *homousion* incunctanter ab omnibus exegerunt propter vafritiem Arianorum, qui mente versipelli fidem divinitatis Verbi profitebantur, tum ut suum decretum esset regula fidei, concedo: Ita ut imposterum non posset terminis æquivalentibus exprimi Verbi consubstantialitas, nego. Latum est discrimen inter ea quæ actitata sunt a Patribus Nicænis, & a quibusdam aliis Episcopis decursu temporum: Ariani Præsules in Concilio omnia tentabant, ut fidem consubstantialitatis Verbi cum Patre evacuarent, idcirco opus fuit decretum pro regula fidei verbis ita claris exprimere, ut vel minimum ab hoc dogmate discedere non foret locus: Unde nec mirum videri debet si quidam renitentes exauctorati sint: sed absoluto Concilio, controversia mota est de verbo *homousion* quod quidem multas in Ecclesia movebat Tragœdias; quibusdam dicentibus Verbum esse Scripturis sacris prorsus impervium, aliis vero propugnantibus ὁμοούσιον in sententiam Sabellii collimare. Ne igitur fucato aliquo prætextu a fide Nicæna aliquis absccederet, ad tempus licitum non fuit, non sine œconomiæ causa, verbis æquivalentibus consubstantialitatem Filii & exponere & profiteri.

Instabis: Illud Verbum absque fidei periculo non potuit omitti, ut primum consecratum est a Patribus Nicænis ad fidem consubstantialitatis profitendam, quo omisso, ipsa non explicabatur fides: Atqui a definitione Concilii per aliud vocabulum non satis explicabatur fides de consubstantialitate Verbi; & probatur: Ex divo Athanasio qui in Epistola de Synodi Nicænæ adversus Arianos decretis pag. 115. asserit ὁμοούσιον adoptatum fuisse a Concilio ea potissimum ratione quod

homo-

homoiousion esset ad hoc significandum impar. Sic enim eo loci loquitur: " Ista „ quidem eatenus sustinebant Eusebiani, „ nihil ausi contradicere ob probrum quod „ in dictis suis refutati passi erant: sed „ ita tamen ut deprehenderentur, inter „ sese mussitare, nutus conferre, oculisque „ sibi invicem applaudere, quasi illud, „ simile esse, & in eo esse & ejus potentiam „ communia filio nobiscum essent ... Cæterum Episcopi considerata illorum hypocrisi & vafritie, ipsi quoque necessitate coacti sunt sententiam earum rerum ex scripturis colligere, & quæ prius dixerant, apertioribus verbis repetere & scribere filium consubstantialem esse Patri. „ Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: secluso *homoousio* fides consubstantialitatis Verbi in periculum veniebat ipso Concilii tempore, concedo: in alio, nego. Inter Patres Synodicos Eusebius & quidam alii Arium excusatum habebant, nec damnationi ejus Thaleiæ subscribere volebant; hinc corde Ariano non nisi *homoiousion* adoptabant, eo quod istam vocem in suos vanos sensus detorquere poterant: quocirca ne remaneret ad errorem aditus, *homoousion* elegere Patres. Quia vero ab Arianis abnegaretur, ne regula fidei incassum fieret, sub excommunicationis interminatione coegerunt Patres Eusebianos subscribere consubstantialitati Verbi, & ipse Eusebius Cæsariensis in Epistola ad suos Diæcesanos testatur suum addidisse calculum voci *homoousion*. Sed facto decreto fidei, in tuto permansit consubstantialitas: unde non mirum si postea licitum fuit quandoque uti verbo *homoiousion*, ea tamen conditione, ut eumdem prorsus redderet sensum ac *homoousion* definitione Concilii firmatum ac roboratum.

Auctoritas divi Athanasii in eodem prorsus sensu intelligenda est, cum in libro de Synodis pag. 705. veluti Fratres habeat eos qui omisso ὁμοούσιον, ὁμοιούσιον substituunt. " Adversus autem eos, *inquit*, qui omnia Synodi scripta recipiunt, de solo autem *consubstantiali* ambigunt, non ut adversus inimicos affici nos decet: neque enim adversus Ariomanitas, aut quasi bellum gesturi patribus contradicimus, sed veluti fratres cum fratribus disceptamus, ut „ cum quibus nobis eadem sit sententia, „ controversia autem de verbis. „ &c.

Urgebis: Atqui sanctus Athanasius in ea versatus est sententia, ut crediderit ὁμοούσιον non posse unquam omitti: & probatur. Qui existimat, vocem *simile* non nisi alicujus per naturæ participationem vel qualitatem aliquam accidentalem exprimere, dubio-procul existimat solam vocem, *homoousion* exponere Verbi divinitatem; quæ quidem in eo sita est, ut eamdem & specie, & numero habeat cum Patre naturam: Atqui sic propugnat ille Pater libro de Synodis ubi sic effatur. „ Nam in substantiis non similitudo, sed „ identitas affirmari debet ..... Ac rursus: „ homo cani nequaquam similis dicetur, „ sed natura diversus. Quocirca quod est „ *homoiousion*, idest ejusdem naturæ, „ etiam *homoousion* erit, idest consubstantiale. Unde qui secundum substantiam „ simile dicit, participatione quadam simile esse definit. Nam simile, qualitas est quædam, quæ substantiæ advenit. Hoc vero factarum rerum proprium est, quæ propter participationem fiunt similes Deo. „

Eadem ductus ratione Marius Victorinus lib. 1. adversus Arium rejicit *homoiousion* quinimmo Auctor libri de Filii divinitate inter opera sancti Ambrosii cap. 2. contendit non alium præ se ferre sensum vocem *simile*, quam aliquem non in natura, sed in qualitate parem cum altero existere. Ergo &c.

Respondeo primo, plurimos alios hunc affingere sensum voci *simile*, ut vel ipsam in natura identitatem denotet, maxime si ista apponatur clausula, (*per omnia simile*;) vel etiam si aliquis dicatur alteri similis omnino, seclusa restrictione, & ut Basilius ait, asserendo simpliciter Verbum esse Patri simile, non addendo moraliter & per affectum, ut ponebant Ariani teste sancto Athanasio Epistola de decretis Synodi Nicænæ, ubi illos sic revincit: " Ita tamen ut deprehenderentur inter se mussitare ... Quasi „ illud simile esse, & in eo esse, & „ ejus potentiam esse, communia filio „ nobiscum essent ..... Eo quod de similitudine nostra cum Deo scriptum habeatur, hominem esse & imaginem, „ & gloriam Dei. „

Respondeo secundo, negando subsumptum,

tum: Ad probationem distinguo majorem; si sanctus Athanasius omnino excluserit alium sensum, quo per vocem *simile*, intelligatur identitas substantiæ concedo: sin minus, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Ad secundam probationem, dico sanctum Doctorem perstringere Arianos qui rejicientes *homoousion* adoptabant *homoiousion*, eo quod propter duplicem sensum, quem vox illa subire potest, a divinitate Verbi declinarent ad nutum. Neque vero diffitemur *homoiousion* in sensu obvio similitudinem participatam sapere; sed contendimus ipsam naturæ identitatem etiam exprimere, maxime cum ea voce utentes addunt Verbum esse *per omnia Patri simile*. Quod autem sanctus Athanasius hunc plane non rejiciat sensum, patet ex probationibus: namque lib. de Synodis Episcopos verbum *homoiousion* retinentes, amicos vocat & Catholicos, immo & confratres, eo quod in eadem cum illo versentur sententia: " Nam cum profiteantur, *inquit*, filium „ ex Patris substantia, & non ex alia „ substantia esse, nec creaturam eum, „ nec opus existere, sed genuinum & naturalem Patris fœtum, & æternaliter „ cum Patre esse, cum ejus & ratio & „ sapientia sit, non longe absunt a recipiendo *consubstantiali*. Talis est Basilius „ ex Ancyra in scriptis suis de fide. „

Eadem est solutio ad alios Scriptores Ecclesiasticos, quorum omnium auctoritates unum tantummodo probant, scilicet *homoousion* clarius explicare Verbi divinitatem, quam *homoiousion*.

Instabis S. Hilarius Athanasio coævus existimat scatere fraudem in Verbo *homoiousion*. Igitur ex sanctorum Doctorum mente non potuit omitti etiam ad tempus *homoousion*. Probatur antecedens: Libro de Synodis ad calcem sic alloquitur Episcopos: " Multi ex vobis fratres, charissimi, ita unam substantiam Patris & „ Filii prædicant, ut videri possint non „ magis id pie, quam impie prædicare: „ habet enim hoc verbum in se & fidei „ conscientiam, & fraudem paratam. „ Oro vos, fratres, adimite suspicionem, „ secludite occasionem. „ Quid plura? Idem] sanctus Doctor Confessiones fidei Semiarianorum in Concilio Antiocheno annis 343. & 345. editis, fidem temporum non semel vocat, Ergo &c.

Respondeo 1. opponendo Hilarium Hilario, qui in eodem de Synodis libro hortatur Orientales Episcopos ne dum prædicant *homoousion*, damnent *homoiousion*, cum divinitas Verbi utroque vocabulo designetur: " Quid, *inquit*, fidem meam „ in Homousion damnas, quam per Homoiusii Confessionem non potes non probare? Damnas enim fidem meam, vel „ potius tuam, cum damnas intelligentiam ejus in nomine. „

Respondeo 2. retorquendo argumentum. Namque contra eos, qui *homoousion* retinebant, loquitur etiam Hilarius: ne scilicet admittendo *homoousion* in errorem Sabellianum impingant; hortaturque sua dicta sic componant, ut citra periculum subsistat fides: " In his igitur, *inquit*, tot „ tamque gravibus fidei periculis, verborum brevitas temperanda est, ne impie dici existimetur, quod pie intelligitur. „

Respondeo 3. distinguendo: Et sanctus Doctor asserit imminere fraudem in verbis, ut adhortetur & retinentes *homoousion*, & *homoiousio* utentes, ne explicationis defectu scandalum pariant, concedo: Et ita loquitur ut *homoiousion* proscribat, nego. Sanctus Hilarius est sui ipsius interpres, quippe qui ibidem & Orientales & Occidentales alloquatur: Orientales quidem, quos habet etiam ut Catholicos his verbis: " Adimite suspicionem, secludite occasionem: ut probari possit *homoiusion* non improbemus *homoousion*. „ Occidentales vero, qui teste Severo Sulpitio lib. 2. Histor. Eccles. falso ab Arianis Sabellianismi accusabantur sic alloquitur; " Multi, *ait*, ex vobis, fratres „ charissimi, ita unam substantiam Patris „ & Filii prædicant, ut videri possint „ non magis id pie quam impie, prædicare. „

Persistes: Ut primum sancti Patres in eadem sistunt sententia, argumentum est contrariam prorsus abjici: sed sanctus Basilius qui versus Hilarii tempora florebat, rejicit *homoiousion* veluti Arianorum fraude inductum: Igitur nusquam fuit licitum abstinere a Verbo *homoousion*. Probatur minor. Epistola 41. profitetur se habere suspectum *homoiousion*, & Epist. 30. hanc reddit rationem cur *homoousion* additum sit Symbolo: " Quia ex non ente ad esse „ productum fuisse Filium etiam tunc

„ non

„ nonnulli asseverabant. Hanc ut abscinderent impietatem illi Patres, nomen Homousii usurpaverunt. Nam Filii ad Patrem adunitio sine tempore est & interstitio. „ Quo posito, istud sequitur argumentum: si quæ fidei formula apud eos qui omittebant *homoousion* catholica erat, maxime illa in qua quidem anathemate percelluntur ii qui negant Verbum non esse ex non ente, sicut habetur in formula prima Sirmiensi: Atqui tamen Sanctus Basilius eam veluti impietatem rejicit, & asserit propter hanc propositionem Patres Nicænos addidisse Symbolo, *homoousion*. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Sanctus Basilius rejicit *homoiousion* nudum, concedo: *homoiousion* cum additione (citra varietatem) nego minorem & consequentiam. Duplicis generis homines *homoiousion* usurpabant loquendo de Filio Dei: ex una parte Acaciani, qui quidem Verbum simile Patri dicebant, sed non per omnia, immo similitudinem tantum affectivam intelligebant: alii vero consubstantialitatem vocabulo *simile* exprimere intendebant: Ne igitur aliqua fraus obreperet, sanctus Doctor voluit apponi (citra varietatem) qua posita clausula admittit toto corde *homoiosion*, Epist. 41. " Si, quid ipse sentiam, *ait*, dicendum „ est, hoc vocabulum, *simile* secundum „ essentiam, τὸ ὅμοιον κατ᾽ οὐσίαν siquidem huic dicto adjunctum fuerit, ἀπαραλλάκτως *citra ullam varietatem*: eam „ ego amplector, proboque vocem. „

Ad secundum locum eadem est solutio, & ad argumentum distinguo minorem: S. Basilius vocat istam propositionem impiam, *Verbum ex non ente factum est*, in sensu Acacianorum, qui volebant factum fuisse in tempore, concedo: in sensu obvio, nego: quandoquidem formula illa prima Sirmii a multis omni exceptione majoribus veluti admodum catholica celebratur. Cæterum Basilius ipse in loco objecto suam prodit mentem, hanc enim reddit rationem cur *homoiousion* abjici debeat, quia Verbum factum fuisse in tempore asserere impium est; cum potius sit Patri coæternum.

Insurges. Quicumque loco *homoousii* adoptavere *homoiousion* in suspicionem fidei venerunt, testantibus Historiographis. Ergo non licitum fuit omittere *homoousion*.

Respondeo distinguendo: in suspicionem fidei venerunt præsumptive, concedo: absolute, nego. Quia vero Ariani mente versipelli *homoiousion* usurpabant, vel etiam quidam alii, in quamdam hæreseos suspicionem isti quoque veniebant, nisi aliquam adderent explicationem subjiciendo simile *citra varietatem* aut *simile per omnia*.

SYNOPSIS PROBATIONUM

Vox homoousion *tametsi ad fidem divinitatis Verbi explicandam optima, non tamen erat absolute necessaria.*

Primo, hoc ipsum patet ex Concilio Antiocheno qui illam omisit, & ex Concilio Parisiensi dicente, vocem illam non semper fuisse in usu.

Secundo, idem constat ex SS. Athanasio, Hilario, Basilio qui ut Catholicos habent eos, qui vel post ipsam Synodum Nicænam dicebant Filium in substantia & identitate Filium Patri similem.

Tertio: Idem constat ex Facundo Hermian. L. 1. cap. 6. Theophane in Chronologia, ubi laudat S. Cyrillum Hierosolymitanum eo quod verbum *homoousion* œconomiæ causa aliquandiu reticeri voluerit, ne quidam defectu intelligentiæ vocabuli a Baptismo suscipiendo deterrerentur.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

Primo, ultro fatendum est vocem *homoousion* fuisse absolute necessariam tempore celebrationis Concilii Nicæni, quandoquidem Ariani vocabulo *homoiousion* abutebantur, unde in definitione fidei erat apponenda vox *consubstantiale*, ut cuncti imposterum fideles intelligerent Verbum esse Deum: sed hac facta regula potuit aliis verbis explicari fides, & hoc semper relative ad *homoousion*.

Secundo, neque negamus Verbum, *simile*, aliquam ordinarie loquendo importare qualitatem accidentalem, sed modo addatur, *simile in substantia homoiousion* idem dicit ac *homoousion*.

Tertio, jure merito S. Hilarius fidem pro-

professiones, in quibus non erat *homoeusion* veluti erroneas habet, sed solummodo propter abusum, nusquam vero cum Verbum simile Patri in identitate dicitur, ut ipse S. Doctor scribit.

§. IV.

Utrum vox ὁμοιούσιον fidem Nicænam ita perfecte explicet, ut illam usurpantes essent vere Catholici.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur unico sed irrefragabili ratiocinio Theologico.

ILLA vox Nicænam explicat fidem citra omnem hæreseos nævum, quæ significat Filium esse Patri in identitate similem; nihil enim ultra ὁμοιούσιον, importat: Atqui ὁμοιούσιον Filium in identitate Patri similem significat: Igitur illa vox absque hæreseos labe fidem Nicęnam plane explicat. Major patet ex Apostolo qui Philipp. 2. de Christo sic loquitur: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. In ista sententia duo plurimum ponderanda sunt: Primo quidem Apostolus asserit Filium Dei incarnatum Patri esse æqualem: porro *simile* idem sonat ac *æquale* juxta illud Hilarii libro de Synodis: " Quæro quomodo ,, possint alterum ad alium, nisi per si,, militudinem coæquare? .... Non est ,, æqualitas in dissimilibus ... Prędican,, tes itaque similem Filium in omnibus ,, Patri, nihil aliud quam æqualem præ,, dicamus. Perfectæ æqualitatis habet si,, gnificantiam similitudo; & hoc ex san,, ctis Scripturis intelligendum est .... ,, Caret igitur, Fratres, similitudo na,, turæ contumeliæ suspicione .... cum ,, similitudo nulla sit, nisi ex æqualitate ,, naturæ: æqualitas autem naturæ non ,, potest esse, nisi una sit. ,, Secundo, ibidem S. Paulus ait de Filio Dei ibid. cap. cap. 2. *In similitudinem hominum factus*; sed nemo aut Patrum, aut sanctorum Doctorum dixerit Christum fuisse solummodo hominibus similem in aliqua æqualitate accidentali & perfectione: quinimmo Patres Antiocheni adversus Paulum Samosatenum adunati definiere Filium Dei esse nobis consubstantialem secundum naturam humanam; & hoc ipsum incunctanter propugnavit Ecclesia contra Apollinarem qui Verbum incarnatum carnem nonnisi phantasticam habere autumabat: Cum igitur ex Apostolo similitudo importet *consubstantialitatem*, absque fidei periculo Verbum potuit dici Patri simile: Sed gravior est de minore difficultas, num scilicet Præsules versus Arii tempora per vocabulum *homoeusion* intellexerint Verbum in identitate Patri similem: affirmativam propugnamus, si Arianos excipias.

Præsules nomine *homoeusion* intelligebant Filium Dei Patri in identitate similem.

Probatur multis momentis.

PRIMO, ex omnibus argumentis quibus probavimus vocem *homoousion* ad tempus fuisse etiam a Catholicis omissam.

Secundo ex Conciliis: Ita enim illam intellexerunt vocem Basilius Ancyranus, Meletius Patriarcha Antiochenus, Eusebius Samosatenus, & alii permulti, qui in Synodo Ancyrana congregati formulam secundam Sirmicam, in qua non sine magna impietate quidam Præsules dicebant Filium non esse per omnia Patri similem, ut contendebant Aetius & Eunomius, proscripserunt, & illam propugnantes anathemate percusserunt sequentibus verbis: *Si quis*, inquiunt, *in Patrem ac Filium credere se profitens, Patrem non similis cum Filio essentiæ dicat esse, sed actionis, tanquam profanas vocum novitates de Filio Dei pronuntiare ausus, & veram Filii proprietatem evertere, anathema sit*.

Idem Basilius Ancyranus in nonnulla Synodo Sirmii formulæ fidei subscribere consensit, modo Filius per omnia Patri similis prædicaretur: & in eam sic consensit ut scriberet: " Similem in om,, nibus Patri esse Filium: in omnibus ,, vero, non voluntate solum, sed & ,, subsistentia & existentia, adeoque es,, sentia ipsa.,,

Concilium Seleuciæ adunatum eodem sensu verbum *homoeusion* retinuit, & huic probabiliter subscripsit S. Hilarius, quippe

pe qui, teste Severo Sulpitio lib. 2. Hist. adesset Synodo: hinc lib. de Synodis magnus ille Pater sic scribit de vocabulis *homousion* & *homoeusion* " Si dum non utrumque recipimus, neutrum retinemus. "

Suffragatur Concilium Aquileiense in quo quidem S. Ambrosius voluit damnari Palladium & Secundinum Episcopos. Sanctus Doctor ibi istos plurimum exagitat Arianos, nihilque non tentat ut suos & fateantur & ejurent errores. Sciscitatur ab eis num Christus esset Deus immortalis? Num bonus? Num verax? Sed in omnibus interrogationibus altum silentium de consubstantialitatis verbo.

Observes Basilium Ancyranum de quo loquitur S. Athanasius, quemque ut catholicum habet, non esse magnum Basilium Cæsareæ in Cappadocia Episcopum, quippe qui inauguratus sit Episcopus anno 369. oratio vero, in qua sanctus Athanasius loquitur de Basilio Ancyrano, conscripta fuit anno circiter 356. eo scilicet tempore quo Georgius Alexandriam missus est. In eadem oratione Eustathium inter magnos Episcopos annumerat sanctus Doctor.

Tertio: ex Historiographis Theodoretus lib. 3. Hist. Ecclesiast. cap. 3. laudat Constantinum Imperatorem tametsi Arianorum fautorem, eo quod Filium Dei Patri coævum dixerit, qui tamen siluit *homousion*; quod sane argumentum est juxta Theodoretum, eos qui illud reticebant vocabulum in hæreseos crimen non venisse: " Tametsi, *inquit*, Constantius " quorumdam suasu in fraudem inductus " verbum *homousion* non approbavit; tamen ipsam rem, quæ verbo significabatur, sincere & ex animo confessus est. Quippe ingenue Filium ante sæcula a Patre genitum Deum Verbum nominavit. " Concinit Sozomenus in libro 2. Hist. Eccl. cap. 31. ubi sermonem instituens de Concilio Orientalium Seleuciæ adunato subdit eos Præsules hujus Synodi, qui Arianis adversabantur, & quorum prævalebat numerus, suscepisse decreta Concilii Nicæni, si vocem *homousion* excipias. Idem lib. 5. cap. 12. expressius de hoc loquitur momento, his verbis: " Pars Imperii ad solem orientem vergens, etsi post Concilium Antiochenum discedere, & a fide Concilii Nicæni palam jam dissentire cœpit: tamen meo quidem judicio si complurium mentem spectes, in eandem revera sententiam quasi pedibus itum est, concessumque Filium ex Patris essentia constare. At vero quidam contentionis studio adducti contra verbum *consubstantiale* pugnaverunt. " Audis Sozomenum scribere non de substantia dogmatis, sed de expressione litem tunc temporis fuisse inter Præsules.

Quarto, quid plura adjiciam? Inter eos qui verbum *homousion* omiserunt, alii veluti Catholici habiti sunt; quinimmo alii etjam in albo Sanctorum numerantur. Priores sunt, Basilius Ancyranus, Eustathius Sebastæ, Silvanus Tarsensis, & Eleusius Cysicus: posteriores vero; Meletius, Eusebius Samosatenus, & Cyrillus Hierosolymitanus. Quis autem sanæ mentis dixerit Catholicos & Sanctos Verbi abnegasse divinitatem? Ergo &c.

Non abs re erit etiam hic observare sanctum Hilarium sic celebrare Eleusium, ut asserat in decem Asiæ Provinciis omnes ferme, excepto Eleusio & quibusdam aliis, prorsus ignorare Deum.

Theodoretus lib. 2. Hist. Eccles. cap. 27. scribit eumdem Eleusium in exilium pro fidei Nicænæ defensione fuisse missum. Eo loci celebrat encomium Basilii Ancyrani & Eustathii Sebastæ. Legantur de his momentis capita 25. & 27. jam laudata: ibi refert Sylvanum Tarsensem, Eleusium, & Eustathium Sebastæ, atque Basilium Ancyranum strenuos fuisse fidei Nicænæ defensores, quorum duo priores exularunt, eo quod coram Constantio illam intrepide propugnassent. Quinimmo vel ipse Basilius Imperatorem redarguere non dubitavit, eo quod insidias doctrinæ Apostolicæ tenderet.

Non prætereundum est quod ut primum, mortuo Juliano Apostata, pax Ecclesiæ reddita est, Basilius Ancyranus; Sylvanus Tarsensis & quidam etiam alii cum eis a Joviano pio Imperatore expostularunt, ut, expulsis a Sedibus Anomæis, qui propugnabant Filium non esse Patri per omnia similem, alii, qui dicerent per omnia similem, eorum loco restituerentur. Ita scribit Sozomenus lib. 6. c. 4.

Denique Socrates lib. 4. cap. 12. omni exco-

exceptione digna scribit, videlicet defensores divinitatis Verbi per vocem *homoiousion* summum sustinuisse propter hoc persecutionem, eosque Macedonianos vocat, qui libellum Papæ Liberio obtulerunt, ut simul cum eo adversus Eudoxium fidem Nicænam propugnarent.

Neque vero ullum facessit negotium quod Macedonius ab istis postea divulsus consubstantialitatem Spiritus sancti cum Patre & Filio abnegaverit; sufficit enim impræsentiarum dicere Macedonianos per vocem *in natura simile* consubstantialitatem Verbi sicut pie, ita & fortiter defendisse; nemo quippe non novit S. Athanasium amicum fuisse Apollinaris, antequam suos disseminaret errores: Sic & Hieronymus cum Rufino, & quibusdam aliis amicitiæ vinculo erat conjunctus, quandiu eorum ignoravit nævos: nihil igitur vetat aliquos inter Catholicos adhæsisse Macedonio, antequam divinitatem Spiritus sancti impugnaret. Cæterum tametsi Macedoniani inter Hæreticos annumerentur, & abnegata Spiritus sancti divinitate, Filii etiam postea abnegaverint consubstantialitatem, non fuerunt tamen semper Ariani: quæ quidem observamus, ut præoccupemus objectionem, quæ ex Macedonianis erui posset: quidam enim cuncta non animadvertentes, illos prædicant Hæreticos Semiarianos, eo quod loco *homoousion* initio posuerint *homoiousion*: non enim in hoc sane Hæretici, sed quod decursu temporum ad spiritum erroris attendentes, improperaverint divinitati Spiritus sancti, & postea adaperte Filii cum Patre consubstantialitati.

Fit satis objectionibus.

OBJICIES 1. juxta Theodoretum, Augustinum & alios complures, vere extitit secta, eaque hæretica Semiarianorum: Atqui ex illis auctoribus hæc secta ab Arianismo discrepabat, in eo solum quod aperte non diceret Verbum creaturam, sed omisso *homoousio*, prædicaret illud esse Patri simile: Igitur absque hæreseos labe nullus potuit verbum *homoiousion* substituere loco *homoousii*.

Respondeo distinguendo minorem: Semiarianismus loco *homoousii* ponebat *homoiousion* animo hæretico & fraudulento, concedo: animo catholico, nego. Non una erat similitudinis etiam in substantia interpretatio: Acaciani intelligebant de similitudine duntaxat penes voluntatem & amorem, ut claret ex professione eorum fidei, quam refert Socrates lib. 2. cap. 4. Alii vero intelligebant similitudinem substantialem, ut Basilius Ancyranus, Meletius, Sylvanus Tarsensis, Eleusius, & alii. Duplicis hujusce explicationis mentionem facit idem Socrates lib. 4. cap. 22. S. Hilarius lib. de Synodis, qui quidem priores perstringit & eorum fidei professiones vocat temporarias, posteriores vero excusatos habet, ut non semel ex ejus auctoritate demonstratum est. Priores revera erant Ariani, & ea solum ratione dicti sunt Semiariani, quod Verbum adaperte non dicerent creaturam, sed simile Patri, & hoc ipsum cum fraude; quippe qui adderent Verbum simile Patri, non esse simile Deo; e contra vero alii, qui dubioprocul neque Semiariani, neque Hæretici erant.

S. Hilarius est sui ipsius interpres lib. contra Constantium Imperatorem, ubi ipse refert quæ gesserit in Concilio Seleuciæ. Primoquidem enarrat se ibi reperisse multos Arianos blasphemantes, deinde vero subdit: " Post secessionem meam deprehendi, ut centum & quinque Episcopi *homoiousion*, idest similis essentiæ prædicarentur & soli Ægyptii præter Alexandrinum Hæreticum, *homoousion* constantissime obtinerent. Cogente itaque Leone comite in unum omnes congregati sunt. Ex his qui *homœusion* prædicabant, aliqui eorum nonnulla pie verbis præferebant: quod & ex Deo esset, id est, de substantia Dei Filius; & semper fuisset. Qui vero *anomœusion* defendebant, nihil nisi profanissimum afferebant." Eo loci sanctus Doctor duplicem eorum Episcoporum discernit opinionem: eorum scilicet qui volebant Filium ita esse Patri similem, ut esset de ejus essentia & ipsi ab æterno coævus; aliorum vero, qui nonnisi voluntate similem prædicabant: quod certe profanissimum est.

Replicabis: eo loci S. Hilarius absque distinctione vocat profana loquentes qui retinent vocem *homoiousion*: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: qui retinent in sensu Arii, concedo: In sensu catholico, nego: namque alibi habet ut Catholi-

eos eos omnes, qui voce *homoiousion* intelligunt similem in identitate substantiæ: & certe eo loci solum revincit cæteros, estque sui ipsius interpres. Cum enim interrogasset aliquem e Præsulibus, quo sensu intelligeret Filium Deo esse similem, hanc stupens audivit opinionem: " Tunc „ mihi ait: Christum Deo similem non „ esse, sed similem Patri esse .... quia „ voluntatis esset potius Filius, quam di„ vinitatis. „ Tum subjungit Hilarius ibidem: " Hæc audiens habui, neque cre„ didi, donec publice, ex consensu om„ nium eorum profanissimæ hujus similitu„ dinis ratio prædicaretur. Qui autem *ho„ moousion* prædicabant, omnes eos, qui „ maxime sine aliquo impietatis pudore „ impudentissime hæc loquebantur, con„ demnaverunt. „ Eo loci sanctus Doctor secernit veros Semiarianos ab illis qui hoc invidioso nomine exagitabantur, in eo quod priores fidem Nicænam prorsus temerarent, e contra vero posteriores, qui Hæreticos pro virili abjiciebant. Sive ergo S. Hilarius subscripserit Concilio Seleuciæ, sive non; unum habemus, sanctum Doctorem suum addidisse calculum doctrinæ eorum qui *homoiousion* animo catholico retinebant.

Replicabis: Qui indiscriminatim a sanctis Doctoribus habentur ut hæretici, citra dubium tales extitere: Atqui illi omnes qui vel, omisso *homoousio* solum *homoiousion* prædicabant Hæreticorum numero accensentur a sanctis Doctoribus: Et probatur: Instar omnium audiendus est de hoc momento S. Epiphanius qui hæresi 73. *homoiousii* Professores omnes Hæreticis accenset his verbis: " Considerandum no„ bis est quemadmodum pullulante mala „ illa Arii fructificatione, genus quoddam „ emerserit sectæ, quam Semiarianorum „ vocant, qui quidem licet illius nomen „ ejurent, eumdem ipsum tamen ac sce„ leratam illius opinionem induunt. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: professores omnes *homoiousii* Hæreticorum numero accensentur a sanctis Doctoribus omnibus, nego: ab aliquibus, subdistinguo: præsumptive, transeat: absolute, nego. Quidam errore facti detenti etiam Semiarianos esse existimabant eos omnes qui, omisso *homoousio*, sistebant in *homoiousio*, ea ducti ratione, quod in suspicionem fidei venirent, eo ipso quo & verbis & familiaritate seu etiam amicitia communicarent cum Hæreticis: sic putabat Epiphanius: sic Severus Sulpitius: at vero potius audiendi sunt S. Athanasius, & S. Hilarius, quippequi ex iterato cum Arianis congressu præ cæteris Historicis falsa a veris secernebant. Cum igitur uterque eos habeant ut Catholicos, qui Filium Patri in identitate similem profitebantur, eosdem quoque uti tales habere debemus.

Ad probationem, distinguo: S. Epiphanius omnes *homoiousii* professores inter Hæreticos recenset, ad cautelam, concedo: & satis accurate de hoc scripsit, nego. Sanctus ille cuncta, ut patet, non distinxit. Recte tamen dicere possumus eum loqui, solummodo de his, qui animo hæretico abjiciebant ὁμοούσιον, & mente versipelli *homoiousion* retinebant. Hujusce solutionis non unum est argumentum. Primoquidem suam eodem loco prodit mentem S. Epiphanius: " Simplicioribus, *in„ quit*, illudere cupientes, cum & vul„ tu ipso, & moribus, & impio dogma„ te ab Ario, Arianisque non differant, „ nihilominus quodam adulationis artifi„ cio perditissimam illorum doctrinam fu„ care ac dissimulare cupientes, ita Dei „ Filium creaturam esse dictitant, ut quo „ facilius decipiant, si quos viderint ob „ ejusmodi sermones turbari, statim blan„ diendo subjiciant. Non perinde creatu„ ram illum facimus, ac cæterarum ali„ quam &c., Audis Epiphanium eo loci sermonem instituere de iis quæ animo perverso Filium Dei *homoiousion* dicebant.

Alterum notatu dignum est, S. Epiphanium confundere Semiarianos cum Macedonianis: Porro isti primum confessi sunt Filium Dei Patri in identitate similem: quia vero abyssus abyssum invocant, negando Spiritus sancti divinitatem, in Arianismum deflexerunt: namque Hæresi 74. sic loquitur S. ille Scriptor: " Ab „ Semiarianis & ab orthodoxis monstrum „ quoddam biformium hominum ac se„ miserorum contra nos excitatum est „ ..... Alii quippe ab Ariana disci„ plina profecti Filium non absolute crea„ turam esse definiunt, sed sine tempo„ re esse genitum .... Porro cum tem„ poribus omnibus anteriorem illum esse „ docent per quem omnia facta sunt: tum

„ de

„ de Spiritu sancto contumeliose garriunt. „ Ex iis profecto liquet S. Epiphanium non satis secernere Semiarianos a cæteris, qui *homoiousion* animo Catholico profitebantur: hinc S. Augustinus in hoc Epiphanii sententiæ non adhæret, namque in libro de Hæresibus ad Quodvultdeum de Macedonianis sic loquitur: " Hos potius quidam „ Semiarianos vocant, quod in hac quæ„ stione ex parte cum illis sint, ex par„ te nobiscum. „ Quibus verbis indigitat S. Augustinus primo, Macedonianos dissentire quidem a Catholicis in aliquo, & consentire etiam in aliquo: dissentire quidem circa Spiritus sancti divinitatem, consentire vero Verbi consubstantialitati. Cæterum Concilium secundum generale Semiarianorum nomine ipsos intelligit Macedonianos quatenus Spiritus sancti abnegabant divinitatem: sic enim habetur canone primo: *Oportet anathematizari omnem Hæresim, specialiter autem Eunomianorum, sive Anomæorum & Arianorum, sive Eudoxianorum, & Semiarianorum, sive Pneumatomachorum, id est, qui contra Spiritum sanctum pugnant*.

Persistes: Si quis ab hæresis nævo vindicandus est, maxime Meletius: Atqui de hæresi insimulatur ea potissimum ratione quod, omisso ὁμοίωον posuerit *homoiousion*, seu subscripserit: Et probatur. Primoquidem ex S. Athanasio qui in opusculo cui titulus est: *Confutatio hypocrisis Meletii, & Eusebii Samosateni, ac sociorum male sentientium de fide, de consubstantiali*, ita profitetur. Secundo, ex S. Hieronymo qui quidem in chronico ita scribit: " „ Synodus Antiochiæ a Meletio & suis „ facta, in qua Homousio, Anomæoque „ rejecto, medium inter hæc Homoiou„ sion, Macedonianum dogma vindica„ runt. „ Tertio, ipse Meletius recepit clericos ab Eudoxio exauctoratos, ut Hieronymus scribit in chronico ad annum Christi 361. his verbis: " Cum Presbyteros „ qui ab Eudoxio antecessore suo depositi „ fuerant, suscepisset, exilii justissimam „ causam subita fidei demutatione delusit. „ Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad primam probationem respondetur opus laudatum non esse genuinum sancti Athanasii fœtum. Primoquidem hoc ipsum probat styli imparitas: tum oratio sancti Doctoris adversus Arianos, in qua celebrat encomium Meletii, quem vocat magnum, quinimmo idem Pater veluti Catholicos habet eos omnes qui Verbum *homoiousion*, idest, per omnia Patri simile asserebant, inter quos primas tenet sedes Meletius.

Neque vero diffitemur Meletium apud multos in suspicionem hæresis venisse, ea ductos ratione, quod antequam inauguratus fuisset Patriarcha Antiochenus subscripsisset in Concilio Seleuciæ formulæ fidei Acacii in qua dubio-procul omisso *homoousion*, Verbum prædicabatur quidem Patri simile, sed non per omnia. Sic refert Epiphanius hæresi 73. sic scribit Socrates libro secundo cap. 44. qua de causa Ariani, teste Theodoreto lib. 2. cap. 44. ab Imperatore expostularunt, ut is Episcopus Antiochenus crearetur: Sed observat Socrates ibidem eum initio Pontificatus nihil de fide movisse, & solummodo de quæstionibus moralibus egisse; postea vero Diœcesanis fidem Nicænam annuntiasse circa Verbi consubstantialitatem, propter quod ab Imperatore in exilium missus est, ut scribit Theodoretus lib. 2. cap. 31. Sozomenus lib. 4. capite 27. uterque illum appellant consubstantialitatis personarum sanctissimæ Trinitatis acerrimum defensorem: sanctus Basilius ejusdem epistolis 52. 56. 57. 58. 59. ejusdem celebrat & pietatem, & religionem. Epistola vero 325. directa ad Epiphanium qui a Meletio abstinebat, veluti fidei Christi generosum athletam extollit: tum ut sancti Athanasii amicum & suum inducit. Quid plura „ adjiciam? Tempore celebrationis secundi Concilii Oecumenici Meletius e vita migravit: In Martyrologio Romano die quarta Decembris in albo sanctorum annumeratur; præclaram de eo funebrem orationem habuit ad populum sanctus Gregorius Nyssenus tomo secunda suorum operum pag. 19. S. Chrysostomus oratione 45. eundem veluti Arianæ hæreseos extirpatorem prædicat: ex quibus & similibus argumentis liquet Meletium a fide Nicœna non defecisse, tametsi, omisso *homoiousion*, verbum diceret *homoiousion*.

Ad secundam probationem ex auctoritate sancti Hieronymi depromptam, respondemus non esse verum *homoiousion* ad dogma Macedonianum pertinere, ut patet ex supra dictis: citra dubium enim est Macedonianos ab initio propugnasse Filium Dei

esse Patri per omnia similem : palmare apud eos dogma erroneum fuit circa divinitatem S. Spiritus quem non fine blasphemia creaturam prædicarunt. Falsum est etiam Meletium, cæterosque Antiochenæ Synodi præsules abjecisse *homoousion*: cum potius, teste Socrate lib. 3. cap. 25. Nicænum professi sint Symbolum : namque illud inseruerunt libello quem Joviano Imperatori obtulerunt. In eodem libello ab omnibus subscripto hæc habentur: " Ne „ in eorum numero, qui doctrinam veritatis adulterare student, habeamur, „ visum est prudentiæ tuæ significare quod „ fidem sancti Concilii jam olim Nicææ „ congregati & approbemus & teneamus ; quandoquidem vocabulum *Consubstantialis*, quod quibusdam videtur parum recte in ea positum, est probe a „ Patribus commodaque interpretatione „ explanatum : quæ quidem interpretatio ostendit Filium ex Patris substantia genitum, Patri secundum substantiam similem : & neque passionem ullam in ejus inexplicabili generatione „ debere intelligi, neque vocabulum *substantia* apud sanctos Patres ad consuetudinem græci sermonis capi, &c. „ „ Quibus verbis testatur Concilium non erroris, sed explicationis motivo omitti *homoousion*.

Ad alteram probationem ex eadem divi Hieronymi auctoritate depromptam, dico sanctum Doctorem erga Meletium fuisse paululum severiorem, quippequi adhærens Paulino Meletii in sede Antiochena æmulo, ex rumoribus falso disseminatis, vel ipsum Meletium de hæresi suspicaretur, idcirco non sine fundamento creditur Meletium suscepisse clericos absque causa ab Eudoxio veritatis hoste depositos.

Insistes: Epiphanius hæresi 73. & 74. Socrates, & Severus Sulpitius nedum Meletii, sed & Eusebii Samosateni, Basilii Ancyrani, Eustathii Sebastæ & Sylvani Tarsensis, immo & Eleusii, ne dicam & Cyrilli Hierosolymitani, suspectam habent fidem, eo quod omitterent *homoousion*. Ergo &c.

Respondeo ut supra, vel etiam distinguendo : suspectam habent fidem laudatorum præsulum errore facti detenti, concedo : cum fundamento, nego. Circa integerrimam Eusebii Samosateni fidem non est relictus ambigendi locus : Theodoretus lib. 2. cap. 31. eum tanquam veritatis strenuum defensorem prædicat : capite 32. Scribit eum restitisse Imperatori, qui chartam ab Arianis subscriptam pro electione Meletii Antiocheni Episcopi reddi volebat. Lib. 4. cap. 13. describit persecutionem Catholicorum quos Valens Imperator Arianus non modicum exagitavit, additque fidei causa & Meletium, & Eusebium tunc exulasse. Cap. 14. magnis effert laudibus Eusebii pietatem : in capite 15. de ejusdem zelo pro fide Nicæna multus est sermo. Denique lib. 5. cap. 4. Eusebium tegula a muliere Ariana e domus vertice in ejus caput projecta, e vita non sine glorioso martyrio migrasse commemorat. Sanctus Basilius illum semper habuit ut magnum adversus Arianam perfidiam fidei defensorem.

Neque etiam in suspicionem venire debet fides Basilii Ancyrani, Eustathii Sebastæ, Sylvani Tarsensis & Eleusii; eo enim ipso quo Meletius, Eusebius Samosatenus & Cyrillus Hierosolymitanus ab omni nævo circa consubstantialitatem purgantur, ab errore quoque & cæteri vindicandi sunt, cum eadem sit omnium causa. Hoc ipsum habetur in libro qui inscribitur *responsio ad Banagium* contra ejus de unitate librum pag. 170. " Basilius Ancyranus „ non potuit consentire vocabulo *homoousion* quamvis Ecclesia exigeret ut cuncti fideles huic voci admodum efficaci „ contra Arii blasphemiam propellendam „ subscriberent . . . . Attamen ut primum mater illa charitate flagrans comperit Basilium Ancyranum convenire de „ dogmate atque de Patrum doctrina, „ ejus resistentiam ex novitate & expressionis & abusus Pauli Samosateni promanare, hujusmodi obnitentia illi displicere non potuit, quandoquidem summo duntaxat ergo antiquitatem amore „ delusus ille Præsul ab hujusmodi termino, quo fuerat consecrata fides Nicæna, abstinebat. „ Idem habetur paginis 172. & 173.

Replicabis : Teste Sozomeno lib. 4. cap. 14. Constantius ex Beroea civitate advocavit ad se Liberium Papam, ut Verbi consubstantialitatem abnegare cogeret ; & hoc suasione Basilii Ancyrani, Eustathii, & Eleusii ; quod quidem facere exhorruit summus Pontifex : subscripsit tamen formulæ quæ ab istis composita fuerat

Fuerat ex formula Antiochena contra Paulum Samosatenum, ex prima Sirmiaca contra Photinum, & ex altera Concilii Antiocheni tempore dedicationis Ecclesiæ adunati, cui etiam Ursacius, Valens, Germinius, & alii Ariani non pauci subscripserunt: quibus peractis, inquit idem auctor, Eudoxius & sui prædicaverunt Liberium tandem *consubstantialitatis* verbum damnasse. Igitur qui reticebant *homoousion* erant revera Semiariani.

Juvat hic texere verba Historici: " „ Haud longo tempore post, Imperator „ Roma Sirmium reversus, rogatu legatorum, quos Episcopi Occidentis ad ipsum miserant, Liberium Berœa revocavit. Atque præsentibus legatis Episcoporum Orientis, & quibusdam Sacerdotibus, qui erant forte in exercitu, in unum coactis, compellere tentavit eum fateri, Filium Patri non esse consubstantialem. Instabant porro, & Imperatorem ad hanc rem incitabant Basilius, Eustathius, & Eleusius: qui apud eum auctoritate & gratia plurimum poterant. Hique id temporis, cum decreta de Paulo Samosateno, & Photino Sirmiano, quinetiam formulam fidei in Ecclesiæ Antiochenæ consecratione editam in unum libellum congessissent, causa conficta, nimirum quod quidam simulatione hujus verbi *consubstantialis*, hæresim privatim stabilire molirentur, conantur ut Liberius & Athanasius quoque, Alexander, Severianus & Crescens, qui in Africa Sacerdotii munere fungerentur, huic consentiant. Consentiunt itidem Ursacius, Germinius Episcopus Sirmii, Valens Mursorum Episcopus, & quotquot Orientis Episcopi ibi forte aderant. Vicissim autem confessionis fidei formulam a Liberio adduxerunt, qua illis, qui Filium Patri non substantia & cæteris rebus omnibus similem asseverarent, interdixit Ecclesiam. Nam cum Eudoxius, & cæteri cum eo Antiochiæ Hæresis Aetianæ fautores epistolam Osii nacti fuissent, rumorem dissiparunt, Liberium quoque verbum *consubstantiale* rejecisse asseruisseque Filium Patri dissimilem esse. „ Edit. Col. Allob. 1612.

Respondeo 1. Hæc & similia solummodo probare laudatos viros ex nimia indulgentia, ne dicam & immoderata œconomia abstinuisse a verbo *homoousion*, nusquam vero a fide defecisse, cum *homoousion* omitterent & a Liberio rejici vellent, ne Sabellianis favere viderentur: nusquam vero animo hæretico, ut ex dictis de Basilio Ancyrano & de ejus consociis liquet. Altera etiam ratio omittendi vocabulum, hæc fuit, ut Arianos, qui ab ipso abhorrebant vocabulo ad meliorem revocarent frugem. Sozomenus l. 4. cap. 14. ejusd. Edit. hanc enarrat causam subscriptionis Liberii: " „ Quinetiam, *ait*, (cum) formulam fidei in Ecclesiæ Antiochenæ consecratione editam in unum libellum congessissent, causa conficta, nimirum quod quidam simulatione hujus verbi *consubstantialis*, hæresim privatim stabilire molirentur, conantur ut Liberius, & Athanasius quoque, Alexander, Severianus, & Crescens, qui in Africa Sacerdotii munere fungerentur, huic consentiant. „

Respondeo 2. Et Liberium & alios habere, qui suam fidem defendant. Habent Patres Concilii Parisiensis qui licet Catholici, testantur tamen se ad tempus siluisse *homoousion*. Habent Theophanem qui vindicat Cyrillum Hierosolymitanum, asserendo œconomiæ solum causa eum abstinuisse a vocabulo, ne multi a suscipiendo Baptismate deterrerentur, eo quod omnes ferme Orientales ne quidem verbum *consubstantialitatis*, aut audire, aut pronuntiare vellent. Habent vel ipsum Severum Sulpitium, qui refert sanctum Hilarium in Concilio Seleuciæ coactum fuisse explodere calumniam Arianorum, qui Episcopos propugnantes *homoousion* uti Sabellianos habebant: quocirca libro de Synodis ait *homoousion* omitti posse. Præsules autem sic alloquitur: " Multi ex vobis, fratres „ charissimi, ita unam substantiam Patris, & Filii prædicant, ut videri possint non magis id pie quam impie prædicare: habet enim hoc Verbum in se & fidei conscientiam, & fraudem paratam. Oro vos, fratres, adimite suspicionem, secludite occasionem. „ Igitur non sine œconomia propter Sabellianos, & Arianorum in Catholicos improperia potuit absque fidei dispendio *homoousion* reticeri. Eodem in libro, idem sanctus Hilarius asserit Episcopos parum curasse de vocabulo, cum sensus esset in tuto.

Non omittendum est Basilium Ancyranum, Eustathium & Eleusium, fidem Nicænam in formula Liberio oblata at-

que suscribenda in tuto ita posuisse fidem Nicænam, ut in ea pronuntient eos ab Ecclesia alienos esse qui negabant Verbi consubstantialitatem, quippequi subscripserint formulæ admodum orthodoxæ a Liberio Papa vicissim eis oblatæ: " Vicissim „ autem, *inquit Sozomenus l. 4. cap. 14.* „ Confessionis fidei a Liberio adduxe- „ runt, qua illis, qui Filium Patri non „ substantia & cæteris rebus omnibus si- „ milem asseverarent, interdixit Eccle- „ siam. „ Audis Liberium in professio- „ ne fidei vicissim oblata aliis Episcopis „ acerrimum consubstantialitatis Filii de- „ fensorem.

Habent & sanctum Basilium defensorem atque propugnatorem, qui in loco supra laudato ita loquitur: " Si quid ipse sen- „ tiam dicendum est, hoc vocabulum, „ simile secundum essentiam, τὸ ὅμοιον „ κατ' οὐσίαν, si quidem huic dicto adjun- „ ctum fuerit *citra ullam varietatem*, eam „ ego amplector proboque vocem. „ Denique habent & sanctum Athanasium, qui libro de Synodis pag. 705. excusatos habet eos qui, omisso *homoousio*, substituunt *homoiousion*: " Non longe absunt, „ *inquit*, a recipiendo consubstantiali; ta- „ lis est Basilius ex Ancyra in scriptis suis „ de fide. „

Repones, vel ipse Basilius Ancyranus cæterique *homoiousii* defensores publice communicabant cum Arianis; quin immo cum eisdem adunabant Concilia, in quibus quidem varias edidere fidei formulas, quas ipse sanctus Athanasius in lib. de Synodis & refert & confutat: Igitur citra fidei periculum illi non dicendi sunt Catholici qui omisso *homoousio*, conservabant *homoiousion*.

Respondeo distinguendo: Basilius Ancyranus & sui communicabant cum Arianis œconomiæ causa, ut pacem Ecclesiæ turbatam componerent, & in iis quæ animo Catholico propugnare videbantur, concedo: communicabant cum illis animo hæretico, nego. Ipse Theodoretus lib. 3. Hist. Eccles. cap. 3. asserit Constantium Imperatorem etiam sincero animo credidisse Filium Dei per omnia Patri similem, ex qua confessione catholicus evadebat. Quidni & evasissent cæteri Præsules si sincero hoc ipsum professi fuissent animo? " Tametsi, *inquit*, Constan- „ tius quorumdam suasu in fraudem indu- „ ctus verbum ὁμοούσιον non approbavit, „ tamen ipsam rem, quæ verbo signifi- „ cabatur, sincere & ex animo confessus „ est, quippe ingenue Filium ante sæcu- „ la a Patre genitum Deum Verbum no- „ minavit. „ Neque tamen diffitendum est, sanctum Athanasium laudatas rejecisse formulas: ne in periculum veniret ipsa religio propter Arianorum vafritiem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Usurpantes vocem ὁμοιούσιον citra varietatem, fidem Nicænam non tentant, sed servant.

PRIMO: Quia *simile* in sensu obvio importat similitudinem in substantia, juxta illud Apostoli Philip. 2. de Christo, *in similitudinem hominum factus*: Eo loco dubio-procul vox *similitudinem* idem prorsus sonat ac consubstantialitatem: hoc est, Christum hominibus in natura humana similem esse.

Secundo, isto sensu Præsules retinentes ὁμοιούσιον istud intelligebant vocabulum, sicut Basilius Ancyran. Meletius Patriarcha, Eusebius Samosatenus, & alii qui in Synodo Antiochiæ anathemate percusserunt eos omnes, qui Filium negabant Patri in essentia similem esse.

Tertio, Inter eos qui omisso *homoousio*, prædicabant ὁμοιούσιον, multi in albo Sanctorum conscribuntur, ut Cyrillus Hierosolymitanus, Eleusius qui teste Theodoreto l. 2. Hist. Eccl. cap. 27. pro fidei Nicænæ defensione exulavit.

Synopsis argumentorum in contrarium, & Responsionum.

PRIMO: Ex Epiphanio, Theodoreto & aliis, extitit quidem secta Semiarianorum, qui omisso *homoousio*, dicebant Verbum *homoiousion*, sed quo sensu? Ex eorum fidei formulis liquet; in iis enim Filius non dicitur Patri similis in substantia: hinc ad Hæreticorum ordinem amandantur.

Secundo: Concedimus quidem quosdam in suspicionem hæreseos venisse eo quod omitterent *homoousion*, sed non idem de omnibus dicendum; quicumque enim dicebant Filium similem Patri, aut citra varietatem, ut ait Basilius, aut recipiendo decreta Nicæna, ut scribit Athanasius, erant ab omni nævo immunes.

Ter-

Tertio: Neque diffitemur Liberium abjecisse formulam, cui Patres Ariminenses subscripserant: Verum sic egit ejus nomine Vincentius Capuanus, eo quod nudata conscientia iniqua auctorum formulæ, & eorum qui illam subscribendam obtulerant, in pravum sensum non sine animarum pernicie solum *homoiusion* dicebant.

§. XV.

De incontaminata fide Liberii Papæ.

Duo ad hæc eliquanda præstare: primoquidem de actitatis versus Liberii tempora, deinde vero in particulari de fide Liberii, unde fit

Historia critica ubi recensentur actitata versus Liberii tempora, maxime ab anno 353. *usque ad annum* 360. *inclusive.*

PRIMO: Liberius Julii primi successor ab Arianis sollicitatus ut sanctum proscriberet Athanasium, Romæ adunata Synodo, ipsum e contra innocentem declaravit anno 353. ita refert Maimburgius libro de Arianismo.

Secundo: alteram pro eadem causa Synodum Aquilejæ & Orientialibus & Occidentalibus Episcopis idem summus Pontifex indixit; sed prævalentibus ibi Arianis, sanctus Athanasius, licet innoxius, proscriptus est; quinimmo Vincentius Capuanus, nec non & Marcellus Campaniæ Episcopus minis perterriti, non sine magna erga Ecclesiam Romanam injuria, Arianis in hoc adhæsere; quod ita ægre tulit Liberius, ut præ animi mœrore animam quasi ageret: Maimburgius ad annum 353.

Tertio: idem Papa anno circiter 355. alterum Concilium pro defensione & fidei Nicænæ & sancti Athanasii, Mediolani convocavit; sed heu! ibi adhuc prævalentibus Arianis, sanctus fidei defensor iterato fulmine confixus est, obnitentibus tamen legatis apostolicis, aliisque non paucis Episcopis, qui hac de causa Arianorum molitione exularunt. Quos quidem Liberius epistolis mellifluis non semel consolatus est: Verum, ingravescente in supremum Ecclesiæ Pastorem tempestate, nihil non tentarunt Ariani, ut in suas vel ipsum Liberium traherent partes: sed & hoc incassum; nec enim donis Eusebii Eunuchi a Constantio eo fine missi emollitus, nec ejusdem cedens minis sanctum Athanasium damnare voluit. Tunc vi captus Christi Vicarius Mediolanum ducitur, ubi ad tempus commorabatur Imperator, cui tamen audacter respondit se non posse innocentem proscribere: quocirca Beroeam Thraciæ exulandus traditur: discedenti quingentos aureos Imperatoris nomine obtulit ei Eusebius, quos Pontifex invicto animo respuit dicens: "Tu Ecclesias orbis terræ expoliasti, & jam mihi ut damnato egentique eleemosynam offers. Ubi primum, & Christianus ipse fias." Sic refert sanctus Athanasius epistola ad Solitarios. Theodoretus lib. 2. Hist. Eccl. capite 16. eo loci fuso calamo describit Liberii cum Imperatore dialogum Mediolani habitum, ubi non modicum affulget sancti Pontificis fortitudo, maxime vero cum Imperatori exilium minanti respondit: "Leges Ecclesiasticas observare pluris faciendum censeo, quam Romæ habere domicilium."

Pater Alexander Hist. Eccl. sæculi 4. cap. 3. Paragrapho 7. de Liberii cum Imperatore congressu hæc scribit: "Anno Christi 356. Ariani Constantio persuaserunt, ut Liberium Romanum Pontificem ad damnationem sancti Athanasii cogeret; & ad *homoousii* rejectionem: Id ut a sancto Pontifice extorqueret, ipsum persequi cœpit, misso Romam Eusebio Eunucho, qui ejus constantiam donis primum, deinde minis tentaret: Sed nihil ab ipso potuit obtinere: dona enim rejecit, minas contempsit, Apostolica libertate respondit: *Quem non una, sed jam altera Synodus probe ab omni crimine liberum pronuntiavit, & Romana Ecclesia cum pace dimisit, quomodo poterimus condemnare? Aut quis nos probaret, si quem præsentem dileximus, & habuimus in nostra communione, eumdem absentem aversemur?* Hæc in gratiam S. Athanasii locutus est Liberius: postea vero jussu Imperatoris Mediolanum venit, ubi Imperatorem sic allocutus est: "Desine persequi Christianos: ne tenta per me hæreticam impietatem in Ecclesiam introducere. Ad omnia potius sustinenda parati sumus, quam nos Christiani eo deveniamus, ut Ariani appellemur &c."

Quo facto, postea exulavit. Sic refert vel ipse Athanasius epist. ad Solitarios.

Quarto: an. 357. Demophilus & Fortunatianus Semiariani Episcopi convenere Liberium, & quasi de ejus exilio dolentes, animo prorsus versipelli affirmarunt se quoque pro virili damnare Arianismum, subjungentes totum negotium ne minimum quidem ad fidem spectare, sed esse penes verbi vocabulum ὁμοούσιον quod in Scripturis sacris nusquam adinvenitur: Quocirca absque fidei discrimine pro pace Ecclesiæ componenda omittendum erat. Illusus ab eis Liberius subscripsit bona fide & animo catholico primæ formulæ Sirmiensi, quæ præ se ferebat sensum fidei consonum; deinde vero & S. Athanasii damnationi, quem variorum ordinum viri veluti reum & habebant & accusabant. Quo quidem facto epistolas communionis ad Orientales Episcopos, eosque Semiarianos, conscripsit: Sed non ideo ab exilio tunc temporis solutus est, ita ut annum adhuc integrum iteratis ærumnis permanserit, sic ordinante Imperatore, qui exilii dilatione sperabat Liberium tædio & pęnis fractum, formulæ secundæ Sirmiensi prorsus Arianæ tandem aliquando subscripturum. Maimburgius ibidem ad eundem annum.

Liberius in sua ad Orientales epistola sic loquitur: " Ego Athanasium non defen-
„ di; sed quia susceperat illum bonæ
„ memoriæ Julius Episcopus decessor meus;
„ verebar ne forte in aliquo prævarica-
„ tor judicarer: at ubi cognovi quando pla-
„ cuit Deo, juste vos illum condemnasse,
„ mox consensum commodavi sententiis
„ vestris . . . nam ut verius sciatis me
„ vera fide per hanc epistolam ea loqui,
„ Dominus & frater meus communis De-
„ mophilus, qui dignatus est pro sua bene-
„ volentia fidem catholicam exponere,
„ quæ Sirmii a pluribus fratribus & Coe-
„ piscopis nostris tractata, exposita & sus-
„ cepta est ... ab omnibus qui in præsenti
„ fuerunt, hanc ego uti animo suscepi, in
„ nullo contradixi, consensum accomoda-
„ vi, hanc sequor, hæc a me tenetur . . .
„ sane petendum credidi Sanctitatem Ve-
„ stram, quia jam pervidetis in omni-
„ bus me vobis consentaneum es-
„ se, dignemini communi consilio ac
„ studio laborare, quatenus de exilio
„ dimittar, & ad sedem, quæ mi-
„ hi divinitus credita est, revertar. „

Rursus epistola ad Ursacium, Valentem & Germinium idem expostulat his verbis: " Scire vos volo, quod fratrem
„ Fortunatianum petii, ut cum litteris
„ meis ad clementissimum Imperatorem
„ Constantium Augustum pergeret petere,
„ ut bono pacis & concordiæ in qua pie-
„ tas ejus semper exultat, me ad Eccle-
„ siam mihi divinitus traditam jubeat re-
„ verti. „ Tria in his epistolis observanda sunt: Primo quidem Liberium juxta allegata & probata tametsi falsa judicasse S. Athanasium reum: Secundo eumdem profiteri se nonnisi fidei catholicæ a Demophilo sibi expositæ subscripsisse. Denique utramque scripsisse epistolam adhud in exilio detentum, ut Orientalium precibus ab eo solveretur.

Quinto: anno 358. factum est, ut Constantio Romæ triumphum agente, Matronæ Romanæ Liberii reditum ab ipso, etiam supplicante populo, obtinuerint. Sed sanctus Pontifex certior factus quod Ariani, maxime vero Ursacius & Valens prædicarent in mundo eum tandem negasse Verbi consubstantialitatem, fidei formulam ipse composuit, quam & publici fecit juris, in qua quidem anathemate percellebat omnes qui Verbum esse Patri consubstantiale seu in substantia similem abnegarent: cui quidem formulæ & Basilius Ancyranus & cum eo alii multi Præsules suum addidere calculum. Sic refert Sozomenus lib. 4. cap. 5. nov. edit. ubi mira dicit de ista Liberii formula. P. Alex. Hist. Eccl. iv. sæculi c. 3. §. 7. scribit Liberium solutum fuisse ab exilio anno 357.

Sexto: anno circiter 358. Liberius juxta saniorem opinionem e Berœa Thraciæ Sirmium accersitus, Imperator ab eo petit ut Verbi consubstantialitatem explode ret, si ab exilio solvi cuperet: sed stupens, magna cum fiducia respondit, hoc esse contra pacta conventa pacis inter se & Demophilum inita: quinimmo ea solum conditione formulæ Sirmiensi subscripsisse se testatur, ut omissa *homoousion* voce, illam tamen corde retineret, deinde subjunxit se ad mortem usque paratum Verbi consubstantialitatem propugnare: tum Basilius Ancyranus ut suum obtineret scopum, in eo duntaxat situm ut *homoousion* illæsa tamen fide Nicæna, reticeretur, suasit Constantio Liberium ab exilio absolutum Ro-

Romam remittere; ea solum conditione ut prius subscriberet cuidam formulæ confectæ ex formula primi Concilii Antiocheni adversus Paulum Samosatenum, sicut & ex formula prima Sirmiensi, & ut nonnulli scribunt, ex alia in Concilio Ancyrano adversus Arianos facta; quod quidem lubenti animo eoque catholico peregit Papa: Sed nihil ultra fecit, ut observat Maimburgius ibidem ad eundem annum, quo quidem absoluto ad suam transmeavit sedem: Ita Sozomenus libro quarto capite 14. sed observandum est & nusquam omittendum, eodem tempore ne dicam & instanti Liberium aliam fidei formulam subscribendam obtulisse Basilio Ancyrano, Eustathio, Eleusio, &c. Porro in utraque fides Nicæna adamussim servabatur: Priori quidem subscripsit Liberius, namque Basilius & sui declarabant ab Ecclesia alienos eos esse, qui negarent Verbum in identitate Patri esse simile: In posteriore vero Liberius idem expressius pronuntiat: " Sed & confes-„ sionem, *inquit Sozomenus* l. 4. c. 15. a „ Liberio vicissim susceperunt, qua eos, „ qui Filium secundum substantiam & „ per omnia Patri similem non esse as-„ sererent, alienos ab Ecclesia pronun-„ tiabat. „

Septimo: an. 359. Constantius Seleuciæ Concilium ex Orientalibus numero circiter 160. Arimini vero ex Occidentalibus circiter 400. adunari præcepit. Primum, in quo prævalebant Catholici, rejecit quidem *homoousion* œconomiæ causa, sed pro virili Filium in substantia Patri similem contra Acacianos in formula fidei propugnarunt. Sic referunt S. Athanasius lib. de Synodis Seleuciæ & Arimini: Socrates lib. 2. cap. 29. Alterum vero, scilicet Ariminense retento *homoousion* vocabulo, omnes insuper Arianos, in primis Ursacium & Valentem anathemate confixit: quibus peractis, unusquisque ad propriam rediit sedem, si quadraginta circiter excipias, qui a Sirmio discedere æquum non duxerunt, donec acciperent responsionem Constantii ad epistolam, qua Patres Synodici illum de omnibus certiorem faciebant.

Huic Concilio præfuit nomine Liberii Papæ Vincentius Capuanus, qui ad meliora reversus, fidem Nicænam constanter propugnavit, Ita Sozomenus lib. 4. cap. 16. Sic scribit Binius in notis ad Concilium Ariminense legitimum ad annum 359. pag. 188. Edit. Regiæ: " Hoc „ Concilium, *inquit*, ad quod Orientales „ cum Occidentalibus invitati etiam ac-„ cessissent, nisi impio Arianorum suasu, „ ad mandatum Imperatoris Seleuciæ con-„ gregati fuissent, cui quadringenti & „ amplius Episcopi, cum Vincentio alii-„ sve Legatis Liberii Pontificis Romani „ interfuerunt, quodve ob causam, uni-„ versam fidem & Ecclesiam concernen-„ tem inductum fuerat, ab Athanasio de „ Synodis merito universale Concilium „ appellatur. „

Verum Constantius animadvertens quæ in hoc Concilio adversus Arianos acitata fuerant, furens mandavit Tauro Provinciæ Præfecto, ut nihil non tentaret ut vel muneribus, vel etiam minis atque cruciatibus Episcopos in suas traheret partes: & pro sceleris præmio consulatum promisit. Vir ille nequam cedens Imperatoris protervitati, tum ambitione, tum avaritia captus panem arctum & aquam brevem fidei Confessoribus, quos intra urbis septa conclusos tenebat, suppeditavit, aliisque ærumnis eosdem exagitavit. Tunc temporis factum est ut Valens quasi commiseratione commotus exulibus affirmaverit se de eorum sorte dolere, cum eis ultro damnare Arii errores & cæterorum qui Verbum dicebant creaturam: Sed a penis absque negotio solvi posse, ea scilicet sola conditione, ut formulæ, in qua *homoousion* reticeretur, subscriberent: Hinc seducti, suum addiderunt calculum professioni fidei oblatæ, in qua tamen Verbum per omnia Patri simile dicebatur. Quibus confectis, ad priores sedes rediere. Sic scribit Sozomenus lib. 4. cap. 18. Sic Maimburgius lib. de Arianismo ad annum 359. Sic Theodoretus lib. 2. Hist. Eccl. cap. 15. qui omnes uno veluti calamo scribunt illos Patres & fraude fuisse detentos Arimini, & in subscribendo delusos: ita tamen ut omisso *homoousio* sese ad *homoiousion* spe pacis componendæ, converterent.

Unum inter omnia memoriæ perpetuæ tradendum est, scilicet Vincentium Liberii Papæ legatum nusquam subscribere voluisse formulæ in qua *homoousion* reticebatur. Ita subnotat Damasus Papa in sua ad Episcopos Illyrici epistola, quæ in Concilio

cilio Romano secundo sub eodem Papa refertur. In ea sic alloquitur Præsules Damasus: " Numerus Episcoporum, qui ,, erant Arimini in unum congregati, ,, præjudicii vim habere non debet: præ- ,, sertim cum formula illa composita sit, ,, neque ab Episcopo Romano, cujus sen- ,, tentia præ cæteris omnibus expectanda ,, erat, neque a Vincentio, qui tot an- ,, nis Episcopatum integre gesserat; ne- ,, que aliis eidem consentientibus. ,,

Octavo: an. 360. juxta Maimburgium, Valens auctoritate Constantii fretus Liberium subscribere formulæ pseudo-Concilii Ariminensis compellere tentavit; sed generosus ille Pontifex eam animo versipelli & hæretico conscriptam fuisse prænoscens, hoc facere renuit, paratus mortem potius, vel etiam acerbissima pati; qua de causa ab urbe Roma iterum ejectus, ad Constantii obitum usque in catacumbis delituit. Sozomenus lib. 4. cap. 18. S. Hilarius in fragmentis. ,,

Denique: non abs re erit hic etiam observare primam Sirmiensem formulam, cui subscripsit Liberius exul, solam fuisse in Synodo Sirmii habita factam contra Photinum: quod non unum probat argumentum. Primoquidem ibi Basilius Ancyranus præfuit, & cum Photino ita feliciter congressus est, ut eum non sine laude superaverit, sicut scribit sanctus Epiphanius hær. 73. Sic refert Socrates lib. 2. cap. 30. Sic & testatur Sozomenus lib. 4. cap. 6. Secundo ipse Basilius secundam formulam anathemate confixit in Synodo Ancyrana, in qua ipse & consocii Præsules Filium in substantia Patri similem propugnaverunt; namque in alio Concilio Antiochiæ in Encœniis fidem his exponunt verbis, ut scribit Epiphanius hær. 73. " Ac deinceps, *inquiunt*, in Sardi- ,, censi repetita, denique postea quæ Sir- ,, mii contra Photinum gesta sunt, in ,, quiete otioque versari. ,, Quæ quidem verba ex Ancyrani conciliabuli Synodica Epistola habentur, quæque repetita fuere & confirmata in Concilio Antiochiæ laudato. Idem scribit Binius in notis ad Conc. Ancyr. an. 358. nam loquens de actitatis in Synodo Ancyrana, ubi multi Præsules convenerant ad mœnia novæ Basilicæ a Basilio conditæ celebranda, ait: " Orien- ,, tales Episcopi secundam illam ac per- ,, fidam Sirmianam confessionem fidei de- ,, testati, Sirmio recedentes in Asiam mi- ,, grarunt, atque Ancyræ in Galatia an- ,, no Dom. 358. convenerunt, ibique ab- ,, legatum a Filio Dei *substantiæ* nomen ,, restituentes, impia statuta secundæ con- ,, fessionis ac formulæ plane condemna- ,, runt, Filiumque Dei, secundum sub- ,, stantiam Patri per omnia similem esse, ,, asseruerunt. Unde, ut fidem suam pro- ,, fiterentur, duodecim regulas ac defini- ,, tiones fidei secundæ Sirmiensi plane con- ,, trarias, quas recenset Hilarius lib. de ,, Synodis, expresserunt, easque per lega- ,, tos ad Constantium Imperatorem Sirmii ,, morantem miserunt. ,,

Quid plura referam? Basilius Ancyranus non erat Sirmii, cum secunda fidei formula conscripta fuit, ut testatur Sozomenus lib. 4. cap. 13. quique in ore habebat Aetium, Eudoxium, Uranium, Ursacium & Germinium, eo quod ponerent Filium Patri dissimilem: & certo ista secunda formula a paucis conscripta fuit, ut liquet ex ejus inscriptione apud sanctum Hilarium quæ ita refertur: " ,, Exemplum blasphemiæ apud Sirmium ,, per Osium & Potamium conscriptæ. ,, Hoc ipsum constat ex his formulæ verbis: " ,, Cum nonnulla putaretur esse de fide di- ,, sceptatio, diligenter omnia apud Sir- ,, mium tractata sunt, & discussa, præ- ,, sentibus sanctis Fratribus & Coepiscopis ,, nostris, Valente, Ursacio, & Germi- ,, nio. ,, Cæterum Vigilius Tapsensis Episcopus lib. 5. contra Eutychetem scribit Orientales convenisse Sirmium in Concilium, quod catholicum nuncupat: addit, formulam primam ibi adversus Arianam pravitatem editam fuisse, & Præsules non sine fidei zelo proscripsisse secundam. " Deinde, *inquit*, adversus sacrilegam im- ,, piæ professionis unitatem, quæ per O- ,, sium, Valentem, Ursacium, & Ger- ,, minium, cæterosque similis pravitatis ,, apud Sirmium fuerat conscripta, uni- ,, versi Orientales Episcopi convenientes, ,, alias, idest, duodecim fidei definitio- ,, nes ediderunt quæ Nicæno Concilio non ,, continentur. ,,

Denique 3. Sirmiensis formula non fuit facta in Synodo contra Photinum Sirmii anno 351. habita, ut colligitur ex sancto Athanasio lib. de Synodis: Et vero nonnisi anno 359. undecimo Kalendas Junii, ex eodem sancto Doctore, facta fuit. Hoc

Hoc ipsum constat ex epistola Germinii ad Rufinum, Palladium, Severinum, & alios. Quibus prænotatis, sit

Synopsis eventorum in historia.

PRIMO, Liberius varia adunavit Concilia pro fide Nicæna defendenda. In Romana Synodo an. 353. Athanasium innocentem declaravit.

Secundo, idem Pontifex pro fidei & Athanasii defensione exulavit. ann. circiter 355.

Tertio, anno 357. a Demophilo deceptus subscripsit formulæ primæ Sirmiensi.

Quarto, ann. 358. ab exilio solvitur.

Quinto, ann. 359. Patres secundi Concilii Ariminensis subscripserunt formulæ in qua *homoousion* reticebatur: sed ab Arianis illusos se animadvertentes, de subscriptione pœnitentiam egerunt.

Resolvitur dubium de fide Liberii Papæ.

CONCLUSIO.

Liberius Papa nunquam discessit a fide Nicæna.

Probatur variis momentis.

PRIMA ratio, quæ ex pluribus coalescit, hæc est: Ille bene censuit de divinitate Verbi, qui illam ad exilium usque propugnavit, qui eandem toto perdurante exilio non abnegavit, sed potius publice annuntiavit; qui denique vix completo exilio eandem strenue ac fortiter contra & occultos & apertos Arianorum impetus, etiam in ipsum sæviente mundo, terrente Constantio Heterodoxorum fautore, defendit: Atqui res sic se habet, ut liquet ex prenotatis. Ergo &c. Tres sunt in hoc ratiocinio partes, prima quidem Liberium ad exilium usque propugnasse fidem. Secunda, eandem non abnegasse ingravescente exilio: denique & iterum usque ad persecutionem post exilium illius egisse partes.

Prima pars probatur ex Theodoreto qui lib. 2. Hist. Eccles. cap. 16. scribit Liberium a Constantio in odium fidei Nicænæ in exilium fuisse ejectum: Papam enim Imperatorem sic allocutum fuisse enarrat: " Leges Ecclesiasticas observare ,, pluris faciendum censeo; quam Romæ ,, habere domicilium. ,, Idem scribunt omnes Historici.

Secunda pars non uno probatur argumento. Qui subscripsit tantum formulæ catholicæ, & quidem animo catholico, dum exul Berœæ commorabatur, citra dubium tunc temporis Nicænam non abnegavit fidem: Atqui Liberius perdurante exilio, nonnisi formulæ catholicæ subscripsit, & quidem animo catholico: Ergo &c. Probatur minor quoad singula. Primo, certum est Liberium primæ tantum formulæ Sirmiensi subscripsisse; quandoquidem formula, cui suum addidit calculum, non erat secunda, nec tertia Sirmiensis: non quidem secunda, cum formula cui consensit, per Demophilum illi oblata fuit, nec nisi ex prævia fidei explicatione ei suscripsit, ut prænotatum est. Hoc ipsum refert Domin. Fleury tom. 3. Hist. Eccl. pag. 509. & 510. His verbis: " Papæ Liberio post Biennium exilii Berœæ completum, Demophilus urbis Episcopus obtulit an. 351. juxta pro- ,, babiliorem sententiam Auctorum, pri- ,, mam Sirmii adversus Photinum compo- ,, sitam fidei professionem, quæ quidem ,, tacite supprimebat terminos tum *con-* ,, *substantialis*, tum *in substantia similis*, ,, quæ tamen alias propugnari poterat, ,, sicut de facto propugnata est a S. Hi- ,, lario lib. de Syn. pag. 340. &c. Li- ,, berius eam probavit, eique sicut ca- ,, tholicæ subscripsit. ,,

Addo formulam cui subscripsit Papa, editam fuisse atque subscriptam a Basilio Ancyrano, & aliis circiter viginti duobus Episcopis, inter quos altum est silentium de Germinio, Ursacio, Valente & Potamio, quorum tamen nomina affulgent in secunda formula. Non prætereundum est, formulam a Liberio subscriptam, juxta Hilarium, ante secundam editam fuisse, ac primæ subscripsisse Basilium Ancyranum, Theodorum Heracleensem, & Silvanum Tarsensem, nemo autem ex Historicis non novit ante conditam secundam formulam jam obiisse Theodorum, anno scilicet 355. Quid plura? Hanc eandem secundam Basilius in Concilio Ancyrano proscripserat, ubi Acacium, Aetium, Eudoxium, & cæteros, qui Verbum Patri dissimile proclamabant, anathe-

themate confixit : Silvanus quoque utpote Catholicus non secundæ consensit, immo in odium fidei ab Arianis non modicum exagitatus est, ut colligitur ex Theodoreto lib. 2. Hist. Eccl. cap. 27. Superest igitur Liberium subscripsisse formulæ primæ Sirmiensi, nusquam vero secundę: sed etiam nec tertiæ, cum jam ab exilio solutus esset, & tunc Romæ sederet, anno scilicet 358. ut notat Anastasius Bibliothecarius.

Jam vero quod prima formula Sirmiensis esset catholica, ex ipsis constat verbis; in ea quippe illi declarantur ab Ecclesia alieni, qui Verbum aut ex nihilo, aut ex aliqua præjacente materia factum asserunt : Item edita est a Basilio qui, ut Præses Concilii Ancyrani, perstriuxerat secundam formulam, velut impiam : ex quo liquet eum animo catholico priorem fecisse.

Neque vero dubitandum est Liberium subscripsisse, fidem consubstantialitatis retinendo : tum quia nonnisi ex prævia fidei explicatione priori consensit formulæ: tum quia a Constantio exagitatus ut Verbi consubstantialitatem abnegaret, tantum ita exhorruit scelus, ut teste Sozomeno lib. 4. cap. 15. eos in formula a se facta declaraverit a fide alienos, qui illam tentare auderent : " Sed & Confessionem a „ Liberio vicissim susceperunt, qua eos, „ qui Filium secundum substantiam, & „ per omnia Patri similem non esse asse„ rerent, alienos ab Ecclesia pronuntiabat. „ Igitur tunc temporis sæviente etiam Constantio, Liberius intactam servavit fidem : maxime vero cum judicandum sit de fide Liberii ex iis quæ pro eadem gessit, dum esset liber ; quandoquidem quæ fiunt ex metu cadente in virum constantem, non censentur voluntaria saltem intus : dubio-procul Liberius nonnisi ex hujusmodi metu abstinuit a verbo *homoousion*. Ergo &c.

Tertia pars absque negotio utique probatur : Ille fidem Nicænam strenue, absoluto exilio, propugnavit, qui in odium consubstantialitatis quam verbis & dictis palam propugnabat, e sede iternm ejectus, in sepulchris ad obitum usque Constantii delitescere compulsus est : Atqui ex dictis liquet hanc etiam pro consubstantialitate Verbi Liberium sustinuisse persecutionem, ut scribit Hilarius in frag. & post ipsum Maimburgius lib. de Arianism. ad ann. 359.

Confirmatur : certum est Liberium subscripsisse formulæ, in qua Filius Dei per omnia Patri similis dicitur, in qua etiam illi omnes anathemate perstringuntur, qui dicebant Verbum aut ex nihilo, aut ex aliqua præjacente materia factum: sed hujusmodi formula ab Athanasio habetur ut catholica, ea solum conditione ut decreta omnia Nicænæ Synodi recipiantur: sed eam amplectitur vel ipse sanctus Basilius, modo *citra varietatem homoiousion* admittatur; Liberius vero strenue omnes Concilii Nicæni definitiones invicto animo propugnavit : sed Filium per omnia Patri similem incunctanter proclamavit, adeoque ullam citra varietatem: maxime cum prima Sirmiensis formula edita sit a Basilio Ancyrano adversus Photinum, Aetium, Eudoxium, & alios qui Verbum non sine blasphemia esse Patri dissimile effutiebant. Ergo &c.

Confirmatur iterum. Si Liberius subscripsisset secundæ formulæ Sirmiensi, absque mora solutus fuisset ab exilio, nihil quippe ab eo ultra expostulasset Constantius, quippe qui perfidiam Arianam pure & simpliciter fuisset professus: Atqui tamen a subscriptione anno adhuc integro Berœæ exulavit, scilicet ab anno 357. usque ad annum 358. ut scribit Sozomenus, & ut probat Epistola Liberii ad Orientales, qua eos & de subscriptione certos facit, & rogat quatenus pro ejus libertate ad Constantium scribere dignentur. Ergo &c.

His omnibus adde testimonia Epiphanii, Basilii, Ambrosii qui Liberium ut sanctum celebrant. Ejusdem memoria commendatur in additionibus Martyrologii Bedæ & Usuardi.

Proponuntur & solvuntur objectiones.

OBJICIES primo, formula prima Sirmiensis, cui consensit Liberius, Arianæ hæreseos spirat venenum : Igitur a lapsu & ab hæresi non vindicatur Liberius : Probatur Antecedens. Primo-quidem non nisi fraudulenter abjiciuntur illi qui Verbum aut ex nihilo, aut ex aliqua præjacente materia factum asserebant, cum hoc ipsum vel ipsi dicerent Ariani teste sancto Athanasio, qui in Epistola, ad Solitarios

tarios de Nicænæ Synodi decretis p. 715. scribit Eusebianos profiteri mente versipelli Filium Patri similem : " Sed ita tamen, *inquit loquens de eis*, ut deprehenderentur inter se mussitare, nutus conferre, oculisque sibi invicem applaudere, quasi illud, simile esse, & in eo esse, & ejus potentiam esse, communia Filio nobiscum essent. " Basilius Epistola 300. reddens rationem qua Patres Nicæni ducti sunt Symbolo addere *homoeusion*, ait: " Et quia ex non ente ad esse productum fuisse Filium etiam tunc nonnulli asseverabant, hanc ut abscinderent impietatem illi Patres nomen *homoeusion* usurparunt. " Expressius Ambrosius lib. 3. de fide cap. 7. ait, de Arianis: " Secundum impietatem igitur suam positum *substantiæ* verbum recipiunt Ariani : secundum pietatem autem fidelium comprobatum repudiant & refutant. " Ergo &c.

Respondeo primo intactam Liberii fidem ex prænotatis ulla absque æquivocatione resplendescere : cum constet illum ante exilium pro virili non in uno Concilio & *homousion*, & sancti Athanasii innocentiam propugnavisse, cum non nisi coactus omiserit postea *homoousion*, ita tamen ut Filium dixerit, per omnia Patri similem, & contradicentes etiam dum adhuc exularet anathemate confixerit; cum denique vix ab exilio solutus, iterum etiam *homoousion* propugnaverit : qua de causa e Sede iterum deturbatus in Catacumbis delitescere compulsus est.

Ipsum Athanasium defensorem habet suæ œconomiæ, qua quidem minis & pœnis perterritus omisit *homoousion*, quod vocabulum dubio-procul ut demonstratum est, tunc non obligabat. Sic loquitur ille Pater in epistola ad Solitarios: " Liberius deinde post exactum in exilio biennium inflexus est, minisque mortis, ad subscriptionem inductus ; verum illud ipsum quoque & eorum violentiam, & Liberii in hæresim odium, & suum pro Athanasio suffragium satis coarguit. " Cæterum præ oculis semper habendum est, quod idem ille Pater libro de Synodis pag. 705. ait : " Adversus autem eos qui omnia Synodi scripta recipiunt, de solo autem consubstantiali ambigunt, non ut adversus inimicos affici nos decet. " Et sanctus Basilius Epistola 41. " Si quidem, *inquit*, huic dicto adjunctum fuerit *citra ullam varietatem*, eam ego amplector, proboque vocem. " Scilicet *homoeusion*. Porro nullus quantumvis Liberii æmulus invidiosus negaverit istum Pontificem Verbum per omnia Patri simile incunctanter proclamasse.

Respondeo secundo negando Antecedens; quis enim, omisso *homoousio*, verbis expressioribus Filii consubstantialitatem exponere potest, quam ille qui negat Verbum aut ex nihilo, aut ex aliqua præjacente materia factum esse ? Porro in formula, cui subscripsit Liberius Papa, hi omnes abjiciuntur qui adversa & prædicant & credunt.

Ad probationem distinguo : quidam, teste Athanasio verbo *homoiousion* abutentes a consubstantialitate Verbi declinaverunt, concedo : non abutentes, sed *citra varietatem*, & decreta Nicæna suscipientes, nego. Dictum est Basilium Ancyranum præcipuum formulæ auctorem eo scopo eam instituisse, ut Photini exploderet errores : quod certe incassum peregisset, si Christum Filium per omnia Patri similem non credidisset : quocirca adoptantes *homoiousion* veluti catholici habiti sunt, & ipse Hilarius lib. de Synodis primam illam Sirmiensem formulam uti catholicam ventilat.

Verba S. Basilii ad rem non pertinent, cum sermonem eo loci instituat de his, qui Verbum ex nihilo factum esse non sine blasphemia prædicabant : " Et quia, *inquit*, ex non ente ad esse productum fuisse Filium, etiam tunc nonnulli asseverabant, hanc ut abscinderent impietatem illi Patres nomen *homoousii* usurparunt. " Neque tamen negamus aliquos mente versipelli dixisse Verbum non esse aut ex nihilo, aut ex præjacente materia formatum, hoc est, in tempore : nonnulli enim ante tempus & ante ipsos Angelos, per creationem emanasse propugnabant, ista Scripturæ verba de Sapientia Eccl. 24. *Ab initio & ante sæcula creata sum*, in perversum detrahentes sensum, quasi factum fuisset ante tempus quod initium habuit tantummodo in creatione creaturarum corporalium ; tunc enim per varios dies tempus cœpit, & cœptum perduravit : Sic enim habetur Geneseos 1. *Factumque est vespere & mane, dies*

unus

onus &c. Ariani concedebant quidem verbum in tempore non fuisse conditum, sed ante illud tempus: & hac æquivocatione anathemata Ecclesiæ declinare tentabant: Ast non defuerunt qui *homoiousion* usurparent corde perfecto, inter quos primas tenet fedes Liberius. Cæterum formula prima in sensu obvio habebat sensum catholicum, esto quod quidam ea abusi sint: nonne & abutuntur vel ipsa Scriptura sacra Heterodoxi? sufficit quod sensus obvius sit bonus.

Ad Ambrosium distinguo: & sanctus Doctor loquitur de Arianis qui, ut vel ipsis Catholicis illuderent, nonnunquam *homoiousion*, sed suo sensu prædicabant, concedo: de aliis indiscriminatim qui, omisso *homoousio*, *homoiousion* animo catholico & fide sincera adoptabant, nego. Ariani quidam fraudulenter, ut deciperent incautos, dicebant Filium Patri similem, vel in ipsa substantia, sed similitudine affectiva solum & morali; istos autem, & non alios revincit Ambrosius.

Instabis: atqui vel ipsa prima Sirmiensis formula hæresim spirat: Ergo &c. Probatur subsumptum. In ea Filius Dei dicitur Patris minister; sic enim habetur in ultimo anathematismo: " Si quis Christum ,, Deum, Filium Dei ante sæcula, ad-,, ministrumque ad universitatis opificium ,, fuisse negat .... Anathema esto. ,, Sed minister est Domino inferior: Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Filius dicitur Patris minister improprie & lato modo, concedo: proprie & per dependentiam, nego. Justinus & alii primorum sæculorum Patres nonnunquam Filium Dei Patris ministrum esse asserunt, sed improprie, & eo solum scopo ut probent a Patre vere procedere, Verbumque non esse nihil. Sic Tertullianus loquitur: sic alii tertii sæculi Patres effantur, ut revincant Sabellianos qui & secundam & tertiam personam a Trinitate adimebant. Eodem prorsus sensu Præsules Sirmienses in prima formula Filium veluti Patris in creatione ministrum prædicant.

Insistes: sanctus Hilarius lib. fragmentorum illam ipsam formulam vocat: " Per-,, fidiam Arianorum. ,, Ipsum Liberium anathemate ferire non dubitat, eo quod ei subscripserit: " Anathema, *ait*, tibi a ,, medictum, Liberi, & sociis tuis, iterum tibi anathema, & tertio prævaricator, Liberi: ,, Ergo &c.

Confirmatur: Hieronymus in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 91. de Fortunatiano Aquilejensi Episcopo sic loquitur: " In hoc habetur detestabilis, quod ,, Liberium Romanæ urbis Episcopum ,, pro fide ad exilium pergentem primus sol-,, licitavit ac fregit, & ad subscriptio-,, nem hæreseos compulit. ,,

Rursus Auxilius lib. primo de ordinationibus Formosi cap. 25. contendit Liberium subscripsisse hæresi: " Quis nesciat, *in-* ,, *quit*, quod Liberius, proh dolor! ,, Arianæ hæresi subscripserit? ,, Quid plura? In festo sancti Eusebii Presbyteri & Confessoris 19. Calendas Septembris lectio, vel ipsius Breviarii Romani, hæc continet: " Beatus Eusebius Presbyter, ,, cum præsente Constantio fidem catho-,, licam constantissime defensaret, & ,, Liberium Papam doleret Arianæ per-,, fidiæ consensisse, ab irato Constantio ,, Imperatore Ariano includitur in quo-,, dam cubiculo domus suæ, habente in ,, longitudine pedes quatuor &c. ,, Ergo &c.

Respondeo 1. hæc & similia argumenta unum tantummodo probare, videlicet Liberium in suspicionem hæreseos venisse, eo quod pœnis cedens, vocabulum *homoousion*, quod pro virili ad exilium usque defenderat, tandem omiserit: Sed ipse Athanasius epistola ad Solitarios, eum excusatum habet, eo quod non nisi timore perterritus subscripserit formulæ priori Sirmiensi. Et vero ad Sedem propriam reditum urgere debebat, ne ex ejus absentia alter, non sine schismate in Cathedra Petri sederet: tum etiam ut gregem a lupis, scilicet Arianis, ea qua par est diligentia defenderet. Secundo, illa eadem formula abutebantur Ariani. Tertio cum eis quidem communicabat Liberius, sed cum illis, quos existimabat ab errore discessisse. Quare consenserat, esto, damnationi divi Athanasii; verum secundum allegata & probata. Non certe de fide, sed de quibusdam aliis ut reum habebat. Denique Eudoxius & sui, accepta epistola, qua certos eos faciebat Osius se subscripsisse secundæ formulæ Sirmiensi, prædicaverunt vel ipsum Liberium ejusdem esse labii cum eis; quocirca non pauci errore fa-

ctu

cti detenti scripserunt Liberium tandem aliquando & lapsum, & Arianæ adhæsisse perfidiæ. Hac solutione, absque negotio cuncta solvuntur adversus fidem Liberii objecta.

Respondeo 2. distinguendo : Hilarius vocat primam Sirmii formulam perfidiam Arianam præsumptive & suspicative, concedo : absolute & secundum se spectatam, nego; alias sibi ipsi contradiceret, cum libro de Synodis illam uti catholicam habeat; idcirco licet errore detentus, potuit zelo fidei actus anathema pronuntiare Liberio.

Respondet P. Alexander dissert. 31. sæculi quarti art. 1. librum fragmentorum sancti Hilarii tametsi genuinum, nihilominus mutilum & defloratum fuisse : " Id cum multa probent, *inquit*, clarissime evincunt verba, quæ priori Liberii epistolæ ad Orientales sunt annexa. Hac epistola præfatus Pontifex Athanasium se a sua & Ecclesiæ Romanæ communione separasse significat; seque communionem Arianorum amplecti. Et tamen post illam epistolam immediate leguntur hæc velut Hilarii verba : *Quid in his litteris non sanctitatis? Quid non ex metu Dei eveniens est?* " Citra dubium ista ultima verba luce clarius indigitant & vocabula perfidiæ Arianæ, & anathematis in Liberium voces esse quid textui Hilarii assutum, & manu aliena non sine fraude inductum.

Respondet ad hanc eandem difficultatem Illustrissimus D. Languet Suessionum Episcopus epist. 6. pag. 4. ann. 1722. edita adversus D. Petrum de Langle Boloniensium Præsulem qui favens Quesnello objiciebat illum S. Hilarii locum, ut Bullam *Unigenitus* evacuaret : " Benedictini, *inquit*, in nova S. Hilarii editione asserunt opusculum, ex quo excerpta est auctoritas laudata, non potuisse componi a S. Doctore, nisi post conversionem Liberii ad pristinum fidei zelum: quod argumentum est anathema in objectione laudatum confictum esse. " Rursus ibidem pergit: " Pater Quesnellus in sua ad D. Wits responsione ægre fert istud commemorare anathema, eo quod monumentum omnium fide indignum in testimonium veritatis non adducendum esse autumaret. "

Ad cæteras in confirmationem adductas auctoritates non absimilis est responsio, videlicet Historiographos errore facti fuisse detentos, & nonnisi ex mera suspicione in Liberium exardescere : idcirco acta priora breviarii Romani contra Liberium expuncta & abscissa sunt.

Replicabis : Atqui Hilarius non ex suspicione, sed absolute loquitur contra Liberium veluti fidei extorrem : Ergo &c. Probatur subsumptum : Formulam Sirmiensem cum Concilio in quo edita fuit, cæteraque Semiarianorum Conciliabula absolute damnat, & abhorret : sic enim loquitur lib. contra Constantium Imperatorem: " Post Synodum deinde Sardicensem omnem rursum adversum Photinum Sirmium catholicæ doctrinæ tuæ commoves curam. Sed tibi statim hoc, quod utraque fide continebatur, exhorret. " Quinimmo sanctus Athanasius lib. de Synodis primam Sirmii formulam inter Arianorum formulas annumerat, de quibus, ait : " Quis eum videat per singulas Synodos alia addi, alia detrahi, non animadvertat illorum in Christum suspectum & insincerum animum? " Ejusdem est labii Hilarius in libro quem ad Constantium direxit, aitque : " Facta est fides temporum, potiusquam Evangeliorum : dum & secundum annos scribitur, & secundum confessionem baptismi non tenetur. " Igitur Liberius cum suum addiderit calculum primæ formulæ Sirmiensi, non vacat culpa.

Respondeo distinguendo : Hilarius abjicit vel ipsam primam formulam Sirmiensem in sensu Arianorum propositam, & explicatam, concedo : secundum se sumptam, nego : Nam in libro de Synodis ut catholicam illam proclamat. Eadem est responsio ad auctoritatem S. Athanasii, qui quidem vel illam ipsam admittit, modo ei subscribentes cuncta Concilii Nicæni decreta suscipiant, porro ista conditione huic formulæ consensisse Liberium, neminem cordatum latet : quia vero Heterodoxi hujusmodi formulis & decretis sæpius abutebantur, non mirum si ad tutelam fidei hæc omnia quandoque sancti Patres nedum non approbant, sed & de facto proscribant. Ipse S. Athanasius suam prodit mentem his verbis : " Quis cum videat per singulas Synodos, alia addi, alia detrahi, non animadvertat illorum in Christum suspectum & insin-

„ insincerum animum? ... Et de industria plurima scribere, ut possint per opportunam ambitionem & tantam loquacitatem, & alios, qui simpliciores sunt, decipere, & ipsi interim latere, ut non sentiatur qualem hæresim foveant. „ Hilarius quoque est sui ipsius interpres, quippe qui ibidem subjungat: " Damnas quoque & substantiæ nomen, quo te & Sardicensi Synodo, & Sirmiensi pium esse Occidentalibus mentiebaris. „

Persistes, Liberius ipse exhorruit formulam cui Patres Ariminenses subscripsere, eo quod *homoeusion* reticeretur, tametsi Verbum per omnia Patri simile diceretur: Igitur ex ipso ore Liberii hæreseos labem ei inurunt auctores; cum in formula Sirmiensi altum esset de *homoeusio* silentium.

Respondeo distinguendo: Liberius abjecit formulam cui Patres Ariminenses consenserant eo quod ipsi clare admodum innotesceret fraus eorum qui illam subscribendam offerebant, concedo: illam absolute damnando, nego antecedens & paritatem. Ratio discriminis non una est. Primo quidem Liberius perspectam habebat Imperatoris & suorum malam fidem, qui mente versipelli, ut incautos Patres deciperent, formulam subscribendam proponebant uti catholicam, & ideo non quidem illam damnavit, sed illi subscribere renuit. Secundo Concilium Ariminense erat veluti œcumenicum, & consequenter ejus decreta veluti fidei regulæ haberi debebant; ne igitur fides in periculum veniret, noluit in hac circumstantia isti adhærere formulæ: sed Sirmiensi subscripsit ut doctor particularis, & hoc ex prævia fidei explicatione facta a Demophilo qui subscribendam illi obtulit: Sed incunctanter adhæsit decretis Concilii Nicæni.

Repones: Liberius subscripsit, etiam cognita fidei hostium fraude. Ergo &c. Probatur Antecedens. Sirmium jubente Imperatore reversus cuidam formulæ conditæ & conflatæ ex formula Sirmiaca contra Photinum, & Antiochena contra Paulum Samosatensem, in qua secunda formula Filius nonnisi sicut in Ariminensi, omisso *homoeusio*, similis Patri dicebatur: & hoc cum primum exagitatus fuisset præsente Imperatore, ut Verbi abnegaret consubstantialitatem, quod cum facere renuisset, saltem collectioni subscribere compulsus est, cui etiam formulæ consenserunt Ursacius, Valens & Germinius detestabiles Ariani; isti enim non adhæsissent formulæ, si paratam non habuissent fraudem: quinimmo Basilius Ancyranus & sui Liberio suadere conabantur, ut a fide consubstantialitatis deflecteret: quæ quidem omnia argumenta satis innuunt Liberium adhæsisse Arianis.

De hoc momento audiendus est Sozomenus qui libro quarto, cap. 15. juxta Valesii versionem sic loquitur: " Haud multo post Imperator, ab urbe Roma Sirmium reversus, cum Occidentales Episcopi legationem ad ipsum misissent, Liberium Berœa ad se accersivit: cumque adessent legati Episcoporum Orientis, convocatis Sacerdotibus, qui in comitatu erant, Liberium cœpit compellere, ut Filium Patri non esse consubstantialem profiteretur. Instabant autem, & Imperatorem ad hoc impellebant Basilius, Eustathius & Eleusius, qui præcipua apud ipsum auctoritate pollebant. Qui cum ea quæ contra Paulum Samosatensem, & contra Photinum Episcopum Sirmii decreta fuerant, ac præterea fidei formulam in dedicatione Antiochensis Basilicæ editam, in unum tunc libellum conjecissent, periude quasi quidam sub obtentu vocabuli consubstantialis, propriam hæresim stabilire conarentur, effecerunt ut Liberius, & Athanasius, Alexander, Severianus, & Crescens Africæ Episcopi, ei formulæ consentirent. Consenserunt pariter Ursacius, & Germinius Episcopus Sirmii, & Valens Mursæ, & quotquot ex Orientis partibus aderant Episcopi. „

Respondeo 1. neque nos in crimen vocare Patres Ariminenses, maxime vero cum *homoeusion* animo catholico admiserint ut infra probabimus.

Respondeo 2. negando Antecedens. Ad probationem distinguendo: Liberius subscripsit collectioni & extemplo aliam obtulit formulam subscribendam in qua alienos esse ab Ecclesia pronuntiabat eos omnes, qui negarent Filium Dei Patri in identitate similem, cui omnes laudati præsules consenserunt, concedo: Secus, nego. Igitur non in eadem culpæ causa erat cum Patribus Ariminensibus ille summus Pontifex, quippe qui, cognita Hæreticorum

eorum fraude, & compertis falsis rumoribus de se sparsis, quod nempe cedens tandem tempestati per omnia Arianis adhæreret, fidem suam sic explicavit. Ne miremini autem, si Ariani istam ulteriorem subscriptionem expostulaverint: Namque sic egerunt specie honoris, ne per omnia causa cadere, & a Liberio prorsus devicti fuisse viderentur. Sed & falsum est Basilium & suos compulisse Liberium ad abnegandam Verbi consubstantialitatem, cum ipse Basilius proscripserit secundam Sirmii formulam: quocirca si compulit, nonnisi ratione œconomiæ compulit, & eo solum scopo, ut, omisso *homousio*, pro bono pacis solum *homoiousion* retineretur, cum vel ipse consenserit formulæ admodum Catholicæ a Liberio vicissim oblatæ. Cæterum non Basilius sed Imperator volebat, ut Liberius Verbi abnegaret consubstantialitatem.

Solutio patet ex verbis Sozomeni immediate subsequentibus, sic enim ibidem pergit l. 4. c. 15. " Sed & confessionem a „ Liberio vicissim susceperunt, qua eos, „ qui Filium secundum substantiam, & „ per omnia Patri similem non esse asse„ rerent, alienos ab Ecclesia pronuntia„ bat. Nam cum Eudoxius, & qui cum „ illo opinioni Aetii favebant, Antiochiæ „ Osii Epistolam accepissent, sparsis ru„ moribus divulgaverant Liberium quoque „ *consubstantialis* vocabulum condemnasse, „ & Filium Patri dissimilem consiteri. „ His per Occidentalium legates confectis, „ Imperator Romam redeundi potestatem „ Liberio concessit. „

Instabis: ille adhæsit perfidiæ Arianæ qui & cum Arianis communicavit, & sancti Athanasii consensit damnationi: Atqui res sic se habet: & probatur. Ex ipsa Liberii epistola ad Orientales: " Ego, *in„ quit*, Athanasium non defendi; sed quia „ susceperat illum bonæ memoriæ Julius „ Episcopus decessor meus, verebar ne „ forte in aliquo prævaricator judicarer. „ At ubi cognovi, quando placuit Deo, „ juste vos illum condemnasse, mox con„ sensum commodavi sententiis vestris. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Si consensit errori Arianorum, & ab Athanasio abstinuerit animo hæretico, concedo: sin minus, nego. Ursacius, Valens, & Germinius Arium damnare profitebantur, & collectioni formularum alias Catholicæ lubenti animo subscripserant; idcirco cum eis communicare non dubitavit Liberius, maxime vero cum Ecclesia non judicet de internis: damnationi quidem Athanasii consensit, sed errore facti detentus, cum antea cuncta tentasset, ut ejus propugnaret partes.

Persistes: Atqui de facto Liberius adhæsit Arianis etiam in errore: & probatur. Subscripsit secundæ formulæ Sirmiensi: Sed citra dubium erat prorsus hæretica, ergo. Probatur major. Probabilius est formulam a Demophilo oblatam Liberio eam fuisse, quæ tunc temporis circumferebatur, non vero alteram quæ sex ante annos jam prodierat in lucem; maxime vero cum Liberius eo ipso anno quo secunda composita est, scilicet an. 357. a solita exciderit fortitudine, prima autem anno 351. juris publici facta fuerat. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, nego majorem. Ad ulteriorem probationem, nego Liberium subscripsisse secundæ formulæ, cum post subscriptionem uno adhuc anno integro in exilio permanserit: quodquidem irrefragabile argumentum est eum non subscripsisse secundæ formulæ prorsus Arianæ; quandoquidem si illi subscripsisset, per omnia votis Imperatoris & Arianorum satisfecisset, & hinc absque mora ab exilio fuisset solutus, ut ad suam rediret sedem.

Solvitur objectio ex Pontificatu Felicis, tempore quo Liberius in exilium actus est.

OBJICIES: Felix in locum Liberii suffectus est a Clero Romano: Sed ea ratione Liberius dejectus est, quia Arianis adhæserat: Et probatur. Sic propugnat Hieronymus in chronico ad annum Christi 352. ubi sic loquitur: " Post annum cum „ Felice ejecti sunt, quia Liberius tædio „ victus exilii, & in hæreticam pravi„ tatem subscribens, Romam quasi vi„ ctor intraverat. „ Sic Theodoretus lib. 2. Hist. Eccl. cap. 17. appellans Felicem Liberii successorem: " Successum est, *in„ quit*, Liberio a fideli quodam ejus Dia„ cono, nomine Felice, qui. . . . fidem „ in Concilio Nicæno expositam ipse servavit integram. „

Confirmatur: Felix sedit de facto in Cathedra S. Petri, & tamen non fuit Schis-

maticus; nemo enim auctorum istam ei inurit labem: Sed hoc ipsum innuit Liberium propter hæresim fuisse exauctoratum. Ergo &c.

Duæ sunt circa Felicis momentum sententiæ; quorumdam scilicet qui eum veluti legitimum Pontificem habent; aliorum vero qui hoc, & probabilius, negant. *Juxta primorum sententiam*.

Respondeo distinguendo: Clerus Romanus errore facti detentus Felicem habuit ut legitimum Pontificem, concedo: Citra errorem, nego. Cum Liberius in suspicionem hæreseos venisset, non mirum si alter in ejus suffectus est locum; nam Papa in hæresim lapsus, juribus concedentibus, abjicitur: nec inde Felix evasit Schismaticus; quandoquidem juxta axioma juris, *Papa dubius*, *Papa nullus*: idcirco ad tempus potuit Felix agnosci ut legitimus Pontifex.

Altera responsio juxta aliorum sententiam, & quidem probabiliorem.

Falsum est Felicem fuisse legitimum Pontificem, cum vel ipse Athanasius illum veluti monstrum in Petri Cathedra sedens habuerit, quippequi Arianis communicaret, & ab eis, nusquam vero a Clero summus institutus sit Pontifex. In epistola ad Solitarios de Constantio, qui ad hoc ministerio Epicteti usus erat, sic loquitur: " Hoc ministro utens, incredibile ,, facinus designavit, & quod vere referat imaginem antichristi, ut qui in locum Ecclesiæ palatium suum succedere voluerit, & pro conventu populi, & jure comitiorum, tres Eunuchos præsentes esse jusserit, tresque item κατασκόπους, hoc est, exploratores (non enim eos Episcopos dixeris) ut ipsi Felicem quemdam Episcopum in palatio crearent, dignum profecto talibus suffragatoribus. Cæterum populi omnes, cognita Hæreticorum pravitate, non permisere eos Ecclesiam intrare, proculque ab iis recesserunt. ,,

Idem censent Optatus Milevitanus & S. Augustinus, qui Felicem e catalogo summorum Pontificum expungunt. Primus l. 2. contra Parmenianum ait: " Cathedra ,, unica est, quæ est prima de dotibus. ,, Sedit prior Petrus, cui successit Linus ,, ... Julio Liberius, Liberio Damasus, &c. ,, Secundus epist. 165. " Si ,, enim ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quando certius & vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus. . . . . Julio Liberius, Liberio Damasus &c.

Neque vero magis affulget Felicem a Clero ad summum Pontificatum adscitum fuisse, cum potius ab Arianis inauguratum esse constet: quocirca ab ipsis Catholicis a sede suprema deturbatum non levius indicat ipse Hieronymus epist. 34. his verbis: " Liberius Romanæ Ecclesiæ ordinatur ,, Episcopus, quo in exilium ob fidem truso, omnes Clerici juraverunt ut nullum alium susciperent. Verum cum Felix ab Arianis fuisset in Sacerdotium substitutus, plurimi pejeraverant, & post annum cum Felice ejecti sunt &c. ,,

Ad Hieronymum igitur distinguo: & errore facti deceptus est S. Doctor cum de Liberio paululo durius scripsit, concedo: secus, nego: neminem quippe latet Liberii ab exilio liberationem, & a legatis Occidentalium, & a matronis Romanis expostulatam fuisse, ut refert Theodoretus lib. 2. hist. capite 17. & Sozomenus libro quarto cap. 15. juxta edit. Valesii. Quid plura? Vel ipse Hieronymus non asserit Felicem ejectum fuisse renitentibus Catholicis, contrarium prorsus evincunt supplicationum libelli ab Occidentalibus, & Matronis Romanis ad Constantium oblati.

Ad ulteriorem probationem utique distinguo: Felix non fuit Schismaticus juxta quorumdam auctorum placita, concedo: secundum graviores auctores, nego. Nam sanctus Athanasius veluti monstrum in Cathedra Petri sedens eum habuit: omnes Arianorum molitione intrusum eum agnoscunt: denique Liberium a propria sede non excidisse propter hæreseos crimen luce clarius affulget, cum vel ipse Imperator ea illum ab exilio solvit intentione, ut pro more sederet in sua innata Ecclesia. Cæterum si Liberius hæresi fœdatus Romam appulisset, Felix semper fuisset legitimus Pontifex, & tunc duo simul in eadem urbe fuissent summi Pontifices:

fices: quod quidem Imperator nolebat; scribit enim Theodoretus, scribit & Sozomenus eum prima vice respondisse Matronis Liberii expostulantibus liberationem: " Altero Pastore civitati opus non esse, " quippecum haberet unum qui ipsi posset " providere. " Quid plura adjiciam? Nec " ipsi adversæ sententiæ auctores diffitentur Liberium reducem claves Ecclesiæ solum tenuisse.

Instabis: Atqui Felix non Schismaticus, sed legitimus loco Liberii fuit Pontifex: Igitur Liberius propter hæresim a sede deturbatus non sine fundamento creditur: Probatur subsumptum. 1. Ex Theodoreto qui lib. 2. hist. Eccles. cap. 17. scribit Felicem fuisse Liberii successorem, & fidem Nicænam illibatam servasse: " Successum est, *inquit*, Liberio " a fideli quodam ejus Diacono, nomine " Felice, qui tametsi fidem in Concilio " Nicæno expositam ipse servavit integram &c. " 2. Quia Romani pejeraverant Liberium. 3. Papa dubius, juxta summistas, Papa nullus: sed Liberius tunc temporis erat Papa dubius: Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguendo: Felix fuit Liberii successor lato modo, & improprie, concedo: ex jure, nego. Aliquis potest esse Christi Vicarius duplici modo, videlicet canonica electione, deinde vero intrusione: isto posteriori modo insignia cathedræ Petri accepit Felix, videlicet Arianorum factione: Esto quod fidem Nicænam servaverit; sed dubio-procul non fuit canonice electus: quinimmo eum semper communicasse cum Arianis non levior est suspicio. Solutio est ipsius Theodoreti qui suam prodit mentem ibidem hæc subjungendo: " Tamen cum illis, qui eamdem scilicet fidem labefactare studebant, libere communicavit: Ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi voluit. "

Ad alteram probationem, distinguo: Romani pejeraverunt, sed Felicem uti verum Pontificem non habuerunt, concedo: & uti talem agnoverunt, nego. Immo dato quod errore facti detenti, tunc temporis Felicem ut genuinum Pastorem agnovissent, non ideo tamen erat verus Pontifex canonice electus: cum inauguratus sit vi & molitione Arianorum anno 355. testibus Hieronymo de Script. Eccles. Theodoreto lib. 2. c. 2. Sozomeno l. 4. c. 20. Athanasio epist. ad Solit. Maimburgio l. 4. Arian. quo tempore Liberius exul agebat pro fide: neque vero Liberius subscripsit formulæ Sirmiensi, nisi ann. 357.

Ad secundam probationem distinguo minorem: dubius Papa habebatur Liberius ab aliquibus errore facti detentis, concedo: cum fundamento, nego. Et vero ab ipso Athanasio, Optato Milevitano, & Augustino nusquam sic habitus est, quippe qui non Liberium sed solum Felicem e catalogo summorum Pontificum expunxerint, & merito; namque Liberius subscripsit formulæ catholicæ, esto ab Arianis oblatæ, sed ex prævia confessione fidei Nicænæ a Demophilo, qui eam illi subscribendam obtulit, facta.

Replicabis: Felix ab Auctoribus omni exceptione majoribus ut Christi Martyr celebratur: Sed implicat Martyrem fuisse pseudo-Pontificem loco legitimi adhuc viventis; Ergo &c. Probatur major. Primo quidem in Martyrologiis quarto Calendas Augusti ejus consignatur memoria. Secundo idem scribit Anastasius Bibliothecarius lib. de vitis Romanorum Pontificum, qui ipsum, etiam consentiente Liberio, Papam inauguratum fuisse, tum Valentem & Ursacium in Concilio 48. Episcoporum damnasse dicit. Ado Viennensis in Martyrologio ad quartum Calendas Augusti de hoc momento sic loquitur: " " Romæ via Aurelia, beati Felicis Pontificis, sub Constantio filio Constantini " ... & agentibus postmodum Hæreticis, exinde levatus, ductus est ad civitatem, & capite truncato, martyrio " coronatus quarto idus Novembris. " Nec desunt qui asserant hunc Felicem fuisse S. Gregorii atavum; hoc enim & Joannes Diaconus, & Leo Hostiensis de Felice IV. scribunt: At quartus esse non potuit, superest igitur quod fuerit Felix II. qui sedit loco Liberii. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Felix primus habetur ut Christi Martyr, concedo: Felix II. qui & pseudo-Pontifex extitit, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Felix qui habetur ut sanctus Martyr, sub Aurelio Imperatore anno 274. Martyrio coronatus est; alter ve-

vero ad Valentiniani usque tempora vixit, nec obiit ante 22. Novembris anno 368. ut Faustinus & Marcellinus ipsi coævi testantur. De priori solum intelligi debent Martyrologia & monumenta Cerensis Ecclesiæ, in qua Felix ut Patronus colitur: quocirca mendæ scatent purgandæ & in martyrologiis, & in codicibus qui Felicem sub Constantio passum referunt. Alias ne quidem in albo Sanctorum scriberetur Felix I. si quorumdam scripta de Felice II. intelligerentur. Nec mirum, pugnantia referrent: Quomodo enim Felix II. capite damnatus fuisset a Constantio, apud quem gratia non leviori pollebat? quippe qui cum Arianis semper communicavit, a quibus & summus Pontifex inauguratus fuerat.

Ad Anastasium Bibliothecarium absque negotio respondetur errore facti fuisse detentum, quando Felicem II. scripsit martyrio coronatum, eo quod vel ipsum Constantium propter hæresim anathemate confixisset: non enim una est in scriptis Anastasii contradictio. Quomodo enim benefactorem damnasset Felix, qui adhærebat Arianis saltem quoad societatem? Idem scribit Felicem in civitate Cerana tertio Idus Novembris Martyrem obiisse juxta muros urbis, cum multis aliis Clericis & Laicis: In vita vero Liberii asserit depositum ipsum de Episcopatu habitasse in prædiolo suo via Portuensi, ubi & requievit, in pace 4. Kalend. Augusti. Quid plura? Scribit etiam, ordinante Constantio, Liberium ab exilio solutum simul cum Felice Ecclesiam Christi gubernasse; sed si Constantius a Felice fuisset proscriptus, numquid ipso annuente sedisset simul cum Liberio in cathedra sancti Petri? cæterum idem Anastasius enarrat Felicem arguisse Constantium de Baptismo ab Eusebio Nicomediensi sibi reiterato, antea vero obierat Eusebius, & tunc temporis, teste sancto Hilario lib. de Synodis, Imperator erat solum Catechumenus. His accedit quod Ariani rebaptizare non solerent.

Mitto alias contradictiones, maxime dum quidam scripserunt, consentiente Liberio, Felicem sedisse Romæ; quasi vero legitimus Pontifex posset habere æmulum. Neque vero fides Joanni Diacono, & Leoni Hostiensi adhibenda est, cum Felicem IV. sancti Gregorii Magni atavum nuncupant; non enim iste, a fortiori nec secundus, sed tertius hoc honore celebratur.

Urgebis: Qui a SS. Pontificibus inter Christi Vicarios annumeratur, ab eorum catalogo cum injuria expungi non debet: Atqui Felix II. non ab uno sancto Pontifice inter Christi Vicarios reponitur: Ergo &c. Probatur minor. Primo in sacramentario S. Gregorii legitur Missa S. Felicis Martyris & Pontificis. Secundo ann. 1582. sub Pontificatu Greg. XIII. non levis controversia Romæ fuit circa Felicis II. sanctitatem, multis contendentibus eum in novo Martyrologio Romano reponendum esse; namque dum hæc agitarentur & discuterentur, contigit ut inventa sit in Basilica S. Cosmæ & Damiani urna marmorea cum hac inscriptione antiquis caracteribus in ipso incisa marmore: *Hic jacet corpus S. Felicis Papæ & Martyris qui Constantium Hæreticum damnavit*. Tum Gregorius XIII. qui anno supra laudato regebat Ecclesiam, Felicem II. ut verum & sanctum Pontificem agnovit: Ipse vero Baronius ea de causa ut habetur tom. 3. Annal. ad ann. 357. priorem, quam de Felice tenebat sententiam, immutavit.

Respondeo utrumque summum Pontificem loqui de Felice Martyre, qui certe non secundus, sed primus talis extitit. Namque de Missa laudata non relinquitur ambigendi locus: De Baronio vero & Gregorio XIII. qui Felicem sub Constantio passum credidere, error facti in ipsa assulget inscriptione, quoad ultima hæc verba: (*Qui Constantium Hæreticum damnavit.*) Ut innumeræ probant rationes allatæ. Nec mirum, cum alia monumenta supposititia ad nos usque pervenerint. Inter cætera sunt epistolæ sancti Athanasii ad Felicem pseudo-Papam & ejusdem epistola ad sanctum Athanasium, quæ Concilio Alexandrino præfixæ sunt. Igitur & ad auctoritatem laudatam; & ad Adonem Viennensem, aliosque, qui Felicem II. & sanctum Martyrem habent, cito respondendum est, eos fuisse errore chronologiæ & facti detentos: sic propugnat P. Alexander dis. 32. 4. sec. art. 3.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Liberius Papa a fide Nicana nunquam discessit.

PRIMO, quamvis exilii pertæsus, non tamen subscripsit perfidiæ Arianæ, scilicet secundæ formulæ Sirmiensi, sed tantum primæ, quæ, vel ipso teste Hilario, catholica est.

Secundo, etiam post subscriptionem datam, uno adhuc anno integro exulavit: quod argumentum & quidem irrefragabile est, eum non adhæsisse Arianæ hæresi; sin minus, absque mora ad suam remissus fuisset sedem.

Tertio, vocatus Sirmium, non solum *homoeusion* damnare noluit, sed & obtulit formulam subscribendam, in qua anathemate percellit eos omnes, qui negant Filium Patri similem esse in substantia.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO, formula prima Sirmiensis sensum obvium catholicum præ se fert, esto quod nonnulli eam ipsam in pravum detraxerint sensum, sed non Liberius.

Secundo, neque negamus Filium in illa formula dici Patris ministrum, sed late solum, nusquam vero rigorose & per dependentiam.

Tertio, esto quod Liberius cum Arianis communicaverit, sed bona fide, credens eos fidem Nicænam recipere; hinc subscripsit damnationi Athanasii, non ut consubstantialitatis fidem tentantis, sed propter fictitia quædam crimina, quæ falsi testes pecunia, adulatione, aut aliis modis capti sancto Patriarchæ affingebant.

Quarto, falsum est Felicem II. verum fuisse loco Liberii exulantis Papam, cum nec ab Optato, nec a sancto Augustino inter summos Pontifices annumeretur, & ipse S. Athanasius eum ut monstrum sedens in cathedra sancti Patri habeat.

PUNCTUM UNDECIMUM.

Num universalitas Ecclesiæ pro fide CONSUBSTANTIALIS *versus Concilii Ariminensis & Liberii tempora exciderit?*

AD solutionem hujus controversiæ duo sunt eliquanda: Unum de orthodoxia Patrum secundi Concilii Ariminensis; alterum de sensu istorum Hieronymi verborum dial. adversus Lucifer. *Ingemuit totus orbis, & se Arianum esse miratus est.* Unde sit

§. I.

Num Patres Ariminenses perfidiæ Arianæ subscripserint?

PRÆNOTARE juvat ad quæstionis eliquationem duo esse distinguenda Arimini Concilia, alterum scilicet legitimum, alterum vero falsum & non legitimum: primum Arimini, secundum Nicææ in Thracia celebratum: priori enim absoluto, Episcopi Imperatorem certum fecerunt de actitatis fidei, & ab eo responsum expectabant; quia vero Constantius suam ad eos procrastinavit responsionem, omnes ferme ad proprias rediere sedes, exceptis nonnullis qui Nicæam adducti, subscripsere formulæ ab Ursacio & Valente eis oblatæ, in qua quidem *homoousion* reticebatur, ita tamen ut Valens prius testatus sit se abhorrere ab Arii blasphemiis, ut facilius deciperet incautos: Sic omnia refert sanctus Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos, quos ibi pro virili impugnat, quippe-qui amaro abrepti zelo ab Ecclesia divulsi essent, eo quod Patres Ariminenses secundi Concilii, tametsi pœnitentes, in reconciliationem recepisset. Hic posthumus Episcoporum cœtus nomine Concilii a quibusdam celebratur, quatenus residui ex priori Ariminensi Præsules ibi adfuerant: S. tamen Athanasius istam congregationem e numero Synodorum expungit. His prælibatis, sit

CONCLUSIO PRIMA.

Patres Ariminenses in primo Concilio fidem Nicænam verbis & scriptis propugnavere.

Probatur multis momentis.

PRIMO: Illi fidem Nicænam verbis & scriptis strenue propugnaverunt, qui verbum *homousion* omitti non permisere: Atqui res sic se habet: Et probatur. Ex sancto Athanasio qui in sua ad Africanos epistola apud Theodoretum lib. 2. cap. 23. de istis Præsulibus sic loquitur: " Episcopi vero, *inquit*, qui sinceri erant famuli Dei, & qui recte credebant, numero ferme 200. sola se Nicæna fide contentos esse scripserunt, nec præter illam, quidquam amplius minusve quærere aut sentire &c. " Ergo &c.

Secundo: Qui Arianorum duces propter simulatam fidem a sede deturbaverunt, illi dubio-procul verbis & scriptis fidem Nicænam defenderunt: Atqui Patres prioris Concilii Ariminensis Ursacium & Valentem Arianorum duces exauctoraverunt, eo quod mente versipelli vocem *homousion* abjicerent: Et probatur. Sanctus Athanasius eodem loco ait: " Qui enim Ariminensem commemorant, ignorare videntur ea quæ illic gesta sunt, alioqui de illa silerent. Scitis enim dilectissimi, idque ab iis didicistis, qui ex Provincia vestra ad Ariminensem Synodum profecti sunt, Ursacium & Valentem, Eudoxium & Auxentium, quibuscum etiam erat Demophilus cum quædam alia præter illa, quæ Nicææ constituta sunt, præscribere voluissent, depositos fuisse. "

Tertio: Præfati Præsules animadvertentes aliquam fraudem paratam in procrastinatione responsionis Constantii ad proprias sedes, ne sua in periculum fides veniret, cito in suam rediere Ecclesiam: Igitur aliquid a fide Nicæna detrahi non passi sunt. Probatur Antecedens. Primoquidem ex sancto Athanasio qui de his sic effatur: " Itaque si qui Ariminensem Synodum forte commemorant, proferant primum depositionem eorum quos dixi: deinde ea quæ scripserunt Episcopi asseverantes præter illa, quæ Nicææ a Patribus exposita fuerant, nihil se amplius quærere, nec præter hanc, aliam Synodum agnoscere. " Audis sanctum Athanasium non agnoscere pro Concilio alterum Ariminensem cœtum.

Suffragatur Socrates qui lib. 2. cap. 37. de eodem momento sic habet: " His litteris scriptis ad Constantium quibus eum enixe rogabant, ut eos ad suas Ecclesias redire permitteret, cum aliquantulum temporis substitissent, & Imperator nullum ipsis responsum daret, singuli ad suas civitates redierunt. " Idem scribit Sozomenus lib. 4. cap. 17. & 18.

Audiendus est de eodem momento Theodoretus qui lib. 2. Hist. Eccl. cap. 21. de epistola quam Patres prioris Concilii ad Constantium direxerant ait: " Post allatam hanc epistolam Ariani cum Imperatoris animum ad iracundiam incitassent, plerosque ex Episcopis invitos deduxere ad oppidum Thraciæ, cui nomen est Nice; cumque ex iis alios dolo decepissent, ob simplicitatem, alios metu oppressissent, persuaserunt illis ut fraudem quam ipsi dudum adversus pietatem excogitarant, absolverent, & *substantiæ* ac *consubstantialis* vocabula ex fidei formula removerent, eorum autem loco *simile* substitutum erat . . . His igitur alii metu compulsi, alii fraude inducti subscripserunt: quotquot vero his consentire recusarunt, in ultimos orbis fines relegati sunt. "

Concinit iterum sanctus Athanasius apud Theodoret. lib. 2. Hist. cap. 23. ubi asserit, 1. cuncta ibi minis & vi actitata fuisse; 2. istum conventum nomine Synodi non celebrari, sed solummodo nova quædam addita fuisse priori: " Recentiora, *ait*, quæ apud Ariminum per vim & contentionem facta sunt &c.

Idem scribit Ambrosius in sua ad Valentinianum epistola quæ est trigesima secunda antiquæ editionis & vigesima prima novæ, ubi Athanasii vestigiis inhærens, secernit primum conventum Ariminensem a posthumo, & laudat intrepidam prioris fidem his verbis: " Certe major numerus Arimini Nicæni Concilii fidem probavit, Ariana decreta damnavit. " Igitur ex his omnibus liquet fidem Nicænam & verbis & scriptis in priori Concilio Ariminensi floruisse.

CON-

CONCLUSIO SECUNDA.

Patres Ariminenses posthumi conventus a fide Nicana non exciderunt.

Probatur luculentissimis argumentis.

PRIMUM ARGUMENTUM.

QUI fidem in primo Concilio strenue defenderunt, tum in secundo eamdem corde & verbis æquivalentibus tenuere, & cognita Arianorum fraude, vel de ipsa œconomia ingemiscentes pœnitentiam absque mora egerunt, Arianæ perfidiæ sectatores, & fidei extorres non censentur: Atqui compertum habemus rem sic fuisse: Ergo &c.

Prima pars argumenti liquet ex his omnibus quæ in prima conclusione dicta sunt: Secundo vero, scilicet quod Patres in secundo conventu a fide non recesserint, multiplici probatur ratione. Primo quidem ex dictis supra; namque validissimis argumentis demonstratum est *homoiousion* fidem Nicænam exprimere, modo, juxta Athanasium, admittantur Nicæni decreta; modo juxta Basilium *homoiousion citra varietatem* dicatur: Atqui Præsules his duabus conditionibus, & animo prorsus catholico subscripsere formulæ de novo eis oblatæ, in qua quidem omisso *homousio*, Verbum simile Patri, & ipsi coævum proclamabatur: quinimmo Valens ante subscriptionem suos ejuraverat errores. Igitur Episcopi, servatis servandis, omni sublata suspicione, ac remota fraude nonnisi œconomiæ causa, & ut ad suas protinus redirent sedes ad lupos arcendos, subscripserunt.

Inter omnes audiendus est de hoc momento S. Hieronymus qui in dialogo adversus Luciferianos partes Præsulum ex professo suscipit defendendas; maxime vero ex eo quod cuncta & ex parte formulæ, & ex parte eorum, qui illam confecerant, catholica esse viderentur, & ad metam fidei posita. En sunt sancti Doctoris de illa professione fidei verba: " Credimus, *aiebant*, in unum verum „ Deum Patrem omnipotentem. Hoc etiam „ nos confitemur. Credimus in unigenitum „ Dei Filium, qui ante omnia „ sæcula, & ante omne principium natus „ est ex Deo . . . & inter tanta mella „ præconii nemo venenum insertum putabat „ .. De *usia* vero nomine abjiciendo „ verisimilis ratio præbebatur; quia in „ Scripturis, aiebant, non invenitur, & „ multos simpliciores novitate sua scandalizat, „ placuit auferri. Non erat „ cura Episcopis de vocabulo, cum sensus „ esset in tuto . . . Itaque cum Claudius „ Episcopus Provinciæ Piceni, ex „ præcepto omnium blasphemias, quæ „ Valentis ferebantur, legere cœpisset; „ Valens suas esse negans, exclamavit & „ dixit: Si quis negat Christum Deum Dei „ Filium, ante sæcula ex Patre genitum, „ anathema sit. Ab universis consonatum „ est; Anathema sit. Si quis negat Filium „ similem Patri secundum Scripturas, anathema „ sit . . . Si quis Filium Dei non dixerit „ æternum cum Patre; anathema sit „ . . . Cum ergo cuncti Valentem ad cœlum „ laudibus tollerent, & suam in eum „ suspicionem cum pœnitentia damnarent; „ idem Claudius, qui supra legere cœperat, „ ait: adhuc sunt aliqua quæ subterfugerunt „ Dominum, & fratrem meum „ Valentem, quæ, si vobis videtur, ne „ quis scrupulus remaneat, in commune „ damnemus. Si quis dixerit Filium Dei „ esse quidem ante omnia sæcula, sed non „ ante omne omnino tempus, ut aliquid ei „ anteferat: anathema sit. „

Ecce fides explicata; ecce omnis tergiversatio sublata, cum Filius prædicetur, non solum ante sæcula, verum etiam omne ante tempus: namque Ariani ut suam tegerent hæresim, & deciperent incautos, Verbum quidem ante sæcula generatum asserere non dubitabant: sed his annexa fraus erat, quippe qui ponerent idem Verbum ante Angelos quidem & cæteras creaturas genitum, adeoque ante sæcula, quæ numerabant a creatione mundi, sed non ante tempus; quam suspicionem ut tollerent Præsules expostulaverunt a Valente, ut Verbum nedum ante sæcula, verum etiam & ante omne tempus genitum proclamaret. Huic professioni fidei illis adornatæ circumstantiis Præsules Ariminenses suum addidere calculum. Quis igitur eos in crimen hæresis venire propugnabit? cum constet eosdem animo catholico fidei confessionem orthodoxam fuisse amplexos, unde, ait S. Hieronymus ibidem: " Non erat cura Episcopis

„ de vocabulo, cum sensus esset in tuto. „

Tertia pars absque negotio demonstratur. Diximus Patres, absoluto Concilio, fidem Nicænam professos; addo & detestatos fuisse fraudem Arianorum, maxime Valentis qui nonnisi mente versipelli prædictæ fidei formulæ subscripserat. Non unum est pro hoc momento testimonium, sed instar omnium sit unus Hieronymus, qui ibidem sic loquitur: " His in gestis „ Concilium solvitur: læti omnes ad „ Provincias revertuntur... Cœperunt postea Valens & Ursacius, cæterique nequitiæ eorum socii egregii, videlicet „ Christi Sacerdotes, palmas suas jactitare „ dicentes, se Filium creaturam non negasse, sed similem cæteris creaturis. „ Tum hæc subjungit de Præsulibus deceptis. " Concurrebant, *inquit*, Episcopi qui Ariminensibus dolis irretiti sine conscientia Hæretici ferebantur; contestantes corpus Domini, & quidquid in „ Ecclesia sanctum est, se nihil in sua „ fide suspicatos. Putavimus, aiebant, „ sensum congruere verbis: nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura „ confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud labiis proferri timuimus. „ Decepit nos bona de malis existimatio, „ non sumus arbitrati Sacerdotes Christi „ adversus Christum propugnare; multaque alia, quæ brevitatis studio prætereo, asserebant; parati & subscriptionem „ pristinam, & omnes Arianorum blasphemias condemnare. „

SECUNDUM ARGUMENTUM.

NEMO hæreseos labem illis inurere debet, qui & a Patribus & a Conciliis veluti Catholici habentur; Atqui Patres Ariminenses sic habentur: Ergo &c. Probatur minor ex S. Hieronymo, qui ibidem de iis sic loquitur: " Cur damnassent eos qui „ Ariani non erant? Cur Ecclesiam scinderent in concordia fidei permanentem? „ Cur denique bene credentes obstinatione sua facerent Arianos? „

Concinit Theodoretus qui lib. 2. Hist. cap. 22. de eisdem sic habet: " Sed in ipso principio ab his, qui Arimini novare ac retractare compellebantur, eatenus res correcta est, ut confiterentur sibi alia disputatione subreptum, „ quod non intelligerent Patrum sententiæ apud Nicæam constitutę hoc esse contrarium.

Patrocinantur Concilia. Romanum sub Damaso ex 90. Episcopis Italiæ & Galliarum compositum, asserit defectum Patrum Ariminensium ab ipsis fuisse correctum, quippe qui assererent animo prorsus se catholico subscripsisse formulæ ab Arianis oblatæ.

Sanctus Hieronymus ibidem alterum laudat Concilium, scilicet Alexandrinum in gratiam Præsulum & sic loquitur: " Post „ reditum Confessorum, in Alexandrina postea Synodo constitutum est, ut, „ exceptis auctoribus hæreseos, quos error excusare non poterat, pœnitentes „ Ecclesiæ sociarentur; non quod Episcopi possent esse, qui hæretici fuerant, „ sed quod constaret, eos qui reciperentur, hæreticos non fuisse; assensus est „ huic sententiæ Occidens, & per tam „ necessarium Concilium Satanæ faucibus „ mundus ereptus est. „ Ergo &c.

TERTIUM ARGUMENTUM.

QUI non nisi fraude & minis perterriti subscripsere, ab hæreseos labe immunes sunt: Atqui solummodo fraude, & minis consenserunt formulæ Patres Ariminenses. Et probatur, primoquidem ex S. Hieronymi Dialogo adversus Luciferianos, ubi, recensitis subscriptionibus ex prævia fidei explicatione factis, hæc subdit: " Cœperunt postea Valens & Ursacius „ cæterique nequitiæ eorum socii, egregii, „ velut Christi Sacerdotes, palmas suas jactitare dicentes, se Filium creaturam non negasse, sed similem cæteris „ creaturis &c. „ Ecce fraus putidissima aperta.

Audiendus est de eodem momento Severus Sulpitius qui lib. 2. Hist. Eccl. de actitatis Arimini hæc habet: " Tum „ Valens tanquam nostros adjuvans subjecit sententiam, cui inerat occultus dolus, Filium Dei non esse creaturam, „ sicut cæteras creaturas, fefellitque audientes fraus confessionis. Etenim his „ verbis quibus similis esse cæteris creaturis Filius negabatur, creatura tamen „ potior tantum cæteris pronunciabatur: „ ita neutra pars vicisse penitus, aut victam putare poterat, quia fides ipsa pro Aria-

„ Arianis, professiones vero postea adjectæ pro nostris erant, præter illam quam „ Valens subjunxerat; quæ tum non intellecta, sero animadversa est. „

Jam vero, quod cuncta ibi per vim facta sint, asserit sanctus Athanasius apud Theodoretum lib. 2. cap. 23. his verbis: " Quis „ eos non oderit, qui Patrum quidem „ statuta rejiciunt, recentiora vero quæ „ apud Ariminum per vim & contentionem facta sunt, illis anteponunt. „ Hoc ipsum commemorat Theodoretus lib. 2. Hist. cap. 21. " His igitur, *inquit*, „ alii metu compulsi, alii fraude inducti subscripserunt. Quotquot vero his „ consentire recusarunt, in ultimos orbis fines relegati sunt. „ Dubio-procul, adest ibi metus gravis cadens in virum constantem, qui tollit voluntarium, quocirca S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, nonnisi ex falsis rumoribus Patres fuisse Arianos scribit: " Concurrebant, *ait*, Episcopi qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia Hæretici ferebantur. „

QUARTUM ARGUMENTUM.

Qui suæ fidei habent defensores omni exceptione majores, non censendi sunt ut Hæretici: Atqui Patres Ariminenses non unum habent pro sua defensione testimonium. Et probatur: primo-quidem habent Concilium Romanum sub Damaso, Alexandriuum supra laudatum, & cum eo totum Occidentem: habent Hieronymum qui ea potissimum ratione debellat Luciferianorum Schisma, quod Ecclesia debuerit parcere Præsulibus qui solummodo ex fraude & falsis rumoribus Ariani dicebantur. Habent Theodoretum & Severum Sulpitium, & non ignoti nominis plures alios. Ergo &c.

Non omittendus sanctus Athanasius qui Epist. ad Rufinum novæ editionis Patrum Benedictinorum nostros ab Hæresi sic vindicat Præsules: " Scito Domine mi „ optatissime in principio quidem cum „ vis illa desiisset, coactam Synodum „ fuisse, præsentibus exterarum partium „ Episcopis: celebratam item aliam fuisse apud Græciæ comministros, nihilo„ que secius apud illos qui in Hispania, „ & Gallia degunt: atque idipsum hic „ & ubique placuisse, nimirum ut iis qui lapsi sunt, si impietatis fuerint præfecti, „ venia concedatur, si quidem resipiscant, nec detur tamen in Clero locus: iis vero qui impietati patrocinati „ sunt, sed necessitate tracti fuere, decretum est, ut & venia concedatur & „ in Clero detur locus: potissimum quia „ consentaneam adtulerunt excusationem „ & quod œconomia quadam id factum „ videatur. Affirmabant quippe se minime in impietatem lapsos fuisse: sed ne „ impiissimi quidam homines ad Episcopatum erecti, Ecclesias corrumperent, „ se maluisse cum violentia concurrere, „ & id oneris ferre, quam populos perdere. „ Audis Præsules nedum Athanasium, sed & Græciam, & Hispaniam, & Galliam habere pro defensoribus.

Fit satis Objectionibus.

Objicies: qui ab ipso summo Pontifice de hæreseos labe insimulantur, illi citra dubium in periculum fidei subscribendo formulæ Ariminensi venerunt: Atqui res sic se habet pro Præsulibus de quibus movetur controversia: Et probatur Ipse Liberius epist. 2. ad Orientales hæreseos labem illis inurit Episcopis; & de hoc non unum est argumentum; quandoquidem nec Vincentius Capuanus ejus in Concilio Orator posthumo Concilio consentire voluit, nec ipse suo calculo munire voluit Synodum, ut refert S. Damasus Papa epist. ad Præsules Illyrici. Quid plura referam? Si animo catholico, *homoiousion* retinuissent Præsules laudati, certe Liberius eos non arguisset, quippe qui isti consenserat voci subscribendo formulæ Sirmiensi. Ergo &c.

Respondeo negando minorem: Ad probationem distinguo. Præsules non increpasset Liberius, si exuberans non fuisset œconomia, concedo: Et illos de Hæresi arguit, subdistinguo, suspicative, concedo; absolute, nego. Præsules consenserunt formulæ ab Arianorum ducibus compositæ, nimirum a Valente & Ursacio qui animo versipelli & doloso illam composuerant; quinimmo istorum adhæserant Communioni. In isto igitur sensu non nihil consenserunt perfidiæ Arianæ, hoc est, formulæ ab Heterodoxis animo irreverenti editæ: sed non pure & simpliciter,

citer, cum vel ipsa formula in sensu obvio Nicænam exprimeret fidem; maxime vero quia Valens asseruerat se abhorrere Arii blasphemias, & Verbum proclamaverat Patri coævum. Solutio colligitur ex ipsa formula, ex Severo Sulpicio jamjam laudato, sed potissimum ex Hieronymo qui Dialogo adversus Luciferianos Præsules sic ab hæresi vindicat: " Cur damnassent eos qui Ariani non erant. "

Ad Confirmationem dico non nihil discriminis intercedere inter gesta Liberii & agitata a Præsulibus: Ille quidem consensit formulæ Sirmiensi, sed edita a Basilio Ancyrano, qui iterata vice in Concilio & Ancyrano & Antiocheni anathemate confixerat eos, qui Filium non esse per omnia Patri similem asserere non erubuerant; unde fides ex hac parte erat in tuto; sed ut Liberius omnem Arianis evadendi occluderet aditum, ipse vicissim formulam prorsus catholicam Basilio & aliis obtulit subscribendam, in qua Verbum in substantia Patri similem dicebatur; hinc & propter scandalum, & ne fides in periculum veniret, noluit per se, aut per legatos alterum Ariminensem conventum confirmare.

Instabis: sanctus Basilius epist. 52. ad S. Athanasium expostulat ut Liberius ultimam Ariminensem Synodum corrigat, & fidem in ea nonnihil læsam restauret: sed si formula, cui consenserant Præsules, non foret hæretica, restauratione non indigeret: Igitur absolute loquendo Episcopi subscribendo formulæ, hæresi consenserunt. Major in qua est difficultas probatur verbis divi Basilii. Edit. Antuerpiæ 1568. pag. 512. " Visum est autem, *ait*, mihi consentaneum " ut scribatur Episcopo Romæ, ut, quæ " hic gererentur, consideret, detque consilium, & quoniam difficile est ut " communi ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipse sua auctoritate in " ista causa usus, viros eligat ad ferendas quidem itineris molestias idoneos: " verum juxta ad hoc quoque accommodes, " ut mansuetudine & facilitate ingenii " eos, qui distorti & obliqui apud nos " sunt, corrigant, apte ac dispensatorie " sermonem attemperantes, omniaque secum habentes, quæ in Arimino ad necessariam solutionem gestorum illic facta sunt. " Secundum alium versionem: " Ad ea rescindenda quæ illic per " vim & violentiam gesta sunt. " Observes velim, ex S. Basilio, ad Romanum Pontificem spectare, vel ipsa reformare Concilia.

Respondeo distinguendo majorem: S. Basilius exigit, cognita fraude, ut reformetur Concilium, concedo: ut reformetur formula in sensu catholico accepta, nego. Solutio est ipsius Basilii qui eatenus expostulat Synodi reformationem, quatenus obliquo & iniquo sensu, post Concilium Valens & Ursacius dixere Filium esse quidem Patri similem, illi tamen inæqualem: & solummodo creaturam, tametsi cæteris præeminentem. Quia vero prædicabant formulam a Præsulibus in isto sensu subscriptam, fraus in tantum erupit incendium, ut vel ipsos Concilii Patres facerent Arianos: ad scandalum igitur de medio tollendum opus fuit cuncta Synodi acta rescindere. Ergone Præsules Ariminenses Ariani? Absit, inquit B. Hieronymus, quippe qui fine conscientia essent Hæretici.

Insistes: Atqui sanctus Basilius ipsam Præsulum labem corrigi volebat: Igitur Patres Ariminenses in hæreseos crimen prolapsi censentur. Probatur Antecedens ex aliis Patribus Basilio coævis qui de hoc momento omnem citra ambiguitatem loquuntur, & Præsules habent veluti Arianæ perfidiæ reos. S. Ambrosius in cap. 6. S. Lucæ, exponens illa Christi verba: *Væ cum benedixerint vobis homines: Secundum hæc enim faciebant pseudo-prophetæ Patres eorum.* Tum hæc habet: " Nonne tibi videtur his " dicere, qui dudum in Ariminensi Concilio perfidæ prævaricationis auctores, dum " Imperatoris gratiam sequuntur, Dei gratiam perdiderunt? Qui cum placere potentibus occupantur, maledicto se perpetuo subdidere. "

Sanctus Augustinus ejusdem est sententiæ, maxime epist. 50. Et hanc reddit rationem schismatis Luciferi Calaritani. " Hoc, " *inquit*, displicuit Lucifero, quia facti " est in eis suscipiendis atque sanandis qui " veneno perierant Ariano. " In Synodo scilicet Ariminensi.

Quid memorem Facundum Hermianensem? lib. 5. cap. 3. sic loquitur: " Quale est etiam si Sabelliani dicere velint; " ideo se non suscipere Ecclesiæ de Trinitate doctrinam, quoniam multo plures

" Epi-

„ Episcopi, quam qui in secunda non „ dicenda Synodo Ephesina convenerant, „ apud Ariminum in Arianum dogma „ fuerant subacti, opprimente Constan- „ tio. „ Quis autem dixerit innocentes „ esse prævaricatores, quos hæreseos ve- „ neno putabit contaminatos? Quis Aria- „ ni dogmatis eos non dicet propugnato- „ res, quibus laudati Patres hanc inu- „ runt labem?

Respondeo 1. Patres Ariminenses, ut ex probationibus claret, validissimos suæ innocentiæ habere defensores, inter quos gravissimi annumerantur Theologi, in primis Thomasinus in Tractatu de edictis & mediis ad veritatem in Ecclesia Catholica servandam, tomo primo, pag. 148. & sequentibus. R. P. Alexander dissert. 33. quarti sæculi, &c.

Respondeo 2. ut supra, distinguendo: Patres consenserunt prævaricationi, hæreseos venenum ebibere, & Arianum dogma professi sunt suspicative, hoc est, formulæ ex se catholicæ, sed ab Arianis compositæ, & ab iisdem in pravum detortæ sensum, & sic juris publici factæ, cui etiam falsus accessit de hæresi rumor, concedo: Animo a fide alieno subscripserunt, nego. Dictum est Ecclesiam insurrexisse adversus prædictam formulam, non quidem secundum se spectatam, sed in pravo sensu publicatam; unde non mirum si sancti Patres illam sub isto respectu ut Arianismi veneno fœdatam habeant: quia vero Præsules Ariminenses illi subscripserant, hæretici dicuntur; tametsi, teste Hieronymo, intus permanserint catholici: " Cur, *inquit*, damnassent eos „ qui Ariani non erant? „ Vel ipse Augustinus eos excusatos habet epist. 48. his verbis: " Quis autem nescit illo tem- „ pore obscuris verbis multos pravi sen- „ sus fuisse delusos, ut putarent hoc cre- „ di ab Arianis, quod etiam ipsi crede- „ bant? alios autem timore cessisse, & „ simulate consensisse, non recte ingre- „ dientes ad veritatem Evangelii. „

Neque vero in doctrina Facundi Præsules hæretici censendi sunt, cum non fuerint in errore pertinaces; quinimmo, cognita fraude, absque mora quidquid fuerat actitatum correxerunt. Facundus lib. 12. cap. 3. sic ait: " Scire debemus, „ quod hæreticum non faciat ignoran- „ tia, quæ doctrinæ veritatis contumax „ non est, sed potius obstinata defensio „ falsitatis. „ Certe nemo non novit Patres fraude irretitos, subscripsisse formulæ quæ in sensu obvio fidem spirabat.

Persistes: ipse Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos docet fidem Nicænam fuisse formula prædicta damnatam: " Tunc „ *usiæ* nomen, abolitum est: tunc Nicænę „ fidei damnatio conclamata est.„ Ergo &c.

Respondeo distinguendo: tunc fidei damnatio conclamata est ab Arianis, concedo: a Præsulibus quorum suscipimus defensionem, nego. Hieronymus est sui ipsius interpres; ibidem enim sic loquitur: " Cœperunt postea Valens & Ursacius. „ ... palmas suas jactitare, dicentes se „ Filium creaturam non negasse, sed si- „ milem cæteris creaturis &c. „ Et ecce ex Hieronymo qui fidem Nicænam perstrinxerunt, scilicet Ariani: tum subjungit: " Concurrebant Episcopi qui „ Ariminensibus dolis irretiti, sine con- „ scientia hæretici ferebantur, contestan- „ tes Corpus Domini, & quidquid in Ec- „ clesia sanctum est, se nihil mali in sua „ fide suspicatos. „ Ecce ex eodem Hieronymo Patres Ariminenses ab omni labe puri.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Patres pseudo-Concilii Ariminensis a fide Nicæna non discesserunt.

PRIMO. Hoc ex professo probat S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, quia, *inquit*, nonnisi animo catholico formulæ eis oblatæ subscripserant, & quidem ex prævia explicatione facta, & anathemate contra Arianos conclamato.

Secundo, ὁμοιούσιον poterat absque fidei periculo servari, & laudati Episcopi Verbum Patri in substantia simile intellexerant.

Tertio, ut primum fraudem Arianorum, qui simile solum creaturis Verbum prædicabant, compertam habuere, suam detestati sunt subscriptionem; hinc Patres Concilii Romani sub Damaso Papa eos excusatos habent.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Vincentius Capuanus Liberii in

in Concilio Legatus noluit quidem subscribere, nec ipse Liberius approbare acta, ex eo quod fraudem paratam autumarent, sed non inde sequitur Patres Ariminenses adhæsisse Arianis, cum fidem Nicænam in corde semper retinuerint.

Secundo, si qui sancti Doctores dicant Præsules Arianum ebibisse venenum, hoc nonnisi materialiter, aut ad summum suspicative intelligendum est.

Tertio, esto quod S. Hieronymus, vel in ipso adversus Luciferianos Dialogo dicat fidem Nicænam damnatam in Concilio Ariminensi, sed dubio-procul intelligit ab Arianis solum, & non a piis Patribus: " Cur damnassent eos, *inquit*, „ qui Ariani non erant? „

§. II.

Utrum ista divi Hieronymi verba Dialogi adversus Luciferianos:

Ingemuit totus orbis, & sese Arianum miratus est,

INTELLIGENDA sint in sensu obvio, ita ut Universalitas Ecclesiæ versus Liberii & Ariminensis Concilii tempora exciderit.

CONCLUSIO NEGATIVA.

Probatur duplici rationum genere.

Primo, ex rationibus generalibus.

PRIMA sic exponitur. Quod vel ipsa fide firmatur, non potest divelli commentitiis aut scriptis, aut sermonibus: Atqui ipsa fides docet universalitatem Ecclesiæ non excidisse versus Liberii & Concilii Ariminensis tempora: & probatur. Est de fide Ecclesiam esse catholicam, sic enim habetur in Symbolo Nicæno, *Credo in unum Deum..... Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. Rursus: non minori fide tenetur portas inferi non posse prævalere adversus Ecclesiam: Atqui si universalitas Ecclesiæ excidisset tempore mox assignato, jam Ecclesia non fuisset catholica, hoc est, universalis; jam portæ inferi prævaluissent adversus eam. Igitur cum utrumque sit absurdum, fatendum est universalitatem Ecclesiæ non excidisse versus Liberii & Concilii Ariminensis tempora. Et vero tametsi illa sponsa a Christi morte vehementissimis commota fuerit tempestatibus, nusquam tamen reperies fidem semel in orbe terrarum propagatam, alicubi ex integro cessasse: Nestoriani e contra latitant in Orientis angulo, Protestantes in quibusdam Europæ limitibus, & ut multa paucis complectar, nulla Heterodoxorum secta aut fuit aut est universalis.

Secunda: Eo fucato innixi principio Heterodoxi, non sine temeritate asserere audent Ecclesiam illis temporibus ab universalitate excidisse, quia Liberius & post ipsum Patres tum Seleuciæ, tum Arimini Arianis adhæserunt: sed falsissimum est, & Liberium, & Patres laudatos subscripsisse formulæ Arianæ. Ergo &c. Probatur minor quoad omnes partes. Ex S. Athanasio potuit reticeri ὁμοούσιον absque fidei dispendio, conservatis scilicet Nicæni Concilii decretis: teste Basilio, ea conditione, ut *citra varietatem* Filius diceretur Patri æqualis, & similis; Porro ex supra dictis liquet Liberium & Patres Ariminenses fidem Nicænam subscribendo formulis ab Orientalibus sibi oblatis servasse: neque vero minus constat Orientales in Concilio Seleuciæ adunatos, si Acacium & ejus asseclas numero circiter 40. exceperis, Filium proclamasse per omnia & in identitate Patri similem; quinimmo perstrinxisse Acacianos, eo quod eundem non nisi in affectu similem dicerent, & sic ex 160. Episcopis, 120. districtim fidem Nicænam propugnavere: sic scribit S. Hilarius lib. contra Constantium: sic Socrates lib. 2. cap. 31. & 32. & cum ipsis P. Alexander cap. 3. Hist. Eccles. sæculi quarti, §. 24. Qua fronte igitur quidam recentiores scribere ausi sunt fidem versus Liberii tempora fuisse penes SS. Athanasium, Hilarium, & quindecim circiter Episcopos?

Tertia: qui universalitatem Ecclesiæ abnegant, ad spiritum erroris attendunt, ut novam aliquam jactitent sectam: Igitur nonnisi errore detenti propugnant universalitatem Ecclesiæ excidisse versus Liberii tempora. Probatur Antecedens. Pelagiani Ecclesiam inter se solos conclusam esse jactitabant: hoc ipsum de se vicissim asserebant Donatistæ: ejusdem sunt lanii omnes Heterodoxi, maxime vero

Pro

Protestantes qui Ecclesiam invisibilem esse, & in quibusdam solum membris latitare autumant. Verum iniquitas mentitur sibi; S. enim Augustinus in libris quatuor & aliis permultis, istud Pelagianorum confutavit commentum: in libro vero de unitate Ecclesiæ validissimis ostendit argumentis Ecclesiam non esse penes terminos Africæ ubi Donatistæ commorabantur, in sola Europa Calvinistas reperies. Quinimmo Lutherani eos ipsos in variis Synodis Daniæ & Sueciæ adunatis a sua rejecerunt communione. Ergo &c.

Isti omnes unico illo sancti Augustini argumento refricantur; scilicet quod in sola Ecclesia Romana, perpetua, eaque legitima Pastorum successio, & consequenter universalitas Ecclesiæ invenitur: sic ait epist. 165. " Si enim ordo E-
,, piscoporum sibi succedentium conside-
,, randus est, quanto certius & vere sa-
,, lubriter ab ipso Petro numeramus,
,, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Do-
,, minus ait; super hanc Petram ædifica-
,, bo Ecclesiam meam, & portæ infe-
,, rorum non vincent eam. Petro enim
,, successit Linus; Lino, Clemens; Cle-
,, menti, Anacletus... Siricio, Anasta-
,, sius. In hoc ordine successionis nullus
,, Donatista Episcopus invenitur. ,, Ergo &c.

Secundo, ex rationibus specialibus.

QUOD ab Historicis omni exceptione majoribus traditur, quod sententiis Patrum firmatur, quod definitione Conciliorum roboratur, quod ab Ecclesia tum Orientali tum Occidentali servatur, quod denique calculis & enumeratione ostenditur, non sine magna hominum temeritate abnegari potest. Atqui universalitas Ecclesiæ versus Liberii & Concilii Ariminensis tempora his omnibus momentis comprobatur: Ergo &c. omnes istæ pro minoris probatione expenduntur rationes.

Ex Historicis sacris.

SOCRATES primus adducitur in testimonium lib. 2. cap. 22. Edit. novæ, recensitis in genere tempestatibus, quibus Ariani Christi exagitaverunt Ecclesiam, subjungit Occidentis Provincias ne minimum quidem fuisse commotas, quippe quæ firmiter perseverarent in fide Nicæna, quæ tunc temporis prævalebat: " Civi-
,, tates autem, *inquit*, Græciæ, Illyrici,
,, & cæterarum orbis partium ad Occi-
,, dentem vergentium tumultu & per-
,, turbatione propterea caruere, quod in-
,, ter se ipsas concordarent, decisioque
,, de fide in Concilio Nicæno tradita
,, apud ipsas dominata sit. ,,

Idem cap. 26. meminit Concilii Mediolani jussu Liberii pro Athanasii & fidei Nicænæ defensione adunati, ubi aderant ex Occidente plusquam trecenti Præsules, qui Arianæ perfidiæ restiterunt: " Ex Occidentis autem partibus, *ait*,
,, plures quam trecenti adfuerunt......
,, Orientales id agere ac moliri, ut per
,, confirmationem sententiæ contra Atha-
,, nasium prolatæ fides subverteretur: con-
,, surgentes graviter vociferari cœperunt,
,, dolum ad fraudem strui christianæ re-
,, ligioni per ea quæ gerebantur... Quæ
,, cum illi acriter inclamarent, tunc qui-
,, dem solutum est Concilium Episcopo-
,, rum; quod ubi comperit Imperator,
,, illos in exilium ablegavit. ,, Audis pluralitatem Episcoporum ad exilium usque, Nicænam tunc propugnasse fidem.

Rursus cap. 27. commemorat Macedonium, qui versus Liberii tempora Constantinopolitanam præoccupaverat Sedem, attamen absque universalitatis Ecclesiæ dispendio: quod quidem probant ista Historici verba: " Achaiæ vero & Illyrici
,, civitates, & reliquæ Occidentalium
,, partium Ecclesiæ tranquillæ erant &
,, inconcussæ, tum quod fidei regulam a
,, Nicæno Concilio traditam constantissi-
,, me retinerent. ,,

Rursus cap. 23. refert quosdam ex Concilio Seleuciæ Acacianos confessionem fidei hæreticam misisse Ariminum subscribendam sub interminatione exilii, aitque " Lectam fidem cum supplemento
,, tanquam a se correctam, Ariminum
,, miserunt, mandantes, ut quicumque ei
,, nollent subscribere, ex Imperatoris edi-
,, cto in exilium pellerentur. ,, Denique cap. 29. ejusdem editionis Episcopos Seleuciæ pro fide Nicæna dimicantes, Acacianis, qui illam tentare audebant, prævaluisse observat.

Sozomenus ejusdem est labii pro universalitate Ecclesiæ; nam lib. 3. cap. 13. no-

væ

væ edit. scilicet Valesii multa refert agitata absoluto Concilio tum Antiocheno, tum Sardicensi, hoc est, versus tempora Liberii, Concilii Seleuciæ & Ariminensis, scribitque omnes Occidentis Ecclesias ab Arianorum fece tunc fuisse immunes, quippe quæ adhærerent fidei Nicænæ: " Etenim, *inquit*, universa quidem ,, Occidentis Ecclesia, utpote quæ doctrinæ majorum sincere insisteret, ab ,, omni fere contentione & rixa de hujusmodi rebus vacua erat . . . Multi vero cum stultum esse existimarent in hujusmodi verborum altercationibus tempus terere, decretis Nicænorum Antistitum cum silentio acquiescebant: sed ,, præ reliquis omnibus Orientalibus Paulus Episcopus Constantinopolitanus, & ,, Athanasius Alexandrinus, & omnis ,, Monachorum multitudo, & magnus ,, Antonius qui adhuc superstes erat ejusque discipuli, alii denique complures ,, per Ægyptum, & in reliquis Provinciis ,, Imperii Romani, decretis Concilii Nicæni mordicus visi sunt adhærere. ,,

Idem lib. 4. cap. 19. observat Patres Ariminenses nonnisi invito animo, omissa voce ὁμούσιον admisisse ὁμοιούσιον: subditque Arianos fuisse numero paucissimos. Sic loquitur: " Absentibus iis qui convincere possent Ariminensem Synodum, a *consubstantialis* vocabulo non sua ,, sponte recessisse, sed Orientalium causa, quippe qui vocem illam aversarentur: quod quidem perspicue falsum erat. Omnes enim, demptis admodum ,, paucis, Filium Patri similem secundum ,, substantiam afferebant: in hoc autem ,, solo dissentiebant, quod alii quidem ,, Filium ὁμούσιον, idest, *consubstantialem* ,, dicebant; alii vero ὁμοιούσιον, idest similis substantiæ. ,, Observes velim Sozomenum quæstionem prorsus dirimere, dum scribit paucos admodum tempore Concilii Ariminensis fuisse Arianos.

Rursus lib. 6. cap. 19. & 20. refert omnes Ægyptios insurrexisse adversus Lucium Episcopum Arianum qui Petrum S. Athanasii successorem e Sede deturbare volebat, aitque: " Omnes pariter opinionem Arii detestabantur. ,, Eo loci describit persecutiones quibus Ariani Clerum, Monachos & Virgines Alexandriæ exagitabant, qui tamen in fide fortiter perseverabant.

Rursus ibidem cap. 21. asserit tunc temporis Occidentem fuisse in pace compositum. En sunt verba quæ universam probant fidem: " Ubicumque enim a generosis & fortibus viris Ecclesiæ regebantur, ,, puli, ut verisimile est, propriam sententiam non mutabant. ,, Non omittenda sunt egregia quæ ibidem c. 23. effatur: " Quod vero ad doctrinam fidei ,, pertinet, nec antea inter se dissidebant: Sed universi sententiam Nicænæ Synodi approbabant, & Trinitatem ,, æqualis honoris ac potentiæ venerabantur, excepto duntaxat Auxentio, ,, qui tunc Mediolanensi præsidens Ecclesiæ cum paucis quibusdam res novas ,, moliebatur, & contra communem consensum Occidentalium Episcoporum Arii opinionem stabilire . . . nitebatur. ,, Audis iterum paucissimos Arianos: audis tunc temporis universalitatem Ecclesiæ prævaluisse.

Recentiores Historici eidem subscribunt veritati; in primis Dominus Abbas Fleury tom. 3. Histor. Ecclesiast. qui a pagina 517. usque ad 603. mira de hoc momento enarrat, & omni argumentorum genere probat fidem Nicænam versus Liberii tempora prævaluisse. Non omittendus R. P. Thomasinus qui dissertatione quinta in Synodum Ariminensem anno 359. pag. 135. quæstionem prorsus dirimit, asserens illa Hieronymi verba: *Ingemuit orbis, & se esse Arianum miratus est*: nihil officere Ecclesiæ Catholicæ universitati.

Pater Alexander dissert. 33. quarti sæculi eandem adimplet provinciam his verbis: " Præterea longe plures fuisse in ,, orbe Catholicos quam Arianos constat ,, ex invicta fortitudine qua Christianæ ,, plebes Alexandriæ, Constantinopoli, ,, Antiochiæ, Samosatæ, Mediolani Arianis restiterunt, cum suæ sectæ Episcopos illas in Ecclesias intruserе. Constat ex innumeris sanctissimorum Monachorum turbis, qui Ægyptiaca deserta incolebant, quos impense fovit ,, sanctus Athanasius, ut Nicænæ fidei ,, defensores acerrimos. Constat ex enumeratione Provinciarum, quæ in Nicænæ fidei professione, Arianæque hæreseos damnatione consentiebant &c. ,, Observes velim ex Historicis, nedum tunc temporis paucissimos fuisse Arianos, sed

sed & totam plebem, in Diœcesibus, ubi præsidebant Episcopi Ariani, fuisse catholicam: & ex his firmabatur Ecclesiæ universalitas. Hoc ipsum ultro fatentur inter Calvinistas doctissimi, ut Blondellus, &c.

Ex sanctis Patribus.

S. ATHANASIUS pro hoc momento maxime audiendus est, quippe qui in variis Arianorum pseudo Synodis exagitatus, & in aliis genuinis ab omni hæreseos & criminis labe purgatus, suas agens partes unum præcipue adversariis objiciebat; scilicet suam fidem, cum fide universi orbis concordare: Sic loquitur in secunda apologia: " Tertio iterum in magno Sardico Concilio, ad Edictum religiosissimorum Principum Constantii & Constantis in quo judicio ita ceciderunt adversarii, ut habiti pro calumniatoribus depositionem, exauctorationemque ordinis sui retulerint: nostram vero innocentiam plures quam trecenti Episcopi suis calculis comprobarint, qui ex multis Provinciis Ægypti, Libyæ, Pentapoleos, Palæstinæ, Arabiæ, Isauriæ, Cypri, Pamphyliæ, Lyciæ, Galatiæ, Daciæ, Mysiæ, Thraciæ, Dardaniæ, Macedoniæ, Epiri, Thessaliæ, Achaiæ, Cretæ, Dalmatiæ, Sisciæ, Pannoniarum, Norici, Italiæ, Piceni, Tusciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, Brutiorum, Siciliæ, Africæ universæ, Sardiniæ, Hispaniarum, Galliarum, Britanniarum, eo se ad Concilium contulerant, adeo ut Ursacius quoque & Valens cum antea se pro calumniatoribus gessissent, pœnitere se sui facti protestarentur." Ibidem ait: " In plerisque populis, in plerisque Episcopis decus Apostolicæ Sedis permanere."

Rursus ibidem ait se cum quadringentis plusquam Episcopis in communione consociari, his verbis. " Cum viderent Ariani tantum cum Athanasio animorum consensum, erant enim in hoc numero plures quam quadringenti, tum e magna Roma atque universa Italia &c. Creta &c. Lycia, Palæstina, Isauria &c. Hæc videntes metu invidiaque anxiabantur: invidia, propter tantorum conspirationem; metu autem ne eorum hæresis traduceretur, & de ea ubique gentium triumphus ageretur." Rursus ibidem refert Arianorum conquestus; quibus quidem fatebantur se per omnem orbem Athanasii scriptis superari: " Quidquid, *inquiunt*, terrarum est, scriptis suis quibus nos impetit, adimplevit Athanasius, & plurimi quidem cum eo communionem habent, eorum autem qui videntur nobiscum esse, hi quidem adjunxerunt se illi; cæteri idem facturi sunt, nos autem remansimus soli.... idque ideo faciebat, quod animadverteret hæresim ab omnibus odio haberi, quæ res in causa fuit, cur tam multos compelleret Hæreticorum paucitati se ut adjungerent."

Rursus in sua ad Africanos epistola ostendit ab enumeratione partium fidem Nicænam fuisse in Dalmatia, Dardania, Macedonia, in tota Græcia, & Ægypto, immo & in Arabia susceptam. Fusiori calamo hoc ipsum recenset in Synodica Epistola Episcoporum Ægypti, Thebaidos, & Libyæ ad Imperatorem Jovianum, uno tantum aut altero post Concilium Ariminense completo anno conscripta. Eam refert Theodoretus lib. 4. cap. 3. & in ea sic loquitur S. Athanasius: " Scias igitur, religiosissime Auguste, hanc esse fidem quæ a sæculo prædicata est; & quam confessi sunt Patres Nicææ congregati; in quam denique consentiunt omnes ubique terrarum Ecclesiæ, quæ sunt in Hispania & in Britannia, & Galliis; quæ sunt per universam Italiam & Campaniam; quæ sunt in Dalmatia, Dacia, Mysia, Macedonia, & universa Achaia, item quæ sunt per universam Ægyptum & Libyam: quæ sunt in Ponto, & Cappadocia, & vicinis regionibus: omnes denique per Orientem Ecclesiæ, paucis exceptis, qui Arii opinionem sectantur. Horum enim omnium quos commemoravimus, sententiam experimento ipso cognovimus, & litteras scriptas habemus. Ac licet pauci quidam huic fidei contradicant, scimus tunc, religiose Auguste, eos orbi terrarum præjudicare non posse."

S. Hilarius sicut in fide tenenda, sic & in propugnanda, tum exilio tum scriptis Athanasio consocius ita loquitur apud Severum Sulpitium libro 2. Hist. " Is ubi Seleuciam venit, magno cum favore exceptus, omnium in se animos & studia converterat: ac primum quæsitum ab

„ ab eo quæ esset Gallorum fides; quia „ tum Arianis prava de nobis vulganti- „ bus suspecti ab Orientalibus habebamur, „ trinonymam solitarii Dei unionem se- „ cundum Sabellium credidisse; sed ex- „ posita fide sua, juxta ea quæ Nicææ „ erant a Patribus conscripta, Occidenta- „ libus perhibuit testimonium. „ Eo loci, teste Sulpitio, sanctus Hilarius propugnat Occidentem fuisse tunc temporis ab omni hæreseos labe immunem, maxime apud Gallos, quibus ipse lib. de Synodis propter hoc gratulatur his verbis: “ Gratulatus sum in Domino, inconta- „ minatos viros, & illæsos ab omni con- „ tagio detestandæ hæreseos perstitisse,. „ ... o beatos, *inquit*, vos in Domino, „ & gloriosos qui perfectam atque aposto- „ licam fidem conscientia & professione „ retinentes, conscriptas fides huc usque „ nescitis. „

S. Basilius ejusdem est labii epist. 72. ubi aurea ista profert verba pro fidei universalitate: “ Ipsum orbem circumspi- „ cite, & videte quam modica sit ea „ portio quæ hoc morbo laborat: reli- „ qua vero universa Ecclesia, quæ abor- „ bis finibus ad fines usque recipit Evan- „ gelium, sanam hanc & incorruptam „ doctrinam sectatur.

Rursus epist. 75. de eodem momento „ sic scribit: „ Fuerat justius res nostras „ æstimare, non ex uno aut altero eorum, „ qui ad veritatem haud recto pede ingre- „ diuntur, sed ex multitudine totius „ orbis Episcoporum qui gratia Christi „ conjuncti sunt nobis: requirantur vero „ Pisidæ, Lycaones, Isauri, Phryges, „ & qui utriusque sunt Armeniæ; quot- „ quot vicini sunt vobis Macedones, A- „ chæi, Illyrii, Galli, Hispani, tota si- „ mul Italia, Siculi, Afri, & qui in „ Ægypto adhuc sani sunt, & quæ re- „ liqua portio est Syriæ, qui quidem lit- „ teras ad nos mittunt, & vicissim a no- „ bis recipiunt. „ Audis, ex S. Basilio catholicos in omni terrarum orbe in immensum fuisse suis temporibus Arianis numero superiores. Ergo &c.

Ex Conciliis,

EANDEM non unum Concilium probat veritatem. Novemdecim in Historia critica Arianismi ab anno circiter 310. vel 315. usque ad annum 589. ad profligandos Arianos adunata recensuimus: namque S. Petrus Alexandriæ Præsul & Martyr Arium ann. 310. proscripsit: Petrus II. ejusdem Ecclesiæ Patriarcha ann. 324. iterato anathemate confixit Arium in Synodo quam S. Athanasius Apol. 2. habet veluti Oecumenicam, eo quod summus Pontifex S. Sylvester, per suos legatos ibi præsideret. Tertium illudque celeberrimum contra Arianam impietatem adunatum, est Nicænum primum generale ann. 325. Quartum, Romanum I. sub Julio I. ann. 339. Quintum, Sardicense ann. 341. Sextum, alterum Romanum, sub eodem Julio ann. 341. Iste Papa tertium Romæ adunavit, pro defensione S. Athanasii ab Arianis lacessiti. Octavum vel ipse Athanasius ann. 362. contra eosdem congregavit. Nonum est Romanum sub S. Damaso ann. 369. Decimum, Antiochenum ann. 379. Undecimum, Constantinopolitanum II. Oecumenicum. ann. 381. cætera mitto quippe quæ jam supra commemorata sint.

Sanctus Athanasius Epistola ad Rufinianum de hac Conciliorum multitudine hæc scribit: “ Scias, *inquit*, quod in prin- „ cipio quidem cum vis, quæ facta est, „ cessaret, facta est Synodus præsentibus, „ ex partibus externis Episcopis, facta est „ autem & apud sacrorum comministros „ qui habitant in Græcia, nihilo-secius „ autem & apud eos qui habitant in His- „ pania & in Gallia. „

Celebris est auctoritas Synodi Rom. sub Damaso Papa, qui in Epistola Synodica ad Episc. Illyrici apud Theodoret. lib. 2. Hist. Eccles. cap. 22. edit. Valesii asserit factum Patrum secundi Concilii Ariminensis fidei præjudicare non posse; tum in ea sic loquuntur Patres: “ Cum præser- „ tim, ut diximus, iidem ipsi qui per im- „ pressionem succubuisse videbantur, „ idem consilio meliore displicere sibi „ fuerint protestati. Unde advertit sin- „ ceritas vestra, hanc solam fidem, quæ „ apud Nicæam Apostolorum auctoritate „ fundata est, perpetua firmitate esse re- „ tinendam: hac nobiscum Orientales, qui „ se catholicos recognoscunt, Occiden- „ talesque gloriari. „ Nec ipse dissentit Lucifer Calaritanus, qui dum summo adhærebat Pontifici, libro cui titulus est, *quod moriendum sit pro Filio Dei*, Con-

Constantium Imperatorem his verbis urget: " Si tandem oculos cordis tui aperias, invenies quod hanc habet, hanc defendit Ecclesia fidem, quam sibi traditam cognoscit per beatos Apostolos. Omnes momento peragrare si posses gentes, invenisses, stolidissime Imperator, ubique Christianos sicuti nos credere, in hac defensione nostra perstantes pro Dei Filio, ut nos, mori cupere. At tua novella prædicatio, & recens religio, sub prætextu fidei blasphemia in perniciem salutis tuæ per te prolata, non solum adhuc limitem Romanum peragrare non valuit, & utique te satis agente, sed & ubi radices figere tentaverat, aruit; recedentibus scilicet omnibus Dei famulis a te, atque paucis tuis, quos lolium esse super frumentum seminatos Dominus prædixerat, tecum manentibus." Ergo &c.

Ex Ecclesia Orientali & Occidentali.

DE Ecclesia Occidentali non est relictus ambigendi locus, cum constet ex Socrate, ex Sozomeno, ex Athanasio, ex Hilario Occidentem fuisse in pace Ecclesiæ compositum versus Liberii, & Concilii Ariminensis tempora. Neque vero de Oriente magna est controversia, cum sanctus Basilius Epistola 72. asserat totum orbem suis temporibus adhæsisse fidei Nicænæ: & Epistola 75. ab enumeratione partium hoc ipsum probat dicendo, apud Phryges, tum Lycaoniæ, & Isauriæ populos, utramque Armeniam, & alias tum Orientis tum Occidentis Provincias fide floruisse.

Theodoretus utique pro eodem momento audiendus est. Scribit lib. 2. cap. 22. vel ipsam Patrum Ariminensium subscriptionem ab Occidente fuisse reprehensam: " Porro, *inquit*, hanc fidei formulam Ariminensem ab universis veritatis propugnatoribus, maxime vero ab Occidentalibus reprehendi testatur eorumdem Epistola ad Episcopos Illyrici conscripta."

Rursus idem lib. 5. cap. 6. enarrat totius Ecclesiæ Occidentalis fidem, immo & Orientis, tempore Magni Theodosii qui illam restaurare fategit. De eo sic loquitur: " Qui simul-atque Imperio potitus est, ante omnia concordiam Ecclesiarum reparare studuit; & Episcopos dictionis suæ Constantinopolim evocavit... Valentinianus postea Occidentalium partium Imperator, sinceram pietatem retinuit."

Rursus de Ecclesia Orientali sic habet cap. 7. " Orientalis vero imperii portio multis in locis hanc labem contraxit." Audis ex Theodoreto non nisi portionem aliquam Orientis circa illa tempora in Arianismum impegisse.

Verum ab enumeratione partium res ipsa claret, Alexandrina quippe Ecclesia, quæ centum circiter suffraganeos habebat, cum sancto Antonio, & aliis Monachis toto sancti Athanasii Episcopatu fidem Nicænam quadraginta circiter annis, etiam adversantibus Arianis, intactam servavit. In Antiochena, vel ipsis Conciliorum Seleuciæ & Arimini temporibus, eadem fides floruit; licet enim divisa disciplina occasione Meletii quem in hac sede ipsi Ariani constituerant, ut illum Paulino fidei Nicænæ propugnatori acerrimo opponerent, in fide tamen utraque pars indivulsa remansit, juxta illud Socratis l. 2. cap. 44. Edit. Vales. " Ad hunc modum Antiochensis Ecclesia duas in partes, licet in doctrina fidei consentientes, divisa est." Quinimmo Theodoretus lib. 2. hist. cap. 24. observat Leontium Arianum, paulo post Episcopum Antiochensem inauguratum, omnibus prorsus modis suam occultasse hæresim: " Cum esset, *inquit*, Arianæ blasphemiæ particeps, morbum illum occultare summo studio nitebatur." Quid plura adjiciam? Sozomenus scribit immediate post mortem Athanasii omnes etiam Arianismum detestari: " Omnes, *ait*, Arii opinionem detestabantur." Socrates vero utique scribit, vel ipso adhuc Athanasio in terris superstite, Arianos nonnisi occulte suos congregasse cœtus: sic enim lib. 3. cap. 4. habet: " Porro Ariani in ædibus quibusdam vilibus, & obscuris conventus agentes." Igitur tunc temporis Catholici etiam in numero longe superabant Arianos.

Si de Ecclesia Jerosolymitana loquamur, sane non est dubium de ejus fide, quippe quæ temporibus Conciliorum Seleuciæ & Arimini haberet pro Patriarcha sanctum Cyrillum fidei Nicænæ strenuum defensorem. Quinimmo Maximus

ejus Prædecessor, referente Socrate lib. 2. cap. 24. adunavit Concilium ex Episcopis Syriæ, & Palæstinæ compositum, in quo quidem confirmatum est quidquid Sardicense in gratiam & fidei Nicænæ, & innocentiæ Athanasii jamjam constituerat.

Denique Ecclesia Constantinopolitana inter omnes non modicum ab Arianis passa est, & vero Paulus tunc ejus Episcopus, alter Orientis Athanasius, fidem Nicænam pro virili defendit. Habuit quidem pro successore Macedonium, sed iste Heterodoxus, ut scribit Socrat. libro 2. cap. 24. ad exilium usque, bonorum jacturam, aliasque ærumnas, fidem Nicænam a Paulo roboratam tunc defendit. Igitur Ecclesia & Occidentalis & Orientalis versus Liberii tempora in fide semper floruit: immo Theodoretus lib. 2. Hist. Eccl. cap. 21. subnotat multos secundi Concilii Ariminensis Patres, ad exilium usque, vel ipsam ὁμούσιον vocem retinuisse: " His igitur, *inquit*, alii metu compulsi, „ alii fraude inducti subscripserunt: quot„ quot vero his consentire recusarunt, in „ ultimos orbis fines relegati sunt. „

Ab enumeratione partium.

AUDISTIS Athanasium epistola Synodica ad Jovianum Imperatorem dicentem: " Scias igitur, Auguste, hanc esse fidem „ quæ a sæculo prædicata est, & quam „ confessi sunt Patres Nicææ congrega„ ti, in quam denique omnes ubique ter„ rarum Ecclesiæ &c. „ Audistis Basilium epistola 72. sic loquentem: " Ipsum „ orbem circumspicite, & videte quam „ modica sit ea portio quæ hoc morbo la„ borat &c. „ Audistis Sozomenum lib. 3. cap. 12. antiq. edit. qui ait: " Etenim „ universa quidem Occidentis Ecclesia, „ ut pote quæ doctrinæ majorum sincere „ insisteret, ab omni fere contentione „ & rixa de hujusmodi rebus vacua erat „ .... Orientis autem Ecclesia, etsi post „ Antiochenam Synodum tumultuari cœ„ perat, & a Nicæna fide palam discre„ pabat, revera tunc major pars in ean„ dem conspirabat sententiam, meo qui„ dem judicio, & Filium ex Patris sub„ stantia ortum confitebatur. „ Audistis Theodoretum lib. 2. cap. 22. ita subscribentem: " Porro hanc fidei formulam A„ riminensem ab universis veritatis propu„ gnatoribus, maxime vero ab Occiden„ talibus, reprehendi testatur eorum epi„ stola. „ Quinimmo, audistis majorem partem Seleuciæ Patrum ὁμοιούσιον admisisse in sensu catholico. D. Abbas Fleury hoc Concilio numerat 160. Patres tomo tertio pag. 566. eosque in tres dividit classes. Primoquidem cum Acacio numerat 40. Anomæos, qui Filium Patre minorem effutiebant: quindecim, qui vel ipsam *consubstantialis* vocem alacriter retinebant: tertio loco 105. ὁμοιούσιον in sensu catholico propugnantes: sicque 120. admodum catholici erant, quod ipse subindigitat Socrates lib. 2. cap. 3. ubi de hoc loquens Concilio, ait: " Alterius vero partis qui „ & numero superiores erant Episcopi, „ in reliquis quidem omnibus Nicænum „ Concilium suscipiebant, solam autem „ dictionem *consubstantialis* reprehende„ bant. „ Audistis denique Patres Concilii secundi Arimineusis, qui non nisi in sensu catholico formulæ illis oblatæ subscripserunt.

Nunc vero ad enumerationem in particulari deveniendum est. Ex Italia quidem Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus & alii complures versus Liberii tempora pro fide Nicæna steterunt, ut scribit sanctus Athanasius Apologia prima ad Imperatorem directa, his verbis: " Ubique... „ jactabatur Liberium Romæ Episcopum „ ... Ozium, Paulinumque... Diony„ sium quoque & Eusebium Italiæ, Lu„ ciferum Sardiniæ Episcopos, aliosque „ complures una cum Presbyteris & Dia„ conis in exilium exterminatos esse. „ Inter alios complures, intelligit S. Athanasius serm. 56. Exuperantium Dertonæ, Maximum vero Neapolis Episcopum, Gaudentium Ariminensem, cujus memoria in Martyrologio Romano celebratur, sicut & Ruffinum: qui quidem duo Episcopi, absoluto Concilio Ariminensi, in persecutione Ariana Martyrium subiere: sic scribit Marcellus de Schismate., sic Ursiciuus, sic Damasus.

In Ægypto, Libya & Pentapoli 90. Episcopi maximam versus illa tempora persecutionem passi sunt; namque ex eis sexdecim exularunt, triginta vero a propria sede deturbati sunt, ut refert sanctus Athanasius Apologia prima pag. 697. " E„ pisco-

„ piscopis, *inquit*, prope 90. pulsis, Ecclesiisque professoribus Arii traditis, 16. „ in exilium actis, cæteris deinde aut fugatis &c. „

In Galliis sanctus Hilarius ad exilium usque fidem propugnavit. Eidem fidei adhæsit Rodanius Tolosæ præsul, ut scribit idem Hilarius lib. adversus Constantium pag. 291. Ut & Severus Sulpitius lib. 2. pag. 436. His adde multos ex Patribus Ariminensibus de quibus ait Theodoretus jamjam laudatus lib. 2. cap. 21. " „ Alii metu compulsi, alii fraude inducti subscripserunt, quotquot vero his consentire recusarunt, in ultimos orbis fines relegati sunt. „

In Asia Eleusius & quidam alii cum eo, scribit sanctus Hilarius lib. de Synodis pag. 347. Iisdem temporibus eandem propugnaverunt fidem.

In Oriente, tempore Constantii, Meletius, Cyrillus Jerosolymitanus, Eusebius Samosatæ fidem consubstantialitatis propugnabant, & alii multo plures qui jussu Valentis Imperatoris eadem versus tempora propter fidem divinitatis Verbi exularunt, ut scribit Socrates lib. 4. cap. 11. his verbis: " Ac multi quidem Sacerdotes in exilium ejecti sunt, sicut antea „ dixi. „

Mitto Basilium, Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nyssenum, Gregorium Eliberitanum, Phœbadium Aginni, & Servatium Tongrorum, Vetranionem Scytharum, 90. Episcopos Concilii Romani sub Damaso, Patres Concilii Parisiensis de quo mentionem facit sanctus Hilarius, quorum Epistola Synodica in ejus refertur fragmentis: quod quidem Concilium immediate post absolutum sancti Hilarii exilium, adhuc vivente Constantio, celebratum est, in quo fides Nicæna magno applausu conclamata fuit: quæ quidem omnia & similia monumenta Ecclesiæ universalitatem versus Liberii & Concilii Ariminensis tempora stetisse tanto argumentorum pondere probant, ut vel ipsi Centuriatores Magdeburgenses Lutherani, & Blondellus doctissimus Calvinista hoc ipsum inficiari non ausi sint, quinimmo veritate superati hoc ipsum ultra confessi sint: Ergo &c.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Aperitur mens sancti Hieronymi.

OBJICIES: sanctus Hieronymus vel in ipso ad versus Luciferianos dialogo ait: " „ Ingemuit totus orbis, & sese Arianum „ miratus est. „ Igitur non sine fundamento dicitur universalitatem Ecclesiæ his temporibus excidisse.

Respondeo 1. Absurdum esse dicere sanctum Hieronymum sibi ipsi contradixisse; quandoquidem in toto adversus Luciferianos dialogo in eum tendit scopum, ut Patres Ariminenses ab hæreseos labe vindicet, eo potissimum innixus principio, quod revera a fide non discesserint, sed illusi ab Arianis formulæ subscripserint, quam isti quidem in pravum detorquebant sensum; illi vero sub attestatione corporis Christi in bonum. Sanctus Doctor est sui ipsius interpres, cum ibidem sic loquatur: " Concurrebant Episcopi qui A„ riminensibus dolis irretiti sine conscien„ tia Hæretici ferebantur, contestantes „ corpus Domini & quidquid in Ecclesia „ sanctum est, se nihil mali in sua fide su„ spicatos. „ Et iterum ibidem: " Cur „ damnassent eos qui Ariani non erant? „

Respondeo 2. distinguendo: & eo loci sanctus Hieronymus loquitur hyperbolice, concedo: secus, nego. Nec mirum: idipsum ex toto Hieronymi dialogo adversus Luciferianos constat; alias nihil contra eos probasset; quippequi propugnarent Ecclesiam intra se solos conclusam esse, eo quod falso existimarent totum orbem majori ex parte a fide in Concilio Ariminensi declinasse; e contra vero contendit S. Doctor universalitatem pro fide stetisse, cum ne quidem Ariminenses ab ea discesserint; quinimmo hoc ipsum ex aliis capitibus constat. Juvat igitur istam solutionem auctoritate Patrum roboratam ostendere: hujus enim universalitatis perseverantiam conclamat Severus Sulpitius lib. 2. hist. Prædicat Athanasius epist. ad Jovianum; celebrat Basilius epist. 72. Annuntiant & cæteri Patres in probationibus laudati.

Hic igitur est genuinus Hieronymi sensus: *Ingemuit totus orbis, & sese Arianum miratus est*. Hoc est, non sine stupore magno Orientales Seleuciæ, Occidentales

les vero Arimini congregati audierunt, quod ipsos Ariani suæ sententiæ prædicarent defensores, cum in primo Concilio, si 40. Acacianos exceperis, ὁμοιούσιον in sensu catholico retinuerint Patres; in altero vero multi, vel pro ipsa voce ὁμοιούσιον exulaverint; cæteri non nisi catholice ὁμοιούσιον subscripserint. Revera quidem, si quis existeret Arianus, citra dubium non miraretur se haberi ut Arianum: si igitur totus orbis se esse Arianum miratus est, citra dubium non erat.

Discutitur mens sancti Hilarii Pictaviensis.

OPPONES secundo: sanctus Hilarius tract. de Synodis asserit omnes, paucis exceptis, subscripsisse formulis Arianis; & in decem Asiæ Provinciis, si Eleusium & aliquos exceperis, unum vix cognovisse Deum: igitur ad litteram verba S. Hieronymi, *ingemuit*, &c. intelligenda sunt.

Respondeo 1. Perversum systema de universalitate Ecclesiæ quandoque deficiente, ortum ducere a Pelagianis & Donatistis, qui similia, ut suos propugnarent errores, S. Augustino objiciebant, ut habetur apud eundem sanctum Doctorem lib. 1. operis imperf. contra Julianum nu. 75. Eosdem in hoc Calvinistæ habuerunt Magistros, quod quidem Illustr. D. Bossuetius Meldensium Præsul prima instantia num. 99. pag. 228. illis exprobrat. Erubescant igitur recentiores Novatores, qui, ut fucum faciant lectoribus, falsa sub specie veri heterodoxorum vestigiis inhærentes dissemi-nare non dubitant.

Respondeo 2. omnes Doctores contra Erasmum & Sculterum uno veluti scribere calamo opus Hilarii in objectione commemoratum, elucubratum fuisse a sancto Episcopo ante celebrationem Synodorum Constantinopoleos, Seleuciæ & Arimini. Igitur incassum adducitur auctoritas laudata ad probandum universalitatem Ecclesiæ excidisse versus Liberii & Concilii Ariminensis tempora. Et vero sanctus Hilarius eo loci asserit tunc solum Eleusium simul cum paucis Deum in decem Provinciis Asiæ minoris agnoscere, ubi tunc exul commorabatur: quæ quidem Provinciæ non nisi imperii Orientis portiunculam occupabant, quæque postea tertiam duntaxat partem Patriarchatus Constantinopolitani instituebant. Hoc ipsum subnotat Dominus Nicole pag. 281. Præt. Reform. contra schisma lib. 2. cap. 13. quod & ante ipsum jamjam observarat sanctus Augustinus. Igitur frustra ex allatis S. Hilarii auctoritatibus fidem in toto pene mundo defecisse tempore Arianismi colligitur. Sanctus Doctor est sui ipsius interpres, quippequi in locis pro objectione allatis sic loquatur numero 63. "O beatos vos in Domino & gloriosos, qui perfectam atque Apostolicam fidem conscientiæ professione retinentes, conscriptas fides huc usque nescitis!"

Respondeo 3. distinguendo: ex sancto Hilario omnes, paucis exceptis, subscripserant formulis Arianis, hoc est, formulis ab Arianis compositis, & ab iisdem in perversum sensum explicatis, concedo: formulis absolute Arianis, nego. Primoquidem observandum est Concilium Ariminense legitimum consubstantialis fidem verbo, scriptis, & corde perfecto propugnasse: secundo Præsules alterius pseudo-Synodi, sicut & Seleuciæ ὁμοιούσιον quidem adhæsisse, sed in sensu prorsus catholico, similiter & Patres Ancyrani, Anthiocheni, & Sirmienses: Esto quod illorum formulæ ab Arianis ad subscribendum fuerunt mente versipelli oblatæ. Ut ut sit, probatum est Patres Ariminenses & alios non nisi animo catholico eas suscepisse. Neque vero negamus tunc Hilarium hujusmodi formulas appellasse Arianas, sed in sensu accommodato. Dato igitur & non concesso, sanctum doctorem propugnare fidem defecisse in Conciliis & Constantinopoleos, & Seleuciæ & Arimini, citra dubium est universalitatem Ecclesiæ tunc temporis non cessasse.

Et vero vix ano perduravit anno Patrum Ariminensium deceptio, ut subnotat Ambrosius lib. 1. de fide cap. 18. num. 122. & lib. 1. epistolarum cap. 21. num. 15. Quid plura adjiciam? Tametsi Patres tum Seleuciæ, tum Arimini errassent, cæteri tunc capiti adhærentes Ecclesiæ repræsentabant universalitatem. In Occidente quidem Hilarius Pictavorum, Lucius Moguntiæ, Paulinus Trevirensis, Gregorius Eliberitanus Hispaniæ, Lucifer Calaritanus Sardiniæ, Vincentius Capuanus, & Eusebius Vercellensis in Italia: apud Orientem vero sanctus Athanasius, & Serapion in Ægypto, Frumentius in Æthiopia,

Me-

Meletius Antiochiæ, Cyrillus Jerosolymitanus, Eusebius Samosatæ, Vetranion inter Scythas, Eleusius in Asia minori, & alii plurimi ubique terrarum propter fidem exules.

Neque vero injucundum erit iterum observare numerum Episcoporum Catholicorum semper Arianis prævaluisse, quandoquidem ante Concilium Ariminense totus Occidens erat in fide Nicæna compositus; cujus veritatis non unum est argumentum jamjam allatum. Addimus sanctum Hilarium suum de Synodis tractatum ante Concilia Constantinopolis, Seleuciæ, & Arimini conscriptum direxisse ad Episcopos duplicis Germaniæ, duplicis Belgii, Galliarum, & magnæ Britanniæ pag. 1149. Hinc Socrates lib. 2. cap. 27. pag. 38. asserit omnes Occidentis Episcopos, si Maxentius Mediolanensis, Ursacius & Valens excipiantur, versus Liberii tempora fidem Nicænam pro virili defendisse.

Jam de Oriente iterum loquamur. Citra dubium est a Catholicis numero in immensum superari Arianos, cum non nisi in aliquibus Provinciis sævierit persecutio, puta post Conciliabulum Constantinopolitanum, anno solum 360. adunatum. Et vero Constantius anno 358. Concilium Oecumenicum Nicææ congregare cupiebat; sed Ariani hoc ipsum impedire, eo quod multo plures ipsis pro *consubstantialitate* stabant. Sic loquitur Sozomenus lib. 4. cap. 1. Philostorgius lib. 4. cap. 10. " Eo quod, *inquiunt*, plerique „ eorum in *consubstantialis* fidem propensi „ erant. „ Sic etiam scribit sanctus Athanasius lib. de Synodis pag. 870. & 874. Sozomenus lib. 4. cap. 16. Addo Constantium, ut referunt DD. de Tillemont & Fleury, Orientales Syriæ separatim ab Occidentalibus eo congregasse animo, ut eorum corrumperet fidem. Illi tamen Arianismi blasphemias suscipere noluerunt.

Unum inter cætera potissimum observandum est: videlicet, quod tempore Concilii Ephesini, elapsis solum 70. post Concilium Ariminense annis, sex Episcoporum millia in orbe terrarum computarentur: quod quidem non levius innuit S. Augustinus lib. 3. contra Cresconium cap. 3. his verbis: " Si omnino credendum sit, „ quinquaginta Orientalium .... contra „ tot millia Episcoporum quibus hic error „ in toto orbe displicuit. „ Suffragatur Dalmatius Archimandrita ad Theod. " „ Sex millia ne, *inquit*, Episcoporum audire mavis, an unum Episcopum, cumque impium? Sex millia autem eos aio, „ bam, qui sub Metropolitanorum SS. Episcoporum potestate degunt. „ Vide common. Synodi Ephesinæ tom. 3. Concil. pag. 754.

Quid plura commemorem ut os loquentium falsa, & ne dicam impia obturetur? Sola Africa majorem Episcoporum numerum complectebatur, quam ipse Ariminensis cœtus; namque ex sola congregatione Episcoporum Carthagine anno dumtaxat quinquagesimo post Synodum Ariminensem habita colligitur solam Africæ Ecclesiam numerasse 470. sedes Episcopales: gravissimi auctores numerant 600. & citra dubium est, totidem Episcopos sæculo sexto subscripsisse formulæ admodum Catholicæ oblatæ Alarico Regi Ariano. Jam vero quot extra Africam, ut in Illyria, Italia, insulis Mediterranei maris & Oceani, in Hispania, Gallia, Germania, Belgio, Anglia, Pannonia? ex iis enim omnibus Provinciis convenere Episcopi ad Concilium Ariminense: cum igitur multo plures in Occidente essent, quam in Concilio, ubi ad summum aderant 400. qui alias Catholici Ariminum venerant, luce meridiana clarius apparet totum orbem non fuisse tunc temporis Arianum.

Non omittendus pro hoc momento R. P. Labbæus qui in historia pro sex prioribus sæculis mille sedes in Occidente, octingentas vero pro Oriente numerat. Præter quam quod plures aliæ ad ista usque tempora ignotæ erant. Jam vero si de Conciliis Seleuciæ & Arimini loquamur; in primo non nisi 145. aut ad summum 166. in altero vero 400. numerabimus: qui quidem numerus tertiam dumtaxat orbis terræ Episcoporum partem juxta Labbæum, duodecimam vero secundum acta Concilii Ephesini efficit.

Denique vix absoluta Synodo Ariminensi, anno immediate sequenti, scilicet 360. cæteri Episcopi lapsum Ariminensium detestati sunt, ipsi vero Ariminenses absque mora de lapsu pœnitentiam egere. Sic referunt SS. Athanasius, Ambrosius, Theodoretus: sic Ruffinus,

ut videre est apud D. de Tillemont to. 6. pag. 461. Idem propugnat DD. Bossuet adversus Claudium Ministrum secunda instructione de Ecclesia, nu. 107.

Sanctus Augustinus egregie admodum solvit difficultatem lib. 1. adversus Julianum: Item epistola 48. vet. edit. & recent. 93. num. 32. Tum libro de unitate Ecclesiæ & alibi, ubi perstringit Pelagianos & Donatistas qui ex suppositione lapsus Patrum Ariminensium Ecclesiam in parvo numero & inter se ipsos solum conclusam esse effutiebant. Et vero epistola mox laudata occurrit objectioni quam ex auctoritate Hilarii hostes veritatis deducebant, ait enim S. Hilarium multo-pluribus fidei defectum tribuisse, ut latitantes ad meliorem reduceret frugem: " Hilarius „ ergo, *inquit*, decem Provinciarum A„ rianarum aut zizania non triticum ar„ guebat, aut ipsum etiam triticum, „ quod defectu quodam periclitabatur, „ quanto vehementius, tanto utilius ar„ guendum putabat. Habent enim etiam „ scripturæ canonicæ hunc arguendi mo„ rem, ut tanquam omnibus dicatur, & „ ad quosdam verbum perveniat. „

Explanatur mens divi Gregorii Nazianzeni & sancti Basilii.

REPONES: sanctus Gregorius oratione 21. testem appellat urbem Constantinopolitanam quæ omnis iniquitatis videtat consummationem in Conciliis tum CP. tum Seleuciæ, tum etiam Arimini. Igitur ex tot, & tantis testibus totus orbis Arianismo contaminatus ingemiscebat. Probatur Antecedens. S. Doctor pag. 387. edit. Parif. 1630. sic loquitur: " Hinc „ alii ab Ecclesiarum thronis injuste pel„ lebantur: Alii in eorum locum subro„ gabantur; sic tamen, ut ab iis impieta„ tis chirographæ, non secus atque aliud „ quidpiam necessarium exigerent: atque „ in promptu atramentum erat, & calu„ mniator a tergo. „ Ergo &c.

Respondeo 1. sanctum Gregorium eo loci nullam facere mentionem de Concilio Ariminensi, sed tantummodo de aliquibus Episcopis Orientalibus, ut contra Ministrum Claudium probat illustrissimus DD. Bossuet secunda instructione de Ecclesia pag. 230. num. 114.

Respondeo 2. distinguendo: & sanctus Doctor solum intendit fidem in aliquibus defecisse, concedo: in omnibus, nego: hoc patet & ex probationibus, & ex rationibus ad solutionem objectionum ex sancti Hilarii auctoritate depromptis.

Insistes: divus Gregorius ibidem hæc scribit: " Hujus potentiæ opus Conci„ lium illud fuit, quod Seleuciæ pri„ mum... deinde in hac amplissima ci„ vitate actum est. „ Subdit vero, omnes ferme Episcopos tunc temporis tentationi cessisse: " Nam si perpaucos ex„ ceperis, ait, ... omnes tempori ob„ secuti sunt. „ Igitur existimavit S. Gregorius universalitatem Ecclesiæ pro fide *consubstantialis* versus illa tempora excidisse.

Respondeo distinguendo: & hoc unum probat Gregorius, videlicet Episcopos tum Seleuciæ, tum Arimini morem perversum gessisse omittendo ὁμοούσιον, quam vocem perpauci retinuerunt, concedo: & vult de facto omnes a fide excidisse, nego. Ingemiscit solum sanctus Doctor quod paucis exceptis, in paratam ab Arianis fraudem cæteri prolapsi sint, subscribendo formulæ quæ non unum subit sensum: " Hoc tantum, *inquit*, inter „ eos discriminis fuit, quod alii citius „ alii serius in eam fraudem inciderunt.„

Denique quod per *paucos* intelligat solum eos qui vocem ὁμοούσιον semper retinuere, ut Athanasius & Hilarius, cæteros vero a fide non declinasse; audi Gregorium iterum loquentem: " Quid autem, *ait*, de aliis „ dixeris, qui etiam ingenii laudem sibi „ vindicantes, ob eas tamen, quas com„ memoravimus, causas hæreticis rerum „ potientibus manus dederunt, & cum pie„ tatis personam diuturno tempore, tan„ quam per ludum, gessissent, simul ut „ aliquid apparuit, quo convinci atque „ coargui possent, protinus corruerunt. „ Cæterum cum ibi encomia sancti Athanasii celebret, modo oratorio loquitur dicendo: " Si perpaucos excipias. „ Ut exaltet strenuam S. Præsulis fidem, qui per bonam & malam famam indeclinabiliter ὁμοούσιον retinuit, postea Gregorius hæc subjungit: " Ea res per multos nobis invictos alio„ qui viros in fraudem impulit, qui „ quamvis mente haudquaquam prolapsi „ fuerint, subscriptione tamen transversi „ acti sunt. „ Igitur non corde, sed tantum subscriptione prolapsi. Et vero quomodo

do Ariani habiti fuissent qui formulæ alias catholicæ subscripserant? ut refert Socrates lib. 2. cap. 41. Theodoretus lib. 2. hist. cap. 21. Immo sanctus Gregorius illam absolute non damnat subscriptionem, ait enim: " Quin etiam, Imperator ipse ad eam formulam approbandam inductus est, cum apud se reputaret multitudinem eorum qui Arimini convenerant: & quod nequaquam aberraverit is qui similem confiteatur, aut consubstantialem, nec ullum apud se discrimen sit quoad sensum."

Hujusce veritatis non unum est argumentum: quorsum enim S. Gregorius Episcopos illos perfidiæ Arianæ reos habuisset, vel proprium Patrem tunc Nazianzensem Episcopum qui omisso ὁμοούσιον retinebat ὁμοιούσιον veluti tamen orthodoxum defendisset, qui ipsos manachos de Episcoporum subscriptione scandalizatos a se ipso divulsos, reconciliasset. Quid plura? Sanctus Basilius epist. 86. scribit Dianæum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum subscripsisse formulæ Constantinopolitanæ de qua præsens movetur controversia, quem tamen dum extrema ageret, a fide Nicæna non decessisse testatur. Subjungit Basilius hoc omnem hæreseos suspicionem auferre. Ecce sancti Doctoris verba: " Ubi vero cecidit Dianæus in ægrotationem, ex qua mortuus est, convocatis nobis dicebat, testem esse Dominum quod simplici corde in scriptum Constantinopolitanæ fidei consenserit quidem: verum in nulla re irritam voluerit eam fidem quæ Nicææ a sanctis Patribus exposita est. Neque aliud in corde habuerit quam quod ab initio traditum accepisset." Vel ipse Gregorius eo loci Episcopos exules prædicat his verbis: " Hinc alii ab Ecclesiarum thronis injuste pellebantur." Sozomenus l. 4. c. 27. dicit: " Sic difficile quidem fuerit omnes Episcopos qui tunc temporis sedibus suis expulsi sunt singillatim recensere." Audiamus de eodem momento Vincentium Lirinensem cap. 6. sic loquentem: " Sancti in exilium Sacerdotes, oppleta Sanctis ergastula &c." Ecce ex iis omnibus magna multitudo Confessorum affulget. Igitur per ista verba: *Si perpaucos excipias*; loquitur hyperbolice.

Ejusdem rei aliud est argumentum, quod non nisi de Concilio Constantinopolitano loquatur, in quo quidem multi subscribere formulæ non satis catholicæ compulsi sunt, ait enim Gregorius: " Hujus potentiæ opus illud fuit, quod Seleuciæ primum .... deinde in hac amplissima civitate coactum est." Porro testibus Socrate, & Sozomeno quinquaginta tantum Præsules ibi aderant, quocirca vocem *perpaucos* S. Gregorii, de aliquibus duntaxat Orientalibus intelligere necesse est. Sic scribit Baronius ad annum Christi 359. nu. 114. cui quidem subscriptioni pater divi Gregorii suum addiderat calculum, nec tamen, teste filio, a Nicæna decesserat fide.

Instabis: Ipse Gregorius ait Monachos ea de causa a patre suo fuisse divulsos, quod subscripsisset Formulario Ariminensi, cui consenserat Concilium Seleuciæ, deinde & Constantinopolitanum, in quo statutum est ut Episcopi etiam absentes eidem formulæ subscriberent; hinc D. de Tillemont ad annum Christi 456. & 460. ait, ipso teste Basilio, impietatem fuisse approbatam a 500. circiter Episcopis Orientalibus. Vincentius Lirinensis contendit fraudem in Occidentem usque irrepsisse, & (*prope cunctis*,) illusisse: Ergo &c.

Respondeo 1. Gregorium & cæteros Patres culpam Concilii & Seleuciæ & Arimini exaggerare, eo quod ὁμοούσιον non retinuerint; sed irrefragabilibus argumentis ostensum est, ὁμοιούσιον citra hæresis labem conservari potuisse.

Respondeo 2. fidem leviorem adhibendam esse Historicis pro rebus Theologicis, quando quidem non est eorum muneris fidei controversias dirimere, sed tantummodo quædam recensere facta, quæ discutienda Theologis relinquuntur.

Respondeo 3. falsissimum esse, ut ex probationibus liquet, omnes Episcopos, paucis exceptis, subscripsisse Arianæ perfidiæ; namque Sozomenus lib. 4. cap. 28. asserit Confessorum multitudinem tantam fuisse, ut: " Difficile quidem fuerit omnes Episcopos, qui tunc temporis sedibus suis expulsi sunt, singillatim recensere." Socrates lib. 2. cap. 37. de hoc eodem momento sic loquitur: " Cum alii quidem extruderentur & in exilium mitterentur." Hæc de Occidente scribit: capite vero 42. de Oriente mentionem facit; & ibi refert Acacium & suos

in Concilio Constantinopolitano dominantes, non alio quam religionis odii motivo exauctorasse Basilium Ancyranum, Draconium, Neonatem, Sophronium, Elpidium, Cyrillum Jerosolymitanum, &c. " Alios denique, *inquit*, alias ob causas " exauctorarunt. " Ab hoc non dissident & Severus Sulpitius & Theodoretus. Prior lib. 2. occasione Formularii Ariminensis, hac quippe voce celebrata est formula quæ scripta fuit a Patribus secundi ipsius Concilii, ait: " Multi Constantio renitentes, adempto Episcopatu in exilium detrusi, atque in eorum locum alii dati. " Posterior lib. 2. Hist. cap. 21. hæc profert: " Quotquot vero consentire his recusarunt, in ultimos orbis fines relegati sunt. " Hoc utique observat S. Ambrosius lib. 2. ad Imperatorem Gratianum, aitque numerum exulum pro fide Nicæna non fuisse modicum. Vincentius Lirinensis cap. 7. commonitorii verba Ambrosii recenset his terminis: " Beato saltem credat Ambrosio qui in secundo ad Imperatorem Gratianum libro acerbitatem temporis deplorans, ait: *Sed jam satis, omnipotens Deus, nostro exitu, nostroque sanguine, Confessorum neces, exilia Sacerdotum, ut nefas tantæ impietatis, eluimus.* "

Dominus de Tillemont tom. 6. pag. 463. agnoscit numerum exulum maximum fuisse: ipse Theodoretus lib. 2. Hist. cap. 22. de Liberio Papa aliisque permultis Occidentalibus loquens, ait: " Porro banc fidei formulam Ariminensem ab universis veritatis propugnatoribus, maxime vero ab Occidentalibus reprehendi testatur eorundem epistola ad Episcopos Illyrici conscripta. "

Observandum est illos Episcopos numero 90. de quibus loquitur Theodoretus cum Liberio conjunctos fuisse, & prorsus ab Ariminensibus diversos. Quid plura? Patres Concilii Romani sub Damaso adunati asserunt culpam Ariminensium vel minimum quidem non labefactare fidem, eo quod nec Liberius, nec sui in Concilio Ariminensi Oratores formulæ subscripserint.

Respondeo 4. ex dictis clarescere vel ipsos Ariminenses Præsules Arianæ non subscripsisse perfidiæ: quinimmo Socrates lib. 4. cap. 12. refert epistolam Liberii nomine omnium Episcoporum Occidentis ad Macedonianos conscriptam qua rescindit actitata in secundo Ariminensi cœtu; nec Ariminenses in suam recepisse communionem, donec fidem Nicænam expresse conclamassent. Denique Ambrosius sufficit ut os loquentium iniqua & falsa obtundatur; quippe qui asserat majorem Ariminensium Præsulum partem, fidem Nicænam ita approbasse, ut & Arianismum suo perstrinxerint stylo censorio: " Major pars, *inquit*, quæ Ariminum convenerat, Nicænam fidem probavit, Ariana decreta damnavit. " Igitur auctores laudati, aut errore decepti scripserunt, aut in adulterinum sumpsere sensum, ista Hieronymi verba, *Ingemuit &c.*

Et vero falsissimum est Formularium Ariminense ab omnibus fuisse susceptum, cum jam Concilium esset solutum, & residui solum, animo tamen catholico formulæ dolosæ suum addiderint calculum: constat quoque Acacianos numero duntaxat 40. in Synodo Seleuciana damnatos fuisse, & Basilium Ancyranum cum aliis numero saltem 105. animo catholico admisisse ὁμοιούσιον.

Neque minus falsum est decretum Concilii Constantinopolitani cui vel ipsi absentes subscribere debebant, fuisse executioni mandatum; namque Vincentius Lirinensis hoc solummodo effatur: " Nefarias illas novellæ impietatis, non litteras, sed lituras, infuso cœlitus Episcopis Fidelium lacrymarum fonte deleret. " Igitur non ait formularium subscriptum, sed hoc opus lacrymis delendum esse. Cæterum Vincentius nonnisi in genere sicut c. 5. de Donatistis loquutus fuerat, Arianismi persecutiones describit; hinc ista verba, *prope cunctis*, de Arianismo in genere intelligenda sunt: Inemo quippe non novit decursu temporum Arianos in suas partes traxisse multos. Valens & Ursacius primum decepti fuere, deinde vero plures alii in Occidente opera Saturnini Arelatensis, & Auxentii Mediolanensis, quæ quidem seductio Occidentalis in Synodo Mediolanensi ortum habuit.

Opponet 4. Basilium qui exprese dicit multos subscripsisse Formulario Ariminensi: Ergo &c.

Respondeo 1. istam objectionem parum urgere: Esto quod aliqui subscriferint For-

Formulario, sed ostensum est eos subscripsisse animo catholico.

Respondeo 2. distinguendo: multi subscripserunt, hoc est aliqui, in Concilio Constantinopolitano, concedo: omnes, ita ut etiam absentes subscripserint, nego. Sanctus Gregorius Nazianz. ait quidem: " In promptu atramentum erat, „ & calumniator a tergo. „ Verum immediate antea scripserat: " Hinc alii ab „ Ecclesiarum thronis injuste pelleban„ tur. „ Unum hic observandum venit, quod testibus Socrate & Sozomeno Episcopi qui aderant Concilio CP. essent tantum numero 50. & juxta chronica Alexandriæ ad summam 72. Præsules extiterunt.

Cæterum non abs re erit subnotare S. Basilium in epist. 82. a D. de Tillemont laudata, ut probet 500. Episcopos subscripsisse formulario, ne minimum quidem urgere; ait enim Histor. Eustathium in Concilio CP. exauctoratum, & postea etiam a 500. fuisse proscriptum; sed subjungit aut errorem irrepsisse, aut in illo numero concludendos esse omnes Episcopos Orientales qui forsan primum subscripserant huic condemnationi, tum & Formulario Ariminensi, sed vocabulum *forsan*, nihil significat. Neque vero cum fundamento subscriptum dici potest formularium a 500. Præsulibus; sicque explicantur DD. de Tillemont & de Fleury, aliique auctores; quandoquidem plusquam sufficientia ad probandam Ecclesiæ universalitatem pro illis temporibus, adduximus. Erudite admodum D. Blin Doctor Sorbonicus & Ecclesiæ Cathedralis Rotomagensis de hoc momento scripsit.

Incassum quoque adversæ sententiæ auctores laudant Ozium Cordubensem, quippe qui primum exulaverit pro fide Nicæna propugnanda, deinde nonnisi tormentorum acerbitate senio confectus, tormentis cedens secundæ formulæ Sirmiensi consenserit; sed animam agens, hanc ipsam retractavit subscriptionem, & fidem coram omnibus profitendo, in pace Ecclesiæ obiit. Addo unum pro nihilo computari.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Universalitas Ecclesiæ non excidit versus Liberii Papæ, & Concilii Ariminensis tempora.

PRIMO: Fides docet Ecclesiam universalem esse, juxta illud Symboli Nicæni: *Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. Igitur cum fidei non possit subesse falsum, non solum Ecclesiæ universalitas non excidit, sed nec potuit excidere.

Secundo: Nec ipse Liberius, nec Patres Ariminenses, immo nec Seleuciani, si paucos Acacianos exceperis, a fide Nicæna discesserunt.

Tertio: Historici scribunt Universalitatem Ecclesiæ perseverasse illis temporibus, ut Socrates l. 2. cap. 22. 26. 27. Sozomenus l. 3. cap. 13. l. 4. cap. 19. & alii.

Quarto: Hoc ipsum astruunt Patres, puta, Athanasius apol. 2. & in sua ad Jovianum Imperatorem epistola: Basilius epist. 72. Hoc decem & novem Concilia ab ann. 324. usque ad ann. 589. passim in orbe terrarum adversus Arianos adunata.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Frustra Heterodoxi objiciunt illud Hieronymi effatum: *Ingemuit &c.* Ideo enim Patres Ariminenses ingemiscebant se Arianos conclamari, quia de facto non erant Hæretici, ut vel ipse testatur Hieronymus.

Secundo: S. Hilarius appellat quidem omnes formulas in quibus reticebatur *homoousion*, fidem temporum, sed in sensu Arianorum tantum, non Catholicorum.

Tertio: Nec magis urget auctoritas Gregorii Naz. dicentis paucis exceptis, omnes subscripsisse perfidiæ Arianæ, hoc est formulis ab Hæreticis factis; sed dubioprocul decepti, & fraude irretiti retinendo in corde fidem, subscripserunt. Cæterum sanctus Doctor non unam commotam ab Arianis tragœdiam; sed etiam varias variis temporibus inflictas persecutiones

tiones enarrat; hinc non mirum si multos numeret, qui quandoque tentationi cesserint. Vel etiam dicendum sanctum Doctorem unum tantummodo in scriptis intendere, nimirum paucos *homoousion* vocem conservasse. Attamen revera *homoiousion* corde perfecto dicebant.

§. III.

Utrum Vincentius Lirinensis Ecclesiæ universalitatem versus Liberii Papæ & Concilii Ariminensis tempora abnuerit?

QUIDAM recentiores innixi illis Vincentii verbis commonit. 1. cap. 6. *Prope cunctis latini sermonis Episcopis partim vi, partim fraude deceptis, &c.* quo animo, quo scopo, Lectoris judicio relinquitur; posuerunt universalitatem Ecclesiæ circa fidem divinitatis Verbi tunc temporis excidisse. Contrarium liquido ex dictis constat, maxime cum sit de fide Ecclesiam esse Catholicam & universalem & uti talem permanere, juxta illud Symboli Nicæni: *Credo . . . . Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. Hinc dato & non concesso, Vincentium eam præclaram dotem verbis laudatis Ecclesiæ abjudicasse, dubio-procul abjiciendus foret. Sed fidem per omnia servasse contendimus. Unde fit

CONCLUSIO.

Vincentius Ecclesiæ universalitatem versus Liberii Papæ, & Concilii Ariminensis tempora non impugnavit.

Probatur multis argumentis.

Primo ex conformitate quæ intercedit inter Vincentium & Historicos Liberio & Patribus Ariminensibus coævos.

CITRA dubium est universalitatem Ecclesiæ non excidisse versus laudata tempora: Testis est S. Athanasius qui in sua ad Jovianum Imperatorem epistola hoc ipsum asserit, immo & ab enumeratione partium, videlicet Provinciarum, & regnorum quæ in fide *consubstantialis* perseverabant probat. Duo eo loci observanda veniunt, nimirum sanctum Præsulem eam scripsisse epistolam elapsis solum a Concilio Ariminensi sex mensibus: Alterum notatu dignum, est; In hac epistola mentionem fieri tum de Orientalibus, tum de Occidentalibus, ita ut fieri non possit in tantis temporum angustiis universalitatem Ecclesiæ defecisse, cum ne unus quidem auctor istud scribat, & Patres Ariminenses, absoluto Concilio, se ab Arianis delusos comperientes, ulla absque mora se retractaverint, teste S. Hieronymo qui dial. adv. Lucif. propugnat istos Episcopos non fuisse Arianos: " Cur „ damnassent eos, *ait*, qui Ariani non „ erant? „

Confirmatur 1. Ista in fide Universalitatis extinctio tempore Synodum Ariminensem antecedente contingere non potuit, quandoquidem prioris Ariminensis cœtus tanto zelo fidem Nicænam prosecutus est, ut nedum Arianos, sed & Arianorum duces, Ursacium scilicet & Valentem anathemate ferire non dubitaverint: His suppositis, dicendum est in hypothesi quod Vincentius Lirinensis Universalitatem Ecclesiæ pro fide Nicæna intra sex illos menses excidisse contendat, vel errore facti ipsum fuisse detentum, vel in hoc celeberrimos, & omni acceptione dignos Auctores impugnasse, ut S. Basilium epist. 72. & 75. Theodoretum l. 2. Hist. Eccl. cap. 22. & sequentibus. Sozomenum l. 3. cap. 12. Reliquum est ut dicamus Vincentium Universalitatem Ecclesiæ pro fide *consubstantialitatis* non abnegare his verbis: *Prope cunctis latini sermonis Episcopis partim vi, partim fraude deceptis &c.* sed solummodo loqui tanquam Oratorem qui ut auditores a peccatis deterreat, partem pro toto non sine figura hyperbaton sumit. Sic Psal. 13. habetur: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Quæ verba sancti Doctores de singulis generum nusquam intelligunt. Igitur Vincentius vult solum in illa temporum acerbitate multos adhæsisse Arianis, nonnullos vero ab eis fuisse citra errorem delusos, inter quos Patres Ariminenses annumerandi sunt.

Confirmatur 2. Consequentia modo allata ex verbis Vincentii veluti connaturaliter fluit. Et vero: si Patres Ariminenses ab Arianis decepti sint, ne minimum quidem errori patrocinati sint, sinminus non illusi, cum doctrinam jamjam ab eis

adop-

adoptatam suo iterum munivissent calculo, quod tamen a veritate prorsus alienum est: ut non unum probat exemplum. Pelagius Patribus Diospolitanis illusit: Cælestius, Zozimo; Apiarius Presbyter Siccæ in Africa, Cælestino primo: nemo tamen dixerit illos summos Pontifices adhæsisse errori: Igitur a simili nec Patres Ariminenses adhæserunt: immo quia delusi, fidem servarunt; maxime cum fraude Arianorum detecta, suam retractaverint subscriptionem.

Secundo, idem probatur ex Concilio Ariminensi, & actitatis post Concilium.

VINCENTIUS eo loci de Patribus secundi Ariminensis cœtus loquitur: Sed ex hoc ipso sequitur universalitatem Ecclesiæ pro his temporibus non abnegasse: Et probatur multis momentis.

Primo: Absoluta Synodo, ad Imperatorem Constantium rescripseruut Præsules, ut eum de actitatis certum facerent; transactis vero ibi aliquibus mensibus, cum responsionem longius procrastinaret Imperator, permulti ad proprias rediere Diœceses, tum ex reliquis quidam exilium potius pati quam *consubstantiale* in professione fidei omittere maluerunt: quidam tandem sed paucissimi Nicæam in Thracia acti ὁμοιού σιον adhæserunt, sed duabus sub conditionibus. Prima, quod per vocem istam ὁμοιούσιον intelligerent similem in substantia: Secunda, quod oblatæ non subscriberet formulæ, donec Valens hanc emisissent fidei professionem, in qua Verbum & Filius Dei, & Patri coæternus diceretur. Eam ipsam his terminis S. Hieronymus in dial. adversf. Lucif. refert. *Si quis dixerit Filium Dei esse creaturam, ut sunt cætera creatura; anathema sit . . . Si quis dixerit Filium Dei esse quidem ante omnia sæcula, sed non ante omne omnino tempus, ut aliquid ei anteferat, anathema sit.*

Secundo: Ibidem observat sanctus Hieronymus Patres Ariminenses se retractasse ut primum se ab Arianis deceptos intellexerunt: " Concurrebant Episcopi qui ,, Ariminensibus dolis irretiti sine con- ,, scientia ferebantur, contestantes cor- ,, pus Domini, & quidquid in Ecclesia ,, sanctum est, se nihil mali in sua fide ,, suspicatos.,, Rursus: Cur damnassent ,, eos qui Ariani non erant? Cur Eccle- ,, siam scinderent in concordia fidei per- ,, manentem? Cur denique bene creden- ,, tes obstinatione sua facerent Arianos? " S. Athanasius in sua ad Rufinianum epistola, S. Augustinus epist. 48. & Severus Sulpitius l. 2. Hist. excusatos habent Patres Ariminenses. Socrates l. 2. Hist. cap. 37. scribit ex his Patribus perpaucos fuisse deceptos, quippe qui magna ex parte ad proprias civitates ante acceptam Imperatoris responsionem redierint: " His ,, litteris, *inquit*, scriptis ad Constantium, ,, quibus eum enixe rogabant, ut eos ad ,, suas Ecclesias redire permitteret, cum ,, aliquantulum temporis substitissent, & ,, Imperator nullum ipsis responsum da- ,, ret, singuli ad civitates suas redie- ,, runt. " Igitur & sic censuit Vincentius; non enim probabile est ipsum cæcutire in controversiæ puncto celeberrimis istorum temporum & Patribus & Historicis noto.

Tertio: sufficit æqua lance discutere quid actitatum sit a tempore Concilii Ariminensis usque ad annum 374. & tunc luce meridiana clarius apparebit nec universalitatem Ecclesiæ his temporibus excidisse, nec Vincentium Lirinensem contrarium aliquo cum fundamento scribere potuisse.

Ecce series factorum. Anno 359. adunatum est Concilium Ariminense I. in quo quidem profligatus est Arianismus. Eodem anno celebratum est secundum, quod ὁμοιούσιον in sensu catholico adhæsit; tum & eodem tempore Synodus Seleuciana ex Orientalibus congregata legitur. In hoc cœtu aderant solum quadraginta Episcopi Acaciani, quibus 130. catholici prævaluerunt, quandoquidem ex eis, quindecim ὁμοούσιον retinuerunt, cæteri vero dixerunt Verbum simile in substantia, sic scribit S. Hilarius lib. ad Constantium pag. 292. Severus Sulpitius lib. 2. pag. 431. D. de Fleury tom. 3. pag. 566. Ann. 362. Concilium Alexandrinum, tum & Parisiense Arianos proscripserunt. Ann. 363. secundum Alexandrinum, & secundum Antiochenum idem fecere, sicut & Synodus Illyrici. Anno 368. primum & secundum Romanum, sub S. Damaso adunata suis definitionibus eosdem insectati sunt hæreticos. Secundum in sua ad Præsules Illyrici epist. sic loquitur: " Numerus Episcoporum qui

erant

„ erant Arimini in unum congregati, „ præjudicii vim habere non debet: Præ- „ sertim cum formula illa composita sit, „ nescio Episcopo Romano, cujus sen- „ tentia præ cæteris omnibus expectan- „ da erat. „ Audis universalitatem Ecclesiæ nullomodo excidisse versus Concilii Ariminensis tempora, nec Vincentium, quem actitata in Concilio Romano non latebant, aliud scripsisse credendum est.

Tertio, ex tolerantia vocis ὁμοιούσιον.

SI Vincentius aliquid contra universalitatem Ecclesiæ versus Liberii & Concilii Ariminensis tempora dixisset, maxime ex eo quod multi, omisso ὁμοούσιον retinuerint ὁμοιούσιον: sed hæc ratio, nulla est: Et probatur, S. Athanasius lib. de Synod. eos erroris non insimulat, modo Nicæni decreta recipiant: S. Hilarius idem censet lib. de Synod. ea solum conditione ut intelligant Verbum simile in substantia: D. Basilius epist. 41. ejusdem est labii modo citra differentiam ὁμοιούσιον usurpent: Vel igitur Vincentius aperte debellat illos Patres, vel dicendum, ne nimium quidem eum Ecclesiæ impugnare universalitatem. Nam teste Socrate lib. 2. cap. 22. & lib. 3. cap. 12. fides Nicæna floruit his temporibus in Occidente. Idem dicit de Oriente S. Athanasius apol. 2. 5. Basilius epist. 75. & hoc ab enumeratione Provinciarum quæ consubstantialitatem Verbi agnoscebant.

Quarto, Vincentius est sui ipsius interpres.

AD objectionem in particulari gradum facere juvat: Vincentius Comment. 1. Biblioth. PP. tom. 7. Edit. Lugdun. 1677. cap. 6. sic loquitur: " Quando Ariano- „ rum venenum non jam portiunculam „ quandam, sed pene orbem totum con- „ taminaverat, adeo ut prope cunctis la- „ tini sermonis Episcopis partim vi, par- „ tim fraude deceptis, caligo quædam „ mentibus offunderetur. „

Respondeo 1. distinguendo: Et eo loci loquitur auctor hyperbolice, seu pro generibus singulorum, concedo: Pro singulis generum, nego. Usus invaluit apud prædicatores culpas exaggerare, ut ab eis patrandis peccatores deterreant. Sic se gerit Vincentius; quod enim ibi prædicatoris obeat munus, liquet, cum cunctis det consilia salutis, & media assignet quibus fidem acerbitate temporum unusquisque servare queat. Quod hic sit genuinus Vincentii sensus, judicandum est ex capite 9. ubi similia dicit, scribendo totum mundum tempore Stephani I. fuisse Donatistam, & rebaptizantibus adhæsisse: " Cum ergo undique ad novitatem „ rei cuncti reclamarent, atque omnes „ quaqua versum Sacerdotes pro suo quis- „ que studio reniterentur, tunc beatæ „ memoriæ Papa Stephanus, Apostolicæ „ sedis Antistes. . : . . restitit. „ Fallissimum tamen est universum terrarum orbem adhæsisse Donatistis: Tum quia intra Africæ limites concluderentur: tum quia totus Occidens a rebaptizantibus semper discessit.

Respondeo 2. aliter distinguendo: Et Vincentius non loquitur absolute de extinctione universalitatis Ecclesiæ, sed solum ex suppositione, concedo: Et loquitur absolute, nego. Hæc responsio colligitur ex capite quarto ubi sic loquitur: " Quid si novella aliqua contagio non „ jam portiunculam tantum, sed totam „ pariter Ecclesiam commaculare cone- „ tur? Tunc item providebit, ut anti- „ quitati inhæreat, quæ prorsus jam non „ potest ab ulla novitatis fraude seduci. „ Audis Vincentium propugnare Ecclesiæ universalitatem, eam pro dogmate indefessim conclamare: Neque vero fidem, sæviente per hæreses mundo, credidit aliter conservandam esse quam adhærendo venerabili antiquitati, ea potissimum ductus ratione, quod universalitas pro dogmate in ea perseveret; " Tunc ope- „ ram dabit ut collatas inter se majo- „ rum consulat, interrogetque sententias, „ eorum duntaxat, qui diversis licet tem- „ poribus, & locis, in unius tamen Ec- „ clesiæ Catholicæ Communione, & fi- „ de permanentes, magistri probabiles „ extiterunt, & quicquid non unus, aut „ duo tantum, sed omnes pariter eodemque „ consensu aperte, frequenter, perseve- „ ranter, scripsisse, docuisse cognoverit. „

Respondeo 3. iterum distinguendo: Et per verba laudati Vincentius loquitur universim de persecutionibus quibus Ecclesia toto Arianismi tempore fuit exagitata, concedo: De solo tempore Concilii Arimi-

Ariminensis & Liberii, nego. Si cuncta Vincentii verba ponderentur, responsio clara apparebit; namque ibi Virgines defloratas, diruta Monasteria, Confessores ad metalla damnatos fuisse scribit, quæ quidem omnia citra dubium tempore mox laudato non contigerunt: Verba Vincentii hic texere non pigebit, cap. 6. ita loquitur: " Tunc siquidem non solum „ parvæ res, sed etiam maximę labefa- „ ctatæ sunt. Nec enim tantum affinita- „ tes, cognationes, amicitiæ, domus, „ verum etiam urbes, populi, Provin- „ ciæ, nationes, universum postremo „ Romanum imperium funditus concus- „ sum, & emotum est. Namque cum „ profana ipsa Arianorum novitas, ve- „ lut quædam Bellona, aut furia, capto „ primo omnium Imperatore, cuncta „ deinde Palatii culmina legibus novis „ subjugasset, nequaquam deinceps desti- „ tit universa miscere, atque vexare, „ privata, ac publica, sacra, profana- „ que omnia, nullum boni, & veri ge- „ rere discrimen, sed quoscumque colli- „ buisset, tanquam de loco superiore per- „ cutere. Tunc temeratæ conjuges, de- „ pullatæ viduæ, profanatæ Virgines, „ dilacerata Monasteria, disturbati Cle- „ rici, verberati Levitæ, acti in exi- „ lium Sacerdotes, oppleta sanctis erga- „ stula, carceres, metalla: quorum pars maxi- „ ma interdictis urbibus potrusi, atque ex- „ torres, inter deserta, speluncas, fe- „ ras, saxa, nuditate, fame, siti affecti, „ contriti, & labefactati sunt. „ Ex his omnibus patet quosdam recentiores novatores incassum propugnare Vincentium scripsisse universalitatem Ecclesiæ versus Concilii Ariminensis & Liberii tempora excidisse.

SYNOPSIS PROBATIONUM

Vincentius non abnuit universalitatem Ecclesiæ pro Verbi consubstantialitate versus Liberii Papæ tempora.

PRIMO, Vincentius ejusdem est labii circa istud momentum, cum SS. Athanasio, Hilario, Basilio, qui eam propugnant universalitatem: prior quidem epist. ad Jovianum: secundus L. de Synod. Tertius epist. 72. & 75.

Secundo, Patres Ariminenses vix decepti, se retractaverunt. Et ab anno 359. usque ad annum 374. non semel proscriptus est Arianismus; videlicet in Concilio Alexandrino, & Parisiensi ann. 362. in Romano ann. 368.

Tertio, tametsi tunc temporis omitteretur a multis ὁμοούσιον, omnes tamen, paucis exceptis, in sensu catholico retinebant ὁμοούσιον, non est igitur probabile Vincentium falsa pro veris circa Ecclesiæ universalitatem scripsisse.

SYNOPSIS OBJECTIONIS, ET RESPONSIONIS.

RESPONDEMUS ad istum Vincentii textum, *prope cunctis latini sermonis Episcopis partim vi, partim fraude deceptis, &c.* 1. Auctorem ibi loqui de Patribus Ariminensibus, qui quidem decepti, sed non hæretici fuere. 2. Vincentium figura Hyperbaton uti, & de generibus singulorum tantummodo sermonem instituere, ita ut sensus sit, aliquos de Presbyteris, Episcopis, Monachis, Principibus Arianismo adhæsisse. 3. Eundem auctorem calamitates quas Ecclesia toto Arianismi tempore passa est, enarrare, nusquam vero de extinctione fidei circa Verbi consubstantialitatem tempore Liberii, quantum ad universalitatem loqui.

SECTIO QUARTA.

Utrum ratione Theologica probari possit Verbum esse Deum.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multiplici ratione.

PRIMA sic proceditę. Verbum Incarnatum dicitur unigenitus Dei Filius: Igitur non creatura: Ergo verus Deus. Probatur minor. Si Verbum Incarnatum non esset Deus, foret Filius sicut creaturæ excellentiores, ut Seraphim & Cherubim; unde non esset unigenitus, cum alii similes Deo essent Filii. Ervero licet Virtutes & Potestates sint Angeli inferiores Angelis primæ Hierarchiæ, dicuntur tamen univoce Filii sicut isti. Igitur & Christus foret univoce, cum aliis

justis

justis Filius Dei, esto quod modo excellentiori, non tamen unigenitus Dei Filius appellaretur: Ergo &c.

Ista mirabilis ratio est D. Thomæ. 4. contra gentes. c. 7. n. 1. his verbis: " Cum enim scriptura divina & Christum Dei Filium, & Angelos Dei Filios nominet: alia tamen & alia ratione. Unde Apostolus Hebr. 1. dicit, cui dixit aliquando Angelorum Filius meus es tu, ego hodie genui te? Quod ad Christum asserit esse dictum: secundum autem positionem prædictam eadem ratione Angeli Filii Dei dicerentur & Christus; utrisque enim, unum nomen filiationis competeret, secundum quamdam sublimitatem naturæ in qua creati sunt a Deo; nec obstat si Christus sit excellentioris naturæ præ aliis Angelis, quia etiam inter Angelos ordines diversi inveniuntur, ut ex superioribus patet, & tamen omnibus eadem filiationis oratio competit, non igitur Christus Filius Dei dicitur secundum quod asserit prædicta positio &c. "

Secunda: Qui sunt Filii Dei per creationem, non dicuntur de substantia Dei entitative, quod tamen dicit vera generatio, siquidem definitur, Origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ: Sed Verbum dicitur Filius de substantia Dei, juxta illud Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum*. Ecce conjunctio entitativa: Sed Verbum incarnatum est Filius non improprie & per adoptionem, sed verus ut habetur 1. Joan. ult. *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo, hic est verus Deus & vita æterna*. Ergo est Deus substantialiter; sic enim in Symbolo Nicæno dicitur, Deus verus de Deo vero, lumen de lumine, consubstantialis Patri: Ergo &c.

Hæc ratio est D. Thomæ ibidem. n. 3. " Si igitur, *inquit*, Christus non diceretur Filius nisi ratione creationis: cum id quod creatur a Deo, non ex substantia Dei derivetur, Christus vere Filius dici non posset, dicitur autem verus Filius. 1. Joan. ultimo, Ut simus, *inquit*, in vero Filio ejus Jesu Christo, non igitur Dei Filius quasi a Deo creatus, in quantacumque naturæ excellentia, sed ex Dei substantia genitus. "

Tertia: Ille est vere Deus, qui dicitur Deus simpliciter, & sine addito: Atqui Verbum incarnatum ratione personæ in Scripturis sacris dicitur ubique simpliciter Deus. Ita D. Thomas ibidem n. 5. " Apostolus ad Rom. 9. dicit, ex quibus Christus est secundum carnem, qui est super omnia benedictus in sæcula, Amen. Et ad Tit. 2. Expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi. Et Jeremiæ 23. dicitur, suscitabo David germen justum, & postea subditur: & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. Ubi in Hebræo habetur nomen Tetragrammaton, quod de solo Deo certum est dici, ex quibus apparet quod Filius Dei est verus Deus. "

Quarta: Qui habet totam Dei plenitudinem est verus & univoce Deus cum Patre, nulla quippe creatura recipit a Deo nisi ad mensuram: Atqui Verbum incarnatum habet plenitudinem Dei, juxta illud Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis*, & illud ad Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, & illud Joan. 3. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum: Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus*.

Divus Thomas, ibidem n. 7. hanc enunciat rationem: " Nulla creatura, *ait*, recipit totam plenitudinem divinæ bonitatis; quia sicut ex superioribus patet, perfectiones a Deo in creaturas per modum cujusdam descensus procedunt: Christus autem habet in se totam plenitudinem divinæ bonitatis, dicit Apostolus, ad Coloss. 2. in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis, Christus ergo non est creatura. "

Quinta: Absurdum est dicere Scripturam, & Patres omnium sæculorum & Concilia, & Ecclesias, tum particulares, tum capitalem scilicet Romanam falsa dicere, errorem pro veritate propalare, falsum pro vero tenere, & proponere: Sed scriptura utriusque Testamenti: sed Patres & omnis traditio: sed Concilia tum generalia, tum particularia, sed omnes Ecclesiæ Verbum agnoscunt Deum, sed hanc fidem tenuerunt Apostoli, hanc Martyres sanguinis effusione defenderunt: Ergo &c.

Sed-

Solvuntur objectiones Heterodoxorum.

OBJICIUNT Ariani & post eos Sociniani : Ille non est Deus vere & univoce cum Deo Patre, qui ab ipso procedit libere : Atqui Verbum procedit a Deo libere : Ergo &c. Sic probant minorem: ex Justino Apol. 3. quæ est prima, pag. 284. Verbum procedit voluntate & consilio Patris. Igitur libere quia voluntate.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo Antecedens, Verbum procedit per voluntatem necessario, & ex prævia cognitione summi veri, eo enim modo Filius procedit consilio, sed seclusa omni imperfectione, & tanquam ipsa Dei ratio, & sapientia, concedo : ita Justinus ibidem, qui Verbum vocat rationem & sapientiam Patris. Procedit libere in sensu obvio, ita ut sicut creatura potuerit non esse, nego. Verbo consilii usus est Justinus, ut lectores intelligerent Filium Dei procedere per intellectum : Consilium igitur est in Deo, *inquit* D. Thomas, sed seclusa inquisitionis labe. Tolle igitur, quod est imperfectum in consilio, & manebit solum id quod est perfectum, nempe ipsa ratio & sapientia; sublata enim imperfectione iræ, manet etiam ira in Deo, inest ei zelus ac magna virtus ad repellendum malum.

Instant. Ille non est Deus qui a Deo Patre dependet : Atqui Verbum a Deo Patre dependet, & probatur. Qui mittitur a Patre, ut ejus adimpleat mandata, dubio-procul a Deo Patre dependet : Sed Verbum legitur ita missum : sic enim habetur Joan. 12. *Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar*. Rursus Rom. 8. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati*. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo minorem : Filius missus est, ut Dei adimpleret mandata quatenus homo, concedo : ut adimpleret veluti Deus, nego. Missio Filii importat exitum a Patre cum effectu temporali, videlicet unione hypostatica : Porro ut exitus est, nullam dicit dependentiam, sed tantum in effectu temporali. Quia vero Scriptura sacra ad captum nostrum explicat mysteria, ideo Filius, ait, *qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar*. Quæ quidem verba nonnisi super verbum reduplicative ut incarnatum appellant. Quod autem missio ex parte personæ missæ nihil præter distinctionem exigat, egregie docet S. Augustinus lib. 4. de Trin. c. 20. his verbis : " Non quia ille major est, ille mi-„ nor, sed quia ille Pater, ille Filius, „ ille genitor, ille genitus, ille a quo „ est qui mittitur, ille qui est ab eo qui „ mittitur. „

Urgent : Atqui Verbum missum est cum dependentia : ergo &c. Probatur subsumptum. Non homo qui nondum erat, sed Verbum accepit in sua missione mandatum : Sed nemo dixerit illum qui aliquod accepit mandatum non dependere ab eo a quo illud suscipit. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum, ad probationem distinguo : Verbum ut incarnatum accepit a Patre mandatum, concedo: secundum se spectatum, nego. Non enim accipit, sed dat, quippe quod sit cum Deo Patre Deus, ut ex argumentis omni acceptione dignis liquet. Quod autem in Scriptura sit sermo solum de Verbo incarnato mandata Patris suscipiente, probant alia de missione Filii testimonia. Primoquidem ex isto Rom. 8. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati*. Deinde ex isto ad Galat. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere*. Ipse vero Luc. 22. sic Patrem cernimus deprecatur. *Pater si vis, transfer calicem istum a me, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*. Quibus verbis non levius demonstrat præceptum moriendi se accepisse : certe, non quidem ut Deum, sed ut hominem. Igitur tota dependentia se tenet ex parte humanitatis assumptæ, & hoc ulla absque divinitati facta injuria.

Instant : Si Verbum est verus Deus, maxime quia æternum est : Atqui non est æternum : ergo &c. Probant minorem. Si est æternum jam seipsum generabit; absurdum consequens : Ergo & Antecedens.

Respondeo negando minorem, ad probationem distinguo. Si Filius sit eadem persona cum Patre se generabit, concedo : secus, nego. Natura quæ est eadem in utroque neque generat, neque generatur, sed

sed persona ; actiones enim sunt suppositorum, quæ quidem sunt in utroque diversæ, unde una persona generat, & altera generatur.

Reponunt: Actio generativa est æterna, & sicut Patri sic & Filio convenit, cum ipse quoque intelligat. Igitur si Verbum æternum est, utique se generabit.

Respondeo distinguendo istam partem Antecedentis, Filius quoque se intelligit intellectione essentiali quæ tribus personis communis est, concedo: intellectione notionali quæ paternitatem connotat, nego. Igitur solus Pater eatenus generat, quatenus solus intelligit intellectione notionali. Unde nego consequentiam.

Insistunt. Quod producitur non est ab æterno, quandoquidem ibi est prius & posterius: Atqui Verbum producitur, & ab alio procedit: Ergo &c.

Respondeo distinguendo, quod producitur in tempore & per dependentiam, concedo. Quod producitur in æternitate sine dependentia & per puram emanationem, sicut & per simplicem naturæ communicationem, nego. Verbum autem non producitur, sed generatur, & hoc per simplicem emanationem quæ dicitur processio. Ad id vero quod additur, prius & posterius esse in generatione Verbi, distinguo: secundum originem, concedo; secundum productionem, successionem atque dependentiam, nego: Est solum in generatione Verbi prioritas, tum & posterioritas originis seu naturæ a quo.

Urgent: Inde sequitur quod generatio Verbi sit imperfecta. Et probatur, 1. Quia nunquam erit in termino, quandoquidem verum erit semper dicere, Pater generat. 2. Filius erit minus Patre perfectus per generationem, quia beatius est dare quam accipere; Filius autem accipiet semper. 3. Pater distabit a Filio in natura, quatenus erit ingenitus, Filius vero genitus. Ergo &c.

Respondeo distinguendo. Inde sequitur quod generatio Verbi sit imperfecta, si non habeat terminum in instanti in quo, concedo: hoc enim dicit durationem temporalem; si solum in instanti a quo & per mentem, nego. Prius igitur Pater generare concipitur, & in secundo instanti a quo concipitur genuisse; sicque in eodem instanti reali Pater semper generat, & Filius semper generatur; Pater semper intelligit Verbum, & Verbum semper intelligitur. Quod quidem isto potest illustrari exemplo: Quum una hora de eadem re semper cogitamus, & objectum semper est cognitum, nos perpetuo de illo cogitamus.

Ad secundum distinguo utique, beatius est dare bona temporalia quam recipere, concedo: quia unus concipitur habens, alter vero accipiens & indigens. Beatius est communicare naturam quam illam accipere per simplicem emanationem & sine dependentia, nego. Res isto modo se habet in divinis.

Ad tertium similiter distinguo: Pater erit ingenitus, Filius vero genitus notionaliter, concedo: re, nego. Pater est in Filio, & Filius in Patre, & unum sunt in natura. Attributa autem notionalia tribuuntur personis secundum processiones active & passive sumptas.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Probatur rationibus Theologicis Verbum esse Deum.

PRIMA, Verbum non est Filius Dei univoce cum creaturis, sed nobiliori & substantiali modo, cum Apostolus Heb. 1. ejus filiationem ita distinguat ab Angelis, ut Verbum dicat unctione substantiali Filium, & ab ipsis Angelis adorandum. Igitur est verus Deus.

Altera: Verbum dicitur simpliciter & sine addito Deus, juxta illud Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Ergo &c.

Tertia, Qui habet plenitudinem gratiæ & veritatis est Deus, nam creaturæ non nisi ad mensuram hæc possident: Atqui Verbum habet illam plenitudinem, dicente Joan. cap. 1. de Filio Dei, *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis*. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO, Verbum procedit quidem libere a Patre, hoc est, non coacte; nusquam vero libere in eo sensu quod potuerit non esse.

Secun-

Secundo, Verbum secundum se spectatum a Deo non dependet, sed solummodo ut incarnatum, ita ut dependentia se teneat ex parte solius humanitatis.

Tertio, neque vero ex intellectione æterna quæ utique Verbo competit sequitur ipsum se generare, cum intellectio notionalis ei non tribuatur, sed tantum essentialis. Cæterum non datur prius, aut posterius in divinis, nisi juxta origines; adeoque citra dependentiam.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Verbum sit consubstantiale Patri.

NEGANT Ariani & Semiariani rigidiores, contra quos sit

CONCLUSIO.

Verbum est consubstantiale Patri.

HÆC conclusio sequitur ex dictis de Verbi divinitate: probatur tamen sex validissimis argumentis: 1. Ex Scriptura. 2. Ex Conciliis & Symbolis. 3. Ex Patribus. 4. Ex Apologiis pro Christianis. 5. Ex Martyrum confessionibus. 6. Ex rationibus Theologicis.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex Scriptura sacra eruitur.

PRIMO, Sapientia increata Prov. 8. sic loquitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum.... Cum eo eram cuncta componens.* His positis sic argumentamur: Qui possidetur a Deo, qui ab æterno per generationem ordinatus est, qui cum Deo cuncta componit, dubio-procul est ipsi consubstantialis, & ejusdem naturæ; Et vero Sapientia quæ est in ipso & cum ipso omnia facit, non est accidens, sed substantia divina; Atqui Verbum est sapientia Dei, atqui est ab æterno & omnia cum Deo ordinat, ex Scriptura. Igitur est Patri consubstantiale.

Secundo Joan. 1. habetur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Sed Verbum Deus, & apud Deum manens est consubstantiale Patri: Et probatur. Qui est in Patre ut unigenitus in sinu Patris, solus omnia sciens, solus omnia comprehendens, est consubstantialis & non Filius adoptivus. Sed ex eodem Joanne Verbum est unigenitus Filius in sinu Patris, solus omnia cognoscens. *Vidimus*, inquit, *gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre &c.* Et iterum ibid. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Quæ verba explicans Chrysostomus in Homiliis contra Anomæos qui Deum comprehendere jactitabant, dicit: hoc privilegium soli Verbo incarnato convenire, quia est solus unigenitus in sinu Patris. Ergo &c.

Tertio Joan. 10. Verbum incarnatum seu Christus sic loquitur. *Ego & pater unum sumus*: Sed qui est unum cum Patre est ejusdem substantiæ cum illo. Igitur ex Scriptura constat Verbum esse Patri consubstantiale. Ita hunc locum explicat divus Thomas comment. in cap. 10. Joan. interpretans enim illa Christi verba, *Ego & Pater unum sumus*, auctoritate Patrum, ait. " Aug. utrumque audi, & unum & sumus, & a Charybdi, " & a Scylla liberaberis. Quod dixit " unum, liberat te ab Ario: quod dixit " sumus, liberat te a Sabellio. Si unum, " non ergo diversum: si sumus: Ergo " Pater & Filius. Aug. 8. de Trinit. " unum enim sumus, dictum est, quod " ille; hoc & ego secundum essentiam, " non secundum relativum. Hilar. 8. de " Trinit. Hæc igitur, quia hæretici negare non possunt, impietatis suæ mendacio neganda corrumpunt. Tentant " enim id ad unanimitatis referre consensum, ut voluntatis in his unitas sit, " non naturæ, ut non per id quod sunt, " per id quod idem volunt, unum sint, sed " per naturæ nativitatem, dum nihil " Deus in eo ex se gignendo eum degenerat, unum sunt. Dumque de manu ejus non rapiuntur, non rapiuntur " de manu Patris: dum in operante se, " operatur Pater: dum ipse in Patre, " & in eo Pater est: hoc non præstat " creatura, sed nativitas; non efficit voluntas, sed potestas; non loquitur unanimitas, sed natura. "

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex Conciliis procedit.

Audiamus Alexandrinum. Patres in epist. Synodica quam ad Paulum Samosatenum miserunt fidem de divinitate Filii explicantes testantur, ita & prædicasse sanctos Patres, & sibi profitendum credendumque tradidisse. Sic habetur in epist. Dionysii, Tom. 2. Bibliot. PP. p. 275.

Antiochenum primum anno 266. celebratum contra eumdem Paulum qui ausu temerario dicebat Verbum incarnatum esse purum hominem; in professione fidei ad ipsum directa, Patres hæc fantur de Verbo. *Hunc autem Filium genitum unigenitum, imaginem Dei invisibilis, primogenitum omnis creaturæ, sapientiam & Verbum, ac virtutem Dei ante sæcula non præcognitione, sed substantia & hypostasi Deum, & Dei Filium cum in veteri & in novo Testamento cognoverimus, confitemur, & prædicamus.*

Antiochenum secundum contra eundem Paulum profitetur Verbum incarnatum esse Patri consubstantiale, in epistola Synodica ad Dionysium Papam directa, continente insignem fidei professionem quæ extat tom. 6. cap. 7. in fine Concilii Ephesini, ut duorum hominum, Samosateni scilicet, & Sabellii, hæresim de Christi divinitate jugularet.

Nicænum primum generale inter omnia Concilia celeberrimum ad fidem de Verbi divinitate firmandam & explicandam, nomen consubstantiale consecravit.

Parisiense anno 362. adunatum recipit definitionem Nicæni, ita legitur apud S. Hilarium in fragmentis: " Omousion, ,, *inquiunt, in epistola sua Syncdica*, sermonem ad veram & legitimam ex ,, Deo Patre unigeniti Dei nativitatem ,, sumus amplexi, detestantes secundum ,, Sabellii blasphemias ipsam unionem ,, neque aliquam partem Patris Filium ,, intelligentes, sed ex toto atque perfecto innascibili Deo, totum atque perfectum unigenitum Deum natum, unius ,, a nobis idcirco, vel usiæ, vel substantiæ cum Deo Patre confessum, ne ,, creatura potius, aut adoptio, aut appellatio videretur. ,,

Conciliis accedunt Symbola. In Symbolo Apostolorum habetur. *Credo in Deum Patrem omnipotentem... Et in Jesum Christum Filium ejus unicum.* In Nicæno. *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unum D. N. J. C. Filium ejus unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula.... Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.* In Symbolo Athanasii. *Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, sed Patris & Filii & Spiritus sancti, una est divinitas.*

Ex his omnibus momentis illud conficitur argumentum. Ille Filius est Deo Patri consubstantialis, quem Concilia dicunt substantia & hypostasi Deum, quem expresse contra hæresim Arianam consubstantialem esse definiunt, quem Symbola quæ sunt ad fidei explanationem composita, talem esse prædicant: Atqui & Concilia & Symbola sic loquuntur & determinant. Ergo &c.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex SS. Patribus depromitur.

Primo ex Græcis.

Qui vocabulum homoousion defendunt contra Arianos impugnantes Verbi consubstantialitatem, Verbum ejusdem esse substantiæ cum Patre autumant: Atqui Patres vocem laudatam eo usurpant fine ut Arianos perstringant. Igitur Verbum Patri consubstantiale credunt. Probatur minor. Agmen ducet

S. Athanasius in epistola de Nicænæ Synodi decretis contra Arianos pag. 415. sic loquitur. " Eusebiani pro inveterata ,, sua opinione, volebant illud ex Deo ,, esse, commune esse & ad homines ,, quoque pertinere: neque quidquam ,, Christum eo nomine a nobis differre, ,, eo quod scriptum esset, unus Deus ex ,, quo omnia: Ibi Patres animadversa illorum fraude, & impietatis vafritie ,, coacti sunt clarioribus verbis exponere, ,, quid sit ex Deo esse, & scribere Filium ex substantia Dei esse, ne ex Deo ,, esse, & commune & æque ad Filium ,, & creaturas pertinere existimaretur. ,,

Basilius epist. 300. de vocabulo *homousion* addito Symbolo Nicæno ait: " Et ,, quia

„ quia ex non ente ad esse productum „ fuisse Filium etiam tunc nonnulli as- „ severabant, hanc ut abscinderent im- „ pietatem, illi Patres nomen *homousii* „ usurparunt. „

Gregorius Naz. orat. 49. eodem modo defendit vocabulum consubstantiale : " Denique si diligentius & accuratius at- „ tendatis cur noluerunt de Evangelica „ & Apostolica fide, ac æque Patrum „ traditione, unius essentiæ nomen au- „ ferre: procul-dubio probatis Arianam „ hæresim subtili compendio brevi jam „ sublato hoc nomine intromissam. „ „ Rursus ibid. " Si dicis mihi, *inquit*, *ho-* „ *musion*, quod est unius essentiæ nomen, „ ob hoc nominari non oportere, quia „ in Scripturis divinis non contineatur, „ quæras autem, o homo! qui hoc pro- „ hibes, utrum ideo nominari non debeat, „ quia scriptum non est, an quia credi „ ita non licet? Quod si ita credendum „ est, cur non ita profitendum .... Fru- „ stra times, o homo! profiteri quod „ credis, si ita non profiteris, & merito „ hæreticus denotaris „

Cyrillus Alex. lib. contra Anthropomorphitas, ait: " Si vere credunt Deum es- „ se, & ex Deo Patre secundum natu- „ ram ortum esse Filium, cur non illi quæ „ divinæ naturæ consentanea sunt, ac- „ commodant? „ Idem multas profert de „ hoc momento rationes. l. 5. Thesau. c. 5. vet. edit.

Rationes B. Cyrilli Alexandrini.

PRIMA. Qui est Filius & Verbum Dei, dubio-procul est Deus; namque Filius est ejusdem substantiæ cum Patre: Idem prorsus de Verbo dicendum, cum non nisi in cratura Verbum sit accidens, quod quidem in Deo admittere, sicut impium, sic & absurdum foret: Atqui vel ipsa testante Scriptura, secunda sanctissimæ Trinitatis persona & Filius & Verbum Dei est. Igitur & utique Deus: Sic ait: " Si „ Filius Dei & Verbum Dei ex Scriptu- „ ra vocatur, *ait Cyrillus*, quomodo etiam „ erit & creatura? Necesse enim est, si „ Filius est, ut non sit creatura: vel si „ creatura secundum vos sit, ut non sit „ Filius. Nullus enim quod genuit, hoc „ est, Filium suum, fecisse se dicit. Est „ autem & Filius Dei, & Verbum Dei: „ Non est igitur creatura. „

Altera ratio: Implicat unigenitum Dei esse creaturam, alias non esset unigenitus, cum multi numerentur Filii adoptivi: Sed inquit ibidem S. Cyrillus perstringendo Arianos, Verbum est Filius Dei unigenitus: " Præterea unigenitus a Scri- „ pturis appellatur. Quomodo igitur crea- „ ri substantialiter in aliorum initium si- „ ve principium quos Proverbia vias ap- „ pellarunt, intelligetur? Nam si cum „ aliis connumeratur, pars eorum erit: „ & non erit unigenitus quem multi se- „ quuntur similes, quorum initium & „ principium se creatum dicit. Non enim „ primo quia creatus est, erit unigenitus. „ Nam & Ruben principium factus est fi- „ liorum Jacob, nec tamen idcirco unige- „ nitus, aut alienus a natura fratrum suo- „ rum. Si ergo Verbum quoque initium „ & principium creationis aliorum fa- „ ctum est, nec alienum erit a natura „ illorum. „ Subdit vero non nisi ratio- „ ne humanitatis assumptæ Verbum fa- „ ctum esse.

Tertia: Non potest esse creatura ipse Creator: Sed Verbum est omnium Creator, quandoquidem teste Apostolo, creati sumus in bonis operibus per Filium Dei. „ Ergo &c. S. Cyrillus ibidem hanc eandem egregie explanat rationem: " Etsi „ ipse creator est, cum creatus sit, cur „ cæteræ creaturæ creandi vim non ha- „ bent? Non est ergo sapientia Dei crea- „ tura: cum sit unigenitus Filius. Postre- „ mo videte quæso, quot, quantaque se- „ quuntur inconvenientia. Nam si quia „ primo creatus est, principium etiam a- „ liarum creaturarum secundum vos Filius „ est, quomodo in opera ejus creatur? „ Non enim dicit, Dominus creavit me „ ut faciam opera ejus: Sed, in opera „ ejus. Creatum enim se dicit in opera „ Domini, jampridem creata: Quomodo „ ergo primo creatum dicitis qui post il- „ la se creatum dicit? Aut quomodo „ erit initium aliorum qui postea factus „ est? Et quomodo universa per ipsum „ facta sunt, si ipse post illa creatus est? „

Subnotat ibidem S. Doctor Verbum absolute dici principium rerum in Scriptura, & quum illud factum pronuntiat, semper causam creationis addere, Scilicet incarnationem: " Observare namque „ licet diligenter, *ait Cyrillus*, in Scri- „ pturis sacris, nullam causam poni, quan-

„ do generatio Filii ex Patre significat: „ quando autem hominem factum dicunt „ Scripturæ & natum ex Virgine narrant, causam illico subjungunt. Si „ enim non quærimus, cur Deus Filius, „ aut cur ex Patre natus sit: ita scire „ volumus, qua de causa factus sit homo. Quod autem hæc ita se habeant, ipsa Scriptura docebit. In principio erat „ Verbum, nulla hic causa dicitur: & „ Verbum erat apud Deum, nulla fertur „ ratio: & Deus erat Verbum, nulla causa „ dicitur: Similiter, Ego in Patre & Pater in me est. Ego & Pater unum sumus. „ Qui videt me, videt & Patrem. Ego „ sum lux mundi, ego sum veritas. Et apud Paulum. Qui cum sit splendor gloriæ „ & character substantiæ ejus. Hæc omnia „ cum de ipso Filio Dei dicantur, & de natura ejus, non habent causam: cum vero „ de incarnatione scribitur, causas connecti videmus. Descendi, Salvator ait, de „ cœlo, non ut voluntatem meam faciam, „ sed voluntatem Patris qui misit me &c.

Secundo, Patres Latini.

Isti Patres non minori zelo Verbi celebrant consubstantialitatem. Hilarius apud Petavium cap 9. de Trinit. lib. 2. „ num. 7. de sanctissima Trinitate ait. „ Aut Deus verus est Filius Dei, ut „ Deus sit, aut si non est verus Deus, „ non potest id etiam esse quod Deus est: „ quia si natura non sit, non naturæ „ competit nomen. Si autem naturæ in „ eo nomen est, non potest veritas abesse naturæ.„ Rursus lib. 12. de Trinit. initio: " „ Non per se est qui per nativitatem est, „ neque non natus est, qui Filius est, „ neque qui Filius est, aliter potest, „ quam nascendo esse quod Filius est. „ Arianam perfidiam non minus retundit utraque hæc appellatio, quatenus naturæ & substantiæ communionem, & in ea æqualitatem sine ulla dissimilitudine commonstrat. Rursus idem Pater explicans illa verba comment. in Matth. *Hic est Filius meus dilectus*, ait " Non hoc significare videtur, alios quidem cognominatos „ ab eo Filios. Sed hic Filius meus est. „ Donari adoptionis plurimis nomen: „ Sed iste mihi Filius est. „.

Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto c. 18. pag. 407. suum addit calculum his verbis: " Cum enim dicit, ego & Pa„ ter, revelatur æqualitas. Cum dicit „ unum sumus, unitas declaratur. Æ„ qualitas confusionem excludit: Unitas „ separationem. „ Rursus lib. 3. de fide orthodoxa c. 7. pag. 312. " Non enim „ perfunctorie nuncupandus Deus, sed ita „ ut eandem divinitatem prædices in Fi„ lio, quam Pater habet. „

S. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 6. de verbo Dei ejus Filio sic habet explicans illa verba Joann. 1. *Et Deus erat Verbum... Omnia per ipsum facta sunt:* " In „ eo, *inquit*, declaratur non tantum „ Deum esse, sed etiam ejusdem cum Pa„ tre substantiæ, quia cum dixisset, & „ Deus erat Verbum, hoc erat, inquit, „ in principio apud Deum. „

Possem plura cæterorum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum afferre testimonia, sed quia sufficientia in traditione pro divinitate Verbi protulimus, hanc pro consubstantialitate Verbi veterum auctoritatem absolvam testimonio percelebris Isidori Pelusiotæ qui epist. 141. sic loquitur: " Ex Filii appellatione, consub„ stantiale; ex Verbi vocabulo, passionis „ expers; ex eo quod in principio erat, „ coæternum; ex eo quod apud Patrem „ erat, cognationem ejus cum Patre; „ ex eo quod Deus est, illius majesta„ tem intelligentes; & ex unoquoque „ nomine quidquid indecorum inest, se„ gregantes... Deum æternum, con„ substantialem, citra passionem & tem„ pus progressum noverimus & adoremus. „

Ex Hilario & Ambrosio Verbum dicitur verus Deus, qui nascitur ex Deo: ex Augustino Verbum erat apud Deum, & omnia per ipsum facta sunt: Sed qui est talis est Filius Dei Patri consubstantialis, & hanc eruunt Patres conclusionem. Ergo &c.

QUARTUM ARGUMENTUM.

Ex Apologiis deducitur.

In iis Patres clare explicant mysteria, siquidem in Apologiis Christiani non solum rationem fidei reddere, sed & defendere contra impugnantes tenebantur, ut ipse testatur Justinus Apol. 2. quæ est 1. pag. 54. quam Imperatori Antonino Pio pro fide defendenda obtulit.

Ex-

Ergo Justinus Apolog. 1. sic loquitur : " Porro Filius ejus, qui solus proprie di-
„ citur Filius, Verbum, simul cum illo
„ ante creaturas & existens, & nascens,
„ quoniam primitus per eum cuncta con-
„ didit. „ Rursus Apolog. 2. pag. 95. de
„ Filio Dei subdit. " Qui, quod Verbum,
„ & primogenitus Dei sit, Deus etiam est.„

Tertullianus eamdem confitetur fidem in apolog. c. 21. pag. 21. sic enim habet de Filio Dei; " Hunc ex Deo prolatum di-
„ dicimus, & prolatione generatum, &
„ idcirco Filium Dei, & Deum dictum
„ ex unitate substantiæ. „

Athenagoras anno 165. legat. pro Christ. pag. 10. apud successores Antonini pii vindicat Christianos qui ut athei habebantur, dicens: " Nos Patrem universorum crea-
„ torem confitemur, nos Filium qui unus
„ est cum Patre agnoscimur, ipse est sermo
„ & Verbum Patris. „ Sed agnoscere Verbum tanquam solum & proprie dictum Dei Filium, & Deum, ut loquitur Justinus, agnoscere unum in substantia, sicut scribit Tertullianus, unum omnino cum Patre, ut confitetur Athenagoras, & hoc ad propellendam Paganorum calumniam, qui Christianos velut atheos habebant & accusabant, est clare & manifeste Verbi consubstantialitatem profiteri. Ergo &c.

QUINTUM ARGUMENTUM.

Ex confessione Martyrum conficitur.

ISTUD argumentum validissimum est. Et vero si sanguis Abel effusus clamavit pro pietate sua, non minus clamat infinitorum prope martyrum cruor pro Verbi consubstantialitate effusus.

Primus est caput & princeps Martyrum, qui interrogatus de divinitate sua in nomine Dei vivi Patris cui non parere nefas putasset, confessus est & non negavit suam cum Patre consubstantialitatem, sic enim habetur Matth. 26. *Princeps Sacerdotum ait illi: adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei. Dicit illi Jesus, Tu dixisti.* Quod autem Christus non loqueretur de divinitate per adoptionem & participationem, qualis est in cæteris justis, Caiphas scandalizatus de confessione ista dixit Christum blaphemasse, reum esse mortis, quia se dixerat Deum. *Tunc princeps Sacerdotum*, inquit Matthæus, *Scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: reus est mortis.*

Secundus est S. Stephanus, qui reddito divinitati Christi testimonio, hanc propter confessionem dum lapidibus obrueretur exclamavit: *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei.* Ita Act. 7. legitur. Et sic de cæteris Apostolis qui ad internecionem usque Verbi divinitatem propugnarunt.

Post Apostolos S. Ignatius est ejusdem veritatis defensor, quippequi ann. 107. a Trajano damnatus sit ad bestias, eo quod libere Verbum incarnatum Deum esse confiteretur, sic referunt Act. Martyr. Sinc. edit. Paris. an. 1789. pag. 11. & 697.

Quarto loco venit sancta Felicitas quæ cum septem filiis anno 150. Martyrii palma propter eandem confessionem donata est. Quæ negantes Christum sic comminata fuisse refertur. Omnes enim qui non confitentur Christum verum esse Deum, in ignem æternum mittentur. Ita habetur ibid. pag. 21.

Quintus, beatus Justinus qui Romæ a Rustico Præfecto de hac fide interrogatus, eam sustinuit non solum verbis & scriptis, sed usque ad extrema; anno quippe 167. Martyrio coronatus est ibidem pag. 43.

Sanctus Epipodus Lugduni pro fide comprehensus & interrogatus respondit, Christum cum Patre & Spiritu sancto Deum esse confiteor. Ibidem pag. 65.

Saturnino Proconsule in Africa, duodecim nomine Scillitani fidei confessione illustres fuerunt, quippequi Judici interroganti dixerunt timorem ac cultum Christo Deo vero præstamus. Ibidem pag. 80. Idem referunt acta de beato Pionio & sociis pag 129. ad annum 250. de Sapricio Antiochensi Presbytero pag. 240. ad annum 260. de Genesio. Pag. 283. ad annum 286. de Victore pag. 301. ad annum 290. de Vincentio Diacono pag. 292. ad annum 304. de Theodoro milite pag. 335. ad annum 306. sic usque ad Conc. Nicæn. perpetua fuit confessio consubstantialitatis Verbi per Martyres qui hanc ab Apostolis didicerant de quibus legitur Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes*

a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.

Quid plura referam, cum ipsum Socinum habeamus confitentem Verbi consubstantialitatem a SS. Martyribus fuisse agnitam? Victus enim veritate, utinam & conversus, epist. 3. ad Matth. Radesium sic loquitur: *Ab ipso ferme nascentis Ecclesiæ initio, tot viri, non minus pietate, quam doctrina clarissimi, tot Christi sanctissimi Martyres, adeo nullus sit numerus, cum alioqui gravissimum errorem secuti sint, quod Christus sit unus ille Deus qui omnia creavit, aut certe ex illius substantia propria genitus.* Ecce quomodo iniquitas mentitur sibi, fatetur viros pietate & doctrina perillustres sanguinem fudisse pro consubstantialitate Verbi, sed quomodo errore detenti confessi sunt, si pietate & doctrina percelebres? pietas siquidem & doctrina faces sunt, omnem prorsus tenebrarum umbram eliminantes.

SEXTUM ARGUMENTUM.

Variis rationibus innititur.

PRIMA. Verbum est verus Dei Filius: ergo & consubstantialis, ita divus Thomas lib. 4. contra gentes. cap. 7. num. 6. his verbis: " Si Christus verus est Filius, de necessitate sequitur, quod sit ,, verus Deus. Non enim vere Filius potest dici quod ab alio gignitur, etiamsi de substantia generationis ,, nascatur, nisi in similem speciem generantis procedat. Oportet enim quod ,, Filius hominis, homo sit. Si igitur ,, Christus est verus Filius Dei, oportet ,, quod sit verus Deus. Non est igitur aliquid creatum. ,,

Secunda. Quidquid habet Deus in se est sua essentia: Atqui Verbum habet quidquid est in Deo. Igitur & suam substantiam. Ita D. Thomas ibidem num. 9. ubi sic loquitur: " Quicquid Deus habet in seipso, est ejus essentia, ut in ,, primo ostensum est, omnia autem quæ ,, habet Pater sunt Filii, dicit enim ipse Filius Joann. 16. omnia quæ habet ,, Pater mea sunt, & Joan. 17. ad Patrem loquens ait, mea omnia tua ,, sunt, & tua mea sunt. Est ergo eadem essentia & natura Patris & Filii. ,, Non est igitur Filius creatura. ,,

Tertia. Forma est constitutivum rei: Sed Verbum habet formam Dei: Igitur & substantiam. Hanc rationem exponit ibidem divus Thomas n. 10. " Præterea ,, Apostolus dicit Philip. 2. Quod Filius ,, antequam exinaniret semetipsum formam servi accipiens, in forma Dei erat. Per formam autem Dei nihil aliud ,, intelligitur quam natura divina.... ,, Est ergo Filius in natura divina.

Cæterum, Patres tanto ardore, tantoque zelo propugnaverunt Verbi divini consubstantialitatem, ut formulas aliquas Arianorum licet terminis catholicis expressas, quia tamen vox *consubstantiale* in eis reticebatur, aut suspectas, aut omnino erroneas habuerint. Ita Hilarius in libro quem Constantio tradidit, qui attendens ad animum quo fuerant compositæ, eas procul facit.

Solvuntur objectiones Hæreticorum.

OBJICIUNT. Qui connumeratur cum creaturis, ipse est creatura & Deo minime consubstantialis: Atqui Verbum connumeratur creaturis. Igitur non est consubstantiale. Probatur minor. Ecclesi. 24. ex persona sapientiæ dicitur: *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam*. Et Apostolus ad Coloss. 1. dicit de Filio: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*. 2. De eadem sapientia legitur Job. 38. *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ?* Quæ verba denotant quod sapientia nondum erat creata. 3. Dicitur etiam de Verbo incarnato 1. Cor. 15. quod sit Deo subjectum. Matth. 11. quod omnia recipiat a Patre; recipere autem est dependere. Joan. 8. quod Filius ex se non possit facere quidquam. Philip. 1. quod sit obediens Patri. Joan. 17. Ipse petit claritatem, ibidem cap. 14. Profitetur subjectionem atque inferioritatem dicens: *Pater major me est*. Igitur Filius non est consubstantialis Patri.

Respondeo 1. Istas objectiones procedere de Verbo ut incarnato, de quo ex professo agemus in tract. de Incarnatione demonstrando Christum esse ante Mariam & verum Deum, secundum personam, nunc autem loquimur de Verbo secundum se spectato contra Arianos.

Respondeo 2. distinguendo, & omnia loca

ca in contrarium adducta intelliguntur de sapientia ut incarnata, concedo: enimvero ratione humanitatis dicitur ex Deo prodiisse, primogenita omnis creaturæ, dicitur subjecta & obediens Patri, aliaque permulta quæ dependentiam redolent, illi tribuuntur: Bene quidem primogenita, quia Christus ratione humanitatis omnium creaturarum est caput præcellens, & prædestinatorum primus, in quo & per quem cæteri justi prædestinantur. Et hæc dicuntur de Sapientia in abstracto, hoc est ratione sui, nego. Namque dicitur Joan. 1. *Unigenitus Filius Dei*. Si unigenitus, non primus, quandoquidem unigenitus socios non habet; unde non cohærent inter se Arianorum argumenta. Rursus si sapientia est primogenita omnis creaturæ, profecto est ante astra & ipsos Angelos facta, si ante hæc facta, quorsum Deus illam alloquens per os Job petit: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ ... Cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes Filii Dei*, scilicet Angeli. Cæterum ista verba: *Ubi eras, &c.* in sensu obvio non intelliguntur de sapientia, sed de Job. Sic enim inchoatur caput. *Respondens autem Dominus Job de turbine dixit: Quis est iste involvens sententias ... Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & responde mihi. Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ &c.*

Respondeo 3. aliter distinguendo. Filius dicitur primogenitus omnis creaturæ causaliter, quatenus vi generationis suæ accipit a Patre virtutem producendi creaturas, concedo: formaliter, ita ut sit creatura, nego. Solutio est divi Thomæ 4. contra gentes cap. 8. ubi sic respondet ad argumentum: " Quod vero Filius dicitur ,, primogenitus creaturæ, non ex hoc est, ,, quod Filius sit in ordinatione creatura- ,, rum, sed quia Filius est a Patre, & a ,, Patre accipit, a quo sunt, & accipiunt ,, creaturæ, sed Filius accipit a Patre ,, eamdem naturam, non autem creatu- ,, ræ, unde & Filius non solum primo- ,, genitus dicitur, sed etiam unigenitus ,, propter singularem modum accipien- ,, di. ,,

Instant: Si Filius Dei est Patri consubstantialis, hoc infertur ex eo quod dicatur æternus, quandoquidem verbum substantiæ non invenitur in Scripturis: Sed sapientia non dicitur æterna, sed in eis solum ante sæcula creata dicitur; esse autem ante sæcula, est tantum esse productum ante mundi constitutionem, in quo dies & anni, & per annos sæcula inceperunt. Sic etiam Angeli producti sunt ante sæcula. Ergo &c.

Respondeo 1. omnes Patres una voce profiteri sapientiam secundum se spectatam esse æternam, & ex professo probat Tertullianus lib. contra Hermogenem, solam sapientiam esse æternam, minime vero materiam, quam stulte Hermogenes ponebat Deo coævam; ita & fidei formula Concilii secundi Antiocheni anno 334. in qua Filius dicitur per omnia Patri similis. Ita formula prima Sirmiensis in qua anathematizantur dicentes Verbum esse conditum. Ita Nicænum primum. Jam vero si Verbum sit æternum ut Pater, implicat esse factum in quacumque duratione.

Respondeo 2. in forma: Sapientia est ante sæcula, id est in æternitate genita, concedo: idest facta fuit, nego. Hanc fidem semper & incunctanter propugnavit Ecclesia, hanc in symbolis quotidie confitemur, unde nego paritatem; siquidem Angeli vere creati sunt, & facti in ævo, quod initium habet & successionem, non quidem temporis & quantitatis formalis, sed quantitatis virtualis. Enimvero res spirituales incipiunt esse & suo modo successionem habent, atque durationem. Nonne anima incipit esse quando infunditur in corpore? Nonne diversas successive habet operationes in eo, licet non senescat ut corpus per partium aut diminutionem aut deperditionem? Etiam ipsi Angeli successionem habent in operationibus, & inceperunt esse, unde a Dionysio dicuntur purgari, illuminari & perfici; Verbum vero ab æterno immutabile manet in esse & operari, juxta illud Apostoli Hebr. 1. ubi sic alloquitur Verbum incarnatum: *Et tu in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut vestimentum veterascent; & veluti amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

Instant: Scriptura nullibi dicit Verbum esse Patri consubstantiale, sed quandoque creatum appellat. Igitur non dicendum est consubstantiale, sed creatum, quia

cum nomina explicent naturas rerum, profecto si Verbum esset consubstantiale, hoc dixisset & terminis expressisset Spiritus sanctus. Ergo &c.

Respondeo distinguendo, Scriptura non dicit quoad litteram & terminum, concedo: quoad rem, nego. Immo etiam dicit quoad terminum saltem æquivalenter, Verbum esse consubstantiale, dum dicit Verbum esse Deum, *& Deus erat Verbum*, inquit Joan. 1. nomen autem Deus, est nomen substantiale significans, inquit D. Thomas 1. p. q. 13. art. 8. substantiam Dei: explicat vero Apostolus ad Philipp. 2. de Filio Dei quod rapinam non arbitratus sit, esse se æqualem Deo, licet se exinaniverit, unde Athanasius lib. de Synodi Nicænæ decretis sic respondet ad argumentum: " Cognoscet ,, quisquis studiosioris animi has voces ,, tametsi in Scripturis non reperiantur, ,, habere tamen eas eam sententiam quam ,, Scripturæ volunt, & id ipsum eas so- ,, nare apud illos quibus aures ad pieta- ,, tem sunt integræ, & minime vitiatæ. ,,

Urgent: Vox illa non est etiam æquivalenter in Scriptura, quæ rejicitur a Conciliis, quæ est nova & antiquis ignota, quæque nedum apud simplices, sed etiam apud Episcopos & Ecclesiæ Proceres erat petra scandali: Atqui tale est vocabulum *consubstantiale*, Et quare? Nisi quia Verbum non crederetur consubstantiale, alias neque abjectum a Conciliis, neque quid novum & scandalosum apparuisset. Ergo &c. Probatur minor. 1. Hanc vocem rejicit Concilium Antiochenum contra Paulum Samosatenum adunatum: 2. Ad Nicænum usque non legitur usurpata. 3. Erat petra scandali, nam, teste Hilario, lib. de Synodis, quidam inferebant ex consubstantialitate Verbi, tres esse in Deo substantias, si enim Filius est Patri consubstantialis, cum sit persona distincta, erit utique & in natura distinctio.

Respondeo negando minorem quoad singulas partes. Primo quidem vox *consubstantiale*, non rejicitur quoad nomen saltem æquivalens, nam Patres Synodici pronuntiant Verbum substantia & hypostasi Deum, esto quod nomine expresso & litteraliter consubstantialitatem taceant, sed œconomiæ tantum causa id fecerunt, & in sensu opposito Paulo Samosateno; qui ex denominatione Verbi consubstantialis, perverse inferebat tres esse in Deo substantias, ut cogeret Catholicos ex hac absurditate unicam in Deo agnoscere personam: Ita scribit Athanasius lib. de Synodis Arim. & Seleuc. " Etsi ambo- ,, rum Conciliorum Patres diversimode ,, de consubstantiali mentionem fecere, ,, tamen eadem de causa ab illis discede- ,, re non debemus, sed illorum mentes ,, scrutari, quod si fecerimus, quoad om- ,, nia, omnino inveniemus ambas Synodos ,, inter se consentire, qui enim Samosa- ,, tensem sustulerunt, hanc vocem *consub-* ,, *stantiale* corporaliter accepere, cum Pau- ,, lus sophisticari vellet, & diceret, si ,, Christus non est, ex homine Deus fa- ,, ctus est. ,, Igitur consubstantialis est Patri, & necessario sequitur tres esse substantias, unam quidem quæ prior sit ut Princeps, reliquas vero duas ex ea oriundas.

Sanctus Doctor ibidem responsionem suam confirmat a simili. Ingenitus, *inquit*, non legitur in Scriptura; quandoque sumitur pro omni quod non est factum, & in hoc sensu Filius dicitur etiam ingenitus, quandoque sumitur pro eo quod non habet principium, & sic de solo Patre celebratur. Ignatius igitur post Petrum Antiochiæ Præsul & Martyr Christi, in scriptis suis de Domino ita locutus est: " Unus est Medicus carnalis & spi- ,, ritualis, genitus & ingenitus, in ho- ,, mine Deus, vita vera, & ex Maria ,, & Deo. ,, Quidam etiam post Ignatium magistri, ipsi quoque subscripserunt: " Unus ingenitus Pater est, & ex ipso ,, Filius genuinus verus partus, Verbum ,, & sapientia Patris. ,,

Ad secundum nego quod vox *consubstantiale*, sit nova quoad rem, immo ne quidem est quoad nomen. Enimvero constat in usu fuisse ante ipsum Concilium Nicænum. Theognostus & uterque Dionysius Alex. scilicet & Rom. Filium ex Patris substantia productum, & Patri consubstantialem dixerunt, ut refert Athanasius lib. de Synodi Nicænæ decretis. Quinetiam Dionysius Alexand. epist. ad Paulum Samosatenum Filium Patri consubstantialem dici ab antiquis testatur.

Ad tertium dico Arianos solum & Semiarianos scandalizatos fuisse de vocabulo consubstantialitatis, & hoc in suam perniciem, scriptum est enim Matth. 18. *Væ ho-*

mini

mini illi per quem scandalum venit. Si qui vero alii post Nicænum Concilium ægre tulerint illam vocem, ad eorum simplicitatem aut ignorantiam referendum est, maxime cum dictum sit & explicatum in quo sensu usurpanda foret: Ita Theodoretus lib. 1. Hist. Eccl. cap. 8. Ita ipse Eusebius Cæsar. epist. ad Cæsarienses apud Socratem lib. 1. cap. 5. Hist. Ecclef. pag. 510. vet. edit. his verbis: " Cum ista " formula ab illis proscripta esset, illud, " ex substantia Patris esse; & illud, " Patri consubstantialem esse, quomodo " essent intelligenda, ab eis diligenter " quærere cœpimus. Unde quæstiones & " responsa nata sunt: rationeque accura- " te pervestigatum, quæ illis verbis sub- " jecta esset sententia. Fatebantur illi, " ex substantia esse, idem significare, " quod, ex Patre, non tamen partem Pa- " tris esse. "

Persistunt: Vox ὁμοούσιον inutilis est etiam ad fidem explicandam. Ergo &c. Probatur antecedens. S. Athanasius illam in suo omittit symbolo, quod quidem non levius est argumentum illam esse inutilem.

Respondeo negando Antecedens, cum eodem teste Athanasio epist. de Nicæni Concilii decretis, ideo apposita fuerit vox prædicta, ut occluderetur os Eusebianorum loquentium iniqua, qui mente prorsus versipelli dicebant Verbum Patri simile, ut Ecclesiæ declinarent anathemata, cum revera Verbum ut meram creaturam haberent, quippe qui Verbum nonnisi affectu Patri simile & crederent & dicerent.

Ad probationem non una est solutio. Primoquidem viri non ignoti nominis propugnant symbolum laudatum non esse genuinum S. Athanasii fœtum. 2. Dato quod sit, ut sentimus, non opus fuit sanctum Doctorem apponere vocem, cum potius illam supponendo, sufissimo calamo explanet Verbi consubstantialitatem, cuncta Patris attributa illi tribuendo: Sic enim ait: *Qualis Pater, talis Filius .... increatus Pater, increatus Filius... Immensus Pater, immensus Filius &c.* Ex quibus liquet symbolum quod tribuitur Athanasio esse potius explicationem symboli, quam symbolum. 3. In hypothesi quod sanctus Doctor symbolum conscripserit, potuit recte omittere particulam, quandoquidem ad personam particularem non spectat aliquam addere particulam articulis fidei.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Verbum est Patri consubstantiale.

PRIMO: Quia est Deus, juxta illud Joan. 1. *Et Deus erat Verbum*.

Secundo: Ita de fide definitum est a primo Concilio generali, & habetur in ejus symbolo.

Tertio: Sic docent Patres Græci & Latini. Ratio in promptu est, quia dicitur unigenitus Dei Filius: Porro si Verbum non esset consubstantiale, non isto celebraretur nomine, cum plures sint Filii adoptivi: Igitur naturalis seu consubstantialis est.

SYNOPSIS OBJECTIONUM
ET RESPONSIONUM.

PRIMOQUIDEM sapientia dicitur creata, sed ut increata, & ratione unionis in tempore factæ & humanitatis productæ, hinc omnis dependentia ex ejus parte se tenet.

Secundo: Vox *consubstantiale*, esto quoad litteram, & syllabas non sit in Scriptura, bene tamen quoad sensum, cum Verbum incarnatum Philip. 2. dicatur Patri æquale.

Tertio: Vox laudata fuit, fatemur, petra scandali non credentibus, scilicet Arianis, sed vita bonis & fidelibus.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Verbum sit vere Filius Dei?

NEGANT Ariani, & post ipsos Sociniani dicentes esse solum Filium per adoptionem, seu per participationem: Sed contra eos sit

CONCLUSIO.

Verbum est verus Dei Filius.

TRIA requiruntur ad filiationem veram. 1. Quod

1. Quod persona nominetur Filius. 2. Quod a Patre procedat atque nascatur. 3. Quod jus naturale habeat ad hæreditatem. His tribus argumentis statuitur vera Dei filiatio in Verbo divino.

PRIMUM ARGUMENTUM.

De nominibus Filio propriis deducitur.

ILLE est verus Dei Filius qui sic nominatur ab ipso Patre per dilectionem & complacentiam, qui hujus veritatis titulum ipse exigit, ipse confitetur, qui tum ad hoc juridice interpellatus, ipse defendit atque propugnat contra negantes: Atqui Verbum ab ipso Patre nominatur Filius, exigit ab hominibus ut nominetur talis, se etiam nominat Dei Filium, atque hunc titulum defendit contra negantes. Igitur est vere Filius Dei. Major patet tum quia nomina explicant rerum naturas; tum quia Pater divinus neminem vocat Filium per dilectionem & complacentiam nisi sit verus filius, quandoquidem complacentia oritur ex eo quod Pater se videat in Filio, tum quia etiam nullus exigit se Filium Dei nominari, maxime quum est de hoc momento controversia, nisi sit verus Filius. Ergo &c.

Probatur minor variis momentis.

Primo. Pater divinus Matth. 3. sic alloquitur Christum qui est Verbum incarnatum. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui*. Quæ verba explicans divus Thomas in comment. dicit: " Bonitas divina est in qualibet creatura particulari, sed nunquam tota perfecta, nisi in Filio & Spiritu sancto, & ideo totum non complacet sibi nisi in Filio, qui tantum habet de bonitate quantum Pater." Quid plura? Christus exigit sic nominari & agnosci ab Apostolis, immo beatum prædicat illum, qui vera confessione ipsum uti talem agnoscit. Matth. 16. *Quem dicunt homines*, inquit Discipulis, *esse Filium hominis? At illi dixerunt, alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam* .... dicit illis Jesus; *Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit, tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei; Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est*. Rursus Matth. 26. Christus a Caipha interrogatus per Deum vivum an esset Filius Dei? dicit illi Jesus, *tu dixisti*. Denique Joan. 10. suam profitetur filiationem divinam propter quod Judæi volebant illum lapidare. *Responderunt ei Judæi, de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*. Certe si Christus locutus fuisset solum de filiatione adoptiva, cum cæteri justi hac utique gaudeant prærogativa, Judæi non cogitassent eum lapidare. Igitur Verbum nominatur Filius Dei & est vere. Hoc ipsum declarat B. Joannes Baptista. Joan. 1. *Ille mihi dixit super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi: & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei*.

Secundo: Ille est vere Filius Dei qui dicitur unigenitus Filius Dei: Atqui Verbum dicitur unigenitus Dei Filius juxta illud Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis*. Ibidem v. 17. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est*. Ibidem v. 18. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Quatuor potissimum notanda sunt in his textibus, quæ probant clare filiationem divinam inesse Verbo. 1. Joannes vocat Verbum non solum Filium, sed Filium unigenitum, profecto si esset Filius duntaxat per adoptionem, non esset, inquit D. Thomas 4. contra gentes. cap. 7. nu. 2. unigenitus, licet per excellentiam suæ naturæ inter cæteros primogenitus posset dici. 2. Verbum dicitur plenum gratiæ & veritatis, plenitudo autem bonitatis divinæ & scientiæ soli Deo competit, ait D. Thomas ibidem num. 7. & 8. 3. Dicitur quod Verbum faciat & producat gratiam, quod adhuc soli Deo convenit, juxta illud Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Denique dicitur neminem Deum vidisse, sed solum unigenitum qui est in sinu Patris nobis enarrasse Dei profunda, cognitio autem in sinu Patris, est Dei comprehensio, inquit Chrysostomus in homilia quadam contra Anomæos. Igitur Verbum est Deus, siquidem comprehendit Deum; & consequenter Filius Patris æterni naturalis.

Tertio. Ille est verus Dei Filius qui est ipsius

ipsius figura viva & imago plena: Atqui sic nominatur Verbum ab Apostolo. Hebr. 1. *Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit & saecula; qui cum sit splendor gloriae & figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius nomen haereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te, & rursum ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium, & cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae dicit, & adorent eum omnes Angeli ejus.* Igitur Verbum est verus Filius Dei, & hoc probat ex professo Apostolus his rationibus. Quia est 1. Haeres universorum. 2. Quia est splendor gloriae Dei, & imago ipsius viva. 3. Quia solo verbo virtutis suae portat omnia. 4. Quia peccata dimittit. 5. Quia sedet ad dexteram Dei, sedere autem ad dexteram Dei, est illum esse Deo aequalem, ait S. Thomas. 6. Quia supra omnes Angelos est vi suae filiationis, & ab ipsis adoratur.

Nomen sapientiae, quod etiam ipsi Verbo tribuitur, in Libro Ecclesiastici, denotat filiationem ipsius divinam. Enimvero cum Verbum procedat per intellectum, ut observat D. Thom. 1. p. q. 27. art. 2. & 3. ad quem pertinet assimilare, dicitur per appropriationem sapientia Dei. Hanc divinam filiationem denotant quoque nomina signaculi, characteris, annuli, quae Patres Verbo divino attribuunt: namque signaculum est, eo quod sicut sigillum exprimit in cera totum quod habet, ita Verbum exprimit totum quod est Pater. Rursus sicut character est impressio indelebilis rei, ita Verbum est expressio immutabilis Patris. Demum sicut annulus multa stringit & unit, sic Verbum est nexus quo Spiritus sanctus Patri conjungitur; hinc a Patre per Filium procedit secundum Patres Graecos.

Patres utriusque Ecclesiae, Graecae scilicet & Latinae variis his nominibus celebrant secundam sanctissimae Trinitatis personam, ut probent veram ipsius filiationem.

S. Athanasius orat. 2. contra Arianos pag. 143. ait: " Quomodo vero factor & „ conditor seipsum videre potuit in facta „ & condita substantia? Oportet enim „ talem esse imaginem, qualis est Pater „ imaginis auctor. Age igitur, videamus „ ea quae sunt Patris, ut & imaginem dijudicemus, an vere sit Patris. Aeternus „ est Pater, immortalis, potens, lux, „ Rex, Imperator, Deus, Dominus, „ conditor & factor. Ea omnia inesse „ oportet, in ipsius imagine, ut revera „ qui Filium videt, videat & Patrem. „ Ergo &c.

Rursus lib. 4. contra Arianos pag. 254. " „ Sic igitur quoniam Filius imago Patris „ est, necessario cogitandum est divinitatem & proprietatem Patris ipsam essentiam Filii constituere. „

S. Hilarius lib. 11. de Trinit. sub initium: " Si infirmus est Filius, *ait*, imago jam non est potentis... non ex parte imaginem, neque ex portione formam eum Dei Apostolus praedicat: Sed „ imaginem esse eum invisibilis, & formam eum Dei esse loquitur. „

S. Ambrosius suffragatur lib. de Incarn. cap. 8. vocat enim Filium Dei characterem substantiae & naturae Patris. Lib. 6. hexaemer. " Imaginem & sapientiam ejusdem Patris, *ait*, sapientia divina est, „ sempiterna justitia, imago Dei, est „ solus ille, qui dixit, ego & Pater unum sumus. „

S. Basilius homilia contra Sabellianos tom. 2. pag. 105. de eodem momento sic loquitur: " Quoniam unum est archetypum, imago una, propterea quod genitus ex Patre Filius, & naturaliter in „ se Patrem exprimens, quatenus imago „ est, habet ut nulla re ab illo discrepet, „ quatenus vero est progenies, consubstantiale conservat. „

S. Cyrillus Alex. dialogo 5. de Trinit. vet. edit. docet Filium Dei esse Patris substantiae characterem, qui propterea de seipso dixit, ego in Patre, & Pater in me est. Et iterum lib. 12. Thes. pag. 117. " „ Haec ergo omnia Filius est, vox & species, & Verbum Patris. Quod si species est, perspicuum est, etiam imaginem esse, & characterem. „

Rursus dialog. 4. de Trin. pag. 300. " „ Unigenitus autem iterum, quia omnino cum nullo collocatur.... Nam unigenitus significat id quod ex natura cujusdam genitum est, non quod arte elaboratum. „

Con-

Concinit S. Augustinus lib. 1. de Trin. cap. 7. " Si ergo, *inquit*, ita accepta est „ forma servi, ut non amitteretur forma „ Dei cum & in forma servi, & in forma „ Dei, idem ipse sit unigenitus Dei Pa- „ tris, in forma Dei æqualis Patri, in „ forma servi mediator Dei & hominum, „ homo Christus Jesus: quis non intelli- „ gat, quod in forma Dei etiam ipse se- „ ipso major est, in forma autem servi „ etiam seipso minor est? „

S. Gregorius Naz. orat. 36. pag. 591. " „ Imago est, ut ejusdem cum Patre sub- „ stantiæ, & quia ex illo est, non au- „ tem ex hoc pater. Hæc si quidem ima- „ ginis natura ut exemplar suum imitan- „ do referat. „

S. Damascenus lib. 1. de imag. " Ima- „ go itaque similitudo est, sic exemplar „ exprimens, ut non ullam ab eo diffe- „ rentiam habeat. Non enim in omnibus „ imago assimilatur archetypo, proinde „ imago vivens & naturalis, & nulla re „ discrepans, invisibilis Dei Filius est, „ totum in se referens Patrem omnimodam „ cum eo habens identitatem, ac solo eo „ discrepans, quod est a principio. „

SECUNDUM ARGUMENTUM.
Ex generatione vera.

ILLE est vere Filius Dei, qui vere & proprie nascitur ex Deo, & generatur: Atqui Verbum vere & proprie nascitur ac generatur ex Deo: Igitur est vere Filius Dei. Probatur minor. Quatuor requiruntur ad veram generationem divinam, & consequenter ad filiationem. 1. Quod Filius e substantia atque natura Patris procedat. 2. Quod procedat in similitudinem naturæ. 3. Quod habeat eandem numero cum Patre naturam, alias essent plures dii. 4. Quod procedat ab æterno seclusis omnibus, tum dependentiæ, tum potentialitatis defectibus: Atqui talis est Verbi divini generatio. Igitur est verus Dei Filius. De majore non est difficultas, cum enim illa verbi generatio, teste Isaia, sit ineffabilis, non mirum si præter conditiones generationis viventium, quæ definitur origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ, exigat eandem numero in Filio cum Patre naturam. Jam probatur minor quoad singulas partes.

Prima conditio, scilicet quod Filius procedat de substantia Patris, probat illud Christi effatum, Joan. 16. *exivi a Patre, & veni in mundum*: Hinc Augustinus epistola 66. dicit: " Non sic ex Deo Patre „ Unigenitus Filius, quemadmodum ex „ illo est universa creatura, quam ex ni- „ hilo creavit. Hinc quippe de sua sub- „ stantia genuit, non ex nihilo fecit: „ nec eum ex tempore genuit, per quem „ cuncta tempora condidit. „ Idem docent Athanasius orat. 5. Victor Episcopus in professione fidei Regi Hunnerico oblata tom. 4. Bibl. PP. Dionysius Alex. in epist. Synodica ad Paulum Samosatenum & alii Patres: Non omittendus Hilarius lib. 6. de Triuit. eo loci sic loquitur: " Deinde cum significatur ex ute- „ ro, interrogo an credi possit esse na- „ tus ex nihilo, cum nativitatis veritas „ per corporalium efficientium nomina re- „ veletur? Non enim membris corpora- „ libus consistens Deus, cum generatio- „ nem Filii commemorasset, ait: ex ute- „ ro ante luciferum genui te. Sed inenar- „ rabilem illam unigeniti ex se Filii na- „ tivitatem ex divinitatis suæ veritate con- „ firmans, ad intelligentiæ fidem locutus „ est, ut de divinis his rebus secundum „ humanam naturam humanæ naturæ sen- „ sum ad fidei scientiam erudiret: ut cum „ ait, ex utero, non ex nihilo creatio „ substitisse, sed ex se unigeniti sui natu- „ ralis doceretur nativitas. „

Secunda conditio, nempe quod Verbum procedat in similitudinem naturæ, designatur ab Apostolo Hebræor. 1. his verbis: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*, idest similitudo perfecta, ita Hilarius lib. de Synodis: " Cum enim, „ *inquit*, unigenitus Filius, & imago in- „ visibilis Dei sit: necesse est per speciem „ atque naturam similis essentia sit. „ Tum hæc subjungit: " Et hoc vere est esse „ Filium, paternæ scilicet formæ veri- „ tatem, ex imaginatæ in se naturæ per- „ fecta similitudine retulisse: „

Divus Thomas hic 1. p. quæst. 87. art. 2. probat ex professo Verbum procedere a Patre in similitudinem naturæ, quia procedit per intellectum, cujus proprium est sibi omnia assimilare, quatenus de omnibus format ideas & imagines. Unde tritum illud axioma apud Philosophos invaluit: *Intellectus patiendo fit omnia*, nem-

pe

pe recipiendo species objectorum. Idem docet 4. contra gentes c. 7. n. 12. his verbis: " Christus autem perfectam sui similitudinem ad Patrem ostendit etiam in vivendo. Dicitur enim Joan. 5. sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. Et n. 13. " Filius autem repræsentat Patrem, dicit enim de eo Apostolus ad Coloss. 1. Quod est imago invisibilis Dei, & ne æstimetur imago deficiens essentiam Dei non repræsentans..... Ostenditur perfecta esse Dei imago, ipsam Dei substantiam repræsentans ad Hebr. 1. dicente Apostolo, cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus."

Tertiam habet conditionem veræ nativitatis generatio Verbi; namque Verbum eandem numero naturam cum Patre habet, juxta illud Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus*, inquit Christus: & alibi, *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum*. Quibus egregie succinit Athanasius orat. contra Sabellii Gregales, pag. 98. his verbis: " Igitur in Patre Filium esse, & Patrem in Filio, hoc nihil est aliud, quam illum qui ex Deo genitus est, naturaliter talem esse, qualis est genitor Pater: eumque ostendere paternam formam in se, & se vicissim ostendi in paterna substantia: unus igitur, & unus, dualitas, non divisa est natura, cum sit indeficiens ad suam integritaten." Idem dicunt Hilarius l. 6. de Trin. Gregorius Nyssenus l. 7. contra Eunomium.

Quarta denique conditio, nempe æternitas omni seclusa potentialiter generationi Verbi convenit, juxta illud Ecclesf. 24. de Sapientia: *Ab initio & ante secula creata sum*. Idest generata ut fert textus Hebraicus, unde Ambr. de Symbol. cap. 4. ait: " Quod Pater est, esse non cœpit, & si non cœpit, nec filius cœpit."

Dixi omni seclusa aut dependentiæ, aut potentialitatis labe, juxta illud Hebr. 10. de Filio Dei. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. Ita intelligit Justinus quæst. 16. ad Orthodoxos: " Qui prius, *inquit*, existimus, *loquens de hominibus*, quam gignimus, post exstantiam gignimus, Deus vero simul existit & gignit. Ideo non est apud Deum, post exstantiam geniti, quia neque præ exstantia gignentis." Sic intellexit Toletanum undecimum his vocibus: " Nec enim eundem Filium Dei, pro eo quod de Patre sit genitus, de secta naturæ portiunculam nominamus; sed perfectum Patrem, perfectum Filium, sine diminutione, sine defectione genuisse asserimus: quia solius divinitatis est inæqualem Filium non habere." Sic denique D. Thomas, hic quæst. 27. art. 2. Ubi dicit potentialitatem convenire soli generationi creaturæ: quippe quæ transeat de non esse ad esse: Verbum autem gignitur, & semper genitum est, & ideo verus Dei Filius.

TERTIUM ARGUMENTUM

Innititur jure naturali quod Filius habet in bona Patris.

Qui habet ex jure avito hæreditatem paternam citra dubium Filius naturalis, & Patri consubstantialis est: Atqui Verbum est Dei Filius habens ex jure avito paternam hæreditatem, ita ut bona Patris sint utique & sua. Igitur est vere Filius Dei. Hanc præstantissimam rationem expandit magnifice Apostolus Hebr. 1. ubi de Filio Dei sic intonat: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum*. Et Psalm. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te, postula a me & dabo tibi gentes in hæreditatem*. Rursus Psalm. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus ejus*.

Divus Thomas 4. contra gentes cap. 7. num. 9. paucis hanc demonstrat veritatem, dicens: " Quidquid Deus habet in se ipso, est ejus essentia, ut in primo ostensum est, omnia autem quæ habet Pater sunt Filii: dicit enim ipse Filius Joan. 16. omnia quæ habet Pater mea sunt. Ergo cum generatio Verbi omnes habeat conditiones, dicendum est Verbum esse verum Dei Filium."

Solvuntur objectiones Arianorum.

Objiciunt: si Verbum esset vere Filius Dei, maxime quia Verbum habet Patrem: Sed hæc ratio nulla est: & probatur.

tur. Deus etiam dicitur pluviæ Pater juxta illud Job 38. *Quis est pluviæ Pater, aut quis genuit stillas roris, de cujus utero egressa est glacies, & gelu de cælo quis genuit?* Certum est autem Deum producendo pluviam non producere Filium, licet pluviæ dicatur Pater. Igitur a simili tametsi dicatur Pater Verbi, non sequitur Verbum esse ipsius Filium.

Respondeo negando minorem. Ad probationem nego paritatem: Ratio discriminis est, quod Verbum non dicatur solum procedere a Deo, sed procedere ut Deus, quod quidem de nulla creatura dicitur. Solutio est D. Thomæ qui lib. 4. contra gentes cap. 3. post verba Job in objectione posita, subdit: " Ne igitur nihil aliud „ ex paternitatis, filiationis, & generationis vocabulis intelligeretur, quam „ creationis efficacia, addidit Scripturæ „ auctoritas, ut eum quem Filium & genitum nominabat, etiam Deum esse non „ taceret: & sic prædicta generatio aliquid amplius quam creatio intelligeretur, dicitur enim Joan. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud „ Deum, & Deus erat Verbum. Et quod „ Verbi nomine Filius intelligeretur, ex „ consequentibus ostenditur: nam subdit „ Verbum caro factum est, & habitavit „ in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.... Sic igitur ex sacra Scriptura docemur Filium „ Dei a Deo genitum, Deum esse. „

Instant Ariani qui hæc Catholicis objiciunt apud Hilarium lib. 12. de Trinit. " Nos cum semper Filium fuisse dicamus, „ neque aliquando fuisse quod non fuit, „ sine nativitate eum per id quod semper fuerit prædicare; quia humani sensus opinio id quod semper fuit, non „ patiatur, ut natum sit: „ Ex quo concludunt Verbum non esse verum Dei Filium increatum, quia quod nascitur, creatum est.

Respondeo distinguendo: Quod nascitur in tempore, & ab alio ut a causa creatum est, concedo: Quod nascitur in æternitate, & ab alio solum ut a principio, nego. Ita Hilarius ibidem, ubi sic respondet ad argumentum dicens: " Aliud esse „ sine auctore esse semper æternum: aliud „ quod Patri, id est auctori est coæternum..... Omne quod semper est, „ etiam æternum est: sed tamen non „ omne quod æternum est, etiam innatum „ est, quia quod ab æterno nascitur, habet æternum esse quod natum est, quod „ autem non natum est, id cum æternitate non natum est. „ D. Thomas hic quæst. 27. art. 2. docet non esse de ratione essentiali generationis, ut quod nascitur habeat initium, nisi adsit potentialitas, ut in creaturis: sed quod sit origo viventis a vivente in similitudinem naturæ principio conjuncto, quæ omnia, *inquit*, conveniunt generationi Verbi, unde sic concludit: " Quia in Deo idem est intelligere & esse.... Unde processio Verbi „ in divinis dicitur generatio, & ipsum „ Verbum procedens dicitur Filius. „

Instat Eunomius apud Cyrillum lib. 1. Thesau. cap. 6. pag. 17. " Si coæternus est „ Filius Patri, nunquam Pater generationem peregit, sed generandi actu semper caruit: Quomodo ergo genitus Filius est? Si vero actu genuit, qui genitus est, esse necessario cœpit. „

Respondeo distinguendo consequens: quod genitum est initium habet, si gignatur in tempore, concedo: si solum in æternitate, & habeat tantummodo principium originis, nego. Duplex est operatio in Deo, altera transiens ad extra, & proprie nominatur operatio ab opere quod facit; altera immanens quæ remanet intra principium et est idem substantialiter cum termino, ut intellectio qua Pater æternus se concipit. Prima non generatur Verbum, sed solum secunda, unde Cyrillus ibidem negat actionem qua nascitur Verbum de Deo esse ἐργασίαν scilicet operationem, sed generationem vocat, & subdit de illa generatione: " Sed sicut activa est, sic naturalis & substantialis, & inseparabilis ab hypostasi. „ Quare necessario coæternus Patri Filius „ erit, cum generare inseparabile sit ab „ hypostasi Patris. Cum igitur semper paterna hypostasis sit, erit semper etiam „ ex ipsa naturæ suæ fructus. „

Insistunt Heterodoxi. Multa sequuntur absurda si Verbum est vere Filius Dei. Primoquidem quod voluntas genuerit voluntatem; sapientia, sapientiam; ut posuit Concilium Toletanum 15. propter quod reprehensum legitur a Benedicto Papa Sergii antecessore. Deinde quod Filius seipsum generet, quatenus erit idem substantialiter cum Patre. Ergo &c.

Res-

Respondeo distinguendo, si hæc diversa dicantur de divinis secundum eundem respectum, concedo quod multa sequantur absurda: secus, nego. Omnia in divinis sunt idem re, sed personæ relative distinguuntur formaliter ab invicem, virtualiter vero ab ipsa essentia, quæ distinctiones sufficiunt, ad fundanda diversa prædicata. Igitur Verbum in sensu identico procedit a voluntate, in quantum voluntas divina est idem re cum intellectu, sed non in sensu formali, quia generatio formaliter sumpta est ab intellectu notionali, id est, ab intellectu connotante paternitatem. Benedictus autem reprehendit Concilium Toletanum timens ne in sensu minus convenienti locutum fuisset, unde ait, Verbum cum voluntate de mente procedit, non tamen mens de Verbo aut voluntate, Petavius lib. 6. de Trinit. cap. 10. n. 7. dicit Toletanum benigne posse explicari, nempe in sensu identico.

Cæterum verum est quod Verbum sit sapientia de sapientia, lumen de lumine, essentia de essentia, ut loquuntur Ignatius Martyr epist. 3. Hilarius lib. de Synod. & lib. 9. de Trinit. Athanasius lib. de Synod. ad anathematismum 4. nam sapientia & lumen active sunt in Patre, & in Filio ut in termino, in quo utique est essentia Patris, unde sensus est, Pater qui est sapientia & verum lumen, generat Filium qui est sapientia & lumen mundi.

Persistunt: quod generatum est, patitur defectum, quia est mutabile, quippe quod transeat de non esse ad esse: sed Verbum generatur. Ergo patitur defectum, adeoque non est verus Dei Filius.

Respondeo distinguendo, generatum creatum patitur defectum, concedo: increatum, nego. Ita divus Thomas lib. 4. contra gentes cap. 14. his verbis: " Intellectus autem divinus nunquam est in potentia, sed solum in actu.... Generatio igitur Verbi ipsius, non est secundum exitum de potentia in actum, sed sicut oritur ex actu actus, ut splendor ex luce, & ratio intellecta ex intellectu in actu: unde etiam apparet quod generatio non prohibet Dei Filium esse verum Deum, aut ipsum esse æternum, quin magis necesse est ipsum esse coæternum Deo, cujus est Verbum, quia intellectus in actu nunquam est sine Verbo. "

Replicant. Ille non est vere Dei Filius qui non accipit a Patre naturam: Atqui Verbum non accipit a Patre naturam: Ergo &c. Probatur minor. Si accipit, vel eandem specie accipit, vel eandem numero: non quidem eandem specie, alias essent plures Dii, non eandem numero, alias divideretur natura Patris, quod est impossibile, si vero totam recipit, jam amplius non remanet in Patre natura divina: neque etiam dici potest quod recipiat per effluentiam; & natura divina a Patre per exuberantiam effluat in Filium, sicut fons effluit in rivum, & fons non evacuatur; quia sicut natura Dei dividi non potest, ita nec augeri.

Respondet D. Thomas ibidem ad hoc argumentum his verbis: " Ex hoc autem quod divina generatio non est materialis, manifestum est quod non oportet in Filio Dei esse aliud recipiens, & aliud naturam receptam. Hoc enim in materialibus generationibus accidere necesse est, in quantum materia generati recipit formam generantis: In generatione autem intelligibili non sic est: non enim sic verbum exoritur quod pars ejus præintelligatur ut recipiens, & pars ejus ab intellectu effluat, sed totaliter Verbum ab intellectu originem habet, sicut & in nobis totaliter unum Verbum ex alio oritur, ut conclusio ex principiis, ubi autem totaliter aliquid ex alio oritur, non est assignare recipiens & receptum, sed totum quod exoritur ab eo est, a quo oritur. " Igitur ex D. Thoma Verbum habet eandem specie & numero cum Patre naturam: eandem quidem specie, quia procedit in similitudinem naturæ, eandem vero numero, quia natura quantitate non dividitur a Patre, sicut homo purus dividitur a Patre suo.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Verbum est vere Filius Dei.

PRIMO: Scriptura sacra non in uno loco hanc prædicat veritatem: modo enim Verbum vocat Filium Dei, modo ejusdem Dei unigenitum: modo etiam Patris imaginem & ejusdem substantiæ figuram.

Secundo: Patres utriusque Ecclesiæ eandem

dem probant contra Arianos veritatem, ut Athanasius, Basilius, Cyrillus Alexandrinus, Hilarius, & alii.

Tertio: Ille est vere Filius Dei, qui ex Deo vere nascitur & generatur: Atqui tale est Verbum: sic enim intonat Propheta Regius de eo, *ante luciferum ego genui te*, Psal. 14.

Synopsis objectionum & responsionum.

PRIMO: Tametsi Deus dicatur creaturarum Pater; non tamen rigorose & ad juris apices sicut Verbi.

Secundo, incassum Ariani contendunt id quod nascitur, esse creatum; sufficit enim ad nativitatem veram, ut Verbum æternum sit Patre posterius posterioritate originis in instanti in quo: hoc quoque sufficit, ut Pater sit in generationis actu, & exercitio respectu Verbi quod ab eo emanat.

Tertio: Ex conclusione nulla sequuntur contradictoria: licet enim sapientia v. g. sit idem re cum Patre, non tamen dicitur generare sapientiam, sed soli Patri hæc prærogativa tribuitur, solus enim est persona a Filio relative distincta; ad personam autem primam notionaliter sumptam solum generare pertinet.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Verbum sit Filius Dei, per omnia Patri æterno æqualis.

ARIANI qui Verbum creaturam putant, etiam Filium Patre minorem asserunt. Hanc hæresim saltem ex parte renovavit minister Jurius anno circiter 1689. in sexta, septima, & octava sui speculi Epistola, in quibus Verbum in triplici statu considerat, nempe in æternitate, quia, inquit, Deus ab æterno intelligit. 2. In creatione in qua prolatum fuit. 3. In utero Beatæ Virginis in quo naturam assumpsit humanam. In primo statu dicit Verbum esse imperfectum & veluti tantum inchoatum, sicut germen, quod est arbor solummodo inchoata. In secundo perfectum prædicat & completum, quia, inquit, dum prolatum est in creatione totum quod est Verbi habuit: in tertio, novam adhuc induisse perfectionem commemorat; & sic æternitatem Verbi ipsiusque immutabilitatem impugnat, dicendo Verbum & in perfectionibus, & in operationibus esse Filium Patri divino inæqualem. Bossuetius Illustrissimus Meldensium Episcopus istum confutavit Hæresiarcham in opere percelebri cujus titulus est *antiquitas dilucidata circa entis divini immutabilitatem, & trium personarum æqualitatem*. Anno 1691. edit. Paris. & quia Jurius pestiferæ suæ hæreseos semina reliquit in multis, ideo Verbi cum Patre æqualitatem toto mentis affectu contra impugnantes defendere juvat, ne zizania crescat in agro Domini ad animarum perniciem, unde sit

CONCLUSIO.

Dicimus contra Arianos & Jurium Verbum esse Filium Dei non solum in natura, verum etiam in perfectionibus & operationibus Patri divino æqualem.

HÆC Conclusio sequitur ex dictis, quia ostensum est Verbum esse Deum, & Filium Patri consubstantialem: Igitur & Filius Patri coæqualis in omnibus, nam teste Tertulliano lib. contra Hermogenem cap. 7. divinitas gradum non suscipit, utpote unica. Probatur tamen multis momentis.

Primo, ex Scriptura sacra.

CHRISTUS Joan. 10. sic loquitur: *Ego & Pater unum sumus*. Rursus ibidem cap. 14. *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum*: Certe si Verbum non esset in omnibus Patri æquale, neque foret unum cum illo, neque videndo Filium, videretur & Pater. Sed celebris est pro hoc momento locus ad Philipp. 2. v. 6. ubi Apostolus ait de Filio Dei. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*. Ecce æqualitas & quidem omnimoda; Paulus enim probat hanc cum Deo æqualitatem, quia Filius incarnatus est in forma Dei, idest, quia habet formam seu naturam Dei, quæ ratio nihil concluderet, si Verbum non esset in omnibus Patri æquale.

Secun-

Secundo, ex Conciliis & Symbolis.

ANTIOCHENSE Concilium primum anno 266. in professiode fidei sic loquitur. *Qui Filium Dei non esse Deum prædicat, hunc alienum esse ab Ecclesiastica regula arbitramur, & omnes Ecclesiæ Catholicæ nobiscum consentiunt, de hoc enim scriptum est, Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi*. Si Filius simpliciter est Deus, est quoque in omnibus Patri æqualis, unde Antiochenum 2. ann. 344. a Semiarianis congregatum, in formula fidei vocat Filium Dei, per omnia Patri similem.

Nicænum primum in Symbolo dicit Verbum Patri consubstantiale, idest, æquale in omnibus Patri, ut explicat S. Athanasius in suo, postquam enim Filium dixit immensum, æternum sicut Patrem, subdit de eodem Filio incarnato, *æqualis Patri secundum divinitatem*. Unde Toletanum XI. ait, de hoc momento rationem reddens, solius divinitatis est inæqualem Filium non habere. Ergo &c.

Tertio, ex Patribus utriusque Ecclesiæ.

S. IRENÆUS passim affirmat Verbum esse Deum: lib. 4. adversus hæreses cap. 5. ait: " Qui enim super se habet aliquem superiorem, & sub alterius potestate est, hic neque Deus, neque magnus Rex dici potest. " Cum igitur constet Verbum esse Deum, constat utique ex principio Irenæi esse in omnibus Patri æquale.

Tertullianus lib. contra Hermogenem, cap. 4. sic loquitur: " Quis enim alius Dei sensus, quam æternitas? Quis alius æternitatis status, quam semper fuisse & futurum esse, ex prærogativa nullius initii, & nullius finis? Hoc si Dei est proprium, solius Dei erit, cujus est proprium. " Tum cap. 8. irridet Paganos qui Deos agnoscunt alios minores, alios majores, quia, inquit, divinitas gradum non suscipit, & sic ex æternitate Verbi infert ipsius in omnibus cum Patre æqualitatem.

Sanctus Basilius lib. 4. contra Eunomium pag. 286. ait: " Si omnia quæ habet Pater Filii sunt: nihil autem eorum quæ per Filium facta sunt, Pater seorsum habet. " Quibus verbis funditus subvertitur systema Jurii; quandoquidem Basilius vult quod Verbum ab æternitate sit omne quod exigit esse, & in omnibus Patri simile, alioquin ipsius imperfectio tribueretur ignorantiæ & impotentiæ Patris, quod absit dicere immo & cogitare.

Gregorius Nyssenus lib. 7. contra Eunomium pag. 707. Idem dicit de Verbo his terminis, " At in simplici & omnipotenti natura simul omnia, & eodem momento intelliguntur. " Rursus lib. 6. contra eumdem pag. 190. " Si extremæ stoliditatis est hunc equum, illum hominem dicere, si ambo vere sint homines: ejusdem plane stupiditatis est, cum tam Pater Deus, quam Filius, Deus esse credatur, hunc creatum, illum increatum affirmare. "

Hilarius explicans illa verba Joan. 5. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere*. Lib. 7. de Trinit. dicit: " Quis porro dubitabit, quin in differentem naturam nativitas consequatur? Hinc enim est sola illa, quæ vere possit esse æqualitas, quia naturæ æqualitatem sola possit præstare nativitas. Æqualitas vero nunquam ibi esse creditur, ubi unio est: nec tamen illic reperietur, ut differat: scilicet inter Filium & Patrem divinum. " *Prosequitur:* " Ita similitudinis æqualitas nec solitudinem habet, nec diversitatem: quia omnis æqualitas nec diversa, nec sola sit. "

Rursus lib. 1. ad Constantium: " Non est, *inquit*, æqualitas Dei in forma Dei esse, si non æqualitas hominis est, esse in forma servi. Quod si in forma servi homo Christus est, quid aliud in forma Dei, quam Christus Deus est. "

Fulgentius responsione contra Arianos expandens eumdem locum dicit illa verba Joannis: *Sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*: Non ex Judæorum malevolentia, sed ex Apostolica auctoritate proficisci: Ita censet & Victor Uticensis in professione fidei ad Hemericum & Maxentium dialog. 11. immo ex toto cap. 5. Joannis probatur æqualitas Filii cum Patre.

Patrum auctoritatem juvat Augustini testimonio claudere qui sic habet lib. 3. contra Maximinum cap. 14. " Nihil Patre minus habet ille, qui dicit, omnia quæ habet Pater, mea sunt, æqualis est igitur. "

tur. „ Ergo ex patribus Verbum esse in omnibus Patri æquale constat.

Quarto, ex proprietatibus divinis quæ Verbo conveniunt.

PRIMA, est existendi necessitas, asseitas, independentia, quæ Verbo conveniunt, apparens enim Moysi in rubo dixit Exod. 3. *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham*, & cap. 3. ibid. *Ego sum qui sum*. Item apud Joannem 8. *Principium qui & loquor vobis*. Tum in Apocalypsi 1. *Ego sum alpha & omega*.

Secunda, immutabilitas: juxta illud Malac. 3. *Ego Dominus & non mutor*.

Tertia, immensitas Deut. 4. ad Moysen sic loquitur Filius Dei. *Scitote ergo hodie, & cogitate in corde tuo quod Dominus ipse sit Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum*. Et illud Joan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo*. Nota quod est ipse Dei Filius qui loquitur Patriarchis & Prophetis, ut docet Concilium Antiochenum primum contra Photinum adunatum: Ergo &c.

Quarta, æternitas. Deuter. 31. & 1. ad Tim. 6. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem*: Quæ verba teste Augustino Tract. 25. in Joan. designant veram æternitatem.

Quinta, plenitudo scientiæ. Juxta illud ad Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*. Et illud Joan. 17. *Hæc est autem vita æterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Et illud Apoc. 2. *Ego sum scrutans renes & corda*.

Sexta, omnipotentia, sic enim legitur Gen. 17. *Ego Deus omnipotens*. Et Psal. 23. *Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus fortis in prælio*.

Septima, suprema majestas, juxta illud Hebr. 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Sed ex his patat veram esse in omnibus Patri & Filii æqualitatem, quandoquidem, ut sic est cum Patre nostra beatitudo, scriptum est enim Joan. 17. *Hæc est autem vita æterna: ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*.

Quinto, ex divinis operationibus quæ Verbo divino conveniunt.

PROPRIA actio cujuslibet entis sequitur ipsius naturam & perfectiones: Atqui operationes divinæ consequentes ipsam Dei essentiam & perfectiones conveniunt Verbo. Igitur est per omnia coæquale Patri. Probatur minor ab enumeratione.

Prima operatio divina, est omnia producere ut causa universalis & principalis; hæc autem convenit Verbo juxta illud Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*. Et ad Coloss. 1. *In ipso condita sunt universa, in cœlis & in terra*.

Secunda, creare, nulla enim creatura propter distantiam infinitam quæ est inter ens & nihil, potest hanc habere operationem, sed convenit Verbo creare, ut habetur Coloss. 1. *Sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*.

Tertia, continere & conservare: Quarta vero purgare a peccatis. Divus Thomas 4. contra gentes cap. 7. num. 16. explanat istas operationes, ut Verbo convenientes, his verbis: " Cum propria actio „ cujuslibet rei sequatur naturam ipsius, „ nulli competit propria actio cujuslibet „ rei, cui non competit illius rei natu„ ra .... Propriæ autem actiones Dei „ conveniunt Filio, sicut creare.... Con„ tinere & conservare omnia in esse, & „ peccata purgare, quod est proprium ip„ sius Dei.... Dicitur autem de Filio ad „ Coloss. 1. Quod omnia in ipso constant, „ & ad Hebr. 1. dicitur quod portat om„ nia Verbo virtutis suæ purgationem pec„ catorum faciens, sed quia posset Aria„ nus dicere quod hoc Filius facit non tan„ quam principale agens, sed sicut instru„ mentum principalis agentis quod per „ propriam virtutem non agit, sed solum „ per virtutem principalis agentis, hanc „ positionem Dominus excludit Joan. 5. „ dicens, quæcumque ille fecerit, hæc „ & Filius similiter facit, sicut igitur „ Pater per se operatur & propria virtu„ te, ita & Filius. „

Ultima, est dare gratiam & gloriam, quod utique Verbo adscribitur, juxta illud Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Et Act. 15. *Per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari*. Item Rom. 1. *Gratia*

vobis & pax a Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo. Pro gloria vero Christus Joan. 10. dicit, *Ego veni ut vitam habeant & abundantius habeant*. Ibid. 6. *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, D. Thomas ibidem num. 17. hæc mira explicat de Verbo incarnato.

Sexto, ex cultu quo Filius simul cum Patre & Spiritu sancto semper celebratus est.

PRIMO: Hoc constat ex adoratione Gen. 18. legitur, *apparuit ei Dominus*, scilicet Abraham, *in convalle Mambre... Et adoravit in terram*. cap. 30. & 35. Jacob erigit altare Domino verbo quod illi apparuerat, ut divinum illi exhiberet cultum. Item Psal. 71. *Et adorabunt eum omnes reges terræ omnes gentes servient ei*. Rursus Matth. 2. Magi, *& intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum*. Et adhuc Joan. 5. *Omne judicium dedit Filio*, nimirum Pater, *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*. Demum Philipp. 2. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum*.

Secundo: ex Virtutibus Theologicis & ex fide quidem quam debemus habere in Verbum incarnatum, juxta illud Joan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite* Hebr. 12. *Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum*. Item ex spe in ipsum juxta illud Psalm. 90. *Quoniam tu es Domine spes mea*, Et illud 1. ad Tim. 1. *Paulus Apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri & Jesu Christi spei nostræ*. Item ex charitate in eumdem, juxta illud Moysis ad populum, Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, & illud Joan. 14. *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo*, & illud Pauli 1. Cor. 16. *Si quis non amat Dominum nostrum J. C. sit anathema*.

Tertio; ex invocatione Filii Dei habetur enim Joel. 2. *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Tum Rom. 10. *Si confiteaeris in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris*.

Quarto: etiam ex traditione claret cultum divinum fuisse semper Verbo incarnato exhibitum. Socii B. Ignatii martyris sic terminant historiam ipsius Martyrii ut habetur Act. Mart. Sinc. edit. Parif. 1689. pagina 14. " Glorificantes in ipsius venerabili & sancta memoriam Dominum nostrum Jesum Christum per quem & cum quo Patri gloria & potentia cum Spiritu sancto in sancta Ecclesia in sæcula sæculorum. "

Sanctus Polycarpus apud Eusebium lib. 4. cap. 19. dicebat Tyranno: " Numquam Christum derelinquere possumus, qui mortuus est pro totius mundi salute, adoramus ut Filium Dei. "

Clemens Alex. admonit. ad Gentes lib. 1. pag. 66. adhortatur fideles ut colant Christum tamquam Deum viventem, & eum adorent. Tertullianus lib. contra Praxeam c. 13. dicit Christianos adorare Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in unitate naturæ. Idem dicit Justinus Apolog. 2. & Athenagoras legat. pro Christianis pag. 2. Tum Arnobius, Rhetor percelebris lib 1. contra gentes. Pag. 24. asserit Christianos colere Verbum incarnatum ut Deum: " Cum vero, *inquit*, Deus sit re certa & sine ullius rei dubitationis ambiguo inficiaturos arbitramini nos esse quam maxime illlum a nobis coli... Ergo ne inquiet aliquis fuerent iratus & percitus, Deus ille est Christus Deus, respondebimus, & interiorum potestatum Deus. "

Nedum privatim sed & publice in officio divino Verbum ab initio cultu divino donatum est. Enimvero lib. 8. const. Apostol. cap. 15. qui etiam fatente Sandio Enucle. Hist. Eccles. pag. 67. qui Concilio Nicæno antiquior est, habetur quod fideles conveniret ut Christum venerarentur cum Patre & Spiritu sancto. Ita quoque refert Socrates lib. 2. cap. 81. Sozomenus lib. 8. cap. 8. asseruntque hunc usum obtinuisse ante Nicænum Concilium, quod etiam patet ex hymnis quos Christiani decantabant in honorem Verbi incarnati ut Dei: Sic refert Eusebius lib. 5. cap. 28.

Denique Plinius Junior epist. 97. apud Eusebium lib. 3. Hist. cap. 33. hæc Trajano Imperatori refert de Christianis: " Affirmabant autem, *inquit*, fuisse summam, vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem. "

Ex his omnibus hoc conficitur argumentum. Ille Filius est per omnia Patri æqualis qui easdem habet cum Patre & proprietates, easdem virtutes & operationes, qui colitur tanquam consummator fidei, & omnium hominum spes: Atqui ex supra dictis liquet Verbum his omnibus donari perfectionibus, & sic coli. Quod patet iterum ex Ecclesiæ orationibus, quæ sic semper terminantur. *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum.* Ergo est per omnia Patri æterno æqualis: Igitur Verbum est Patri & per omnia æquale.

Septimo, denique evertendo systema Jurii.

Si Verbum sit solum ab æterno inchoatum & incompletum, ita ut ultimam receperit in creatione efficaciam & in incarnatione perfectionem, jam est quid in se imperfectum, quod est contra Scripturam; suscepit magis & minus quod est contra divinitatis naturam, quæ, teste Tertulliano, non suscipit gradum; aliquid in decorum adveuit Deo, quia ex Basilio erit, aut ignorantiæ vitium, si Pater non cognoscit ab æterno & intelligit Verbum, aut impotentiæ, si non generet perfectum: vel bonitatis defectus, inquit Gregorius Nyssenus, si potens ab æterno se totaliter & perfecte diffundere, & non se diffundat, maxime vero quia competit tantum creaturis propter limitationem & virtutis inertiam gradatim suos fœtus producere. Ergo &c.

Confirmatur: Ex D. Thoma hic 1. p. qu. 27. art. 2. Rursus 4. contra gentes cap. 9. & 14. objectum intellectum & intellectio sunt ipsa essentia divina, nullum quippe est accidens in Deo: Verbum habet esse perfectum eo ipso quo intus intelligitur, unde operatio transiens ad extra nihil ponit in Verbo, sed est effectus Verbi, quod etiam apparet quando ideam de domo formamus, supponitur enim exemplar, & Verbum perfectum antequam fiat domus; quandoquidem prolatio ideæ non dat esse Verbo, sed domui, sic creatio mundi non dat esse completum verbo Dei, sed habet esse ab ipso. Denique Filius Dei, æternus atque immutabilis est: Igitur concludendum cum Gregorio Nysseno summæ stoliditatis esse Verbum negare in omnibus Patri æquale, cum habeat eandem cum Patre naturam, easdem perfectiones, easdem & operationes.

Cæterum, posito Jurii systemate, sequitur tres esse Verbi nativitates; unam equidem in æternitate incompletam, alteram in creatione, eamque completam, tertiam in incarnatione & perfectissimam, quod est contra Prophetas & Evangelistas, qui duas solum prædicant Verbi nativitates, unam scilicet æternam quæ convenit illi ut Deus est, juxta illud Mich. 5. *Egressus ejus ab initio a diebus æternitatis.* Secundam vero temporalem quando incarnatum est, ut habetur Joan. 1. *Verbum caro factum est.* Ergo &c.

Respondetur objectionibus Arianorum.

OBJICIUNT Joan. 14. Christus dicit, *Pater major me est*: Igitur non est Patri æqualis.

Respondeo distinguendo: Pater major me est secundum humanitatem, concedo; secundum divinitatem, nego. Ita Athanasius in Symbolo.

Instant. S. Alexander Patriarcha Alexandrinus epist. ad Alexandrum CP. Episcopum, Concilium Sardicense in epist. Synodica, Athanasius orat. 2. contra Arianos, & alii multi antiqui Patres asserunt Patrem esse Filio majorem etiam secundum divinitatem. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Pater est major Filio etiam secundum divinitatem majoritate originis, concedo: majoritate naturæ seu essentiæ, nego. Ita vel ipse S. Alexander in epistola laudata apud Theodoretum lib. 1. hist. Eccles. c. 4. his verbis: "Hinc conversionis ac mutationis expertem, periode ac Patrem nullius egentem, & perfectum Filium, Patrisque similem esse dicimus, hoc solo inferiorem Patre, quod ingenitus non est." Sic & Patres Sardicenses docent in eadem epistola. "Nemo negat, *inquiunt*, Patrem Filio majorem esse, non ob aliam Hypostasim, intellige substantiam, nec ob aliam indifferentiam, sed quia nomen Patris, ipsum majus est nomine Filii." Ita quoque Athanas. ibid. pag. 180. v. edit. "Pater, *ait*, major est, non quidem magnitudine aut ætate, sed quia ex illo ortum habebat." Ita demum Basilius l. 1. contra

tra Eunomium, Hilarius lib. 9. de Trinit. & alii Patres.

Instant: Pater est major Filio ut causa, juxta illud Damasceni lib. 1. de fide Orthodoxa cap. 6. " Pater naturaliter est „ causa Filii. „ Igitur & major per dependentiam in Filio.

Respondeo distinguendo: est causa improprie dicta, ut dicit tantum esse principium, concedo: secus, nego. Hoc patet ex Verbis immediate antecedentibus: "
„ Quod si dicimus patrem esse principium
„ Filii, eoque majorem, non priorem il-
„ lum esse Filio significamus tempore, aut
„ natura, nam per ipsum fecit sæcula, aut
„ alio quopiam modo; præterquam ratione
„ caussæ, nimirum quia Filius a patre
„ genitus est, non pater a Filio: & quia
„ pater naturaliter est causa Filii. „

Solvuntur objectiones Jurii.

OBJICIT passim in suis epistolis: Patres usque ad Concilium primum Nicænum obscure locuti sunt de Verbo, ex quo concludit eos illud non credidisse patri æquale.

Respondeo distinguendo: Patres aliquando & in aliquibus operibus locuti sunt obscure de Verbo, concedo. In omnibus operibus, nego. Quatuor distinguuntur Patrum operum genera, nempe homiliæ, Catecheses, Apologiæ, & opera polemica seu controversiarum. Homilias pronuntiabant ut plurimum etiam coram infidelibus, unde ne isti aut irriderent, aut blasphemarent mysteria sibi incognita, obscure explicabant Trinitatem; quandoque etiam in Catechesibus, maxime quando aderant Catechumeni, ne propter suum in fide tenuitatem, scandalum inde sumerent, sed clare & aperte coram initiatis, & his qui parati erant & accincti ad suscipiendum Baptisma; sed semper in Apologiis in quibus rationem fidei reddere tenebantur, ut patet in locis supra citatis; sed semper in controversiis, ut Justinus lib. adversus Tryphonem cui demonstrat Christum esse Dei Filium a sæculis promissum, Tertull. lib. de orat. Dominica c. 2. ubi dicit in ea fieri mentionem Filii, quia dum nominatur pater, intelligitur Filius. Porro hanc propter rationem explicatio orationis Dominicæ non fiebat coram Catechumenis & Infidelibus. Istam Ecclesiæ disciplinam floruisse usque ad Nicænum colligitur ex lib. 3. recognit. qui licet incerti auctoris, apparuit tamen secundo sæculo, quandoquidem Origenes qui initio tertii vivebat tr. 35. in Joan. cap. 26. illum citat, colligitur utique ex Socrate, lib. 1. c. 22. immo Ambrosius lib. 6. in Lucam sub finem prohibet publicare Trinitatem Catechumenis nisi parati sint suscipere Baptismum. Multo plura dicit Abbas de Cordemoy Doctor Sorbonicus circa istud momentum tract. adversus Socinianos cap. 3.

Instat: Minutius Felix Jurisconsultus percelebris in suo dialogo quem ad defendendam religionem composuit, quemque Octavium nominavit, imperante Antonio filio primogenito Severi, nihil dicit de Verbo, item nec Dionysius Alexand. in epistola ad Euphranorem: Igitur etiam in operibus Apologeticis patres, aut obscure, aut nullomodo locuti sunt de Verbo.

Respondeo duos non instituere fidei regulam, sufficitque quod alii patres in Apologiis & in operibus polemicis clare explicaverint Filii divinitatem, ejusque cum patre æqualitatem.

Ad Minutium, dico dialogum laudatum habuisse Romæ cum duobus amicis quibus noluit revelare omnia mysteria, vel quia erant adhuc infideles; vel saltem adhuc in fide imbecilles. Addit Abbas Cordomeus ibidem Minutium demandatam non habuisse religionem defendendi provinciam, præsertim vero cum non locutus sit personis publicis, sicut Justinus qui Apologiam ipse Antonino obtulit: sicut & Tertullianus qui suam direxit ad provinciarum Præfectos, sicut etiam Athenagoras qui pro isto negotio a Christianis deputatus est, unde suam Apologiam, legationem pro Christianis nominavit.

Ad Dionysium distinguo: Et reprehensus fuit in epistola laudata propter suum de Verbi divinitate silentium, concedo: secus, nego. Cum enim Sabellianos insectaretur, quorum hæresis grassabatur in Provincia Pentapoleos, accusatus est apud Dionysium Papam de crimine hæresis; tunc Papa convocato Romæ Concilio, citari curavit Dionysium, qui comparens, de sua fide erga Verbum hanc reddidit rationem, dicendo populum intellexisse pa-

trem non posse a Filio separari, & cum in epistola laudata sermonem haberet de Patre, sufficienter se indicasse Filium asserit. Non desunt alia ejusdem auctoris pro fide consubstant. & æqualitate Verbi cum Patre testimonia. Et vero falso apud Dionysium Papam de errore circa Verbi consubstantialitatem accusatus se purgavit: sic loquitur in sua Apologetica ad summum Pontificem epistola de Verbo: " Et existente igitur æterno Patre, existit & „ æternus Filius, lumen de lumine. „

Insistit: Patres quandoque vocant Filium Patris ministrum, nec semel asserunt Patrem præcepisse Filio. Athenagoras, in apologia pro legat. dicit sermonem Patris initio habuisse mundi materiam quasi currum quem regere debebat, & cum omnia tunc essent confusa, postea gradum fecisse ad naturam, ut ipsius actus & forma esset, ita ut antea Verbum quasi sopitum decumberet super materiam. Sic censet Jurius epist. 6. pag. 130. ex quo loco infert Verbum crevisse, quum mundum creavit, immo & factum dum fuit prolatum. Hoc ipsum confirmare putat dum Verbum juxta Athenagoram vocat Spiritum.

Respondeo distinguendo: & Patres usi sunt similitudinibus ad mysteria explicanda, concedo. Et usi sunt ex eo quod non crederent Verbi divini cum Patre æqualitatem, nego. Sic respondet illustrissimus Bossuetius Meldensium Episcopus in commonitorio contra Jurium, quando enim Patres, *inquit*, loquebantur Infidelibus & Catechumenis, qui omnes nondum fide sufficienti pollebant, cogebantur indicare implicite Trinitatem per similitudines, hinc Verbum & Spiritum sanctum quandoque Patris ministros dicebant, ut Auditores intelligerent Patrem non esse solum, sed præter primam personam esse adhuc alias.

Ad Athenagoram, dico eum explicare ad captum nostrum creationem. Igitur ut habetur 1. Gen. omnia simul fuerant condita, postea fuit opus distinctionis, quando Verbum dixit: *Fiat lux*, *& facta est lux*: quia vero tunc dedit virtutem & aquis, & terræ ut producerent omne vivens secundum genus suum, quam virtutem antea non habebant, *& factum est ita*, inquit Scriptura, hinc Verbum eatenus dicitur causaliter actus & forma mundi, quatenus omnibus dedit vitam; non quod ipse sit forma informans, & factum. Athenagoras dicit quidem illud a Patre productum, sed non creatum & factum, quæ omnia explicat per similitudinem aurigæ qui se accinxit ad currum ut moveat se versus aliquem; unde in hoc sensu Verbum dicitur approximasse ad materiam mundi, nihil quidem recipiendo, ut probat Tertullianus lib. 6. contra Hermogenem, sed cuncta distinguendo, & adornando.

Ad eumdem Athenagoram respondeo Spiritum propheticum factum fuisse & productum vere, minime vero spiritum Verbi, unde Jurius fraudulenter applicat vocem *factum* ad Verbum, nam Athenagoras subdit: " Spiritus propheticus meo „ concordat sermoni, quando me creavit „ Deus. „ Certum est autem prophetiæ spiritum esse Verbi divini emanationem creatam. Quod autem Athenagoras in hac legat. nihil contra Verbi æqualitatem dixerit, patet ex his verbis quibus concludit, pag. 10. " Quis igitur non miretur, „ nos qui Deum Patrem prædicamus, & „ Deum Filium, & Spiritum sanctum, „ ita ut & unionis eorum vim & ordinis „ distinctionem exponamus, impios & si„ ne Deo homines vocari. „

Replicat: Concilium Nicænum primum appellat Verbum *lumen de lumine*, & ante ipsum Tertullianus libro contra Praxeam c. 9. portionem de substantia Patris: ergo, inquit Jurius Verbum crevit in perfectionibus, quando mundus creatus est, adeoque non est Patri coæquale.

Respondeo distinguendo, Verbum est lumen de lumine perfectum, concedo: lumen inadæquatum, nego. Sicut igitur, inquit illustrissimus Bossuetius, fons dat totam aquam rivulo, sol totam lucem radio nihil retinendo nisi rationem principii, ita Verbum est Deus perfectus de Deo perfecto, & Pater nihil habet supra Filium nisi rationem innascibilis, & principii non de principio. Nusquam autem intellexit Concilium Nicænum Filium esse portionem quasi a Patre decisam, sed allusionem ad Apostolum facit, qui 1. ad Hebræos dicit Verbum esse splendorem gloriæ Patris, ut probet esse Deum. Ita mentem Concilii explicat S. Petrus Alexandriæ Episcopus qui Concilio aderat; nam epistola ad Alexandrum CP. dicit

nihil

nihil esse a Verbo minuendum, quippe quod sit naturæ immutabilis & perfectissimæ. Idem propugnat Athanasius orat. 2. contra Arianos, aiens, summam esse impietatem credere Verbum mutabile, cum sit sicut ipse Pater inalterabile. Denique Concilium Toletanum undecimum totum explicat mysterium his vocibus: " Non „ enim eumdem Filium Dei pro eo quod „ de Patre genitus, defectæ naturæ por„ tiunculam nominamus, sed perfectum „ Patrem, perfectum Filium sine defe„ ctione, sine diminutione genuisse asse„ rimus, quia solius divinitatis est inæ„ qualem Filium non habere. „

Ad Tertullianum distinguo: Vocat Verbum ille Doctor portionem adæquatam & totam de substantia Patris ut legenti patebit, concedo: portionem inadæquatam, nego.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Verbum est per omnia Patri coæquale.

PRIMO: Verbum dicitur ad Philipp. 2. Patri absque rapina simile.

Secundo: Sanctus Athanasius in suo Symbolo hanc adæquatam Verbi divini cum Patre similitudinem fuse explicat cum ait: *Immensus Pater, immensus Filius ... Omnipotens Pater, omnipotens Filius* ... Et iterum de Christo ait: *Æqualis Patri secundum divinitatem*. Subscribit Concilium Antiochenum primum &c.

Tertio: Augustinus clarissime eandem propugnat veritatem his verbis lib. 3. contra Maximinum cap. 3. *Nihil Patre minus habet ille qui dicis omnia quæ habet Pater mea sunt. Æqualis est igitur*. Ratio tantæ veritatis multiplex est, namque & nomina, & operationes Dei tum a Scriptura sacra, tum a Patribus de Verbo prædicantur.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Verum quidem est Filium Dei quandoque dici etiam in Scripturis sacris Patre minorem, sed his & similibus terminis indicatur Filium Dei incarnatum tantum, & ut hominem esse Patre minorem, non vero secundum se, & in abstracto spectatum.

Secundo: Parum adjuvat Arianorum partes minister Jurius, cum ait Patres trium primorum sæculorum subobscure de Verbi divinitate fuisse locutos, contrarium enim ex supradictis manifeste apparet; licet enim durioribus terminis pro hoc momento quandoque usi sint Patres, ut in homiliis ad populum, cui revelare mysteria non erat necesse, in cæteris operibus, maxime apologeticis clarissime Verbi divini cum Patre æqualitatem propugnarunt.

Tertio: Non negamus Verbum esse lumen de lumine: Sed intellige lumen adæquatum, & in simili cum Patre natura fundatum.



DISSERTATIO QUINTA

D E

PERSONA SPIRITUS SANCTI EJUSQUE NATURA.



MACEDONIANI eadem dixerunt de Spiritu sancto blasphemantes, quæ Ariani de Verbo, nempe esse creaturam. Quidam referente divo Thoma 4. contra gentes cap. 18. asserunt non esse personam subsistentem, sed vel ipsam divinitatem patris & Filii, ut nonnulli Macedoniani dixisse perhibentur, vel etiam aliquam accidentalem perfectionem mentis a Deo nobis donatam, puta sapientiam, charitatem, vel aliquid eorum quæ participamus sicut quædam accidentia creata. Sociniani dicunt esse meram Dei energiam seu efficaciam: Sed contra omnes quod dicitur 1. Joan. 5. v. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.*

Dogma divinitatis Spiritus sancti quatuor probatur argumentis.

1. Quia est persona per se subsistens.

2. Quia est persona consubstantialis patri & Filio.

3. Quia ita definivit Concilium Constantinopolitanum primum.

4. Quia Florentinum de eodem ait, qui a patre Filioque procedit, addendo Symbolo Nicæno pro Spiritu sancto: *Qui cum Patre, & Filio simul adoratur & conglorificatur:*

Opera-pretium est ante omnia hic texere historiam hæresis adversus Spiritum sanctum.

Historia critica hæresis Macedonianæ.

Ortus.

MACEDONIUS variis superbiæ stimulis actus, suis molitionibus, patrocinante Constantio Ariano, invasit Sedem Constantinopolitanam, ejecto ab ea Paulo admodum Catholico. Quinimmo Pauli fautores non modicis lacessivit incommodis: ac primum ab Ecclesiis exturbavit, tum vi, & violentia ad suam multos promovebat communionem: horrendum dictu, plurimi verberibus graviter cæsi, eo ipso auctore, perierunt. Quosdam fortunis, quosdam vero urbe privavit: quosdam etiam in fronte inussit, ut refert Sozomenus lib. 3. cap. 6.

Verum paulo post luit pœnas & perfidiæ & malitiæ. Namque Semiarianis Verbum per omnia patri simile esse primum concedens, graves habuit in Concilio Seleuciæ cum Acacio, aliisque Arianis, videlicet Anomæis congressus: hinc factum est ut Acaciani apud Constantium Imperatorem, illum tanquam seditiosum detulerint; quocirca eo in exilium pulso, in eius suffectus est locum Eudoxius inter Anomæos celeberrimus: quia vero abyssus abyssum invocat, Macedonius ut suum in mundo celebraret nomen, novam condidit hæresim, asserens Spiritum sanctum esse & patris, & Filii creaturam, atque ministrum: hinc qui ipsi adhæserunt a Græcis Pneumatomachi dicti sunt, id-est Spiritus sancti impugnatores. Hæc nefanda hæresis orta est anno Christi circiter 360. juxta Epiphanium hæresi 74. & Theodoretum lib. 2. hæret. fab. cap. 5.

Progressus.

POSTEA veluti cancer serpsit in mundum illa hæresis. Et vero magna populi multitudo, tum Constantinopoli, tum in Bithynia, Thracia, & Hellesponto, tum etiam in aliis regionibus illi obediebat, ut

ut scribit Sozomenus lib. 4. cap: 26. simulata quippe Macedonii devotio, ejusdem non indiserta oratio, indoles ad persuadendum apta multos in suas trahebant partes. Inter cæteros eminebat Marathonius qui cum quæstor publicus esset, militum præfectis inservientium multas collegit divitias; & ut primum militiam deseruit, ad pauperes cura & studio sublevandos totum se contulit: postea vero suasu Eustathii Sebasteni Episcopi monasticam amplexus est vitam, & conventum Monachorum Constantinopoli coegit. Hæresim demum partim studio, partim pecunia adeo auxit Marathonius, ut Macedoniani, teste Sozomeno, a multis Marathoniani vocarentur.

Interitus seu proscriptio.

HÆC hæresis proscripta primum in Synodo Alexandrina post reditum sancti Athanasii celebrata anno 362. deinde Illyrici anno Christi 367. ut constat ex epistola Synodica ad Orientales, in qua Patres profitentur: " Sanctam Trinitatem consubstantialem esse, & Deum Patrem cum Filio & Spiritu sancto sanctificari & glorificari: & Patrem in Filio existere, & Filium in Patre, una cum Spiritu sancto in omnem æternitatem. Paulo post, & in Synodo Romana sub Damaso. Patres enim in epistola ad Episcopos Illyrici apud Theodoretum lib. 2. Hist. cap. 22. asserunt: " Spiritum sanctum unam eandemque cum Patre & Filio substantiam habere." Et iterum in alia Synodo Romana sub eodem Damaso. Macedoniani anathemate feriuntur his verbis: " Anathematizamus Macedonianos qui de Arii stirpe venientes, non perfidiam mutaverunt sed nomen." Maxime vero in Synodo Oecumenica secunda sub Damaso anno 381. in Ephesina sub Cælestino anno 431. In Chalcedonensi sub S. Leone an. 451. In Lateranensi sub Innocentio II. anno 1139.

Contra Macedonianos scripsit sanctus Athanasius epistolam ad Serapionem. Didymus Alexandrinus duos libros de Spiritu sancto composuit. Basilius adversus Eunomium librum unum juris publici fecit. Ambrosius tres libros ad GratianumCæsarem de Spiritu sancto adversus impugnantes direxit.

ARTICUS PRIMUS.

Utrum Spiritus sanctus sit persona per se subsistens, & non purum Dei donum?

CERTUM est Spiritum sanctum non esse meram Patris & Filii divinitatem, nec per ipsum illorum designari essentiam, quia, inquit divus Thomas 4. contra gentes cap. 18. Spiritus sanctus procedit a Patre ut habetur Joan. 15. & ibidem 16. accepit a Filio, quod, inquit sanctus Doctor, non potest de divina essentia intelligi, cum essentia a Patre non procedat, nec a Filio accipiat. Tota igitur difficultas est an sit perfectio accidentalis vel substantialis? Pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO.

Spiritus sanctus non est nuda Dei efficacia & accidens, sed persona per se subsistens.

Probatur multipliciter.

Primo, ex Scriptura sacra.

Ex veteri quidem Testamento Gen. 1. habetur: *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Ibidem cap. 7. *Adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.* Et Job. 26. v. 3. *Spiritus ejus ornavit cœlos.* Sed qui fertur super aquas, qui illas imminuit, qui ornat cœlos est persona, non enim dicimus formam accidentalem hæc facere, quandoquidem actiones sunt suppositorum. Igitur Spiritus sanctus est persona per se subsistens.

Ex novo vero Testamento Matth. 3. legitur quod Spiritus sanctus sub columbæ specie descenderit super Christum. Rursus Joan. 15. *Cum venerit Paracletus quem mittam vobis a Patre spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perbibebit de me.* Rursus Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: Sed descendere & loqui convenit solum personæ: Sed qui baptizatur in nomine Spiritus sancti, in nomine personæ baptizatur, cum æqualiter & eodem modo Spiritus sanctus nominetur persona, sicut nominantur Pater & Filius. Ergo &c.

Secun-

Secundo, ex traditione Patrum.

S. ATHANASIUS agmen ducet. Epist. ad Serapionem vet. edit. ait: " Res conditæ ex non existentibus extiterunt, cum habeat principium suæ essentiæ. Ex Deo autem dicitur spiritus, nemo enim, *inquit*, novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in illo: ita quæ sunt Dei, nemo novit, nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritum mundi accipimus, sed spiritum qui ex Deo est. Quæ igitur secundum ista verba, cognatio est Spiritui sancto cum creaturis? cum creaturæ aliquando non erant, Deus autem semper sit, ex quo Spiritus sanctus. " Audis Spiritum Sanctum non esse mere Dei donum creatum & accidens, sed Deum de Deo.

Astipulatur Tertullianus lib. contra Praxeam c. 13. ibi astruit tres esse in Deo personas adversus istum Heterodoxum, adeoque Spiritum sanctum non puram Dei energiam esse, sed personam a Patre & Filio prorsus distinctam, sed Deum; quis autem cordatus dixerit Deum esse ejus donum: " Duos, *inquit*, definimus Patrem, & Filium, & jam tres cum Spiritu sancto secundum rationem œconomiæ, quæ facit numerum D..... Duos tamen Deos, & duos Dominos nunquam ex ore nostro proferimus: non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, & Deus unusquisque. "

Accedit Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 9. " Jam vero de Spiritu sancto, communes nostræ sententiæ cujusmodi sint expendamus .... Spiritus Dei dictus est, spiritus veritatis qui a Patre procedit; spiritus rectus, principalis; spiritus sanctus, quæ postrema propria est illius ac peculiaris appellatio ..... Quapropter & Dominus, ut animum qui putat Deum in loco adorandum, doceat eum incomprehensibilem, & incorporeum esse. " Dic, quæso, nunquid accidens dicitur Dominus, nunquid adoratur & incomprehensibile est? Cap. 12. pari prorsus modo loquitur de Spiritu sancto ut persona, pro Baptismo sanctificando, ac de Patre & Filio. Ergo &c.

S. Gregorius Nanzianzenus non absimili modo de eodem sancto Spiritu loquitur orat. 37. " Si Spiritus, *inquit*, adorandus non est, quomodo me Deum per Baptismum efficit. Si autem adorandus, an non colendus & venerandus? Si porro venerandus; An non Deus? Unum uni cohæret, ac vero aurea quædam & salutaris est hæc catena. "

Tum Ambrosius qui variis rationibus in libris de Spiritu sancto, probat Spiritum sanctum non esse accidens, sed personam divinam. Prima, quia omnis creatura est mutabilis, nusquam vero Spiritus sanctus. Sic loquitur lib. 1. de Spiritu sancto c. 5. vet. edit. " Omnis mutabilis creatura: sed non mutabilis Spiritus sanctus. Neque enim aliquo vitio mutari potest, qui omnium abolet vitia, peccata condonat. " Secunda ex eo quod habeat operationem, & gratiæ bona communia cum Patre & Filio: ibidem cap. 11. 12. & 13. " Una gratia, una charitas, una communicatio est Patris & Filii & Spiritus sancti..... Una operatio est. " Tertia, eaque luculentissima. Est idem nomen. eadem in omnibus majestas cap. 14. " Unum nomen est Patris & Filii & Spiritus sancti. Scriptum est enim: Ite, baptizate gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti... Una divinitas, una majestas est, quia unum nomen. " Quarta sanctus Doctor aperte dicit Spiritum sanctum non creaturam esse, sed creatorem lib. 2. c. 2. 3. 4. & 5. 6. maxime 8. ubi sic loquitur: " Spiritus sanctus qui creavit Dominicæ Incarnationis sacramentum, quod super omnes est creaturas, quomodo potest esse creatura? " Denique lib. 3. cap. 1. ex descensu visibili Spiritus sancti super Christum sumit argumentum quo validissime probat ejus cum Patre & Filio consubstantialitatem, adeoque non esse meram Dei energiam, sed ipsum Deum. Loquens de specie columbæ, ait: Ut per speciem crederet, qui spiritum non videbat? Et per speciem declararet, unius honoris in imperio, unius operationis in mysterio, unius muneris in lavacro, cum Patre & Filio sibi esse consortium. " Non omittenda ista ejusdem sancti Doctoris conclusio. Nam lib. 1. cap. 6. postquam probavit Spiritum Sanctum esse personam divinam eo innixus 1. Joan. 5. octavo versiculo: *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, sanguis, & aqua,*

ait: " Quis igitur audeat dicere discre-
„ tum a Deo Patre & Christo esse Spiritum sanctum, cum per ipsum ad imaginem & similitudinem Dei esse mereamur? „

S. Cyrillus Alex. lib. 14. Thes. c. 5. vet. edit. eodem Joannis versu probat Spiritum sanctum non esse meram Dei energiam, & moraliter tantummodo Deum, sed substantialiter: " Adverte „ rursus, *inquit*, diligenter, quia hic „ etiam veritatis prædicator, Deum verum de Deo vero Spiritum sanctum „ naturaliter esse docet. „

Sanctus Augustinus idem eodem Joannis oraculo probat momentum lib. 3. adversus Maximinum Arianum c. 22. vet. edit. " Si vero ea, quæ his significata sunt „ velimus inquirere, non absurde occurrit ipsa Trinitas, quæ unus solus, „ verus summus Deus est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. „ Audis eodem modo sanctum Doctorem proclamare Spiritum sanctum personam, sicut Patrem & Filium: Ergo &c.

Tertio, ex ulterioribus rationibus Theologicis.

PRIMA sic deducitur. Qui est Pater luminum, qui dividit singulis gratias prout vult, qui diffundit charitatem in cordibus nostris, qui docet omnem veritatem, qui orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, est persona per se subsistens: Atqui hæc omnia facit Spiritus sanctus: Ergo &c. Probatur minor Jacob. 1. dicitur: *Pater luminum*. Act. 1. habetur, *Accipietis virtutem Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem &c.* 1. Cor. 12. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*. Rom. 5. *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*.

Altera hæc est. Forma accidentalis non æquatur Deo: Sed Spiritus sanctus Deo æquatur, juxta illud 1. Joan. 5. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*. Ergo &c.

Tertia. Soli personæ per se subsistenti convenit principaliter agere, distribuere dona ad nutum, dare virtutem hominibus remittendi peccata, & missionem ad gentes ut convertantur ad Deum. Sed hæc & similia munia sancto competunt Spiritui. Et probatur 1. Cor. 12. *Alii per Spiritum datur spiritus sapientiæ . . . distribuens singulis prout vult*. Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Act. 20. *Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus ad quod assumpsi eos . . . & ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt*. Sanctus Thomas lib. 4. contra gentes c. 18. explicans ista verba ait: " Oportet igitur quod Spiritus sanctus sit subsistens persona. „

Solvuntur objectiones.

OBJICIUNT Heterodoxi: Spiritus sanctus 1. Cor. 2. vocatur spiritus Dei, sic enim scriptum est: *Nobis revelavit Deus per Spiritum sanctum ... quæ sunt Dei nemo cognovit, nisi spiritus Dei*. Sed si foret persona, vocaretur semper Spiritus sanctus; non diceretur utique, nobis revelavit Deus per Spiritum sanctum, nam *ly* per Spiritum sanctum significat donum & virtutem aliquam; sic Petrus dicitur sciens per Theologiam: Ergo Spiritus sanctus non est persona.

Respondeo distinguendo: Spiritus sanctus dicitur spiritus Dei, quia procedit a Deo Patre & Filio, concedo: quia est forma accidentalis, nego. Ita divus Thomas 4. contra gentes c. 18. ubi respondens ad argumentum dicit: " Sed quod idem sit „ Spiritus Dei & Spiritus sanctus manifeste ostenditur ex verbis Apostolis dicentis 1. ad Cor. 2. ubi cum præmisisset, nobis revelavit Deus per Spiritum sanctum ad hujus confirmationem „ inducit: Spiritus enim omnia scrutatur, „ etiam profunda Dei; & postea concludit, ita & quæ sunt Dei, nemo novit „ nisi spiritus Dei, ex quo manifeste apparet quod idem sunt Spiritus sanctus „ & Spiritus Dei. „

Instant 4. Reg. 5. spiritus Dei dicitur duplex. 1. ad Thess. 5. dicitur extingui. Act. 2. dicitur effundi super Apostolos. Et Act. 8. dicitur donum Dei: Sed quod multiplicatur & dividitur, quod effunditur & distribuitur, est quid creatum: Igitur Spiritus sanctus est mera Dei energia.

Respondeo distinguendo: & hæc omnia dicuntur de Spiritu sancto causaliter, ac ratione ejus donorum, concedo: formaliter

ter & ratione sui, nego. Quia igitur est causa donorum, & diversimode illa distribuit hominibus, ideo dicitur multiplex & dividi, sed non ratione sui, & hoc ipsum indicat Scriptura 1. Cor. 12. dicens quod Spiritus dividat dona sua singulis prout vult, unde subdit Apostolus: *idem autem Spiritus*, & de facto inducitur ut persona distribuens. Cæterum loca obscura per clariora, ubi apparet tanquam persona loquens, intelligi oportet.

Insistunt. Spiritus sanctus dicitur implere animam, nam Act. 2. habetur quod impleverit Apostolos: Sed persona non infunditur in animam extraneam. Et probatur. Act. 5. habetur: *Anania cur implevit Satanas cor tuum*? Non sensus est quod Satan transfusus sit in animam Ananiæ, sed quod eam malitia repleverit. Igitur a simili non dicendum est personam Spiritus sancti infundi in cordibus nostris, sed Deum per charitatem quæ ejus dicitur spiritus.

Respondeo concessa majore, distinguo minorem, persona creata non infunditur in animam alterius, concedo: quia cum sit limitata, est alteri naturæ incommunicabilis: persona increata & infinita, nego. Igitur Spiritus sanctus utpote Deus est præsens per se in anima justi, & quidem specialiter eam implet, est etiam per dona. Unde nego paritatem. Ita D. Thomas ibidem cap. 18. n. 3. ubi sic respondet ad argumentum: " Cum enim diabolus creatura sit, non implet aliquem participatione sui, neque potest mentem inhabitare sua participatione, vel per suam substantiam. Sed dicitur aliquos implere per effectum suæ malitiæ, unde & Paulus dicit ad quemdam Act. 13. O plene omni dolo, & omni fallacia. Spiritus autem sanctus, cum Deus sit per suam substantiam mentem inhabitat, & sui participatione bonos facit, ipse est enim sua bonitas cum sit Deus; quod de nulla creatura verum esse potest, nec tamen per hoc removetur quin per effectum suæ virtutis Sanctorum impleat mentes. " Addo quod licet Spiritus sanctus sit immediate præsens in anima justi, non est tamen per unionem hypostaticam; non enim hypostatice unitur supplendo subsistentiam creatam, ut in humanitate sancta contingit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Spiritus sanctus non est merum Dei donum.

PRIMO: Scriptura sacra eodem modo loquitur de Spiritu sancto sicut de aliis duabus personis, juxta illud Matthæi: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: Scriptum est quoque Spiritum sanctum in forma columbæ descendisse super Christum, quæ quidem omnia denotant Spiritum sanctum esse personam per se subsistentem.

Secundo: Qui ubi vult spirat, suasque dividit gratias singulis prout vult, non est merum Dei donum, sed ipsius doni auctor est: Atqui ex Scriptura talis est Spiritus sanctus: Ergo &c.

Tertio: Qui est Patri & Filio æqualis, est persona per se subsistens: Atqui talis est Spiritus sanctus, siquidem in ejus nomine sicut in nomine Patris & Filii baptizantur homines: Et hoc ipsum definivit Concilium Constantinopolitanum his verbis: *Qui cum Patre & Filio simul adoratur, &c.*

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Spiritus sanctus quandoque dicitur spiritus Dei, sed non per æqualitatis cum cæteris personis exclusionem, verum potius ut a Patre & Filio procedere demonstretur.

Secundo: Dicitur quoque in Scripturis Spiritum sanctum multiplicem esse, sed hoc intelligitur ratione gratiarum, quas ipse dividit singulis prout vult.

Tertio: Implicat quidem personam creatam, utpote limitatam sese in animam diffundere: Sed non personam infinitam, quæ est ubique præsens, generaliter quidem in toto mundo, specialiter vero in animabus justorum.

AR-

ARTICUS SECUNDUS.

Utrum Spiritus sanctus sit Patri & Filio consubstantialis.

CONCLUSIO.

Spiritus sanctus est Patri & Filio consubstantialis.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura sacra,

Ex veteri Testamento multa habentur quibus hoc fidei dogma liquido probatur. Gen. 1. Deus ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: Quæ quidem verba tres personas Deo consubstantiales indicant; dicit enim S. Irenæus l. 5. cap. 6. " Per manum Patris, id ,, est, per Filium & Spiritum sanctum factum esse hominem secundum similitudinem Dei. ,, Rursus Gen. 1. habetur: *Spiritus Dei ferebatur super aquas*. Quibus verbis Hieronymus, Basilius, Theodoretus, non auram & ventum, sed personam divinam intelligunt.

Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. In quo Basilius lib. de Spiritu sancto c. 16. tria dicit intelligi: Mandantem Dominum, creantem Verbum, & confirmantem Spiritum sanctum. ,,

Isaiæ 6. *Dixit* Dominus exercituum, *vade & dices populo huic*, Dixit Dominus, scilicet, *Audite audientes, & nolite intelligere*, id est, Spiritus sanctus, ut interpretatur sanctus Paulus Doctor Act. 28. his verbis: *Bene Spiritus sanctus locutus est per Isajam Prophetam ad Patres nostros dicens, vade ad populum istum & dic ad eos, aure auditis, & non intelligitis*. Isaiæ 33. *Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt Spiritum ejus*, hebraice, *Spiritum sanctum ejus*.

Denique Joel 2. habetur: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*. Didymus lib. 2. de Spiritu sancto sic interpretatur verba: " Neque enim Deus, *inquit*, cum Angelum mittit aut aliam creaturam, effun-,, dam dicit de Angelo meo, aut Principatu, aut throno, in solis quippe his, quæ ,, ab aliis participantur, hic sermo consentit.

Ex novo Testamento juxta B. Cyrilli Alexandrini interpretationem.

SANCTUS CYRILLUS lib. 14. Thesauri repetit Spiritus sancti divinitatem ex variis novi Testamenti auctoritatibus ad trutinam scholæ ordinatis, sed cum tanta claritate & soliditate hæc facit, ut Angelum e cœlo demissum ad mysterium illud ineffabile explanandum facile crederes. Ejus ordinem sequi non injucundum erit.

Primo, ex Evangelio secundum Matthæum et Joannem.

SANCTUS MATTHÆUS c. 12. ait Christum ejicere dæmonia in spiritu Dei: Ex quo infert S. Cyrillus ibidem c. 6. Spiritum sanctum esse Deum, quandoquidem ad solum spectat Deum patrare miracula, & dominari inferis. Joannes vero cap. 1. ait Spiritum sanctum regenerare hominem, & dare potestatem Filios Dei fieri, similiter & omnem edocere veritatem, quod utique soli competit Deo. Nunc audiamus S. Cyrillum qui his duobus momentis absolvit exquisitas, quas affert pro divinitate Christi probationes, ait: " Si autem in Spiritu Dei ,, ejicio dæmonia, ergo ad vos pervenit ,, regnum Dei. Si per operationes Spiritus sancti Filius Dei & Deus ipse dæ-,, monia ejiciens glorificatur: Si creatura, ,, ut isti aiunt, Spiritus sanctus est, erit ,, potestas Dei, hoc est, Filii Dei in ,, creatura: quæ major quam ipse Deus ,, erit, aut certe æqualis, si quidem Deus ,, & Dei Filius in ea glorificatur. Quare ,, si hoc impium, vel cogitare solummodo ,, est, non erit certe Spiritus sanctus creatura, in quo Deus Pater per Filium uni-,, versa operatur atque glorificatur. Ad hęc, ,, quotquot autem receperunt eum, Evan-,, gelista Joannes ait, dedit eos potestatem ,, filios Dei fieri: qui non ex sanguinibus, ,, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, Spi-,, ritus sanctus est qui per fidem Christi ad ,, salutem nos regenerat, & hujus rei gra-,, tia Filii Dei efficimur. Quomodo igi-,, tur Spiritus sanctus non erit Deus, per ,, quem nos dii per gratiam efficimur, ab ,, ipso regenerati. Quod autem de Spiritu ,, san-

„ sancto fideles renascuntur, ipse Salvator testatur dicens ad Nicodemum: „ Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, & „ quo vadat: sic est, inquit, omnis qui „ natus est ex Spiritu. „

Rursus pergit: " Alio loco Dominus „ apud Joannem. Quando autem veniet „ Paracletus quem ego mittam vobis a „ Patre, Spiritus veritatis qui ex Patre „ procedit, ille testimonium perhibebit „ de me. A Deo Patre Spiritus sanctus „ procedit, quasi fructus aut odor essentiæ ipsius. Est autem Deus Pater increatus: Quomodo igitur Spiritus sanctus, qui a Deo profunditur creatus „ erit? Aut quomodo fideles suscepto „ Spiritu sancto, Dei templa efficiuntur? „ Si ipse Spiritus sanctus, ut isti temere „ contendunt, Deus non est. „

Ex Epistola ad Romanos,

PROBAT S. Cyrillus lib. 14. Thes. Cant. 1. Spiritus Sancti divinitatem ex eo quod ejus virtute Christus mortis vincula confregerit: " Ad Romanos Paulus de Salvatore nostro, prædestinato, „ ait, Filio Dei in virtute, per Spiritum sanctificationis ex resurrectione de „ mortuis Jesu Christi Domini nostri. „ Sit ergo, quoniam ex mortuis Christus resurrexit, & vivificativa Spiritus „ sancti virtute vincula mortis solvit, „ idcirco Filius Dei verus cognoscitur: „ non erit profecto creatura ille per „ quem divina hæc virtus ostenditur, „ hoc est Spiritus sanctus. Nam si creatura esset Spiritus sanctus, per quem „ resurrectio Christi facta est, videretur „ Filius Dei creaturæ auxilio indigere, „ & non potius Spiritu sancto, tanquam „ sua usus virtute. „

Ex Epistola prima ad Corinthios.

Eo loci Apostolus cap. 1. vocat Spiritum sanctum virtutem Dei, ex quo B. Cyrillus ibidem, cap. 2. concludit esse Deum his verbis: " Non indigere prædicationem Evangelicam vi orationis „ & eloquentia Paulus docens, dicit ad „ Corinthios: & ego in infirmitate & „ timore tremoreque multo fui apud vos: „ & sermo meus & prædicatio mea non „ fuit in persuasione sapientiæ humanæ, „ sed in demonstratione Spiritus, & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Vide quomodo demonstrationem Spiritus, „ hoc est, operationem ipsius Spiritus „ sancti, virtutem ait esse Dei. Ex ipso „ enim & in ipso naturaliter Spiritus sanctus est, quo universa perficiuntur, „ quomodo ergo erit creatura, si Deus „ in ipso naturaliter, quantum nobis possibile est, & quasi in specie & ænigmate cognoscitur. „

Ex Epistola secunda ad Corinthios c. 9.

EADEM Spiritus sancti divinitas astruitur a S. Cyrillo ibidem c. 3. ex eo potissimum quod teste Apostolo sit vita per essentiam, quæ quidem dos nonnisi Deo tribuitur: " Resurrectionis mortuorum „ verissimum dogma introducens Paulus: ait: Quod nos qui sumus in tabernaculo hoc, ingemiscimus gravati, „ eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale „ est a vita. Qui autem efecit nos in „ hoc ipsum, Deus est, qui dedit nobis „ arrham Spiritus. Arrham vitæ Spiritum „ sanctum appellat, quia vita naturaliter „ est, Spiritus enim, inquit, vivificat. „ Nihil autem naturaliter vita est, nisi „ solus Deus. Pater enim vita est, & „ Verbum suum similiter: sicut enim „ Pater habet vitam in seipso, sic dedit „ & Filio vitam habere in seipso, & „ rursus. Sicut enim Pater quos vult „ vivificat, sic & Filius quos vult vivificat. „ Si ergo cum Pater & Filius vivificat, „ Spiritus Sanctus etiam vivificat, quomodo non erit consubstantialis Patri „ & Filio Spiritus sanctus, qui similiter vita essentialiter est? „

Ex Epistolis ad Galatas, & ad Ephesios.

NON levius est pro divinitate Spiritus sancti argumentum, quod eruitur ex Dei charactere quem in animabus imprimit Spiritus sanctus: Solus quippe Deus hanc suæ naturæ sigillationem elargitur. Hoc igitur innixus ratiocinio quod in Epistolis ad Galatas & ad Ephesios veluti in primigeniis fontibus haurit S. Cyrillus sic into-

intonat ibidem ex cap. 4. ad Galat. " Filioli quos iterum parturio, quousque Christus formetur in vobis. Christus in nobis per solum Spiritum sanctum formatur, & lineamenta, ut ita dicam, sua per Spiritum sanctum in nobis imprimit, ad deitatisque pulchritudinem naturam nostram per Spiritum sanctum renovat. Deus ergo Spiritus sanctus est, sicut & ille qui formatur in nobis per ipsum. Non ergo ad extra productus Spiritus sanctus est, sed ipsius substantiæ Filii proprius. "

Rursus ibidem, ait: " Idem Paulus de Salvatore nostro Jesu Christo verba faciens ad Ephes. 1. scribit: in quo & vos cum audieritis Verbum veritatis, Evangelium salutis vestræ, in quo etiam credentes signati estis Spiritu repromissionis sancto, qui est arrha hæreditatis nostræ, si Spiritu sancto, signati ad eum reformamur: Quomodo erit creatura Spiritus sanctus per quem essentiæ divinæ caracter nobis imprimitur, quo suscepto, ipsius increatæ naturæ signa in nobis imprimuntur? "

Ex Epistolis Sanctorum Jacobi, Petri & Joannis.

OMNIBUS numeris absolutas rationes ad divinitatem Spiritus sancti astruendam contra negantes pergit efformare S. Cyrillus ibidem cap. 5. ubi ex D. Jacobo Patrem luminum illum appellante, ex D. Petro qui eundem munerum largitorem nuncupat: Demum ex S. Joanne qui Christum venisse redempturum homines per aquam, sanguinem, maxime Spiritum sanctum testatur, irrefragabilia pro hoc momento deducit argumenta.

Primum ex capite primo Epistolæ B. Jacobi procedit: " Nolite fratres mei dilecti errare, Jacobus, inquit, omne datum optimum, & omne donum perfectum desuper est, descendens ex Patre luminum. Adverte diligenter quod ex Patre luminum varia divinarum gratiarum dimittitur copia, quas omnes gratias Paulus per Spiritum sanctum dari asserit. Spiritus enim sanctus, ait, dividit eas unicuique sicut vult. Quomodo igitur Spiritus sanctus non erit Deus de Deo qui omnia operatur quæ Deo conveniunt, & dividit summa cum potestate sicuti vult? Non est igitur creatura, sicut impie contendunt hæretici. "

Alterum simile huic profert argumentum ex prima Petri c. 4. & pergit: " Unusquisque sicut accepit gratiam, in vos ipsos administrantes sicut boni administratores variæ gratiæ Dei. Adverte rursus hoc diligenter, qui cum Spiritus sanctus divinas gratias summa cum potestate sicut vult, singulis Sanctorum distribuat: a Deo hujusmodi gratiarum variarum distributionem Petrus fieri asserit. Si ergo Petrus Spiritum sanctum esse Deum affirmat: Quomodo non erit impium simul & stultum creaturis ipsum connumerare, & sanctorum Apostolorum Doctrinæ atque prædicationi repugnare? "

Tertium ex epistola prima B. Joannis c. 1. deducit S. Cyrillus & ibidem sic loquitur: " Joannes in eadem Epistola ait: quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quia Jesus est Filius Dei? Hic venit per aquam & sanguinem, & Spiritum Jesus Christus: non in aqua solum, sed in spiritu & sanguine: & Spiritus est qui testimonium perhibet. Spiritus enim veritas est: quia tres sunt qui testimonium perhibent, Spiritus & aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est. Adverte rursus diligenter, quia sic etiam veritatis prædicator, Deum verum de Deo vero Spiritum sanctum naturaliter esse docet. Nam cum dixisset Spiritus est qui testimonium perhibet, post pauca statim addidit, quod testimonium Dei majus est. Quomodo igitur creatura erit Spiritus sanctus qui non aliter quam Pater Deus ab Apostolis appellatur? "

Secundo, probatur divinitas Spiritus sancti, ex Conciliis & Symbolis.

CONCILIUM Constantinopolitanum primum ea solum de causa congregatum est, ut Macedonii errorem circa hoc momentum occluderet, hinc unanimi omnium Patrum consensu definitum est Spiritum sanctum esse Deum, Patri & Filio consubstantialem, ut legitur in epist. Synodica ad Episcopos Occidentales his verbis: " Ista

" Ista fides, tum a nobis, tum a vobis, „ tum ab omnibus qui Verbum veræ fi- „ dei non pervertunt, approbari debet, „ quippe cum & antiquissima sit, & la- „ vacro baptismatis consentanea, & nos „ doceat credere, in nomine Patris, & „ Filii, & Spiritus sancti, æqualem di- „ gnitatem & coæternum regnum, in „ tribus perfectissimis hypostasibus, sive „ in tribus perfectis personis. „ Post refutat Arianorum & Macedoniorum hæresim: " quæ quidem, *inquit*, essentiam, „ naturam sive divinitatem discindit, & „ Trinitati quæ increata & consubstan- „ tialis & coæterna est, naturam poste- „ rius genitam, aut creatam, aut quæ „ sit alterius essentiæ inducit &c. „ Concilium Romanum in epist. in Synodica S. Damasi anno 382. data ad Paulinum. Antiochenum, & quæ refertur a Theodoreto lib. 5. Hist. Ecclesiaſ. cap. 11. sic confodit Pneumatomachos: " Anathema- „ tizamus Macedonianos, qui de Arii „ stirpe venientes, non perfidiam muta- „ vere sed nomen .... Si quis non di- „ xerit semper Patrem, semper Filium, „ semper Spiritum sanctum fuisse & es- „ se; Anathema sit.

„ *Si* quis non dixerit Spiritum sanctum „ de Patre esse vere, ac proprie sicut „ Filius de divina substantia, & Deum „ verum; Anathema sit.

„ *Si* quis non dixerit omnia posse Spi- „ ritum sanctum, omnia nosse & ubique „ esse, sicut Filium & Patrem; Anathe- „ ma sit.

„ *Si* quis dixerit Spiritum sanctum „ facturum esse, aut per Filium factum; „ Anathema sit.

Symbola concinunt Conciliis: Apostolicum dicit, *Credo in Spiritum sanctum*, Porro fides respicit divinitatem, loquitur autem de eadem fide quæ habetur de Patre & Filio & Spiritu sancto, quorum mentionem fecerat: Nicænum addit de isto, *qui locutus est per prophetas*, ex dictis autem patet Spiritum Deum locutum fuisse Apostolis. Constantinopolitanum addit Nicæno: " Dominum & vivifi- „ cantem ... Qui cum Patre & Filio „ simul adoratur & conglorificatur. „ Athanasius in suo dicit: " Deus Filius, „ Deus Spiritus sanctus. „ Ergo &c.

Tertio, probatur ex traditione Patrum divinitas Spiritus sancti.

PRIMUS nobis occurit Justinus Martyr Apolog. 2. ait: " Filium & Spiritum „ sanctum, una cum Patre colimus & „ adoramus. „

Secundus est Athenagoras: in legat. pro Christianis: " Quis non miretur cum au- „ dit nos qui Deum Patrem prædicamus, „ & Deum Filium & Spiritum sanctum, „ Atheos vocari. „

Tertius, Theophilus, Antiochenus qui lib. 2. ad Autholicum docet sanctissimam Trinitatem constare ex Patre, & Verbo, & Sapientia seu Spiritu sancto Patri coæternis.

Quartus, Irenæus lib. 4. cap. 14. bis Spiritum sanctum distinguit a Patre & Filio ut personam. Et lib. 5. cap. 12. distinguit Spiritum sanctum ab afflatu quo Adam factus est in animam viventem: " Afflatus, *inquit*, temporalis, Spiritus „ autem sempiternus. „

Quintus, Clemens Alex. lib. 1. Pedag. cap. 15. Spiritum sanctum Deum esse, cum Patre & Filio ubique docet.

Sextus, Dionysius Alex. in responſ. ad prop. Pauli Samozateni dicit: " Non „ impune feretis, qui adversus benignum „ Spiritum sanctum blasphematus est: „ Spiritus autem est Deus. „

Septimus, Tertullianus: lib. adversus Praxeam cap. 13. duos tamen Deos, *ait*, „ & duos Dominos nunquam ex ore no- „ stro proferimus: Non quasi, non & „ Pater Deus, & Filius Deus, & Spi- „ ritus sanctus Deus, & Deus unusquis- „ que. „

Octavus, Athanasius epist. ad Serap. p. 367. v. edit. sic habet: " Qui Filium a „ Patre dividit, aut Spiritum ad creatu- „ rarum conditionem detrahit, neque Fi- „ lium habet, neque Patrem, sed A- „ theus est & infideli deterior. „

Nonus, Hyppolitus Martyr: Scripsit librum de Deo una & trino Patre & Filio & Spiritu sancto, ubi omnium personarum validissimis argumentis probat divinitatem.

Decimus, Cyprianus: epist. 78. ad Jubaianum, tres personas distinguit, Patrem scilicet Christum & Spiritum sanctum quare inquit: " Una quæque est Deus. „

Unde-

Undecimus, Gregorius Thaumaturgus qui in confessione fidei eodem modo loquitur de SS. Trinitate, sic & Nazianzenus Carm. 3. Arcan. pag. 164. " Si non " esset, *inquit*, Deus Spiritus sanctus sicut blasphemat hæreticus, nunquam " in Baptismo ubi salus humani generis " agitur, Patri & Filio copularetur. " Et orat. 13. pag. 211. dicit esse æqualem Patri & Filio.

Duodecimus, Paschasius Diaconus lib. 1. de Spiritu sancto cap. 12. hæc profert: " Non dixit qui a Patre creatus est, sed " a Patre procedit, idest, de paternæ " societate potentiæ, & de proprietate " naturæ. " Et paulo post: " Quia ergo Spiritus sanctus a Patre procedit, " tria in eo privilegia deitatis ostendit, " idest, ut in persona sua subsistere, & " sine ullo temporis spatio permanere, " & omnino ex substantia Patris probetur existere.

Decimus tertius, Augustinus Tract. 6. in Joan. de Spiritu sancto, ait: " Ille " unus Deus, quia non in nominibus Patris " & Filii & Spiritus sancti, sed in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, " ubi unum nomen audis, unus est " Deus.

Denique Theodoretus lib. 5. contra hæreses, cap. de Spiritu sancto: " Si creatam, *inquit*, naturam haberet Filius, " aut sanctissimus Spiritus sanctus, non " utique cum Creatore numeraretur. " Idem docent alii Patres & omnes Theologi, imprimis D. Thomas ex professo 4. contra gent. cap. 19. Petavius lib. 2. de Trin. a cap. 13. usque ad 16. inclusive innumera eaque exquisita Patrum tum Græcorum, tum Latinorum pro eo momento profert testimonia.

Quarto, ex rationibus B. Cyrilli Alexandrini, ex libro decimo tertio Thesauri depromptis.

PRIMA: ille est Deus verus, qui ex substantia Patris & Filii emanat, quique per Filium creaturis donatur: Atqui res sic se habet: sic propugnat S. Cyrillus lib. 13. cap. 1. v. edit. respondens ad hanc hæreticorum objectionem.: " Si " quoniam Spiritus ex Deo a Scripturis " dicitur, idcirco consubstantialis Patri " est, erunt omnia consubstantialia Patri. " Omnia enim ex Deo esse scribuntur. " *Ait*. " Dicimus igitur quod non similiter Spiritus sanctus, & cætera omnia " dicuntur ex Deo esse. Nam Spiritus " quidem sanctus in ipso Deo essentialiter est, & inseparabiliter ex eo prodit: " Creaturæ vero ex Deo Patre per Filium in Spiritu sancto ad extra productæ sunt... Disce rursum ex Paulo rectas " de Spiritu sancto sententias: hinc enim " habes ex Salvatoris substantia Spiritum " sanctum esse, nec alienum ab unius " deitatis essentia. Nam cum Spiritum " Dei vocaverit, statim & Spiritum Christi appellavit: Ut ostenderet omnia " quæ Patris sunt, in Filium suum dum ex " eo nascitur, naturaliter pertransire. "

Altera ratio hæc est. Qui est de substantia Filii, & eandem cum eo operationem habet, est Deus: Atqui ex S. Cyrillo Spiritus sanctus est ejusdem naturæ cum Filio, eandemque cum eo operationem habet: Ergo &c. Sic loquitur cap. 2. ibidem ille Pater: " Quoniam igitur unus " est Dominus Jesus Christus, ut ipse " Paulus ait: & quoniam Spiritum sanctum Dominum similiter appellat, sicut ex ipso Filio, & in ipso naturaliter existentem. Idem quoque Paulus " scribit: Quis cognovit mentem Domini? Deinde ait: nos autem mentem " Christi habemus. Et intelligit Spiritum sanctum, qui habitat in nobis. Si " ergo mens Christi vocatur, quomodo " erit creatura? .... Si ergo Spiritu sancto " inhabitante in nobis, Deus est qui inhabitat: quomodo Spiritus non erit " Deus? Cum omnia propria quæ Dei " sunt habeat, & a Deo Patre per Filium " creaturis præbeatur. "

Tertia, Ubi est summa & infinita perfectio, ibi dubio-procul est Deus: Sed Spiritus sanctus summam, & infinitam in se complectitur perfectionem: Et probatur ex eodem S. Cyrillo qui ibidem cap. 3. revincit hæreticos negantes Spiritum sanctum esse infinite perfectum, quia quidquid est, habet a Patre & Filio: " Non " injuria mirabitur aliquis tantam esse hæreticorum superbiam, vel amentiam. Quibus enim doceri possunt " Deum esse piritum sanctum & fructum, " ut ita dicam, divinæ essentiæ, quoniam in ipsa est, & ex ipsa inseparabiliter " provenit, & ejusdem substantiæ cum Pa- " tre

„ tre & Filio, & in propria hypostasi, „ illis ipsis magis turbari videntur, sed „ peccatis, ut scribitur, propriis oppres- „ si, rectam discipulorum Christi viam age- „ re non possunt. Non enim hæc Salvator „ de Spiritu sancto dicit, ut imperfectio- „ nem ejus ostendat: sed ut auditores in- „ telligant se non aliud audituros a Spi- „ ritu sancto, quam quod ipse velit. Id „ autem ejusdem substantiæ Spiritum & „ Filium probat. Mens enim Filii Spiri- „ tus est. „

Rursus ibidem pergit & Spiritum sanctum esse Deum probat ex eo quod sit idem essentialiter cum Filio: " In Episto- „ la vero Joannes Evangelista, Spiritus, „ Ecquidnam *inquit*, ipsa veritas est. Quo- „ niam ergo Spiritus sanctus, qui a Patre „ procedit, qui Spiritus veritatis est, & „ ita ut sicut Filius veritas est, sic & ipse „ veritas sit, creatura erit? Impossibile „ certe id est, dictuque stultissimum. „ Deus igitur Spiritus sanctus est, & „ vere veritas, qui ex Patre procedit. „ *Pergit*: " Ad hæc, Joannes Evangeli- „ sta Verbum Dei lucem ait esse veram, „ quæ illuminat omnem hominem ve- „ nientem in hunc mundum. Paulus „ vero ipsum Spiritum sanctum illumina- „ re asserit corda nostra, ad illuminationem „ cognitionis gloriæ Dei in facie Christi. „ Si ergo Dei Verbum lux vera est quæ „ illuminat omnem hominem, illuminet „ autem etiam Spiritus sanctus, necesse est „ ut unum & idem essentialiter Filius & „ Spiritus sint. „

Quarto, sanctitas essentialis nonnisi Deo convenit: Atqui convenit spiritui sancto, non enim per participationem tantum sanctus est, ut perperam propugnant Heterodoxi; ex eo quod a Patre & Filio procedat: sed naturaliter sanctus, quippe qui non præexistit sanctitati, sed sanctitas illi sit coæva, & ab ipsa scriptura vocetur sanctus. His luculentissimis rationibus solvit B. Cyrillus adversantium objectionem. Sic loquitur ibidem cap. 4. " Quidquid per „ participationem sanctitatis receptacu- „ lum est, in propria natura constitutum „ prius intelligitur: ut verbi gratia ho- „ mo, Angelus, aut aliqua alia rationa- „ lis creatura. Dicant ergo nobis isti, qui „ per participationem Dei Patris non na- „ turaliter sanctum esse Spiritum sanctum „ contendunt: Quidnam aliud est ipse „ Spiritus per se? Sed nihil aliud, „ quam sanctum esse a Scripturis didici- „ mus: Non ergo per participationem, „ neque per compositionem sanctus est: sed „ substantia est per seipsam, & naturaliter „ sanctificativa, ex Deo prodiens, sicut „ dulcedo ex melle, aut sicut ex flore „ odor. Ad hæc quod per participationem „ alicui datur auferri etiam ab eo potest. „ Sola enim quæ naturaliter insunt, inse- „ parabilia sunt. Si ergo, quasi accidens, „ Spiritui sancto sanctificatio accessit, po- „ terit secundum ipsos ipse sanctitate „ Spiritus sanctus privari. Quod impium „ omnino est. Non igitur participatione „ sanctitatis sanctus est Spiritus sed quia „ ex Deo naturaliter est. Accedit quod „ scriptura Spiritum Dei, sanctum sem- „ per appellat. Unde ostenditur non acci- „ dens aliquod, sed ipsam essentiam Spi- „ ritus sancti significari. Sanctus enim „ Spiritus dicitur, quia Sanctus essentia- „ liter est. Naturalis enim & viva, & sub- „ sistens Dei operatio est, quæ creaturas „ per suam participationem sanctificando „ perficit. „

Quinto, ex ulterioribus rationibus Theologicis.

PRIMA petitur ex nominibus quæ soli Deo convenire possunt. Unum Dei nomen est *Dominus exercituum*, Isaiæ 6. sed supra ostensum est, vel ipso Novo Testamento interprete hoc convenire Spiritui sancto, juxta illud Luc. 1. *sicut locutus est*, intellige Deus spiritus sanctus, *per os sanctorum* 2. Dicitur Deus veritatis Joan. 14. quia inquit Euthymius, omnes spiritus creati quasi non sunt respectu illius, quia etiam ait Chrys. hom. 76. est oppositus spiritui mendacii. 3. Paracletus, id est, consolator, juxta illud Bernard. serm. 1. Pentecostes: " Ipse postulat pro „ Sanctis, gemitibus inenarrabilibus; & „ hæc quidem in corde nostro .... Ad- „ vocatus noster ad Patrem in cordibus no- „ stris, Dominus noster in corde Patris. „ 4. Virtus altissimi Luc. 1. ait enim D. Thom. 4. contra gentes cap. 20. " Boni- „ tas Dei est ratio volendi, quod alia „ sint ... Igitur Spiritus sanctus est prin- „ cipium creationis rerum & hoc significa- „ tur. „ Psal. 103. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur*. 5. Dexteræ Dei digitus, ita Aug.

Aug. lib. de essentia divinitatis, quia quasi manu nos ducit, per dona ad finem ultimum juxta illud Bern. ferm. 1. Pentecostes: " Monet, & movet & docet, „ monet memoriam, docet rationem, „ movet voluntatem suggerendo, in-„ struendo, afficiendo. „ 6. Unctio, juxta illud 1. Joan. 2. *Unctio ejus docet vos*. Tum quia dulcescit animæ per gratiam, tum quia consolationes affert, hinc Chrys. serm. 1. Pentecostes ait: " Prophetæ il-„ lustrantur, idiotæ sapientia condiun-„ tur: Spiritu sancto reges inunguntur, „ Sacerdotes ordinantur, Doctores decla-„ rantur, Ecclesiæ sanctificantur, altaria „ fundantur. „ 7. Dicitur Spiritus rectus & principalis: Rectus quidem, quia semper nos ad Deum dirigit, principalis vero quatenus est causa omnis bonitatis & fortitudinis.

Unde sic argumentor. Nomina declarant rerum naturam: Sed esse Dominum Deum, esse Paracletum, esse Spiritum sanctum &c. soli Deo convenit. Ergo &c.

Secunda eruitur ex attributis divinis quæ Spiritui sancto conveniunt, & sic procedit. Creare mundum, esse ubique, cognoscere infinita, habere supremam majestatem & potestatem sunt attributa soli Deo propria: Atqui illa omnia Spiritui sancto conveniunt: Igitur est verus Deus; probatur minor: De creatione Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Et Psal. 103. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur*. De immensitate Psal. 13. *Quo ibo a Spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam, si ascendero in cœlum tu illic es*. Et Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. De cognitione Joan. 16. *Docebit vos omnem veritatem*. Et 1. Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*. De omnipotentia Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. De majestate suprema. 1. Cor. 3. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis*. Et cap. 16. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti*? Nullus autem templum habet nisi sit Deus.

Tertia, assumitur ex operibus Deo propriis quæ Spiritui sancto conveniunt. Opera Deo propria alia sunt ordinis naturalis, alia ordinis supernaturalis: Sed omnia conveniunt Spiritui sancto. Ergo &c. Probatur minor. Primum ordinis naturalis opus est creatio rerum, secundum conservatio, tertium ornamentum. Primum quidem Spiritui sancto convenit juxta illud Psal. 103. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur*. Secundum vero per id quod additur, *& renovabis faciem terræ*, & iterum, *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Tertium denique juxta illud Job. 26. *Spiritus ejus ornavit cœlos*.

De supernaturalibus operibus primum obtinet locum Christi conceptio, juxta illud Luc. 1. *Spiritus sanctus superveniet in te*. Secundum, ejusdem unctio & missio, Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me Dominus ad annuntiandum mansuetis misit me*. Tertium, ejusdem sanctificatio, ut habetur Luc. 4. *Jesus autem plenus Spiritu sancto reversus a Jordane*, unde inquit Cerealis contra Maximinum cap. 11. " An non Deus est qui implet „ Deum? „ Quartum, liberatio a peccatis 1. Cor. 6. *Abluti estis in nomine Domini nostri Jesu Christi & in Spiritu Dei nostri*. Quintum, gratiæ collatio Act. 11. *In nationes gratia Spiritus sancti effusa est*. Sextum, iustificatio 1. Cor. 6. *Sanctificati estis, justificati estis in Spiritu Dei nostri*. Septimum, charitatis diffusio Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum qui datus est nobis*. Octavum, adoptio Filiorum Dei, Rom. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei*. Nonum, libertas filiorum Dei. 2. Cor. 3. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*. Decimum, corporum resurrectio. Rom. 8. *Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in nobis ... Vivificabit & mortalia corpora nostra per inhabitantem Spiritum ejus in nobis*. Undecimum patratio miraculorum, Matth. 12. *Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia*. Duodecimum, revelatio Mysteriorum, Daniel. 2. *Est Deus in cœlo revelans mysteria*. Revelatio autem tribuitur Spiritui sancto, ut habetur 1. Cor. 2. *Nobis*, inquit, *Paulus revelavit per Spiritum suum*. Denique vocatio, constitutio & missio Ministrorum Ecclesiæ Act. 13. *Ministrantibus illis Domino, jejunantibus dixit illis Spiritus, segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos*, & alibi *alios dedit Apostolos, alios Doctores*.

Quarta, ex cultu adorationis. Traditio quam attulimus pro cultu Filii, est & pro Spiritu sancto, si quidem dicit tres per-

 sonas

sonas in unitate divinitatis fuisse adoratas, ut ipse testatur Justinus supra relatus, unde hic potius Augustini verbis utemur, qui lib. 3. contra Maximinum Arianum cap. 3. v. edit. ait: " Objicis mihi quod „ dicam Spiritum sanctum æqualem esse „ Filio. Dico plane; da, inquis, testimo- „ nia ubi adoratur Spiritus sanctus? .... „ quasi non ex iis quæ legimus, aliqua „ etiam quæ non legimus, intelliga- „ mus. Sed ne quærere multa com- „ pellar, ubi legisti Patrem Deum „ ingenitum, vel innatum, & tamen „ verum est? .... Si autem re- „ ligionem qua colitur Deus, sicut di- „ gnum est cogitares, multo plus esse „ cerneres, quod habet Spiritus sanctus „ templum, quam si eum legeres adoratum, „ & homines enim, sicut supra docui, „ a sanctis novimus adoratos. Templum „ vero non est factum ab hominibus, ni- „ si aut vero Deo, sicut Salomon fecit, „ aut iis qui pro diis habentur, sicut gen- „ tes quæ ignorant Deum, Spiritus autem „ sanctus quod cum magno honore de Deo „ dictum est, non in manufactis templis „ habitat, sed corpus nostrum templum est „ Spiritus sancti. Ergo &c.

Multi Patres Tractatus speciales scripsere pro divinitate Spiritus sancti contra negantes. Imprimis Basilius qui lib. de Spiritu sancto, cap. 9. probat Spiritum sanctum esse Deum, quia traditio & Scriptura hoc dicunt. Cap. 12. quia in Baptismo sanctificamur per Spiritum sanctum cap. 16. quia omnes Providentiæ dispositiones sunt ab ipso, ut benedictio Patriarcharum, illuminatio Prophetarum, Conceptio Christi in utero Mariæ, fortitudo Martyrum, & alia quæ pius lector poterit legere.

Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto etiam mira dicit & variis rationibus probat Spiritus sancti divinitatem, cap. 11. 12. 13. quia una gratia, una charitas, una communicatio & operatio, & una indivisibilis substantia in tribus personis est, cap. 14. quia una divinitas & majestas. Lib. 2. cap. 2. 3. 4. 5. 6. quia una est virtus in omnibus. Lib. 3. cap. 1. quia Spiritus sanctus descendit in forma columbæ super Christum.

Suffragatur S. Basilius qui lib. de Spiritu sancto ejus probat divinitatem, ex eo quod æqualiter baptizemur in nomine Spiritus sancti, sicut in nomine Patris & Filii &c.

Divus Thomas 4. contra gentes cap. 17. idem probat 22. rationibus ex Scriptura sacra deductis quæ includuntur in relatis supra, hinc unicam hic afferimus quæ num. 22. adjacet: " Si Spiritus sanctus non est Deus, oportet quod sit aliqua creatura, planum est autem quod „ non est creatura corporalis, nec etiam „ spiritualis, nulla enim creatura spiri- „ tali creaturæ infunditur, cum creatura „ non sit participalis; sed magis participans, „ Spiritus autem sanctus infunditur San- „ ctorum mentibus quasi ab eis partici- „ patus. Legitur enim & Christus plenus „ fuisse, & etiam Apostoli. Non est er- „ go Spiritus sanctus creatura, sed Deus, „ si quis autem dicat prædicta opera quæ „ sunt Dei, Spiritui sancto attribui non „ per auctoritatem ut Deo, sed per mini- „ sterium quasi creaturæ, expresse hoc es- „ se falsum apparet ex his quæ Apostolus „ dicit 1. Cor. 12. dicens: divisiones ope- „ rationum sunt: Idem vero Deus, qui „ operatur omnia in omnibus. Et postea „ connumeratis diversis donis Dei subdit: „ Hæc omnia operatur unus atque idem „ Spiritus dividens singulis prout vult. „ Igitur est ille Deus qui operatur omnia.

Totum claudimus ratiocinium mellifluis Fulgentii Verbis qui lib. 3. ad Trasimundum cap. 35. quasi omnia resumendo quæ possunt dici de divinitate Spiritus sancti sic loquitur: „ Dicatur igitur, si cœlo- „ rum virtutem potuit firmare, qui non „ est Deus, si potest vivificare qui non est „ Deus: si potest in baptismatis regene- „ ratione sanctificare qui non est Deus, si „ potest charitatem tribuere qui non est „ Deus, si potest in credentibus habitare „ qui non est Deus, si potest gratiam dare „ qui non est Deus, si potest templum „ membra Christi habere qui non est Deus, „ & digne Spiritus sanctus negabitur „ Deus. „ His accinit perpetuus & universalis Ecclesiæ usus quæ & psalmos, & cantica, & orationes terminat tribuens æqualem gloriam & honorem & cultum Spiritui sancto ac Patri & Filio. Ergo &c.

Sol.

Solvuntur objectiones Heterodoxorum.

OBJICIUNT: Amos 4. juxta Septuaginta habetur, *Ecce formans montes & creans spiritum*. Et Zach. 12. *Dicit Dominus extendens cœlum & fundans terram, & creans spiritum hominis in eo*. Ergo videtur quod Spiritus sanctus sit creatura.

Respondeo negando consequentiam. Locus Amos intelligitur de vento, Zachariæ vero de anima humana, ita D. Tho. 4. contra gentes cap. 23. his verbis: " Sic igitur quod Amos dicit creans spiritum de vento intelligit, ut nostra „ translatio expressius habet: quod etiam „ consonat ei, quod præmittitur, formans „ montes. Quod vero Zacharias de Deo „ dicit, quod est creans, vel fingens spiritum hominis in eo, de anima humana intelligit. „

Instant: Ille est creatura qui nusquam in Scriptura vocatur Deus, qui in plurimis Scripturæ locis tacetur quando sermo fit de Patre & Filio, ut patet Matth. 11. quum Dominus dicit: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius*: Et Joan. 17. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum*. De illo etiam altum est silentium apud veteres Patres, neque enim sanctus Hilarius in 12. de Trinit. libris ipsum Deum nominavit; immo sanctus Basilius nomen Dei suppressit cum de Spiritu sancto locutus est. Ergo &c.

Respondeo ad primum, Spiritum sanctum nominari Deum in Scriptura, in Isaia enim dicitur Dominus, & secundum interpretationem novi Testamenti supra allatam, Deus; tum & 1. Cor. 12. solutio quoque patet ex Augustino in probationibus laudato.

Ad secundum, distinguo: & in aliis Scripturæ locis fit mentio de Spiritu sancto, concedo: Et non fit, nego. Quinimmo quandoque etiam nominatur Spiritus sanctus, non nominato Filio, ut notat D. Tho. ibidem cap. 23. his verbis: " Similiter etiam de Spiritu sancto dicitur 1. Cor. 2. quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei, cum tamen certum „ sit, quod ab hac cognitione divinorum „ neque Pater, neque Filius excludantur. „

Ad tertium, distinguo: Est altum silentium de Spiritu sancto apud veteres quoad nomen, transeat: quoad rem, nego. Nam Hilarius qui objicitur lib. 12. de Trinit. referens ista verba: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, subdit: „ Ut quorum est una divinitas, sit una „ largitio, nomenque Trinitatis, unus, „ est Deus. „ Patet ex dictis S. Basilium ex professo propugnasse Spiritus sancti divinitatem, sed quandoque œconomiæ causa tacuit nomen, ne furentes Arianos contra Filium quos impugnabat, veritatem odio majori prosequerentur, & minime converterentur, si præter Filium nominatum Deum, etiam nominaret Deum & Spiritum sanctum. Non abs re erit SS. Hilarii & Basilii hic loca texere.

S. Hilarius lib. 2. de Trin. antiquæ editionis: " De Spiritu sancto nec tacere " oportet, nec loqui de eo necesse est: „ Sed sileri a nobis eorum causa qui nesciunt, non potest. Loqui autem de eo „ non necesse est, quia de Patre & Filio „ auctoribus confitendus est. „ Novæ vero editionis: " Qui Patre & Filio auctoribus confitendus est. „ Rursus lib. 8. " A Filio igitur accipit qui & ab „ eo mittitur, & a Patre procedit. „

S. Basilius lib. 3. de Spiritu sancto contra Eunomium edit. Parisiensis 1518. " Cur enim necesse est si dignitate, ac „ ordine tertius est Spiritus, natura quoque ipsum tertium esse? Dignitate namque ipsum secundum esse a Filio, pietatis sermo fortasse tradit: natura vero tertia uti; nec a divinis scripturis „ docti sumus, nec ex antecedentibus „ possibile est consequenter colligi. „

Cæterum S. Gregorius Naz. orat. 20. excusat Basilium eo quod œconomiæ causa tacuerit nomen Dei pro Spiritu sancto: " Ipsos enim, *inquit*, *intellige Arianos*, nihil ex eo incommodi ac detrimenti accepturos si dictiones paululum „ immutentur, modo aliis verbis idem „ doceatur. „

Non unus aut alter ex sanctis Patribus, sed multi eas præoccupaverunt objectiones & fecerunt satis. Inprimis Gregorius Nazianzenus jam citatus in multis locis, maxime orat. 37. ubi ait non esse necesse omnia fidei dogmata, ex ipsa Heterodoxorum confessione, in Scripturis sacris aperte contineri, tum subdit Spiritus sancti

 divi-

divinitatem obscure quidem in veteri, sed clare in novo Testamento referri: Sic igitur retorquet argumentum adversus negantem: " Undenam tu voces illas „ tuas, *ingenitum et anarchum* accepisti, „ aut nos etiam *immortalis* vocem? Hoc „ nominatim & expresse ostende, ac ea „ vel rejiciamus, quia in Scriptura non „ extant, vel expurgemus. Nonne per„ spicuum est, hæc de iis sumpta esse ex „ quibus colliguntur, tametsi minime di„ cantur.... Vetus Testamentum Patrem „ aperte prædicabat, Filium obscurius: „ novum autem nobis Filium perspicue „ ostendit. „

S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 29. similia respondet: " Si nihil aliud est, „ *inquit*, receptum absque Scripturis, ne „ hoc quidem recipiatur. Sin plurima ar„ cana citra Scripturam a nobis recepta „ sunt, cum aliis pluribus etiam istud ad„ mittamus. Arbitror autem Apostolicum „ esse, etiam non scriptis traditionibus „ inhærere. „

S. Augustinus, non omittendus est qui difficultatem sibi propositam clarissime exponit, & solvit lib. 3. contra Maximinum Arianum cap. 3. " Objicis mihi, „ quod dicamus Spiritum sanctum æqualem „ esse Filio Dei. Dico plane. Da, in„ quis, testimonia ubi adoratur Spiritus „ sanctus... Quales homines estis, quam „ religiosæ humilitatis qui Spiritum san„ ctum adorare non vultis, cum legatis: „ littera occidit, Spiritus autem vivifi„ cat? Non vultis ergo adorare quem vi„ vificare animas non negatis?... Sed da, „ inquis, testimonia ubi adoratur Spiritus „ sanctus quasi non ex iis quæ legimus ali„ qua etiam quę non legimus intelligamus. „ Sed ne quærere multa compellar, tu „ ubi legisti Patrem Deum *ingenitum*, „ *vel innatum*? Et tamen verum est. „ Quod vero aliquoties dixisti, etiam Fi„ lio esse incomparabilem Patrem nec „ legitur, nec verum est. Si autem reli„ gionem qua colitur Deus, sicut dignum „ est cogitares, multo plus esse cerneres „ quod habet Spiritus sanctus templum, „ quam si eum legeres adoratum: Et ho„ mines enim a Sanctis novimus adora„ tos. Templum vero non est factum ab „ hominibus, nisi aut vero Deo sicut Sa„ lomon fecit, aut iis qui pro diis ha„ bentur, sicut gentes quæ ignorant, „ Deum, Spiritus autem sanctus quod cum „ magno honore de Deo dictum est, non „ in manu factis templis habitat, sed cor„ pus nostrum templum est Spiritus sancti, „ & ne corpora nostra contemnas, mem„ bra sunt Christi: Qualis est ergo „ Deus cui templum ædificatur, & a „ Deo, & de membris Dei? „

Instant. Concilium Nicænum primum, immo nec Constantioopolitanum adversus Macedonianos adunatum, non appellant Spiritum sanctum Deum. Vel ipse Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 16. non alium agnoscit Spiritum sanctum Deum quam Christum: " Quis enim, „ *ait*, loquebatur nisi Spiritus creatoris, „ qui est Christus. „ Quid plura? Auctor libri de Trinitate qui inter Tertulliani opera Novatiani numine inscribitur c. 24. asserit Spiritum sanctum Christo minorem esse: " Major ergo Paracleto „ Christus est, quoniam nec Paracletus a „ Christo acciperet. „ His accedit Origenes qui tomo 2. in Joannem pag. 58. & tom. 3. in eumdem pag. 218. dicit Spiritum sanctum Filio inferiorem, hoc ipsum de Origene testatur sanctus Hieronymus epist. 59. ad Avitum. Demum Eusebius Cæsar. lib. 5. contra Marcellum c. 6. ait: " Paracletus autem Spiritus, ne„ que Deus est, neque Filius. „ Ergo &c.

Respondeo hæc omnia non evacuare Spiritus sancti divinitatem, cum eam nedum sacris Scripturis, sed traditione firmatam ostenderimus.

Ad singula facio satis. Concilium Nicænum siluit Spiritus sancti divinitatem eo quod controversia solum de divinitate Verbi moveretur: Siluit & Constantinopolitanum quoad nomen, sed non quoad rem, cum definiat sanctum Spiritum cum Patre & Filio conglorificari, & anathemate percellat Macedonium ejus divinitatem negantem. Hæc autem fuit apud Patres Synodicos œconomia tacere Trinitatis nomen, ut Macedonianos ad meliorem frugem facilius revocarent. Tertullianus lib. contra Praxeam c. 13. expresse Spiritum sanctum nominat Deum: Quia tamen postea non nihil conspersus fuerit erroribus Montani, qui se Paracletum esse jactitabat, potuit ab hoc dogmate deficere. Cæteri quandoque Spiritum sanctum dixerunt Filium Spiritu sancto majorem, sed non alia quam originis majoritate, ex eo

eo quod Spiritus sanctus ab eo procedat. Neque vero demirandum est, Eusebium negasse Spiritus sancti divinitatem, cum eandem a Filio non sine magna impietate sustulerit.

Replicant: Ille est creatura ex Scripturis & patribus, cui multa tribuuntur ex utroque capite quæ soli creaturæ conveniunt: Atqui res sic se habet: Ergo &c. Probatur minor. 1. Ioan. 16. de Spiritu sancto Christus loquens ait: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur*. 2. cap. 14. dicitur mitti 3. Gen. 1. motus illi tribuitur super aquas. 4. Dicitur augeri & dividi: nam Num. 11. dicit Dominus ad Moysen. *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, & auferam de Spiritu tuo, tradamque eis*, & 4. Reg. 2. Elisæus petit duplicem Spiritum Eliæ, intellige sanctum. 5. Tristitia illi tribuitur juxta illud Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum*. 6. Rom. 8. orare dicitur: *Postulat*, inquit Apostolus, *pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Denique dari scribitur Act. 5. dicit enim Petrus quod Deus Spiritum sanctum dederit obedientibus sibi: solum autem id quod creatum est, datur creaturæ, quæ est incapax infiniti: Sed allata omnia personæ divinæ non concordant: ergo &c.

Respondeo in genere ad omnia distinguendo: & hæc debent intelligi secundum distributionem accommodam, nempe ratione effectuum, quos Spiritus Sanctus in anima producit, concedo: Et debent intelligi ad litteram, nego. Scriptura per similitudinem ad creata divina nobis exprimit & explicat, & ideo ipse Christus utebatur parabolis ad explicanda mysteria Dei. Iam ad singula facio satis.

Ad primum & secundum distinguo, non loquitur Spiritus sanctus a semetipso & mittitur, quia procedit a Patre & Filio, concedo: quia est inferior & dependens, nego. Unde Ambrosius c. 12. l. de Spiritu sancto explicans primum locum ait: " Non enim loquetur a se, hoc „ est, non sine mea & Patris communio„ ne. „ secundum vero locum sic explicat D. Thom. 4. contra gentes cap. 23. " „ Et quod hunc effectum in homine faciat „ Spiritus sanctus, est ei a Patre & Filio, „ & propter hoc a Patre & Filio invisi„ biliter dicitur mitti. „

Ad tertium & quartum similiter distinguo: Spiritus sanctus movetur, augetur, & dividitur causaliter, & ratione donorum, concedo: formaliter & in se, nego. Solutio est D. Th. ibidem, motus autem determinatur a termino a quo & ad quem, unde bene dicitur quod, *Spiritus Dei ferebatur super aquas*. Ad alium locum responsio de se patet, præsertim vero cum non Spiritus sanctus, sed Spiritus Moysis & Eliæ fuerit divisus, & datus per participationem aliis. Eadem est solutio ad quintum, tristitia enim solum metaphorice de Spiritu sancto dicitur, & hoc ad exprimendum peccata illi displicere, sic Psal. 105. inquit D. Th. ibid. cap. 23. respondens ad objectionem: " Habetur, iratus „ est furore Dominus in populum suum, „ dicitur enim Deus iratus per similitudi„ nem effectus; punit enim quod & irati „ faciunt, unde ibidem subditur, tradidit „ eos in manus gentium, sic & Spiritus „ sanctus contristari dicitur per similitu„ dinem effectus, deserit enim peccatores, „ sicut contristati deserunt contristantes. „

Ad sextum similiter distinguo, Spiritus sanctus dicitur gemere & orare quia hæc operatur in nobis, concedo, proprie loquendo, nego. Ita Augustinus epistola 121. his verbis: " Dictum est, *inquit*, in„ terpellat pro Sanctis, quia interpellare „ Sanctos facit, sicut dictum est, tentat „ vos Dominus Deus vester, ut sciat si di„ ligatis eum, hoc est, ut scire vos faciat.„ Ergo ne dicitur quod & Pater pro nobis postulet? minime: cum enim Pater non mittatur & sit principium de non principio, non dicitur postulare pro nobis, secus vero Spiritus sanctus.

Ad septimum etiam distinguo, Spiritus sanctus datur ratione donorum, concedo: ratione sui, subdistinguo, quia ad nos mittitur, concedo: quia est quid creaturæ ut nobis inhæreat tanquam aliqua accidentalis perfectio, nego. Cum enim amor, inquit D. Th. ibidem sit principium communicationum Dei ad nos, & tribuatur Spiritui sancto, ideo dicitur dari & mitti ad nos, quippequi ipse largiatur dona, & ipse ut largitor munerum ad nos veniat.

Reponunt: Si Spiritus sanctus est Deus, sequitur quod sit Filius: Absurdum con-

consequens, ergo & Antecedens. Probatur sequela. Ideo secunda persona dicitur Filius quia recipit totam naturam a Patre in processione sua: Sed supposito quod Spiritus sanctus sit Deus, similiter in sua totum quod est Pater & Filius habebit: Ergo &c.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem distinguo majorem: Ideo secunda persona est Filius quia recipit in processione naturam Patris per modum assimilationis, concedo: per modum simplicis unionis & inclinationis, nego. Similiter distinguo minorem, Spiritus sanctus recipit naturam per modum unionis affectivæ & ponderativæ, concedo: Per assimilationem, nego. Ad intellectum pertinet sibi assimilare res, quia de eis format Verbum quod est objecti similitudo & expressio; ad voluntatem vero uniri per pondus & inclinationem. Cum igitur Spiritus sanctus procedat per amorem, recipit naturam divinam a Patre & Filio per modum inclinationis, unionis & amoris, hinc vi processionis dicitur flatus seu Spiritus, minime vero Filius.

Instant: Spiritus sanctus non videtur esse Deus etiam identice: Ergo &c. Probatur subsumptum. Quia unio amoris inter duos est solum affectiva: Igitur Spiritus sanctus vi suæ processionis erit solum Deus per participationem, nempe per amorem, ut cæteri justi.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem distinguo: Spiritus sanctus est Deus per amorem divinum qui est ipse Deus, concedo: Secus, nego. Nullum est in Deo accidens, hinc amor Dei quo se amat est ipse Deus, adeoque & Spiritus sanctus, unde nego paritatem; nam Deus amat creaturas solum propter bonitatem finitam quæ est in eis, hinc amor ille passive consideratus & ut in termino, est solum quid creatum, nempe donum Dei, quod est ipsius effusio; at vero in Spiritu sancto amor Dei etiam passive consideratus, est ipse Deus, quia habet solum Deum pro objecto, & est ipsius Dei de sua bonitate infinitus amor & ineffabilis complacentia, quæ est ipse Deus.

Persistunt: Si amor ille passivus qui dicitur Spiritus sanctus sit Deus, vel est ingenitus, vel genitus: vel a Patre; vel a Filio procedit: Sed nihil potest de his dici: ergo non est Deus. Probatur minor. Non est ingenitus quidem, hoc quippe soli Patri convenit: neque etiam genitus, quia hæc est Filii proprietas; neque etiam a Patre promanat, alias Spiritus sanctus esset Filius, & sic duo forent in Trinitate Filii: neque a solo Filio profluit, sin minus Spiritus sanctus diceretur Patris nepos. Igitur nullo modo.

Respondeo, Spiritum sanctum identice esse ingenitum, id est, increatum, notionaliter vero consideratum, neque esse ingenitum, neque genitum, sed medium, nempe procedentem: Ita S. Athanasius in Symbolo his verbis: *Spiritus sanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Ita Gregorius Naz. orat. 37. qui irridet eos qui ex processionibus divinis inferebant esse in Trinitate, aut plures Filios, aut fratres & nepotes. Hinc concludit: " Spiritus sanctus qui a Patre procedit, qui, quatenus ab illo procedit, creatura non est: quatenus rursus genitus non est, Filius non est: quatenus autem inter ingenitum & genitum medius est, Deus est.,,

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Spiritus sanctus est Patri & Filio consubstantialis.

PRIMO: Hanc veritatem utrumque Testamentum conclamat, vetus quidem quum dicitur Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, & Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Novum vero his Christi verbis, *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti* Matt. 28.

Secundo: Eandem prædicant veritatem Symbola, maxime Constantinopolitanum, & illud quod sancto Athanasio tribuitur: subscribunt Patres, ut Justinus Apologia secunda, Augustinus tract. 6. in Joannem &c.

Tertio: Ratio Theologica suffragatur. Ille est Patri & Filio consubstantialis, qui iisdem & nominibus & proprietatibus cum Patre & Filio donatur: Atqui Spiritus sanctus, tum nominibus, tum attributis divinis simul cum Patre & Filio donatur, ut fusius patet ex probationibus. Ergo &c.

S Y-

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

ET RESOLUTIONUM.

PRIMO. Quum legitur in Scripturis Deum creare Spiritum, hoc manifeste intelligitur, vel de hominis anima, vel etiam de vento.

Secundo: Tametsi Spiritus sanctus quandoque dicatur creari, hoc ratione effectuum, non tamen ratione sui intelligitur: Accipit quidem a Patre & Filio, tum naturam, tum attributa, ab eis etiam procedit, sed mere originative, & nullo modo per dependentiam.

Tertio: Non negamus Spiritum sanctum a Patre recipere naturam, non ideo tamen ejus censendus est Filius, quippequi non per intellectionem & assimilationem, ab ipso procedat, sed potius per infinitum amorem, qui est identice ipse Pater, & ideo Spiritus sanctus Deus est, est enim amor & Patris & Filii subsistens per se.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Spiritus sanctus procedat a Patre & Filio.

POST hæresim Macedonii qui Spiritus sancti divinitatem negavit, novus Græcorum error circa ejus processionem pullulare cœpit. Theodoretus enim scribens contra S. Cyrillum Alex. objicit ei quod Spiritus sanctus non procederet a Filio: " ,, Quia, *inquit*, Scriptura non dicit; li- ,, cet enim dicatur Spiritus Filii, non ,, tamen dicitur ab eo procedere, sed quia ,, per Filium & ejus merita datur Spiri- ,, tus sanctus, ideo dicitur Spiritus Fi- ,, lii. ,, Hunc errorem omnino sopitum post multa sæcula, Græci cum tanta pertinacia renovavere, ut a communione Ecclesiæ Latinæ propter hoc tempore Leonis IX. anno circiter 1052. se separaverint. Alia est inter Theologos Catholicos, controversia utrum scilicet Spiritus sanctus procederet a Filio, si ab ipso non distingueretur realiter? Contra priores sit.

CONCLUSIO PRIMA.

Spiritus sanctus a Patre, & Filio procedit.

PROBATUR 1. Ex Scriptura sacra. Christus Joan. 15. dicit Apostolis quod mittet illis Spiritum sanctum Paracletum qui de suo accipiet. Et ad Galat. 4. Tum & Rom. 8. tertia persona dicitur Spiritus Filii Dei, sed si accipit a Filio, & est ipsius Spiritus, procedit ab illo. Ergo &c. Habetur enim Joannis cap. 14. 26. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.*

Probatur 2. Ex Conciliis. Ex Lateranensi quidem sub Innocentio III. Lugdunensi sub Gregorio X. Florentino sub Eugenio IV. ubi, consentientibus Græcis, res de fide definita est. In isto autem Andreas Doctor Latinus exhibuit codicem vetustissimum Græcum Synodi 7. generalis Act. 7. ubi hæc habentur de Spiritu sancto his verbis: " Qui a Patre, Filioque ,, procedit. ,, Et inter alios articulos ille præcipue de Spiritu sancto probatus & definitus est. Ergo &c.

Probatur 3. Ex Patribus utriusque Ecclesiæ, Græcæ scilicet & Latinæ. Ex Græcis quidem Athanasius orat. 4. contra Arianos nu. 28. vet. edit. sic loquitur: " ,, Quæcumque habet spiritus, habet a ,, Verbo. ,, Et in Symbolo: *Spiritus sanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Concinit S. Basilius l. 2. adversus Eunomium, Gregorius Nyssenus lib. 1. contra eundem; Epiphanius hær. 62. & alii dicentes Spiritum sanctum procedere a Patre & Filio. Quidam ponunt per Filium, quod idem est.

Ex Latinis Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 4. ait: " Filium non aliunde ,, puto quam a Patre per Filium. ,, Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 16. " ,, Spiritus quoque sanctus, *ait*, cum proce- ,, dit a Patre & Filio, non separatur a ,, Patre, non separatur a Filio. ,, Denique Augustinus lib. 17. de Trinit. vet. edit. c. 26. de Christo dicit: " Cum re- ,, surrexisset a mortuis, & apparuisset Di- ,, scipulis suis, insufflavit, & ait, acci- ,, pite Spiritum sanctum, ut etiam de se ,, ostenderet procedere. ,,

Pro-

Probatur 4. ratione. Certum est ex Scriptura & Patribus Spiritum sanctum procedere a Patre & Filio, quod certe non potest dici de dono Dei: Ergo de Spiritu sancto profertur. Probatur minor contra Græcos Schismaticos qui intelligunt de dono: 1. quia Spiritus sanctus est Deus, juxta illud Christi Joan. 17. *Cum venerit Paracletus quem ego mittam &c.* Si mittitur a Filio: Igitur ab ipso procedit; unde Chrysostomus homil. de expos. symb. ait: " Ipse est Spiritus procedens de Pa„ tre & Filio qui dividit dona prout vult. „ 2. Joan. 16. de eodem spiritu sic loquitur Christus: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis: omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis.* Quæ verba exponens Didymus lib. 1. de Spiritu sancto, art: " Hoc est sine me „ & sine meo & Patris arbitrio, quia & „ ex Patre, & ex me est. „ Et vero si mittatur a Filio Spiritus sanctus, profecto ab eo procedit: Si Filius habeat omnia quæcumque sunt in Patre, & Spiritus sanctus ea recipiat a Filio, certe & a Patre procedit: Igitur Spiritus sanctus procedit & a Patre, & Filio.

CONCLUSIO SECUNDA.

Spiritus sanctus procedit a Patre, & Filio, ut ab uno adæquato principio.

Probatur 1. Ex Scriptura. Joan. 16. Christus sic loquitur de Spiritu sancto: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis; omnia quæcumque habet Pater mea sunt.* Ergo cum, quæcumque habet Pater, sint in Filio, sequitur quod Spiritus sanctus procedat ab utroque tanquam ab uno principio.

Probatur 2. Ex Conciliis. Lugdunense capite unico de Trinitate sic ait: " Damnamus & reprobamus omnes qui te„ merario ausu asserere præsumpserint, „ quod Spiritus ex Patre & Filio tanquam „ ex duobus principiis & non tanquam „ ex uno procedit. „ Florentinum utique in formula unionis ait: " Definimus „ Spiritum sanctum ex Patre & Filio tan„ quam ab uno principio & unica spira„ tione procedere. „

Probatur 3. Ex Patribus. S. Basilius lib. 2. contra Eunomium probat ex professo Patrem & Filium esse unicum Spiritus sancti principium. Idem docet Augustinus lib. 5. de Trinitate c. 4. his verbis: " Fatendum est Patrem & Filium „ esse principium Spiritus sancti, non duo „ principia. „ Idem dicit Anselmus opusc. de process. Spiritus sancti c. 9. " Sicut, „ *inquit*, non credimus Spiritum sanctum „ esse de hoc, unde duo sunt Pater & Fi„ lius, sed de hoc in quo unum sunt: ita „ non dicimus duo ejus principia, sed „ unum principium. „ Ergo &c.

Probatur 4. ratione. Qui procedit ab eadem formali virtute quæ est in duobus eadem, procedit ab eis tanquam ab uno principio: Atqui Spiritus sanctus ab eadem formali virtute quæ est eadem in Patre & Filio, nempe a spiratione activa & amore activo, quo Pater & Filius mutuo se amant, promanat: Igitur Spiritus sanctus procedit a Patre & Filio ut ab uno principio.

CONCLUSIO TERTIA.

Si Spiritus sanctus non distingueretur a Filio, ab ipso non procederet.

Probatur ex Patribus. Gregorius Naz. orat. 37. de Spiritu sancto loquens ait: " „ Mutua eorumdem relationis differentia, „ diversa ipsis nomina procernit. „ id est eos distinguit, juxta illud Augustini „ tract. 39. in Joan: " Hoc solo nume„ rum insinuant quæ ad invicem sunt. „ Igitur si Spiritus sanctus relative non distingueretur a Filio, ab ipso non procederet.

Probatur ratione. Processio est origo unius ab alio: Sed ubi non est distinctio, ibi non potest esse processio & exitus unius ab alio, tunc enim sunt idem: Igitur si Spiritus sanctus non distingueretur relative a Filio, ab ipso non procederet, quia essent unum & idem Filius & Spiritus sanctus non solum identice, sed & notionaliter: idem dicendum de Spiritu sancto relative ad Patrem.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES contra primam conclusionem. Concilium Nicænum primum non dicit Spiritum sanctum procedere a Filio. 2. Theodoretus affirmat contrarium sicut &

& Damascenus lib. 1. fidei cap. 7. Item Leo III. Papa. Denique sanctus Thomas hic dicit, quod sit unus spirator: Igitur Spiritus sanctus procedit solum a Patre.

Respondeo negando consequentiam: Et explico auctoritates in contrarium. Ad Concilium Nicænum dico supposuisse illam veritatem, nempe quod Spiritus sanctus procedat a Patre & Filio. Unde posuit solum in Symbolo *Credo... in Spiritum sanctum vivificantem*, orta autem hæresi Macedonii, qui Spiritum sanctum dicebat creaturam, Concilium CP. addidit symbolo, *qui a Patre*: Postea orta hæresi Græcorum, ad explicationem fidei, addidit Ecclesia, qui a Patre Filioque procedit. Solutio est divi Thomæ hic art. 2. ad 2.

Divus Thomas ibidem ad 3. dicit Damascenum secutum fuisse errorem Theodoreti circa hoc momentum: Et ideo utrumque nullius esse ponderis in hoc puncto. Ad Leonem, nego eum negasse processionem Spiritus sancti a Filio, sed improbasse Ritum Ecclesiarum particularium quæ propria auctoritate addiderant Symbolo, *Filioque*: tum quia hæc particula nondum erat in usu, tum quia pertinet solum ad summum Pontificem & Concilium generale addere aliquid Symbolo.

Ad ultimum respondeo distinguendo Antecedens, est unus spirator, sed sunt ex eodem sancto Thoma duo spirantes, concedo: Et unus solum spirans, nego. Spirator inquit sanctus Doctor appellat supra naturam, quæ cum una sit in divinis, non nisi unus spirator admittitur: spirans vero importat personam, & ideo eatenus duo sunt spirantes, quatenus Pater & Filius eodem prorsus amore spirant Spiritum sanctum. Sic loquitur sanctus Thomas hic 1. p. q. 36. art. 4. " Sed vide-
,, tur melius dicendum quod quia spirans
,, adjectivum est, spirator vero substanti-
,, vum, possumus dicere quod Pater &
,, Filius sunt duo spirantes propter plu-
,, ralitatem suppositorum, non autem duo
,, spiratores propter unam spirationem.
,, Nam adjectiva nomina habent nume-
,, rum secundum supposita, substantiva ve-
,, ro a seipsis secundum formam signifi-
,, catam.

Infecbis: Ex hoc sequitur nedum Patrem & Filium, sed & Spiritum sanctum aliquam utique spirare personam: falsum consequens, ergo & antecedens. Probatur sequela: Amor divinus communis est Spiritui sancto: Igitur eadem est illi spirandi ratio ac pro duabus aliis personis.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem distinguo: Amor essentialis communis est tribus personis, concedo: Amor notionalis, nego. Amor duplex distinguitur in sanctissima Trinitate, essentialis & notionalis: prior convenit Deo ut præintelligitur personis, & ratione naturæ. Posterior soli tribuitur personæ, quatenus Pater & Filius sese amando producunt impulsum qui pro termino habet Spiritum sanctum: Porro terminus amoris a principio distinguitur realiter, quippe qui relative opponatur Patri & Filio.

Insistes: Ideo Spiritus sanctus a Filio procedit, quia amor Filii est fœcundus: Sed amor qui Spiritui sancto tribuitur, est utique fœcundus, & tamen non producit personam: pari igitur & consimili ratione nec Filius Spiritum sanctum: sin minus, & Spiritus sanctus aliquam debet producere personam.

Respondeo concessa majore, distinguo minorem: Amor Spiritus sancti est utique fœcundus, sed fœcunditas amoris est exhausta in sui productione, concedo: & non est exhausta, nego: Si amor in Spiritu sancto nihil ad intra producat, non est defectu virtutis, sed possibilitatis.

Persistes: Atqui virtus amoris est exhausta utique in generatione Filii: Ergo nulla solutio: probatur subsumptum. Filius procedit nedum via intellectionis, sed & via amoris: Igitur vis spirandi utique exhausta est in generatione Filii. Probatur antecedens. Filius ex divo Thoma procedit a Patre libere: Igitur & via amoris, adeoque exhauritur vis spirandi activa in generatione Verbi.

Respondeo negando subsumptum. Ad primam probationem nego spirationem activam esse exhaustam in Filio. Ad secundam probationem negamus etiam Filium procedere via amoris: namque formaliter procedit ut Filius, & similis, & consequenter per intellectum cui soli convenit sibi assimilare objecta. Ad ulteriorem probationem distinguo: Filius ex divo Thoma procedit a Patre libere, hoc est, non procedit coacte, concedo: procedit via amoris, nego. Liberum in Deo du-

duplex secernitur, videlicet spontaneum & liberum simpliciter: spontaneum est mera inclinatio in aliquod objectum congruum; alterum est formaliter actus voluntatis quæ unitur objecto prius cognito ut amabili. Priori modo procedit libere Filius a Patre, sed non formali amoris actu.

Replicabis: Filius procedit eodem amore a Patre, sicut Spiritus sanctus: Ergo &c. Probatur antecedens: Amor quo Spiritus sanctus a Patre procedit est amor mere spontaneus, hoc est, necessarius: sed Filius a Patre procedit illo eodem amore, videlicet spontaneo & necessario. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens: Generatio quippe Filii habet quidem amorem comitem, sed non ut formale principium, quod Spiritui sancto soli competit necessario. Ad probationem distinguo: Amor quo Spiritus sanctus a Patre procedit est amor spontaneus per modum actus & ponderis formaliter producti, concedo: per modum inclinationis solum, prout inclinatio coactioni opponitur, nego. Duo sunt consideranda. Primoquidem voluntarium ut est quædam naturæ inclinatio ad quodlibet bonum sibi conveniens; secundo voluntarium ut est actus voluntatis quo tendit in bonum uti suum objectum cui conjungi appetit, qui quidem actus producit pondus in amatum. Priori tantummodo amor & voluntarium in generatione Filii comperitur; posteriori modo convenit soli Spiritui sancto: & sic solus vi amoris formaliter procedit.

Oppones contra secundam conclusionem. Multi Patres dicunt Filium esse proxime a Patre, Spiritum vero sanctum a Patre solum mediate. 2. Hilarius lib. 2. de Trinit. dicit Patrem & Filium esse auctores Spiritus sancti. 3. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 17. & 27. docet Spiritum sanctum principaliter a Patre procedere. Igitur Spiritus sanctus procedit a Patre & Filio ut a duobus principiis. Confirmatur. Ratio adæquata spirandi est in Patre & in Filio: Igitur Spiritus sanctus procedit ab eis, ut a duobus principiis.

Respondeo negando consequentiam. Ad primum, dico Patres sic loqui, quia Pater divinus est primum principium a quo Filius habet esse principium, sed non excludunt quod Spiritus sanctus procedat a Filio, & hoc per eandem virtutem, adeoque a duabus personis ut ab uno principio. Ad secundum distinguo, Spiritus sanctus procedit a Patre mediate, mediatione suppositi, seu per Filium, concedo: mediatione virtutis, nego. Est enim eadem virtus spirativa in utroque. Ad tertium distinguo. Pater & Filius sunt auctores Spiritus sancti adjective & personaliter sumpti, concedo: substantive, nego. Est enim unus spirator. Ad quartum distinguo, etiam Spiritus sanctus procedit principaliter a Patre & primario, primatu originis, concedo: primatu essentiæ & naturæ, nego.

Ad confirmationem distinguo: Virtus spirativa est in Patre adæquate, entitative, concedo: extensive & secundum omnem formalitatem, nego. Est quidem entitative originaliter in Patre, eo quod sit primum amoris principium, sed quia amor Patris communicatur Filio, ideo virtus spirandi etiam dicit Filium, ut completam habeat suam amandi formalitatem: Igitur Spiritus sanctus qui est utriusque amoris terminus procedit a Patre & Filio.

Objicies contra tertiam conclusionem. D. Anselmus l. de proc. Spir. sanct. c. 1. dicit Filium per hoc distingui a Patre quod ab illo nascatur. Sanctus vero spiritus per hoc quod ab illo procedat; sic enim loquitur: " Nam si per illud non essent plures, Filius & Spiritus sanctus per „ hoc solum essent diversi. „ Idem dicit cap. 3. Igitur licet Spiritus sanctus non distingueretur a Filio, ab illo tamen procederet.

Respondeo distinguendo, & Anselmus supponit distinctionem inter Filium & Spiritum sanctum, concedo: Enimvero supponit Spiritum sanctum procedere a Filio: Et non supponit, nego. Præterea potest dici Anselmum ibi argumentari ad hominem, probando Græcis quod licet Spiritus sanctus secundum eorum sententiam non distingueretur a Filio, nihilominus adhuc ab illo procederet.

Instabis: Filius distinguitur a Spiritu sancto, & tamen ab ipso non procedit: Igitur a simili, licet Spiritus sanctus non distingueretur a Filio, ab ipso tamen procederet.

Respondeo negando paritatem, quia processio Filii jam est exhausta dum spirat Spiritum sanctum: unde a Spiritu sancto non potest procedere.

Inst.

Insistes: Filiatio realiter distinguit Filium a Spiritu sancto, & tamen relative illi non opponitur; Igitur distinctio non facit oppositionem relativam, adeoque non est principium processionis Spiritus sancti a Filio.

Respondeo distinguendo: Filiatio non opponitur formaliter Spiritui sancto, concedo: radicaliter, nego. Est enim radix spirationis ad ipsum, adeoque distinctionis in qua fundatur origo.

Dices: Si Spiritus sanctus procederet immediate a Patre adhuc tamen distingueretur ab illo, nec tamen illi opponeretur relative: Igitur licet Spiritus sanctus procederet immediate a Filio, tamen ab illo distingueretur formaliter.

Respondeo hypothesim esse impossibilem, neque enim Spiritus sanctus procedere potest a Patre nisi per Filium, qui est cognitio & expressio ipsius Patris, nihil enim amatum quin præcognitum. Et certe si non esset distinctio inter Filium & Spiritum sanctum, non salvaretur ratio originis.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Spiritus sanctus a Patre & Filio tanquam ab uno principio procedit, hinc & ab utroque notionaliter distinguitur.

PRIMUM patet, videlicet Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere, namque Christus Joan. c. 15. promittit suis Apostolis Spiritum qui ab illo accipiet, & c. 14. idem spiritus dicitur mitti in nomine Patris: Igitur & a Patre & a Filio procedit: Tum quia est pondus & amor Patris in Filium.

Secundum non minus claret, nempe Spiritum sanctum a Patre & Filio tanquam ab uno principio procedere, juxta illud Joan. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis; omnia quæcumque habet Pater mea sunt.* Ratio est, quia procedit per amorem, qui quidem amor est communis & Patri, & Filio.

Tertium etiam patet, nimirum Spiritum sanctum a Patre & Filio eatenus distingui, quatenus ab utroque procedit. Ratio est, quia ubi est processio, ibi est exitus & distinctio: Igitur Spiritus sanctus a Patre & Filio distinguitur, quatenus ab eis procedit, sub illo quippe respectu eis relative opponitur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametsi Concilium Nicænum silcat processionem Spiritus sancti a Patre & Filio, eam tamen non negat, sed potius supponit illam. Theodoretus non audiendus est pro hoc momento, neque Damascenus qui ejus in hoc videtur sequi errorem: Verum est quod ait D. Thomas, unum esse spiratorem, sed ibidem subdit, esse duos spirantes, quod sufficit ad denotandum personas a quibus procedit Spiritus sanctus.

Secundo: Ultro fatemur Spiritum sanctum procedere proxime a Patre, hoc est, ab eo ut a primo principio, sed & procedit etiam a Filio, & hoc per eandem amoris virtutem.

Tertio: Quamvis Filius non procedat a Spiritu sancto, ab eo tamen distinguitur; si quidem in priori rationis generatio intelligitur completa: sed si Spiritus sanctus a Filio non procederet, ab eo notionaliter non distingueretur. Tum quia Spiritus sanctus non concipitur donec a Filio & Patre spiretur; tum quia etiam Filius seclusa processione, Spiritui sancto relative non opponeretur.

ARTICULUS QUARTUS.

De particula Filioque *addita Symbolo.*

GRÆCI recentiores propugnarunt istam particulam, *Qui a Patre, Filioque procedit*, non debuisse Symbolo addi, quippe qui contenderent Spiritum sanctum a Filio non procedere: quocirca duo potissimum hic enucleanda veniunt: alterum de errore Græcorum circa Spiritus sancti a Filio processionem: alterum de particula, *Qui a Patre, Filioque procedit*, addita Symbolo. Unde sit

SECTIO PRIMA.

Historia critica erroris Græcorum circa Spiritum sanctum.

Ortus.

PRIMA controversia circa processionem Spiritus sancti incepit ab Eunomio Ariano qui illum dicebat creaturam a Patre in tempore factam. Sic refert sanctus Basilius lib. contra istum Heterodoxum. Altera apparuit anno 430. occasione unius Anathematismi a sancto Cyrillo adversus Nestorium vibrati, in quo quidem dicit illum non esse Catholicum qui Spiritum sanctum alienum a Filio assereret. Theodorus Nestorii amicus respondit hoc ipsum esse verum in eo sensu quod Spiritus sanctus sit Filio consubstantialis, e contra vero esse blasphemiam in eo sensu quod Spiritus sanctus procederet a Filio; quocirca creditur primus auctor talis erroris. Hoc ipsum scribit Bellarminus, hoc Petavius lib. 7. de Trin. c. 1.

Progressus.

TERTIA controversia contigit anno 640. quo quidem tempore insurrexere Græci adversus Latinos, eo quod isti propugnarent Spiritum sanctum a Filio procedere. Ducem habebant S. Maximum insignem Martyrem. Ita Petavius lib. 7. de Trin. cap. 2. num. 2.

Quarta acrius exarsit octavo sæculo propter quod varia congregata sunt Concilia, tum in Italia, tum in Germania, tum etiam in Gallia, sub Pipino & Carolo Magno, ut ex Concilio Foro-Juliensi, & Franco-furtensi liquet.

Quinta in immensum efferbuit anno 809. qua de causa Carolus Magnus curavit Concilium Aquisgranis adunari. Hac de lite quam Monachus quidam Jerosolymitanus moverat, cujus nomen erat Joannes, scripsit epistolam. Sic refert Ado, sic Petavius lib. 7. de Trin. cap. 10. nu. 2. Nonnulli autumant istum Monachum esse sanctum Joannem Damascenum qui his temporibus fortiter debellavit Iconomachos.

Sexta erupit in apertum incendium sub finem ejusdem sæculi, scilicet tempore Photii qui a Nicolao I. proscriptus est, eo quod expulso sancto Ignatio a Sede Constantinopolitana, ipse invasor sederet; qui & ausus est per sententiam latam ipsum alternata vice damnare Nicolaum. Quia vero abyssus abyssum invocat in voce cataractarum; Photius ab hoc tempore insulsis non cessavit lacessere injuriis Ecclesiam Occidentalem. Inter varia objurgationis capita, eam potissimum arguebat quod diceret Spiritum sanctum a Filio procedere.

Undecimo sæculo instaurata est pugna molitione Michaelis Cærularii Patriarchæ CP. favente Constantio Monomacho Imperatore, qui & statuit a Latinis abstinendum esse, eo quod docerent Spiritum sanctum a Filio procedere. Hoc factum scribunt Leo IX. epistola anno 1504. conscripta; divus Anselmus lib. de processione Spiritus sancti, & omnes Historici sacri.

Interitus seu proscriptio.

CONCILIUM generale Constantinopolitanum primum Nicæno addidit Symbolo pro Spiritu sancto; *Qui a Patre procedit*. Ephesinum in Anathematismo laudato subjunxit, Spiritum sanctum procedere a Filio: Barense in Italia adunatum ann. 1097. sub Urbano II. in quo mira & dixit, & fecit sanctus Anselmus, eidem subscripsit definitioni. Item & Lateranense quartum sub Innocentio III. anno 1205. in quo quidem aderant multi gravissimi Præsules, & inter alios Patriarcha tum Constantinopolitanus, tum Jerosolymitanus, qui cum Latinis convenere de processione Spiritus sancti a Filio; maxime vero in secundo Lugdunensi anno 1274. sub Gregorio X. ubi reunio Græcorum cum Latinis iterum conclusa & facta est: tum utraque Ecclesia simul adunata decantavit in Symbolo, *Qui ex Patre, Filioque procedit*. Ita refert Nicephorus, sic scribunt multi alii. Denique Florentinum idem fidei dogma celebravit anno 1439. sub Eugenio IV. ubi quoque & aderant Græci, in primis vero Patriarcha Constantinopolitanus & Joannes Palæologus Imperator: Tunc iterum atque iterum, fœdere mutuo inito, pax Ecclesiæ composita est; quandoquidem Imperator & sui, schisma abjicientes, errores quoque deposuerunt; maxime circa processionem Spi-

Spiritus sancti, tum uno eoque alacri animo, astantibus simul Græcis cum Latinis, solemni ritu decantatum est in Symbolo, *Qui a Patre, Filioque procedit.*

Nec defuere celeberrimi Auctores qui suum acuerint stylum adversus Græcos obstrepentes contra processionem Spiritus sancti a Filio. Et vero Nicolaus I. certior factus quod Orientales processionem Spiritus sancti a Filio impugnarent, scripsit ad Hincmarum Rhemensium Præsulem, ut ipse & alii Galliarum Episcopi scriptis defenderent fidem contra Photii molitiones. Odo Bellovacensis, ut patet ex epistola quinta Hincmari ad Nicolaum, Græcos confutavit: eandem adimplevit Provinciam Æneas Parisiensis, cujus opus extat in tomo D. d'Achery Benedictini: Sed præ cæteris Græcos debellavit S. Anselmus eruditissimis operibus.

SECTIO SECUNDA.

Num licite addita sit Symbolo ista particula, qui a Patre Filioque procedit.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA sic se habet: Spiritus sanctus nedum a Patre, sed & a Filio procedit: Igitur non sine fundamento apposita est Symbolo particula laudata: neminem quippe cordatum latet alicujus veritatis explicationem utilem & jucundam admodum esse: Porro ista particula, *Qui a Patre &c.* nihil substantiæ addit, sed ipsam Spiritus sancti a Filio processionem clarissime mentis oculis subjicit. Tota igitur difficultas in Antecedente includitur: quod licet jam supra probatum, ulterioribus tamen momentis confirmare juvat.

Primo quidem ex Scriptura sacra: Joannis 16. Christus ait de Spiritu sancto: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*. Rursus Rom. 8. Spiritus sanctus vocatur Spiritus Filii: *Si quis autem*, inquit Paulus, *spiritum Ch isti non habet, hic non est ejus*. Iterum ad Galatas 4. *Misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra*. Denique eadem Scriptura asserit, ea quæ sunt in Patre convenire & Filio: Ipse Christus testis est qui Joannis 16. sic loquitur: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*. Sed qui accepit a Filio; sed qui est ejus spiritus, ab illo procedit: Sed qui cuncta possidet quæ sunt in Patre; dubio procul est Spiritus sancti cum Patre principium. Igitur hæc veritas rectissime explicatur, dicendo, *Qui a Patre, &c.*

Sanctus Thomas hanc indigitat illationem 1. p. q. 36. art. 4. ubi docet patrem & Filium unum esse principium a quo procedit Spiritus sanctus. Primo quidem in argumento *sed contra*: " Augustinus dicit in capite 5. de Trinitate quod Pater & Filius non sunt duo principia, sed unum principium Spiritus sancti. " Tum hæc subjicit: " Dicendum quod Pater & Filius in omnibus unum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Unde cum in hoc quod est esse principium non opponantur relative, sequitur quod pater & Filius sunt unum principium Spiritus sancti. " Ibidem art. 2. probat Spiritum sanctum a Filio procedere, eo quod ab ipso distinguatur personaliter.

Secundo ex sanctis Patribus. S. Athanasius lib. de natura humana suscepta, ista Psalmi 35. verba: *Quoniam apud te est fons vitæ*, interpretans, ait: " Noverat enim apud patrem, Filium esse fontem Spiritus sancti. " Subscribit Gregorius Nyssenus libr. 1. contra Eunomium: " Porro, *inquit*, idem nobis & de Spiritu sancto dicendum est, cujus in solo ordine differentia constituta est; nam ut Patri conjunctus est Filius, & cum ex illo esse habeat, non tamen posterius existit; sic etiam Spiritus sanctus proxime hæret Filio, qui sola cogitatione secundum rationem principii prius consideratur productione Spiritus. Nam temporum intervalla in illa vita, quæ sæculum omne præcedit, locum non habent; adeo ut detracta principii ratione, nulla re sancta Trinitas a seipsa dissideat. "

Sanctus Basilius lib. 3. contra Eunomium eamdem veritatem suo munit calculo, his verbis. " Cur enim necesse est, si dignitate ac ordine tertius est Spiritus, natura quoque ipsum tertium esse dignitate namque ipsum secundum esse a Filio pietatis ratio tradit. "

Non omittendus Epiphanius qui in Ancora-

corato num. 67. ait : " Cum Christus a ,, Patre credatur, Deus ex Deo, & Dei ,, Spiritus a Christo, sive ab ambobus, ,, ut Christus his verbis asserit, qui a Pa- ,, tre procedit, & hic de meo accipiet. ,,

His adde Cyrillum Alexandrinum qui lib. 12. in Joannem cap. 56. sic effatur: " Unde nobis firmiter credendum est, ,, non esse alienum a Filio Spiritum san- ,, ctum, nam cum ei consubstantialis sit, ,, ex Patre per ipsum procedit. ,,

Patres Latini non tacent veritatem. Hilarius agmen ducet, lib. 2. de Trinitate, ubi de Spiritu sancto dicit: " lo- ,, qui de eo non necesse est, quia de Pa- ,, tre & Filio auctoribus confitendus est. ,,

Egregium est sancti Ambrosii de hoc momento effatum lib. 1. de Spiritu sancto cap. 16. his verbis : " Spiritus quoque sanctus cum procedit a Patre & Fi- ,, lio, non separatur a Patre, non sepa- ,, ratur a Filio. ,,

Sanctus Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 20. ait : " Nec possumus dicere ,, quod Spiritus sanctus & a Filio non ,, procedat; neque enim frustra idem Spiri- ,, tus, & Patris & Filii Spiritus dicitur. ,,

Suffragantur, sanctus Leo & sanctus Fulgentius, ille epistola 93. " Alium qui ,, genuit, *inquit*, alium qui genitus est, ,, alium qui de utroque processit &c. ,, Iste vero lib. de fide ad Petrum: " Fir- ,, missime, *ait*, tene, & nullatenus du- ,, bites Spiritum sanctum qui Patris & ,, Filii unus est Spiritus, de Patre & Fi- ,, lio procedere. ,, Ergo &c.

Secunda ratio: Quod a Conciliis Oecumenicis & statutum est, simul & a Provincialibus & a Nationalibus citra dubium rite appositum fuit: Atqui ex historia critica liquet, istam particulam: *Qui a Patre, Filioque procedit*, Symbolo adjunctam fuisse a Conciliis: Ergo &c.

Tertia: quotiescunque fides in periculum venit, tunc explicanda est ab Ecclesia, cui inest potestas Christi, sic Concilium Nicaenum primum contra Arianos apposuit Symbolo ὁμοούσιον: sic Constantinopolitanum adversus Eunomium & Macedonium divinitatem Spiritus sancti debellantes, eidem addidit Symbolo: *Et in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui cum Patre & Filio simul adoratur &c.* Igitur & contra Graecos negantes Spiritum sanctum a Filio promanare, debuit appponi: *qui a Patre, Filioque procedit*.

Sanctus Thomas hic q. 36. art. 3. dicit Spiritum sanctum a Patre per Filium procedere: " Quia igitur Filius habet a Pa- ,, tre quod ab eo procedat Spiritus san- ,, ctus, potest dici quod Pater per Filium ,, spiret Spiritum sanctum, vel quod Spi- ,, ritus sanctus procedat a Patre per Fi- ,, lium, quod idem est. ,,

Tempus quo particula addita est Symbolo.

Non injucundum erit hic texere quandonam illa particula fuerit Symbolo addita. Certum est eam non fuisse additam a Concilio Constantinopolitano primo, non enim apparet in ejus Symbolo lecto in Concilio Ephesino & Calchedonensi, sed nec Damasus Papa illam adinvenit: in hac quippe hypothesi & Graeci, & Leo III. adversus eam insurgere non ausi fuissent propter vetustissimum hoc antiquitatis momentum: Nec desunt qui dicant Symbolum inter opera Hieronymi Damaso adscriptum particulam complecti; sed istud Symbolum sopposititium esse existimant non ignoti nominis auctores. Neque etiam addita fuit particula a sexta Synodo: Leo enim tertius est ipsa posterior; quocirca non restitisset Episcopis Galliae, si fuisset addita a Concilio Oecumenico. Non est etiam foetus Synodi septimae, quippe quae non inveniatur in codicibus: Sed praeter istud, aliud est argumentum, quod Anastasius Bibliothecarius, qui Synodum illam reddidit latinae linguae, ut primum absoluta est, nullam faciat de particula mentionem, tametsi in Florentino codex vetustissimus de septima Synodo productus sit in quo quidem particula legitur.

Jam tamen quinto saeculo apparuisse in professionibus fidei Hispaniae claret ex Conc. Toletano 587. adunato, claret ex Braccarensi 1. & 2. sicut & Hispalensi. In eodem regno sub finem 6. saec. affulsit Symbolum Constantinopolitanum cum particula, ut patet ex Concilio Toletano ann. 589. & decantari coepit per omnes Hispaniarum Ecclesias, ut patet ex eodem Concilio can. 2. ut notat R. P. Mabillon in praefatione Liturgiarum lib. 1. cap. 4. & decantabatur ritu Missae Mosarabicae.

Octavo saeculo additio particulae & etiam decan-

decantandi consuetudo ex Hispania promanavit ad Gallias & Germaniam, ut liquet ex Concilio Foro-Juliensi & Francofurtensi, ut refert Walfridus Strabo libro de rebus Ecclesiasticis cap. 2. Nono ineunte sæculo mos iste firmatus erat apud utramque gentem, non tamen Romæ, quod quidem patet ex actibus legationis Leonis tertii. Sub finem noni sæculi Romanos adoptasse particulam constat: Hoc ipsum liquet ex Photio qui hanc additionem Symbolo exprobrabat Romanæ Ecclesiæ; item & ex Ratramno lib. 2. cap. 2. Romani eandem 11. sæculo sub Henrico I. Imperatore, decantare cœperunt. Sic scribit Baronius. Demum in Concilio Lugdunensi & Florentino, astantibus & consentientibus Græcis, firmata est in perpetuum additio particulæ in Symbolo decantandæ.

His non obstantibus, non improbabilem existimamus opinionem Binii qui propugnat in notis ad Concilium Romanum sub Agathone, pag. 5. particulam reperiri in epistola Synodica Agathonis ad Synodum generalem; sic enim habetur pag. 21. actione quarta ejusdem Concilii: *Credentes .... & in Spiritum sanctum, Dominum & vivificatorem, ex Patre Filioque procedentem.*

Hunc locum depravatum fuisse conquestus est Julianus Cardinalis in ea disputatione quam habuit in Concilio Florentino contra Græcos, sublatamque a Græcis impostoribus hanc particulam, *filioque*, animadvertit: Idem centum & amplius annis ante Julianum observarat Emmanuel Caleca homo Græcus in libro adversus Græcorum errores.

Eamdem particulam non obscure subindigitat Synodus septima generalis actione quarta pag. 330. Concil. Binii ubi refertur sermo quidam sancti Athanasii in quo sic legitur. *Omnis autem turba stirpis Judaicæ, clara voce cœpit cantare, & dicere .... Unus Spiritus sanctus & a Patre & Filio procedens.*

Solvuntur objectiones contra primam rationem, in qua dictum est Spiritum sanctum a Filio procedere.

Expenditur mens Conciliorum.

OBJICIES: Concilium CP. anno 381. fidem de Spiritu sancto explicavit adversus Eunomium & Macedonium obstrepentes, & tamen altum est apud Patres illos de processione Spiritus sancti a Filio, & a fortiori de particula silentium; Ergo &c.

Respondeo distinguendo, & hoc non exigebat controversia, nempe ut sermo fieret de illa processione & particula, concedo: & invitabat occasio, nego. Heterodoxi laudati Spiritum sanctum non sine magna blasphemia dicebant creaturam; quocirca Episcopis divinitas solum erat astruenda, quam quidem provinciam adimplevit perfecte Synodus duobus potissimum argumentis atque definitionibus: primo dicendo Spiritum sanctum a Patre procedere; deinde vero eumdem cum Patre & Filio coadorari & conglorificari, sic enim habetur: *Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur.* Quibus sententiis non leviora pro processione Spiritus sancti a Filio, & pro particula addita pronuntiat Synodus. Cæterum si existimasset Spiritum sanctum a Filio non procedere, dixisset: *Qui ex solo Patre procedit.* Et non tantummodo, *qui ex Patre procedit.*

Urgebis: Patres laudati, quæ fidem spectabant, definierunt. Igitur si processio Spiritus sancti a Filio ad fidem pertinebat, sicut in Symbolo posuerunt, *qui a Patre procedit*, eadem prorsus ratione apponendum erat, *qui a Patre, Filioque procedit*: Sed hoc non fecere; Ergo &c.

Respondeo negando majorem & paritatem, eo quippe tempore controversia tantummodo de divinitate Spiritus sancti movebatur adversus Eunomium & Macedonium illam debellantes, ut refert Theodoretus de Aetio lib. 4. Hæret. fabul. & de Eunomio S. Basilius lib. 2. contra ipsum: Igitur satis erat hanc astruere divinitatem his verbis: *qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur*, & iterum, *qui ex Patre procedit.*

Replicabis: Eo ipso quo Patres definierunt Spiritum sanctum cum Patre & Filio coadorari, opus fuit, si processio Spiritus sancti a Filio est dogma fidei, ut adderent, *qui a Patre, Filioque procedit.* Atqui tamen hoc non fecerunt: Ergo &c.

Respondeo negando paritatem propter rationem allatam. Et vero cum fides in periculum venit, prorsus abstinendum est a quæ-

quæstionibus pro tempore inutilibus, ne copia litium Hæretici aliquod impugnantes dogma, aut prævaleant, aut veritati non obediant.

Persistes: Multa Concilia, eaque Oecumenica siluerunt processionem Spiritus sancti a Filio; Quinimmo non semel statuere nihil esse aut sensui, aut etiam vocibus addendum, tum Symbolorum, tum etiam & primorum Conciliorum definitionibus. Igitur processio Spiritus sancti a Filio, maxime vero particula addita Symbolo, *qui a Patre, Filioque procedit*, abnuenda est: Pro isto momento audienda sunt vel ipsa Concilia: In Ephesino Presbyter Charisius Symbolum obtulit Patribus, qui, lectione facta, ita definierunt: „ Alteram fidem nemini licere proferre, „ vel conscribere, aut componere, præ„ter eam quæ definita est a sanctis Pa„tribus Nicææ congregatis cum sancto Spi„ritu: Qui ausi fuerint, aut componere fi„dem alteram, aut proferre, vel offerre „ converti volentibus ad agnitionem veri„tatis .... anathemati subjicit. Secundo Calchedonense, relatis Symbolo Nicæno & Constantinopolitano, ait: Suffi„ceret quidem ad plenam cognitionem & „ confirmationem pietatis hoc sapiens & „ salutare divinæ gratiæ Symbolum: de „ Patre enim & Filio & Spiritu, sancto „ perfectionem docet. „ Quid plura? Sexta Synodus generalis in epistola Agathonis a Patribus suscepta; septima vero post definitionem fidei, Vigilius epistola ad Eutichium Patriarcham CP. idem dicunt, & prohibent aliquid addi. His omnibus accedit Cyrillus Alexandrinus qui in epistola ad Joannem Antiochenum sic loquitur: " Nullo autem modo patimur, ut „ ab aliquo fides illa, sive fidei Symbo„lum concutiatur, quod a sanctis quon„dam Patribus Nicænis editum est; ne„que enim, aut nobis, aut ulli omni„no alteri, vel ullam voculam ibi posi„tam immutare, aut unam etiam syllabam „ prætererire permittimus, memores ejus „ qui dixit, ne transferas terminos antiquos „ quos posuerunt Patres tui. „ His positis hoc sequitur argumentum: non licitum est, 1. aliquid addere prioribus Conciliis. 2. Quia hoc ipsum inutile est, eo quod fides sufficienter sit antiquitus explicata: Ergo &c.

Respondeo distinguendo, siluerunt eo quod nec opus erat, nec ipsum expostulabant fidelium vota, concedo; ita ut de facto Spiritus sanctus non procederet a Filio, nego. Ad ulteriores confirmationes unica responsione fit satis, sic distinguendo: Prohibitum est aliquid addi Symbolis quoad fidei substantiam, concedo: quoad ejusdem fidei explicationem, subdistinguo: quando non fuit necessitas, concedo: sin minus, nego. Revera quidem nonne Patres Nicæni adversus Arianos obstrepentes symbolo addiderunt ὁμοούσιον? Constantinopolitani adversus Macedonianos: *In Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur*. Ephesini, non quidem in Symbolo, sed in fidei definitione posuerunt vocem, *Deipara* adversus Nestorium negantem beatam Virginem esse Dei matrem. Calchedonenses denique, loco istarum vocum quæ habentur in Nicæno: *Natum ex Patre*, scripserunt, *consubstantialem Patri secundum deitatem*, & *consubstantialem nobis secundum humanitatem*. Et hoc ut Eutychetis errorem perstringerent: Pari igitur & consimili ratione, non ad fidei augmentum, sed ad explicationem, grassante Græcorum hæresi circa processionem Spiritus sancti a Filio, addere debuerunt, *qui a Patre, Filioque procedit*.

Hæc interpretatio est divi Thomæ qui idem sibi objiciens 1. p. q. 36. art. 2. ad 2. docet Concilia potuisse explicare fidem juxta exigentiam temporum, ut expostulabat necessitas: " Quia igitur in tem„pore antiquorum Conciliorum nondum „ exortus fuerat error dicentium Spiri„tum sanctum non procedere a Filio; „ non fuit necessarium quod hoc explici„te poneretur. Sed postea, insurgente er„rore quorumdam, in quodam Concilio „ in Occidentalibus partibus congrega„to, expressum fuit auctoritate Romani „ Pontificis, cujus auctoritate etiam an„tiqua Concilia congregabantur, & con„firmabantur. Continebatur tamen im„plicite in hoc ipso quod dicebatur Spi„ritus sanctus a Patre procedere. „

Persistes: Concilium Calchedonense, relatis Symbolo Nicæno & Constantinopolitano, subjungit, *expositionem alteram nullus faciat ...... Sufficiunt quæ exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri*. Confirmatur, Ephesinum Symbolo - vocem

cem *Deiparæ*, addere abstinuit; quinimmo rejectum est oblatum a Presbytero Charisio Symbolum non Nestorio, sed Theodoro Mopsuesteno attributum, juxta sententiam Marii Mercatoris, & Justiniani Imperatoris in sua rectæ fidei confessione. Tum & Pelagii II. Papæ in epistola ad Eliam Aquileiensem & alios Istriæ Episcopos in quo quidem Symbolo tacetur processio Spiritus sancti a Filio, nec aliud de tertia porsona legitur præter hæc: *Credimus in Spiritum sanctum qui cum sit ex Dei substantia Filius non est, sed substantialiter Deus, utpote ejus substantiæ existens, cujus est Deus, & Pater ex quo quidem est secundum substantiam . . . Sed nec Filium illum putamus, neque per Filium suam subsistentiam habentem*. Quæ verba non arguerunt Patres Ephesini, sed iis lectis, dixere, alteram fidem nemini licere proferre, vel conscribere, aut componere: " Præter eam quæ definita est a sanctis „ Patribus Nicææ congregatis cum sancto Spiritu. Qui ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, „ vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, anathemati subjicit. „ Igitur ex iis omnibus liquet neque Spiritum sanctum a Filio procedere, neque a fortiori licitum esse aliquod addere Symbolis perantiquis; in quibus certe de particula altum est silentium.

Respondeo distinguendo: & hæc omnia unum tantummodo probant, non licitum esse addere aliquid Symbolo quoad substantiam, concedo: quoad fidei explicationem, subdistinguo, auctoritate privata, concedo: & ideo rejectum est Symbolum Theodori; nec mirum, tametsi esset contra Eunomianos dicentes Spiritum sanctum a Filio veluti creaturam procedere, erat tamen auctoritate privata factum; & hoc ab homine suspectæ fidei: non licet auctoritate publica & Ecclesiæ aliquid addere ad fidei explicationem, nego.

Ad instantiam ex auctoritate Concilii Ephesini depromptam, dico non opus fuisse addere Symbolo, vocem *Deiparæ*: omnibus quippe notum erat Christum esse Deum; cum autem in Symbolo dicatur, *natus ex Maria Virgine*, sufficienter explicata mansit maternitas Deiparæ & illibatæ Virginis.

Discutitur mens Theodoreti.

OPPONES: Doctrina Theodoreti a processione Spiritus sancti a Filio abscedit: Atqui tamen nec a Concilio Ephesino rejecta est: Ergo &c. Probatur major & minor simul. Sanctus Cyrillus Alexandrinus anathematismo nono, ut habetur in Concil. Labb. sic alloquitur: *Si quis unum divinum Jesum Christum Spiritu clarificatum dixerit propria virtute ipsius tanquam aliena utentem, ac vim & efficaciam ab eodem accepisse, qua contra immundos spiritus operaretur, & divina inter homines miracula patraret, ac non potius ipsum spiritum per quem divina signa edidit illius proprium esse confessus fuerit, anathema sit.*

Theodoretus hæc confutat verba in suis responsionibus: " Proprium autem, *inquit*, „ Spiritum Filii, siquidem ut ejusdem cum „ eo naturæ, & ex Patre procedentem „ dixit, simul confitebimur, & tanquam „ piam suscipiemus vocem; si vero tanquam ex Filio, aut per Filium existentiam habeat, hoc ut blasphemum & impium rejiciemus. „

Sed quod mirum videri debet, ipse Cyrillus approbat saltem tacite Theodoreti doctrinam in hoc puncto; quippequi in epistola ad Evoptium tom. 3. Conc. pag. 888. graviter conqueritur de calumniis quibus a Theodoreto impetitus est, neque tamen illum reprehendit quod Spiritum sanctum habere a Filio existentiam negaret. Quinimmo epistola ad Joannem Antiochenum Cyrillus ait solum, *est autem non alienus a Filio*, scilicet Spiritus sanctus: quam epistolam ut primum legit Theodoretus, ad eumdem scribens Joannem, laudat Cyrilli effatum his verbis: " Et quæ „ missa sunt a Cyrillo Evangelica nobilitate adornantur. „

Respondeo primo & Concilia, & Cyrillum non reprehendisse Theodoretum œconomiæ causa, cum tunc temporis palmaris controversia non de processione Spiritus sancti a Filio, sed de divinitate moveretur, qua quidem Oeconomia non semel usi sunt Patres; imprimis Basilius qui abstinuit aliquando a nomine divinitatis pro Spiritu sancto, eo quod Hæretici in votis nihil aliud habebant, quam illum exauctorare, ut gregem ejus disperderent. Sanctus Augustinus lib. 3. contra epistolam

lam Parmeniani cap. 2. hanc laudat œconomiam ubi est schismatis periculum. S. Gregorius Magnus lib. 12. epistola 31. de hac œconomia sic habet: " „ Sancta Ecclesia quædam per fervorem „ corrigit, quædam per mansuetudinem „ tolerat, quædam per considerationem „ dissimulat, ut sæpe malum quod aver- „ satur, portando, dissimulando compe- „ scat. „

Respondeo 2. negando majorem: Ad probationem distinguo: Theodoretus negat Spiritum sanctum habere a filio existentiam in sensu opposito Eunomianis, qui dicebant ab illo procedere ut creaturam, concedo: quocirca neque ab Ephesino, neque a Calchedonensi, neque a quinto Concilio generali, neque ab ipso Cyrillo in hoc reprehensus est: Et negavit sensum Catholicum, nego: namque Spiritum sanctum Patri, & Filio consubstantialem habebat, & consequenter non negabat ejusdem Spiritus sancti a Filio processionem, quippequi in verbis supra laudatis dicat: " Proprium autem Spiritum „ Filii, si quidem, ut ejusdem cum eo „ naturæ & ex Patre procedentem di- „ xit, simul confitebimur, & tanquam „ piam suscipiemus vocem. „ Quo sensu vero dixerit Spiritum sanctum non ex Filio, aut per Filium existentiam habere, intelligite ex ejus ad Monasteria epistola, ubi insurgit adversus Cyrillum, eo quod crederet illum contendere Spiritum sanctum a Filio ut creaturam procedere: " Blasphemat, *inquit*, & in Spiritum san- „ ctum non ex Patre ipsum procedere di- „ cens, sed ex Filio esse . . . . propin- „ quat Macedonii culturæ. „ Audis Theodoretum Cyrillo imponere, scilicet & Spiritum sanctum a Patre non procedere, & a Filio, ut creaturam promanare. Igitur in illo tantum sensu negat Theodoretus Spiritum sanctum a Filio procedere.

Neque vero relictus est ambigendi locus circa mentem Cyrilli pro processione Spiritus sancti a Filio; cum dicat Spiritum sanctum non esse a Filio alienum. In epistola autem ad Nestorium quæ lecta fuit & approbata in Concilio Ephesino sic loquitur: " Quandoquidem Spiritus veritatis „ nominatur, Christus autem veritas est, „ & proinde quoque ab illo, atque a Deo „ Patre procedit. „

Incassum quidam existimant illam epistolam non esse genuinum Cyrilli fœtum, eo quod Theodoretus in anathematimis quos confutavit, explicationem quidem expostulet istorum verborum Cyrilli, *Spiritum Filii proprium esse*, sed non istius particulæ, *qui a Filio procedit*: tum quia veteres auctores qui scripserunt pro sententia Latinorum, verba Epistolæ laudatæ non referunt: quinimmo Græci schismatici qui anno 1233. Concilium Nympheæ adunavere, ubi professionem fidei ediderunt, & eam miserunt ad Gregorium nonum, fuso scribunt calamo sua adversus Latinos dogmata, sibique objiciunt testimonia beati Cyrilli, nusquam vero locum epistolæ mox laudatum.

Verum mirum videri non debet quod Theodoretus explicationem noni anathematismi exegerit, minime vero verborum epistolæ Cyrilli ad Nestorium, cum divinitatem Spiritus sancti & a Patre processionem nusquam impugnaverit: quocirca sic distinguo: Cyrillus & Concilia probavere doctrinam Theodoreti de Spiritu sancto, quia loquutus est in sensu opposito Eunomii, concedo: eo quod de facto impugnaverit Spiritus sancti divinitatem, & a Filio processionem, nego.

Urgebis. Si Theodoretus solummodo insurrexisset adversus Eunomium, non dixisset absolute Spiritum sanctum a Filio existentiam non habere: Ergo &c.

Respondeo neminem latere, Theodoretum existimasse Cyrillum propugnare processionem Spiritus sancti a Filio in sensu Eunomii; & in hoc solum sensu confutando nonum anathematismum, asseruit Spiritum sanctum non habere existentiam a Filio, ne scilicet ut creatura haberetur.

Insistes: etiam in aliis operibus vel ipse Theodoretus docet Spiritum sanctum a Filio non procedere: Igitur hanc propugnavit sententiam tanquam suam, & non præcise ad impugnandum Cyrillum. Probatur Antecedens: Ex epistola ad Monasteria, Hugo Heterianus hunc commemorat locum: " Blasphemat, *inquit*, & „ in Spiritum sanctum dum non ex Pa- „ tre solo illum asserit procedere juxta „ Domini vocem, sed ex Filio eandem „ habere existentiam, hi sunt Ægypti par- „ tus, & malo patre deteriora germina. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo Antecedens: sic

sic

se gessit Theodoretus, eo quod palmarem Eunomæorum errorem insectaretur, quocirca eos ubique debellat, concedo: eo quod tantum impugnaret Cyrillum, nego. Suam prodit mentem comment. in caput octavum Epistolæ ad Romanos v. 11. ubi explicans ista verba, *quod si Spiritus ejus*, ait: " Docuit autem nos etiam ,, in his verbis unam divinitatis naturam, ,, sanctum enim Spiritum, & Dei appellavit, & Christi, non quod ut volunt ,, execrandi hæretici, ex Deo per Filium ,, creatus sit, sed quia est ejusdem cum Patre & Filio substantiæ. ,, Jam si ex Filii substantia; ergo ex Filio procedit juxta ipsum Theodoretum.

Dices: S. Joannes Damascenus l. de fide orthodoxa cap. 11. ait. " Spiritum sanctum tam ex Patre esse profitemur, ,, quam Patris appellamus Spiritum, ex ,, Filio autem Spiritum non dicimus, sed ,, eum Filii Spiritum nominamus. ,, Igitur Patrum Græcorum ea fuit sententia, Spiritum sanctum a Filio non procedere.

Respondet D. Thomas, hic 1. par. q. 36. art. 2. in hoc errasse Damascenum: " Unde, *inquit*, in hoc, ejus sententiæ ,, non est standum. ,, Subdit tamen a quibusdam excusari: unde sic distinguo, Spiritus sanctus non procedit a Filio ut a primo principio, concedo: secus, nego. Cum processio Spiritus sancti a Patre importet principium non de principio, in eo tantum sensu Damascenus posuit Spiritum sanctum a Filio non procedere, quatenus Filius non est omnimode principium non de principio; sed in loco pro objectione laudato, expresse vocat Spiritum Filii: Igitur non negat procedere a Filio ut a comprincipio.

Aperitur mens Leonis III.

OPPONES: Quod definit summus Pontifex in materia fidei, sic teneri debet: Atqui Leo III. anno 810. præcepit particulam *Filioque* non addi Symbolo: Et probatur: Patres Concilii Aquisgranensis anno 809. celebrati illam addiderunt particulam, legationemque ad Leonem misere quatenus definitionem suo munire calculo dignaretur, quibus respondit: Non audeo dicere, istud eos, nobis minus intellexisse. ,, Et noluit approbare. Ergo &c.

Respondeo S. Leonem, omisso sufficienti examine, credidisse usum particulæ a ducentis solum circiter annis ab Ecclesia frequentatum fuisse, quocirca hærens & dubitans, nihil determinando permansit.

Respondeo 2. Dist. Leo non approbavit particulam eo quod privata auctoritate fuerat Symbolo addita, nusquam vero aut a summo Pontifice, aut a Concilio Oecumenico, concedo: eo quod de facto inutilis foret, nego.

Instabis: legati responderunt Ecclesias Gallicanas eam particulam retinere auctoritate summi Pontificis: " Dixit Leo, de- ,, di licentiam cantandi, non autem can- ,, tando aliquid addendi. ,, ergo &c.

Respondeo distinguendo: & sic se gessit Leo ne quis auctoritate propria Symbolum fidei conderet ut Theodor. Mopsuestenus, & ut Cathedræ Petri jura conservaret, concedo: quia de facto fidei adversaretur, nego.

Replicabis. Jussit S. Pontifex ex Symbolo Constantinopolitano particulam expungi in Galliis, ubi inserta fuerat; sic referunt acta collationis legationis a Smaragdo descripta, ut scribit Sirmundus tom. 2. Concil. Galliæ. Quid plura, voluit & omitti in argentea tabula Symbolum Constantinopolitanum Romæ referente: hoc ipsum testatur in epist. ad Patriarcham Aquileiensem.

Respondeo ut supra. Porro voluit SS. Pontifex expungi a Symbolo Constantinopolit. ut memoria Symboli retineretur, sicut editum fuerat a Patribus Nicænis.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Rite apposita est Symbolo particula, qui a Patre, Filioque procedit.

PRIMO: Quia Spiritus sanctus non solum a Patre, sed & a Filio procedit, ut habetur Joan. 16. & Rom. 8.

Secundo: Sic docent Patres Græci & Latini: Græci quidem ut Athanasius lib. de natura humana suscepta & in Symbolo. Basilius l. 3. contra Eunomium: Latini vero juxta illud Hilarii l. 2. de Trin. ubi de Spiritu sancto sermonem instituens ait: " Loqui de eo non necesse est, ,, quia de Patre & Filio auctoribus con- ,, fitendus est. ,, Suffragatur Ambrosius lib. 1.

lib. 1. de Spiritu sancto cap. 16.

Tertio: Quia particula laudata explicat fidem de processione Spiritus sancti in Concilio generali tum Lugdunensi, tum Florentino definitam.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,


ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Verum est fidem de Spiritus sancti divinitate explicatam fuisse in secundo Concilio generali, & tamen istud siluisse particulam. Sed quid mirum cum controversia non de processione Spiritus sancti a Filio nondum moveretur, sed tantum de ejus divinitate contra Macedonianos? Eadem ratione quædam alia Concilia subsequentia eamdem omiserunt in explicatione fidei particulam.

Secundo: Theodoretus non impugnavit processionem Spiritus sancti a Filio quamcumque, sed eam solum quam effutiebant Macedoniani, qui Spiritum sanctum veluti creaturam a Filio procedentem contendebant.

Tertio: Neque vero existimandum est Damascenum negasse Spiritum sanctum a Filio procedere, nisi ut a primo principio.

Quarto: Leo III. Romanus Pontifex particulam nusquam arguit, sed ritum illam in Symbolo decantandi, independenter ab ordinatione summi Pontificis.



DIS-

DISSERTATIO SEXTA
DE
MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM.



ERTUM est Deum esse ubique præsentem, sed specialiter sanctis in quibus habitare dicitur: Quomodo vero hoc fiat, an adventu alicujus personæ v. g. Patris? An missione aliarum personarum, superest hic explicandum.

Multi inter homines, aut graviorum peccatorum pondere obcæcati, aut supina in rebus divinis indagandis incuria detenti, Deum quantumvis bonum humilia respicere nec capiunt, nec volunt credere, hinc quidam Judæi crassiores Malach. 1. Deum sic alloqui non erubescunt. *In quo dilexisti nos?* Quocirca personarum sanctissimæ Trinitatis missionem ad nos, non sine impietate abnuebant. Sed contra quod dicit, Apostolus Gal. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.*

Dogma de divinarum Personarum missione quatuor potissimum modis explicatur, & probatur.

PRIMO: quædam Personæ divinæ mitti possunt.

Secundo: Filius de facto ad nos missus est.

Tertio: Spiritus sanctus non semel visibiliter in terris apparuit.

Quarto: Tres Personæ in animam justi invisibiliter illabuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

De missionibus divinis in genere.

QUÆRES 1. quid sit missio? Num detur divina, & quotuplex?

Respondeo 1. Missionem in genere spectatam esse quemdam exitum unius personæ ab alia ad aliquem effectum supernaturalem in creatura producendum, quod quidem fieri potest tripliciter, videlicet imperio, consilio, & origine. Priori modo mittit Dominus servum suum: secundo, medicus ad balnea mittit Principem: tertio, quum aliqua Persona divina ab altera procedit.

Respondeo 2. Dari missionem in divinis juxta tertiam missionis acceptationem; habetur enim Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret ... Non enim misit Deus Filium suum, ut judicet mundum.* Tum subdit Christus, *sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem.* Rursus cap. 15. 26. ait loquens de Spiritu sancto, *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre.* Iterum Joan. 8. ait, *Non sum ego solus, sed ego & qui misit me Pater.* Apostolus ad Gal. 4. eandem confirmat veritatem, his verbis: *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Ergo &c.

Ratio S. Thomæ ea est hic q. 43. art. 1. nomine missionis intelligitur exitus unius personæ ab alia cum effectu temporali: Atqui datur hujusmodi missio, quandoquidem Filius Dei incarnatus est, & nostram ad suam hypostasim assumpsit humanitatem, Spiritus vero sanctus sub specie columbæ descendit in ipsum Christum. Ergo &c.

" Dicendum, *inquit*, quod in ratione
" missionis duo importantur quorum unum
" est habitudo missi ad eum a quo mitti-

 " tur.

„ tur. Aliud est habitudo missi ad terminum ad quem mittitur. Per hoc autem „ quod aliquis mittitur, ostenditur processio quædam missi a mittente, vel secundum imperium, sicut dominus mittit „ servum: vel secundum consilium, ut si „ consiliarius mittere dicatur Regem ad „ bellandum, vel secundum originem, ut „ si dicatur quod flos emittitur ab arbore: „ ostenditur etiam habitudo ad terminum, „ ad quem mittitur, ut aliquo modo ibi „ esse incipiat: vel quia prius ibi omnino „ non erat, quo mittitur: vel quia incipit ibi aliquo modo esse quo prius non „ erat. Missio igitur divinæ personæ convenire potest, secundum quod importat ex una parte processionem originis a „ mittente, & secundum quod importat „ ex alia parte novum modum existendi in „ alio, sicut Filius dicitur esse missus a „ Patre in mundum secundum quod incepit in mundo esse per carnem assumptam: & tamen ante in mundo erat ut „ dicitur Joan. primo. „

Dices: Personæ divinæ non convenit mitti, quod quidem non una probat ratio: Primo quia missus est minor mittente; in divinis autem perfecta intercedit æqualitas. Secundo, qui mittitur separatur a mittente, nemo autem ex Catholicis separationem inter Personas divinas admittet. Denique quicumque mittitur, ab aliquo discedit loco, ut ad alterum vadat, quod utique repugnat Personis divinis, cum per immensitatem sint ubique. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: & hæc omnia inconvenientia contingunt in eo qui mittitur, aut per imperium, aut per consilium, concedo: in eo qui per simplicem originem exit ad extra, nego. Et vero qui priori mittitur modo est creatura, idcirco & minoritatem, & separationem, & loci novitatem admittit, e contra vero qui posteriori modo suscipit missionem. Solutio est D. Thomæ hic quæst. 43. art. 1. ad 1. 2. & 3. Sufficit texere verba in responsione ad primum: " Dicendum, „ *inquit*, quod missio importat minorationem, in eo qui mittitur secundum „ quod importat processionem a principio mittente, aut secundum imperium, „ aut secundum consilium, quia imperans est major, & consilians est sapientior: sed in divinis non importat „ nisi processionem originis quæ est secundum æqualitatem, ut supra dictum est. „

Respondeo 2. Missionem divinam, ex parte effectus temporalis duplicem esse, alteram scilicet visibilem, ut quum Verbum caro factum est, per unionem hypostaticam cum humanitate, invisibilem vero alteram, quum persona missa animam justi replet charismatum donis, juxta illud ad Roman. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Ex quo sequitur missionem solum fieri ad justos qui charitate & amore divino flagrant, siquidem importat specialem Dei in anima habitationem. Licet igitur Deus sit præsens ubique, non tamen dicitur aut venire, aut mittere Filium & Spiritum suum nisi ad justos. Sic docet sanctus Thomas hic art. 6. in argumento sed contra, his verbis: " Secun„ dum Augustinum missio invisibilis fit ad „ sanctificandam creaturam. Omnis autem „ creatura, habens gratiam sanctificatur: „ ergo ad omnem creaturam huiusmodi „ fit missio invisibilis. „ Rursus in corpore articuli: " Sic ergo in eo ad quem „ fit missio, oportet duo considerare, scilicet inhabitationem gratiæ, & innovationem quamdam per gratiam; ad omnes ergo fit missio invisibilis, in quibus „ hæc duo inveniuntur. „

Quæres secundo, quibus personis conveniat mitti?

Respondeo 1. Hoc non convenire Patri, quippe qui sit principium non de principio: ita ex professo S. Thomas hic art. 4. juxta illud Augustini lib. 2. de Trinitate cap. 5. Solus Pater nunquam legitur missus. „

Respondeo 2. Convenire & Filio, & Spiritui sancto mitti. Revera quidem missio duo importat ex D. Thoma, nimirum originem unius personæ ab alia, & effectum temporalem gratiæ specialis. Sed hæc duo affulgent in apparitione Filii, & Spiritus sancti: ergo &c. Sic docet D. Thomas hic art. 7.

Quæres tertio an detur circum-incessio in divinis.

Respondeo affirmative. Et probatur. Nomine circum-incessionis intelligitur mansio & præsentia unius personæ in altera: sed tres personæ unum sunt: Igitur ubi est una, ibi & sunt aliæ.

Syria-

Synopsis eorum quæ in hoc articulo referuntur.

PRIMO missio alicujus personæ triplici modo fieri potest; scilicet imperio, consilio, & origine. Priori modo herus mittit servum suum Romam: 2. Medicus Regem ad balnea: 3. Pater æternus Filium suum ad nos.

Secundo, prima sanctissimæ Trinitatis persona venit & non mittitur: Secunda mittit, & mittitur. Tertia solum mittitur.

Tertio, datur circumsessio in divinis, quia tres personæ sunt unus Deus: Igitur ubi est una persona, ibi sunt aliæ duæ.

ARTICULUS SECUNDUS.

De missione Filii in particulari.

OMNES qui ausu temerario Christum dixere purum hominem, Filii Dei missionem negavere. Contra quos sit

CONCLUSIO.

Filius Dei missus est a Patre, & quidem visibiliter ad homines.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA sic exponitur: Qui apparuit & Patriarchis, & Prophetis in veteri lege, tum ad eorum sanctificationem, tum ut suam præluderet incarnationem, dubio-procul missus est visibiliter in mundum: Atqui res sic se habet. Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

Primo, ex Concilio Antiocheno primo, anno 266. adunato, quod quidem probat contra Photinum Verbi incarnati divinitatem, ostendendo Verbum esse Deum, qui apparuit Patriarchis, & hoc omnibus Scripturæ monumentis. Sic loquitur: " Generavit quidem Filium Pater tanquam „ actum viventem; hunc dicit Scriptura „ descendisse & apparuisse Abrahæ, &c.„

Patres trium primorum sæculorum idem docent, nempe Filium eum esse qui apparuit Patriarchis. Ita Justinus in dialogo cum Tryphone. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 27. Novatianus lib. de Trinit. cap. 25. & 31. Athanasius oratione 4. pag. 260. Cyrillus Jerosolymitanus catech. 14. Basilius lib. contra Eunomium pag. 56. Chrysostomus hom. 58. in Genesim pag. 454. His adde Irenæum qui lib. 4. cap. 26. sic loquitur de Filio Dei: " Ipse est qui dicit Moysi, „ videns vidi vexationem populi mei qui „ est in Ægypto, & descendi ut eruam „ eos, ab initio assuetus . . . . „ ascendere & descendere propter salu- „ tem eorum qui male haberent. „ Ecce duæ conditiones requisitæ ad missionem, nempe apparitio sensibilis, deinde effectus temporalis, siquidem, teste Scriptura, apparuit Filius Dei modo ut liberaret populum a servitute Ægyptiaca, modo, teste Irenæo, propter salutem eorum qui male habebant. Idem censet Hilarius lib. 4. in Genesim cap. 1. cui concinit Isidorus lib. de natura Domini cap. 1. his verbis: " Ipse est enim Filius, „ qui semper a Patre missus visibiliter „ apparebat hominibus. Ex ipsa ergo mis- „ sione, recte Angelus nuncupatur. „ Non omittendum de hoc momento oraculum Christi, Joan. 8. qui alloquens Judæos, ait: *Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit & gavisus est.* Igitur, ipso Christo testante, Filius Dei apparuit Patriarchis ad sanctificationem, cum eius apparitio multum & gaudii spiritualis & gratiæ eorum animæ attulerit.

De apparitionibus quæ concessæ sunt Prophetis non unum est testimonium: Isaias ait cap. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum.* Cap. 63. *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis?* Quæ verba explicat D. Thomas de Verbo incarnato. Item Jeremiæ 1. *Factum est verbum Domini ad me dicens, priusquam te formarem in utero novi te.* Baruch. 3. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum, hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob populo suo; post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Tria hic enarrat Propheta iste, nempe Deum apparuisse Jacob; tum illi ostendisse viam disciplinæ, postremo conversatum fuisse cum hominibus, quæ quidem verba nonnisi de Filio Dei intelli-

telligi possunt: & hoc ad sanctificationem hominum, quæ est missionis effectus; quod quidem egregie sic exprimit Isaias in persona Filii Dei loquens, dum ait: *Propugnator sum ad salvandum*. Quinimmo ipse Christus de hoc reddit testimonium apud Lucam cap. 24. ubi edocens Discipulos Emmaus. *Et incipiens a Moise*, inquit Evangelista, *& omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant*.

Altera ratio sic procedit. Quod sacræ novi Testamenti paginæ passim referunt, in dubium revocari non debet: Atqui omnes ferme novi Testamenti paginæ visibilem Filii Dei prædicant missionem: Ergo &c. Probatur minor multiplici auctoritate. 1. Joannes sic intonat cap. 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: *verbum caro factum*, ecce missio visibilis; *& habitabit in nobis*; ecce effectus gratiæ specialis Verbi divini ad nos declinantis. Rursus Rom. 8. Apostolus ait: *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum*. Et iterum ad Galatas 4. *At ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut &c.* In his & similibus locis missio Filii simul cum effusione gratiæ affulget: Ergo &c.

Tertia: Missio essentialiter importat originem personæ missæ ab alia cum effectu novo ad extra producto: Atqui hæc duo in incarnatione apparent: Ergo &c. Sic propugnat D. Thomas hic q. 43. art. 1. his verbis: " Missio igitur divinæ perso„ næ convenire potest secundum quod „ importat ex una parte processionem ori„ ginis a mittente; & secundum quod „ importat ex alia parte novum modum „ existendi in alio, sicut Filius dicitur „ esse missus a Patre in mundum secun„ dum quod incepit in mundo esse per „ carnem assumptam: & tamen ante in „ mundo erat, ut dicitur Joannis 1.

SYNOPSIS PROBATIONUM

Filius Dei missus est in mundum.

PRIMO: Hoc annuntiant visiones Patriarcharum & Prophetarum: Hoc, novi Testamenti oracula: hoc, Concilia: hoc omnes Patres.

Secundo: Missio importat duo, videlicet originem personæ missæ, & effectum temporalem ad salutem nostram ordinatum: hæc autem duo in incarnatione affulgent, juxta istud D. Joannis 1. oraculum, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Verbum a Patre procedere dictum est supra: Verba ista, *caro factum est*, important Missionem & effectum in tempore productum. Posteriores voces, *& habitavit in nobis*. Indicant finem missionis, esse præter gloriam Dei nostram propriam sanctificationem.

Tertio, sic de fide definivit Concilium primum Antiochenum contra Photinum.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Spiritus sanctus missus sit in mundum.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis momentis.

Primo, ex veteri Testamento.

FIGURÆ veteris Testamenti indicant visibilem Spiritus sancti missionem; sic enim habetur Genes. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Et iterum cap. 8. *Adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ*. Rursus Job. 26. *Spiritus ejus ornavit cælos*. Et adhuc Isa. 61. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde*. In tribus prioribus locis est sermo de visibili missione Spiritus sancti, tum ad creationem mundi, tum ad delendum diluvium, tum etiam ad ornandum celos, quæ quidem apparitiones subindigitant missionem supernaturalem, qualis concessa fuit Isaiæ: Quinimmo prædictæ apparitiones vel ipsam Verbi incarnationem seu missionem præludebant, quippe quod, teste sancto Joanne 1. epist. 3. venerit: *Ut dissolvat opera diaboli*.

Secundo, ex novo testamento.

HABETUR Matth. 3. *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti*

perti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Lucæ 3. *Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.* Act. 2. *Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Ibidem cap. 4. *Cum orassent, motus est locus in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.* Cap. 8. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Cap. 10. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, & obstupuerunt ex circumcisione Fideles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.* Sed in his omnibus Spiritus sanctus diffunditur in animam sub signis sensibilibus. Igitur missus est sensibiliter ad homines Spiritus sanctus.

Tertio, ex Patribus.

SANCTUS Chrysostomus Homil. 12. in Matt. 5. dicit Spiritum sanctum descendisse sub specie columbæ super Christum: Idem afferunt alii Patres. Imprimis Gregorius Naz. orat. 44. in qua dicit Spiritum sanctum diversis temporibus, vim suam ostendisse in Patriarchis, & Prophetis, ac demum in Apostolis in quibus triplicem communicationis gradum ostendit, tanquam visibilis missionis & descensus: " Trifariam iis, *inquit*, datus est prout ,, ipsorum captus ferebat, tribusque temporibus, nempe antequam Christus per ,, passionem glorificaretur; postquam resurrectione glorificatus est, post ejus in ,, cœlum ascensum, sive restitutionem, ,, sive quo alio nomine res ea sit appellanda. Hoc autem perspicue ostendit, ,, tum prima illa morborum, spirituumque depulsio; quæ sancto non absque ,, spiritu fiebat, tum illa post confectum ,, nostræ salutis negotium insufflatio, quæ ,, divinioris procul-dubio inspirationis ,, specimen habebat: tum postremo præsens hæc ignearum linguarum divisio, ,, quam etiam solemni Festo celebramus, ,, verum primo quidem obscure, secundo ,, expressius; nunc vero perfectius: & ,, qui non jam operatione sola præsens ,, sit, ut antea, sed substantiali, ut sic ,, loquar, modo adsit ac simul versetur. ,, Decebat enim ut cum Filius corpoream ,, nobiscum consuetudinem habuisset, spiritus quoque corporeo nobiscum modo ,, versaretur, & corporeo ipse modo cerneretur; & cum Christus ad sese reversus esset, ille ad nos descenderet, ,, ita quidem ut & tanquam Dominus ,, veniret, & tanquam Deo nequaquam ,, oppositus mitteretur. ,, Quibus verbis fuso calamo probat Gregorius visibilem sancti Spiritus missionem.

Sanctus Thomas hic quæst. 43. art. 7. probat illam esse convenientem hac ratione, quia invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; ex quo principio sic concludit: " Conveniens ,, fuit, ut etiam invisibiles missiones divinarum personarum secundum aliquas ,, visibiles creaturas manifestarentur. Aliter tamen Filius, & Spiritus sanctus. ,, Nam Spiritui sancto in quantum procedit ut amor competit esse sanctificationis donum, Filio autem in quantum ,, est Spiritus sancti principium competit ,, esse sanctificationis hujus auctorem, & ,, ideo Filius visibiliter missus est tanquam sanctificationis auctor, sed Spiritus sanctus tanquam sanctificationis indicium. ,,

Quarto, rationibus Theologicis.

PRIMA: Missio divina duo potissimum importat, videlicet originem unius personæ ab alia, & effectum supernaturalem in tempore productum: Sed utrumque reperitur in descensu Spiritus sancti super fideles: Et probatur. Primo quidem Spiritus sanctus procedit a Patre, & Filio, ut de fide definitum est in Concilio: tum Lugdunensi, tum Florentino: Secundo, Apostoli, ut habetur, Act. 1. Repleti Spiritu sancto, habebant omnium charismatum dona, ita ut variis loquerentur linguis, dæmonia ejicerent, & sanarent ægrotos a quacumque detinerentur infirmitate. Ergo &c.

Secunda: Quod festivat Ecclesia, ut quid verum & sanctum habendum est: Sed Ecclesia missionem Spiritus sancti ad Apostolos

stolos annua Pentecostes festivitate celebrat. Ergo &c.

Tertia: Illud adimpletum est, si contraria propugnantes anathemate percussi sunt: Atqui Concilium II. generale proscripsit Macedonianos negantes & Spiritus sancti divinitatem, & consequenter ejus ad BB. Mariam Deiparam & Apostolos missionem. Ergo. &c.

Diluuntur objecta.

OBJICIES: Qui mittitur est minor persona a qua mittitur, sic Filius incarnatus, est minor Patre: Sed Spiritus sanctus nusquam dicitur Patre & Filio minor: Igitur non missus est.

Respondeo distinguendo majorem: Filius est minor Patre ratione naturæ assumptæ, concedo: ratione sui, nego. Filius incarnatus assumpsit hypostatice naturam humanam; quocirca ratione illius Patre minor prædicatur: sed Spiritus sanctus in columbæ & ignis specie aliisque signis tantum apparuit: Igitur non est paritas. Solutio est D. Thomæ ibidem ad 1. his verbis: " Dicendum quod Filius creaturam visibilem in qua apparuit in unitatem personæ assumpsit: sic, ut quod de illa creatura dicitur, de Filio Dei dici possit. Et sic ratione naturæ assumptæ Filius dicitur minor Patre. Sed Spiritus sanctus non assumpsit creaturam visibilem, in qua apparuit, in veritatem personæ, ut quod illi convenit de illo prædicetur; unde non dicitur minor Patre propter visibilem creaturam. "

Instabis: Spiritus sanctus non assumpsit aliquam visibilem creaturam. Igitur non vere missus est.

Respondeo negando consequentiam: namque ad visibilem missionem sufficit signum personæ missæ demonstrativum. Responsio est D. Thomæ ibidem ad 2. & subnotat ad quartum non necessariam esse assumptionem naturæ rationalis ubi agitur de signo tantum: " Neque oportuit, quod creatura visibilis ad hoc formata, esset assumpta a Spiritu sancto in unitatem personæ, cum non assumeretur ad aliquod agendum, sed ad indicandum tantum. Et propter hoc etiam non oportuit quod duraret, nisi quandiu perageret officium suum. ".

Insistes: si ad missionem Spiritus sancti requiratur signum sensibile, sequitur eum non descendere super omnes justos, cum signa non semper dentur: absurdum consequens; ergo & Antecedens.

Respondeo missionem visibilem & miraculosam non fuisse necessariam nisi primis sæculis ad fidei propagationem, unde nego sequelam. Sic respondet ibidem S. Thomas ad 6. " Quæ quidem, *ait*, utilitas est, ut per hujusmodi visibilia signa fides confirmetur & propagetur. " Tum subdit opus fuisse, ut Spiritus sanctus, tunc temporis descenderet visibiliter super Christum, & Apostolos, aliquosque fideles, hinc est quod Paulus dicat. 1. Cor. 14. *linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Spiritus sanctus missus est in mundum.

PRIMO, scriptum est Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Et Luc. 3. *Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum*, scilicet Christum.

Secundo, hanc veritatem docet S. Chrys. Homil. 12. in Matth. hanc eandem prædicat Greg. Naz. orat. 44.

Tertio, S. Thomas hic quæst. 43. art. 7. illam missionem dicit esse convenientem, quia invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO, concedimus missionem servi a domino ad aliquem locum, importare dependentiam & minoritatem in eo qui mittitur, secus si sermo sit de missione quæ in origine fundatur, qualis est missio divinæ personæ.

Secundo, esto quod Spiritus sanctus non assumpserit aliquam creaturam sensibilem se hypostatice ei uniendo, sed sufficit quod illam assumpserit in signum sui descensus demonstrativum.

AR-

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum personæ divinæ descendant invisibiliter in animam cujuscumque justi.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

CERTUM est Patrem non mitti, sed venire, si quidem ab alio non procedit. Ita D. Thomas hic art. 4. Certum est quoque missionem non fieri præcise, per gratiam gratis datam, sed potius per gratiam gratum facientem, tum actualem, tum etiam habitualem; quandoquidem prior ordinatur per se primo ad utilitatem aliorum, posterior vero ad propriam subjecti sanctificationem; sic docet ex professo ibidem S. Thomas art. 3. His prælibatis,

Probatur conclusio rationibus Theologicis.

PRIMA hæc est. Missio duo potissimum importat; ut dictum est, videlicet processionem personæ quæ mittitur, & effectum temporalem, novumque existendi modum Dei ad animæ sanctificationem, per suam mirabilem operationem, ita ut non solum donum, sed ipsa persona divina detur; non quidem per unionem hypostaticam; sed per ineffabilem illapsum in animam, ut in ea sit specialiter principium cujuscumque boni, sic delineat missionem invisibilem S. Thomas hic art. 3. 5. 6. & 7. Sed ex eodem sancto doctore ibidem Pater venit, Filius & Spiritus sanctus ad animam justi mittuntur invisibiliter: dico invisibiliter, quia hujusmodi missio sensibilis non est. Igitur datur missio invisibilis &c. Hæc ratio est Apostoli qui Rom. 8. sic loquitur: *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei*: quæ verba explanans D. Thomas comment. in illam Epistolam lectione tertia, ait, *quicumque Spiritu Dei aguntur*: „ Idest reguntur sicut a quodam ductore, & directore, quod quidem in nobis facit Spiritus sanctus, in quantum illuminat nos interius, quod facere debeamus. Psalmo 142. Spiritus tuus bonus deducet me &c. Sed quia ille qui ducitur, ex se ipso non operatur. Homo autem spiritualis non tantum instruitur a Spiritu sancto quid agere debeat, sed etiam cor ejus a Spiritu sancto movetur ... Homo spiritualis, non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter. Sed ex instinctu Spiritus sancti inclinatur ad aliquod agendum, secundum illud Isaiæ 56. cum venerit quasi fluvius violentus quem Spiritus Dei cogit. Et Lucæ 4. quod Christus agebatur a Spiritu in deserto. Non tamen per hoc excluditur quin viri spirituales per voluntatem & liberum arbitrium operentur, quia ipsum motum voluntatis & liberii arbitrii Spiritus in eis causat secundum illud Philipp. 2. „ *Deus est qui operatur in vobis velle & perficere.*

Secunda: Deus charismatum donis animam cujusque justi sua visitatione replet. Igitur & Pater venit, & aliæ personæ mittuntur in animam. Probatur Antecedens multis momentis. 1. Joann. 14. habetur, *Si quis diligit me sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* 2. Petri 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit: ut per hoc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Ecce gratiæ sanctificantis largitio. 3. Isaiæ 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiæ, & intellectus Spiritus consilii & fortitudinis: Spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum Spiritus timoris Domino.* 4. 1. Cor. 12. *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ, secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum, in uno Spiritu: alii operatio virtutum: alii Prophetia: alii discretio spirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus & idem spiritus.* 5. Gal. 5. *Fructus autem spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*, Ergo &c.

Tertia ratio: Deus est præsens specialiter animabus justis, iis potissimum quæ vacant orationi eique votis constringuntur; ita ut post dona seipsum animabus det, ut omnium donorum auctor. Ergo &c. Probatur Antecedens. Joan. 14. in gratiam justi habetur: *mansionem apud eum faciemus*: Hæc autem intima Dei præsen-

sentia incorruptionis fons est, quædam inchoata beatitudo, vel ut verius dicam, sapientia de qua Salomon 7. sic loquitur, *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.*

Hujusce mirabilis & missionis, & præsentiæ multi sunt gradus & effectus.

Gradus præsentiæ Dei in anima.

PRIMUS est unio Dei intima, qua ita animæ præsens est, ut si per impossibile nullibi foret, esset tamen in anima justi; quem quidem gradum Joannes epist. 7. cap. 4. explicat dicens, *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et vero Deus est ibi præsens 1. substantialiter, quatenus habitat in justo, ut sponsus in thalamo, juxta illud Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum:* sicut Rex in throno: hinc Petrus epist. 1. 2. vocat justum, gentem sanctam, regale sacerdotium, populum acquisitionis: sicut Deus, in templo; ait enim Apostolus Cor. 3. *Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Denique juxta Thomam. Deus præsens est animæ sicut intellectus in intellectu, & amatum in voluntate: ait enim Augustinus: " Amor meus, pondus meum. " Et ipse Christus Luc. 12. *Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.*

Secundus effectus, seu gradus, est largitio munerum, ut dictum est, quod quidem paucis explicat verbis Apostolus Rom. 5. his verbis: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Largitio donorum juxta illud Isaiæ cap. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Tum etiam gratiarum gratis datarum; sic docet Apost. ad Galat. 5. *Fructus autem spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Et 1. ad Cor. 12. *Idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus, unicuique autem datur manifestatio spiritus, ad utilitatem. Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum in uno spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.*

Tertius, est gubernatio animæ, ut habetur Psalm. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Et Psalm. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Et Proverb. 20. *a Domino diriguntur gressus viri.* Item vita, juxta illud Joan. 10. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Et istud Eccles. *Regem cui omnia vivunt.* Et in Actibus Apost. cap. 17. *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.*

Quartus est propulsio timoris, & servitutis solutio juxta illud Rom. 8. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* Item amicitia ut ait Joan. cap. 15. *Jam non dicam vos servos, sed amicos.* Item hæreditatis jus, dicente Apostolo Rom. 8. *Si autem filii, & heredes:* & iterum 1. ad Cor. 3. *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi:* Item & ipsius regni possessio, juxta illud Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.*

Omnium autem maximus est ipsius Dei effusio, & donatio animæ justæ liberaliter concessa, sic enim Leg. Exodi 6. *Assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus: & scietis quod ego sum Dominus, Dominus Deus vester.* Idest, vester sum totaliter. Et ut dicit Joan. in Apocal. 21. *Et ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Sed quomodo, nisi quia Deus est omnia sanctis, & divitiæ, & fortitudo, & gaudium, & delectatio usque in finem? D. Thom. opusc. 61. mirabiliter explicat hanc Dei effusionem his verbis, quæ compendiose explanant ineffabile Dei cum anima consortium. " Anima, *inquit*, amat & amatur, quærit & quæritur, vocat & vocatur ... In hoc gradu, quodam miro indissolubili modo rapit & rapitur, tenet & tenetur, stringit & stringitur; & una uni, per amoris copulam sociatur. "

D. Bernardus in serm. 1. de Trinit. pag. 440. stupens breviter explicat SS. Trinit. Mysterium notando quid sit in se, quid

quid pro nobis, quid proficiat anima cum sanctissima Trinitate, in quo vero deficiat sine ea, quomodo vero reficiatur per eam: " Est Trinitas, *inquit*, creatrix, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ex qua cecidit Trinitas creata, memoria, ratio, & voluntas; & est Trinitas per quam cecidit, videlicet suggestio, delectatio, & consensus; & Trinitas in quam cecidit, scilicet impotentia, cæcitas, & immunditia; denique est Trinitas per quam resurgit, nimirum fides, spes, & charitas. "

SYNOPSIS ARTICULI.

Personæ divinæ descendunt invisibiliter in animam justi.

PRIMO, ipse Christus hoc declarat Joan. 14. his verbis, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Secundo, Deus charismatum donis animam justi replet, ut habetur 2. Petr. 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit; ut per hoc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Sed illud ineffabile consortium fit per illapsum divinarum Personarum in animam. Ergo &c.

Tertio. Deus est ubique præsens, sed specialiter justis, ut docent sancti Doctores. Ergo &c.

Hæc dicta sint de Mysterio ineffabili sanctissimæ Trinitatis, ad gloriam & honorem Dei unius & Trini. Si quid contrarium obrepsisset in hoc Tractatu fidei, vel probis moribus dissonum, illud & retractamus, & eliminamus, ut in omnibus ei sit decus a quo, per quem, & in quo sunt omnia, *Amen*.



DIS-

TRACTATUS SEXTUS
DE
DEO CREATORE ET PRÆMOTORE, EJUSQUE EFFECTIBUS.

Ubi de Angelis, de opere sex dierum, de homine, ejusque statibus.



NTER Dei attributa non infimum tenet locum omnipotentia, siquidem ex ea affulget ejus eximia pulchritudo, dicente Propheta Regio Ps. 49. *Deus Deorum Dominus locutus est, & vocavit terram ... Ex Sion species decoris ejus.* S. Augustinus Dei omnipotentiam repetit ex virtute qua cuncta creavit: ex æternitate in qua immotus manens cuncta movet & facit: ex sapientia seu sophia qua cuncta produxit: ex immortalitate & incorruptione qua ab omni tum culpæ, tum etiam pœnæ labe immunis, cuncta bona operatus est.

De primo momento l. 2. de Symb. cap. 3. sic loquitur: " Deus est omnipotens, quia de nihilo fecit omnia quæcumque fecit, non enim eum aliqua materies adjuvit ex qua demonstraret artis suæ potentiam, sed de nihilo cuncta creavit; hoc est enim esse omnipotentem, ut non solum fabrica ipsa, sed etiam materies ab illo inveniatur esse qui non habuit initium ut esset, & id qui sempiternus est crearet, non id quod ipse esset, sed quod ab illo esse jam accepisset, omne enim quod est, ab illo est; ipse autem a seipso est, qui non ab aliquo factus est. "

De secunda omnipotentiæ origine quam sanctus Doctor ex æternitate deducit serm. de symb. ait: " Ipse quippe Deus est omnipotens qui in principio mundi cuncta de nihilo fecit, qui est ante sæcula, & qui fecit & regit sæcula; non enim tempore augetur, aut loco distenditur, aut aliqua concluditur, aut terminatur materia, sed manet apud se & in seipso plena & perfecta æternitas, quam nec comprehendere humana cogitatio potest, nec lingua narrare. "

Ideo vero Deum omnipotentem esse passim asserit S. Augustinus, quia per suam sapientiam seu sophiam cuncta fecit. Non abs re erit hic texere verba incerti cujusdam auctoris apud sanctum Doctorem l. de incarn. Verbi cap. 13. " Ut autem manifestius intelligatur, quæ sit gloria omnipotentiæ, hoc addimus, Deus Pater omnipotens est, eo quod potentatum omnium tenet, idest, cœli & terræ, & maris, & omnium quæ in eis sunt. "

Demum, immortalitatem Dei esse vel ipsius omnipotentiæ fontem & principium contendit idem S. Augustinus l. 1. de symb. cap. 1. his verbis: Deus omnipotens est, & cum sit omnipotens, mori non potest .... Nam si mori posset, omnipotens non esset, "

Historia critica errorum circa mundi creationem.

Ortus.

EPICURUS veluti primus invexit in mundum errores de creaturarum productione, quippe qui crediderit mundum esse

ex seipso factum, & ex quibusdam stupidis coaluisse atomis, ut fuso calamo exposuimus ubi de existentia Dei. Non multum absimilem habuit Aristoteles opinionem, namque lib. 1. de cœlo, & lib. 2. de generatione docuit mundum esse ab æterno, cui sententiæ ejus adhæserunt discipuli asserentes mundum quidem a Deo auctore existere, sed eo prope modo quo effectus æternus a causa æterna veluti ejus vestigium promanare. Sic refert Augustinus lib. 10. de civitate Dei cap. 31.

Alter error est eorum qui mundum factum quidem in tempore agnoscunt, sed ex materia Deo coæva. Sic sensit Hermogenes. Sic autumant Seleuciani, sic Hermiani. Ita testantur Epiphanius & Augustinus lib. de hæresibus: quem etiam errorem amplexi sunt Manichæi, ut idem scribit Augustinus l. de fide contra Manichæos cap. 40. & 41.

Progressus.

NONNULLI senserunt mundum etiam quoad materiam sumpsisse aliquando exordium: sed Deum ejus opificem negantes, ejus effectionem, seu creationem, modo Angelis bonis, modo malis, modo etiam alicui cœlorum tribuerunt. Inter eos annumerantur Simon Magus, Menander, Saturninus, Basilides, Valentinus, & alii ut refert Epiph. lib. 1. de hæresibus; Philastrius, & alii. Ad hoc Heterodoxorum genus reducuntur qui non omnes, sed aliquas tantum creaturas divino operi subtrahentes, ad alias effectrices causas, earum productionem retulerunt: Sic Seleuciani animas ab Angelis; Severiani vinum a diabolo profluxisse autumabant.

Rursus alii, corpus humanum ad Angelos ut ad causas, alii vero membra humani corporis inferiora ad diabolum opificem referebant. Estius in distinc. 1. lib. 2. §. 1.

Non defuerunt qui etsi Deum habuerint mundi Auctorem, docuerunt tamen nonnisi mediantibus aut Angelis, aut aliis creaturis, conditum fuisse. Sic Arius posuit Deum Patrem ante omnia fecisse sibi Filium, deinde per Filium creasse Spiritum sanctum; per utrumque vero cæteras condidisse creaturas. Avicenna similia prope dicit. Docet enim facta ab initio intelligentia prima, tum per eam alias, atque alias intelligentias, ac postremo a novissima intelligentia conditum esse hunc spectabilem mundum. Estius ibidem.

Demum est error constituentium duo prima rerum principia effectiva quæ uti duos Deos habuerunt; alterum scilicet bonum, alterum vero malum. Sic stulte propugnabant Gnostici, Cerdoniani, Manichæi, & Priscillianistæ, ait D. Thomas 1. parte quæst. 49. art. 3. in corpore; qui omnes errores ad quinque potissimum capita reducuntur. Primum genus est eorum qui dixere mundum ab æterno: Alterum illorum qui solum materiam primam Deo coævam ponebant: Tertium asserentium mundum ab aliqua creatura præcellenti factum: Quartum eorum qui concedebant a Deo quidem promanasse, sed mediantibus Angelis: Ultimum propugnantium duo prima principia.

Interitus seu proscriptio.

PRIMUM errorem confutant passim sancti Doctores, in primis sanctus Augustinus lib. 11. de civitate Dei cap. 4. & 5. Ibidem l. 10. cap. 31. & adhuc lib. 12. cap. 10. 14. & 17. Ambrosius lib. 1. in Exaemeron. cap. 5. S. Thomas 1. part. qu. 46. art. 1. & 2. Secundum errorem perstringunt Epiphanius lib. de hæresibus. Augustinus lib. de fide contra Manichæos cap. 40. & 41. D. Thomas 1. parte quæst. 44. art. 1. & 2. imprimis vero Tertullianus lib. contra Hermogenem. Tertium impugnat Epiph. lib. 1. de hæresibus. Augustinus in opusculis, & alii. Quartum debellat S. Thomas 1. parte quæst. 45. art. 5. cum Athanasio & aliis sanctis Patribus qui Verbum non creaturam, qua mundus conditus est, sed Deum esse Patri consubstantialem pro aris & focis defendunt. Ultimum S. Augustinus in variis libris adversus Manichæorum pravitatem, & S. Thomas 1. parte quæst. 49. art. 3. in corpore.

Dogmata præcipua credenda circa Dei omnipotentiam, ejusque effectus.

PRIMUM: Deus est rerum omnium causa efficiens, movens, & conservans.

Secundum: Creavit cœlos, terram, Angelos, hominem & omnia quæ in mundo sunt, tam visibilia quam invisibilia.

Tertium: Dantur Angeli a Deo producti.

Quartum: Angeli sunt incorporei.

Quintum: Angeli boni gloria æterna, mali vero suppliciis æternis donati sunt.

Sextum: Homo factus est ad imaginem Dei, & ad finem supernaturalem.

Quædam alia momentosa de singulis creaturis quæ ad fidem reduci queunt in decursu tractabimus, ad dissipandos circa productionem creaturarum errores.

Juvat hic referre magnalia omnipotentiæ quibus Creator miris modis ab initio mundi se prodit oculis nostris, ut iterum atque iterum existentiam Dei optimi maximi ab effectibus demonstrantes, Atheos revincamus.

Quatuor potissimum circa Dei omnipotentiam enucleanda veniunt; primo quidem in genere, num Deus sit causa omnium: Tum in particulari, num sit Creator Angelorum, num rerum corporalium, num Protoparentum?

DISSERTATIO PRIMA.

De efficacia omnipotentiæ Dei secundum se spectata.

EPICURUS negavit mundum a Deo suisse productum, tum concludit creaturas a seipsis solum moveri. Sed contra quod dicit Scriptura Gen. 1. *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Tum cap. 17. *Ego Deus omnipotens.*

Dogma de efficacia virtutis & omnipotentiæ Dei, quatuor potissimum argumentis probatur.

Primo, quia Deus est causa rerum omnium efficiens, finalis, & exemplaris.

Secundo, quia est causa rerum creatrix.

Tertio, quia est causa prima adjuvans causas secundas.

Quarto, quia est causa physice præmovens agentia creata.

ARTICULUS PRIMUS.

Num Deus sit causa rerum omnium efficiens, finalis & exemplaris.

PRÆNOTANDUM est quintuplicem distingui a Philosophis causam; nimirum efficientem, materialem, formalem, finalem & exemplarem. Efficiens illa dicitur a qua per verum influxum promanat, & producitur effectus: materialis quæ se dat composito, similiter & formalis cujus est pars, quæque in materia recipitur, & subjectatur: finalis, quæ est motivum agendi & finis; exemplaris, forma ad quam respiciens aliquis operatur. Deum causam aut materialem, aut formalem esse non posse constat, cum nec sit materia, sed purus & simplex spiritus; nec forma, cum in compositionem rerum venire non possit, quippe qui sit ens a se, ens infinitum, independens, & incircumscriptum, forma vero ens dependens, finitum & quibusdam terminis conclusum; ita tamen sermonem de causa prima instituimus, ut non excludamus causas secundas, de quibus infra. Impræsentiarum controversia movetur de Deo ut primo rerum principio secundum se spectato. Jam sit

CONCLUSIO PRIMA.

Deus est rerum omnium causa efficiens.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

LEGITUR de Deo Psalm. 145. *Qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt.* Rursus Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Item Rom. 11. 36. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula.*

Quæ quidem & similia denotant Deum esse rerum omnium causam efficientem & primum principium, unde sanctus Job Deum vel etiam pluviæ appellat Patrem 38. 28. his verbis: *Quis est pluviæ Pater, vel quis genuit stillas roris &c.?* In illo toto capite Deus rerum omnium auctor & conservator astruitur, & prædicatur. Ergo &c.

Secundo, ex S. Augustino.

SANCTUS DOCTOR nedum proclamat, sed demiratur Dei omnipotentiam, ejusque energiam, l. med. c. 29. his verbis: " O summe, optime, omnipotentissime, " misericordissime, pulcherrime, & " for-

„ fortiſſime, ſtabilis & incomprehenſibilis! „ Rurſus c. 30. " Veritas Deus cujus omnipotentia concludit univerſa. „ Et iterum epiſt. 146. vet. edit. " Quomodo negare poterimus, Deum etiam nunc operari cuncta quæ creantur, cum Dominus dicat: Pater meus uſque nunc operatur. „ Igitur ex D. Aug. Deus nedum in prima rerum, ſed & in continuata rerum productione eſt cauſa efficiens univerſorum.

Dices: Gen. 1. habetur, Deum requieviſſe die ſeptimo ab omni opere quod patrarat. Igitur ſolum tunc temporis fuit principium rerum efficiens, nuſquam vero eorum quæ generatione quotidiana fiunt.

Reſpondeo diſtinguendo Antecedens, Deus in principio requievit a creationis opere, cuncta quippe tunc fecerat, & erant valde bona, concedo: Requievit ab opere conſervationis, quæ eſt iterata rerum per generationem productio, nego. Solutio eſt D. Aug. qui ibidem ſubdit: " Illa ceſſatio ſeptimi diei, ab ipſis naturis condendis intelligenda eſt facta, non ab earum adminiſtratione qua condita referuntur. Cum ergo natura rerum a Creatore adminiſtretur, & per ordines præfinitis locis & temporibus ſuis cuncta naſcantur, Deus uſque nunc operatur. Nam ſi iſta non format, quomodo loquitur: priuſquam te formarem in utero novi te? Quomodo etiam accipi poteſt quod fœnum agri quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit... quum enim dicit, *veſtit*, non de præterita ordinatione, ſed de præſenti operatione ſe loqui ſatis indicat. „

Tertio, ex rationibus quas pro hoc memento affert D. Thomas l. 2. contra Gentiles c. 15.

ILLE eſt primum rerum principium efficiens, qui ſolus eſt ſuum eſſe, cætera vero entia ab alio: Sed res ſic ſe habet: Et probatur. Eo ipſo quo Deus ſolus eſt ſuum eſſe, & tale per ſeipſum, neceſſe eſt cætera quæ ſunt ab alio ortum a Deo habere, juxta illud tritum adagium: *Quod eſt per ſe primo tale, cætera non ſunt talia niſi per ordinem ad illud*. Sic quia ignis primum eſt in genere calidi, eſt cauſa caloris in corpore miſto: Igitur eatenus Deus rerum omnium principium dici debet, quatenus eſt primum ens a quo cætera habent eſſe, juxta illud Act. 17. *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus*. Hanc rationem explanat D. Thomas num. 1. " Oportet igitur quod ab illo cui nihil eſt cauſa eſſendi, ſit omne illud quod quocumque modo eſt. Deum autem ſupra oſtendimus, hujuſmodi ens eſſe, cui nihil ſit cauſa eſſendi: ab eo igitur eſt omne quod cumque modo eſt. „ Eandem proſequitur rationem num. 2. ſed præcipue num. 4. his verbis: " Quod per eſſentiam dicitur, eſt cauſa omnium, quæ per participationem dicuntur: Sicut ignis eſt cauſa omnium ignitorum in quantum hujuſmodi. Deus autem eſt ens per eſſentiam ſuam, quia eſt ipſum eſſe: omne autem aliud ens eſt ens per participationem: quia ens quod ſit ſuum eſſe, non poteſt eſſe niſi unum, ut in primo lib. oſtenſum eſt. Deus igitur eſt cauſa eſſendi omnibus aliis. „

Secunda: Ens neceſſarium, abſolutum, & intrinſece tum in ſuo eſſe, tum in ſuo operari infinitum, eſt prima cauſa efficiens rerum, quæ modo ſunt, modo non ſunt: omne quippe quod movetur ad eſſe & operari habendum, moveri debet ad eſſe & operari ab alio quod ſit ſemper in actione vitæ & operationis: Atqui Deus ſolus eſt ens intrinſece ex ſua natura infinitum, ens neceſſarium & abſolutum; ens in actu perpetuo & vitæ & operari, cum teſte Auguſtino, ſit ipſa vita, & actus purus, creaturæ vero modo ſint, modo non ſint: Igitur Deus eſt primum rerum principium effectivum. Audiamus D. Thomam. Sic loquitur ibidem num. 5. " Oportet igitur omne aliud ab ipſo, *ſcilicet Deo*, reduci in ipſum, ſicut in cauſam eſſendi. „

Tertio: Qui ſolus omnium rerum præcontinet perfectiones, eſt prima entium cauſa efficiens: Et vero nemo dat quod non habet, ex quo liquet illud ſolum eſſe rerum cauſam quod eſt omnia & omnium præhibet perfectiones: Sed Deus eſt ſummum bonum, bonum in omni genere, bonum immenſum & nullis circumſcriptum terminis, bonum cætera in ſe complectens bona, cæteraſque rerum omnium habens perfectiones: Igitur prima cæterorum entium cauſa efficiens. Ita D. Thomas ibidem n. 6. " Omnes, *inquit*, rerum perfectio-

" fectiones comprehendit Deus . . . Et " sic est virtualiter omnia. Est igitur ipse " omnium factivus; hoc autem non esset, " si aliquid aliud esset natum esse, nisi " ab ipso. "

CONCLUSIO SECUNDA.

Deus est causa rerum omnium exemplaris.

Probatur auctoritate simul & ratione, tum D. Augustini, tum D. Thomæ.

PRIMA sic exponitur. Effectus est quædam causæ similitudo & expressio, adeoque illud quod exprimitur est causa exemplaris illius quod rem aliquam repræsentat, in tantum quippe repræsentat, in quantum habet rei similitudinem: Sed cuncta universi entia sunt divinæ essentiæ participationes, emanationes & similitudines. Igitur Deus utpote omnia continens bona, omnesque perfectiones, est rerum omnium causa exemplaris. Hæc ratio colligitur ex D. Augustino qui l. 83. qq. q. 46. ait, loquens de ideis quæ " idem sunt ac exemplaria rerum. " *Sunt formæ participales, quæ divina intelligentia continentur.*

Secunda: Exemplar, est id omne ad quod respiciens artifex operatur: Atqui Deus dum cuncta creat, vel producit, ad suam mirabilem spectat essentiam, quatenus illam tali, vel tali modo suam ad extra effundit bonitatem: hoc quippe summam decet sapientiam, quæ sua ita dirigit opera, ut sint in ordine debito & determinata & digesta, ut per omnia affulgeat pulchritudo nedum mundi, sed & Creatoris mundi, quæ quidem pulchritudo in eo potissimum apparet in creaturis quod sint divinæ essentiæ similitudines & expressiones: Atqui hoc ipsum denotat eandem ineffabilem essentiam esse veluti formam, ad quam respiciens Deus, ad extra operatur. Igitur Deus est causa rerum exemplaris.

Sic ex professo propugnat D. Thomas hic 1. p. q. 44. art. 3. his verbis: " Dicendum quod Deus est prima causa exemplaris omnium rerum. Ad cujus evidentiam considerandum est quod ad productionem alicujus rei ideo necessarium est exemplar, ut effectus determinatam formam consequatur; artifex enim producit determinatam formam in materia propter exemplar ad quod inspicit, sive illud sit exemplar ad quod extra intuetur, sive sit exemplar interius mente conceptum. Manifestum est autem quod ea quæ naturaliter fiunt, determinatas formas consequuntur: hæc autem formarum determinatio oportet quod reducatur sicut in primum principium, in divinam sapientiam quæ ordinem universi excogitavit, qui in rerum distinctione consistit. "

CONCLUSIO TERTIA.

Deus est causa finalis omnium creaturarum.

Probatur una aut altera ratione Theologica.

PRIMA quæ multas alias complectitur hæc est. Qui propter semetipsum agit, qui est primum principium & finis rerum omnium, est quoque rerum omnium causa finalis: Atqui Deus cuncta propter semetipsum facit juxta illud Proverb. 16. 4. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*. Igitur Deus est primum universorum principium & finis: sic quippe Filius Dei Apoc. 1. 8. loquitur: *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis*. Ergo &c.

Secunda: Nomine causæ finalis intelligimus bonitatem quæ movet & allicit ad operandum, & in quo ultimate quiescit agens: Atqui sola bonitas divina talis est: Ergo &c. Hæc ratio est divi Thomæ 1. par. q. 44. art. 4. his verbis: " Dicendum, quod omne agens agit propter finem. Alioquin ex actione agentis non magis sequeretur hoc quam illud nisi a casu. Est autem idem finis agentis & patientis in quantum hujusmodi, sed aliter & aliter. Unum enim & idem est, quod agens intendit imprimere, & quod patiens intendit recipere. Sunt autem quædam, quæ simul agunt & patiuntur, quæ sunt agentia imperfecta: & his convenit quod etiam in agendo intendant aliquid acquirere: Sed primo agenti quod est agens tantum, non convenit agere propter acquisitionem alicujus finis, sed intendit solum communicare suam perfectionem, quæ est ejus bonitas.

Et

„ Et unaquæque creatura intendit consequi „ suam perfectionem, quæ est similitudo „ perfectionis & bonitatis divinæ. Sic „ ergo divina bonitas est finis rerum om- „ nium. „

Non abs re erit hanc ulteriorem afferre rationem. Agens non operatur cæco modo, alias cuncta forent casualia. Igitur datur causa finalis in quo cuncta quiescant, quæque ad operandum alliciat: Sed non est alius finis respectu primi agentis præter Deum; cum in sua bonitate cuncta sibi placentia inveniat: immo nec alius saltem ultimus respectu ipsius creaturæ, bona quippe creata movent quidem nos immediate ad operandum, sed nusquam ultimate, summum duntaxat bonum est finis in quo cuncta ultimate quiescunt: Igitur Deus est causa finalis.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES contra primam conclusionem. Si Deus est causa principalis efficiens rerum sequitur creaturas nihil operari, sed mere passive se habere, frustra quippe fit per multa, quod fieri potest per pauciora: Absurdum consequens: Ergo & Antecedens.

Respondeo distinguendo, si Deus est causa principalis particularis sequitur creaturas nihil agere, concedo: Si sit causa universalis, nego: & sic distincta minore, nego consequentiam. Duplex distinguitur causa, una particularis & ad certas operationes, certosque effectus limitata: altera vero universalis & infinita, quæ nedum effectus & operationes attingit, sed & ipsas causas secundas ad operandum movet: Illa excludit quidem alterius causæ consortium. Sed non ista: quin immo requiritur necessario ut ipsa creatura agat, juxta illud tritum axioma, *quidquid movetur ab alio movetur*. Non negamus tamen Deum se solo cuncta posse facere, sed præ bonitate & liberalitate summa causis secundis utitur.

Instabis: causa totalis quæ totum attingit effectum, omnem aliam in operando excludit causam: Atqui Deus est causa totalis, ad omnes quippe effectus rationes pertingit, hoc est, id quod in effectu reperitur entis, quod formæ, quod generis, quod & speciei, immo quod individui facit, sic enim habetur de sapientia æterna. Sap. 8. 1. *Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: causa totalis omnem aliam explodit causam non sibi subordinatam, concedo: sibi subordinatam, nego. Artifex tametsi causa principalis arte facti, utitur tamen instrumento: similiter & causa prima utitur secunda, quæ quidem ita Deo subordinatur, ut non nisi ab illo mota operetur. Hinc totus effectus est a Deo; totus a causa secunda: totus a Deo ut a prima causa movente & agente: totus a causa secunda quæ mota, se quoque movet & operatur.

Oppones secundæ conclusioni. Causa exemplaris est forma ad quam respiciens artifex operatur: Sed ejusmodi forma Deo non convenit: Et quidem propter duo, primo quidem quia cuncta ab ipso promanant; secundo non potest esse alicujus formæ subjectum, alias a creatura circumscriberetur: Igitur omnis idea seu exemplar a Deo prorsus eliminandum est.

Respondeo distinguendo, causa exemplaris est forma, vel intrinseca, vel extrinseca ad quam respiciens artifex operatur, concedo: forma mere extrinseca, subdistinguo: quandoque & hoc pro creaturis, nusquam vero pro Deo, concedo: semper, nego. Idea quæ exemplaris nomine donatur, teste D. Thoma hic art. 3. nonnunquam est extrinseca, sed ut plurimum intrinseca est. Pro artifice extrinsecam esse, non implicat. Sed res pro Deo non sic se habet, cum enim a creaturis, vel minimum accipere non possit, causa exemplaris respectu sui non est alia quam ipsa essentia divina diversimode ad extra participabilis, unde neque ut forma informans nisi secundum imperfectum nostrum concipiendi modum Deus se habet. Ex quo claret rationes in confirmationem adductas nihil urgere. Quidam tribuunt Platoni ideam æternam extrinsecus Deo affixam ab ipso independentem: Hanc veluti sacrilegium debellat & rejicit B. Augustinus & post ipsum S. Thomas.

Dices adversus tertiam assertionem. Agere propter finem, indigentiam sapit: Sed Deus ita plenus & dives est, ut nullo indigeat: Igitur non est causa finalis omnium, cum agere propter finem ipsi neque competat, neque conveniat. Probatur major in qua solum est difficultas. Agere pro-

propter finem est, uno relicto medio seu bono, aliud sibi congruum & utile ad scopum præconceptum assequendum assumere. Sed hoc ipsum & indigentiam, & dependentiam ab alio importat: Igitur agere propter finem indigentiam sapit.

Respondeo distinguendo: agere propter finem a se distinctum, indigentiam & dependentiam sapit, concedo: Propter finem a se indistinctum, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Hæc est inter primam & secundam causam discrepantia, quod ista sit in perfectionibus finita, quocirca operatur appetendo bonum quod non habet, ut illius possessione, aut perfectior, aut etiam beata evadat, unde a bono, quod est operationis finis & motivum dependet, nimirum ut boni assecutione perficiatur: at vero causa prima cuncta præcontinet bona, quinimmo, ipsa est summum bonum, unde & ipsa omnium finis: Ratio quidem ordinis in electione mediorum quæ Deus assumit, eatenus invenitur, quatenus unum bonum vult cedere in bonum alterius: sic Angelos ad nostram custodiam mittit: gratiam ad salutem operandam elargitur: Sed rationem causalitatis per dependentiam in eo non invenies, quandoquidem cum sit ipse omnia nihil operando etiam ad extra accipere potest. Hanc rationem egregie explanat B. Augustinus lib. 7. de Doct. Christ. cap. 3. " Deus, „ *inquit*, non fruitur nobis, sed utitur... „ Nobis utitur, non ad ejus, sed ad no- „ stram utilitatem. „

Concinit D. Thomas hic art. 3. ad 1. " „ Dicendum, *ait*, quod licet creaturæ „ non pertingant ad hoc, quod sint simi- „ les Deo secundum suam naturam simi- „ litudine speciei, ut homo genitus ho- „ mini generanti, attingunt tamen ad ejus „ similitudinem secundum repræsentatio- „ nem rationis intellectæ a Deo, ut do- „ mus quæ est in materia, domui quæ est „ in mente artificis. „

Non injucundum erit ad solutionis datæ elucidationem quosdam Boetii versiculos hic texere. Sic canit l. 4. de consol. Metro 6.

Sedet interea conditor altus,
Rerumque regens flectit habenas,
Rex & Dominus, fons & origo,
Lex & sapiens arbiter æqui;
Et quæ motu concitat ire,
Sistit retrahens, ac vaga firmat,
Nam nisi rectos revocans itus,
Flexos iterum cogat in orbes,
Quæ nunc stabilis continet ordo,
Dissepta suo fonte fatiscant.
Hic est cunctis communis amor,
Repetuntque boni fine teneri,
Quia non aliter durare queant
Nisi converso rursus amore
Refluant causæ quæ dedit esse.

Instabis. Deum operari propter finem creatum non semel comperitur: namque partes ad perfectionem compositi ordinat: Sacramenta, ad salutem hominum dirigit: Igitur si illum operari propter finem admittitur, admittendum quoque est, propter finem a sua propria bonitate distinctum agere: ex quo sequeretur, quod tamen absit dicere, Deum, ab ipsis creaturis, saltem in genere causæ finalis dependere.

Respondeo distinguendo: Deus quandoque agit propter finem creatum sibi ipsi ut fini ultimo subordinatum, concedo: non sibi subordinatum, nego. Deus proprie loquendo non agit propter finem creatum, sed unam creaturam ordinat ad bonum alterius, ut dictum est, & hæc omnia in propriam ejus gloriam cedunt, quippequi sit ipse omnium finis. Ita D. Thomas 1. p. q. 44. art. 4.

Urgebis: Idem non potest esse simul causa & efficiens, & exemplaris, & finalis: Sed ex dictis liquet Deum esse rerum omnium causam efficientem: Igitur non est causa finalis.

Respondeo distinguendo majorem, idem, si sit creatura, non potest esse simul causa efficiens, exemplaris & finalis, concedo: si de Deo optimo maximo sermo sit, nego. Creatura est certis quibusdam coarctata terminis, unde nonnisi certa munia subire potest. Sed Deus est infinitus & omnia. Quorsum igitur non foret sub diverso respectu causa quælibet, modo hoc aliquam non implicet imperfectionem? Quinimmo cum cuncta in se adunet bona, cuncta utique omnibus modis operari conveniens est. Igitur ut primum mobile, omnia movet & efficit: ut infinitus, est ad extra in immensum participabilis, & consequenter causa omnium rerum idealis & exemplaris. Ut summa bonitas, omnium quoque est finis. Audiamus de hoc momento Angelicum doctorem, hic

q. 44.

q. 44. art. 4. ad 4. ubi sic loquitur: " Dicendum, quod cum Deus sit causa efficiens exemplaris & finalis omnium rerum & materia prima sit ab ipso: sequitur quod principium omnium rerum sit unum secundum rem; nihil tamen prohibet in eo considerari multa secundum rationem; quorum quædam prius cadant in intellectu nostro quam alia. "

Insistes: Atqui etiam sub diverso respectu rationes multarum causarum in Deo non reperiuntur. Ergo nulla solutio. Probatur Antecedens: Hoc semel admisso, dabitur prius & posterius in Deo, siquidem causa finalis prior est in intentione causa efficiente: Sed implicat dari in Deo prius & posterius. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem, distinguo; admissa diversa causarum ratione dabitur in Deo prius & posterius juxta nostrum concipiendi modum, concedo: a parte rei, ita ut causa efficiens in Deo sit alia res a causa tum exemplari, tum finali, nego. Non semel dictum est supra unicam esse in Deo entitatem quæ æquivalet omnibus creatis perfectionibus, quæ adinvicem in nobis prorsus distinguuntur, unde non mirum si divina ad modum rerum humanarum concipientes, eadem distinguamus, tametsi neque sint in se diversa, neque distincta, quocirca non admittitur prius & posterius in Deo nisi virtualiter & ratione emanationis unius perfectionis ab alia quæ veluti cæterarum radix concipitur: sic ens a se in Deo omnium attributorum fons & origo nuncupatur. In eodem prorsus sensu loquitur D. Thomas ibidem qu. 44. art. 4. ad 4. Ut modo dictum est. Idem probat ibidem in argumento sed contra his verbis. " Prov. 6. dicitur: Universa propter semetipsum operatus est Dominus. " Nec desunt aliæ rationes quibus eadem astruitur responsio. Inter alias hæc est optima, quod inferiora adunentur in superioribus: Igitur ratio causæ tum efficientis, tum & finalis atque exemplaris, maxime, cum hoc summam arguat perfectionem.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

PRIMO: Deus est rerum omnium causa efficiens & primum principium, juxta illud Ps. 134. *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit*. Ratio multiplex affertur. 1. Quia est primum mobile cuncta, tum ad vitam habendam, tum ad operandum movens. 2. Summum bonum, a quo cuncta procedunt, ait, August. lib. meditationum cap. 29. 30. Ens a se a quo cuncta dependent.

Secundo: Deus est causa exemplaris, quandoquidem ejus essentia est in immensum participabilis: In isto sane sensu B. Joannes cap. 1. ait, de creaturis relative ad ideas Dei, *Quod factum est, in ipso vita erat*. Et vero creaturæ habent esse, tum specificum, tum in individuo determinatum ab essentia divina, quatenus eam tali vel tali modo participant: Igitur ipsa est veluti forma ad quam respiciens Deus ad extra cuncta facit & operatur.

Tertio: Deus est quoque causa finalis. Dicente sapiente Prov. 16. 4. *Universa propter seme ipsum operatus est*. Et vero finis est principium in agibilibus. Deum autem a sua bonitate ad operandum moveri nihil vetat, cum sibi plurimum in suis mirabilibus perfectionibus complaceat.

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD OBJECTIONES.

PRIMO: Non implicant pro eodem effectu diversæ causæ etiam efficientes, modo una subordinetur alteri: sic causa secunda subjicitur primæ, & ab ea mota eundem producit effectum.

Secundo: Admittimus quidem in Deo ideam intrinsecam per modum causæ exemplaris, nusquam vero extrinsecus ipsi Deo affixam & a se subsistentem, immo ne quidem extrinsecam creatam a qua Deus in operando dependeat.

Tertio, Tametsi rationem causæ finalis de Deo prædicemus, non tamen propter bonitatem creatam operatur, sed tantummodo propter suam gloriam in qua veluti in fine ultimo quiescit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Deus sit causa rerum omnium creatrix.

DEum esse universi creatorem fuse demonstravimus in primo tractatu ar-

gumento quidem & negativo, probando implicare mundum esse a seipso, & positivo, testimoniis scilicet omni exceptione majoribus. Nunc aliud argumentum positivum, ex ipsa Scriptura, & sanctis Patribus desumptum urgemus adversus Manichæos qui mundum hunc spectabilem a Deo vero & bono conditum esse negant: Iisdem probationibus cæteros impios rerum omnium etiam invisibilium creationem impugnantes, debellare animus est. Unde fit

CONCLUSIO.

Deus optimus maximus est causa creatrix, seu Creator visibilium & invisibilium.

Probatur isto ratiocinio.

CREARE est rem ex nihilo, tum sui, tum subjecti facere, hoc est, secundum se totam & quoad omnes compositi partes, sive considerentur collective & ut ad invicem unitæ, sive spectentur distributive & secundum se: Atqui Deus optimus, maximus cuncta creavit & fecit ex nihilo. Igitur est visibilium & invisibilium creator. Major patet. Probatur minor, & quidem pluribus momentis.

Primo, ex Scriptura sacra.

GENESEOS 1. habetur. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Psalm. 145. *Qui fecit cælum & terram mare & omnia quæ in eis sunt.* Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Rursus ad Col. 1. *Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia.* Quibus & similibus sententiis edocemur, visibilia & invisibilia, composita & simplicia, materiam & formam a Deo facta fuisse, adeoque & creata, nihil quippe aliud creatio importat quam fieri secundum se totum, eo enim ipso quo aliquid fit secundum omnes suas partes, quibus constat, ex nihilo fieri necesse est.

Secundo, ex sanctis Patribus.

Sancti Patres idem passim prædicant: unum aut alterum testem afferre sufficiat. S. Athanasius omnes mundi partes ex natura sua non extitisse, sed a Deo habere principium docet, & ex illo principio probat Verbi divinitatem; unde serm. 3. Arianos perstringit his verbis: " Factura „ est Filius, non creatura, quia per ip„ sum facta esse dicuntur. „ Quod quidem ratiocinium non ponderaret, si aliquid aliud præter Deum foret æternum, & ut verbis Tertulliani utar, *infectum.*

Suffragatur Cyrillus Alex. l. 5. Thesau. c. 3. " Non est, *inquit*, officium artis ex „ nihilo creaturas producere, sed ineffa„ bilis & creativæ virtutis; artis enim „ est ea quæ sunt quasi per subjectam ma„ teriam solummodo immutare, creandi „ vero virtus ipsam rerum substantiam e „ nihilo ad esse produxit. „ Deus rationem creationis essentialem eatenus ibi delineat S. Doctor, quatenus rem ex nihilo tum sui, tum subjecti astruit, quod neque creaturæ, neque arti, sed soli Deo convenire propugnat. Igitur ex Patribus creaturæ omnes secundum id omne quod continent, factæ sunt a Deo in tempore, & hæc est fides Nicæna istis expressa Symboli verbis. *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium:* quod ante prædicaverat Apostolus cum de Deo loquens aiebat Rom. lib. 17. *Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.* Hoc est eadem facilitate qua mundum conservat productione & generatione individuorum, pari & non absimili creavit orbem terrarum.

Tertio, rationibus D. Thomæ.

Sanctus Thomas eandem ex professo docet veritatem lib. 2. contr. Gent. c. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Rursus in Summa. 1. p. q. 45. art. 1. & sequentibus: juvat hic texere aliquas tanti doctoris rationes.

Prima. Mundus ex multis entibus nedum specie, sed & numero diversis coalescit: Sed a Deo primum promanavit: Et probatur. Ad hoc requiritur ens infinitum & universalissimum, causa quippe tot entium in se diversorum debet cuncta facere, debet attingere rationes tum genericas, tum specificas, tum etiam individuales, hoc est, producere in qualibet creatura id quod est ens quo cæteris cum creaturis convenit: id quod est tale ens, quo quælibet natura secernitur & distinguitur ab altera: id quod est ens singulare quo unum

unum individuum facit cum alio numerum. Sed Collectio omnium mundi partium nequit hæc omnia habere a se ipsa, quandoquidem quodlibet ens est per suam formam ad unam determinatum naturam: relinquitur igitur quod habuerit esse a Deo qui est ens in se & intrinsece universalissimum continens quiquid perfectionis est in creaturis, quæ certe cuncta quibus constant, a creatore habuerunt. D. Thomas hanc explanat rationem lib. 2. contra Gent. cap. 16. num. 4. aitque: " Deus est universale essendi principium: ...... non igitur sibi competit agere tantum per motum, aut per mutationem: neque igitur sibi competit indigere præjacenti materia ad aliquid faciendum. " Idem docet n. 3.

Secunda: Quod est in potentia, tum ad existendum & operandum, tum ad genus & differentiam, tum ad materiam quamcumque nimirum Physicam aut metaphysicam & ad formam, tum ad speciem & rationem individui, profecto fit secundum se totum ab aliquo qui sit semper in actu existendi & operandi, quique omnes naturarum perfectiones omniaque bona in se præcontineat: Sed entia qualibet hujus mundi spectabilis sunt de se in potentia ad illa omnia, Deus vero est actus purus & omnia; Igitur cuncta facta & creata sunt a Deo. Major patet, quod enim de se neque genus, neque species, neque individuum est, hoc ab alio, quod est accipit: minor quoque quoad utramque partem verissima est: namque nulla creatura est a se & suum esse tum genericum, tum specificum, tum individuale, ex quo manifeste sequitur & ens & speciem, & rationem individui ab alio quam a creatura promanare; & cum non detur inanis processus in infinitum, deveniendum est ad unum ens supremum quod sit a se, & a quo omnia. Sic propugnat D. Thomas ibidem cap. 16. num. 9. his verbis: Quorumcumque in " rerum natura est aliqua proportio & aliquis ordo, oportet unum eorum esse ab alio, vel ambo ab aliquo tertio: oportet enim ordinem in uno constitui respondendo ad aliud: alias ordo vel proportio esset a casu, quem in primis rerum principiis ponere est impossibile: quia sequeretur magis omnia alia esse a casu. Si igitur sit aliqua materia divinæ actioni proportionata, oportet vel quod alterum sit ab altero, vel utrumque a tertio. Sed cum Deus sit primum ens, & prima causa, non potest esse effectus materiæ, nec potest esse ab aliqua tertia causa. Relinquitur igitur, si invenitur aliqua materia proportionata divinæ actioni, quod illius ipse sit causa. "

Tertia: Quod habet initium tam secundum materiam quam secundum formam, fit in tempore & in ratione entis, & in ratione talis: Atqui mundus quoad omnes suas partes, scilicet individua, species vero secundum materiam & formam ex quibus coalescunt, initium & habuernnt, ut ostensum est supra, cum de existentia Dei egimus; Deus vero est ab æterno & mundo præexistit juxta illud Psalm. 892. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, a sæculo, & usque in sæculum tu es Deus*. Et istud Prov. 8. de sapientia æterna, *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*. Rursus Ioan. 17. *Clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus fieret, apud te*. Igitur cuncta facta sunt a Deo & creata: Hanc rationem non semel laudat D. Thomas ibidem cap. 16. num. 1. & 10.

Mitto alias rationes quas S. Doctor repetit ex impossibilitate æternitatis materiæ tanquam subjecti omnibus rebus præexistentis, & cooperationis ejusdem materiæ cum Deo in productione mundi, cum nulla sit proportio inter ipsam & Deum, quippequi sit totus mens, totus Spiritus & quidem infinitus, adeoque non agens per successionem & motum alterationis, sicut ens, vel in materia concretum, vel ab ea in operationibus dependens. Has rationes jam suse explanavimus debellando cum Tertulliano Hermogenis de æternitate materiæ opinionem.

Diluuntur objectiones.

OBJICIES: ex nihilo nihil fit: Igitur Deus non est rerum omnium creator.

Respondeo distinguendo Antecedens: ex nihilo nihil fit ab agente finito, concedo Ab agente omnipotente cujus virtus infinita est, nego. Agens finitum est determinatum, per formam ad unum aut alterum effectum individualem, unde nonnisi ex præjacente materia, vel subjecto cum quo aliquam habeat proportionem operari

rari potest: at vero agens infinita pollens virtute habet entis plenitudinem, omniumque entium etiam possibilium praecontinet perfectiones, quocirca nec praejacentem materiam, ad aliquid faciendum, nec ullum aliud praesuppositum exigit subjectum. Haec ratio est S. Thomae lib. 2. cont. Gen. cap. 16. n. 3. "Quanto causa „ est altior, tanto ad plura virtus ex„ tenditur....... Deus igitur non agit „ tantummodo movendo & transmutan„ do. Omne autem quod non potest pro„ ducere res in esse, nisi ex materia „ praejacente, agit solum movendo & trans„ mutando, facere enim aliquid ex mate„ ria est per motum, vel mutationem quan„ dam: non ergo impossibile est, produ„ cere res in esse sine materia praejacente: „ producit igitur Deus res in esse sine ma„ teria praejacente.„ Idem docet n. 3.

Instabis. Si Deus mundum creasset, inde sequeretur creaturas esse ab aeterno productas: Sed falsum consequens: ergo & Antecedens: Probatur sequela. Actio qua Deus operatur est aeterna, quippe quae sit suum esse, suaque substantia: Sed effectus sequitur conditionem causae: Igitur sicut actio productiva aeterna est, ita & forent creaturae.

Respondeo negando sequelam: non enim actio Dei tangit creaturas ab aeterno, sed solummodo in tempore. Ratio affertur a D. Thoma quod scientia Dei sit causa rerum adjuncta voluntate, hoc est, decretum & actus voluntatis Dei, cum actu intellectus est rerum principium, quod indigitat Scriptura quae loquens de Deo Creatore, nedum ait, Psalm. 135. 5. *Qui fecit caelos in intellectu*. Sed & subdit Psalm. 134. 6. *Quaecumque voluit, Dominus fecit*. Porro, ait, Thomas 1. pag. quaest. 14. art. 8. tametsi scientia Dei rerum productiva aeterna sit, non tamen creatura, hanc enim tantum esse in tempore Deus & voluit, & decrevit.

Ad probationem, concessa majore, distinguo minorem, effectus univocus sequitur causae conditionem, concedo: si non sit univocus, nego minorem & consequentiam. Effectus univocus ille censetur qui causae adaequat naturam & virtutem, quique per omnia illi assimilatur, sic fructus arbori univoce similis est, non solum enim nomen, sed & naturam cum arbore communem habet: effectus vero analogus, rationem a causa diversam importare eatenus necesse est, quatenus sua productione principii a quo profluit nec exhaurit, nec adaequat virtutem, & consequenter nec naturam: talis est creatura respectu creatoris, unde licet actio Dei sit aeterna, non tamen mundus aeternus: Tum quia agens in immensum superat effectus naturam, tum quia voluntarie, & pro ut voluit, cuncta fecit Deus, creaturas autem esse in tempore statuit & condidit.

Replicabis: productio creaturae arguit in causa imperfectionis labem, nempe mutationem: Sed omnis imperfectio a Deo removenda est. Igitur Deus non est rerum omnium Creator. Probatur major in quo potissimum difficultas apparet; productio rei, maxime si sit materialis, qualis est mundus, fit per alterationis motum & successionem, prius quippe est materiam dispositiones ad formam recipere, quam compositum esse: sin minus non esset potior ratio, cur unus potius quam alter produceretur effectus. Et vero quo potiori jure materia subesset formae arboris & non equi, v. g. nisi dispositiones praeviae ad unam certam formam recipiendam, subjectum commune determinarent: ex quo sequitur agens operari per motum successivum, & ipsum mutationi obnoxium esse, quatenus de non operante fit operans, & diversos habet motus. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: productio rei quae fit per eductionem, & ex aliquo praesupposito subjecto arguit in causa imperfectionis labem, concedo: Si fiat per creationem, nego. Effectus duplici modo produci potest, videlicet, & per eductionem, & per creationem; si priori modo producatur, dubio-procul arguit in causa mutationem, quippe quae fiat de non agente agens, sicque novi motus, ac relationis de novo advenientis subjectum: quae quidem omnia & potentialitatis, & mutationis inferunt imperfectionem, quocirca in Deo non habent locum: quandoque vero effectus producitur per creationem, hoc est, ex nulla praejacente materia, nulloque praesupposito subjecto, sed virtute & omnipotentia causae, quae ex innata sibi energia sese instanti prout vult prodit: isto modo cuncta facta sunt per creationem a Deo, nimirum absque

absque successionis & alterationis motu, ulla absque mutatione ex parte Dei qui nihil aut recipit aut deperdit dum operatur ad extra, cujus actio æterna potentialitatis non experitur labem, namque creaturas producit sese veluti ad terminos secundarios extendendo; ita ut nequidem relatio realis ex hoc ei adveniat, unde sicut tota mutatio se tenet ex parte effectus, ita & omnis imperfectionis labes, quatenus creatura transit a non esse ad esse. Has omnes discriminis rationes inter causam primam & causam secundam affert D. Thomas hic lib. 2. contr. Gent. cap. 17. ubi ex professo probat creationem, neque alterationis motum ex parte causæ agentis, neque vicissitudinis imperfectionem importare, ex quo concludit mundum potuisse ulla absque implicantia creari a Deo, & de facto fuisse creatum.

Cæterum, tametsi Deus agat nunc, & operetur immediate per eductionem, quandoquidem a creatione mundi res subsunt generationis, & interitus vicissitudini, tota tamen mutatio se tenet ex parte causæ secundæ quæ sibi appropriat causæ primæ influxum ad agendum; unde effectus, non a causa prima, sed a secunda cui assimilatur speciem habet.

Inferes solius Dei esse creare. Ita D. Thomas ibidem cap. 21. ratio est, quia est infinita inter ens, & nihilum distantia, quam aut pertransire, aut vincere nequaquam potest causa finita, qualis est creatura, unde ne quidem ut instrumentum creationi servire potest, namque causa instrumentalis supponit subjectum in quo suos valeat introducere dispositionum motus quibus ad formam usque pertingere possit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus cuncta creavit, visibilia & invisibilia.

PRIMO. Hoc ipsum non semel prædicant Scriptores Canonici, maxime Moises, Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram.*

Secundo. Hoc quoque docet traditio: sic loquuntur Patres Nicæni, *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium & invisibilium.*

Tertio. Hoc variis luculentissimis D. Thomæ rationibus probatur, præsertim vero istis, quia Deus solus est ens a se, solus ens semper in actu, solus æternus, solus causa universalis, a fine ad finem usque pertingens, suaviterque disponens omnia. Porro causam tot perfectionibus & dotibus refertam, ad mundum multis variisque entibus complexum producendum, necessariam esse nemo non videt, quod enim est in potentia, tum ad ens, tum ad vitam, & operationem, neque esse, neque vivere & operari habet nisi ab eo qui est ens plenum, ens semper in actu omnium perfectionum, & ipsa vita.

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD OBJECTIONES.

PRIMO. Si sermo sit de causa secunda operante, verum est istud adagium, *ex nihilo nihil fit*. Sed res aliter se habet pro causa prima.

Secundo. Tametsi actus Dei quo mundum produxit, sit æternus, creaturæ tamen non sunt æternæ, quia in tempore solum ad eas sese extendit actio Dei.

Tertio: invenitur quidem mutatio in operibus ad extra; sed eam se tenere tantum ex parte creaturæ luce clarius constat, nusquam vero ex parte Dei, quippe qui nihil tunc temporis aut accipiat, aut deperdat. In ipsum tantummodo resultat relatio rationis, & quædam nova denominatio ad extra.

ARTICULUS TERTIUS.

De concursu simultaneo.

Utrum Deus adjuvet creaturas, ad operandum.

DUPLEX distinguitur primæ causæ concursus, mediatus unus, immediatus alter quem & simultaneum vocant tum Philosophi, tum Theologi. Primus est ipsa virtus cuilibet rei ad operandum innata, si sit sermo de ordine naturali; si de supernaturali est virtus seu habitus desuper infusus, qualis est habitus fidei, habitus spei & charitatis, earum quippe virtutum ope homo actus supernatura-

turales elicere valet, & virtus quæcumque optime definiri potest, id quo mediante agimus. Secundus concursus est ipsa Dei motio qua veluti omnium prima causa suas immediate adjuvat creaturas, ut operari queant, qui quidem concursus se tenet ex parte effectus, nihil quippe præter extrinsecum auxilium addit causæ 2. cum per istam motionem Creator tantummodo, seu causa prima simul cum creatura aliquid producit: quod potest illustrari exemplo duorum hominum qui simul aliquod trahunt pondus, Unus nihil virium adjicit alteri, sed unusquisque pro virili trahit, ut ad certum locum pondus perducant. Igitur concursus simultaneus ex parte effectus producendi se habet. In ordine tamen salutis motio Dei est animæ intrinseca, quippe quæ sit gratia adjuvans, quatenus alteram supponit, videlicet prævenientem, ista enim si bene quis utatur, adjuvat illum Deus ut bene agat, & suam operetur salutem. Cæterum nomine concursus simultanei intelligimus Deum adjuvantem causam secundam nedum ut operari queat, sed ut de facto agat & operetur.

Dari concursum mediatum nemo non novit, nemo non sentit. Hoc ipsum indigitat Scriptura, pro ordine quidem naturali, ait, Christus, Luc. 21. *Videte ficulneam, & omnes arbores: cum producunt jam ex se fructum*, pro ordine vero supernaturali Apostolus 1. Cor. 4. 7. dicit, *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Igitur cum homo & naturam, & gratiam a Deo habeat, certum est non operari nisi mediante virtute a Deo accepta. De concursu immediato, major est difficultas, quidam enim istum cum altero confundere videntur influxum, ut Durandus in 2. dist. 1. quæst. 1. contra quos sit

CONCLUSIO.

Datur concursus immediatus & simultaneus quo Deus suas adjuvat creaturas, ad operandum.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra testimoniis.

SCRIPTUM est Isaiæ *Domine...6. omnia enim opera nostra operatus es nobis*. Rursus Zach. 1. 4. ait Dominus, *convertimini ad me... Et ego convertar ad vos*. Rursus Act. 17. Apostolus de Dei operatione loquens, ait, *non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus*. Et 1. Cor. 15. 10. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*. In primo loco declarat Propheta Deum operari opera quæ nos ipsi facimus: Igitur nos ad operandum adjuvat. In secundo idem Dominus expectat ut prima gratia præventi nostram velimus conversionem, ut & concurrendo & adjuvando nobiscum operetur: In tertio Apostolus Dei in nobis infert & concludit, ex ejus operatione præsentiam, quæ quidem illatio male deduceretur, si Deus immediate suas ad operandum non adjuvaret creaturas. Denique Doctor gentium totum explicat, cum ait, se solo bonum non operari, sed simul cum gratia adjuvante. Igitur datur præter concursum mediatum immediatus & simultaneus. Tum in ordine naturali quatenus in Deo & movemur, & vivimus, & sumus; tum in ordine supernaturali, cum nonnisi gratia adjuvante operemur bonum salutis. Denique clarissima sententia hoc definit Concilium Arausicanum secundum can. 9. his verbis: *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur*.

Secundo ex rationibus Theologicis.

PRIMA: Datur gratia adjuvans, eamque supplici affectu pro filiis expostulat Ecclesia. *Adjuva nos*, inquit, *Deus salutaris noster*. Et istud Psal. 69. frequenter usurpat. *Deus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina*. Sed gratia adjuvans, ut ipsum verbum sonat, ea est qua Deus concurrit nobiscum ad opus aliquod salutis patrandum, Igitur datur concursus simultaneus.

Secunda: Creatura quantumvis perfecta actum supernaturalem se sola elicere non valet, quod sacra definivit Synodus Tridentina dicens, neminem secluso gratiæ adjuvantis auxilio, posse credere & sperare sicut oportet, hinc opem actualem nedum ad initium, sed & ad consummationem boni operis petere debemus, quia ut ait Apostolus Philipp. 2. *Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & perfice-*

ficere. Sed gratia ad perfectionem boni operis necessaria, est concursus Dei simultaneus. Ergo &c.

Tertia: Creatio est immediate a Deo, solus quippe ut causa principalis in nihilum agit, solusque distantiam infinitam quæ est inter nihilum & ens vincere & pertransire potest: Sed opus bonum supernaturale v. g. est quædam creatio, juxta illud Psal. 50. 12. *Cor mundum crea in me Deus*. Et iterum alia scriptura Ephes. 2. 10. *Creati in Christo Jesu in operibus bonis*. Revera quidem gratia in peccatore ad nihilum peccati redacto operatur, ut fit lux in Domino: hoc est ut opera bona, quæ opera lucis non semel in Scripturis sanctis vocantur, faciat. Ergo &c.

Ex rationibus Philosophicis.

PRIMA: Creatura non solum ut ens, verumetiam ut agens in ordine tum naturali, tum supernaturali immediate a Deo dependet, sed quia est ens dependens concursu Dei simultaneo opus habet ut sese conservet: Igitur & eundem exigit ut operetur.

Secunda: Deus est causa, eaque immediata omnis entis. Sed operatio quæcumque creata est ens: Igitur est a Deo per concursum simultaneum: Et vero primæ causæ jura per concursum mediatum sufficienter non salvantur; cum enim iste concursus in ordine naturali nihil sit præter virtutem innatam, si Deus immediate non concurreret ad actionem, inde sequeretur creaturam esse primam & solam suæ actionis causam: Sic Petrus per solam a Patre & naturam & generandi virtutem acceptam immediate gigneret filios, sed absurdum est dicere Deum non esse rerum causam immediatam. Ergo &c.

Tertia: Non desunt Philosophi & Theologi, qui rationem primæ causæ salvari pro Deo per concursum simultaneum autument: Igitur non sine aliquo erroris nævo hoc abnegaretur.

Confirmatur in istorum sententia causa secunda quæ de se est in potentia ad agendum, concursu simultaneo de potentia reducitur ad actum: Igitur ut salvetur ratio primæ causæ in Deo debet admitti hujusmodi concursus.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Causa principalis se sola suum producit effectum, in hoc enim ab instrumentali secernitur: Sed creaturæ sunt causæ principales suorum respective effectuum: Igitur non datur concursus simultaneus, & immediatus quo Deus adjuvet creaturas ad agendum.

Respondeo distinguendo majorem: causa principalis suprema non indiget ulteriori auxilio ut suum producat effectum, concedo: cum enim infinitam habeat & perfectionem, & energiam, non opus est ut adjuvetur: causa principalis secunda, nego; namque est solum completa ad agendum ex parte actus primi, hinc necesse est ut ab ulteriori causa adjuvetur a qua dependet immediate in esse. Ergo-ne mere instrumentum est? Absit dicere, quippe quæ & se moveat & moveatur, instrumentum vero mere movetur ab artifice.

Solutio colligitur ex D. Thoma qui 3. contra gent. 149. cap. 149. n. 2. ait: "
„ Agens instrumentale non disponit ad
„ perfectionem inducendam a principali
„ agente, nisi secundum quod agit ex
„ virtute principali agentis: sicut calor
„ ignis non magis præparat materiam ad
„ formam carnis, quam ad aliam for-
„ mam, nisi in quantum agit in virtute
„ animæ: Sed anima nostra operatur sub
„ Deo sicut agens instrumentale sub prin-
„ cipali agente. „ quæ verba indicant animam non esse instrumentum improprie dictum, eatenus quidem instrumentum quatenus agit cum subordinatione causæ primæ, sed instrumentum improprie, quia creatura seipsam movet, & assimilatur ei effectus, quod nusquam contingit instrumento proprie dicto.

Instabis: Atqui creatura se sola producit effectum independenter a concursu simultaneo: Ergo &c. Probatur subsumptum 1. quia sufficienter salvatur dependentia respectu primæ causæ per concursum mediatum, quippe qui virtutem inditam cuilibet creaturæ in sui productione importet. 2. Causa secunda est in se completa ut producat sui simile. 3. Concursus simultaneus & immediatus se tenet ex parte effectus, nec quicquam ponit in causa secunda, quo adjuvetur. 4. Effe-

Effectus non denominatur a causa prima, sed a causa secunda; quis enim sanæ mentis dixerit Deum perorare dum Advocatus perorat? 5. Effectus non Deo sed causæ secundæ assimilatur, quod sane argumentum est effectum absque concursu simultaneo a creatura promanare. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad primum nego servari sufficienter dependentiam in causa secunda respectu primæ, propter duo: 1. quia vel ipsa virtus indita rebus in sui productione est in potentia ad agendum, hinc ab ulteriori moveri debet & adjuvari. 2. Et causa secunda & effectus producendus nedum mediate sed & immediate dependent a Deo in esse: Et ex his colligimus cum sancto Thoma Deum ut causam universalem cooperando creaturas ad agendum adjuvare.

Ad secundum distinguo, causa secunda est ad agendum completa ex parte actus primi, concedo: ex parte actus secundi, nego. Quod isto potest explicari exemplo. Oculus est potentia de se completa in ratione principii ad videndum, indiget tamen concursu simultaneo ut actu videat. Idem, proportione servata, de quolibet agente creato dicitur.

Ad tertium, respondeo concursum simultaneum se tenere quidem primario & intrinsece ex parte effectus qui a causa & movente & mota promanat, secundario vero & extrinsece ex parte causæ secundæ, non aliquam ei largiendo virtutem, sed adjuvando ut producat effectum quem dubio-procul se sola non posset producere.

Ad quartum, ultro fatemur effectum non denominari a causa prima, quippe quæ non agat ut causa particularis sed ut universalis. Addo effectum creatum non adæquare virtutem activam agentis increati, unde ne mireris, si effectus non denominet Deum & ei assimiletur.

Ad quintum, solutio sequitur ex dictis modo: hinc ista probatio evincit quidem Deum non esse causam particularem & limitatam, minime vero non esse causam universalem, eamque efficacissimam.

Repones: Implicat eundem effectum a duabus causis totalibus profluere: Sed in hypothesi idem effectus esset a duabus causis totalibus & principalibus, videlicet a Deo simul & a creatura. Ergo &c. Probatur major: quælibet causa in se spectata foret causa totalis & non foret, ut supponitur: non foret quia ulterior ad producendum effectum requireretur.

Respondeo distinguendo majorem; implicat eundem effectum a duabus causis ejusdem ordinis, & non subordinatis produci, concedo: si sint diversi ordinis & ad invicem subordinatæ, nego: & sic distincta minore, nego consequentiam: Deus & creaturæ sunt causæ totales, sed Deus est causa suprema cuncta movens, creatura vero causa secunda & primæ subordinata: hinc non implicat effectum totum esse a Deo & totum a creatura: totum quidem a Deo ut a causa prima movente, totum vero a creatura ut mota & adjuta. Sic Scriptura in charta exarata, tota est a tyrone: tota ab hero ut adjuvante & movente manum discipuli, tota etiam ab isto ut movente, atque scribente.

Dices: Deus non magis cum causa efficiente operatur ad effectum producendum, quam cum causa materiali: Sed cum ista non concurrit ad effectum: Igitur nec cum priori.

Respondeo negando minorem, eatenus quippe cum causa materiali dicitur agere, quatenus unit materiam cum forma; sicque non habet rationem causæ materialis aut formæ informantis, sed efficientis utramque simul conjungens ut ex eis coalescat.

Synopsis sufficienter explicabitur in synopsi art. 4. ubi iterum de motione divina.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum detur præmotio physica.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

PRÆMOVERE est applicare causam secundam ad actus suos eliciendos: Atqui Deus applicat causam secundam ad hujusmodi actus juxta illud Jerem. 30. *Applicabo eum, & accedet ad me*. Eo loci agi-

agitur de motione physica, videlicet de motione ad actus physicos producendos: Igitur datur præmotio physica.

2. Præmovere est prævenire voluntatem ut agat: Atqui Deus suas sic prævenit creaturas; namque Psalmo 58. v. 11. habetur: *Misericordia ejus præveniet me*. Nomine misericordiæ, secundum interpretes, intelligitur motio gratiæ prævenientis: Ergo &c.

3. *Præmoveri* est trahi suaviter a Deo ad bonum: Etvero tractio præcedit motum mobilis, ideo enim mobile trahitur, ut prius adjutum seipsum ad operationem accingat: Atqui Deus hic trahit homines ad bonum; Christus enim Joan. 6. ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*. Igitur præter concursum simultaneum datur prævius. Revera quidem concursus simultaneus se tenet ex parte effectus producendi, auctoritates vero laudatæ de motione causam secundam adjuvante procedunt.

Secundo, ex Conciliis.

PRIMUM occurrit Arausicanum 2. canone enim 9. sic loquitur: *Quoties bena agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur, operatur*. Quibus verbis duplicem indigitat concursum quo causa secunda adjuvatur; alterum prævium cum ait: *Deus in nobis operatur*: alterum simultaneum, dum addit, *atque nobiscum*: Ergo &c.

Secundum est Tridentinum, quod sess. 6. can. 4. perstringit Lutherum & Calvinum eo quod prædeterminationem necessitantem admitterent, nusquam vero quod præmotionem secundum se spectatam propugnarent; unum quippe tantummodo definit, scilicet liberum arbitrium a Deo motum posse dissentire si velit; sic enim intonat: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum ... neque posse dissentire si velit ... anathema sit*. Quod autem sacra Synodus non explodat præmotionem, testimonium perhibet ejusdem Conc. Catechismus ab universali Ecclesia receptus; qui quidem eam docet & adoptat: Sic enim habetur 1. parte de primo Symboli articulo n. 23. *Non solum autem Deus universa quæ sunt providentia sua tuetur atque administrat, verumetiam quæ moventur & agunt aliquid intima virtute, ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis causarum secundarum efficientiam non impediat, prævenit tamen. Cum ejus occultissima vis ad singula pertingat, & quemadmodum sapiens testatur, attingat a fine ad finem fortiter, & disponat omnia suaviter.*

Suffragatur Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 4. n. 10. his verbis: " Cum „ hæc omnia quæ per corporales motus „ in illo corpore fiunt, operetur, mo„ vens primitus Ministrorum, sive ani„ mos hominum, sive cunctorum spiri„ tuum sibi subditas servitutes. „

Tertio, auctoritate & rationibus divi Thomæ.

PRIMO: Nomine præmotionis intelligimus motionem quæ motum mobilis & natura & causalitate præcedit: Atqui talis datur motio ex divo Thoma: " A„ lias, *inquit sanctus Doctor*, Deus non „ esset prima causa, sed creatura, quod „ implicat. „ Sic autem loquitur sanctus Doct. lib. 3. contra gentes cap. 143. " Motio autem moventis præcedit mo„ tum mobilis: ratione & causa. „ Item ad 6. dist. 37. q. 6. art. 2. ait: " Non posset vitari quin voluntas huma„ na esset primum agens, si ejus actio „ in aliud prius agens non reduceretur „ sicut in causam. „ Rursus q. 6. de malo art. 1. ad 3. " Virtus primæ causæ „ prius agit in causatum, & vehemen„ tius in ipsam ingreditur. „ Rursus ibidem ad 15. " Causa prima magis in„ fluit in effectum quam causa secunda; „ ideo quidquid perfectionis est in effe„ ctu principaliter ordinatur ad primam „ causam; quod autem est de defectu, „ reducendum est in causam secundam „ quæ non ita efficaciter operatur, si„ cut causa prima. Ergo &c.

Secundo: Dependentia creaturæ a Deo non est solum penes esse, sed & operari: Atqui ex divo Thoma hujusmodi dependentia non sufficienter salvatur per concursum & mediatum & simultaneum: Igitur præter illos concursus requiritur prævius quo Deus immediate agat in causa secunda, eamque ad operandum moveat. Sic ait quæstionibus disputatis q. 3. de potentia Dei, seu de creatione art. 7. " Sciendum est quod una res potest dici

„ cau-

,, causa actionis alicujus rei multipliciter; primo quia tribuit ei virtutem agendi. Secundo quia conservat hanc ,, virtutem. Tertio in quantum eam movet ad agendum, in quo non intelligitur collectio aut conservatio virtutis activæ; sed applicatio virtutis ad actionem, sicut homo est causa cultelli, ,, ex hoc ipso quod applicet acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum, ,, & quia natura inferior non agit nisi ,, mota, sequitur de necessitate quod ,, Deus sit causa actionis cujuslibet rei ,, naturalis ut movens & applicans virtutem ad actionem. ,, Ergo &c.

Tertio: Causa particularis sub universali continetur, & ideo ab ea dependet, tanquam a superiore: Sed Deus est causa universalis, creatura vero causa particularis: igitur ista ab illa præmovetur & applicatur ad operationem. Ita D. Thomas 3. contra gentes cap. 149. " Anima humana ordinatur sub Deo, sicut ,, particulare agens sub universali. Impossibile est ergo esse aliquem motum ,, in ipsa quem non præveniat actio divina. ,,

Quarto: Omne quod movetur ab alio movetur, & movens magis movetur quam mobile, adeoque istud præmovetur ab altero ut docet Aristoteles 3. Physicorum cap. 13. Hæc ratio est quoque D. Thomæ 1. 2. q. 109. art. 1. ubi ait corporales motus esse a primo mobili, ex quo concludit & motus voluntatis humanæ a fortiori a Deo ut a prima causa promanare. Sic loquitur sanctus Doctor: " Manifestum est autem quod sicut motus omnes corporales reducuntur in ,, motum cælestis corporis, sicut in primum movens corporale, ita omnes ,, motus tam corporales quam spirituales ,, reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus: Et ideo quantumcumque natura aliqua corporalis vel ,, spiritualis ponatur perfecta, non potest ,, in suum actum procedere nisi moveatur a Deo, quæ quidem motio est secundum suæ providentiæ rationem, non ,, secundum necessitatem naturæ, sicut ,, motio corporis cælestis. Non solum ,, autem a Deo est omnis motio, sicut ,, a primo movente, sed etiam ab ipso ,, est omnis formalis perfectio, sicut a ,, primo actu. ,,

Quinto: Causa contingens debet determinari ad actum ab ea quæ semper est in actu: sed creatura est contingens; Deus vero causa necessaria, & semper in actu: Igitur causa secunda præmovetur a Deo & determinatur ad actum, salvo tamen libertatis suæ jure. Audiamus de hoc momento D. Thomam qui 1. p. q. 19. art. 3. ad. 5. " Dicendum, quod causa ,, quæ est ex se contingens, oportet ,, quod determinetur ab aliquo exteriori ,, ad effectum. ,,

Sexto: Quidam præmotionem abnuunt, eo quod putent libero hominis adversari arbitrio: Sed contrarium propugnat D. Thomas, docet enim motionem Dei, neque electionem, neque deliberationem voluntatis humanæ impedire: Ergo &c. Sic refellit sanctus Doctor contrarium sentientes 3. contra gentes cap. 89. n. 1. his verbis; " Quidam vero non intelligentes qualiter motum voluntatis ,, Deus in nobis causare possit, absque ,, præjudicio libertatis voluntatis conati ,, sunt has auctoritates male exponere ut ,, scilicet dicerent quod Deus causat in ,, nobis velle & perficere, in quantum dat ,, nobis virtutem volendi, non autem, sic ,, quod faciat nos velle hoc vel illud ... ,, Quibus quidem auctoritatibus sacræ Scripturæ resistitur evidenter. Dicitur enim ,, Isaiæ 26. omnia opera nostra operatus ,, es in nobis Domine: Unde non solum ,, virtutem volendi a Deo habemus, sed ,, etiam operationem. N. 2. Deus non solum dat rebus virtutem, sed etiam nulla res potest propria virtute agere, nisi ,, agat in virtute ipsius: Ergo homo non ,, potest virtute voluntatis sibi data uti, ,, nisi in quantum agit in virtute Dei, ,, illud autem in cujus virtute agens agit ,, est causa non solum virtutis, sed etiam ,, actus: quod in artifice apparet in cujus virtute agit instrumentum etiam ,, quod ab hoc artifice propriam formam ,, non accepit, sed solum ab ipso applicatur ad actum: Deus igitur est causa ,, in nobis non solum voluntatis, sed ,, etiam volendi. ,,

Rursus ibidem n. 6. " Quod aliquis intelligat, consilietur & eligat & velit, oportet aliquid esse causam, quia ,, omne novum oportet quod habeat causam. Si autem est causa ejus aliud consilium & alia voluntas præcedens, cum non

,, sit

„ ſit procedere in infinitum, oportet devenire ad aliquod primum: Hujuſmodi autem primum oportet eſſe aliquid quod eſt melius ratione: Nihil autem eſt melius intellectu & ratione, niſi Deus: Eſt igitur Deus primum principium noſtrorum conſiliorum & voluntatum. „

Ibidem 3. contra gentes cap. 149. n. 3. " Anima humana ordinatur ſub Deo, ſicut particulare agens ſuo univerſali: impoſſibile eſt ergo eſſe aliquem rectum motum in ipſa quem non præveniat actio divina. „ Unde & Joan. 15. Dominus dicit: " Sine me nihil poteſtis facere. „

Rurſus Compendio Theologiæ cap. 129. *Non eſt contra arbitrii libertatem, ſi Deus voluntatem hominis movet; ſicuti non eſt contra naturam quod Deus in rebus naturalibus operetur; ſed tam inclinatio naturalis quam voluntaria a Deo eſt utraque proveniens ſecundum conditionem rei cujus eſt. Sic enim Deus movet ſecundum quod competit eorum naturæ.*

Rurſus q. 3. de malo art. 2. " Cum aliquid movet ſeipſum non excluditur quod ab alio moveatur a quo habet hoc ipſum quod ſeipſum moveat, & ſic non repugnat libertati quod Deus eſt cauſa liberi arbitrii. „

Rurſus q. 22. de veritate art. 8. " Sicut omnis actio naturalis eſt a Deo, ita omnis actio voluntatis in quantum eſt actio, non ſolum eſt a voluntate, ut immediate agente, ſed a Deo ut primo agente qui vehementius imprimit. „

Rurſus opuſculo 3. cap. 130. " Oportet quod Deus cuilibet agenti adſit interius quaſi in ipſo agens, dum ipſum ad agendum movet. „

Rurſus 3. contra gentes cap. 90. n. 6. Damaſcenus, cum ſequens dicit, in 2. lib. " Quod ea quæ ſunt in nobis, Deus prænoſcit, ſed non prædeterminat, exponenda ſunt, ut intelligantur ea quæ ſunt in nobis divinæ determinationi non eſſe ſubjecta, quaſi ab ea neceſſitatem accipientia. „ Et paulo ante iſta, explicans illum Eccl. 15. textum: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui*, ait: " Hæc autem verba ad hoc inducuntur, ut homines eſſe liberi arbitrii oſtendantur. „

Rurſus 1. 2. quæſt. 109. art. 2. ad 1. " Homo eſt dominus ſuorum actuum & volendi, & non volendi propter deliberationem rationis, quæ poteſt flecti ad unam partem, vel ad aliam: Sed quod deliberet, vel non deliberet, etſi hujuſmodi etiam ſit dominus, oportet quod hoc ſit per deliberationem præcedentem. Et cum hoc non procedat in infinitum, oportet quod finaliter deveniatur, ad hoc quod liberum arbitrium hominis moveatur, ab aliquo exteriori principio, quod eſt ſupra mentem humanam. „

Rurſus parte quæſt. 83. art. 1. hæc ſibi objicit: " Liberum arbitrium eſt quod ſui cauſa eſt: ut dicitur in 1. Met. quod ergo movetur ab alio, non eſt liberum. Sed Deus movet voluntatem. Dicitur enim Proverb. 21. Cor Regis in manu Dei: & quocumque voluerit, vertet illud. Et Philipp. 2. Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere: ergo homo non eſt liberi arbitrii. „

Sic autem reſpondet S. Thomas ad 2. " Dicendum quod liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus, quia homo per liberum arbitrium ſeipſum movet ad agendum. Non tamen hoc eſt de neceſſitate libertatis, quod ſit prima cauſa ſui, id quod liberum eſt: ſicut nec ad hoc, quod aliquid ſit cauſa alterius, requiritur, quod ſit prima cauſa ejus. Deus igitur eſt prima cauſa movens & naturales cauſas, & voluntarias. Et ſicut naturalibus cauſis movendo eis, non aufert quin actus earum ſint naturales, ita movendo cauſas voluntarias, non aufert quin actiones earum ſint voluntariæ: ſed potius hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque ſecundum ejus proprietatem. „

Septimo: Quidam rejiciunt præmotionem Phyſicam, eo ducti principio quod peccatum non ſit a Deo præmovente: Ergo inquiunt nec cæteri actus humani a præmotione prodeunt. Hanc impugnat rationem D. Thomas, ut Phyſicam propugnet præmotionem, concedendo quidem peccatum non eſſe ſecundum formale a Deo præmovente: At contendit a præmotore eſſe ſecundum materiale & ut ens eſt, ſub quo reſpectu habet quamdam boni rationem, ſic reſpondet in 2. diſt. 37. quæſt. 2. art. 2. " Alia

,, opinio dicebat actus peccatorum nullo ,, modo, nec etiam in quantum actus ,, sunt a Deo esse, & hæc opinio tan- ,, gitur in presenti dist. quam ad præsens ,, nulli, vel pauci tenent, quia est pro- ,, pinquissima duplici errori. 1. Quia vi- ,, detur sequi ex illa quod sint plura pri- ,, ma principia, hoc enim est de ratione ,, primi principii, ut agere possit sine au- ,, xilio priori & influentia ejus, unde si ,, voluntas humana actionem aliquam pos- ,, sit producere, cujus Deus auctor non ,, esset, voluntas humana rationem primi ,, principii haberet, quamvis quidam hoc ,, solvere nitantur, dicentes quod volun- ,, tas & si per se possit producere actio- ,, nem sine influentia prioris agentis, ,, non tamen habet esse a se, sed ab a- ,, lio, quod etiam exigitur ad rationem ,, primi principii: Sed hoc videtur in- ,, conveniens, ut quod a se non habet es- ,, se, a se agere possit, cum etiam per ,, se durare non possit, quod a se non est, ,, omnis etiam virtus ab essentia proce- ,, dit, & operatio a virtute; unde cujus ,, essentia ab alio est, oportet quod virtus ,, & operatio ab alio sit. Et propterea ,, quamvis secundum hanc rationem evita- ,, retur quod esset primum simpliciter, ,, tamen non posset vitari quin esset pri- ,, mum agens, si ejus actio in aliquod ,, prius non reduceretur sicut in cau- ,, sam. ,,

Solvuntur objectiones ex sancto Thoma desumptæ.

OBJICIES 1. D. Thomas opusculo 6. q. 38. negat Deum agere in anima per novum influxum: ergo non datur præmotio, alioquin de facto ageret per novum influxum: Sic item 1. p. q. 103. art. 1. ad 3. ponit discrimen inter sagittam & creaturam, quod sagitta recipiat novum influxum ei superadditum ad motum, creatura vero solam naturam.

Respondeo ad primum D. Thomam velle solum Deum non agere semper in animam per infusionem alicujus habitus, vel qualitatis permanentis, quod quidem patet ex istis verbis sequentibus: " Mani- ,, festum enim, *inquit*, quod Deus in a- ,, nima agit non solum causando in ea ,, aliquem habitum, puta gratiæ, vel ,, virtutis, sed etiam inclinando liberum ,, arbitrium ad hoc vel illud, quod non ,, proprie dicitur influere, sed magis mo- ,, vere ad actum. ,,

Ad alterum textum dico S. Doctorem ibi ponere duntaxat discrimen inter sagittam & creaturam, quod sagitta non se moveat, sed moveatur violenter impressione agentis, creatura vero libere suæ conformiter naturæ. Sic loquitur 1. 2. q. 109. art. 1. " Actio intellectus, & cuju- ,, scumque entis creati, dependet a Deo ,, quantum ad duo. Uno modo in quan- ,, tum ab ipso habet perfectionem, sive ,, formam per quam agit: alio modo in ,, quantum ab ipso movetur ad agendum. ,,

Instabis: S. Doctor passim dicit concursum Dei modificari, & determinari. Igitur creatura non determinatur ad actum eliciendum per præmotionem physicam; hinc 1. p. q. 104. art. 5. dicit motionem Dei quasi applicare creaturam ad operationem.

Respondeo ad primum, distinguendo Antecedens: concursus Dei determinatur a creatura objective, & materialiter, concedo: Effective, nego. Determinatur a creatura in eo quod secundum exigentiam ejus Deus attemperet concursum suum, v. g. ad producendum leonem, si est leo, canem potiusquam leonem, si est canis, sed non determinatur effective, unde ista determinatio quantumvis impropria non appellat supra concursum prævium, sed solum supra simultaneum, quo Deus cum creatura coagit & producit effectum. Ad secundum dico ly *quasi* significare tantum quod ita creatura determinatur, ut retineat potentiam ad se determinandam, sicque illa particula significat Deum non ita movere causam secundam, ut ejus motio excludat consortium alterius motionis: Igitur vox *quasi* non significat creaturam improprie moveri a Deo. Hoc ipsum potest illustrari exemplo Christi qui Joan. 1. dicitur, *quasi* unigenitus a Patre visus: nemo tamen Orthodoxus dixerit *quasi*, significate Christum non esse proprie unigenitum Dei Patris Filium.

Instabis: idem 1. 2. q. 9. art. 6. sic habet: " Deus movet voluntatem homi- ,, nis sicut universalis motor ad objectum ,, voluntatis, & sine generali motione ,, homo non potest aliquid velle: Sed ho- ,, mo per rationem determinat se ad volen-

,, dum

„ dum hoc vel illud bonum ; ſed tamen „ interdum ſpecialiter Deus movet aliquos „ ad aliquid determinate volendum quod „ eſt bonum , ſicut in his quos movet „ per gratiam . „ Ex his patet Deum ſolummodo movere voluntatem creatam circa bonum univerſale ſeu beatitudinem ; hominem vero ſe ipſum determinare ad bonum particulare per ſuam rationem ; quod patet etiam in eo quod divus Thomas concedat aliquos tantum & aliquando moveri a Deo ſpecialiter .

Reſpondeo ibi D. Thom. ponere diſcrimen inter actus varios, quales ſunt hi quibus neceſſario appetimus beatitudinem in communi , & liberos , quod priores ſint elicitive a voluntate , ſed non applicative , e contra vero poſteriores . Ad quos & movetur & ſe movet . Unde quando S. Doctor dicit voluntatem ſe ipſam determinare , diſtinguendum eſt , ut motam a primo movente , concedo , ut non prius motam , nego : quandoquidem ejus motio ſubordinari debet & ſubjici primæ cauſæ motioni .

Dices : S. Doctor non ſemel docet voluntatem humanam non moveri ab extrinſeco : Igitur nec per præmotionem .

Reſpondeo diſtinguendo : voluntas hominis non movetur ab extrinſeco , hoc eſt ab ente creato & finito quod modum agendi rerum non attingit , concedo : ab increato cujus vis ad ſingula naturæ liberæ amica & attendit , & ipſa ut prima cauſa fortiter ſimul & ſuaviter operatur , nego . Solutio eſt D. Thomæ 1. p. q. 105. art. 4. ad 1. his verbis : " Moveri ex ſe non re„ pugnat ei quod movetur ab alio . „ Ad id vero quod ſubdit , aliquos interdum ſpecialiter a Deo moveri , dico eum loqui de operibus ſupernaturalibus , quæ ſecluſo gratiæ auxilio , fieri non poſſunt , in his autem Deus nedum , ut motor univerſalis , ut in præcedentibus , ſed & ut ſpecialis ſe habet .

Replicabis : Implicat aliquid ex ſe moveri , & tamen exigere , ut ab alio prævie moveatur ; Sed cauſa ſecunda libera ex ſe movetur : Igitur nuſquam ab alia .

Reſpondeo diſtinguendo , repugnat moveri ab ejuſdem lineæ cauſa , concedo : ſuperioris ordinis cui agens ſubordinatur ex ſua eſſentiali ratione , nego . Et conceſſa minore , nego conſequentiam : porro creatura movetur a cauſa prima , quæ ſua efficacia attingit modum connaturalem agendi rerum , quo circa non tollit creaturæ libertatem .

Perſiſtes : idem 1. 2. q. 68. art. 1. docet hominem recte diſponi per dona Spiritus ſancti : Atqui ſi datur præmotio , cum ſit efficaciſſima , inutiles erunt iſtæ diſpoſitiones : Sed hoc eſt abſurdum : ergo magis & primum .

Reſpondeo , Deum movere ſuaviter & fortiter ſimul , ſuaviter quidem per præmotiones morales , & inſpirationes : fortiter ſimul , per præmotionem phyſicam applicando ad opus voluntatem præparatam ad agendum .

Solvuntur objectiones ex ratione deductæ .

OBJICIES 1. Philoſophus dicit agens agendo non mutari : Sed ſi datur præmotio , mutabitur : Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : agens infinitum non mutatur per ſuam actionem , concedo , namque immotum, movet omnia: agens creatum , nego. Eatenus quippe mutatur , quatenus a primo movente ad actum applicatur .

Inſiſtes : Præmotio eſt inutilis : igitur non eſt admittenda. Probatur Antecedens: Creatura eſt cauſa principalis ſuæ actionis : Igitur non indiget præmotione ad eam eliciendam . Probatur conſequentia . Cauſa principalis ab inſtrumentali diſtinguitur in eo quod ſe ipſam moveat , inſtrumentalis vero moveatur : Igitur illa non indiget præmotione .

Reſpondeo negando Antecedens . Ad probationem , concedo Antecedens , & nego Conſequentiam : Ad cujus probationem , diſtinguo : ut ſe moveat & moveatur , concedo : ut ſe moveat tantum , nego . In hoc igitur conſiſtit diſcrimen quod cauſa principalis & moveatur & ſe moveat ſimul , ſitque ad effectus ſibi proportionatos , inſtrumentalis vero pure moveatur , & ſit ad effectus innatam excedentes virtutem .

Inſtabis : ſi Præmotio eſt neceſſaria , vel eſt pro cauſis liberis , vel pro neceſſariis : Sed pro neutris requiritur . Probatur minor . Priores ſunt liberæ , & propter innatam libertatem ſe ipſas conſequenter applicant & movent , cauſæ vero neceſſariæ ſunt determinatæ ad unum ſolum . v. g. ſol ad lucendum , ignis ad comburendum , unde miraculum eſſet ſi ſtupa ad ignem approximata non combureretur . Ergo &c.

Reſpondeo nego minorem . Ad probationem

nem primæ partis, distinguo: causæ liberæ se ipsas applicant ut prius motæ, concedo: nam ex D. Thoma omne quod movetur ab alio movetur, alioquin essent primæ causæ, dareturque duplex primum principium cujuslibet operationis: quod est erroneum: se applicant ut non prius motæ, nego. Secundam partem minoris utique distinguo: causæ necessariæ sunt determinatæ ad unum per modum principii habitualis, concedo: nam a natura habent omnia requisita, habent potentias & alias qualitates ad operandum: per modum principii activi, nego. Cum sint in potentia ad operandum, & a prima causa dependentes, ut salvetur ratio dependentiæ & jus primæ causæ, debent ab ipsa ad agendum applicari, & hoc per præmotionem suæ naturæ amicam esset quidem miraculum, si provisor universalis non daret suam motionem ad exigentiam naturæ paratæ ad agendum, ut contingit in fornace Babylonica: unde nego consequentiam.

Persistes: Quando creatura libera se ipsam applicat, servatur semper ratio primæ causæ: Igitur non requiritur præmotio, ut jus primi moventis servetur. Probatur Antecedens. 1. Prima causa coagens est nobilior secunda. 2. Ista recepit virtutem activam a prima recipiendo esse: Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem, nego consequentiam, quæ ex antecedente non recte infertur. Et vero non est hic sermo de actu nobilitatis, sed causalitatis: Ad secundum dico ex eo quod creatura receperit virtutem activam, salvari solum quod Deus sit primum ens, sed non primum agens; & dato quod per hoc attenderetur dependentia a Deo in agendo, esset solum dependentia mediata & in actu primo, non vero immediata & in actu secundo secundum quem mensuratur, siquidem est ipsum exercitium agentis. Igitur per concursum istum mediatum habetur quidem quod Deus primo egit, scilicet quando dedit esse, quod per concursum simultaneum coagat solum, sed non primo agat, sicque ex adversariorum opinione sequitur causam actus immediatam & primam esse creaturam; quod falsissimum est.

Repones: Atqui saltem per concursum simultaneum salvatur dependentia immediata a prima causa, in secunda, ergo nulla solutio. Probatur Antecedens. Per hunc creatura se simul cum Deo determinat, ita ut si Deus non cooperaretur, non posset producere effectum: Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens: Ad probationem, nego Consequentiam. Ex hoc enim solum sequitur omnes effectus immediate a Deo pendere, cum concursus simultaneus se teneat ex parte eorum, minime vero ex parte causæ. Sicut igitur unus homo adjuvans alterum ad trahendam rhedam, nullas ei suppeditat vires, sed supponit quod ipse suas quibus adjuvetur, habeat: sic Deus per concursum simultaneum ad effectum producendum cooperatur, sed nihil per illum causæ secundæ confert, nec ista usquam aget, donec per præmotionem exeat de potentia ad actum. Neque vero negamus creaturam secundum quid & extrinsece a Deo per concursum simultaneum eatenus dependere, quatenus se sola effectum producere non valet, sed ut salvetur jus primæ causæ, opus est, ut immediate in ratione agentis a Deo dependeat; quod certe non nisi per motionem, quæ illam prævie determinet, & applicet ad actum, habetur.

Instabis: Ex eo quod causa secunda subordinetur in agendo primæ causæ, hoc sufficit ad servandum jus primæ. Igitur non exigitur præmotio. Probatur Antecedens. Humanitas Christi absque ullo ulteriori auxilio sed cum sola subordinatione verbo divino producit actus infinite meritorios: Rursus, potentiæ sensitivæ per solam subordinationem voluntati, nihil ab ea recipiendo, agunt: Igitur causa secunda cum sola subordinatione primæ nihil ultra ab ea recipiendo, operabitur.

Respondeo distinguo Antecedens. Causa secunda subordinata causæ Physicè primè operatur, concedo: subordinata moraliter tantum; nego Antecedens & consequentiam. Ad probationem nego utramque paritatem; nam actus meritorius est in ordine morali, unde cum sola subordinatione morali, quod fit in eo quod actiones reflectantur super verbum, quod sufficit. Item potentiæ sensitivæ sunt potentiæ morales, eo igitur ipso quo subordinantur imperio voluntatis agunt.

Cæterum, dependentia & subordinatio physica, fit per aliquid physicum in causa secunda receptum constituens illam dependentiam & subordinationem, alioquin ubinam

nam esset ista subordinatio, si seipsam independenter a prima causa applicaret ad agendum. Tum quia quod est in potentia ad motum, debet applicari ab alio quod sit semper in motu. Creatura autem est in potentia ad actum, alioquin esset semper in actu, quod convenit solum primæ causæ. Igitur ab illa debet & moveri, & applicari.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur præmotio physica.

PRIMO: Auctoritas Scripturæ huic suffragatur conclusioni Jeremiæ 30. *Applicabo eum, & accedet ad me:* Et istud Psalm. 58. versu 11. *Misericordia ejus præveniet me.*

Secundo: Concinunt Concilia, videlicet Arausicanum 2. Can. 9. Tridentinum & ejus Catechismus: Idem docet Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 4. num. 10.

Tertio: Ratio D. Thomæ pro hoc momento non una est, necessitatem quippe præmotionis physicæ deducit & ex infirmitate naturæ, & ex ejus a creatore dependentia, omne quippe quod movetur ab alio præmoveri debet, alias daretur progressus in infinitum in causis secundis sibi invicem subordinatis, quod quidem est impossibile.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Quando S. Thomas ait Deum non agere in anima semper per infusionem, non ideo præmotionem excludit, sed hoc unum tantummodo intendit, videlicet Deum non semper infundere in animam habitus permanentes & supernaturales. Nonnumquam S. Doctor ait creaturam modificare concursum Dei prævium, sed intellige tantum objective & non effective, adeoque nullo absque præmotionis dispendio.

Secundo: tametsi Deus moveat voluntatem ad bonum universale in communi, eandem tamen movet & ad bonum in particulari, quatenus voluntas humana nonnisi prius mota ad actum sese accingit & applicat.

Tertio: Posita præmotione non potest quidem voluntas creata non agere in sensu composito, bene tamen in sensu diviso. Cæterum præmotio physica supponit deliberationem & electionem antequam actum conjungat cum potentia: unde ex præmotione nulla sequitur erga humanam voluntatem offensa.

ARTICULUS QUINTUS.

De natura Præmotionis.

TRIA hic pertractanda occurrunt. 1. Quid sit præmotio. 2. Num opponatur libertati? 3. Num sanctitati divinæ?

SECTIO PRIMA.

De natura Præmotionis pro ordine naturali.

NOTANDUM est præmotionem posse considerari dupliciter, active scilicet & passive. Active est ipsum imperium intellectus practici Dei applicans & movens omnia; passive vero seu terminative est quædam virtus ex actione Dei resultans quæ recipitur in creatura, illamque immediate applicat ad actum suum. Unde fit

CONCLUSIO.

Præmotio in ordine naturali active est ipsa actio Dei, passive vero quædam motio virtuosa se habens per modum entis incompleti eo modo quo colores se habent in aere, aut impressio facta ab agente in instrumento.

PROBATUR prima pars. Præmotio active sumpta est ipsum exercitium agentis, sed non creaturæ, ergo Dei... Probatur minor. Distinguitur ab actione creaturæ, ut ejus principium & causa, ergo est exercitium Dei, adeoque ejus actio: unde quando Bellarminus & alii dicunt præmotionem esse actionem Dei quæ immediate omnia movet, & sibi subdit, eam sumunt active.

Probatur secunda pars scilicet quod sit qualitas quædam incompleta primo ex D. Thoma qui quæstione 3. de potentia art. 7. ad septimum sic ait: " Virtus natura-
,, lis

„ lis quæ est rebus in sua Constitutione „ collata inest eis ut quædam forma ha- „ bens esse ratum & firmum in natura, sed „ id quod a Deo fit in re naturali quo „ actualiter agit, est ut intentio sola habens „ quoddam esse incompletum per mo- „ dum quo colores sunt in aere, & virtus „ artis in instrumento artificis. „Idem 1. 2. quæst. 110. art. 2. innuit dicendo istud auxilium esse motum a causa prima impressum: unde cum motus moventis non recipiatur in mobili, ut ab illo elicitus, sed ut ab agente impressus, habetur quænam sit ista motio, scilicet quod non sit qualitas permanens, sed solum transiens.

Confirmatur. Præmotio non est habitus aut dispositio; namque qualitates se tenent ex parte actus primi, præmotio vero ex parte actus secundi: non est etiam potentia; siquidem non est principium quod elicit, sed quo elicitur actio: non utique est passio & patibilis qualitas, istæ enim sunt qualitates sensibiles: non forma aut figura, quippe quæ sequuntur quantitatem. uno verbo non est aliqua qualitas & forma permanens, alioquin creatura esset habitualiter applicata ad actum & in actu ut Deus: Ergo restat quod sit quid creatum reale, incompletum, se tenens ex parte actus secundi, seu est motio quædam virtuosa transiens ab agente universali, impressa ad applicandam creaturam ad agendum: & quia vero se tenet ex parte principii operativi, quod est quid completum, pertinet reductive ad secundam speciem qualitatis, nempe ad potentiam, unde dicitur qualitas incompleta, eaque activa.

Respondetur objectionibus.

OBJICIES: Contra secundam conclusionis partem: virtus incompleta inutilis est causæ secundæ ad agendum: Igitur non est admittenda. Probatur Antecedens. Causa prima non opus habet præmotione ad agendum cum causa secunda: Ergo nec ista cum prima suum producat effectum. Tum quia inconveniens foret Deum in omni instanti infinitas prope præmotiones producere, ut creaturas applicaret ad actum.

Respondeo negando Antecedens & paritatem; cum enim Deus sit prima causa & semper in actu, non indiget applicari ab alio, adeoque nec præmotione, secus vero causa secunda: Porro quod præmotio requiratur ad quemlibet actum, hoc sane Deum non occupat, siquidem gloriatur perpetuo in dependentia creaturæ, unde utique & in productione præmotionum.

Instabis. Præmotio non potest resultare ad actionem Dei: Ergo &c. Probatur Antecedens: Actio Dei non potest terminari ad aliquid incompletum: Sed si præmotio ab ea resultaret, actio Dei terminaretur ad aliquid incompletum. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem nego minorem: nam actio Dei producens præmotionem attingit ipsam causam quam veluti producit in ratione causæ illam applicando ad actum, sicque habet terminum completum.

Insistes: Si præmotio esset aliquid, hoc se teneret, vel ex parte actus secundi, vel ex parte actus primi, actus quippe adæquate dividitur in primum & secundum: Sed ex neutro capite se tenet: Ergo &c.

Respondeo negando minorem: præmotio enim se tenet ex parte actus secundi, non quod sit ipse actus, licet illum habeat semper sibi annexum; sed quia est causa ejus actualis, seu est nexus quo potentia cum actu secundo conjungitur.

Instabis: Atqui præmotio se tenet ex parte actus primi & non secundi, ergo nulla solutio. Probatur subsumptum. 1. Præmotio est radix actus. 2. Causa secunda sine ea non agit, sed non potest agere, sicque præmotio est potentia.

Respondeo negando subsumptum. Ad primam probationem distinguo, præmotio est radix immediata, concedo. Mediata tantum seu radix potentiæ & habitus operativi, qui componunt actum primum, nego. Ad secundum distinguo. Sine præmotione non potest homo agere potentia conjuncta cum actu seu potentia consequenti, concedo: potentia antecedenti ab actu separabili, nego antecedens & consequentiam: potentia autem secundum se spectata solum principium habituale explicat, & non actuale.

Persistes: Præmotio antecedit prioritate naturæ actum secundum: ergo non se tenet ex parte illius. Probatur consequentia. Quia fœcunditas solis natura procedit emissionem radii, virtus ejus est actus primus: Ergo & erit præmotio.

Re-

Respondeo negando consequentiam: Ad probationem nego paritatem; nam virtus solis non est solum actus primus quia præcedit natura, sed quia etiam potest ab emissione radii separari, ut evenit in morte Christi; quod argumentum est non se tenere ex parte actus secundi, sed præmotio habet semper actum secundum sibi conjunctum quatenus est causa exercitii actualis seu actus.

Repones: Agens non constituitur agens actu, nisi per ipsam suam actionem: ergo non est tale per præmotionem, sicque præmotio non se tenet ex parte actus secundi.

Respondeo distinguendo Antecedens, agens non constituitur actu agens formaliter nisi per actionem quæ est ipsa forma agentis, concedo. Effective, nego Antecedens & consequentiam. Duplex igitur est principium immediatum operationis, aliud formale a quo agens denominatur, & est ipsa operatio exiens ab agente; aliud quo effectivum, & est præmotio quæ quidem antecedit prioritate naturæ ipsum actum, re tamen est cum illo infallibiliter connexa.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Præmotio in ordine naturali active sumpta est ipsa Dei actio transiens ad extra*, passive vero considerata, *recte dici potest virtus quædam incompleta, seu impressio agentis pro ut in passo recepta.

Primum patet; namque motio active sumpta est ipsum agentis exercitium, ejusque motus in aliud quod tangit, ut in eo aliquem producat effectum, seu potius ut causam adjuvet secundam quæ non agit nisi ut prius mota.

Secundum quoque probabilitate non caret, & est Angelici Doctoris sententia. Revera quidem, impressio artificis in instrumento est quædam virtus qua artificiose operatur: Igitur & virtus primæ causæ, recte dicitur virtus incompleta, qua, roborata causa secunda in suum prorumpit actum. Dicitur virtus incompleta propter duo. 1. Quia non est permanens, sed transiens. 2. Quia illa virtus cum causa secunda operatur, & unicam constituit effectus causam totalem & adæquatam.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Non est inconveniens præmotionem esse quid incompletum, quandoquidem actio Dei non ad solam præmotionem terminatur, sed & ad causam secundam quam in ratione actualis agentis constituit, & sine tali præmotione creatura in agendo hæreret, ac suspensa maneret.

Secundo: Tametsi præmotio requiratur ad quamlibet creaturæ operationem, non inde sequitur, aut Deum in præmovendo desudare, aut dari processum in infinitum; omnia enim quæ vult Deus ad nutum & facillime operatur; creatura vero quælibet, modo operatur ad tempus, modo quiescit, vel quiescere valet, hinc & termini ubique in operationibus creaturarum apparent.

Tertio: Præmotio eatenus se tenet ex parte actus secundi, quatenus est causa ejus actualis & immediata.

SECTIO SECUNDA.

Utrum præmotio physica supernaturalis sita sit in gratia per se efficaci?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Nomine gratiæ per se efficacis intelligimus auxilium applicans voluntatem ad agendum, juxta illud Dei effatum Jerem. 30. *Applicabo eum, & accedat ad me*: Sed ex dictis liquet proprium præmotionis physicæ esse determinare, & applicare ad opus. Ergo &c.

Secunda: Illam gratiam per se efficacem esse conclamamus, quæ propria energia reducit animam de potentia ad actum, cum enim ista sit & dependens, & infirma, nisi a primo motore specialiter & moveatur ad bonum salutis innatas liberi arbitrii vires excedens, & sanetur, nihil operabitur: Sed utrumque munus physicæ competit motioni, quæ ita prævenit, & sanat voluntatem, ut & ista velit & faciat bonum. Ergo &c. Hæc ratio est D. Thomæ 1. 2. q. 109. art. 2.

Tertia: Angelica nostra schola gratiam per

per se efficacem dicit eam esse, quæ independenter a circumstantiis, & voluntatis consensu movet infallibiliter ad agendum; neque enim a circumstantiis, ut pote voluntati humanæ prorsus extrinsecis, auxilii divini repetimus efficaciam, neque vero etiam a consensu, cum ipse sit gratiæ effectus: Sed hæc est ipsa præmotionis physicæ energia, cum sit virtus & primi motoris a quo cætera moventur, & omnipotentiæ Dei qui cunctas creaturarum servitutes suo subjicit imperio; hinc illa motio vocatur præmotio, hoc est virtus primi agentis creaturam liberam ad bonum salutis applicans. Ergo &c.

Quarta: S. Augustinus eam gratiam vocat efficacissimam lib. de præd. SS. cap. 8. quæ divinitus largitur, quæque a nullo duro corde respuitur: Sed talis est præmotio, quippe quæ se teneat ex parte actus secundi, hinc licet homo possit illi resistere, numquam tamen de facto illi resistet. Igitur præmotio supernaturalis in gratia per se efficaci consistit.

Quinta: sententia, quæ ipsis non diffitentibus opinionem oppositam propugnantibus, dogma de libertate indifferentiæ actus servat; veluti libero hominis arbitrio inimica non habenda est: & merito quidem, nam in hoc non parcerent Thomistis alterius Scholæ Theologi: Atqui congruistæ concedunt Scholam nostram Angelicam intactum servare dogma, quinimmo asserunt inter eos, & nos controversiam non esse de dogmate: tametsi gratiam per se efficacem præmoventem exigamus. Ergo &c. Ad probationem minoris sufficiat hic texere undecim Propositiones a Theologis celeberrimis Societatis Jesu subsignatas: quæque in Mandato Eminentissimi Cardinalis de Bissy referuntur.

PRIMA PROPOSITIO

GRATIA *sufficiens, est gratia præveniens*.

II.

ISTA *præveniens gratia, quatenus sufficiens, ea ipsa est quæ dat omnia requisita ad posse bonum, quod inspirat*.

III.

IN *ista prorsus idea utriusque scholæ, Thomisticæ scilicet, & alterius quæ Molinista vocatur, communiter situm est dogma catholicum de gratia sufficiente, de quo utraque convenit schola*.

IV.

IGITUR *absque negotio dari potest de gratia sufficiente idea quæ utrique conveniat scholæ; ista videlicet: gratia quæ dat voluntati posse perfectum, illudque completum ad agendum; seu gratia quæ voluntati largitur omnia necessaria, ut possit agere*.

V.

QUUM *Schola Thomistica alteri scholæ opposita notionem gratiæ sufficientis modo exhibet sequenti*: Gratia sufficiens ea est, quæ dat omnia requisita ad actu agendum: *Ista notio duo potissimum importat. 1. Quidem quod istis non expressum est verbis, sed quod necessario subintelligi debet: nimirum gratiam sufficientem dare & exhibere omnia necessaria, ut actio quam inspirat, fieri possit, sin minus non intelligeretur esse auxilium vere sufficiens. Et istud primum, dogma constituit catholicum, quod omnes scholæ æquali complectuntur animo. 2. Ista gratiæ sufficientis definitio, alterum includit, atque importat, quod scilicet, sensus naturalis objicit intellectui, gratiam sufficientem, præter posse agere, eodem prorsus tempore ea dare quæ necessaria sunt, ad actu agendum: sed cum alia schola catholica de hoc non conveniant articulo, sequitur hoc ipsum nonnisi assertionem Scholasticam esse*.

VI.

ISTA *scholastica assertio Thomisticæ Scholæ adversa, potest adhuc & debet restringi, quia dum in uno supponitur sensu vera, non est in altero. In isto vera est: gratiam sufficientem omnia complecti necessaria, etiam antequam agatur, ut quis actu operetur: Verum ista assertio non est vera, in sensu quod Gratia sufficiens omnia importet prærequisita ad actu simpliciter agendum necessaria, & hoc sic intelligitur, cum gratia sufficiens, sit tantummodo gratia præveniens, in sua idea gratiam non includit cooperantem, seu concursum Dei supernaturalem necessarium ad producendum actum liberum, quem ipsa inspirat. Concursus requisitus ad actu agendum, a voluntate quidem independens est; Deus vero postquam gratiam dedit sufficientem, illum absolute loquendo denegare posset. Verum est igitur in sententia scholæ quæ Thomisticæ opponitur, gratiam sufficientem in suo conceptu seu idea, non*

non importare omnia quæ requiruntur ad actu operandum.

VII.

UTRAQUE *schola ultro convenit istum concursum esse absolute necessarium, ut quisque actu operetur. Ita ut non solum homo non agat, sed nequidem absolute absque illo auxilio actu operetur.*

VIII.

OCCASIONE *illius concursus, quædam mere scholastica eruitur quæstio, quæque ad dogma non pertinet; videlicet, num ut aliquis ab actu primo transeat ad secundum, requiratur quod Deus tanquam prima causa physice præmoveat voluntatem, ut propugnant Thomistæ? Vel si sufficiat Deum physice concurrere cum voluntate; & hoc concursu mere simultaneo; ut eorum adversarii contendunt, qui quidem omnem physicam abjiciunt prædeterminationem, omnemque concursum qui sit prævius, & non simultaneus.*

IX.

ECCLESIA *post immensas & celebres de hoc momento quondam habitas disputationes, quæstionem definire & judicare æquum non duxit; & ex hoc liquet caput istud non spectare dogma.*

X.

UTRAQUE *schola ad invicem opposita inter se exercuit disputationes, & hoc juxta licentiam a Sancta Sede illis factam, ea conditione, ut nullus alteri opinioni sibi oppositæ hæresis notam inureret: schola opposita Thomistis, ex eorum de concursu principiis concludit gratiam sufficientem, qualis ab eis propugnatur, non esse sufficientem, neque præbere verum posse agere; quandoquidem secundum illos aliud ad agendum requiratur: sed hanc non concedunt Thomistæ consequentiam quamque totis viribus impugnant. Pari & consimili modo cum congruistæ ex præmotione physica concludunt nullam superesse creaturis intellectualibus libertatem, hanc constanter simul & acriter negant illationem Thomistæ. De libertatis notione conveniunt omnes utriusque scholæ Theologi, sicut & de notione gratiæ sufficientis. Deinde vero controversia scholastica de uno tantum momento agitatur & movetur, videlicet utrum illæ notiones de quibus conveniunt, cum prædestinationis Doctrina consociari queant. Thomistæ propugnant suum systema cum utroque dogmate optime concordari; alii vero e contra. Omnes igitur Doctores utriusque scholæ easdem de illo utroque dogmate catholico ideas & habent & exhibent. Hinc disputatio movetur tantum de modo, num tales amborum illorum fidei dogmatum ideæ de quibus conveniunt, cum præmotione Thomistarum bene consocientur?*

PARALOGISMUM *instituunt, qui ex illis scholasticis disputationibus inferunt Thomistas eandem non habere cum adversariis, de gratia sufficientis & libertatis dogmate notionem; quandoquidem istæ disputationes, illos eandem habere supponunt. Et vero si Thomistæ, non eandem cum adversariis de utroque dogmate haberent notionem; isti eos argumentis, ex præmotione Physica depromptis, non impugnarent, verum potius argumentis ex Scriptura, & traditione, aliisque regulis fidei suffultis adversus illos insurgerent, ut eosdem ad recipiendas istas dogmatum notiones catholicas compellerent: At non isto sane modo cum Thomistis dissertant, namque ecce illorum argumentatio.*

XII.

GRATIA *sufficiens, est gratia quæ verum & completum posse agere præbet, seu est gratia quæ dat omnia requisita, ad posse agere: Atqui vestra gratia, ex hypothesi præmotionis requisita, neque completum posse agere, neque omnia necessaria ad posse agere confert: Igitur vestra gratia sufficiens, non est vera sufficiens gratia. Thomistæ hujusce syllogismi concedunt majorem, quæ dubio-procul dogma complectitur: Igitur Thomistæ de dogmate cum suis æmulis conveniunt; at vero negant minorem, quæ disputationis scholasticæ exhibet materiam, quod erat probandum.*

Agnoscimus & ultro fatemur, nihil in hoc scripto Societatis Jesu adscribi Theologis, quod ab eorum sententiæ alienum sit. Datum Parisiis hac die 13. Januarii 1716.

GABRIEL DANIEL, *Societatis Jesu.*

FRANCISCUS MAUMOUSSEAU, *Societatis Jesu.*

LUDOVICUS MARQUER, *Societatis Jesu.*

PETRUS AMIE, *Societatis Jesu.*

PHILIPPUS LALLEMANT, *Societatis Jesu.*

ROBERTUS ROGER. *Societatis Jesu.*

RE-

RENATUS JOSEPHUS TOURNEMINE, *Societatis Jesu*.
BARTHOLOMÆUS GERMON, *Societatis Jesu*.
ROBERTUS BENARD, *Societatis Jesu*.
CLAUDIUS RENATUS HONCNANT. *Societatis Jesu*.

Fit satis objectionibus.

OBJICIES 1. Moveri efficacissime ab alio, est cogi. Sed implicat voluntatem humanam cogi: Igitur & præmoveri gratia per se efficaci ad bonum salutis. Igitur præmotio in gratia per se efficaci non sita est.

Respondeo distinguendo: moveri ut inanime quoddam, est cogi, concedo. Moveri & simul se ipsum movere, est cogi, nego. Voluntas humana non movetur a gratia divina, ut inanime quoddam, sicut posuit Lutherus, sed mota se quoque movet & accingit ad actionem; quocirca ejus libertas a gratia nullo modo læditur, & hoc propter duo: Primo quidem quia Deus movendo creaturam non tollit voluntarium liberum, sed potius dat inclinationem ad bonum liberrimum, quatenus voluntas suaviter mota, ipsa vult & eligit bonum. Secundo, quia Deus tametsi principium extrinsecum, est tamen simul & intrinsecum, utpote intime creaturis præsens, hinc & attingit modum agendi rerum ipsis connaturalem; facit enim causas necessarias agere necessario, liberas vero, libere; & hoc quia infinitam habet in agendo virtutem, quod non competit agenti creato extrinseco. Sequitur etiam hac suavi illa motione creaturæ meritum non auferri; quandoquidem ipsa se movet & operatur, sicque bene agendo ipsa per amorem vitam meretur æternam.

Istæ responsiones ex D. Thoma colliguntur 1. parte quæst. 105. art. 4. ad 1. ubi sic loquitur: " Dicendum, quod istud, „ quod movetur, ab altero dicitur cogi, „ si moveatur contra inclinationem pro„ priam: sed si moveatur ab alio quod „ sibi dat propriam inclinationem, non „ dicitur cogi: sicut grave cum movetur „ deorsum a generante, non cogitur: sic „ igitur Deus movendo voluntatem, non „ cogit ipsam: quia dat ei ejus propriam „ inclinationem. „

Rursus ibidem ad 2. ait: " Moveri vo„ luntarie est moveri ex se, idest, a prin„ cipio intrinseco: sed illud principium „ intrinsecum potest esse ab alio principio „ extrinseco, & sic moveri ex se non re„ pugnat ei quod movetur ab alio. „

Rursus ibidem ad 3. sic loquitur: " Quod „ si voluntas ita movetur ab alio, quod „ ex se nullatenus moveretur, opera vo„ luntatis non imputarentur ad meritum, „ vel demeritum: sed quia per hoc quod „ movetur ab alio non concluditur quin „ moveatur ex se, ut dictum est: ideo per „ consequens non tollitur ratio meriti, „ vel demeriti. „

Rursus 1. 2. quæst. 111. art. 2. ad 2. ait: " Dicendum, quod Deus non sine nobis „ nos justificat; quia per motum liberi ar„ bitrii dum justificamur, Dei justitiæ con„ sentimus; ille tamen motus non est cau„ sa gratiæ, sed effectus: unde tota ope„ ratio pertinet ad gratiam. „

Denique S. Doctor de potentia quæst. 3. art. 7. totum libertatis humanæ cum gratia præmovente, & per se efficaci conservationem & œconomiam explicat, atque concludit, his verbis: " Sic ergo Deus est „ causa actionis cujuslibet in quantum de„ dit virtutem agendi, & in quantum „ conservat eam, & in quantum applicat „ actioni, & in quantum ejus virtute om„ nis alia virtus agit .... Sequitur quod „ ipse in quolibet operante immediate „ operetur, non exclusa operatione volun„ tatis & naturæ. „

Instabis: Atqui gratia præmovens, & per se efficax cogit seu necessitat: Igitur tollit & rationem voluntarii liberi & meriti. Probatur subsumptum. Ipsa producit infallibiliter consensum non expectando ipsius voluntatis humanæ conatum: Atqui producere consensum, est illum producere independenter ab electione & deliberatione voluntatis humanæ, & consequenter quodcumque explodere meritum. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo, gratia præmovens & per se efficax non expectat humanæ voluntatis in se relictæ consensum, ut operetur, concedo: humanæ voluntatis adjutæ, subdistinguo, ut operetur actum primo-primum & incompletum, concedo. Actum deliberatum & perfectum, nego. Multa sunt secernenda ut solvatur tantæ diffi-

difficultatis nodus. Primo quidem gratia, ejusque primaria operatio, deinde consensus ipsi gratiæ, postea utriusque simul agentis effectus qui est v. g. actus contritionis perfectæ peccatorem convertentis. Primum est ipsius gratiæ infusio, & ejusdem subitanea impressio quæ movet efficaciter peccatorem ad conterendum, & hic gratiæ motus est indeliberatus & primo-primus, seu in nobis sine nobis: secundum est ipsi gratiæ moventi voluntatis obedientia quæ dicitur consensus, adeoque actus deliberatus: sed ille actus primario concipitur a gratia procedere, deinde vero a voluntate mota & adjuta. Et vero sicut prius est manum discipuli a Magistro dirigente moveri, quam sese movere, ut scribat, tametsi uterque eodem tempore sese moveat & scribat, simili prope modo concipimus voluntatem humanam per gratiam a Deo prius moveri, quam seipsam movere; ex quo manifeste sequitur consensum esse & a gratia & a voluntate humana, sed primario a gratia, ita ut a libero hominis arbitrio energiam ad operaudum non accipiat; immo potius voluntas a gratia habeat, ut consentiat & velit bonum, quod ipsa adjuvante, ea operatur, & hæc tertia operatio, puta contritio, est actus vitalis & perfectus qui producitur a prima & a secunda causa, scilicet a gratia, & a voluntate humana, quæ ad hoc prius sese determinavit gratiæ præmoventi consentiendo, quod D. Thomas innuit de potentia qu. 3. art. 7. supra laudato.

Urgebis. Gratia præmovens per se efficax est gratia movens insuperabiliter & indeclinabiliter: Igitur & necessario, quippe quæ non relinquat electioni, & deliberationi locum; ita ut liberum arbitrium se habeat sub dominio talis gratiæ ut inanime quoddam. Et vero eo ipso quo est insuperabilis, res sic se habet, alias incassum diceretur insuperabilis, sic enim superari posset, non indeclinabilis igitur, sed ut declinabilis jure merito celebranda est.

Respondeo distinguendo. Gratia præmovens & per se efficax perseverantiæ finalis est insuperabilis, concedo. Gratia per se efficax ut sic; subdistinguo: est insuperabilis secundum quid insuperabilitate orta, tum a gratia, tum a voluntate humana mota & adjuta, concedo: est insuperabilis absolute, nego. Insuperabilitas duplex distinguitur, altera absoluta, altera secuudum quid & hypothetica: prior tribuitur gratiæ perseverantiæ finalis, quæ teste S. Augustino lib. de bono perseverantiæ cap. 1. importat mortis cum gratia conjunctionem, immo & terminum in quo anima justi immobiliter & invariabiliter Deo adhæret. Alias, inquit, S. Doctor se ipsum explicans, si non involvat vitæ terminum, jam non est perseverantia finalis. Hæc autem gratia duo involvit, gratiam scilicet interiorem, cui homo potest resistere quandiu in terris vivit: Alteram exteriorem quæ est providentia specialis, ita disponens causas elementales, ut mortem afferant, eo potissimum tempore quo homo habet charitatem; & hinc misericordiæ auxilio qui posset resistere, maxime cum involvat mortis cum charitate conjunctionem. De hac gratia multus est sermo apud D. Augustinum lib. de correptione & gratia a cap. 6. ad 12. usque; igitur insuperabilitas petitur ex conjunctione mortis cum charitate nec mirum: quum aliquis est in termino, jam, neque peccare amplius, neque resistere gratiæ vult.

Rursus insuperabilitas absoluta alia est quæ ex omni parte absoluta & physica nuncupatur, quæque, ut volunt Lutherani, ortum habet a decreto ineluctabili & necessitante, ita ut voluntas humana sub dominio gratiæ mere passive se habeat, ut inanime quoddam.

Insuperabilitas secundum quid & hypothetica ea dicitur, quæ a voluntate creata ope gratiæ adjuta, & supposita, liberi arbitrii tum electione, tum deliberatione procedit: Igitur duplicem habet causam, videlicet gratiam, quæ suaviter simul & fortiter sanat, roborat & movet voluntatem ad bonum, quæque passiones ita compescit, & amorem boni ita suavem producit, ut voluntas liberrime sese moveat ad bonum patrandum; quocirca consensus effectivus boni & infallibilis habet pro causa secunda ipsam voluntatem, sed prius adjutam. Cæterum ad actum ponendum non modicum conducit protectio Dei removentis prohibentia, puta compescendo dæmonis impetus, minuendo tentationes nimis exacerbantes, faciendo quoque mira Providentia, ut locus & tempus desint, ad hoc ut tentatus malum immi-

minens non committat: ita censet S. Augustinus homil. 23. inter 50. ubi Deum ad peccatorem sic loquentem inducit. *Ut adulterium non committeres, suasor defuit.... Locus & tempus defuit, & ut hæc deessent, ego feci*. Rursus apud D. Thomam lect. 3. in cap. 10. 1. ad Cor. " Fi-" delis Dominus in omnibus verbis suis, " qui non patietur vos tentari supra id, " quod potestis, quod utique posset dia-" bolus, si permitteretur... August. qui " dat diabolo tentandi licentiam, ipse dat " tentatis misericordiam, proventum est " inquam, ita ut possitis sustinere, ne de-" ficiatis in lucta, sed vincatis. " Quibus omnibus positis, immo & suppositis, oritur efficacia gratiæ præmoventis tanta, ut quodam modo dicatur indeclinabilis & insuperabilis. Et vero quis hominum bonum salutis non amplectetur quando cor habet dilatatum, juxta illud Psalm. 118. Prophetæ Regii Deum sic alloquentis, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. Famelicus videns mensam paratam, ita ad manducandum concitatur, ut licet a cibo abstinere possit, moraliter tamen loquendo non abstinebit. Incarceratus habens benefactorem qui pro eo debitum solvit, & manum tendit ut de carcere exeat, potest quidem obniti, sed tantum abest ut trahenti resistat, quin potius eum lubenti sequitur animo, & solutis vinculis de carcere exiliens & gaudens egreditur: Pari & non absimili modo qui trahitur a Patre, per gratiam, & videt bonum, & illud liberrime & cum amore sequitur.

Prima insuperabilitas dono perseverantiæ tribuitur; insuperabilitas ex omni parte absoluta & physica est & hæresis Lutheri; & a doctrina S. Augustini prorsus extranea, quandoquidem S. Doctor ubique debellat gratiam necessitantem & omne fatum, quinimmo liberi arbitrii partes ex professo suscipit defendendas in libris tribus de libero arbitrio adversus Manichæos conscriptis, ubi indifferentiam actus & libertatem inesse homini probat omni genere auctoritatum ex veteri & Novo Testamento depromptarum. Item, in libro de gratia, & libero arbitrio: Item in libro de gratia Christi, & in libro quarto adversus duas Epistolas Pelagianorum. Ibi inculcat, asseritque liberum arbitrium, tametsi per peccatum debilitatum, non tamen extinctum fuisse; gratiæ vero efficaciam non quidem perimi, sed potius adjuvari contendit.

Tertia denique insuperabilitas celebris est apud Theologos in Tractatu de Gratia, maxime apud Thomistas: de hac quoque loquuntur Ysambertus, & quidam alii Congruistæ, ut Grandinus, Habertus Episcopus Vabrensis, eamque repetunt ex protectione Dei, qui sua Providentia removet impedimenta quibus frangi posset gratiæ motus seu impetus; sed hæc insuperabilitas dicitur tantummodo insuperabilitas moralis & secundum quid, quocirca nullo modo adversatur libertati.

Instes. Atqui insuperabilitas physica & absoluta voluntati humanæ inesse videtur sub dominio gratiæ præmoventis & per se efficacis: Ergo &c. Probatur subsumptum. Eo ipso quo gratia ex se voluntatis consensum causat, simul est causa actus qui est agentis finis, v. g. contritionis perfectæ in peccatore pœnitente; namque consensus hujusmodi est actus effectivus. Igitur si gratia est causa consensus, debet esse ut ultimati actus, & & hoc per se atque infallibiliter, independenter a voluntate, quod sane arguit necessitatem Physicam in voluntate humana, ut & operatione gratiæ inductam.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, distinguo. Et ipse consensus a voluntate adjuta, prævia electione & deliberatione promanat, sicut & ipsa contritio, aliusve actus ab agente intentus, concedo: & ab ea non promanat, sed se habet ut inanime quoddam sub dominio gratiæ efficaciter præmoventis, nego. Caput controversiæ de gratia per se efficaci non est præcise per ordinem ad actum qui est finis agentis, sed de gratia secundum se & veluti in actu primo spectata; & de ea quæritur num ex se sufficientem habeat energiam, ut inferat consensum? Et respondemus affirmative propter rationes in probationibus laudatas. Tria igitur semper præ oculis habenda sunt, ne aliquis supersit pro hoc tanto momento æquivocationis locus: videlicet infusio gratiæ, deinde consensus & obedientia voluntatis gratiæ præmoventi, 3. actus ipse producendus v. g. actus amoris Dei. Primum est in nobis sine no-

nobis. Secundum, a gratia ut a prima causa, a voluntate vero humana, sicut a secunda causa eligente bonum, quod innuit ipsa, *consensus*, vox. Et vero consentire alicui rei faciendæ, est illam tanquam bonum aliquod eligere. Porro hoc ipsum habet voluntas a gratia præmovente: tertium denique, scilicet actus ultimatus, est a gratia adjuvante & concomitante, & ab ipsa voluntate humana cooperante. Ultro concedimus actum ultimatum, v. g. contritionis esse & a gratia & creatura, immo & consensum in actum, sed voluntatem præmoveri debere ad consensum cum Angelico Doctore propugnamus; & sic nulla sequitur pro libertate offensa, ut mox ex professo dicemus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

PRIMO. Gratiam esse & præmoventem & per se efficacem innuit passim Scriptura, maxime Jeremiæ 3. his verbis: *Applicabo eum, & accedet ad me*. Concinit Concilium Arausicanum 5. Can. 9.

Secundo. Eandem propugnat veritatem Augustinus variis in locis, maxime in lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 8. cum ait gratiam Dei dari, ut cordis duritia primitus auferatur.

Tertio. Ratio D. Thomæ suffragatur; namque causa particularis sub universalis causæ dominio continetur, & ab ea præmoveri indiget, ut de potentia exeat in actum; sola quippe prima causa est semper in actu, quocirca ad illam pertinet causas secundas movere, & eorum potentialitatis vinculum solvere.

SYNOPSIS SOLUTIONUM, ET OBJECTIONUM.

PRIMO: prima causa, qualis est Deus, sua motione hominem ad operandum neque cogit, neque necessitat, cum modum agendi rerum perfecte attingat, quinimmo confert homini inclinationem ad bonum libere volendum.

Secundo quum Theologi dicunt gratiam infallibiliter humanam movere voluntatem; hoc intelligitur tantummodo de insuperabilitate morali, & secundum quid.

Tertio: motio gratiæ non excludit ipsum liberi arbitrii motum, sed potius adjuvat, & ideo gratia nullam inducit necessitatem.

SECTIO TERTIA.

Utrum præmotio libertati humanæ, & sanctitati Dei adversetur?

CONCLUSIO PRIMA.

Præmotio non nocet humanæ libertati.

Probatur ratione multiplici.

PRIMA: homo eatenus dicitur liber, quatenus in suos actus potestatem habet, ita ut possit ad nutum agere, vel non agere; libertas quippe definitur *vis electiva*; sed Deus magis habet in sua potestate nostros actus, quam nos ipsi habemus, juxta illud Augustini lib. de corr. & gratia c. 14. " Deus... habet magis in sua „ potestate voluntates hominum, quam „ ipsi suas. „ Igitur sicut voluntatis hominis conatus, ejus non lædit libertatem, eo quod possit sese flectere ad unum, aut alterum extremum, pari ratione Deus præmotione physica nostram non perimit libertatem, cum habeat virtutem nos movendi ad utrumlibet.

Secunda: Deus sua motione fortiter simul & suaviter creaturam ad agendum compellit, ita ut eam libere moveat, si hominis natura hoc ipsum exigat: Atqui res sic se habet: Et probatur ex D. Thoma qui dist. 49. q. unica art. 4. sic loquitur: " Voluntate Dei non solum res in esse „ producuntur, sed etiam rebus producen- „ dis modum quo producuntur, prædeter- „ minavit. „ Ergo &c.

Tertia: Duplex in homine distinguitur libertas, una potentialis, actualis altera. Prima est ipsa vis electiva innata creaturæ liberæ, seu potestas agendi vel non agendi; actualis est ipsum liberæ potentiæ exercitium, in quo quidem essentialiter sita est libertas; quandoquidem libertas Dei quæ est omnium prima & cæterarum radix, in actu liberrimo consistit: Sed præmotio est efficacia primi agentis liberi a quo omnis libertas creata, juxta illud tritum axioma: *Quod est primo per se tale, cætera non sunt talia nisi per ordinem ad illud*. Igitur vel minimum quidem libertati non

non adversatur, immo potius causat, & dat libertatem perfectissimam, quatenus est prima causa exercitii libertatis humanæ.

Quarta: Libertas consistit in indifferentia activa quæ ex tribus coalescit, videlicet ex indifferentia objecti, ex indifferentia judicii, & ex indifferentia ipsius voluntatis. Prima sita est in natura objecti, quod cum claudatur terminis, nec omnes habeat perfectiones, ideo libere amandum est; nam cum datur majus bonum, scilicet increatum, finito relicto, ad prosecutionem boni infiniti pergit voluntas. Secunda indifferentia sequitur ad primam; intellectus quippe, omnibus ponderatis, indicat bonum creatum ad mensuram tantummodo & libere amandum esse. Tertia indifferentia seu vis actualis sequitur ad primam & secundam, quandoquidem voluntas objectum propositum amplectitur vel respuit prout judicat intellectus. Atqui præmotio non tollit indifferentiam voluntatis, siquidem applicat voluntatem ad actum, prævia objecti & cognitione & intellectione: Ergo &c.

Quæ doctrina facile concipitur, si cuncta ad actum producendum conducentia adamussim perpendamus. Primo, est cognitio objecti, deinde intentio finis, postea ejusdem finis volitio efficax. Quarto loco, electio mediorum ad finem obtinendum. Quinto, usus mediorum activus: Denique ipsa finis possessio, seu boni fruitio. Quæ quidem omnia tametsi quandoque in instanti fiant, attamen in œconomia actus perfecti & liberi adinveniuntur ut attendenti patebit.

Rursus ex parte Dei moventis quædam præmotiones prærequiruntur, sicut & multi voluntatis conatus, ut jamjam non semel annotatum est. In ordine quidem naturali, præmotio generalis ad bonum universale sufficit, ex D. Thoma, voluntas enim sic præmota seipsam applicat ad actum in individuo, ex quo sequitur in homine eam esse perfectissime liberam, cum seipsam determinet ad exercitium actus, hic & nunc in individuo faciendum. In ordine supernaturali præmotio generalis etiam adinvenitur, quæque a gratia præveniente eatenus promanat, quatenus movet & excitat voluntatem ad bonum: Deinde vero est præmotio specialis ad actum in individuo, ad tale bonum faciendum, puta eleemosynam, & hæc motio est a gratia efficaci, diciturque motio moralis, quatenus gratia movet ad bonum illuminando, suadendo, inspirando, immutando & corroborando: Deinde sequitur electio voluntatis adjutæ pro bono patrando: peracta vero deliberatione, voluntas jam moraliter determinata, ad actum physice movetur & applicatur ad illum eliciendum. Ex quo patet præmotionem physicam nullo modo adversari humanæ libertati, cum ad ipsam voluntatis humanæ adjutæ electionem subsequatur, est tamen vere præmotio physica; quandoquidem præcedit prioritate naturæ humanæ voluntatis conatum. Voluntas quippe non producit physice effectum suum, nisi prius mota a gratia.

CONCLUSIO SECUNDA.

Præmotio physica divinæ non adversatur sanctitati.

Probatur unico sed irrefragabili argumento.

ILLUD non opponitur sanctitati divinæ, quod ne quidem indirecte est causa peccati: Atqui præmotio physica ne quidem indirecte est causa peccati: Et probatur. Peccatum radicaliter & formaliter sumptum non habet causam efficientem, sed tantummodo deficientem: Atqui præmotio physica est causa solum efficiens, causa efficacissima quæ ens positivum & bonum habet duntaxat pro objecto; cum enim sit causæ primæ exercitium, attingit semper & recte effectum, nec ullo frangitur impedimento a parte rei ponendum. Igitur nunquam pertingit vel leviter quidem & indirecte ad peccatum: Minor certa est, nec ullus nisi Heterodoxus illam negabit: Probatur igitur major: In peccato tria sunt distinguenda: Primo quidem actus ut sic, quatenus est quid physicum & vitale a potentia vitali & libera promanans: Secundo, actus ut obliquatus, scilicet ut tendens ex intentione operantis ad objectum regulis morum dissonum: Tertio, difformitas seu privatio rectitudinis resultans ad actum obliquatum. Peccatum priori modo spectatum non est peccatum, sed quid bonum, scilicet ens. Motus, v. gr. quo aliquis en-

ensem movet, de se est indifferens ad bonum vel malum moralem: Et vero si ensis pulsetur ad occidendum patriæ hostem, in congressu prælii est quid bonum, & physice & moraliter; si ad fratrem cædendum, profecto malum est, sed ex intentione solum operantis, ut patet adhuc in illo qui putans suum occidere fratrem, feram percutit: actus igitur solummodo in secunda & tertia acceptatione est formaliter peccatum, quatenus operans deficit a regulis morum: Igitur peccatum sive formaliter, sive fundamentaliter sumatur, non habet causam nisi deficientem, sub quo respectu a Deo nequidem indirecte profluere potest.

Confirmatur ex D. Thoma qui 1. 2. quæst. 79. art. 2. totum hoc explanat negotium: Dicendum quod actus peccati & „ est ens & est actus, & ex utroque ha„ bet quod sit a Deo. Omne enim ens „ quocumque modo sit, oportet quod de„ rivetur a primo ente, ut patet per „ Dionysium quinto capite de divinis no„ minibus; omnis autem actio causatur ab „ aliquo existente in actu quo nihil agit, „ nisi secundum quod est actu; omne „ autem ens actu reducitur in primum „ actum, scilicet Deum sicut in causam, „ qui est per suam essentiam actus: un„ de relinquitur quod Deus sit causa om„ nis actionis in quantum est actio; sed „ peccatum nominat ens & actionem cum „ quodam defectu, defectus autem ille „ est ex causa creata, scilicet libero ar„ bitrio, in quantum deficit ab ordine pri„ mi agentis, scilicet Dei: unde defectus „ ille non reducitur in Deum sicut in „ causam, sed in liberum arbitrium, sicut „ defectus claudicationis reducitur in tibiam „ curvam sicut in naturam, non autem „ in virtutem motivam a qua tamen causa„ tur quidquid est motionis a claudicatio„ ne, & secundum hoc Deus est causa „ actus peccati, non est tamen causa pec„ cati, quia non est causa hujus quod actus „ sit cum defectu. „

Dices: Materiale peccati est quid a formali indivulsum: Igitur si præmotio attingit materiale, ad formale quoque sese extendere debet, ex quo sequitur eam divinæ eatenus adversari sanctitati, quatenus omnis motio physica a Deo tanquam a primo motore procedit: sed absurdum consequens: Ergo & antecedens.

Respondeo distinguendo Antecedens: Materiale peccati obliquatum est a formali inseparabile, concedo. Materiale ut sic, & quatenus est ens, nego. Revera quidem materiale ut sic, est motus physicus indifferens de se ad bonum vel malum morale; hanc quippe solum ex intentione operantis induit rationem: Si igitur motio illa intentionis malæ subjiciatur, jam evadit peccatum, sub quo respectu materiale relative ad istam intentionem vitiosam, obliquatum peccatum est: unde nullo modo a Deo fluit, quandoquidem ista motio reduplicative ut vitiosa, non habet causam efficientem, sed deficientem: Si vero motio subjiciatur bonæ intentioni, jam est recta & a Deo: Igitur materiale peccati ut sic potest a formali separari: sic motio manus moventis gladium potest esse bona vel mala, bona quidem, si moveatur gladius ex intentione patriæ adversus ejus hostes defendendæ: Contra vero si adversus fratrem convertatur gladius, & ad parentis intentionem: quidquid gressus est in tibia claudicante, a virtute naturæ procedit, inquit D. Thomas; quidquid vero claudicationis ab humore vitioso est; Pari & non absimili ratione, inquit sanctus Doctor, quiquid boni & entis est in actu peccaminoso, Deum habet pro causa; quidquid vero mali ipsam creaturam.

Solvuntur objectiones adversus primam conclusionem ex auctoritate deductæ.

OBJICIES 1. Ecclesiastici 15. legitur Deum reliquisse hominem in manu consilii: En verba: *Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam*. Hoc posito sic argumentor: Per præmotionem homo necessitatur ad agendum: Ergo &c. Probatur Antecedens. Per præmotionem applicatur & determinatur ad agendum: Igitur non est in manu consilii, ad hoc enim requireretur quod seipsum applicaret independenter a quocumque.

Respondet ad hoc D. Thomas 1. p. q. 22. art. 2. ad 4. his verbis; " Dicen„ dum in hoc quod dicitur Deum homi„ nem sibi reliquisse, non excluditur ho„ mo a divina providentia; sed ostenditur „ quod non præfigitur ei virtus operativa „ de-

„ determinata ad unum, sicut in rebus na-„ turalibus. „ Igitur non sequitur quod homo non sit in manu consilii sui, licet applicetur ad agendum; siquidem præmotio applicat illum conformiter naturæ ipsius, idest, libere; nec Deus potest aliter facere, scilicet quod homo seipsum determinet independenter ab illo, siquidem est de essentia creaturæ dependere a Creatore.

Instabis: Rom. 9. sic habetur: *Voluntati enim ejus quis resistit?* Unde sic argumentari fas est. Præmotioni nihil resistit, siquidem est virtus efficax voluntatis Dei: Igitur ea posita, non manet libertas; nam ut creatura dicatur libera, debet posse agere vel non agere, adeoque posse resistere.

Respondet ad hoc D. Thomas 1. 2. q. 10. art. 4. his verbis: Voluntas divina „ non solum se extendit, ut aliquid fiat „ per rem, quam movet: sed ut etiam „ eo modo fiat, quo congruit naturæ ip-„ sius. Et ideo magis repugnaret divinæ „ motioni, si voluntas ex necessitate mo-„ veretur, quod suæ naturæ non compe-„ tit, quam si moveretur libere, prout „ competit suæ naturæ. Unde nego tollere libertatem; licet etiam potentia possit resistere, nunquam tamen resistit, quia nunquam resistendi animus erit: sicut tametsi aliquis possit resistere voluntati Regis illum a captivitate liberantis, nunquam tamen moraliter loquendo resistet. Scriptura autem solum innuit creaturam non resistere, sed non negat posse resistere; immo sæpius & gratiæ prævenienti resisti asserit. Hoc innuit S. Stephanus Act. 7. dum Judæos sic alloquitur: *Vos semper Spiritui sancto resistitis*.

Insistes: D. Anselmus lib. de concordia cap. 20. distinguit duplicem necessitatem motionis, aliam antecedentem, & hanc dicit auferre libertatem; alteram consequentem & ad exercitium, nempe libertatis, ipsam vero non tollere; siquidem est solum necessitas hypothetica: sed necessitas præmotionis ad agendum est antecedens, siquidem præmotio causæ secundæ antecedit actum; igitur tollit libertatem: unde adversarii comparant præmotionem catenis ferreis, vel etiam gravi ponderi prementi & liberum absorbenti arbitrium.

Respondeo distinguendo majorem; necessitas antecedens alicujus qualitatis quæ oritur a causis creatis aufert libertatem, concedo: alicujus qualitatis quæ oritur a prima causa quæ attingit objectum & modum actus agentium, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Præmotio autem licet sit suppositio antecedens, quia tamen est virtus Dei cuncta moventis secundum suam naturam, non tollit libertatem, immo voluntatem agere libere, quatenus movetur a voluntate divina quæ in se præcontinet hominum voluntatem, perspicuum est. S. Anselmus loquitur solum de necessitate qualitatis antecedentis ortæ ex causis creatis; unde libro de concordia cap. 1. dicit necessario voluntatem hominis esse liberam eo ipso quo Deus vult; unde c. 1. sic ait: " Quamvis voluntas sua utatur „ potestate, nihil tamen est quod Deus „ non faciat in bonis sua gratia. „ Ad iniquas vero comparationes adversariorum, dico eos absque fundamento comparare præmotionem catenis. Cur non potius clamant cum Propheta Regio Psal. 54. *Quis dabit mihi pennas*, intellige præmotionem supernaturalem & gratiam efficacem, *sicut columbæ? volabo, & requiescam*. Et Psalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. Intellige per gratiam præmoventem. Non minus etiam claudicat secunda comparatio. Cur potius non comparant præmotionem gallinæ, quæ dum cadit super ova non conterit, sed fovet, & calefacit, & sic format pullos suos? Rursus præmotio quæ attingit modum agendi rerum causat libertatem; quod autem attingat modum agendi rerum utpote a Deo promanans, bene describit D. Thomas. 3. contra gentes cap. 88. his verbis: " Illud igitur so-„ lum agens potest causare motum volun-„ tatis absque violentia, quod causat prin-„ cipium intrinsecum hujus motus, quod „ est potentia ipsa voluntatis. Hoc „ autem est Deus qui animam solus creat, „ ut in secundo ostensum est. Solus igi-„ tur Deus potest movere voluntatem „ per modum agentis absque violen-„ tia. „

Repones: D. Thomas 1. parte quæst. 82. art. 2. ad. 2. ait: " Dicendum quod mo-„ vens tunc ex necessitate causat motum „ in mobili, quando potestas moventis ex-„ cedit mobile, ita ut tota ejus possibilitas moven-

moventi subdatur. " Atqui creatura plene subditur præmotioni, non vero præmotio ipsi creaturæ: Igitur tollit libertatem. Item q. 22. de veritate ait ex hoc aliquid dici necessarium quod est immutabiliter determinatum ad unum. Atqui per præmotionem creatura immutabiliter determinatur ad unum v. g. ad amandum Deum. Ergo &c.

Respondeo primum locum nihil urgere contra nos: Licet enim creatura subdatur præmotioni, quia tamen præmotio movet illam conformiter ejus naturæ, non aufertur libertas. Unde ad secundam partem minoris in qua dicitur præmotionem non subdi causæ secundæ, nec dependere a creatura, distinguo, quoad usum, nego; quoad influxum & ejus largitionem, subdistinguo. Non dependet physice, concedo: moraliter, nego. Quodam modo dependet a nobis moraliter, in quantum Deus est semper paratus illam dare quotiescumque illa indigebimus; unde D. Thomas cum Philosopho ait: *Quod possumus per amicos, esse in potestate nostra*. Præmotio igitur est quodammodo in potestate nostra, siquidem est in potestate non dicam amici sed patris: unde nego consequentiam. Igitur præmotio eatenus est in potestate nostra quatenus supernaturali utimur ad usum, naturali vero etiam ad malum, videlicet eam detorquendo ad peccatum; de quo vel ipse Deus conqueritur Isa. 43. *Servire me fecisti*, ait, *in peccatis tuis*.

Respondeo 2. S. Thomam loqui de bono particulari, quod quidem nunquam movet necessario, ea potissimum ratione, quod totam boni plenitudinem non habeat. Hinc subdit ibidem sanctus Doctor: " Cum autem possibilitas voluntatis sit respectu boni universalis & perfecti non subjicitur ejus possibilitas tota alicui particulari bono. Et ideo non ex necessitate movetur ab illo.. " Quibus verbis ostendit præmotum nusquam necessitate, quia ad bonum particulare & individuo prosequendum movetur.

Respondeo ad 2. locum dist. majorem. Quod est immutabiliter determinatum & per modum naturæ necessario operatur, concedo: per modum liberi, nego. Præmotio autem movet libere: Igitur non tollit liberum arbitrium.

Objectiones ex ratione deprompta.

OPPONES: Præmotio determinat voluntatem ad agendum per modum naturæ: Igitur necessario. Probatur Antecedens. Tollit indifferentiam: Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem distinguo, tollit indifferentiam potentialem quæ est suspensus ab actu, concedo: actualem, nego. Priorem tollit, cum applicet actum, minime vero posteriorem, quippe quæ faciat voluntatem agere libere.

Dices: Ergo sine præmotione creatura non est libera quod est absurdum.

Respondeo distinguendo, non est libera in actu secundo & formaliter, concedo. Siquidem sine ea non se exercet, nec indifferentiam actualem in qua essentialiter consistit, habet: Non est libera in actu primo, nego. Nam sine præmotione potest agere, vel non agere.

Instabis. Præmotio tollit indifferentiam actualem. Ergo & consequenter libertatem formalem. Probatur Antecedens. Præmotus v. g. ad amorem non potest non amare: Igitur præmotio tollit indifferentiam actualem.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem distinguo, præmotus ad amorem non potest non amare in sensu composito, concedo: diviso; nego. Solutio est D. Thomæ quest. 6. de veritate art. 4. ad 8. sensus compositus est quando formale duorum prædicatorum contrariorum appellat supra subjectum in eodem instanti & pro eodem instanti formali mensurante actum, v. g. si amor & non amor actualis dicatur de aliquo: sensus vero divisus est quando formale unius prædicati appellat formaliter supra subjectum, secundario vero supra materiale alterius prædicati contrarii, quod quidem appellat simul supra idem subjectum, sed solummodo materialiter præmotum: igitur formale amoris appellat supra objectum de quo dicitur: Non amor vero materialiter appellat, in quantum potentia libera quæ conjungitur cum actu amoris, habet aliam capacitatem, ut sit cum odio, non quidem simultate actus, unus quippe est privatio alterius, sed simultate potentiæ, in quantum uterque actus habet quod solvat in actu aptitudinaliter ab ea potentia:

Certum est adversarios habere hanc eandem & alias difficultates solvendas quando eis dicitur quod posito concursu simultaneo, creatura non potest non amare, sed tunc respondent sicut nos, nec aliter solutionem datam explicant.

Hinc magnum sequitur discrimen inter Lutheranos & Thomistas: Illi præmotioni non posse resisti affirmant; isti vero contrarium tenent. Motio quippe Dei non tollit causæ secundæ liberæ modum agendi connaturalem, sed potius adjuvat. Audiendus est de hoc momento D. Thomas qui prima parte quæst: 83. art. 1. ad 3. sic loquitur: *Deus igitur est prima causa movens, & naturales causas, & voluntarias: Et sicut naturalibus causis movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariæ: Sed potius hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem*.

Insistes: Potentia non remanet ad id quod implicat: Sed repugnat non amorem esse cum amore. Igitur præmotus ad amorem non habet potentiam ad non amandum.

Respondeo distinguendo majorem: ad id quod implicat simpliciter & ex natura rei, concedo: quod implicat solum propter aliquam suppositionem, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Quod autem non amor sit, non implicat ex natura rei, siquidem ad hunc potentia habet capacitatem, sed solummodo propter suppositionem, idest, supposito quod sit amor actu, implicat quod sit actu non amor. Contraria enim non possunt esse simul: sufficit igitur quod sit non amor potentialis seu potentia.

Repones: In eodem instanti non est potentia ad non amorem, sed solum in instanti sequenti: Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens; est enim in eodem instanti potentia ad non amorem, sed non pro eodem instanti.

Replicabis: Pura potentia ad oppositum quod actu non est, nequit denominare hominem liberum. Igitur dato quod non amor sit in potentia, non ideo erit libertas. Probatur Antecedens. Libertas consistit in indifferentia actuali circa sua extrema: Ergo requiritur quod homo possit actu & simul ponere oppositum.

Respondeo distinguendo Antecedens, pura potentia ad utrumque extremum simul non potest denominare hominem liberum actu & formaliter, concedo. Pura potentia quæ est solum pura respectu unius extremi, & habens exercitium alterius, nego Antecedens & consequentiam. Dum autem aliquis est præmotus ad amorem, habet exercitium unius sui extremi, secundum quod mensuratur formalis libertas, & habet capacitatem ad alterum, & hoc sufficit: namque potentia libera non exigit exercere simul se circa sua extrema, hoc enim est impossibile, sed unum exercet, retinens potentiam ad alterum, eo quod velut ligetur & necessitetur ab objecto amplexo.

Urgebis: voluntas in eodem instanti aliquando tenetur ponere contrarium: Igitur debet hoc posse etiam pro eodem instanti. Probatur Antecedens: quando aliquis peccat, tenetur in actu exercito peccati se convertere ad Deum: Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem distinguo: peccans tenetur in eodem instanti, se convertere, concedo. Pro eodem, subdistinguo; Pro eodem materiali, concedo: formali, nego. Non enim tenetur ad id quod implicat; impossibile est autem quod duo actus contrarii sint pro eodem instanti formali, verum est igitur peccatorem in eodem instanti teneri se convertere ad Deum, sed non pro eodem instanti, nisi materialiter sumpto, idest, habet potentiam pro eodem instanti ad conversionem Dei. Et vero præceptum divinum non obligat ponere simul actum conversionis cum peccato, immo præcipit conversionem solum supposita aversione, quæ proinde debet præsupponi, & non esse simul cum conversione.

Persistes: Agere agentis liberi est quod cum omnibus prærequisitis ad agendum possit agere, vel non: Sed posita præmotione non potest non agere: Igitur præmotio tollit libertatem.

Respondeo distinguendo majorem: esse liberum est positis omnibus prærequisitis ex parte actus primi, posse agere, concedo: Positis prærequisitis ex parte actus secundi, inter quæ præmotio tenet locum, subdistinguo: quod possit agere, vel non agere in sensu diviso, concedo: composito, nego. Præmotio autem infert actionem, illamque cum potentia con-

conjungit; unde ea semel posita pro eodem instanti formali quod mensurat, voluntas non potest agere; sin minus esset simul actio & non actio.

Instabis: possibili posito in actu nihil sequitur absurdi, si actus contrarius est possibilis v.g. non amor: Igitur poterit conjungi cum amore ad quem subjectum est præmotum.

Respondeo distinguendo Antecedens: Si nulla fiat suppositio, concedo: secus, nego. v. g. potest creare alterum mundum, & quidem libere, supposito tamen quod hoc non decrevit, non sequitur absurdum quod ista potentia non redigatur ad actum; ita pariter supposito actu amoris, non sequitur absurdum, si potentia ad actum contrarium non ponat: Non enim est de ratione potentiæ liberæ esse in actu simul utriusque sui extremi, sed sufficit quod unum faciat, & retineat potentiam ad alterum. Solutio est D. Thomæ 1. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3. " Dicendum, quod si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur: non tamen est impossibile simpliciter. Unde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur."

Instabis: Quod facit actus actu, potentia id ipsum facit: Sed, posito actu, creatura actu agit; attamen per suam operationem constituitur formaliter operans. Igitur si potest ponere contrarium, poterit actu quocumque modo, illud ponere etiam in sensu composito.

Respondeo negando paritatem; actus enim est ipsum exercitium agentis, potentia vero est ad exercitium; unde non mirum, si cum illo non semper conjungatur, præcipue si sit aliqua suppositio impediens; potest tamen in sua linea quod actus in sua; reddit enim agens actu potens, & capax ad actum contrarium.

Repones: Frustranea potentia est quæ numquam reducitur ad actum: Sed præmotus ad amorem habet potentiam ad non amorem quæ non reducitur ad actum. Igitur in hac suppositione potentia foret frustranea.

Respondeo distinguendo majorem. Si non potest reduci simpliciter, & ex natura sua, concedo. Si hoc contingat propter aliquam suppositionem, nego: & sic distincta minore, nego consequentiam.

Instabis. Si in præmoto ad amorem sit vera potentia ad non amorem, sequitur creaturam posse Deo resistere, & decreta præmoventia tametsi divina evacuare: Absurdum consequens: Ergo & Antecedens.

Respondeo negando sequelam quoad secundam partem: licet enim humana voluntas possit resistere præmotioni, non inde concludendum, eam posse divina frustrare & frangere decreta, ad hoc enim opus esset, ut actum simul cum non actu conjungeret, quod manifestam implicat contradictionem: Sicut igitur dum Deus aves cœli conservat, & vult conservare, nullam tamen homo ejus concursui, eas occidendo, facit injuriam, quia reliquit eas Deus in manu consilii hominis, ut iis modo ad cibum, modo etiam ad recreationem uti queat. Sic nec resistendo gratiæ irritat decretum, quia decretum se se extendit, ut homo ex innata libertate possit sicut bonum, sic & malum facere. Datur quidem decretum positivum ad bonum, sed datur etiam permissivum ad malum, nec usquam homo e Dei dominio extrahitur, cum ejus semper adimpleatur, vel in ipsis peccatoribus voluntas: Unde ait divus Thomas, illam, secundum lineam bonitatis prævaricando fugiunt, in eandem secundum lineam justitiæ, quæ peccata gravissimis pœnis punit, prolabuntur. Habet igitur homo agens potentiam ad oppositum, sed non habet potentiam ad irritanda decreta Dei, quia hoc non appellat supra potentiam puram, sed supra potentiam conjunctam præmotioni quæ dubio procul in sensu isto composito non potest non agere. Quod autem sit potentia ad oppositum est mens Divi Thomæ qui in 1. ad Annibaldum distinct. 43. quæst. 1. art. 4. sic loquitur: " Quamvis contrarium quod est volitum a Deo non possit stare cum voluntate divina; possibilitas tamen ad contrarium potest stare cum ea propter contingentiam causæ mediatæ, & hoc sufficit ad hoc, ut effectus sit contingens & non necessarius.

Repones: Præmotio antecedit actum; Igitur tollit libertatem. Probatur consequentia. Quando Antecedens est causa consequentis independenter a consequente, tunc est necessitas; sed præmotio est causa consequentis actus a quo est independens. Ergo &c.

Respondeo negando consequentiam: Ad probationem distinguendo majorem, quando Antecedens est causa consequentis per modum naturæ, est necessitas, concedo: per modum liberi, nego. Cum autem Deus sit causa essentiarum, illasque conservet, ac continuo veluti reproducat, non mirum si per suam causalitatem attingat connaturalem earum agendi modum: unde per præmotionem non tollit libertatem actus, immo cum sit causa actus illum producendo, producit libertatem, siquidem producit actum liberum.

Respondeo denique omnes difficultates absque negotio & solvi & explicari posse, si, benevole lector, concipias electionem & deliberationem humanæ voluntatis antecedere saltem prioritate naturæ præmotionem physicam quæ jungit actum cum potentia. Et vero, electionem in omni actu libero prærequiri nedum S. Thomas, sed & ipsa docet fides; porro ista electio præcedit actum in individuo, præmotio vero est id quo actu agit ut operetur voluntas, siquidem motio est ipsa actualis applicatio potentiæ ad actum: igitur supponit electionem & deliberationem: quod non obscure declarat & docet Suarez lib. 3. de auxiliis disputatione 19. loquens enim ibi de præmotione ait: *Eam esse quoddam complementum virtutis activæ quo actualiter agat*. Ex illo doctore præmotio se tenet ex parte actus; adeoque supponit deliberationem & electionem voluntatis.

Jam igitur in forma sic respondeo, distinguendo, posita præmotione morali, homo non potest non agere, nego. Posita præmotione physica subdistinguo, in sensu composito qui electionem supponat, & ad eam consequatur, concedo. In sensu diviso, ita ut, seclusa deliberatione humana, voluntas trahatur ut inanime quoddam, nego. Præmotio physica antecedit quidem prioritate naturæ actum, sed supponit deliberationem voluntatis ad actum, quocirca necessitas sub dominio præmotionis non est absoluta & antecedens humanæ voluntatis deliberationem, sed tantum hypothetica ab ipsa voluntate eligente promanans, adeoque præmotio non lædit sed potius fovet libertatem, cum liberum hominis arbitrium & applicet, & adjuvet ad operandum. Ut applicat, dicitur in ordine supernaturali gratia applicans; eadem vero ut adjuvat, gratia cooperans nuncupatur, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 111. art. 2.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Præmotio non opponitur libertati humanæ, immo nec divinæ adversatur sanctitati.

PRIMUM patet, quandoquidem motio Dei applicat voluntatem, supposita voluntatis deliberatione & electione: hoc ipsum, innuit D. Thomas distinct. 47. quæstione unica art. 4. cum ait Deum movere causas secundas conformiter naturæ ipsarum: necessarias quidem, necessario, liberas vero, libere.

Secundum quoque claret: tametsi enim motio Dei attingat in actu peccaminoso rationem entis, non tamen rationem mali, vitium quippe formaliter sumptum non habet causam efficientem, sed deficientem.

Denique, dum præmotio physica advenit, jam electio facta est: Igitur nihil detrahit indifferentiæ activæ creaturæ agentis, & consequenter libertati.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Licet Deus reliquerit hominem in manu consilii sui, non ideo, inquit S. Thomas, excluditur a divina providentia, sed ostenditur quod non præfigitur ei virtus determinativa ad unum.

Secundo, non diffitemur mobile subjici moventi; quia vero Deus movet creaturas conformiter earum naturæ, nihil detrimenti ex motione divina libertati humanæ advenit.

Tertio, præmotio physica est quidem suppositio antecedens, sed supponens deliberationem; hinc non adversatur libertati, sed potius eam adjuvat.

SECTIO QUARTA,

De utilitate præmotionis.

Quotuplex præmotio & qualis necessaria in ordine, tum naturali, tum supernaturali?

MULTA prævia ad quæstionis elucidationem observanda sunt.

Primo, Ordo duplex distinguitur naturalis unus, supernaturalis alter. Primus ille censetur qui non excidit innatas hominis vires, quique finem duntaxat naturalem habet; secundus e contra excedit creaturæ rationalis vires, Deum ut auctorem gratiæ & remuneratorem tanquam finem ultimum in quo quiescat anima, spectat & intuetur.

Secundo, Motio, ut nomen ipsum sonat, est motus ab aliquo impulsus quo creatura ad aliquid faciendum adjuvatur: Si causæ movendæ antecedat actionem, præmotio vocatur, sive antecedat tempore, sive sit prior prioritate solummodo naturæ & dependentiæ: quod si neutro modo operationem causæ secundæ præcedat, dicitur concursus simultaneus. Quæstio præsens instituitur de motione quæ prior est solum prioritate naturæ, seu quæ natura tantum & secundum nostrum concipiendi modum præcedit motum mobilis: Agens igitur primum & secundum simul agunt & operantur; quia vero istud non movetur nisi moto prius primo, dicimus unum prius alio prioritate naturæ agere; quod potest apprime illustrari exemplo magistri moventis manum tyronis ad scribendum, tametsi enim ambo simul simultate temporis scribant, quia tamen discipulus & a magistro movetur, & ab ipso dependet, ut scribat, non sine fundamento, dicimus præceptorem prius agere quam discipulum; hoc est, istum ad scribendum præmovere.

Tertio, Præmotio duplex assignatur; una moralis, physica altera: moralis ea dicitur quæ movet, vel alliciendo: sic objectum bonum movet potentiam ad sui amorem; vel suadendo, ut prædicator qui ad virtutem prosequendam optimis rationibus stimulat auditores, vel etiam illuminando, quod fit duobus modis: videlicet per propositionem legis, & per gratiæ interioris infusionem. Denique per inspirationem quæ est per Spiritus sancti administrationem qui corda movet & immutat. Motio moralis quæ ab objecto & legis propositione promanat, dicitur metaphorica, quia foris solum sonat; quæ vero est a gratia, motio vera nuncupatur, quia & cordis immutativa est. Jam vero si de præmotione physica sermo fit, dicimus eam esse quæ nedum objective & illuminando seu etiam actum bonum inspirando movet, sed & physice producit; actum enim vitalem a potentia vitali promanantem vero, reali, & physico influxu attingit; sive actus sit naturalis tantum & absque electione factus, sive liber & prævia electione productus.

Quarto: Motio physica duplici modo spectari potest: Nimirum ut est quid reale enti rationis oppositum, deinde vero ut attingit principaliter id quod est physicum in actu, hoc est, id quod vitale nominatur; abstrahendo quod idem actus subsit regulis morum & sit formaliter actus moralis, vel non subsit, & quid mere physicum maneat. Hujus rei duplex accipe exemplum. Qui ulla absque intentione animo & reflexione movet ensem, actum mere physicum producit: qui vero eam movet ea intentione ut Patriæ inimicum confodiat, actum moralem elicit, videlicet laude & præmio dignum. Non abs re erit impresentiarum annotare in actu morali duo reperiri. Primum quidem id quod est physicum, & est actus ut a potentia vitali & naturali profluit; secundum vero id quod est morale, & est idem actus ut subest regulis morum, hoc est, ut consonum, vel dissonum regulis a lege præscriptis concipitur: motio physica attingit id quod est in actu physicum; moralis vero id quod morale, juxta illud tritum axioma, effectus assimilatur causæ.

Quinto: Præmotio physica alia est generalis, alia specialis, alia specialissima. Prima movet ad universale bonum ordinis naturalis: Secunda ad bonum salutis, & dicitur motio quoad specificationem; cum enim, teste Apostolo, non sumus sufficientes tantum cogitare bonum, nisi nobis reveletur, ne quidem illud cognoscimus, a fortiori nec in illud tendimus. Tertia movet ad actum salutis, puta ad eleemosynam propter Deum summe diligen-

dum erogandam. Non absimili modo secernenda, & distinguenda est præmotio moralis, cum in actibus liberis physicam & præcedat & comitetur, nihil quippe amatum quin præcognitum, hoc est, quin prævie moveat & excitet ad sui amorem. Fieri tamen potest, ut miraculose Deus, physice & in ictu oculi convertat aliquem: sic Saulus subito prostratus, clamavit, Act. 9. *Domine, quid me vis facere?*

Jam vero præmotio nomine prædeterminationis apud Thomistas nonnumquam celebratur, quatenus præmotio determinat voluntatem humanam ad actum & moraliter, videlicet excitando; & physice applicando, sed supposita causæ secundæ deliberatione & electione: In alio prorsus sensu prædeterminatio apud Lutherum & Calvinum sumitur, videlicet pro determinatione ad actum in individuo a prima causa promanante, non conferente passo, ita ut liberum hominis arbitrium sub ea se habeat ut inanime quoddam; & sub eo respectu rejicitur a Theologis scholæ Angelicæ, qui non sine magno animi jubilo isti fidei definitioni adhærent. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum .... Neque posse dissentire si velit ... Anathema sit.* Conc. Trid. sess. 6. Can. 4.

Sexto: Nostri Thomistæ multiplicem actum distinguunt, alterum incompletum & indeliberatum, qualis est actus primo primus: alterum deliberatum & perfectum, qualis est contritio, hic quippe actus non nisi prævia voluntatis humanæ deliberatione producitur: ad istum vero plures alios actus dispositivos, deliberatos quidem, sed non perfectos concurrere docet schola Angelica. Sic enim seriem actuum istorum seu actus perfecti eliciendi œconomiam ordinamus. Primo requiritur cognitio finis, nihil quippe amatum quin præcognitum: 2. Ejusdem finis volitio, nemo quippe humano modo agit, nisi prius finem intendat. 3. Electio mediorum, namque qui vult finem, simul & media velle censetur. 4. Usus activus, hoc est, agens debet uti mediis, & sese ad opus faciendum accingere. 5. Denique usus passivus; intellige effectus productionem. Luce clarius apparet prævios actus, imperfectos esse & ad unum totalem producendum tendere, puta actum contritionis.

Resolutio quæstionis.

De præmotione morali, aut nulla, aut parva admodum inter Theologos Catholicos controversia est, nullus quippe objectum & finem prius & antecedenter ad operationem causæ secundæ movere negat, cum potius ultro fateantur omnes finem esse principium in agibilibus, hoc est, movere ad sui prosecutionem: omnes quoque pro aris & focis gratiam prævenientem defendunt: omnes gratiam efficacem quæ prævie illuminet & excitet potentiam ad operandum agnoscunt: jam vero quod sit per se efficax vel non, ad propositum præsens nihil refert: Sed caput controversiæ de præmotione physica potissimum hic movetur.

Verum, ut omnis aut æquivocandi, aut ambigendi rescindatur locus, observandum est litem hic quoque non moveri, aut de actibus indeliberatis, aut de deliberatis imperfectis qui sunt dispositivi ad unum actum omnibus suis numeris absolutum: de indeliberatis quidem, v. g. de illuminationibus, & motionibus gratiæ prævenientis qui actus sunt quid morale simul & physicum: Morale quidem, ad bonum quippe movent; physicum vero, quia realiter producuntur in potentia vitali a Deo solo, nihil conferente, sed recipiente passo; sunt quippe in nobis sine nobis: Neque de aliis deliberatis, sed solum dispositivis præcise difficultas est, nimirum de cognitione, & volitione finis, de electione mediorum: Sed de actu deliberato ex omni parte completo.

Quæstionem jam jam in tractatu de scientia Dei eliquatam legisti, benevole lector. Verum hic per ordinem ex professo digestam, ad majorem Angelicæ scholæ gloriam proponere juvat, ne aliquis remaneat circa tantum momentum scrupulus: non semel quippe evenit Thomistas ab æmulis in crimen vocari, quod duriorem, maxime in materia auxiliorum sententiam teneant. Verum Deo optimo maximo patrocinante, omnibus in posterum, credo, arridebit præmotio in sensu D. Thomæ modo explicanda: quinimmo verissimam & nedum S. Augustino & D. Thomæ, sed & Scripturis & Conciliis plurimum consonam esse nemo cordatus diffitebitur. Totum negotium brevi & clara methodo hic texere animus est: unde fit

CON-

CONCLUSIO PRIMA.

Præmotio Dei generalis in ordine naturali sufficit, tum ad operandum, tum ad salvanda primæ causæ jura.

Probatur isto argumento.

DUO potissimum requiruntur ad operandum; Primo quidem, ut voluntas reducatur de potentia ad actum: deinde vero ut salvetur jus primæ causæ a qua omnis dependet, tum in esse, tum in operari, tum etiam in conservari creatura: Atqui pro duobus istis momentis sufficit in ordine naturali præmotio generalis ad universale bonum: Et probatur, quoad utramque partem. Quoad primam quidem, eo enim ipso quo voluntas a Deo movetur, jam solvitur potentialitatis vinculum; jam ipsa creatura est in motu, & cum neque objectum quod respicit, neque actus quem vult elicere suas non superet vires, nemo non videt posse se sola & eligere objectum, & sese determinare, immo & applicare ad prosecutionis actum: optime vero jus primæ causæ salvatur, quod in eo situm est, ut causa secunda dependeat a prima, nec prius mota, se ipsam ad actum moveat & applicet.

Confirmatur: præmotio generaliter & universim sumpta, propter quatuor maxime necessaria est causæ secundæ ad operandum; primo ratione ipsius creaturæ potentialitatis, ratione ejusdem elevationis ad finem supernaturalem; ratione confortationis, ratione virtutis voluntatem ægram sanantis. Requiritur ut creatura quæ non est actus purus, & reducatur de potentia ad actum, ut cognoscat finem ad quem vult tendere, ut adjuvetur ad actum suam excedentes vires eliciendum, ut adjuta, etiam sanetur. Sed in ordine naturali, si primum exceperis, cætera non sunt absolute necessaria: Quis enim dicet hominem viribus innatis finem naturalem non cognoscere, iisdem non posse suo prosequi amore objectum bonum sibi proportionatum, cum ex definitione summorum Pontificum Pii V. & Gregorii XIII. constet infideles, quibus non inest Mediatoris fides, multa bona opera moralia, ut eleemosynam indigenti laudabiliter præstare posse, cum hoc ipsum, si de bonis operibus ordinis naturalis agitur, non in uno sed in multiplici loco astruat Scriptura, quæ laudat charitatem obstetricum Ægypti erga pueros masculos Hebræorum, patientiam & prudentiam Romanorum, qui sua virtute orbem terrarum suo subdidere imperio. Igitur sufficit præmotio generalis ad bonum universale, ut voluntas aliquod eligat in particulari & operetur.

Hanc esse genuinam divi Thomæ & mentem, & sententiam nemo, si omni præoccupatione deposita loquatur, diffitebitur. Duo quippe pronuntiat & docet S. Doctor, alterum pro jure Dei, alterum pro causæ secundæ privilegio. Primo quidem vult causam secundam a prima moveri circa bonum, deinde vero motam, seipsam ab bonum, tum quoad specificationem, tum in individuo determinare. Jam audiamus loquentem 1. 2. q. 9. art. 6. " Ad tertium, *inquit*, dicendum quod „ Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum: & „ sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc „ vel illud, quod est vere bonum, vel „ apparens bonum. „ Rursus in 2. dist. „ 37. q. 2. art. 2. suam mentem sic explicat: " Non posset vitari, quin voluntas humana esset primum agens, si ejus „ actio in aliquod primum agens non reduceretur sicut in causam. „ Demum „ iisdem pæne verbis idem tradit S. Doctor in 2. q. 9. art. 3. in corpore, sic ergo loquitur: " Manifestum est autem „ quod intellectus, per hoc quod cognoscit principium, reducit seipsum de potentia ad actum, quantum ad cognitionem conclusionum, & hoc modo movet „ seipsum, & similiter voluntas, per hoc „ quod vult finem, movet seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem. „

CONCLUSIO SECUNDA

Præmotio specialis necessaria est in ordine supernaturali, ut voluntas sese ad bonum salutis determinet, seu ut velit efficaciter bonum salutis.

PROBATUR 1. Ex illo Apostoli Philip. 2. effato: *Deus est qui operatur in no-*

bis velle, deinde isto brevi, sed efficaci ratiocinio. Causa secunda, ut non semel dictum & probatum est, debet a prima præmoveri ad actum, juxta illud tritum axioma, *Quidquid movetur, ab alio movetur:* Sed causa secunda indiget specialiter moveri in ordine supernaturali: quo modo specialiter & in quo sensu? Quatenus elevari & confortari opus habet, tum ut cognoscat, tum ut velit & tendat in tale bonum, & probatur: Moveri specialiter quoad specificationem est ad aliquod bonum speciale volendum excitari: Sed voluntas humana opus habet præmotione speciali, ut sese determinet ad bonum salutis; & quidem propter duo. Primo, quia homo illud non cognoscit: Secundo, quia voluntas se sola neque illud appetere, neque in illud tendere potest, quandoquidem nedum ejus excedit vires, sed ut plurimum innatæ voluntatis inclinationi, utpote per peccatum sauciatæ, adversatur: Igitur motio specialis ad hoc prærequiritur. Sic pronuntiat Angelicus Doctor 1. 2. q. 9. art. 6. " Interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum sicut in his quos movet per gratiam. "

CONCLUSIO TERTIA.

Præmotione specialissima opus habet humana voluntas, ut sese accingat ad actum salutis in individuo.

PROBATUR unico sed irrefragabili ratiocinio. Voluntas humana ad actum salutis eliciendum & operandum præmotione indiget quadruplici titulo: primo, ratione potentialitatis, debet enim reduci de potentia ad actum per causam quæ sit semper in actu, quæque immota cæteras causas inferiores moveat. 2. Ratione elevationis objecti; cum enim nostrum excedat captum, nostramque inclinationem, absque auxilio supernaturali illud neque respicere, neque appetere valemus. 3. Ratione insufficientiæ voluntatis. Et vero, tametsi intellectus hominis fide divina illustretur, quia tamen actus supernaturalis innatas liberi arbitrii vires longe superat, nisi auxilio gratiæ confortetur, & roboretur voluntas nostra, nusquam illum eliciemus: hinc docent communiter Theologi hominem etiam justum, aut graves superare tentationes, aut divina adimplere præcepta, secluso gratiæ actualis auxilio posse. Quid plura? Voluntas humana est infirma, unde gratia non solum confortativa, sed & sanativa, ad actum salutis eliciendum opus habet: quomodo vero roborabitur, & sanabitur nisi prævie immutetur? hoc quippe non a consensu, qui est effectus gratiæ, sed ab ipsa gratia habet: Igitur præmotio specialissima necessaria est ad actum salutis in individuo eliciendum; dico specialissima, quia omnibus modis, quia uberior, quia ad actum in individuo necessaria est.

Hæc doctrina est Concilii Arausicani secundi: sic enim loquitur Can. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur, operatur, agit in nobis*, ecce auxilium præmovens: *atque nobiscum*, ecce concursus, quo voluntas jam excitata, tunc autem adjuta, facta electione operatur. Eadem Synodus definit gratiam actualem & præmoventem & adjuvantem nedum peccatoribus, sed & justis ad faciendum bonum pro salute consequenda, necessariam esse. Can. 10. sic loquitur: *Renatis ac sanctis auxilium Dei implorandum est, ut in bono possin. perdurare*. Quæ sententia declarat præmotionem gratiæ specialissimam requiri, ut quisque hic & nunc bonum salutis operatur.

Concinit Catechismus Concilii Tridentini 1. p. n. 24.

Audiamus de hoc eodem momento D. Thomam 1. 2. q. 109. art. 2. agens de divino auxilio præmovente & adjuvante; ibi enim ejus repetit necessitatem ex dependentia & infirmitate creaturæ, his verbis: " Sic igitur virtute gratuita superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integræ, quantum ad unum scilicet operandum & volendum bonum supernaturale, sed in statu naturæ corruptæ quantum ad duo, scilicet ut sanetur, & ulterius, ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium: ulterius autem in utroque statu indiget homo auxilio divino ut ab ipso moveatur ad agendum. " Igitur ex D. Thoma homo indiget virtute superaddita qua moveatur a Deo ad bonum quid magis physicum quam virtus superaddita. Roborat supradicta art. 9. his verbis: " Sicut supradictum est, " nulla

„ nulla res creata poteſt in quemcumque „ actum prodire niſi virtute motionis divinæ. 2. Ratione ſpeciali propter conditionem ſtatus humanæ naturæ; quæ „ quidem licet per gratiam ſanetur quantum ad mentem, remanet tamen in „ ea corruptio quantum ad carnem, per „ quam ſervit legi peccati, ut dicitur Ro. „ c. 7. „

CONCLUSIO QUARTA.

Non datur prædeterminatio neceſſitans, & Calviniana.

PROBATUR breviter, ſed demonſtrative. Quod liberum hominis arbitrium prorſus extinguit, & divinæ opponitur ſanctitati, non debet admitti: Atqui talis eſt prædeterminatio neceſſitans, & probatur. Primo quidem omnem excludit voluntatis deliberationem, quocirca reiicitur a ſacro Concilio Trident. quod quidem adverſus Lutheranos & Calviniſtas, ſic inſurgit. Seſſ. 6. can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum .... neque poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit.* Quinimmo hæc prædeterminatio Deum facit peccati auctorem, quatenus liberum hominis arbitrium phyſice ad malum motum diſſentire non valet: addo & creatori injuſtitiæ labem inurere; ſiquidem in hypotheſi, hominem æternis afficiet ſuppliciis pro peccatis, quæ vitare non poterat: quæ quidem doctrina a mente & divi Auguſtini, & ſancti Thomæ prorſus aliena eſt, ut conſtat ex his omnibus quæ de conſociatione liberi hominis arbitrii cum motione Dei ſuperius dicta & probata ſunt.

Quia vero prædeterminatio phyſica in ſenſu obvio, & ut vox ſonat, determinationem voluntatis humanæ ab extrinſeco, non conferente paſſo, quaſi importat, ad cautelam dicendum eſt potius Deum præmovere creaturam, ſed non prædeterminare: dari præmotionem phyſicam, quod certiſſimum eſt, ſed non prædeterminationem. Et vero S. Thomas ubique paſſim loquitur de præmotione, nonniſi vero implicite, & vero ad modum, & forſan numquam de prædeterminatione. Quidquid ſit, nomine prædeterminationis intellige præmotionem libere moventem cauſam ſecundam ad actum.

Fit ſatis objectionibus.

Supervacaneum eſt hic texere argumenta quæ poſſunt adverſus tres primas concluſiones proponi, cum ex ſupra dictis iterum atque iterum ſoluta maneant. Unde ad ea quæ contra quartam aſſertionem fieri poſſunt gradum facimus.

Objicies. Divus Thomas paſſim dicit quod cauſa ſecunda antequam operatur, prius moveatur a prima; quinimmo & & quod ab iſta determinetur; ſic enim loquitur lib. 1. ad Anibaldum. cap. 47. quæſt. unica. art. 4. " Voluntate Dei „ non ſolum res in eſſe producuntur, ſed „ etiam in rebus producendis modum „ quo producuntur prædeterminavit: unde cum voluntas efficaciter impleatur, „ oportet quod res fiant, & eo modo „ fiant, ſicut voluntas divina diſpoſuit. „ Quibus quidem verbis S. Doctor prædeterminationem neceſſitantem videtur aſtruere. Namque prædeterminare & neceſſitare in idem coinciduut; maxime cum voluntas Dei ſit & efficaciſſima, & potentiſſima.

Confirmatur: poſita præmotione, voluntas non poteſt non agere. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: cauſa ſecunda prædeterminatur ad agendum a prima libere, & pro ut eius competit naturæ, concedo. Prædeterminatur neceſſario, nego. D. Thomas hoc unum perpetuo inculcat videlicet cauſas ſecundas a Deo moveri ſuæ conformiter naturæ; ita ut neceſſaria moveantur neceſſario, liberæ vero liberrime, & earum non excludendo deliberationem & electionem: ſic voluit, ſic fieri decrevit Deus. Quocirca Angelicus Doctor ſubdit, *oportet quod res fiant, & eo modo fiant, ſicut voluntas divina diſpoſuit.*

Ad probationem, diſtinguo, decretum prædeterminans & neceſſitans apud creaturas in idem coincidunt, tranſeat: apud Deum, nego. Creatura propter ſuam limitationem, modum agendi rerum non ſemper aſſequitur, hinc & ad unum determinata quandoque & apparet, & eſt: ſed non ſic Deus: cum enim omnipotens ſit, nedum cauſas ſecundas ad operandum compellit, verum etiam eas movet, ſalvo liberi arbitrii jure: unde decretum ejus prædeterminans ſeu præordinans, hu-

humanæ non adversatur libertati, sed potius ejus causa est, & prima origo. Quia enim omnipotens, ideo creatura libere operatur, eo quod Deus sic fieri & disposuerit, & prædeterminaverit.

Cæterum ad ultimam probationem facilis est responsio, vel minimum facessit negotium. Sic enim distinguo: posita præmotione, voluntas agens non potest non agere, in sensu composito, concedo: Jam enim componeret actum cum non actu. Voluntas mota non potest non agere in sensu diviso, nego. Hoc ipsum de fide definivit Concilium Tridentinum, his verbis: " Si quis dixerit liberum arbitrium „ a Deo motum . . . . . . Neque posse „ dissentire si velit . . . Anathema sit. „ Igitur cum actu movetur a gratia, antequam consentiat & agat, potest non agere.

Instabis. Atqui decreta prædeterminantia eadem sunt ac necessitantia. Igitur nulla solutio. Igitur prædeterminatio physica quæ est decreti efficacia, imponit voluntati humanæ necessitatem ad agendum, ita ut prædeterminata non possit etiam in sensu diviso non agere. Probatur Antecedens: quod est determinatum ad actum in individuo a causa supra modum efficaci, qualis est prima, sese ad agendum determinare neque potest, neque opus habet: sed decretum prædeterminans causam secundam ad actum in individuo, eam & applicat, & determinat ad agendum, unde ejus efficacia prædeterminatio physica nuncupatur: sin minus, hoc est, si creaturæ determinatio etiam ad actum prærequiratur, jam motio causæ primæ prædeterminatio non est. Ergo &c.

Respondeo 1. Tum ad omnem æquivocationem tollendam, tum ad sensum Calvini longe faciendum, concursum Dei prævium nomine præmotionis, & non prædeterminationis celebrandum esse.

Respondeo 2. Negando Antecedens. Ad probationem distinguo, quod est determinatum a causa prima in individuo, non opus habet determinatione ulteriori, si causa secunda mota sit necessaria, & ad unum determinata, qualis est sol ad lucendum, concedo: si sit causa libera, nego: ejus quippe determinatio cum determinatione causæ primæ consociatur, & ab ea ortum habet & ducit: namque voluntas humana est per peccatum sauciata, & de se impotentiam habet ad agendum, unde a gratia sanari & immutari indiget ut velit bonum: mota vero moraliter, & excitata ad bonum, illud de facto vult & eligit, deinde physice ad illud applicatur & vicissim se movet & applicat ad illud. Igitur præmotio tum moralis, tum physica liberum non perimit arbitrium, sed facit ut libere velit & operetur, sed dirigit & adjuvat, ut vias ambulet rectas. Hæc Doctrina colligitur ex Prophetis & ex Apostolo. Ezech. 36. 27. habetur: *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis*, Philipp. 2. 13. *Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & perficere*.

Iterum instabis: si expectetur propriæ voluntatis determinatio, multa sequuntur quæ manifeste opponuntur Angelicæ nostræ scholæ systemati: Primo quidem scientiam mediam absolute necessariam esse, qua Deus lustret, quid voluntas humana actura sit antequam de aliqua re facienda emittat decretum. Secundo futura non esse futura per decretum, & quoniam ea Deus vidit: sed ea cognosci a Deo quia futura sunt. Tertio, futurum contingens esse ex se & independenter a decreto determinate futurum. Quarto, nullam esse inter opinionem Molinistarum & Thomistarum discrepantiam: sed ea omnia non sunt admittenda: Igitur ante determinationem causæ secundæ, motio Dei nedum præmovens, sed & prædeterminans necessario admittenda est.

Respondeo ista omnia nullo modo sequi ad systema D. Thomæ supra delineatum, quandoquidem non expectatur voluntatis consensus tanquam efficaciæ gratiæ causa, sed potius tanquam ipsius gratiæ præmoventis fœtus: Deus quippe non determinatur a creatura ad agendum, sed illam movet & determinat ad opus, ita tamen ut ex innata libertate ejus determinationem respuere queat, nec illam amplectatur, donec se ipsam prævia electione determinet ad actum, quod certe nullus præter Heterodoxum negabit. Supposito enim isto fidei dogmate, hominem esse liberum ad actiones ordinis tum naturalis, tum supernaturalis eliciendas, consequens est se ipsum tametsi a Deo præmotum determi-

mi-

minare, alias ſicut electionis ita nec libertatis ſupereſſet locus.

Non ſequitur igitur ſcientiam mediam eſſe utilem, tum quia Deus non accipit ſcientiam a rebus, tum quia futurum, cujus conditio purificanda eſt, per ſcientiam viſionis, aliud vero cujus conditio non ponetur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, prænoſcit.

Non ſequitur quidquam eſſe, ſecluſo Dei decreto, futurum; cum enim Deus ſit primum movens, certe, non moto primo, nihil moveretur. Igitur effectus eatenus a decreto futuritionem mutuat, quatenus ipſius creaturæ conatus a decreto præmovente dependet, decretum quippe attingit & ſubſtantiam, & circumſtantias actus, cauſa vero ſecunda habet a prima, ut ſeipſam moveat & operetur, unde ſcientia Dei, adjuncta voluntati, ſeu decreto, eſt cauſa rerum. Deus igitur videt in ſe quid futurum eſt, & hoc dupliciter. Primo, quia eſt cauſa prima effectus futuri. Secundo, quia cauſa ſecunda habet ab ipſo virtutem agendi nedum mediatam, ſed & immediatam: addo Deum cuncta videre in ſua æternitate, quæ cuncta ambit & complectitur tempora.

Non ſequitur aliquam futuri contingentis propoſitionem eſſe ante decretum determinate aut veram, aut falſam, namque determinatio ortum a prima cauſa ducit, hinc niſi Deus decreverit aliquid, profecto nihil fiet: alias non eſſet verum quod pſaltes regius de Deo dicit, *omnia quæcumque voluit fecit*, ſed potius dicendum foret, quæcumque voluit cauſa ſecunda, fecit: Enimvero tametſi Deus cauſas ſecundas ad eorum exigentiam moveat, effectus tamen primum a cauſa prima denominatur, quoniam & a prima primitus, ſecluſo peccato, emanat.

Non ſequitur ſententiam Moliniſtarum a ſententia Thomiſtarum non ſecerni: in dogmate quidem omnes ex animo conveniunt, ſed in modo ſeſe explicandi toto cœlo diſcrepant: namque priores ſcientiam mediam exploratricem humanæ voluntatis conſenſus a quo dependeat efficacia gratiæ, tanquam neceſſariam proclamant, futura contingentia in ſua veritate objectiva a Deo præſciri reponunt, unam e duabus propoſitionibus de futuro contingenti eſſe ante decretum determinate aut veram, aut falſam propugnant: præmotionem phyſicam, non pauci etiam moralem abnuunt: decretum nonniſi concomitans admittunt. E contra vero nos Thomiſtæ præmovens, & gratiam per ſe efficacem defendendo procul facimus ſcientiam mediam ut inutilem, omnemque futuritionis veritatem etiam objectivam a decreto fluere docemus. Nec mirum, qua ratione gratiæ efficacia a conſenſu humano penderet, cum potius ipſe ſit auxilii divini effectus: quo pacto aliquid foret determinate verum antecedenter ad decretum voluntatis divinæ, cum ſit ipſa cauſa & eſſe, & operationis creaturæ, juxta illud Act. 17. *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus*. Niſi enim primum movens, cuncta prius moveat nihil movebitur. Sic docet, ſic definit Auguſt. lib. de Trin. cap. 4. num. 10. his verbis: " " Cum hæc omnia, quæ per corporales " motus, in illo corpore fiunt, operetur, " movens primitus Miniſtrorum ſive ani- " mas hominum, ſive occultorum ſpiri- " tuum ſibi ſubditas ſervitutes. "

Dices: Etiam ſi detur prædeterminatio phyſica ad actum in individuo, ante ipſam voluntatis humanæ electionem, nihil abſurdi ſequitur pro libertate, quandoquidem actio Dei ſibi ſubjicit omnia, & ut actus ſit liber, ſufficit quod ſit ſpontaneus & voluntarius: ſi enim prærequiritur indifferentia actus & electio, non ſufficienter ſalvabitur jus dominii Dei erga creaturam. Ergo &c.

Reſpondeo negando, nihil inde abſurdi conſequi, D. Thomas hæreſeos labem inurit eis qui dicunt ad libertatem ſufficere exemptionem a coactione: ſic loquitur quæſt. 6. de malo art. unico: " Qui- " dam poſuerunt quod voluntas hominis ex " neceſſitate movetur ad aliquid agen- " dum, nec tamen ponebant, quod vo- " luntas cogeretur, non enim omne ne- " ceſſarium eſt violentum. Hæc autem " opinio eſt hæretica, tollit enim ratio- " nem meriti, & demeriti in hominis a- " ctibus. " Audiamus etiam Auguſtinum qui hanc controverſiam Tract. 26. in Joan. n. 4. ſic dirimit: " Trahit ſua quemque " voluntas, non neceſſitas. " Ibi loquitur de gratia qua trahimur ad Patrem. Hanc autem non neceſſitate liberum arbitrium ex profeſſo probat.

Inſtabis: Atqui ex D. Thoma ad ſalvan-

vandam libertatem sufficit exemptio a coactione, quinimmo, ut salvetur Dei Dominium in creaturam, debet necessario moveri a prima causa, & ei obedire: Ergo nulla solutio. Probatur subsumptum. Qui exigit primæ causæ deliberationem quæ antecedat omnem voluntatis humanæ conatum, profecto non propugnat electionem causæ secundæ necessariam, maxime vero cum deliberatio causæ primæ habeat infallibilem & insuperabilem efficaciam, cui non potest resisti; ad quid enim deliberatio & electio voluntatis humanæ, si deliberatio primæ causæ cuncta resultet, & ordinet pro productione actus: si causa secunda efficaciam primi moventis frangere non valeat, sed potius eam sequi teneatur? Atqui D. Thomas deliberationem primæ causæ præviam & præmoventem tanquam absolute necessariam ad hoc ut liberum hominis arbitrium suos producat actus dicit. Sic enim pronuntiat 1. 2. quæst. 109. art. 2. ad 1. " Homo est dominus suorum actuum volendi & non volendi propter deliberationem rationis quæ potest flecti ad unam partem vel aliam, sed quod deliberet vel non deliberet, etsi hujusmodi etiam sit dominus, oportet, quod hoc sit per deliberationem præcedentem, & cum hoc non procedat in infinitum, oportet quod fideliter deveniatur, ad hoc quod liberum hominis arbitrium moveatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo majorem, si S. Thomas exigat deliberationem primæ causæ necessitantem causam secundam ad agendum, concedo: si omnem suppositionem necessitantem explodat, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. S. Doctor in loco per modum objectionis laudato, expresse dicit voluntatem humanam esse sui actus dominam: Sed quo modo quæso, dominam, nisi quatenus seipsam utique per deliberationem rationis movet & applicat ad actum? Cuncta igitur distinguenda sunt, ut jura tum primæ, tum secundæ causæ serventur. Utraque est principium actus eliciendi adæquatum, unde & utriusque deliberatio prærequiritur ad actum: deliberatio primæ causæ, nihil quippe Deus operatur, nisi velit; & cum sit primum movens, primus quoque deliberat ut moveat voluntatem humanam, & applicet ad actum: deliberatio causæ secundæ, quia homo est liber, & sui actus dominus: igitur prævie motus a Deo, seipsum utique movet: Nec in hoc jus primæ causæ læditur, quinimmo optime servatur; eo enim ipso quo Deus est prima causa, exigit consortium causæ secundæ, ut actus humanus producatur, cum in eo sit prima & essentialis libertas, a qua omnis libertas creata profluit. Nihil igitur inde detrimenti sequitur quod voluntas creata sub dominio & deliberatione Dei seipsam per deliberationem propriam agat: Ergo ne efficacia deliberationis primæ causæ nulla erit? Minime; cum efficacia deliberationis humanæ ab ea ut primigenio fonte promanet: unde falsum est voluntatem humanam non posse resistere causæ primæ deliberationi, quandoquidem ista deliberatio est tantummodo deliberatio causæ primæ quæ exigit consortium deliberationis causæ secundæ. Sin minus, voluntas humana mere passive se haberet respectu proprii actus, quod est hæreticum.

Insisies. Qui dicit Deum specialiter & determinate voluntatem humanam movere, certe non admittit deliberationem hominis consociam: Atqui D. Thomas asserit Deum movere specialiter & determinate voluntatem humanam ad bonum. Sic scribit interdum.

Respondeo 1. D. Thomam loqui de gratia raptus gratuita, qua quidem anima extra sensus rapta agitur a Deo, qui sua illi pandit Mysteria, ut de excessu Sancti Petri & raptu beati Pauli agimus, cujus rei argumentum est, S. Doctorem neque universum de omnibus, neque proſemper hoc asserere: " Interdum, *inquit*, specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam. "

Respondeo 2. distinguendo majorem; qui dicit Deum per gratiam movere physice ad actum in individuo & formaliter, absque liberi arbitrii cooperatione, concedo: qui dicit movere quosdam determinate sed etiam, accedente voluntatis humanæ deliberatione, immo & electione, nego: & sic distincta minore, nego consequentiam. Ultro fatemur Deum per gratiam quos-

quosdam movere specialiter: non enim tantummodo eos movet ad bonum in genere sumptum, sed ad bonum speciale, videlicet salutis, de quo absque Dei gratia ne quidem cogitare sufficientes sumus: quinimmo hominem etiam determinate movet & impellit ad actum supernaturalem: puta ad eleemosynam tali vel tali modo hic & nunc faciendam, sed moraliter, quatenus illi hoc opus bonum suadet, hoc inspirat, ad hoc movet, eo prope modo quo nonnunquam dicere solemus, amicum qui bonum suadet, ad hoc nos determinare: at sicut consulenti charitatis officium, resistere possumus, vel si non obnitimur, nonnisi prævia propriæ voluntatis electione, operamur; ita pariter quum Deus inspirat salutis bonum, tametsi enim ad hoc nos determinet, attamen ex innata libertate illud ipsum omittere valemus; sin minus inquit D. Thomas jam laudatus tolleretur ratio meriti & demeriti. Sed esto quod Deus moveat determinate aliquos per gratiam ad actum etiam in individuo, hoc sane debet intelligi ad actum moraliter sumptum, namque si formaliter spectetur, actio est actus moralis, adeoque causam tantummodo moralem exigens, porro voluntatem humanam posse resistere præmotioni morali nemo non intelligit, & hac posita manet in liberi arbitrii potestate eligendi locus.

Persistes: D. Thomas explicans illud B. Pauli Rom. 8. *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*. Asserit voluntatem solum agi a Spiritu sancto: Atqui agi, dicit ita determinari a Deo, ut voluntas humana mere passive se habeat. Ergo &c. Sic loquitur D. Thomas comment. in c.9. epist. ad Rom. lec.3. explicans verba Apostoli: " Illa enim agi dicuntur, „ quæ quodam superiori instinctu moventur. Unde de brutis dicimus, quod „ non agunt, sed aguntur: quia a „ natura moventur, & non ex proprio „ motu ad suas actiones agendas. Similiter autem & homo spiritualis non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter: sed ex instinctu Spiritus sancti „ inclinatur ad aliquid agendum. „ Quibus verbis sanctus Doctor videtur docere voluntatem humanam vere agi a Spiritus sancti gratia, & eo prope modo passive se habere sicut belluæ, quæ rapiuntur ab objecto.

Respondeo distinguendo, homo justus agitur a Deo, hoc est, recipit gratiam, qua quidem motus seipsum movet: concedo: ita movetur ut mere passive se habeat, nego. Homo movetur & simul se movet: Eatenus movetur & agitur quatenus formam recipit, videlicet gratiam, unde omnis qui eam recipit dicitur pati, & in hoc sensu, *inquit D. Thomas*, Hierotheus beati Dionysii discipulus dicitur pati divina: adjutus vero a gratia, seipsum movet: quod centies repetit angelicus Doctor.

Respondeo 2. rursus distinguendo: Qui sunt filii Dei aguntur, idest, reguntur, Spiritus sanctus eos illuminat, ut videant quid agant: concedo: moventur ut belluæ subdistinguo, quantum ad aliquid, concedo: quantum ad omnia & univoce, nego. Justi in eo sensu a Spiritu sancto agi dicuntur, quod ab ipso ad bene agendum reguntur. Propheta Regius hanc expostulat gratiam Psalmo. 50. dum ait: *Et spiritum rectum innova in visceribus meis*. Agitur igitur sed utique agit. Ita Augustinus qui explicans illud Christi Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*, ait, *traheris & trahis*. Neque vero dissentit S. Thomas, affert quidem belluarum exemplum, sed in sensu prorsus analogo illud sumit. Hoc est, sicut belluæ moventur a superiore causa versus finem, pariter & homo circa finem supernaturalem quem ignorat: Sed discrepantia in eo est, quod fine cognito, seipsum moveat & cum electione prævia ad illum tendat, secus vero bellua.

Respondeo 3. aliter adhuc distinguendo; filii spiritu Dei aguntur, hoc est, inclinantur per Spiritum sanctum ad bonum salutis, concedo: hoc est, necessitantur & moventur ut instrumentum inanimatum, nego. Agi sumitur in duplici sensu: primo quidem pro motione morali: deinde vero pro determinatione physica necessitante ad actum in individuo. Qui movetur moraliter, immo & physice ad bonum in primo sensu, solummodo inclinatur, & de facto sic motus dicitur agi a bono consilio, a virtute admodum suavi, sed si movetur physice & per determinationem ad unam, omni semota proprii judicii & voluntatis deliberatione, nedum inclinari, sed & necessitari ad actum ut inani

inanime quoddam dicitur. At liberum hominis arbitrium non sic certe movetur, quandoquidem, teste D. Thoma, 3. p. q. 64. art. 8. & 10. ubi agit de intentione & actione Sacramenti factiva, ait hominem esse instrumentum animatum, quod movetur & se movet. Quinimmo voluntas hominis non est causa mere instrumentalis respectu actus amoris v. g. & similis quo suam homo operatur salutem, sed & principalis, & vocatur solum quasi instrumentalis a D. Th. comparative ad Spiritum sanctum, qui est causa magis principalis salutis per gratiam suam quia & prima, atque superior a qua creatura prorsus dependet.

Has omnes solutiones esse juxta angelici Doctoris mentem luce clarius apparet ex ipsius contextu: Sic enim ibidem explanat hanc Apostoli sententiam: *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*; idest reguntur, sicut a quodam „ ductore & directore quod quidem in no„ bis facit spiritus, scilicet in quantum il„ luminat nos interius quid facere debea„ mus. „ Psalm. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me, &c.* Sed quia ille qui ducitur „ ex seipso non operatur, homo autem „ spiritualis non tantum instruitur a Spi„ ritu sancto quid agere debeat, sed etiam „ cor ejus a Spiritu sancto movetur, ideo „ plus intelligendum est in hoc quod di„ citur, *Quicumque spiritu Dei aguntur*, „ illa enim agi dicuntur quæ quodam su„ periori instinctu moventur, unde de bru„ tis dicimus quod non agunt sed aguntur „ quia natura moventur & non ex pro„ prio motu ad suas actiones agendas, si„ militer autem homo spiritualis, non „ quasi ex motu propriæ voluntatis prin„ cipaliter, sed ex instinctu Spiritus san„ cti inclinatur ad aliquid agendum secun„ dum illud Isaiæ 56. *Cum venerit quasi* „ *fluvius violentus quem spiritus Dei cogit*. Et Lucæ 4. *Quod Christus agebatur a spiritu in deserto*. " Non tamen per hoc exclu„ ditur quin viri spirituales per volunta„ tem & liberum arbitrium operentur, „ quia ipsum motum voluntatis & liberi „ arbitrii Spiritus sanctus in eis causat se„ cundum illud Philip. capite 2. *Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & perficere*.

Persistes: quandoque homo ex visione mulieris tentatus, subito illuminatur & inspiratur, & tunc temporis de repente motus resistit tentationi, sed hæc victoria, utpote subitanea, absque deliberatione fit: Igitur homo necessario ad bonum compellitur & prædeterminatur, maxime vero cum gratia præmovens infallibiliter & indeclinabiliter moveat, cujus hæc ratio a D. Aug. offertur, quia *Ideo datur ut cordis duritia primitus auferatur*.

Respondeo negando minorem; electio quippe in hypothesi præcedit actum bonum, saltem natura & in genere causæ materialis, seu dispositivæ. Potest quoque dici resistentiam positivam tentationi esse ipsam boni electionem, quæ quidem semper fit, alias actio non foret humana & propter finem, sed actio hominis procedens a voluntate ut natura, & non ut libera; ex quo resultat nullum fieri libertati detrimentum sub dominio gratiæ quæ potest abjici ad voluntatis nutum; unde nego consequentiam. Tametsi enim gratia moveat infallibiliter, nusquam tamen necessario, unde vox indeclinabiliter eo loci non sumitur pro insuperabilitate physica & absoluta, sed potius pro efficacia gratiæ quæ ita suaviter inclinat hominem ad bonum, ut per eam illud libere & infallibiliter velit: maxime vero cum tunc temporis adsit protectio Dei extrinseca quæ ita cuncta disponit ut omnia cedant in bonum justi, juxta illud Psalm. 36. 24. de justo: *Cum ceciderit non collidetur: quia Dominus supponit manum suam*. Concinit sanctus Augustinus qui homil. 23. inter quinquaginta sic loquitur justo qui resistit tentationi: " Ut adulterium non committe„ res, suasor defuit ... locus & tempus „ defuit, & ut deessent, ego feci. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur præmotio, 1. generalis ad bonum universale ordinis naturalis. 2. Specialis pro ordine supernaturali. 3. Nusquam vero prædeterminatio physica necessitans.

PRIMUM patet, quia omne quod movetur ab alio movetur & de potentia debet reduci ad actum per id quod est semper in actu: Porro in ordine naturali præmotio generalis sufficit, cum enim neque objectum neque tendentia seu actus in objectum potentiæ vires non excedant, nihil sane prohibet voluntatem semel motam ad bo-

bonum universale, seipsam determinare ad bonum aliquod particulare hic & nunc suo amore prosequendum.

Secundum non minus clarescit, quandoquidem homo neque ratione innata cognoscit bonum supernaturalis ordinis; neque propriis viribus assequi potest, unde requiritur gratia specialis quæ bonum salutis & ostendat & ad ejus amorem compellat: specialissima vero ut voluntas ad illud non solum inclinetur sed de facto faciat.

Tertium sane verissimum quoque est: nomine quippe prædeterminationis physicæ necessitantis intelligimus motionem quæ voluntatem humanam ita determinet ad actum in individuo, ut omni electioni ex parte liberi arbitrii præcludatur aditus, unde sub tali prædeterminationis dominio non salvantur libertatis jura, & ideo procul facienda est ejusmodi motio tanquam fidei adversa.

Synopsis solutionum ad objectiones contra quartam conclusionem militantes.

PRIMO verum est D. Thomam dicere 1. Deum prædeterminare. 2. Etiam per deliberationem superiorem determinate movere liberum hominis arbitrium ad actum, sed per vocem prædeterminare, intelligit ordinare ab æterno quæcumque voluit in tempore facere: Sed in secundo effato loquitur de motione ad bonum salutis quæ est specialis: Sed de determinatione quæ completur per deliberationem & electionem nostram.

Secundo, tametsi non detur prædeterminatio physica, non inde sequitur scientiam mediam admittendam esse, immo aliquid esse futurum independenter a decreto. Non primum sane, dictum est enim futura conditionata quorum conditio apponetur præcognosci a Deo per scientiam simplicis visionis: neque secundum, quandoquidem novit Deus quid sua gratia sine qua nihil pro salute possumus facturus est in nobis, cum igitur opus salutis a gratia ortum ducat & inchoetur, certe ante decretum de danda gratia nihil futurum est.

Tertio, homo justus agitur quidem a Spiritu sancto sed ut adjutus seipsum ad actum supernaturalem moveat. *Traheris*, inquit Augustinus tract. 26. in Joan. 7. *Et traheris*. Traheris non necessitate, sed amore; unde ex motione Dei nulla sequitur libertatis læsio.



DIS-

DISSERTATIO SECUNDA
DE
OMNIPOTENTIA DEI QUANTUM AD PRODUCTIONEM ANGELORUM.



NGELOS non admittunt Anabaptistæ, sed contra quod dicitur Ps. 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & Ministros tuos ignem urentem.*

Dogma de existentia Angelorum quinque probatur & explicatur argumentis.

PRIMO: De facto dantur & existunt Angeli.
Secundo: A Deo creati sunt in tempore.
Tertio: Sunt creaturæ mere spirituales.
Quarto: In varias distribuuntur hierarchias & ordines.
Quinto: Supernaturalem boni promeruerunt beatitudinem.
Sexto: Mira miris modis cognoscunt.
Septimo: Magnalia ad extra operantur.
Octavo: Ad homines mittuntur, ut illos contra dæmonum impetus defendant, & ad æternam perducant salutem.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum dentur Angeli?

AD plenam hujus quæstionis intelligentiam duo prius discutienda sunt: Unum scilicet de placitis eorum qui circa Angelorum existentiam erravere: Alterum de notione, & quid nomine Angeli juxta fidem Ecclesiæ doctrinam intelligendum sit, deinde vero de existentia in speciali.

SECTIO PRIMA.

Historia critica errorum circa Angelos.

ORTUS.

SADDUCÆI, ut scribit divus Thomas prima parte, quæst. 50. art. 1. negant Angelos, & nihil præter cognitiones modo bonas, modo etiam malas esse existimant. Ante ipsos Aristoteles 4. Physic. eorum quoque inficiatus est existentiam. Plato non semel sermonem instituit de Angelis, maxime in symposio. Ita refert Tertullianus in apologetico, ita Cyprianus lib. de idolorum vanitate, ita & Lactantius lib. 2. cap. 14. sed ille Philosophus putavit Angelos natura dissolubiles, consequenter mortales & corporeos. Thales Milesius, ut scribit Athenagoras, eos quidem habet ut substantias superiores, sed animales. Orpheus apud Clementem Alexandrinum non absimilis naturæ illos esse vult, tametsi veluti ministros deorum in gubernatione mundi admittat. Ex illa gentilitatis opinione suam concinnavit Philo Judæus qui Angelos ejusdem generis cum hominum animabus esse autumavit, eosque vocat velut magni regis & oculos, & aures, ita lib. de somniis, & sic, ut liquet, ab omni materia illos immunes non censet.

Progressus.

E schola Philosophorum prodiere hæretici antiquiores qui Angelos etiam credidere hujusce spectabilis mundi opifices. Sic docebant Menandriani, Saturniani, Cerintiani, Carpocratiani, & cæteri omnes

omnes Æonum Architecti quorum inextricabiles fabulas referunt Irenæus, Tertullianus, & alii Ecclesiastici Scriptores. Seleuciani quoque, ut scribit Augustinus, dicebant Angelos creatores esse animarum. Peperit & Platonicorum Schola commentum aliud, eorum scilicet qui inter Deum & homines medios idcirco Angelos constitutos esse asserebant, quod non nisi per istos ad Deum patere aditus posset, unde etiam per illos legem esse traditam, & eo nomine divinis propemodum honoribus affici a nobis oportere effutiebant. Sic commemorat Theodoretus in Commentario ad caput secundum Epistolæ ad Colossenses. Inter Patres aliqui Platonicorum principiis non nihil imbuti dubitaverunt de Angelorum incorporeitate: ita Augustinus lib. 8. de civitate Dei cap. 14. 15. 16. immo alibi non semel Angelos animalia rationalia vocat, & corpora eis tribuit, maxime in expositione Psalmi 85. Hanc tamen opinionem veluti certam non habuit, cum in Enchiridio cap. 59. asserat de corporibus Angelorum difficillimam esse quæstionem. Quidam alii non modo Angelos, sed & animas hominum, & omnem prorsus creaturam esse corpoream arbitrantur nihilque præter unum Deum esse incorporale. Sic sensit Origenes lib. 2. Periarchon cap. 2. sic Cassianus collatione 7. 13. sic Rupertus lib. 1. de victoria Verbi cap. 26:

Interitus seu proscriptio.

ERRORES præfatos debellant utriusque Ecclesiæ Patres. Ex Græcis quidem S. Ignatius epist. ad Trallianos, Irenæus l. 2. cap. 54. Chrysostomus l. 1. ad Stagirium, Gregorius Nyss. orat. 4. de Oratione Dominica, Basilius, homil. quod Deus non est auctor malorum: Ex Latinis vero Hilarius l. 8. de Trin. Hieronymus epist. 59. ad Avitum, Gregorius Magnus l. 4. dial. cap. 29. in primis Patres Concilii IV. Lateranensis anno 1215. cap. *Firmiter*.

SECTIO SECUNDA.

De multiplici acceptione nominis Angeli.

DUÆ sunt generales hujus nominis *Angelus*, significationes: Prior illa est, quæ juxta suam denominationem a verbo græco ἀγγέλλω, derivatur, quod vocabulum significat *nuntio*; unde in hoc sensu, Angelus idem est ac nuntius, vel legatus; illud autem nomen potius est officii quam naturæ, ut docent S. Hilarius, Gregorius, Augustinus, & ita explicant illud Apostoli ad Heb. 1. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*. Verborum ordo, germanusque sensus est, qui eos, quorum natura & substantia est spiritalis, facit suos nuntios, & mandatorum suorum executores; quocirca quicumque nomine Dei nuntiant aliquid hominibus, in sacris litteris Angeli ut plurimum vocantur. Sic Christus Marc. 1. vocat Joannem Baptistam Angelum. Sic pariter Episcopi Apoc. 1. tum & Sacerdotes, Malachiæ 2. eodem Angeli insigniuntur nomine; e contra vero qui instinctu diaboli fructum evangelicæ prædicationis suffocant & atterunt, vel aliquid mali operantur, diaboli dicuntur, ut habetur Matth. 25. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus, &c.*

Posterior generalis significatio prædicti nominis est ea quæ omnem spiritalem designat substantiam sive bonam, sive malam, omnem cujuscumque hierarchiæ & ordinis: in hoc prorsus sensu intelliguntur hæc Psalmi 8. verba: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*. Christus enim spectatus reduplicative ut homo, paulo minus a substantia angelica minoratus inferior dicitur. Hoc est, humanitas sancta in abstracto & secundum se considerata, non est ejusdem perfectionis in ordine naturæ cum Angelo.

Alia acceptio nominis *Angeli* in sanctis Scripturis frequentior bonos solum & beatos complectitur Angelos, maxime vero illos quibus hominum salutis cura demandatur, ut habetur Mat. cap. 18. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris*. Hoc est, illæ substantiæ spirituales quibus custodia infantium imposita est, semper vident faciem Patris.

Impræsentiarum nomine Angeli intelligimus purum spiritum juxta illud Augustini in Psalmum 103. serm. 1. n. 15. " Spiritus autem Angeli sunt; & cum spiritus sunt, non sunt Angeli; cum vero mittuntur, fiunt Angeli. Angelus enim

„ enim officii nomen est, non naturæ. „ Quæris nomen hujus naturæ, spiritus „ est; quæris officium, Angelus est. Ex „ eo quod est, spiritus est: ex eo quod „ agit, Angelus est. „ Definiuntur Angeli, substantiæ creatæ, spiritales, completæ, creatæ quidem quatenus a Deo processerunt per productionem: spiritales, idest omnis materiæ expertes: in hoc vero secernuntur ab animabus separatis, quod sint substantiæ completæ.

His prælibatis quæritur primo num dentur Angeli? Secundo quid sint? Tertio, quandonam creati? Quarto, quot sint & quomodo distinguantur? Quinto, quænam bonorum & malorum sors? Sexto, quid operentur? Septimo, quænam sit eorum cognitio? Octavo, quænam ad extra operatio & missio?

SECTIO TERTIA.

Utrum Angeli sint meræ cogitationes boni & mali?

CONCLUSIO.

Dantur Angeli.

Probatur multis momentis.

Primo, ex veteri Testamento.

VIX unum reperies librum veteris Testamenti in quo non fiat aliqua mentio de Angelis. Genes. 16. hæc de Agar ancilla Sarai leguntur: *Cumque invenisset eam Angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine: dixit ad illam Agar, ancilla Sarai, unde venis, & quo vadis? Quæ respondit a facie Sarai dominæ meæ ego fugio, dixitque ei Angelus Domini, revertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* Et cap. 19. *Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere: & sedente Loth in foribus civitatis: qui cum vidisset eos surrexit, & ivit obviam eis . . . & dixit, obsecro Domini, declinate in domum pueri vestri.* Tum describitur convivium quod illis paravit Loth.

Rursus Exodi 14. 19. egregium & omni exceptione dignum habemus de Angelis testimonium, his verbis: *Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos.* Non minus insigne est istud oraculum ibidem capite 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, &c.* Eodem tenore hanc tradit veritatem Moyses Num. 22. ubi enarratur quomodo Angelus Domini, evaginato gladio, steterit in via contra Balaam, quem sub interminatione necis impedierit, ne malediceret populo Israel: cui obediens mandato Balaam, pronus in terram adoravit Dominum.

Non omittendum quod refertur Judicum 13. de Angelo qui apparens Manue prædixit ei Samsonis nativitatem. Item 2. Regum 24. legitur: *Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Jerusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: sufficit: nunc contine manum tuam.* Et adhuc 4. Regum 19. Angelus unus percussit exercitum Sennacherib. Demum in toto Tobiæ libro describitur quomodo Angelus Raphael juniorem Tobiam custodierit in via, & ad propria salvum & incolumem reduxerit.

Quid memorem ex Psalmis? Psalmo 8. habetur de Christo: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Psal. 96. *Adorate eum omnes Angeli ejus.* Psalmo 137. *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Mitto Prophetas inter quos Zacharias cap. 1. testatur Angelum sibi interius præsentem & sic loquentem: *Dixi: quid sunt isti, Domine mi? Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me, &c.* His positis adversus & Sadducæos & Anabaptistas sic insurgimus: Alloqui homines, eos e periculis Sodomorum eripere, conducere populum in deserto, custodire in via & reducere, percutere pestilentia Jerusalem, interficere exercitum in vindictam blasphemiæ, impedire malum hominem ne populo maledicat, comparare Angelos cum Verbo incarnato, eosque proclamare majores, ipso Filio Dei secundum humanitatem, similes operationes non nisi personis convenire queunt, nec citra fidem, immo & absurditatem dici potest hæc omnia nihil esse præter cogitationes: quasi vero sola cogitatio, peste & gladio percutiat. Igitur juxta divinas Scripturas dantur Angeli.

Secundo, ex Novo Testamento.

EADEM veritas non semel prædicatur in

in libris Novi Testamenti. Matth. 18. habetur, *Angeli eorum semper vident faciem Patris qui in cœlis est*. Luc.1. Angelus alloquitur Zachariam, & divini præcursoris ortum ei prænuntiat: ibidem admirabilis legatio Patris æterni facta per Gabrielem Archangelum ad Mariam refertur: *Missus est Gabriel Angelus a Deo in civitatem Galileæ..... Ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph &c.* Idem Evangelista scribit Angelum apparuisse Christo in agonia posito, ut illum consolando confortaret; immo omnes Evangelistæ apparitiones Angelorum sanctis mulieribus factas, qui eisdem Christi Resurrectionem annuntiavere, commemorant.

Præter Evangelium alii sacri Libri de Angelis mentionem faciunt. Act. 12. Petrus vinctus duabus catenis, solutis vinculis e carcere ab Angelo liberatur; Petrus vero putans se somnium videre, *Ad se reversus dixit: nunc scio vere quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis*. S. Paulus in Epistolis ubique inducit Angelos tanquam veras personas. Heb. 1. ait Christum ut hominem paulo minus ab Angelis minoratum, cap. 2. de Filio Dei sic loquitur: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*. Propheta Evangelicus passim in Apocalypsi nominat Angelos, videlicet cap. 19. & cap. 6. 7. 8. 9. 10. instar omnium locorum sit iste capitis 5. textus: *Audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium & seniorum: & erat numerus eorum, millia millium, dicentium voce magna, dignus est Agnus, qui occisus est, accipere... honorem, & gloriam*. Nunc sic argumentor. Neque legatio, neque solutio e carcere & vinculorum confractio; neque a fortiori Canticum publicum & solemne fit solis cogitationibus. Igitur iniquitas mentitur sibi, dum Sadducæi & Anabaptistæ nomine Angelorum inanes intelligunt cogitationes.

Tertio, ex Symbolis & Conciliis.

QUOD Symbolis exprimitur & Conciliorum decretis definitur, non debet revocari in dubium. Atqui existentia Angelorum his numeris completur & absolvitur. Ergo &c. Probatur minor. In Symbolo Nicæno hæc habentur. *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & invisibilium*. Porro nomine invisibilium nihil intelligi potest præter Angelos.

Concilium Lateranense sub Innocentio I. cap. *Firmiter* definit Deum creasse substantiam spiritalem, & corporalem; illa autem spiritalis substantia haud dubie est Angelica: his accedit totius Ecclesiæ consensus quæ Angelos ut personas natura præcellentes veneratur, sed & Officio solemni tanquam Dei Ministros, pro nostra salute celebrat. Dicente Apostolo Heb. 1. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: sede a dextris meis: Nonne omnes sunt Administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?*

Quarto, ex sanctis Patribus.

PRIMUS accedat sanctus Hilarius qui comment. in caput 18. Matth. sic loquitur: " Pusillorum enim Angeli quotidie „ Deum vident: quia Filius hominis ve„ nit salvare quæ perdita sunt. Ergo & „ Filius hominis salvat, & Deum An„ geli vident: & Angeli pusillorum „ præsunt fidelium orationibus. Præesse „ Angelos absoluta auctoritas est. Salva„ torum igitur per Christum orationes „ Angeli quotidie Deo offerunt. „

Accedit & S. Chrysostomus Homil. 60. in Matth. versus medium, qui ponderans ista verba, *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris*, subdit: " Hinc ma„ nifestum est, quia omnes sancti Ange„ los habent. „

Sequitur B. Hieronymus lib. 3. comment. in cap. 18. Matth. " Præcipio „ severitatem, ut commisceri clemen„ tiam doceam...... Quia Angeli eorum „ in cœlis vident semper faciem Patris. „ Magna dignitas animarum: ut unaquæ„ que habeat ab ortu nativitatis in cu„ stodiam sui Angelum delegatum. Un„ de legimus in Apocalypsi Joannis, „ Angelo Ephesi. . . . Et Angelo reli„ quarum Ecclesiarum, scribe hæc. Apo„ stolus quoque præcipit velari capita in „ Ecclesiis fœminarum, propter Ange„ los. „

Eminet quoque Gregorius Magnus qui Homil. 34. in Evangelia sic habet: " No„ vem vero Angelorum ordines diximus:

„ quia videlicet esse testante sacro elo-„ quio scimus Angelos, Archangelos, „ Virtutes, potestates, Principatus, Do-„ minationes, Thronos, Cherubin atque „ Seraphin. „

Agmen claudet mellifluus S. Bernardus serm. 1. in Festo S. Michaelis, his verbis: " Angelorum hodie memoria cele-„ bratur, & exigitis debitum pro tanta „ solemnitate sermonem.... Credimus sa-„ ne, & indubitata fide tenemus divina „ eos præsentia & visione beatos sine fi-„ ne lætari.

Rursus in Psalmum, *qui habitat*: " An-„ gelis suis mandavit de te: mira digna-„ tio, & vere magna dilectio charita-„ tis. . . . In quo itaque; affectuose di-„ ligamus Angelos ejus tanquam futuros „ aliquando cohæredes nostros. „ Numquid Deus mandat cogitationibus ut custodiant nos: numquid pro custodia ardenti prosequimur amore, vel ipsas cogitationes? Numquid futuri sumus gloriæ cum cogitationibus piis regni hæredes? Igitur cum hæc & similia nonnisi de Angelis intelligi possint, fatendum est existere Angelos.

Quinta, ex possessione corporum per Angelos.

ANGELI tum boni, tum mali possidere possunt corpora, & in iis varias habere operationes, quæ quidem nonnisi substantiis spiritualibus convenire queunt. Igitur dantur Angeli. Probatur multis argumentis,

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex Scriptura sacra depromitur.

ZACHARIÆ 1. ipse Propheta ab Angelo possessus legitur, his verbis: *Et dixit ad me Angelus qui loquebatur in me*. Ego, *ostendam tibi quod sint hæc*. *Et respondit vir, qui stabat inter myrteta, & dixit: isti sunt, quos misit Dominus ut perambulent terram*. Ecce possessio juxta eruditissimos interpretes. Ergo &c.

De possessione per Angelos malos multo plura habentur testimonia. Matth. 17. Christus ait discipulis, qui dæmonem e corpore energumeni ejicere non potuerant: *Hoc autem genus, non ejicitur nisi per orationem & jejunium*. Marci 5. Legitur legionem dæmonum in uno fuisse homine. De ejusmodi possessione iterata fit mentio Matth. 12. & Lucæ 4. quinimmo, Christus Marci ultimo, & Lucæ 10. dedit potestatem discipulis ejiciendi dæmonia, effectum vero fuisse consecutum narratur Actuum 16. Ergo &c.

ALTERUM ARGUMENTUM

Ex auctoritate Patrum procedit.

PRIMUS prodeat Tertullianus qui ad Scapulam cap. 2. sic habet: " Non tan-„ tum respuimus, verum etiam revinci-„ mus, & quotidie traducimus & de ho-„ minibus expellimus dæmones, sicut „ pluribus notum est. „

Aliter huiusce veritatis assertor est S. Cyprianus qui lib. ad Demetrianum, ait: " O si audire eos velles & videre, quan-„ do a nobis adjurantur & torquentur „ spiritualibus flagris, & verborum tor-„ mentis de obsessis corporibus ejiciuntur, „ quando ejulantes & gementes voce hu-„ mana, & potestate divina flagella & „ verbera sentientes venturum judicium „ confitentur. Veni & cognosce vera es-„ se, quæ dicimus. „ Idem affirmat Lactantius lib. 4. cap. 27. his verbis: " Sicut „ Christus cum inter homines ageret, „ universos dæmones sibi subjugat, ita „ nunc sectatores ejus in nomine Magi-„ stri sui & signo passionis ejus eos ab „ hominibus excludunt. „

Suffragatur Augustinus lib. 10. de civitate Dei cap. 22. " Vera pietate, *in-„ quit*, homines Dei aeriam potestatem „ inimicam contrariamque pietati exor-„ cizando ejiciunt.

Idem versibus canit Prudentius, in Apotheosi contra Judæos. *Torquetur Apollo nec nomine percussus Christi, nec fulmina verbi ferre potest.*

Intonat Antistes Domini: fuge callide serpens,
Exue te membris, & spiras solve latentes:
Hæc inter voces medius Cyllenius ardens
Ejulet, & notos suspiret Juppiter ignes.

Ex iis illud validum efformari licet ratiocinium. Sæpius ex hominibus expelli dæmones, id omnibus certum asseve-

rat;

rat Tertullianus, e corporibus ejici affirmat Cyprianus: Ministros Christi, ab humanis corporibus eos excludere tradit Lactantius. Ergo &c.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex potestate Ecclesiastica pro ejiciendis dæmonibus desumitur, eamque variis temporibus exercuit Ecclesia.

HANC potestatem Ecclesiæ fuisse concessam habetur Marci ultimo, his verbis: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient*. Hac freta auctoritate Ecclesia quondam elegit Ministros ad ejiciendos dæmones: omnes norunt inter ordines annumerari exorcistatum cujus hæc est forma: *Habeto potestatem imponendi manus super Energumenos, sive Baptizatum, sive Catechumenum*. Concilium Laodicenum prohibet ne aliqui in Ecclesia exorcismos energumenis intentent, nisi fuerint ab Episcopis Ordinati exorcistæ; quocirca Patres Concilii IV. Carthaginensis eandem præscribunt formulam veluti absolute, ad exorcistam ordinandum necessariam.

Hoc ipsum probant preces præscriptæ in diversis variarum Ecclesiarum Ritualibus ad exorcismos faciendos super energumenum. In Rituali Romano hæc habentur. *Præcipio tibi quicumque spiritus immunde, & omnibus sociis tuis hunc Dei famulum obsidentibus, ut per Mysteria Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi ad judicium, dicas mihi momentum, diem & horam exitus tui cum aliquo signo, & ut mihi Dei Ministro licet indigno, prorsus in omnibus obediat, atque hanc creaturam Dei ullo modo offendas*. Tum præcipitur exorcistæ ut legat caput primum Evangelii sancti Joannis, & decimum sextum sancti Marci, ac decimum Lucæ ubi sermo habetur de ejectione dæmonum: cætera quæ eandem spectant ceremoniam habentur in omnibus ferme Ritualibus a D. Launoyo collectis, quæ asservantur in Bibliotheca Minimorum Parisiensium: imprimis in Rituali Venet. anno 1555. edito, ubi hæc legitur exorcizandi dæmones formula: *Exorcizo te, & adjuro te, & anathematizo te, immunde spiritus creatura damnata, & reprobata, & maledicta a Deo in æternum propter nequitiam tuam, spiritus immunde ubicumque latitas in corpore istius N. in nomine Dei Patris & in nomine Jesu Christi Filii Domini & Salvatoris nostri, & in virtute Spiritus sancti ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei, & numquam ad eum accedas. ipse enim tibi imperat maledicte, damnate, qui pedibus supra mare ambulavit*. Eadem formula iisdem pæne verbis legitur in Rituali Barcinonensi anno 1569. exarato. Porro incassum Ecclesia ordinaret exorcistas ad propellendos e corporibus dæmones, nisi ipsi hominum possiderent corpora.

Jam vero Ecclesiam hac usam fuisse potestate pro illo fine Historiis omni exceptione majoribus comprobatur. In vita S. Antonii S. Athanasius refert istum sanctum sola Jesu Christi nominis invocatione non semel e corporibus ejecisse dæmones. S. Hieronymus idem asserit in vita sancti Hilarionis, qui energumenorum etiam compedes frangentem septem diebus elapsis, oratione & exorcismis, tandem liberasset.

Gregorius Magnus lib. 10. dial. cap. 10. tradit de Fortunato Tudertinæ Ecclesiæ Episcopo, cum oratione solitum fuisse ejicere dæmonia. Rursus Beda lib. 3. historiæ Anglorum cap. 11. scribit energumenum ope reliquiarum S. Waldi Martyris a dæmone fuisse solutum. Alii permulti exorcismi celebres ad confirmationem fidei facti sunt omnibus fere sæculis: nec desunt ultimi sæculi exempla in regno Galliæ in gratiam Monialium Laudunensium.

QUARTUM ARGUMENTUM.

Ab experientia procedit.

HABEMUS ex ipsa Scriptura sacra asinam, movente Angelo, allocutam fuisse Balaam. Num. 22. Pythonissam adduxisse Samuelis manes coram Saule, qui & graviter correptus est: Magos Pharaonis multa stupenda signa perpetrasse: quæ quidem omnia absque dæmonum ope, & possessione fieri nequeunt: Sed & nunc uno in primis probatum est experimento, muliérculas familiares habuisse linguas, Latinas, Græcas, immo & Hebræas quod est irrefragabile possessionis argumentum:

tum: Neque enim hoc a Deo promanat, cum non semel hujusmodi mulieres absurda loquerentur; neque etiam a melancholia, aliove humore prædominante profluere potest, quandoquidem in aera sæpius ferri visæ sunt, neque tandem ab influxu siderum, cum abscondita nonnumquam eructaverint: reliquum est igitur ut hæc a possessione dæmonum contingant.

Rationibus Theologicis, eadem probatur conclusio.

PRIMA: Summam Dei decebat majestatem principes ejusdem secum ordinis assistentes & ministros habere, ut primum placuit illi universum condere, & ad extra sese manifestare: Sed Angeli hujusmodi sunt & principes & ministri, cum inter homines justi nonnisi in ascensione Domini in cœlis collocari cœperint. Scriptura sacra de Angelis ita pronuntiat, Tobiæ 12. *Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Matth. 25. *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo &c.* Rursus Hebr. 1. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.*

Secunda: Causa infinita debet producere effectus qui omnes perfectionis gradus habeant: Igitur cum Deus produxerit creaturas alias mere corporeas; alias corporeas & vegetativas, alias etiam sensibus adornatas: alias partim corporeas partim spirituales; mere spirituales, utique creare conveniebat. Sic propugnat S. Thomas hic q. 50. art. 1. his verbis: " Ad perfectionem universi requiritur, „ quod sint aliquæ creaturæ intellectuales. „ Intelligere autem non potest esse actus „ corporis; nec alicujus virtutis corporeæ, „ quia omne corpus determinatur ad hic, „ & nunc. Unde necesse est ponere, „ ad hoc quod universum sit perfectum, „ quod sit aliqua creatura incorporea. „

Tertia: Agens producit sibi simile in quantum fieri potest: Sed soli Angeli propter eorum spiritualitatem maxime ad similitudinem Dei accedunt. Igitur decebat Deum condere Angelos, hæc ratio est D. Thomæ hic quæst. 50. art. 1. " Dicendum, quod necesse est ponere ali„ quas creaturas incorporeas. Id enim „ quod præcipue in rebus creatis Deus „ intendit, est bonum, quod consistit in „ assimilatione ad Deum. Perfecta au„ tem assimilatio effectus ad causam at„ tenditur: quando effectus imitatur cau„ sam secundum illud per quod causa pro„ ducit effectum, sicut calidum facit ca„ lidum. Deus autem creaturam producit „ per intellectum & voluntatem... Un„ de necesse est ponere... Quod sit ali„ qua incorporea creatura. „

Fit satis objectionibus Sadducæorum.

OBJICIUNT: Quæ leguntur de Angelis nihil sunt præter cogitationes, sic quum Angelus prohibuit Abrahæ ne immolaret Isaac, venit in mentem Patriarchæ Deum hoc nolle: Ergo &c.

Respondeo, Sadducæos incassum hæc proferre, cum ibidem cap. 22. 12. habeatur: *Nunc cognovi quod times Deum & non pepercisti unigenito Filio tuo propter me*, quæ quidem loquela manifeste indicat personam; maxime vero cum eo loci idem Angelus benedixerit Abrahæ. Quid plura? Numquid sola cogitatio interfecit omnes primogenitos Ægypti? Numquid sola luctata est cum Jacob usque mane?

Instant: Si darentur Angeli, dubio procul Moises de iis fecisset mentionem, quum creationis texit historiam: Atqui ibi altum est de hoc momento silentium: Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem; Moyses non loquitur in historia creationis explicite de Angelis, concedo: implicite, nego. Sic propugnat D. Thomas hic q. 46. art. 3. qui dicit Moysen intellexisse Angelos, his verbis: *In principio creavit Deus cœlum .... Perfecti sunt cœli:* Ad perfectionem autem & ornatum cœlorum spectat Angelica natura: " Quatuor enim „ ponuntur simul creata scilicet empy„ reum, materia corporalis, quæ nomi„ ne terræ intelligitur, tempus, & na„ tura angelica. „ Quidam asserunt Moysen explicite non fuisse de Angelis loquutum, ne Israelitæ qui vel ipsam cœli militiam, ut Deum habebant, Angelos colerent ut Deos. S. Hieronymus epistola 134. respondet non fuisse Moysis instituti eo loci mentionem facere de Angelis, sed unum sibi tantummodo proposuisse, scilicet rerum corporalium texere ordinem, eo quod in rebus corporeis creandis

dis solum fuerit illa series, & dierum varietas, quam præcipue explicare intendebat.

Urgent: Moyses in aliis libris sermonem instituit de Angelis: Igitur ista non ponderat ratio, Moysen eos siluisse Angelos ne ut dii a populo haberentur.

Respondeo retorquendo argumentum. Igitur ex Moyse dantur Angeli. Ad argumentum distinguo: multus est sermo de Angelis, ut ministris qui Deo famulantur, ut in cæteris Prophetarum libris, concedo: de Angelis secundum se spectatis, nego. Sub isto respectu debuisset loqui ubi de creatione, quocirca Israelitæ crassiores potuissent eos veluti Deos habere: merito igitur eosdem siluit eo loci Moyses.

Persistunt: Vox Angelus non naturæ, sed Officii nomen est: Igitur non indicat personam.

Respondeo distinguendo consequens, non indicat personam immediate, concedo: mediate, nego. Cum Philosophum, aut Angelum nominamus, citra dubium supponimus personas, non enim cogitatio, sed persona muneris officium adimplet.

Insistunt. Sicut omnia a Deo immediate creata sunt, ita & reguntur. Igitur ullo absque fundamento Angeli admittuntur, quia ministri. Confirmatur: quomodo creatura una aut altera posset cœlorum & astrorum molem sicut agitare, sic & regere?

Respondeo hoc unum tantummodo probare, Deum in gubernatione mundi non uti ministris per indigentiam, sed ad gloriæ suæ manifestationem.

Ad confirmationem, dico Deum potuisse condere creaturas mere spirituales, qui corporalibus sua virtute præessent, cum passim legatur in Scripturis, vel ipsos Apostolos homines naturam miraculis non semel immutasse: Nam & mors, & ipsi dæmones eorum obediebant mandatis.

Dices: S. Augustinus lib. 83. q. 9. q. 34. asserit nihil esse præter Deum supra animam rationalem: " Quod autem, " *inquit*, est melius omni anima, Deum " dicimus. " Sed si darentur Angeli a" liquod esset præter Deum supra ani" mam: Ergo &c.

Respondeo, S. Augustinum hanc deposuisse opinionem lib. 1. retract. cap. 20. his verbis: " Quod dixi, quod est omni " anima melius, id Deum dicimus, ma" gis dici debuit omni creato Spiritu me" lius. "

Opponunt Anabaptistæ: Non datur possessio corporum per dæmones: Igitur ruit palmare fundamentum quo astruitur existentia Angelorum & hujusmodi possessiones: Glossa super illud Habac. cap. 2. *Dominus autem in templo sancto suo*, dicit dæmones simulacris exterius præsidere posse non autem interius adesse: a fortiori nec inesse corporibus humanis.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem, nego paritatem. Ratio discriminis est quod simulacra non habeant organa vitalia, bene vero hominum corpora: quocirca Angeli intus possunt ista possidere & movere. Cæterum hoc unum ad summum probat objectio, nimirum dæmonem non habitare in corporibus humanis, ut formam & principium actionum vitalium, sed quædam duntaxat per motum localem in eis operari.

Instant: Non possunt duæ formæ simul esse in eodem subjecto, alias confunderentur earum operationes: igitur nec dæmones qui sunt formæ per se subsistentes in corpore animato.

Respondeo distinguendo Antecedens: duæ formæ non possunt esse simul in eodem subjecto, sub eodem respectu, & eadem peragentes, concedo: sub diverso & diversa operantes, nego: Anima est in corpore sicut in subjecto, ut forma informans, & uti principium crescendi, sentiendi, & ratiocinandi, dæmon vero ut in loco ubi aliqua operatur per motum localem; quales sunt diversorum idiomatum locutiones, quas habent energumeni, & non capiunt; raptus ex uno loco in alterum, & similia.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Dantur Angeli.

PRIMO: Hanc veritatem non semel sacra Scriptura annunciat, cum in eis multus sit sermo de Angelis qui apparuere & Patriarchis, & Prophetis.

Secundo: Hoc ipsum colligitur ex Symbolo, ubi legitur Deum esse visibilium & invisibilium Creatorem: Porro nomine invisibilium intelliguntur Angeli: sic docet S. Chrysostomus Homil. 60. in Mat-

th. Sic S. Gregorius Homil. 34. in Evang.

Tertio: S. Thomas hic 1. p. q. 50. art. 1. hanc affert rationem: conveniebat universo orbi, ut omnibus foret absolutus numeris, & consequenter creaturas mere spirituales, quæ propius accederent ad similitudinem Dei, complecteretur.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Incassum Sadducæi contendunt Angelos, de quibus fit mentio in Scripturis, esse meras intellectus creati cogitationes, istæ enim neque loquuntur, neque interficiunt homines, sicut Angelus, qui iteratis plagis percussit Ægyptum.

Secundo: Neque vero magis proficiunt Anabaptistæ dicentes, S. Augustinum nihil præter Deum supra hominis animam agnoscere, cum S. Doctor hanc abjecerit sententiam lib. 1. retract. cap. 20.

Tertio. Sed nec implicat multas formas per se subsistentes in eodem reperiri subjecto diversa & diverse operantes: sic anima inest homini, ut principium actuum vitalium, dæmon vero corpus possidens, ut causa eorum quæ fiunt per motum localem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quandonam Angeli fuerint creati.

CONCLUSIO.

Angeli fuerunt creati cum mundo corporeo.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Hoc ipsum indigitat Scriptura sacra; Ergo &c. Probatur Antecedens, Geneseos 1. habetur. *In principio creavit Deus cœlum & terram*: Quæ verba explicans S. Thomas hic quæst. 61. art. 3. ait: " Non autem hoc esset verum, si ali„ quid creasset antea. Ergo, *inquit*, An„ geli non sunt ante naturam corpoream „ creati. „ Rursus ibidem Gen. 2. legitur: *Perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requievit die septimo*. Hæc verba sic explanans ipse Moyses Exod. 20. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requievit in die septimo*. Sed Angeli, *ait*, D. Thomas ibidem pertinent ad ornatum cœlorum: " Non enim constituunt per se unum u„ niversum, sed tam ipsi, quam creatu„ ra corporea in constitutionem unius uni„ versi conveniunt .... Non est igitur „ probabile, ut Deus, cujus perfecta sunt „ opera, ut dicitur Deut. 32. creaturam „ angelicam seorsum ante alias creaturas „ creaverit. „ Igitur cum Angeli sint orbis universi pars, & Deus cuncta intra sex dierum spatium fecerit, cælestes illi spiritus non post creaturas corporales, sed simul cum eis conditi sunt. Sic habetur Eccles. 18. his verbis: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul*.

Altera ratio hæc est: Sapientia ut legitur Prov. 8. ante omnem creaturam condita est, sic enim habetur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quicquam faceret a principio*. Sed si Angeli creati fuissent cæteris ante creaturas, non satis intelligeretur, [illegible] etiam divinam in duratione per generationem æternam præcessisse Angelos, cum & ipsi ante tempus, quod ortum habet a primo creationis die, fuissent producti: Igitur non nisi cum mundo corporali creati fuere.

Tertia: Angeli ut primum producti sunt, in cælo empyreo corporali positi fuere, sive, inquit D. Thomas ibidem art. 4. nomine cœli empyrei intelligamus firmamentum, vel cœlum igneum: & hoc ipsum declarat S. Joannes Apoc. 12. his verbis: *Factum est prælium magnum in cœlo: Michael, & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus: Et non prævaluerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo*. Rursus Job. 38. refertur bonorum Angelorum victoria his verbis: *Cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes Filii Dei?* Vel ut legitur in Hebræo textu: *Omnes Angeli*. Aut ut in Chaldæo. *Omnis cœtus Angeli*. Igitur Angeli simul cum firmamento creati sunt.

Quarta: Angeli conditi sunt ut essent, & divinarum laudum præcones, inquit S. Thomas in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. & ut mundum corporalem regerent: maxime ut hominum rectores & Patres amantissimi, juxta illud Hebr. 3. *Omnes* [illegible]

sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis. Igitur simul cum mundo creati sunt, ut cito citius saluti hominis mox creandi invigilarent.

Quinta: Opinio suffulta auctoritate Patrum, Conciliorum, & sanctorum doctorum citra fidei periculum propugnari potest: Atqui talis est sententia nostra de creatione Angelorum: Et probatur. Inter Patres Græcos illam tenent Epiphanius Hæref. 65. Theodoretus q. 3. Ex Latinis vero S. Augustinus lib. 11. de civit. cap. 6. Rursus lib. 22. contra Faustum cap. 10. Gennadius Massiliensis lib. de dogmatibus Ecclef. cap. 10. D. Thomas ex professo hic q. 61. art. 3.

Concinit Concilium Lateranense cap. *Firmiter*, his verbis: " Creator omnium visibilium, & invisibilium; spiritualium, " & corporalium, qui sua omnipotenti " virtute simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem; angelicam " videlicet & mundanam. "

Observes velim cum S. Thoma definitionem non esse de fide, cum contrarium propugnaverint Gregorius Naz. De hoc hic art. 3. ubi proposita sua sententia, subdit: " Quamvis contrarium non sit repu- " tandum erroneum, præcipue propter " sententiam Gregor. Nazian. Cujus tan- " ta est in Doctrina auctoritas, ut nullus " unquam ejus dictis calumniam inferre " præsumpserit.

S. Augustinus docet utique Angelos cum creaturis corporalibus primum fuisse concretos. Sic loquitur lib. 11. de civ. cap. 9. " Ubi de mundi constitutione sacræ " litteræ loquuntur, non evidenter di- " citur, utrum vel quo ordine creati sint " Angeli, sed si prætermissi non sunt, " vel cœli nomine, uti dictum est, in " principio fecit Deus cœlum & terram: " vel potius lucis hujus, de qua loquor, " significati sunt. "

Diluuntur objecta.

OBJICIES: Job. 40. Beemoth, quo nomine intelligitur Lucifer, seu diabolus dicitur initium viarum Domini; Igitur ante mundum corporalem fuit conditus Angelus.

Respondeo distinguendo Antecedens, Beemoth appellatur initium viarum Domini ratione dignitatis naturalis, eo quod substantia mere spiritualis in immensum excedat omnem corporalem, concedo: ratione durationis, ita ut ante mundum hunc spectabilem creatus sit, nego.

Rursus aliter distinguendo, Beemoth est initium viarum Domini, in quantum prius concipimus Angelos creatos quam cæteras creaturas, juxta illud Gen. 1.: *In principio creavit Deus cœlum*, concedo: prius fuit creatus prioritate temporis, nego. Id unum vult sanctus Job, scilicet quod prius concipiamus entis sublimia & spiritualia creata, quam corporea & inferiora; non quod de facto eorum creatio prior fuerit prioritate temporis creatione cæterarum creaturarum.

Instabis: Atqui Angeli prius fuerunt creati prioritate temporis: Ergo &c. Probatur subsumptum. Incarnatio dicitur promissa ante sæcularia tempora, juxta illud ad Titum 1. *Paulus servus Dei, Apostolus autem Jesu Christi secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est in spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus, ante tempora sæcularia.* Atqui non potuit promitti nisi Angelis, ante illa tempora: Igitur Angeli fuerunt creati in tempore mundum hunc antecedente.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem distinguo majorem, incarnatio dicitur promissa, idest, decreta, supposito peccato primi hominis, ut docet S. Augustinus lib. 12. de civ. cap. 16. concedo: idest fuerunt Angeli quibus eam promisit Deus, nego majorem &c. Sensus Scripturæ est quod ex provisione peccati Deus misericordia motus decreverit incarnationem filii sui ad salvandum hominem.

Insistes: S. Augustinus lib. 12. confess. cap. 15. asserit angelicam substantiam antecedere creatam tempore: Igitur de facto Angelis fuit promissa incarnatio ante mundum conditum.

Respondeo distinguendo Antecedens, productio Angelorum præcessit tempore productionem rerum quæ facta legitur secundo, tertio, quarto, & quinto die, concedo: productionem mundi in globo, nego. Observes velim Deum primo die creasse cœlum & omnem ejus ornatum, adeoque & Angelos: tum sua distinxisse opera,

ra, quæ quidem distinctio etiam nomine creationis celebratur.

Dices: Origenes Homil. 10. in Matt. Basilius Homil. 1. in Exaemeron, Gregorius Naz. oratione 38. Hilarius lib. 12. de Trin. Ambrosius lib. 1. in Exaemeron cap. 5. Chrysostomus lib. 1. ad Stagirium, Damascenus lib. 2. de fide Orthodox. cap. 3. & alii complures propugnant Angelos fuisse ante mundum corporalem conditos: Ergo &c.

Respondeo distinguendo, & alii non ignoti nominis Patres cum Concilio Lateranensi contrarium tenent, concedo: sin minus, nego. Hoc unum probat argumentum, rem non esse de fide: Sed certe opinio cui Concilium Oecumenicum addit suum calculum nobis magis arridet; tum quia ei subscribit Magister noster Angelicus doctor.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Angeli simul cum mundo corporeo creati sunt.

PRIMO: Quia Apoc. 12. instituitur sermo de prælio in cœlo empyreo inter S. Michaelem & draconem: sic propugnat D. Thomas hic q. 61. art. 3.

Secundo: Angeli non fuerunt post mundum corporalem conditi, cum jam ut astra matutina, ut habetur Job 38. vix creati cum cæteris creaturis laudarent Dominum: Sed neque ante, sin minus sapientiæ æternæ coævi dicerentur: superest igitur quod fuerint creati cum mundo corporeo.

Tertio: Ex D. Thoma ibidem orbis universi partem constituunt Angeli: Igitur simul cum illo conditi sunt.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametsi Lucifer sub nomine Beemoth dicatur initium viarum Domini, non inde sequitur omnibus creaturis priorem fuisse, prioritate durationis, sed solum ratione perfectionis naturalis, quippe qui juxta quorumdam Sanctorum placita inter Angelos fuerit secundum naturalia excellentissimus.

Secundo: Esto quod incarnatio fuerit ante sæcularia tempora promissa, sed hoc solum denotat decretum æternum de illa emissum ex prævisione peccati originalis, vel etiam protoparenti, adhuc innocentiæ statu felici revelatum, sæcularia quippe sæcula, seu mala, nonnisi a lapsu Adami cœperunt.

Tertio: Neque vero diffitemur Angelos præcessisse opera secundæ creationis diei, & subsequentia, quod solum intendit Augustinus, nusquam vero opus primæ diei, quod cœli, tum & terræ productio fuit, quo tempore creati sunt juxta probabiliorem opinionem Angeli.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Angeli sint incorporei?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis argumentis.

Primo quidem, ex Scriptura sacra.

QUI vocantur Spiritus, prout Spiritus opponitur corporeo; qui habentur ut substantiæ quæ non sunt in loco circumscriptive; & ut personæ, quæ nnnnisi cibo mere spirituali vescuntur; dubio procul sunt incorporei: Atqui tales sunt ex Scriptura sacra Angeli: Ergo &c. Probatur minor quoad singulas partes.

Primo quidem, Angeli sunt spiritus, prout spiritus corporeo opponitur, juxta illud Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem; sed adversus principes & potestates; adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus*. Eo loci Apostolus opponit pugnam spiritualis nequitiæ, nimirum Angeli mali, pugnæ carnis stimulantis & inter utrumque hoc statuit discrimen, quod pugna prioris creaturæ fit ab intelligentia aliqua; posterior vero ab aliquo corporeo.

Secundo: Ex eadem liquet scriptura Angelos non esse in loco circumscriptive, ut res corporales; namque Marc. 5. legitur Christum ejecisse ab uno solo hominis corpore dæmoniorum legionem, hoc est, sex dæmonum millia; quis autem dixerit tam copiosum numerum potuisse in uno homine

mine esse, si isti Angeli mali habuissent corpora, corpus quippe quantumvis tenue, sua habet organa, suamque in ordine ad locum extensionem.

Tertium momentum, utique claret ex eadem Scriptura: sanctus enim Raphael Tob. 12. asserit se cibo corporeo non uti, & sic loquitur: *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere: Sed ego cibo invisibili, & potu qui ab hominibus videri non potest, utor.*

Secundo, ex Concilio Lateranensi.

CONCILIUM cap. *Firmiter* de summa Trinitate sic pronuntiat: *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur quod unus solus est verus Deus.... Qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* In quo quidem loco multa subnotanda sunt. Primo quidem Concilium naturam Angelorum secernere a natura rerum corporalium: ait enim, utramque distinguendo naturam, alteram esse spiritualem, eamque angelicam; alteram vero mere corporalem: tum subjungit naturam humanam mediam esse inter angelicam, & mere corporalem his verbis: *Deinde humanam quasi communem*, angelicæ, & pure corporeæ, relinquitur igitur ex mente Concilii Angelos esse incorporeos.

Tertio, ex traditione Patrum.

Primo, ex Græcis.

Sanctus Ignatius primus venit in testimonium epistola ad Trallianos in qua, ait: " Cherubim, Seraphimque excellentiam & Spiritus sublimitatem, & Domini regnum & incomparabilem Dei Patris omnipotentis divinitatem &c. " indicare.

S. Irenæus eidem adhæret sententiæ lib. 2. cap. 54. ubi de Gnosticis dicit: " Animalem enim cum esse volunt, & per hunc facta esse, non tantum quæ videntur hæc, sed & invisibilia, Angeli, Archangeli, Dominationes &c. "

Origenes lib. 6. contra Celsum suffragatur: " Nos, *inquit*, incorpoream substantiam non putamus igne conflagrare, neque in ignem resolvi hominis animam, vel Angelorum, Thronorum substantiam. " S. Chrysostomus lib. 2. ad Stagirium: " Fecit, *ait*, Angelos & Archangelos, ac reliquas incorporeas substantias. "

Subscribit S. Gregorius Nyssenus orat. 4. de oratione dominica: " Omnis, *inquit*, creatura realis partim in corpoream, partim in incorpoream naturam divisa est; est autem angelica quidem incorporea, altera vero species, nos homines sumus. "

Non dissentit Gregorius Nazianzenus orat. 34. " Porro Spiritus vocantur & ignis, illud tanquam intelligibilis natura, istud tanquam purgandi vim habens. " Deinde orat. 38. & 41. verbis expressis dicit Angelos esse incorporeos.

Concinit S. Basilius Homil. *Quod Deus non est auctor malorum*, de diabolo hæc habet: " Natura ipsis incorporea est secundum Apostolum dicentem, *non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus spiritualia nequitiæ.*

His accedit Eusebius Cæsariensis lib. 4. de demonstr. Evangel. cap. 10. ubi sic loquitur: " Cum Deus vellet divitiarum suarum thesauros pluribus impertiri, effectque jamjam omnem rationalem creaturam in lucem producturus, incorporeas ut quasdam atque intellectuales divinas potestates, Angelos, atque Archangelos materiæ expertes, & ex omni parte puros spiritus produxit. "

Ex illis Patribus Deus produxit sublimitatem Spiritus: Angelos invisibiles, substantias quæ igne consumi non possunt, substantias inquam incorporeas: Sed hæc & similes dotes nonnisi Angelis incorporeis conveniunt: Ergo &c.

Ex Patribus Latinis.

LACTANTIUS lib. 7. cap. 21. agmen ducet: " Primum igitur, *inquit*, dicimus tantam Dei esse potestatem, ut etiam incorporalia comprehendat, & quemadmodum voluerit afficiat; nam & Angeli Deum metuunt, quia castigari ab eo possunt inenarrabili quodam modo, & dæmones reformidant Deum, quia torquentur ab eo & puniuntur. " Quorsum inenarrabili modo torquentur? Nisi quia sunt mere Spiritus.

S. Hi-

6. *Hilarius* lib. 8. de Trin. eadem profert: "Qui est Dei imago invisibilis, „ primogenitus omnis creaturæ, quia in „ ipso constituta sunt omnia in cœlis, „ & in terra; visibilia & invisibilia; sive „ throni, sive principatus &c. „ Quibus verbis secernit sanctus Doctor creaturas corporales ab incorporeis, eo quod istæ invisibiles, hoc est, puri sint Spiritus.

Egregius est S. Augustini locus in Psalmum 103. "Angelus ex eo quod est, Spi„ ritus est, ex eo quod agit, Angelus „ est. „ Tum lib. 1. retract. cap. 11. "Angelorum sanctorum nomine omnem „ sanctam creaturam spiritualem in Dei se„ creto atque occulto ministerio constitu„ tam nunc appellaverim, sed Spiritus An„ gelicos sancta Scriptura nomine anima„ rum significare non solet. „

Marius Victorinus lib. 4. adversus Arium, appellat Angelos, Archangelos, Thronos, & cætera quæ supra mundum sunt, *incorporea*.

Inter omnes eminet Gregorius Magnus lib. 4. Dialog. cap. 29. "Si igitur dia„ bolus, ejusque Angeli cum sint incor„ porei igne cruciantur &c. „ Rursus lib. 4. Moralium cap. 9. "Angelus nam„ que solummodo spiritus, homo vero & „ spiritus est, & caro. „ Eo loci S. Doctor secernit Angelum ab homine in eo quod sit mere spiritualis. Eidem adhærent sententiæ SS. Leo epist. ad Turibium cap 6. Junilius Africanus lib. 11. c. 11. Fulgentius l. de fide c. 3.

Ex hac Patrum traditione liquet neminem posse citra errorem propugnare Angelos esse corporeos; tametsi aliqui Theologi, ut Lherminier Doctor Sorbonicus teneant hoc dogma non esse explicite de fide.

Quarto ex variis rationibus.

PRIMA hæc est: Inter creaturas una in gradu perfectissimo collocari debet, alias mundus non fuisset in summa perfectione positus & conditus: Sed ille gradus in eo potissimum situs est, ut creaturam mere spiritualem & intelligentem contineat, quæ certe non est alia quam natura Angelica: Ergo &c. Ista ratio est S. Thomæ hic q. 50. art. 1. ubi ex professo probat Angelum esse incorporeum: "Necesse est ponere, „ ad hoc, quod universum sit perfectum, „ quod sit aliqua incorporea creatura. „

Altera: Angeli sunt ab intrinseco immortales, eo quod, *inquit*, divus Thomas hic articulo 2. non possint in materiam resolvi, quippequi sint formæ per se subsistentes; quod probat auctoritate divi Dionysii, qui cap. 4. de divinis nominib. ait. "Primæ creaturæ sicut incorporales ita „ & immortales intelliguntur. „ Sed si constarent materia & forma, forent corruptibiles; quod quidem non cohæret cum Scriptura, quæ epist. B. Judæ. v. 6. ait: *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit*. Igitur Angeli sunt materia expertes & immortales cum mali vinculis æternis constringendi reserventur.

Tertia: Juxta Patrum & omnium Theologorum placita Angeli sunt multo magis spirituales quam animæ hominum separatæ: Sed istæ absque corpore subsistunt, hinc Deo vel perfruuntur, vel privantur: quidni igitur & a fortiori Angeli, naturæ humanæ præcellentes, cum, ipso teste Christo, inter Angelos minor excedat in perfectionibus naturalibus vel ipsum Joannem Baptistam?

Non desunt aliæ permultæ rationes, quæ idem probent. Et vero si Angeli non essent puri spiritus quomodo possent absque læsione & fractione penetrare corpora, ut Angelus qui apparuit Petro in vinculis constituto? quique postea solo imperio omnes aperuit carceris portas, ut daretur Apostolo evadendi locus Act. 12. quomodo extemplo & absque mora e cœlo descenderent in terram, ut hominibus quandoque tentationibus obrutis cito citius succurrant, juxta illud Exod. 23. *Ecce ego mitto Angelum meum qui præcedat te &c.* D. Thomas ibid. q. 58. art. 4. hanc probat Angelorum spiritualitatem, ista ulteriori ratione: Angelus "intelligit, *in„ quit*, composita simpliciter, & mobilia „ immobiliter, & materialia alia imma„ terialiter. Quod certe non nisi meræ intelligentiæ contingit: nam homo semper discurrendo ad rerum cognitionem ascendit. Ergo &c.

Diluuntur objecta.

OBJICIES: Qui sunt sensibiles, nec aliter nisi cum corporibus apparuere: qui cibis

bis ſicut homines veſcuntur, illi certe ſunt corporales: Atqui tales ſunt Angeli: Et probatur. Gen. 3. voce ſenſibili alloquuntur Adamum peccatorem dicendo, *ubi es?* Nam juxta Patres Angelus nomine Dei loquebatur. Ibidem cap. 18. tres apparent Abrahæ qui & eorum pedes lavat, quos utique cibat: cap. 32. Jacob luctatur cum Angelo: Ergo &c.

Reſpondeo negando minorem, ad probationem diſtinguendo: Angeli apparuerunt in corporibus aſſumptis, concedo: in corporibus propriis, nego. Solutio eſt SS. Patrum & Doctorum, qui aſſerunt Angelos aſſumere corpora, ut ſenſibiles ſe reddant hominibus, qui alias eos nec videre, nec intelligere poſſent; hinc & ſubito evaneſcunt ab oculis; quod argumentum eſt, eos eſſe incorporeos. Sic Judic. 13. habetur: *Ultra eis non apparuit Angelus*. Idest, Manue & ejus uxori.

Dices: Chriſtus tametſi homo & corporeus evanuit ab oculis Diſcipulorum Emmaus, abſoluta panis fractione, ut habetur Luc. 24. Igitur ex eo quod Angelus in flamma ſacrificii evanuerit ab oculis Manue Patris Samſonis, non inde colligendum eſt, Angelum eſſe incorporeum.

Reſpondeo recte inferri ex hoc Angeli ſpiritualitatem, maxime ex hoc quod homo hac ſubtilitate non donetur, niſi per participationem: ſic enim ſubito evaneſcere convenit primario ſpiritui. Quid plura? Latum eſt diſcrimen inter Chriſtum ut hominem, & Angelum, ut ex ipſa conſtat Scriptura: namque ibidem Chriſtus ait: *Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum. Palpate & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*. Quibus verbis Dominus Jeſus ipſe totam dirimit quæſtionem: ſi enim Angeli carnem & oſſa non habent, quippe qui ſint ſpiritus, citra dubium ſunt incorporei: quod non obſcure indigitat S. Raphael Tobiæ 12. his verbis: *Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere; ſed ego cibo inviſibili, & potu qui ab hominibus videri non poteſt, utor*. Quibus ſermonibus manifeſte claret Angelos nonniſi, emendicatis corporibus, apparere.

Inſtabis: Atqui Angeli vera, & quidem propria habent corpora: Ergo &c. Probatur ſubſumptum. Illi habent propria corpora, in quibus agunt & reagunt res corporeæ ſicut in hominibus: Atqui tales ſunt Angeli; quod quidem non uno probatur Scripturæ oraculo. Matth. 25. Chriſtus ait: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus*. Tobiæ 6. & 8. legitur: *Cordis ejus particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, ſive a viro, ſive a muliere*. Hæc Raphael locutus eſt Tobiæ de virtute cujuſdam piſcis. Rurſus 1. Reg. 16. Spiritus malus recedebat a Saule ad melodiam citharæ Davidis: Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo minorem, res corporeæ virtute divina elevatæ, & tanquam omnipotentiæ inſtrumenta agunt etiam in Angelos & in res ſpirituales, concedo: hoc unum probant exempla allata. Agunt virtute propria, & ſine elevatione, nego. Illud patet in aqua Baptiſmatis: "„ Quænam eſt, *inquit Auguſtinus*, tanta „ virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor „ abluat? „ Rurſus lib. 21. de civit. Dei cap. 10. ſic loquitur de igne torquente ſpiritus: " Cur non dicamus quidem miris, „ veris tamen modis, etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis aſ„ fici, ſi ſpiritus hominum etiam ipſi „ profecto incorporei, & nunc potuerunt „ includi corporalibus membris, & tunc „ poterunt corporum ſuorum vinculis in„ ſolubiliter alligari? adhærebunt ergo „ ſpiritus dæmonum, immo ſpiritus dæ„ mones licet incorporei, corporeis igni„ bus cruciandi, non ut ignis ipſi qui„ bus adhærebunt, eorum junctura inſpi„ rentur, & animalia fiant, quæ con„ ſtent ſpiritu & corpore, ſed, ut jam „ dixi miris & ineffabilibus modis adhæ„ rebunt, accipient ex ignibus pœnam, „ non dantes ignibus vitam. „ David canebat Pſalmos in cithara coram Saule; unde non mirum ſi oratione iſta malum compeſceret ſpiritum.

Urgebis: Ideo Angeli dicuntur habere emendicata corpora, quia ſunt ſpiritus: ſed hæc ratio nulla eſt: Et probatur. Heb. 1. nomine flammæ inſigniuntur his verbis: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis*. Rurſus Pſalm. 148. vel ipſæ res corporeæ etiam nominantur ſpiritus his verbis: *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum quæ faciunt verbum ejus*. Et apud Job ven-

ventus quoque vocatur spiritus : Ergo &c.

Respondeo negando minorem . Ad probationem distinguo, Angeli dicuntur flamma ignis moraliter , & ratione tum zeli pro Domino exercituum , tum amoris quo erga ipsum flagrant , concedo : physice , & litteraliter , nego . Ita D. Thomas comment. in cap. 1. epist. ad Hebræos .

Ad ulteriorem probationem similiter distinguo , quædam res corporeæ etiam dicuntur spiritus , sed improprie , concedo : proprie , nego . Quandoquidem nominantur spiritus , vel quia moventur , vel quia etiam vitam habent ; nam gradus vitæ perfectissimus a spiritu promanat ; nonnunquam quoque propter tenuitatem corporis , sic nuncupantur , ut aer , & ventus .

Replicabis : Dæmones sunt angeli , & tamen habent corpus aereum : Ergo &c. Probatur antecedens . Eph. 6. vocantur aereæ potestates , & spiritualia nequitiæ : sic enim habetur : *Non est vobis col luctatio adversus carnem & sanguinem , sed adversus Principes & Potestates ; adversus mundi rectores tenebrarum harum , contra spiritualia nequitiæ , in cælestibus* : Ergo &c.

Respondeo negando antecedens . Ad probationem distinguo , dæmones dicuntur aeris potestates , quia ibi volitant , & nonnunquam commorantur ad exercendos homines justos , concedo : quia habent corpus , nego . Ita Basilius homil. 9. Scriptura est ipsa sui interpres , quandoquidem ibidem Ephes. 2. postquam vocavit dæmonem aeris principem , subdit esse spiritum , *qui non operatur in filios diffidentiæ* .

Ad id vero quod dæmones vocentur spiritualia nequitiæ in cælestibus , distinguo : idest , in aere qui ex Scriptura quandoque vocatur cœlum , tum propter sublimitatem , tum propter ejus tenuitatem , concedo : ita ut sint corporei , nego : Sic censet Basilius ibidem , & cum ipso Hieronymus , qui explicans verba Apostoli , ait : " Hæc est omnium Doctorum ,, opinio , quod aer iste plenus sit contra- ,, riis fortitudinibus . ,,

Insurges : Qui conjunguntur mulieribus , & ex eis suscipiunt prolem , dubio-procul habent corpora propria , & non assuta ; namque generatio corporalis definitur , origo viventis a vivente : Atque res videtur sic se habere , saltem pro malis spiritibus : Et probatur . Primoquidem , ex illo Genes. 6. *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ , acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant* . Deinde v. 4. legitur ex illo commercio natos fuisse gigantes , & viros famosos atque potentes . Secundo quod nomine filii Dei intelligantur Angeli , versio 70. habet , his verbis : *Ingressi sunt Angeli Dei ad filias hominum* . Hoc ipsum astruit Patrum traditio . Instar omnium sit Justinus qui apol. 1. sic loquitur de angelis malis : " Qui ab ,, officio decedentes , victique feminarum ,, amore susceperunt ex iis progeniem , ,, quam vulgus vocat . ,,

Subscribit Athenagoras leg. ad Antonium Imperator. his verbis : " Itaque a ,, statu suo defecerunt alii , qui amore ca- ,, pti virginum , & libidine carnis accen- ,, si . . . ex amatoribus igitur gigantes , ut ,, vocant , nati sunt . ,, Idem prorsus dicit Tertullianus lib. de habitu muliebri , cap. 2. idem Clemens Alexandr. lib. 3. Stromatum . Idem sanctus Cyprianus lib. de disciplina & habitu virginum . Idem Lactantius lib. 2. cap. 15. Idem Eusebius Cæsar. lib. 5. præparat. Evangel. cap. 4. Idem Severus Sulpitius lib. 1. Hist. Sacr. Idem Ambrosius lib. 1. de virginitate . Ergo &c.

Respondeo 1. negando minorem . Ad primam probationem dico legi quidem in aliquibus Græcis editionibus : *Videntes Angeli Dei* . Sed hæc interpretatio non est genuina , & ex codicibus defloratis promanat : quandoquidem in textu originali habetur , *Filii Elohim* , quod interpretatur Aquila , *Filii Deorum* , Symmachus , *Filii potentum* , Syrus , *Filii Principum* . Quid plura adjiciam ? S. Augustinus lib. 15. de civit. Dei cap. 23. observat in aliquibus tantum codicibus versionis Septuaginta , & non in omnibus legi : *Videntes Angeli Dei* , sed potius *Filii Dei* , sic habet Biblia Sixtina , sic Chrysostomus ; sic Cyrillus apud Theodoretum ; sic Hieronymus .

Respondeo 2. sic distinguendo , & nomine filii Dei intelliguntur filii Seth , concedo : diaboli , nego . Filii Seth propter suam sanctitatem & justitiam dicti sunt filii Dei ; filii vero Cain propter nequitiam filii hominum nuncupati sunt : quia

vero

vero filii Seth a justitia exciderunt per luxuriam, ideo veluti mali spiritus habiti sunt: Illi etiam propter continentiam pristinam robustissimi erant; ideo ex eorum cum feminis commerciis nati sunt gigantes. Sic propugnant Chrysostomus, Cyrillus, Theodorus, Suidas, & alii.

Non injucundum erit hic texere pro coronide solutionum ad illas difficultates, quod sanctus Thomas 1. p. q. 51. art. 3. respondet, ut per omnia clarescat veritas: "Dicendum quod sicut Augustinus „ dicit 15. de civ. Dei, multi se exper„ tos vel ab expertis audivisse confirmat „ Sylvanos & Faunos quos vulgus incu„ bos vocat, improbos sæpe extitisse mu„ lieribus, & earum expetisse atque pe„ regisse concubitum. Unde hoc negare „ impudentiæ videtur; sed Angeli Dei „ sancti nullo modo sic labi ante diluvium „ potuerunt. Unde per filios Dei intel„ liguntur filii Seth qui boni erant. Fi„ lias autem hominum nominat Scriptu„ ra eas quæ natæ erant de stirpe Cain. „ Neque mirandum est quod de eis gi„ gantes nasci potuerunt. Neque enim „ omnes gigantes fuerunt, sed multo plu„ res ante diluvium quam post. Si ta„ men ex coitu dæmonum aliqui interdum „ nascuntur, hoc non est per semen ab eis „ decisum, aut a corporibus assumptis, „ sed per semen alicujus hominis ad hoc „ acceptum, utpote quod idem dæmon „ qui est succubus ad virum, fiat incu„ bus ad mulierem: sicut & aliarum re„ rum semina assumunt ad aliquarum „ rerum generationem (ut Augustinus „ dicit 3. de Trin.) ut sic ille qui nasci„ tur non sit filius dæmonis, sed illius ho„ minis cujus est semen acceptum. „

Ad aliam probationem ex Patribus deprompatam; oppono Patres in probationibus laudatos, ut Ignatium &c. Ceterum traditio non est vox aliquorum Patrum, sed fere omnium, sed decretorum summorum Pontificum & Conciliorum: quis autem dicet Ecclesiam definivisse Angelos esse corporeos? & sic solvuntur cæteræ objectiones ex Patribus, qui vel absolute negarunt Angelos esse corporeos, vel de hoc dubitavere momento.

Instabis: Judæ habetur: *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes*. Eo loci Apostolus loquitur de Angelis qui non servaverunt suum pactum, & qui similes facti sunt Gomorrhæ. Igitur vel ipsi Angeli qui cœlos habitabant, erant corporales.

Respondeo distinguendo, Angeli non servaverunt principatum per superbiam, & Deo resistendo, concedo: ita ut e cœlo delapsi juncti sint mulieribus, nego. In sequentibus verbis loquitur Apostolus de impiis, sic enim subdit v. 8. *Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant*.

Replicabis: Concilium Nicænum II. Act. 5. approbat sententiam Joannis Thessalonicensis asserentis Angelos, ideo posse pingi, quia sunt corporei, & in forma corporea non semel apparuerint hominibus. Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens, Concilium approbat quoad aliqua, concedo: quoad omnia, nego. Id unum approbavere Patres Synodici, sanctos Angelos posse pingi, sed non admiserunt rationem allatam a Joanne Thessalonicensi; quæsierat enim a Patribus, Tharasius Patriarcha CP. utrum Angeli possint depingi; cui respondent Patres affirmative eo quod apparuerint hominibus sub forma sensibili, sicut licitum est pingere Spiritum sanctum, modo sub forma columbæ, modo sub linguæ igneæ figura, quia sub his symbolis visus est. Quod autem Concilium non censuerit Angelos esse corporeos; ex eo licet concludere, quod approbent sententiam divi Athanasii dicentis Angelos esse incorporeos.

His accedit quod in definitione fidei istius Concilii hæc leguntur: *Veneramur imagines Sanctorum & incorporeorum Angelorum, qui tanquam homines figura humana apparuerunt*.

Instabis: Idem Joannes Thessalonicensis hæc subjungit: "Ecclesia Catholica sic „ sentit de Angelis & Archangelis, & „ eorum potestatibus, quibus & nostras „ animas adjungo; ipsa Ecclesia Catho„ lica sic sentit esse quidem intelligibi„ les, sed non omnino corporis expertes „ & invisibiles, ut vos Gentiles dicitis, ve„ rum

„ rum tenui corpore præditos & aereo, „ sive igneo, sicut scriptum est, qui facit „ Angelos suos spiritus, & ministros suos „ ignem urentem. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo: & Joannes errore deceptus est attendens ad doctrinam Patrum qui a schola Platonica illusi fuerant, concedo: Et in hoc approbatus est a Concilio, nego. Namque unum solummodo intendebat, videlicet licitum esse pingere Angelos, eo quod in corporibus emendicatis apparuerant.

Repones: Atqui Concilium approbat quoad dicta Joannis: Ergo &c. Probatur subsumptum. Absoluto sermone Joannis, dixit Tharasius: " Ostendit Pater, quod „ Angelos pingere . . . . quandoquidem „ circumscribi possunt, & ut homines ap„ paruerunt. „ Respondit Synodus: " „ Etiam Domine. „ Sed quod circumscri„ bitur habet corpus. Ergo &c.

Respondeo: Verba laudata nihil urgere: quinimmo esse pro nobis, cum ultro fateamur Angelos posse depingi cum corporibus emendicatis in quibus apparent; unde distinguo minorem, quod circumscribitur quantitate locali habet corpus, concedo: circumscriptione operationis, & naturæ, qualis est natura angelica quæ non est suum esse, sicut Deus, nego. Quia vero natura angelica limitata est, comparative ad Deum spectata a quibusdam Patribus corporea dicitur; hoc est, finita & limitata. Solutio colligitur ex D. Thoma qui ita loquitur: " Dicendum „ quod, circumscribi terminis localibus, „ est proprium corporum: sed circumscri„ bi terminis essentialibus, est commune „ cuilibet creaturæ tam corporali quam „ spirituali. Unde dicit Ambrosius in li„ bro de Spiritu sancto, quod licet quæ„ dam locis corporalibus non continean„ tur, circumscriptione tamen substantiæ „ non carent. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Angeli sunt incorporei.

PRIMO: Veritatem propositam non uno sed multiplici loco sacra indigitat Scriptura, juxta illud Heb. 1. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Idem habetur Tob. 12.

Secundo: Subscribit Concilium IV. Lateranense cap. *Firmiter*. Subscribit S. Ignatius Epist. ad Trallianos: item & Hilarius l. 8. de Trin.

Tertio: Ratio suffragatur. Nam ex D. Thoma hic qu. 50. art. 1. ad ornatum & pulchritudinem universi convenit ut inter creaturas quædam sint mere spiritales, quæque ad similitudinem Dei propius accedant.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Verum quidem est Angelos sæpius Patriarchis & Prophetis apparuisse, sed in corporibus emendicatis, & assumptis.

Secundo: Tametsi Concilium Nicænum II. permittat Angelos pingi, non inde concludit fuisse corporeos, sed assumpsisse corpora: Ergo quod Joannes Thessalonicensis contrarium senserit, non in hoc sane a Synodo approbatus est.

Tertio: Non negamus quosdam Patres Angelos existimasse corporeos; sed eis prævalet Ecclesia in Concilio Oecumenico Lateranensi adunata: Dici etiam potest illos, nomine *corporeos*, ut plurimum intellexisse limitatos.

ARTICULUS QUARTUS.

De numero, & distinctione angelorum.

MAGNUM esse Angelorum numerum non semel asserit Scriptura sacra, sic enim legitur Dan. 7. 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millium assistebant ei*. Job 25. *Numquid est numerus militum ejus?* Matth. 26. 53. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Heb. 12. 22. *Accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam*. Apocal. 5. 11. *Audivi vocem angelorum multorum . . . . Et erat numerus eorum millia millium*. Verum quinam sit certus numerus, viatores homines prorsus latet. D. Thomas 1. part. quæst. art. 50. 3. unum tantummodo propugnat, videlicet Angelos

los in multitudine corporales creaturas longe excedere, quia inquit, id quod perfectius tum in natura, tum in operatione est, cætera minus perfecta in multitudine superare debet, quatenus ad Deum, qui cuncta comprehendit & complectitur, proprius accedunt. Duo igitur hic discutienda occurrunt: alterum de distinctione Angelorum ab invicem: alterum de distinctione secundum ordines. Unde fit

SECTIO PRIMA.

Utrum Angeli distinguantur ab invicem? & quomodo.

DICTINCTIO triplex assignatur, generica una, specifica altera, tertia individualis & numerica. Prima petitur a gradu generico qui in diversis diversus est. Sic animalitas quæ convenit brutis & hominibus, generice discrepat a plantis quæ solum penes rationem entis corporis vegetativi, habent aliquid commune cum animalibus & cum hominibus. Secunda ex diversitate formarum substantialium adoritur, unde quia anima est in homine rationalis, e contra vero in feris, hominem ab illis specie distingui constat. Tertiam deducimus modo ex materia quantitate signata, modo etiam ex ordine quem servat & habet forma ad quantitatem, quocirca Petrum & Paulum distingui numerice & individualiter dicimus.

Angelos non distingui numerice inter se claret, cum sint omnes puri spiritus, immortales, incorruptibiles: num vero distinguantur specifice, non una est etiam sanctorum Patrum sententia. Quidam, ut Gregorius Nyssenus sub finem libri sexti pag. 200. Basilius in tertio libro contra Eunomium pag. 79. penes officia videntur distinguere Angelos. S. Augustinus lib. 3. ad Orof. nihil certi de hoc momento haberi profitetur: alii sancti Doctores non pauci Angelos omnes inter se specie distingui conclamant, cum quibus sit

CONCLUSIO.

Angeli inter se specie distinguuntur.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex SS. Patribus.

SANCTUS Dionysius lib. de cæl. Hier. cap. 5. ait: " Enuntiant sanctorum voluminum traditiones, superiores substantias esse graduum inter se celsitudine differentes. " Sed quæ sunt graduum celsitudine discrepantes, plusquam numero inter se differunt, quandoquidem non semel compertum est individua tametsi numero distincta, easdem & in eodem celsitudinis gradu habere perfectiones, quot enim homines in scientia & dignitate pares sunt? Igitur si ex Dionysio Angeli in graduum celsitudine discrepent, eos quoque specie inter se distingui necesse est.

Methodius nostræ suffragatur sententiæ apud Epiphanium Hær. 64. n. 33. Eo loci insurgit adversus Origenem, qui post resurrectionem sine corporibus victuras animas asserebat, id ex eo redarguit, quod etsi Angelorum similes futuri sint homines, non tamen Angeli: neque in alienam transituri sunt naturam ac speciem: " Non animadvertit, *inquit*, eum qui ex nihilo mundum fabricavit, & ordinavit immortalium naturam non in Angelos, administrosque tantum, sed etiam in principatus, & thronos & potestates distribuisse. Aliud enim principatuum genus, aliud potestatum: eo quod non unus ordo, nec unum veluti corpus, ac tribus immortalium, ac velut familia sit: sed genera & tribus, & differentiæ sint. Ac neque Cherubim ab natura sua desciscunt, ut in Angelorum speciem transformentur: neque in aliorum Angeli. Oportet enim illa hoc esse, quod sunt, & quod facta sunt."

D. Thomas hic ex professo quæst. 50. art. 4. propugnat conclusionem, his verbis: " Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt omnes substantias spirituales etiam unius speciei, etiam animas. Alii vero quod omnes Angeli sunt unius speciei, sed non animæ. Quidam vero quod omnes Angeli sunt unius Hierarchiæ, aut etiam unius ordinis. Sed hoc est impossibile. Ea enim quæ conve-

„ veniunt specie, & differunt numero, „ conveniunt in forma, sed distinguuntur „ materialiter, si ergo Angeli non sunt „ compositi ex materia & forma, ut di- „ ctum est supra: sequitur quod impossibile sit esse duos Angelos unius speciei. „

Secundo, ex ratione multiplici.

PRIMA: quæ penes formam substantialem discrepant, profecto specie & essentialiter distinguuntur: Atqui Angeli penes formam inter se discrepant: & probatur. Sunt formæ simplices completæ, & per se subsistentes: Igitur penes formam distinguuntur, adeoque specie & essentialiter; cum enim essentia tota Angeli in forma sita sit, si penes formam distinguuntur, necesse est Angelos distingui & specie seu essentialiter; sic videmus hominem specie distingui a brutis, quia secundum formam discrepat... Hæc ratio est divi Thomæ qui in quæst. de spirit. creat. art. 8. ait: " Si Angelus est for- „ ma simplex abstracta a materia, impos- „ sibile est etiam fingere quod sint plu- „ res Angeli unius speciei. „.

Secunda: In iis quæ differunt tantum numero, forma communis est in omnibus: sed non est verisimile Angelos convenire in specie: & probatur. Forma simplex & per se subsistens contrahitur terminis essentiæ, subsistentiæ, & existentiæ qui illam & incommunicabilem reddunt, & claudunt intra unam essentiæ particularis lineam: habet quippe ab eis quod sit essentialis talis forma singularis: Igitur Angeli non conveniunt specie, sed potius specie inter se distinguuntur, quandoquidem substantia & existentia quæ sunt de rei subsistentia, in Angelis diversæ sunt, adeoque non numericam, sed specificam inter Angelos inducunt distinctionem. Ista ratio est etiam D. Thomæ hic art. 4. supra citato.

Tertia. Distinctio numerica tantum a materia sigillata, & per quantitatem determinata promanat: sed Angeli carent materia, nec ullum habent ad eam ordinem: Igitur nedum numero: sed & specie distinguuntur. Probatur major, in qua est difficultas. Distinctio numerica petitur a proprietatibus accidentalibus, quæcumque sint; alias foret distinctio plusquam numerica, sed essentialis: quia distinctio quæ reperitur inter Angelos suum non deducit ortum a proprietatibus accidentalibus, sed a forma ipsa, quæ est in se completa, & per se subsistens, vel ab existentia, & subsistentia quæ reddunt naturam unius Angeli incommunicabilem naturæ alterius Angeli, quæ quidem existentia & subsistentia sunt termini substantiales, & ipsi naturæ Angeli intrinseci: Igitur individuatio numerica tantummodo petitur a materia & quantitate, quibus caret Angelus, adeoque omnis distinctio quæ inter Angelos reperitur est specifica: hoc ipsum exigit eorum natura: cum enim sint puri spiritus, Deum perfecte repræsentantes, sicut Deus distinguitur specifice a quolibet ente creato, ita & proportionali modo Angelos specifice inter se distingui convenit.

Proponuntur & solvuntur objectiones.

OBJICIES: De rebus Theologicis universalior Patrum sententia cæteris longe anteponenda est: sed communior Patrum sententia est, Angelos neque in natura, neque in specie inter se differre: sic propugnat ex Græcis Athanasius qui quæst. 8. ad Antiochum ait eandem esse Angelorum essentiam. Maximus Martyr Dionysii interpres in 5. cap. de cæl. hier. idem dicit. Basilius lib. 3. contra Eunomium pag. 79. ubi sic loquitur: " Natu- „ ra Angeli sunt omnes: & in dignita- „ te quidem est differentia; in natura ve- „ ro communio. „ Gregorius Nyss. sub finem libri sexti suffragatur. Nazianzenus in carmine de laudibus virginitatis loquens de Angelis,: " Cum ipso singuli „ iidem sunt, una natura, & una in- „ tellectio. „ Subscribunt Didymus in primo de Spiritu sancto inter opusc. Hieron. col. 8. Cyrillus Alex. lib. 2. comment. in Joan. pag. 117. Theorianus in legatione ad Armenos, & alii. Ex latinis vero Anselmus lib. 2. *cur Deus homo*. cap. 21. dicit: " Omnes Angelos unius „ esse naturæ. „ Pauci admodum & nonnisi Doctores Scholastici contrarium tenent. Igitur standum est Patrum sententiæ, qua Angelos solum numero inter se distingui asseritur.

Respondeo 1. distinguendo, standum est communi Patrum sententiæ in iis quæ vel explicite, vel implicite revelata sunt, aut

aut ab Ecclesia fuere definita, concedo; in iis quæ prorsus indefinita & incerta habentur, nego. Hujus secundi generis est quæstio præsens, unde ad trutinam scholæ proponi & discuti satius est, cum res fundatius juxta Theologiæ regulas examinentur: Namque Patres rerum rationes universales potius quam specificas indagare fategerunt, quocirca Angelico doctori, qui omne scibile strictius discutit, adherere juvat. Quod autem nihil certi habeatur ex traditione de distinctione Angelorum, utrum sit specifica, an numerica tantum? Asserit S. Augustinus lib. ad Oros. con. prisc. & orig. " Et esse „ itaque sedes, *ait*, dominationes, prin- „ cipatus, potestates in cælestibus appa- „ ratibus firmissime credo, & differre in- „ ter se aliquid, indubitata fide teneo. „ Sed quo me contemnas, quem magnum „ putas esse doctorem, quænam ista sint, „ & quid inter se differant, nescio. „

Respondet D. Thomas quæst. de Spirit. Creat. art. 8. ad 1. Patres loqui de Angelis non in esse naturali spectatis, verum potius ut ad beatitudinem ordinantur, in quo quidem ejusdem rationis esse constat, cum omnes in via considerati uno eodemque modo vel pervenire ad beatitudinem, vel ab ea per electionem deficere queant.

Respondeo 3. Iterum distinguendo, Angeli juxta multorum Patrum placita sunt ejusdem naturæ & speciei subalternæ, concedo: ejusdem speciei infimæ, nego. Species non una est: alia subalterna dicitur, alia vero infima. Subalterna ea censetur quæ est species respectu generis supremi, sicuti est gradus vegetativus relative ad gradum corporeum, namque corpus latius patet ente vegetativo, lapis quippe v. g. est corpus, nusquam vero vegetativa donatur anima, ut planta: ille vero gradus qui species nominatur comparative ad gradum corporeum est genus respectu gradus inferioris: & ut in eodem sistamus exemplo ens vegetativum est genus respectu animalitatis, quatenus animalitas & rationalitas in eo conveniunt quod & animal & homo habeant animam vegetativam: pari & non absimili ratione est in natura Angelica species subalterna, puta spiritualitas, intellectio, & in hoc generis gradu omnes spiritus adunantur & conveniunt, tametsi per illum Angelici gradum communem specie discrepent & ab animalibus, & a cæteris naturis corporeis: jam vero si adinvicem comparentur, dum in uno communi spiritualitatis gradu conjunguntur, specie differunt per formam quæ est in singulis diversa. Ergo, cum Patres prædicant esse ejusdem naturæ & speciei, loquuntur tantummodo de specie subalterna quæ in spiritualitate & intelligibilitate sita est: cujus assertionis argumentum est, quod dum dicunt Angelos ejusdem naturæ, addunt, ejusdem intellectionis: sic fatur Greg. Naz. supra laudatus: " Cum „ ipso, *inquit*, singuli idem sunt, una na- „ tura, & una intellectio. „ " Sensus „ igitur Patrum genuinus ille est, Angeli „ differunt specie a rebus corporeis quatenus puri spiritus & intelligentes sunt: sed non negant, distingui quoque inter se substantialiter, cum unus Angelus non sit alter: Igitur per formam, adeoque & specifice ad invicem distinguuntur.

Objicies 2. D. Thomas opusc. 16. ait intellectum absque contradictione posse multiplicari. Igitur non est inconveniens formam separatam per se subsistentem posse multiplicari numerice: adeoque & Angelicam. Probatur antecedens; " Sic er- „ go, *inquit*, intellectus, si naturaliter „ esset unus omnium, quia non haberet „ naturalem causam multiplicationis, „ posset tamen sortiri multiplicitatem ex „ supernaturali causa, nec esset implica- „ tio contradictionis. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo: intellectus humanus potest ex D. Thoma, de potentia Dei absoluta numerice multiplicari, concedo: Angelicus, nego. Eo loci S. Thomas non de quacumque forma separata per se subsistente loquitur, sed de humana tantum quæ ordinem dicit ad corpus, ratione cujus induit diversitatem & multiplicitatem numericam. Hujus responsionis non leve est argumentum, quod S. Doctor hac probet ratione resurrectionem corporum, quia omnes animæ perfectam habebunt diversam inter se numero naturam. Subdit enim S. Thomas: " Quod non tantum dicimus pro- „ pter propositum, sed magis ne hæc ar- „ gumentandi forma ad alia extendatur: „ sic enim possent concludere, quod Deus „ non potest facere quod mortui resur- „ gant, & quod cæci ad visum reparentur. „

Repones. Universitas Parisiensis hunc olim damnavit articulum, *quia intelligentiæ non habent materiam, Deus non potest facere plures ejusdem speciei*. Ergo &c.

Respondeo hanc censuram revocatam fuisse a Stephano Parisiensium Episcopo, ut refert Bergomensis in tabula aurea. Addo librum prædictam continentem censuram proscriptum fuisse & in catalogo librorum prohibitorum appositum.

Instabis. Differentia est gradus omnium nobilissimus: sed omnes Angeli adunantur in differentia, videlicet in intellectualitate: Igitur nonnisi numero inter se distinguuntur.

Respondeo distinguendo majorem; differentia specifica est id quod est in natura nobilissimum, concedo: differentia generica, subdistinguo, est id quod est nobilissimum comparative ad entia in ordine infima, concedo: comparative ad individua ejusdem generis, nego. Angeli duplici possunt considerari modo, nimirum relative ad creaturas corporales sibi inferiores, deinde vero relative ad invicem: a prioribus omnes in eodem secernuntur gradu intellectualitatis, qui est omnibus communis: ab invicem vero per formam quæ determinat gradum intellectualitatis genericum ad individuum. Solutio est D. Thomæ qui hic quæst. 50. art. 4. ad 1. sic respondet ad difficultatem propositam: " Omnes Angeli differunt specie, secun-„ dum diversos gradus naturæ intellecti-„ væ. „

Insistes. In tantum Angeli distinguuntur ad invicem, in quantum unus perspicaciorem præ alio intellectum habet, & simplicior atque universalior est ejus intellectio. Sed gradus intellectualitatis sic determinatus, specificam non causat diversitatem: & probatur: diversitas specifica non attenditur penes solum magis & minus. Ergo &c.

Respondeo negando minorem: Ad probationem distinguo: magis & minus ab eadem procedens forma specificam non inducit diversitatem, concedo: A diversis in gradu formis, nego. Quæ procedunt ab eadem forma non diversificant speciem: sic quod Petrus evadat Joanne doctior, non ideo specie distinguuntur: sed quæ procedunt a formis individuatis in gradu substantiali diversis, profecto differentiam plusquam numericam eatenus important, quatenus tota differentia se tenet ex parte ipsius formæ: Porro quæ forma differunt substantiali, discrepant inter se & specie: Ita D. Thomas ibidem ad 2. his verbis: " Magis & mi-„ nus secundum quod causantur ex inten-„ tione & remissione unius formæ, non „ diversificant speciem. Sed secundum „ quod causantur ex formis diversorum „ graduum, sic diversificant speciem: si-„ cut si dicamus, quod ignis est perfe-„ ctior aere. Et hoc modo Angeli diversi-„ ficantur secundum magis & minus. „

Replicabis: Tametsi intellectualitas in diversis hominibus determinationem diversam habeat, non tamen hæc diversitas numericam excedit: ergo idem prorsus dicendum est de Angelis.

Respondeo negando paritatem: Ratio discriminis, non una est: primo anima rationalis est in materia sicut in subjecto, & cum eo humanam constituit speciem, cum autem differentia numerica a materia sigillata & determinata per quantitatem repetatur, nonnisi numerice homines inter se distinguuntur; non sic sane Angeli, quia eorum diversitas ab eorum forma causatur, specificam esse constat & necesse est. Altera discrepantia ea censetur, quod anima nedum in materia subjectetur, sed & ab ea in suis dependeat operationibus; utitur quippe phantasmatibus; Angeli vero operationem ex omni parte spiritualem habent, adeoque & a forma: unde sicut unitas ita & diversitas specifica est.

Persistes. Individuatio non petitur a materia, quandoquidem Angeli tametsi inter se numero distinguerentur, essent tamen materiæ expertes: Igitur non est inconveniens Angelos distingui numerice sicut hominum animæ de facto distinguuntur.

Respondeo distinguendo, individuatio in formis separatis per se subsistentibus non petitur a materia, concedo: in formis incompletis, nego. Individuatio est totius compositi, unde cum anima rationalis nonnisi cum corpore faciat compositum, unitatem a materia, vel per ordinem ad materiam sortitur, adeoque tantum numericam: sed non sic in aliis formis; namque Angelus est forma in se completa, & per se subsistens, unde individuatio tota est a forma, quatenus irrecepti-

bilis

bilis est, & alteri incommunicabilis eo ipso quo est in se completa: Igitur & diversitas unius Angeli ab alio dicenda est specifica. Ergo ne Angelus actus purus, quia per se singularis? Absit, quia clauditur in se terminis existentiæ & subsistentiæ quibus constat, & ex quibus componitur veluti ex genere & differentia; neutrum enim sibi indentificat, neque enim suum existere & subsistere est, unde naturam angelicam absque negotio concipimus secundum se & universalem, seu communem generice omnibus Angelis, in quibus ad diversas in diversis determinatur species: nec ipse universi ordo exigit, ut intra eandem speciem forma Angeli numero multiplicetur: multiplicatio quippe numerica requiritur tantum ad conservationem speciei, quæ periret propter materiæ corruptibilitatem, unde in rebus corporeis datur quotidianus ortus & interitus: sed hoc in Angelis non habet locum, quippe qui incorruptibiles sint, unde in uno individuo optime quælibet servatur species: nec dicas ex hoc illud sequi inconveniens, plures Angelorum species fuisse rebellione depeditas: quid enim mirum, quidve injustum, cum infinitæ prope aliæ species in gloria in perpetuas fulgeant æternitates?

Audiendus est D. Thomas circa solutionem datam, quæst. unica de Spirit. Creat. art. 8. ad 4. ubi sic loquitur: "Sicut „ forma quæ est in subjecto, vel mate- „ ria, individuatur per hoc quod est esse „ in hoc, ita forma separata individuatur „ per hoc quod non est nata in aliquo es- „ se: sicut enim esse in hoc excludit com- „ munitatem universalis, quod prædicatur „ de multis, ita non posse esse in aliquo. „ Idem prorsus docet supra quæst. 3. art. 2. ad 3. his verbis: "Formæ quæ sunt „ receptibiles in materia individuantur per „ materiam.... Sed illa forma quæ non „ est receptibilis in materia, sed per se „ subsistens, ex ipso individuatur quod non „ potest recipi in alio.„

Persistes. Duæ animæ rationales separatæ, numero solum distinguuntur, sicut & duæ visiones beatificæ in sanctis: Igitur individuatio non petitur a materia, etiam in his quæ compositum cum materia faciunt.

Respondeo animas separatas connotare corpora, similiter & accidentia spiritualia quæ in eis immediate recipiuntur; namque ordinem ad compositum, quod est eorum connaturale & completum subjectum importat: illud autem compositum ex anima & corpore resultat, non mirum igitur si inter se numericam tantummodo subeant diversitatem.

Repones. Licet Angelus terminis existentiæ & subsistentiæ contrahatur, potest tamen ab eis spoliari, & assumi ad subsistentiam divinam, in qua hypothesi, multiplicaretur tantum numerice: sicut & in casu quo annihilaretur & postea reproduceretur, cum alia tum existentia, cum subsistentia: Igitur non est inconveniens naturam angelicam multiplicari tantum numerice.

Respondeo negando naturam angelicam multiplicari numerice in hypothesi assignata: & vero si ab aliqua persona divina assumeretur, esset ea & specifice & numerice; cum enim individuatio Angeli a propria desumatur forma, & non præcise a subsistentia quæ est tantum essentiæ terminus, profecto eadem prorsus maneret sicut existebat, seu propria subsistentia, & hoc propter tria: 1. Quia eadem esset in prædicta hypothesi forma subsistens: 2. Semper suam connotaret & existentiam, & subsistentiam. 3. Quia persona divina quæ uniretur hypostatice Angelo, suppleret ipsam Angeli subsistentiam.

Ad secundum exemplum, non multum absimilis est responsio: vel enim Deus reproducendo Angelum annihilatum, eum restitueret in pristinum statum ei propriam redendo formam; vel diversam ei tribueret: si primum, extra dubium est Angelum reproductum fore eadem specie & numero, sicut in resurrectione qua Deus reddet unicuique proprium corpus, idem numero homo resurget & erit: si vero diversam a prima formam Deus reproducendo Angelum elargiatur, in hoc casu Angelus esset ab annihilato specie diversus: unde vel minimum quidem istæ objectiones a conclusionis veritate non detrahunt.

Urgebis: Societas & locutio inter similes in specie solum admittenda est: enim vero experientia comprobatur quotidiana, hominem, hac deficiente similitudine, cum belluis non conversari: sed Angeli societatem habent ad invicem, & se mutuo

mutuo loquuntur: Igitur distingui inter se tantummodo numerice necesse est.

Respondeo distinguendo, societas solum inter similes in specie saltem subalterna admittenda est, concedo: inter similes tantum in specie atome, nego. Angeli in hoc omnes conveniunt quod naturam spiritualem habeant, & hoc sufficit ad societatem conversationis, amicitiæ & dilectionis, quia in gradu vitæ subalterno conjunguntur: eadem ratione societatem habemus cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto, licet ab eis plusquam specie discrepemus: sic enim habetur 1. Joan. 1. 3. *Societas nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus Jesu Christo*: Eo enim ipso quo sumus in spiritualitatis gradu, Deum & cognoscere & diligere possumus, adeoque & societatem cum illo habere, nusquam vero cum belluis, quia ab intelligibilitatis gradu longe factæ sunt.

Sexto colligitur ex D. Thoma qui loco citato de Spirit. Creat. ad 5. ait "Angeli quanto sunt altiores, tanto habent scientiam magis universalem, ut Dionysius dicit 12. cap. Angelicæ Hierarchiæ, ideo eorum dilectio maxime respicit commune bonum. Magis ergo diligunt se invicem, si specie differant, quod magis pertinet ad perfectionem universi, ut ostensum est, quam si in specie convenirent, quod pertineret ad bonum privatum unius speciei."

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Angeli inter se specie differunt.

PRIMO: Quia, differunt inter se penes solam formam: forma autem per se subsistens, & in se completa inducit diversitatem specificam.

Secundo: diversitas quæ petitur a substantia & essentia rei, nusquam vero ab accidentibus semper est specifica, hoc est, substantialis: talis est quæ intercedit inter Angelos, non enim distinguuntur saltem primario & principaliter nisi secundum substantiam: Igitur non numerice, & mere accidentaliter.

Tertio: diversitas numerica non nisi a materia desumitur: sed Angeli sunt materiæ expertes: Igitur plusquam numerice inter se distinguuntur.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: non semel quidem Patres Græci asserunt Angelos ejusdem esse naturæ: sed loquuntur de identitate generica: conveniunt quidem quod sint puri spiritus per quod a creaturis corporeis, etiam humanis specie discrepant: sed insuper etiam specie inter se differunt, quia forma in eis diversificatur.

Secundo. Nedum specie, sed & numero discrepant Angeli, faciunt enim numerum: sed unitas & diversitas numerica petitur a forma, quæ cum specificam ducat inter eos diversitatem, a fortiori & numericam, quatenus gradus inferior in superiori præcontinetur: sic quia homo est rationalis, est quoque & sensitivus, & vegetativus.

Tertio: Non mirum si animæ etiam separatæ numericæ tantum discrepant, quia dicunt ordinem ad materiam seu corpus, nec aliam habent, quam totius compositi unitatem & diversitatem, quæ cum ab anima simul & corpore desumatur, luce clarius apparet, animas etiam separatas tantummodo numerice distingui, Angelos vero specifice, quia diversitas quæ inter eos reperitur, totaliter petitur a forma; unde in casu quo idem Angelus successive assumeretur a diversis sanctissimæ Trinitatis personis, non multiplicaretur numerice tantum, sed & specifice secundum naturam suam, hoc est, quilibet Angelus assumptus specie distingueretur ab alio etiam assumpto, non tamen secundum personam quæ esset, est enim unicus Deus. Quod si Filius assumeret hypostatice unum Angelum, spiritus vero sanctus alterum, primus diceretur Filius Dei, alter, spiritus Dei. Eo prope modo quo Christus Filius Dei vocatur propter hypostaticam cum humanitate unionem.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Angeli per Hierarchias & ordines distinguantur.

HIERARCHIA secundum Dionysium cap. 3. de cæl. Hier. sic delineatur: "Est, *inquit*, Hierarchia, mea sententia, sacer Ordo, & scientia actioque, ad

„ ad divinam similitudinem, quoad licet, „ accedens; & pro commissarum ipsi divinitus illustrationum ratione ad Dei „ se imitationem efferens. „ Tum ibidem sic concludit: " Quocirca qui „ Hierarchiam dicit, sacram quandam „ universe ordinationem significat, ad divini illius decorem principatus expressam, & in Hierarchicis ordinibus, „ ac scientiis propriæ illustrationis Mysteria sacris ritibus administrantem, ac „ suo principio, quantum fat est, assimilatam. „

S. Thomas 1. pag. quæst. 108. art. 1. Hierarchiam ita definit: " Hierarchia „ est sacer principatus, ut dictum est, „ in nomine autem principatus duo intelliguntur, scilicet ipse princeps, & „ multitudo ordinata sub principe. „ Subdit Hierarchiam spectatam relative ad principem Deum, unicam esse, quandoquidem unus est Deus qui tanquam Rex Regum gubernat omnia; consideratam vero respectu multitudinis ordinatæ non unam esse declarat & asserit. Porro tria exigit Hierarchia; nimirum scientiam, potestatem, & actionem. Hæc enim expostulat recta gubernatio: scientiam quidem, quatenus sapientis est ordinare multitudinem, & ad bonum commune, & ad finem ultimum in quo quiescat: potestatem; alias foret in ipsa multitudine confusio, si quilibet absque missione & auctoritate alios regere tentaret; cujus conditionis defectu mulier, quæ etiam clerico aliquo esset doctior, Ecclesiam Dei regere neque debet, neque potest. Actionem denique, quia gubernatio est ordinatio in finem, adeoque & actus.

Jam vero ipsa Hierarchia importat ordinem, tum actionum, tum etiam functionum; namque ad finem non nisi certis adhibitis mediis pervenitur: quia vero media illa diversa sunt, etiam diversos in Hierarchia ordines admitti necesse est. Quæritur igitur, num Hierarchia cælestis relative ad multitudinem ordinatam considerata multiplex sit? Num & in Hierarchia multiplex ordo? Pro quorum resolutione sit

CONCLUSIO PRIMA.

Triplex est inter Angelos Hierarchia.

Probatur unico ratiocinio.

HIERARCHIA est multitudo ordinata ad similitudinem Dei pertingens, uno imperante & dirigente: Atqui illa triplex est inter Angelos. Et multipliciter probatur. 1. Ex S. Dionysio qui l. de cæl. hier. cap. 6. hoc ipsum ex professo docet. 2. Ex D. Thoma qui 1. p. q. 108. art. 1. idem asserit his verbis: " In Angelis tres hierarchiæ distinguuntur. „ Dictum est enim supra, dum de cognitione Angelorum ageretur, quod superiores Angeli habent universaliorem „ cognitionem veritatis, quam inferiores. „ Hujusmodi autem universalis acceptio „ cognitionis secundum tres gradus in „ Angelis distingui potest. Possunt enim „ rationes rerum, de quibus Angeli illuminantur, considerari tripliciter. Primo quidem secundum quod procedunt „ a primo principio universali quod est „ Deus. Et iste modus convenit primæ „ hierarchiæ, quæ immediate ad Deum „ extenditur, & quasi in vestibulis Dei „ collocatur, ut Dionysius dicit 7. cap. „ cæl. hier. Secundo vero modo prout „ hujusmodi rationes dependent ab universalibus causis creatis, quæ jam aliquo modo multiplicantur. Et hic modus „ convenit secundæ hierarchiæ. Tertio „ autem modum secundum quod hujusmodi „ rationes applicantur singulis rebus, prout dependent a propriis causis, & hic „ modus convenit infimæ hierarchiæ. „ Quod plenius patebit, cum de singulis „ ordinibus agetur. Sic igitur distinguuntur hierarchiæ ex parte multitudinis „ subjectæ. „ Igitur Angeli distinguuntur seu distribuuntur in tres hierarchias.

Ratio D. Thomæ hæc est. Inter Angelos quidam immediate illuminantur a Deo, & hi primam componunt hierarchiam: Quidam ab istis illuminantur, & vident rationes rerum universales quibus fit ad Deum accessus; & isti secundam implent. Cæteri a superioribus quoque illuminantur circa ea quæ Dei spectant famulatum & gloriam, & hoc per rationes cuilibet rei in particulari convenientes,

unde executioni præsunt. Isti posteriores ad tertiam pertinent hierarchiam.

Concinna hierarchiæ œconomia variis potest illustrari exemplis. Summo Pontifici v. g. immediate assistunt pro regimine Ecclesiæ Eminentissimi Cardinales, qui sunt veluti de corpore Papæ tanquam ejus Senatores & Consiliarii: Episcopi vero Diœcesibus amplissimis præsunt per modum causæ universalis: Parochi vero & Curati singulis Parœciis operam dant. Rursus. In Monarchia humana Ministri Regis vident regni dispositionem in voluntate Principis, cujus sunt a secretioribus consiliis: Præsides & Senatores cernunt eam in legibus & sanctionibus regni: Judices vero locorum & Ballivi in consuetudinibus & statutis locorum: Et hi omnes diversis Jurisprudentiæ mediis reipublicæ saluti & tranquillitati consulunt: Eodem prope modo sancti Angeli gloriæ Dei plurimum inserviunt, & creaturas spirituales ad Deum ut ad ultimum finem multiplici directione conducunt. Igitur recte assignantur inter singulos tres hierarchiæ.

CONCLUSIO SECUNDA.

Novem sunt Angelorum chori, seu ordines.

Probatur auctoritate, & ratione.

PRIMO, ex D. Gregorio Papa qui hunc ex Scriptura sacra colligit numerum: Magnus ille Pontifex hom. 34. sic loquitur: " Novem Angelorum ordines " diximus, quia videlicet esse, testante " sacro eloquio, scimus Angelos, Ar- " changelos, Virtutes, Potestates, Prin- " cipatus, Dominationes, Thronos, Che- " rubim atque Seraphim, esse, namque " Angelos & Archangelos, pæne omnes " sacri eloquii paginæ testantur. Cheru- " bim vero atque Seraphim, sæpe, ut " notum est, libri Prophetarum loquuntur. " Quatuor quoque ordinum nomina Pau- " lus cap. 1. 21. Apostolus ad Ephesios " enumerat dicens: supra omnem Prin- " cipatum & Potestatem, & Virtutem, " & Dominationem. Qui rursus ad Co- " lossenses scribens ait: sive Throni, sive " Dominationes, sive Principatus, sive " Potestates. Dominationes vero, & " Principatus, ac Potestates jam ad Ephe- " sios loquens descripserat: sed ea quo- " que Colossensibus dicturus, præmisit " Thronos, de quibus necdum quidquam " fuerat Ephesiis locutus. Dum ergo il- " lis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, " idest, Principatibus, Potestatibus, Vir- " tutibus, atque Dominationibus, conjun- " guntur Throni, quinque sunt ordines " qui specialiter exprimuntur. Quibus " dum Angeli & Archangeli, Cheru- " bim atque Seraphim adjuncta sunt, " procul-dubio novem esse Angelorum " ordines inveniuntur. "

Secundo, ex ratione in divo Bernardo & D. Thoma fundata.

TOT sunt in hierarchiis cælestibus ordines, quot sunt functiones & modi quibus ministri summi Regis eius suscipiunt ordines & significandos, & executioni mandandos: Atqui novem numerantur a sanctis Doctoribus: Et probatur. Inter Angelos alii enim immediate illuminantur a Deo, ut filii amantissimi in sinu Patris decumbentes, & sunt Seraphim qui ideo amore Dei summo flagrant: alii ut amici quibus secreta aperiuntur, & ii vocantur Cherubim, hoc est, scientia pleni: alii ut selecti Principes qui in familia Regis primatum tenent, & sequuntur Dominum, quinimmo veluti præeunt, quocumque ire ipsi placuerit. Et hi nomine Throni donantur, habent quippe Deum in corde, & illum cæteris annuntiando veluti portant, hoc est, tum exemplo, tum locutione deferunt & transmittunt in aliorum mentes. Et ut ait Greg. hom. 24. Per eos, *Deus sua judicia exercet*. Inter Angelos vero qui rationes regiminis gloriæ Dei universaliores habent: quidam eas suscipiunt ut fidelissimi ministri qui ab omni immunes passione, immobiles sunt in bono, unde & Dominationis nomine celebrantur. Nonnulli zelo zelati sunt pro Domino exercituum & Virtutes dicuntur. Alii voluntatibus Dei tum in mente, tum in corde repleti, Potestates vocantur. Angeli tertiæ hierarchiæ executioni invigilant: quidam ut duces & præsidendo, hi sunt Principatus, alii exemplum præbendo, hi Archangeli appellantur, alii infima exequendo, & isti postremi Angeli nomen retinent.

D. Ber-

D. *Bernardus* hæc omnia confirmat l. 5. de consid. cap. 4. Sic enim de Angelis primæ hierarchiæ loquitur: " Putemus „ Seraphim spiritu toto divino igne succensos succendere universa, ut singuli „ sint lucernæ ardentes & lucentes, ardentes charitate; lucentes cognitione. „ Putemus Cherubim ex ipso sapientiæ „ fonte, ore altissimi haurientes & refundentes fluenta scientiæ. Putemus „ Thronos qui ex eo sedent, quod sedet „ in his Deus. Quæris tu istam sessionem, „ summam tranquillitatem, placidissimam „ serenitatem, pacem quæ exuperat omnem sensum. „

Idem pergit, & Angelos secundæ hierarchiæ sic delineat: " Putemus Dominationes cunctis supereminere ordinibus, „ & ad istos tanquam ad Dominos referri regimina principatuum: tutamina potestatum, operationes virtutum. Putemus Virtutes quarum nutu vel opere signa & prodigia in elementis, vel ex „ elementis facta apparent ad commonitionem mortalium. Putemus potestates „ quarum virtute potestas tenebrarum comprimitur, & coercetur malignitas aeris „ hujus, ne quantum vult, noceat, ne „ malignari, nisi ut prosit, possit? „

Non tacet idem Pater tertiam hierarchiam; de ea ibidem ait: " Putemus Principatus quorum moderamine & sapientia omnis in terra principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, „ mutilatur, mutatur. Putemus Archangelos qui conscii mysteriorum divinorum „ nonnisi ob præcipuas & magnas causas „ mittuntur. Putemus Angelos qui singuli singulis hominibus dari creduntur. „

D. *Thomas* suum addit huic mirabili doctrinæ calculum, hic 1. p. q. 108. art. 2. his verbis: " Dicendum, quod sicut supra dictum est, una hierarchia est unus principatus, idest una multitudo „ ordinata uno modo sub Principis gubernatione. Non autem esset multitudo ordinata, sed confusa si in multitudine „ diversi ordines non essent. Ipsa ergo „ ratio hierarchiæ requirit ordinum diversitatem. Quæ quidem diversitas ordinum secundum diversa officia & actus „ consideratur, sicut patet quod in una civitate sunt diversi ordines secundum diversos actus, Nam alius est ordo dimicantium, & alius pugnantium, & alius „ laborantium in agris, & sic de aliis. „ Sed quamvis multi sint unius civitatis „ ordines, omnes tamen ad tres possunt „ reduci, secundum quod quælibet multitudo perfecta habet principium, medium & finem: unde & in civitatibus „ triplex ordo hominum invenitur. Quidam enim sunt supremi, ut optimates; „ quidam autem sunt infimi, ut vilis populus; quidam autem sunt medii ut populus honorabilis. Sic igitur & in qualibet hierarchia angelica ordines distinguuntur secundum diversos actus & officia, & omnis ista diversitas ad tria reducitur, scilicet ad summum, medium „ & infimum. „ Et propter hoc in qualibet hierarchia Dionysius ponit tres „ ordines. „

Rursus ibidem art. 5. de Angelis cujuslibet ordinis in speciali discurrit. Ad 5. sic loquitur de Angelis primæ hierarchiæ: " Nomen Seraphim non imponitur tantum a charitate, sed a charitatis excessu, quod importat nomen ardoris & „ incendii. Unde Dionys. 7. cap. cæl. „ hier. exponit nomen Seraphim secundum proprietates ignis, in quo est excessus caliditatis. . . . Similiter etiam „ nomen Cherubim imponitur a quodam „ excessu scientiæ. Unde interpretatur „ plenitudo scientiæ. „ Hoc est, Seraphim summo Dei flagrant amore: Cherubim omnem callent scientiam. De Thronis ibidem ad 6. hæc dicit: " Ordo Thronorum habet excellentiam præ inferioribus ordinibus in hoc quod immediate „ in Deo rationes divinorum operum cognoscere possunt. „ Subdit vero ideo vocari Thronos, quia sicut sedes regis a firmitate, & ex eo quod suscipiat Principem sedes dicitur, ita isti beati spiritus Throni vocantur; tum quia Deo Regi Regum & Domino dominantium immobiliter inhærent, tum quia " Isti Angeli, *inquit*, sunt per promptitudinem aperti „ ad suscipiendum Deum, & famulandum ipsi. „

Observat ibidem sanctus Doctor perfectiones unius hierarchiæ cæteris etiam convenire. Quia vero in hujusmodi perfectionibus quidam reperiuntur gradus, ideo perfectio una, ut amor v. g. Seraphinis tribuitur & de eis prædicatur, non quod inferiores Angeli Dei amore priventur

tur, sed quia hic amor non est in eis tam incensus: addit aliam hanc rationem D. Thomas, quia hanc per quandam a superioribus Angelis participationem habent. De Angelis secundæ hierarchiæ sic discurrit ad 2. " Dominatio laudatur in „ Deo singulariter per quendam excessum. „ Sed per participationem divina eloquia „ vocant Dominos principaliores ornatus, per quos inferiores ex donis ejus „ accipiunt. „ Et in hoc secundo sensu nomen Dominationis tribuitur primis Angelis secundæ hierarchiæ. Subjungit: " „ Nomen virtutum significat participationem divinæ virtutis, „ ad patranda miracula, & inest beatis spiritibus secundi ordinis secundæ hierarchiæ. Et ut cætera paucis complectar, verba D. Thomæ corporis articuli quinti hic texere „ juvat: " Cum in ipsis, *inquit*, perfectionibus sit quidam gradus, superior „ perfectio attribuitur superiori ordini per „ proprietatem, inferiori vero per participationem. E converso autem inferior „ attribuitur inferiori per proprietatem, „ superiori autem per excessum. Et ita „ superior ordo a superiori perfectione nominatur. Sic igitur Dionysius exponit „ ordinum nomina secundum convenientiam ad spirituales perfectiones eorum. „ Gregor. vero in expositione horum nominum magis attendere videtur exteriora mysteria. Dicit enim quod Angeli dicuntur qui minima nuntiant: „ Archangeli, qui summa: Virtutes, per „ quas miracula fiunt: Potestates, quibus „ adversæ potestates arcentur & repelluntur: Principatus, qui ipsis bonis spiritibus præsunt. „

Fit satis objectionibus adversus primam conclusionem militantibus.

Objicies 1. Hierarchia est sacer principatus: sed unicus est in cœlis: igitur & unica hierarchia. Confirmatur: in humanis unica est Ecclesiastica hierarchia, cum unus sit supremus Pastor: unica etiam civilis in Monarchia, eo quod unus sit Rex & Dominus. Igitur & in cœlis similiter unica est hierarchia.

Respondeo distinguendo, hierarchia est sacer principatus ex parte multitudinis ordinatæ, concedo: ex parte Principis imperantis & dominantis, subdistinguo: active sumpta, concedo: passive usurpata, nego. Hierarchia, teste D. Thoma, duplici modo considerari potest, videlicet relative ad Deum qui cuncta regit ineffabili providentia, deinde vero secundum se. Primo modo spectata est unus principatus, hoc est, unus supremus Dominus cui omnes serviunt creaturæ: Secundo modo est multiplex, quatenus non unus est sapientiam Dei participandi modus: Alii quippe immediate illuminantur a Deo, quidam a primis Angelis illuminantur per rationes universalissimas, nonnulli per particulares, & ideo convenienter ponuntur tres hierarchiæ pro Angelis, maxime vero quia specie inter se differunt; unica vero pro hominibus, cujus hanc reddit rationem divus Thom. hic 1. p. q. 108. art. 1. ad 3. quia homines solo secernuntur numero: aliqua tamen apparet in hierarchia tum Ecclesiastica, tum civili multiplicitas; namque summus Pontifex cum suo eminenti Cardinalium Senatu unam veluti constituit hierarchiam: Primates, Patriarchæ, Metropolitani, Episcopi, Coepiscopi, alteram: Pastores Parœciarum cum suis Sacerdotibus & Clericis tertiam; immo in quolibet illo corpore sunt quidam gradus: Inter Cardinales alii sunt Diaconi, alii Presbyteri, alii Episcopi: Inter Episcopos quidam Patriarchæ, quidam Primates, quidam Metropolitani, quidam vero simpliciter Episcopi: In Clero numerantur Curati, simplices Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, Lectores, Acolythi, Exorcistæ, Ostiarii, Tonsurati. Affulget quoque ista Graduum & Ordinum multitudo in hierarchia civili: Rex suos habet Consiliarios, Gubernatores Provinciarum, Ministros: Præsides in throno justitiæ sedentes, Assessores, Senatores: sicque Hierarchia Ecclesiastica, tum & civilis non una, sed quoddammodo etiam multiplex censetur. Ex his patet solutio ad confirmationem.

Instabis: Hierarchia attenditur penes ordinem, scientiam & actionem: sed omnes Angeli in his tribus conveniunt; in ordine quidem, omnes sunt puri spiritus: In scientia, omnes habent matutinam & vespertinam, hoc est, & Deum, & creaturas, & mysteria, & res omnes naturales cognoscunt: In actione omnes illu-

illuminant, omnes adimplent Dei voluntates. Igitur est unica pro eis hierarchia.

Respondeo distinguendo, hierarchia attenditur penes ordinem, scientiam, & actionem specificam, concedo: genericam, nego. Angeli in aliquibus conveniunt, in aliquibus etiam discrepant: omnes sunt puri spiritus, omnes vident Deum, omnes norunt mysteria, omnes illuminant homines: sed aliter & aliter, illuminantur a Deo. Quidam quidem immediate, nonnulli mediate, & hoc modo per rationes rerum universalissimas, modo per particulares cuilibet rei proprias, & isti diversi illuminationis modi ordines specie diversos per majorem vel minorem subordinationem inducunt, unde conveniens est multiplicem esse hierarchiam: hoc ipsum exigit ordinata Angelorum multitudo. Ita D. Thomas hic art. 1. ad 2. his verbis: " Dicendum, quod quantum ad ,, cognitionem ipsius Dei, quam omnes ,, uno modo, scilicet per essentiam vident, ,, non distinguuntur in Angelis hierar- ,, chiæ, sed quantum ad rationes rerum ,, creatarum. ,,

Urgebis: Non sunt multiplicanda entia absque necessitate: Atqui nulla videtur necessitas multiplicandi inter Angelos hierarchias, cum omnes & singuli easdem possint subire functiones propter quas diversa eorum sancti Patres multiplicant agmina: Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem, non est necessitas absoluta multiplicandi hierarchias, concedo, Deus quippe omnes in eodem perfectionum & functionum gradu creare poterat: Non est necessitas moralis, seu convenientia, nego. In hac enim Angelorum ordinatione, nedum universi pulchritudo, sed & sapientia & potestas Dei plurimum affulgent. De hoc momento audiendus est divus Bernardus qui lib. 5. de conf. cap 4. sic loquitur: " Cernere est in his qui Seraphim appel- ,, lantur, quomodo amet, qui unde amet ,, non habet, sed est & qui nihil horum ,, quæ fecerit, odit... quomodo foveat, ,, quomodo provehat, quomodo amplexe- ,, tur ... Cernere est in Cherubim, qui ple- ,, nitudo scientiæ dicuntur, Deum scientia- ,, rum Dominum esse, qui totus sit lux, & ,, tenebræ in eo non sint ullæ .. Cernere est ,, in Thronis, quam non suspectus omnis in- ,, nocentiæ judex sedeat in his, qui circum- ,, venire nolit, circumveniri non possit; ,, quippe qui sit amans & videns: nec ,, vacat sessio, tranquillitatis insigne est. ,, De vultu tali judicium meum prodeat ,, opto, cui insit amor, error absit, & ,, perturbatio. Cernere est in Domina- ,, tionibus, quantæ sit Dominus majesta- ,, tis, cujus nutu imperium constat, & ,, imperio universitas, atque æternitas ter- ,, mini sunt. Cernere est in Principati- ,, bus principium ex quo omnia, & quo- ,, modo a cardine ostium sic ab ipso Re- ,, gi universitatem. Cernere est in Pote- ,, statibus, quam potestative idem Princeps, ,, quos regit, protegit, contrarias potesta- ,, tes arcens & propulsans. Cernere est ,, in virtutibus unam ubique æqualiter ,, præsto esse virtutem vivificam, effica- ,, cem, invisibilem, immobilemque; ,, omnia tamen moventem utiliter, tenen- ,, tem fortiter ... Cernere postremo, & ,, mirari est in Angelis & Archangelis ve- ,, ritatem atque experientiam vocis illius, ,, quoniam ipsi cura est de nobis. ,,

Repones: Tametsi remanserint in dæmonibus naturalia, nulla tamen inter eos hierarchia est, sed potius sempiternus horror: Igitur a pari nec inter Angelos sanctos hierarchia admittenda est.

Respondeo distinguendo, nulla remanet in dæmonibus hierarchia ad bonum faciendum, concedo: ad malum, nego. Cum enim sint in natura inæquales, prælatio inter eos reperitur. Sic docet S. Thomas hic q. 109. art. 2. " Manifestum est ,, autem, *inquit*, ex præmissis, quod dæ- ,, monum quidam naturali ordine sub aliis ,, constituuntur. Unde & actiones eorum ,, sub actionibus superiorum sunt. Et hoc ,, est, quod rationem prælationis facit, ,, ut scilicet actio subditi subdatur actio- ,, ni prælati: Sic igitur ipsa naturalis ,, dispositio dæmonum requirit, quod sit ,, in eis prælatio. Convenit enim hoc ,, divinæ sapientiæ, quæ nihil in ,, universo inordinantum relinquit. ,, Subdit sanctus Thomas ad 3. " Cum mala ,, facere maxime ad miseriam pertineat, ,, præesse in malis, est esse magis mise- ,, rum. ,,

Diluuntur argumenta, quæ contra secundam conclusionem proponuntur.

OPPONES: Ibi non sunt diversi ordines, ubi

ubi iidem perfectionis gradus reperiuntur: Atqui res ita se habet in Angelis v. g. primæ hierarchiæ: Et probatur: Omnes amore Dei flagrant: omnes plenitudinem habent luminis: omnes Dei sedes sunt: omnes denique immediate illuminantur & perficiuntur a Deo: Ergo &c.

Respondeo 1. ad has & similes difficultates beatos spiritus pares esse in multis: hoc est, omnes Deum intuitive videre: omnes eundem & cognoscere & amare: Sed sicut stella a stella differt in claritate, alia est enim lux solis, alia lunæ, ita alius amor intensivus Seraphini, alius Cherubim, alius Throni: addo ut supra dictum est, quosdam magis de perfectionibus Dei, quosdam vero minus participare & sic omnia facile conciliantur.

Respondeo 2. negando minorem: Ad probationem distinguo; omnes Angeli primæ hierarchiæ immediate a Deo & illuminantur & perficiuntur, sed quidam plus vel de amore, vel de lumine præ cæteris habent, concedo: Et idem est perfectionis participatæ gradus, nego. Primi majorem habent amorem, & Seraphim nomine donantur: quidam majorem luminis plenitudinem, & nominis Cherubim celebrantur: quidam dona Dei vel promptius quam cæteri multi suscipiant, & Throni retinent nomen. Quia vero perfectiones inferiorum in superioribus per excessum præcontinentur, observandum est Angelos v. g. secundi ordinis primæ hierarchiæ non dici Cherubim respectu Seraphinorum: nec Thronos nominari Thronos relative ad Cherubinos, sed per respectum ad alios inferiores Angelos: nomen quippe excellentiæ non nisi relative ad inferiores alicui confertur: Idem proportionaliter dicendum de singulis aliis ordinibus ad invicem comparatis.

Jam audiendus est D. Thomas circa solutionem datam hic q. 108. art. 5. ad. 5. ubi sic loquitur: " Dicendum, ,, quod nomen Seraphim non imponitur ,, tantum a charitate, sed a charitatis ,, excessu quem importat nomen ardoris, ,, vel incendii. Unde Dionys. 7. c. cæl. ,, hier: exponit nomen Seraphim secun- ,, dum proprietates ignis, in quo est ex- ,, cessus caliditatis... Similiter etiam no- ,, men Cherubim imponitur a quodam ,, excessu scientiæ. Unde interpretatur ,, plenitudo scientiæ. ,, Rursus ad 6. " ,, Ordo Thronorum habet excellentiam ,, præ inferioribus ordinibus in hoc quod ,, immediate in Deo rationes divinorum ,, operum cognoscere possunt... Isti An- ,, geli sunt per promptitudinem aperti ad ,, suscipiendum Deum, & famulandum ,, ipsi. ,, Et ideo nomen habent Throni.

Instabis: Atqui idem perfectionis gradus in multis inveniuntur ordinibus: Igitur absque fundamento novem inter Angelos distinguuntur ordines. Probatur subsumptum. Voces Dominationis, Potestatis, Principatus, eandem designat auctoritatis prærogativam: Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem distinguo Antecedens: voces Dominationis, Potestatis, Principatus eandem generice designant auctoritatis prærogativam, concedo: Unde Dominationes, Potestates, Principatus in hoc potissimum conveniunt, quod auctoritatis excellentia donentur & multis aliis superiores sint: Eandem secundum gradum, nego. Tametsi duces, præsides, nuntii auctoritatem habeant, longe tamen excellentiori modo auctoritas inest Principi: majore quoque præ nuntiis præses insulatus potitur: simili prope modo ratiocinandum de auctoritate Angelorum, de quibus controversia movetur: Principatus quippe inest Dominationibus, ut Principibus qui imperant, Potestatibus vero ut judicibus a Deo institutis: Tertio loco aliis pro executione operum, quatenus præsunt operibus veluti duces, & imperata a superioribus adimplent, vel etiam ut adimpleantur satagunt.

D. Thomas ibidem art. 5. ad 3. hæc omnia his explicat verbis: " Dicendum, quod ,, nomen Dominationis & Potestatis & ,, Principatus diversimode ad gubernatio- ,, nem pertinet. Nam Domini est solum- ,, modo præcipere de agendis, & ideo ,, Greg. dicit quod quædam Angelorum ,, agmina pro eo quod cætera eis ad obe- ,, diendum subjecta sunt, Dominationes ,, vocantur. Nomen vero potestatis ordi- ,, nationem quandam designat: secundum ,, illud Apostol. ad Rom. 13. qui pote- ,, stati resistit, Dei ordinationi resistit. ,, Et ideo Dionys. dicit quod nomen po- ,, testatis significat quandam ordinationem ,, & circa susceptionem divinarum, & cir- ,, ca actiones divinas: quas superiores in ,, infe-

„ inferiores agunt, eas sursum ducendo. „ Ad ordinem ergo potestatum pertinet „ ordinare, quæ a subditis sint agenda. „ Principari vero, ut Greg. dicit, est in- „ ter reliquos priorem existere, quasi pri- „ mi sint in executione eorum quæ impe- „ rantur. Et ideo Dionys. dicit 9. c. cæl. „ hier. quod nomen principatuum signifi- „ cat ductivum cum ordine sacro. Illi „ enim qui alios ducunt primi inter eos „ existentes, principes proprie vocantur: „ secundum illud Psal. 67. prævenerunt „ principes conjuncti psallentibus. „

Urgebis: Quidam dicuntur Archangeli: Igitur illi saltem idem sunt cum principatibus; nam omnes præsunt operibus, nec in gradu, vel in minimo principatus videntur præeminere Archangelis.

Respondet D. Thomas ibidem art. 5. ad 4. " Dicendum, quod Archangeli se- „ cundum Dionys. medii sunt inter prin- „ cipatus & Angelos. Medium autem „ comparatum uni extremo, videtur al- „ terum, in quantum participat naturam „ utriusque, sicut tepidum respectu calidi „ est frigidum, respectu vero frigidi est „ calidum: sic Archangeli dicuntur quasi „ principes Angeli: quia respectu Ange- „ lorum sunt principes, respectu vero prin- „ cipatuum sunt Angeli, secundum au- „ tem Greg. dicuntur Archangeli ex eo „ quod principantur soli ordini Angelo- „ rum, quasi magna nuntiantes. Princi- „ patus autem dicuntur ex eo quod prin- „ cipantur omnibus cælestibus virtutibus „ divinas jussiones explentibus. „

Persistes: Omnes beati Spiritus vocantur Angeli: Igitur unus ordo pro omnibus sufficit.

Respondeo distinguendo, omnes vocantur Angeli, quia omnes magna nuntiant, concedo: In hoc quippe conveniunt quod sint, teste Apostolo, administratorii Spiritus propter eos qui hæreditatem capiunt salutis: vocantur Angeli quia eodem perfectionis gradu donantur, nego: Nam & Seraphim, & Cherubim alia propter excellentiam specialem obtinent nomina. Solutio est D. Thomæ qui ibidem sic solvit difficultatem: " Ad primum dicen- „ dum, quod Angelus nuntius dicitur. „ Omnes ergo cælestes spiritus, in quan- „ tum sunt manifestatores divinorum, „ Angeli vocantur. Sed superiores An- „ geli habent quandam excellentiam in hac „ manifestatione, a qua superiores ordines „ nominantur. Infimus autem Angelorum „ ordo nullam excellentiam supra commu- „ nem manifestationem addit. Et ideo a „ simplici manifestatione nominatur. Et „ sic nomen commune remanet infimo or- „ dini quasi proprium. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Angeli distinguuntur per tres Hierarchias & novem ordines.

PRIMO: Utrumque propugnat S. Dionysius lib. de cæl. hier. cap. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. propugnat D. Gregor. hom. 34. item D. Bernardus lib. 5. de consid. c. 4. D. Thomas hic 1. p. quæst. 108. art. 1. 2. & 5.

Secundo: Quod Angeli in tres distribuantur Hierarchias ratio D. Thomæ non modicum probat: quia, *inquit*, Hierarchia est multitudo ordinata per unum supremum Dominum: Porro inter Angelos quidam immediate illuminantur a Deo & perficiuntur: nonnulli tantummodo mediate: quidam tamen per rationes universalissimas, & veluti duces qui aliis præsint, & imperent: quidam vero per rationes singulis rebus proprias & convenientes, ut cuncta exequantur & faciant: Igitur convenienter tres & ponuntur, & distinguuntur Hierarchiæ.

Tertio: Non deest quoque ratio ut novem inter Angelos numerentur ordines, cum novem sint in eis perfectionum gradus: alii enim, amore conditoris flagrant; alii præpollent scientia; alii prompte suscipiunt & adimplent supremi Regis placita; alii ipsi ita famulantur, ut nullius umquam passionis vinculo, ligati fuerint; alii in potentias Domini introeunt; alii a Deo ordinantur ut supra cæteros potestatem habeant: Principatus vero, Archangeli & Angeli ministrant & exequuntur: Primi ut principes: secundi ut superiores, medii & subalternati, Angeli ut infimi.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: *Sicut unus est princeps, ita & unicus relative ad Regem Regum principatus,*

status, multiplex vero comparative ad multitudinem ordinatam, quatenus triplex in ea distinguitur ordinatio; quidam enim Angeli immediate a Deo illuminantur, quidam mediate per rationes universales, quidam etiam per particulares, unde triplicem esse hierarchiam convenit.

Secundo: Tametsi omnes sancti Spiritus bene sint dispositi, diversa tamen est in eis dispositio & ordinatio, adeoque & non una sicut inter homines Hierarchia, cum illi specie inter se differant: quinimmo Hierarchiæ rationes etiam in dæmonibus ad nocendum & malum faciendum permanserunt.

Tertio: Concedimus quidem omnes sanctos Angelos amore & cognitione Dei, cæterisque gratiæ donis illustratos esse, sed quia in iis omnibus perfectionibus, & etiam actionibus multiplex invenitur gradus, jure merito sancti Patres & Theologi Angelos in novem distribuunt ordines.

ARTICULUS QUINTUS.

De operatione Angelorum.

PELAGIANI qui pro homine lapso gratiæ excludunt auxilium, a fortiori pro Angelis sanctis qui nusquam peccavere illud ipsum explodunt: Qui vero negant Spiritus, omnem adimunt beatis Angelis & cognitionem & beatitudinem. Denique impii qui Deum ad inferiora non attendere autumant, ejus quoque Ministrorum pro nostra salute curam & sollicitudinem nedum ignorant, sed & blasphemant. Absque multo negotio eos debellamus agendo de operatione Angelorum.

Duplicis generis distinguuntur a Theologis cum sancto Thoma in Angelis operationes: quasdam habent relative ad se ipsos, quasdam vero ad extra, & comparative ad alias creaturas. De omnibus agendum incumbit: Primo quidem de eis quas habent ad intra & pro se, videlicet de sua beatitudine, tum & de cognitione creaturarum. Unde sit

SECTIO PRIMA.

Utrum sancti Angeli suam promeruerint beatitudinem?

QUÆSTIO movetur de beatitudine supernaturali quæ in visione Dei intuitiva sita est. Suppono 1. Nullam creaturam quantumvis perfectam viribus innatis & mere naturalibus finem ultimum supernaturalem assequi posse, quandoquidem finis ille omnes naturæ transcendit vires, alias non supernaturalis, sed naturalis diceretur: Suppono 2. Angelos omnes in gratia sanctificante fuisse creatos juxta illud S. Augustini lib. 12. de civ. cap. 9. *Creavit simul in eis condens naturam, & largiens gratiam*. Hoc ipsum propugnat D. Thomas ex professo hic qu. 62. art. 3. quia, inquit: " Gratia gratum faciens „ comparatur ad beatitudinem, sicut ra„ tio seminalis in natura ad effectum na„ turalem producendum. Unde 1. Joan. „ 3. gratia semen Dei nominatur. Sicut „ igitur secundum opinionem August. po„ nitur, quod statim in prima creatione „ corporalis creaturæ, inditæ sunt ei se„ minales rationes omnium naturalium ef„ fectuum, ita statim a principio sunt An„ geli creati in gratia. „ Ad finem ultimum assequendum. Suppono 3. cum Theologis varia distinguenda esse temporis instantia in quibus Angelos considerari necesse est: unum scilicet in quo creati sunt: Et creationis instans vocatur: alterum in quo vel bonum, vel malum nutu suo elegerunt, & probationis nomine donatur. Tertium in quo unusquisque in suum abiit locum, bonus in cœlum, malus in baratrum. Ac prædestinationis ac beatitudinis pro sanctis, reprobationis vero pro dæmonibus instans vocatur. Suppono denique cum D. Thoma hic art. 5. Angelos sanctos per primum amoris Dei actum suam assecutos fuisse beatitudinem; cum enim non discursu, sed actu intelligenti perfectissimo Angelus cognoscat bonum, ita quoque ei immobiliter inhæret; nulla quippe tunc aderant passionis impedimenta quæ vel minimum actus perfectionem remoraretur. Unde nec virtutis præmium diutius procrastinare ad ulteriorem amoris & fidelitatis probationem opus erat. Quia vero eadem est contrariorum lex, suppli-

cia

cio æterno Deus malorum Angelorum ingratitudinem absque mora mulctavit. Præsens igitur controversiæ caput est de secundo instanti, quod etiam status viæ appellatur; & quæritur utrum tunc temporis Angeli sancti suam promeruerint beatitudinem. Pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO.

Angeli sancti supernaturalem promeruerunt beatitudinem.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

APOSTOLUS 2. Tim. 2. 5. ait: *Non coronatur, nisi qui legitime certaverit.* Sed ista sententia intelligenda est universim de omni creatura etiam Angelica, quandoquidem etiam inter Angelos initum est prælium, ut legitur Apocal. 12. 7. *Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone.* Quid actum sit in illo percelebri voluntatum prælio, declarant Patres fuisse de amore Dei super omnia, cui Angeli sancti, obnitentibus malis, pari humilitatis & obedientiæ affectu servire voluerunt: Tantæ fidelitati cedebatur beatitudinis præmium quo perversi dæmones privati sunt: Igitur Angeli boni suam promeruerunt beatitudinem: Quod quidem non obscure indicat illud Apoc. 21. in quo dicitur quod mensura Angeli, sit mensura hominis, sanctus quippe Thomas hic q. 62. art. 4. sic interpretatur; sicut homines bonis actibus assequuntur gloriam, ita similiter & sancti Angeli assecuti sunt, unde in hoc prorsus sensu mensura Angeli, proportione servata, est mensura hominis.

Secundo, ex sanctis Patribus.

S. BASILIUS explicans illud Psalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt*, ait Angelos fideles in bono firmatos simul & præmio gloriæ statim fuisse donatos.

Beatus Augustinus pluribus in locis meritum sanctorum Angelorum celebrat. Lib. 12. de civ. cap. 9. num. 1. ait de illis: " Eoque sunt isti ab illorum socie-
" tate discreti, quod hi in eadem volun-
" tate bona manserunt, illi ab ea deficien-
" do mutati sunt, mala scilicet volunta-
te. " Et num. 2. " Unde sine bona vo-
" luntate, hoc est, Dei amore numquam
" sanctos Angelos fuisse credendum est.
" Isti autem qui cum boni creati essent,
" tamen mali sunt, mala propria volun-
" tate, quam bona natura non fecit, nisi
" cum a bono sponte defecit, ut mali causa
" sa non sit bonum, sed defectus a bono,
" aut minorem acceperunt amoris divini
" gratiam, quam illi qui in eadem persti-
" terunt; aut si utrique boni æqualiter
" creati sunt, istis mala voluntate caden-
" tibus, illi amplius adjuti, ad eam bea-
" titudinem, unde se nunquam casuros,
" certissimi fierent, pervenerunt. "

S. Doctor iterum atque iterum in libro de correptione & gratia meminit meriti sanctorum Angelorum. Cap. 10. num. 27. sic loquitur: " Angeli quidam, quo-
" rum princeps est, qui dicitur diabolus,
" per liberum arbitrium a Domino Deo
" refugæ facti sunt. Refugientes tamen
" ejus bonitatem, qua beati fuerunt, non
" potuerunt ejus effugere judicium, per
" quod miserrimi effecti sunt. Cæteri
" autem per ipsum liberum arbitrium in
" veritate steterunt, eamque de suo casu
" numquam futuro certissimam scire me-
" ruerunt. "

Rursus cap. 11. num. 32. loquens de Adamo prævaricatore, dicit: " Quia noluit
" permanere, profecto ejus culpa est, cu-
" jus meritum fuisset, si permanere vo-
" luisset: Sicut fecerunt Angeli sancti,
" qui cadentibus aliis per liberum arbi-
" trium, per idem liberum arbitrium ste-
" terunt ipsi, & hujus permansionis de-
" bitam mercedem recipere meruerunt,
" tantam scilicet beatitudinis plenitudi-
" nem, qua eis certissimum sit semper se
" in illa esse mansuros. "

Ex his istud sequitur argumentum: opus vitæ æternæ meritorium illud censetur, quod fit & virtute gratiæ, & cum electione: quod quidem fit a viatore in hac vita constituto: Atqui ex Augustino talis fuit actus SS. Angelorum, namque illum tribuit nedum caritati, & gratiæ actuali, qua scilicet fuerunt præ cæteris magis adjuti; fuit opus liberrimum; & vero, aliis a via justitiæ deficientibus, in ea permanere illi voluerunt: fuit etiam viatoris opus, tametsi enim in quadam beatitudine conditi fuissent Angeli, quatenus

per-

perfectam receperunt naturam omnibus donis, tum naturalibus, tum supernaturalibus illustratam, non tamen in perfecta beatitudine quæ in visione Dei sita est, quod casus dæmonum probat; quod D. Thomas hic q. 62. art. 1. ostendit. Ergo &c.

Angelicus Doctor ex professo docet conclusionem hic art. 4. " Dicendum est, „ *ait*, quod gratiam habuit Angelus antequam esset beatus, per quam, beatitudinem meruit. „

Tertio, ex ratione, eaque multiplici.

PRIMA: Meritum est actus bonus habens cum gloria propositionem, cuique annexa est beatitudinis promissio: Sed Angeli sancti talem produxerunt actum: & probatur, se converterunt ad Deum quem super omnia dilexerunt. Hoc ipsum dicit S. August. lib. 12. civ. cap. 9. hoc divus Thomas hic art. 2. hoc quoque sufficienter indigitat Scriptura quæ de prælio in cœlis facto ait, S. Michaelem & suos prævaluisse adversus rebelles: Hunc hac voce Ecclesia celebrat bonorum Angelorum triumphum, quem isto humilitatis & amoris actu, *quis ut Deus*, S. Michael cum suis reportavit. Igitur sancti Angeli actum amoris habuerunt, cui annexa erat vitæ æternæ promissio, juxta illud Apoc. 2. 17. *Vincenti dabo manna absconditum, & .... nomen novum.*

Secunda; Quod non est naturæ debitum, non nisi via meriti & justitiæ adultis confertur, hoc est, propter bona opera; Dominus quippe probat prius servi fidelitatem, antequam mercedem & præmium conferat, unde Sapientiæ 3. 7. dicitur, *tanquam aurum in fornace probavit illos*. Et iterum ibidem immediate antea habetur: *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se.* Atqui vita æterna non erat Angelis debita, cum sit supra naturam: Ergo &c.

Tertia: Ex Apostolo non est acceptatio personarum apud Deum: Atqui si beatitudo absque meritis collata fuisset Angelis sanctis, summa appareret, & hoc maxime in duobus. Primo quidem in hoc quod gloria non omnibus, sed quibusdam tantum collata fuisset, deinde vero in hoc quod major data sit Angelis primæ Hierarchiæ quam aliis, tametsi in hypothesi quod independenter a meritis exhiberetur, omnes forent in gratia æquales. Ergo &c.

Quarta: Christus licet Filius Dei, gloriam tamen sui corporis voluit promereri: Igitur a fortiori suam non nisi via meriti sancti Angeli habuerunt.

Quinta: dæmones in suum abiere locum propter demerita, non enim aliter gloria privati sunt: Igitur e contra sancti Angeli vitam æternam merito bonorum operum assecuti sunt: siquidem eadem est oppositorum & contrariorum lex.

Respondetur objectionibus.

OBJICIES 1. Qui creatus est in beatitudine, eam profecto non meruit: Sed ex S. Aug. lib. de correct. 9. cap. 10. num. 27. Angeli creati sunt beati: sic enim de malis Angelis loquitur: " A Domino Deo „ refugæ facti sunt, refugientes tamen „ ejus bonitatem, qua beati fuerunt. „ Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo, ex Augustino Angeli creati sunt in beatitudine, hoc est, perfecti creati sunt, concedo: hoc est, simpliciter beati, nego. Beatitudo duplex distinguitur, una inchoata, altera perfecta: prior sita est in perfectionibus naturalibus quæ virtute naturali etiam comparari possunt: Altera in possessione firma & inamissibili Dei: Naturalem habuit in prima sui productione Angelus, non enim discursu & successione temporum acquisivit, quinimmo, & gratia illustrata erat hæc prima creaturæ Angelicæ constitutio: At vero secundam non nisi per bonæ voluntatis actum habuerunt. S. Aug. de prima beatitudine tantummodo loquitur, nam eo loci, ait, Angelos quosdam divinam refugientes bonitatem cecidisse, & æternis fuisse addictos suppliciis: Porro si fuissent vere & perfecte beati, certe a bono nec defecissent, nec reprobi facti, damnati fuissent. Ita D. Thomas hic quæst. 62. art. 1. ubi ex professo probat Angelos in beatitudine perfecta, non fuisse conditos: sic enim ratiocinatur in argumento, sed contra: " De ratione beatitudinis „ est stabilitas, sive confirmatio in bono: sed Angeli non statim ut creati „ sunt, fuerunt confirmati in bono: quod „ casus quorumdam ostendit. Non ergo „ Ange-

„ Angeli in sua creatione fuerunt beati. „ Deinde vero in corpore articuli duplicem distinguit commemoratam beatitudinem: concedit quidem Angelum in prima sui productione habuisse primam, sed non secundam.

Instabis: S. Augustinus in locis supra laudatis, ait, bonos Angelos stetisse per liberum arbitrium, sed meritum est opus gratiæ: Igitur sancti Angeli vitam æternam non promeruerunt.

Respondeo distinguendo: boni Angeli steterunt per liberum arbitrium motum & adjutum a gratia, concedo: Non motum neque adjutum, nego. S. Doctor est sui ipsius interpres, quandoquidem 12. de civ. cap. 9. expresse dicit ideo bonos stetisse, quia præ cæteris multo magis adjuti sunt, immo eo loci ex professo probat malum non habere Deum, sed malam hominis voluntatem in se relictam, auctorem: Deum esse bonorum omnium causam, & ipsam creaturæ laudabilem voluntatem ab illo ut a primigenio fonte profluere n. 1. de bonis Angelis loquens dicit: " Si non potuerunt seipsos „ facere meliores, quam eos ille fecerat, „ quo nemo melius quidquam facit, pro- „ fecto & bonam voluntatem, qua me- „ liores essent, nisi operante adjutorio „ creatoris habere non possent. „

D. Thomas eodem prope modo facit satis objectioni hic art. 2. his verbis: " Di- „ cendum, quod Angelus in illam beati- „ tudinem voluntate converti non po- „ tuit, nisi per auxilium gratiæ. „ Et „ art. 4. ad 2. ait: " Dicendum, quod „ conversione naturali Angelus non me- „ ruit beatitudinem: sed conversione cha- „ ritatis, quæ est per gratiam. „

Dices D. Thomas hic art. 6. ait, gratiam & gloriam datam fuisse Angelis secundum quantitatem naturalium: Igitur neutram meruerunt Archangeli.

Respondeo 1. D. Thomam nullo modo intendere naturæ vires in se relictas quidquam aut in gratiam, aut in gloriam influere, cum ex professo hic art. 2. doceat motum liberi arbitrii Angelici in beatitudinem esse gratiæ fœtum: articulo vero quarto ex professo propugnat Angelos non aliter quam viribus gratiæ naturam adjuvantis promeruisse beatitudinem.

Respondeo 2. distinguendo consequens, Angeli non meruerunt primam gratiam, concedo: erat enim in eis sine eis: Non meruerunt secundam gratiam, seu gratiæ augmentum, nego. Theologi tenent in gratia habituali Angelos fuisse conditos: deinde actualem habuisse qua sese ad Deum per usum liberi arbitrii convertentes meruerunt gratiæ augmentum, simul & gloriam quæ certe unicuique collata est secundum amoris gradum: Porro D. Thomas loquitur de gratia in qua creati sunt Angeli, quando, ait, datam fuisse secundum quantitatem naturalium: cum enim Deus sit donorum suorum Dominus, tametsi naturæ creatæ nihil quidquam debeat, absque tamen hujusmodi naturæ meritis, majora quibusdam præ ceteris potest conferre charismatum dona: Igitur perfectioribus in natura Angelis majorem potuit conferre gratiam, consequenter & gloriam, quatenus qui majorem in creatione receperant gratiam, majorem quoque supernaturalem habuerunt Dei amorem; & hinc majorem assequuti sunt beatitudinem. Hoc unum propugnat & defendit divus Thomas.

Urgebis. Ad meritum requiritur libertas: Atqui videtur quod in Angelis non fuerit: & probatur: libertas in electione potissimum sita est, dicitur enim vis electiva: sed non fuit pro Angelis locus: non quidem in primo creationis instanti, gratia quippe fuit in eis absque eis: Non in tertio, tunc enim confirmati vel in bono, vel in malo fuere: Neque etiam in medio, quandoquidem Angeli sine discursu & inquisitione procedunt: Igitur in nullo.

Respondeo negando minorem; asserit enim S. Augustinus Angelos alios in bono stetisse, alios vero defuisse per liberum arbitrium.

Ad probationem dico in secundo creationis instanti fuisse electionis locum, pro Angelis, qui licet discursu formali ad operandum & eligendum non opus habeant, utuntur tamen virtuali, quatenus ex duobus objectis propositis, rationes ex utraque parte prodeuntes cito-citius capiunt, & eligunt: sicut doctor cito, apprehensis terminis & principiis, videt conclusionem, quam tamen non nisi discursu prævio, candidatus elicit. Quod autem discursus & inquisitio formalis ad libertatis essentiam non prærequiratur, patet in Deo qui absque inquisitionis ope unum præ alio faciendum liberrime elegit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sancti Angeli suam promeruerunt beatitudinem.

PRIMO: Hoc subindigitat Scriptura, dum ait 2. Tim. 2. 5. *Non coronatur, nisi qui legitime certaverit.*

Secundo: Idipsum propugnant S. Augustinus lib. 12. de civ. cap. 9. lib. de corr. & grat. cap. 10. nu. 27. D. Thomas hic 1. par. quæst. 62. art. 4.

Tertio: Ratio suffragatur. Namque gloria non est Angelis debita. Illam igitur promeruerunt boni Angeli maxime cum actus eorum in Creatorem conversionis, omnibus donaretur ad meritum prærequisitis conditionibus, erat enim liber, & a viatoribus in charitate & gratia sanctificante constitutis.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: cum S. Augustinus, ait, Angelos fuisse in beatitudine creatos, loquitur solum de perfectione naturæ, quæ data est Angelis omnibus absoluta numeris, nusquam vero de beatitudine, quæ est firma summi boni assecutio.

Secundo: Ne minimum quidem facessit negotium, dum idem Augustinus asserit Angelos sanctos stetisse per liberum arbitrium; enim vero luce clarius apparet, de libero arbitrio elevato sermonem instituere. Nec isti refragatur veritati S. Thomas, tametsi enim Deus majorem conferre gratiam Angelis *perfectioribus* in natura voluerit, non inde sequitur merita naturæ locum habuisse in beatitudinis collatione; naturam enim creator perficere potest quomodo vult, & illi complacuerit.

Tertio: Esto quod in Angelis non fuerit inquisitio formalis, & discursiva, ad fuit tamen virtualis & sufficiens ad electionem. Cæterum tametsi ex parte passionum nullam in bono supernaturali amplectendo Angeli viatores experirentur difficultatem, habebant tamen, inquit D. Thomas hic quæst. 62. art. 4. ad 1. ex parte excellentiæ objecti, quippe quod omnem naturæ ordinem excederet, hinc meriti materia eorum non deerat virtuti, quatenus bona invisibilia visibilibus anteponere opus erat.

SECTIO SECUNDA.

De cognitione Angelorum.

Num futura contingentia & Mysteria naturaliter cognoscant?

MULTA circa istud momentum occurrunt discutienda, quædam quidem communia, & breviter pertractanda: quædam specialia, & in particulari examinanda, videlicet de cognitione futurorum contingentium, & mysteriorum. Et ut a facilioribus incipiamus, observandum est.

Primo: Angelos omnia non cognoscere per suam substantiam; neque enim eorum essentia est causa rerum, ut essentia Dei: neque absque ope similitudinum rerum creata attingunt objecta, unde Dionysius cap. 4. cæl. Hier. ait, Angelos rationibus rerum illuminari. Sic docet D. Thomas, hic quæst. 55. art. 1. subdit vero art. 2. non accipere species a rebus corporalibus, cum ipsi sint incorporei, sed per species sibi ingenitas objecta cognoscere. Hoc ipsum dicit Dionysius ibidem cap. 7. asserendo beatos illos spiritus rerum non colligere cognitionem a rebus aut divisibilibus, aut sensibilibus. Nec mirum, cognoscunt quippe, inquit, D. Thomas hic quæst. 58. art. 1. 2. 3. 4. divisa indivisibiliter, materialia immaterialiter, composita simpliciter. Notat S. Doctor, art. 3. Angelos eminentiores ad objecta creata cognoscenda, paucioribus indigere speciebus, quippe qui universaliores præ cæteris Angelis inferioribus habeant: cum enim propius accedant ad Deum, magis quoque participent de ejus universalitate & simplicitate. Ita Dionysius cap. 12. cæl. Hier.

Secundo: Angelos multa scire, multaque cognoscere: seipsos quidem cognoscunt, inquit Div. Thomas hic 4. 56. art. 1. cum sint intelligibiles: Unus Angelus alterum cognoscit, quatenus rerum omnium naturalium ingenitas habet species, sic propugnat S. Doctor ibidem art. 2. quinimmo art. 3. addit Angelos quodammodo per vires naturales cognoscere Deum Creatorem, non quidem in seipso,

so, & immediate, sed quatenus in Angelo, ut in sua imagine refulget. Cæterum ejusdem existentiam Angeli naturaliter optime norunt, quippe qui ex effectibus causam esse optime inferant.

Tertio: Beatos spiritus cognoscere & materialia, & singularia & futura necessaria: materialia quidem quia sunt ipsis superiores, inquit D. Thomas hic quæst. 57. art. 1. singularia, scriptum est enim Psal. 90. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te.* Denique & futura necessaria eatenus cognoscunt naturaliter, quatenus sunt effectus necessario connexi cum suis causis quarum ingenitam habent notitiam: sic Eclipses sciunt antequam eveniant. D. Thomas hic quæst. 58. art. 6. & 7. duplicem distinguit in Angelis cognitionem, unam matutinam, vespertinam alteram: prima ea est qua cuncta, lumine gloriæ in Verbo divino vident, unde matutina, hoc est, prima vocatur, rationes quippe rerum in Deo tanquam in prima causa, & sunt & apparent: vespertina seu secunda illa censetur, qua rationes rerum in ipsis rebus existentibus attingunt, & ut paucis cuncta complectar: cognitio matutina est ea qua res cognoscuntur in Deo, vespertina vero ea qua cognoscuntur in seipsis.

Quarto: Angelos quantum ad scientiam purgari, illuminari & perfici: superiores quidem a Deo, inferiores vero a superioribus, & hanc propter subordinationem purgatio, illuminatio & perfectio, operationes Hierarchiæ appellantur. Purgatio est actio tollens impedimentum scientiæ: Illuminatio, ipsius lucis cælestis oblatio, qua actu res antea ignotæ patent & clarescunt; perfectio, est scientiæ acquisitio, quæque per modum habitus inhæret potentiæ, eamque perficit; quod illo actionis solaris potest illustrari exemplo. Primo quidem sol detergit & fugat noctis umbras, deinde universum illuminat; in ipso postea lumine vident mortales objecta quæ subjiciuntur oculis, ex qua visione sequitur cognitio rei, quæ intra potentiam remanet. Ergo superiores Angeli divino exculti lumine, inferioribus loquuntur Angelis, ab eorum intellectu extergunt nescientiæ tenebras, suum proprium suppeditant lucem, in eorum deinde lumine quod prius latebat, vident inferiores Angeli, & intuentur. Dan. 8. Zachariæ 2. de locutione angelica fit mentio.

Quinto: Angelos sibi invicem loqui. Hæc locutio fit directione conceptuum, accedente voluntatis consensu: unde duo potissimum importat, unum ex parte intellectus, qui suum de aliqua re dirigit conceptum ad alium Angelum; alterum ex parte voluntatis, qua unus Angelus vult ut hæc res sibi nota, illam alter cognoscat: Igitur non omnia quæ sunt in mente unius Angeli alter cognoscit, sed illa tantummodo quæ vult. Sic colligitur ex D. Thoma hic quæst. 107. art. 1. 2. 3. 4. & 5. sicque superior Angelus loquitur inferiori, similiter & inferior superiori. Observat S. Doctor art. 3. Angelos Deo non loqui, quandoquidem, cum omnia in se videat & intueatur nihil possunt illi aperire, si tamen loquela pro consultatione de agendis sumatur, eos quodammodo Deo loqui censentur, quatenus ejus de aliqua re facienda sciscitantur voluntatem. His prælibatis, quæritur num Angeli absque revelatione, sed virtute sibi innata cognoscant futura libera, seu secreta cordium, & quæstio fit etiam de gratiæ mysteriis: pro quorum resolutione sit

CONCLUSIO PRIMA.

Angelus absque revelatione non cognoscit secreta cordium, & futura contingentia.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

LEGITUR Jerem. 17. *Pravum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Succinit illud 2. Paral. 6. *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum*: Et istud 1. Cor. 2. 11. *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* Quibus sententiis Scripturæ sanctæ pronuntiant hominum corda soli Deo patere: Igitur Angelus absque revelatione, ea non cognoscit.

Secundo, ex Patribus & Ecclesiæ Doctoribus.

TERTULLIANUS Apol. 20. ait: " Idoneum, opinor, testimonium divinitatis, veritas divationis. "

S. Joannes Chrysostomus serm. 50. sic loquitur: " Cape divinitatis ejus insignia: audi eum pectoris tui penetrasse secretum: aspice eum ad cogitationum earum latebras pervenisse. "

Rursus hom. 23. in Joan. " Humanorum autem cordium cognitio solius Dei est, qui ea formavit.... non opus erat Jesus testibus, ad eas quas formarat mentes cognoscendas. "

D. Thomas idem ex professo docet hic quæst. 58. art. 3. hoc argumento, quod ex Patrum auctoritate depromit: " Id quod est proprium signum divinitatis, non convenit Angelis. Sed cognoscere futura est proprium signum divinitatis, secundum illud Isa. 22. annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quod dii estis vos. Ergo Angeli non cognoscunt futura. "

S. Doctor ibidem art. 4. rursus sic argumentatur: " Quod est proprium Dei non convenit Angelis: sed cognoscere cogitationes cordium est proprium Dei, secundum illud Jerem. 17. pravum est cor hominis & inscrutabile. Et quis cognoscet illud, ego Dominus scrutans &c. Ergo &c. Angeli non cognoscunt secreta cordium. "

Tertio, ex ulterioribus rationibus.

PRIMA est pro futuris contingentibus: quæ sunt incerta & indeterminata non possunt certo cognosci: Atqui futura contingentia sunt talia: neque enim sunt determinata in prima causa, cum nondum sit decretum emissum de eorum futuritione, neque in causis secundis, quæ quidem tandiu indeterminatæ ad producendum effectum manent, quandiu causa prima, qua moventur indeterminata manet: Sed neque etiam in seipsis, cum sint objecta mere indifferentia & contingentia: Igitur nullomodo.

Secunda proponitur pro secretis cordium. Quæ sunt occulta & impervia nullo modo possunt absque revelatione cognosci, sed secreta cordium sunt occulta, nullam quippe habent connexionem cum virtute naturali; eo enim ipso quo libera sunt, metam ordinis naturalis quodammodo transcendunt. Igitur, seclusa revelatione, Angelus nequit secreta cordium penetrare.

Rursus ut secreta cordium alicui pateant, debet ipsam hominis essentiam scrutari, quippe quæ sint actus voluntatis humanæ immanentes: sed solus Deus illabitur in mentem hominis, solusque pervadit, qui solus omnis essentiæ creatæ auctor & causa: Igitur Angelus, seclusa revelatione, secreta cordium cognoscere non valet.

CONCLUSIO SECUNDA.

Angeli virtute naturali mysteria gratiæ non cognoscunt.

Probatur ex D. Thoma.

Sanctus Doctor hic quæst. 57. art. 5. sic argumentatur: " Nullus discit illud quod cognoscit: sed Angeli etiam supremi quærunt de divinis mysteriis gratiæ, & ea discunt. Dicitur enim 7. cap. cæl. Hier. quod sacra Scriptura inducit quasdam cælestes essentias ad ipsum Jesum quæstionem facientes, & addiscentes scientiam divinæ ejus operationis pro nobis, & Jesum eas sine medio docentem, ut patet Isaiæ 63. ubi quærentibus Angelis, quis est iste qui venit de Edom? Respondit Jesus: ego qui loquor justitiam. Ergo Angeli non cognoscunt mysteria gratiæ. " Quibus verbis hanc reddit D. Thomas rationem cur Angeli per sua naturalia mysteria gratiæ cognoscere non queant, quia de eis interrogant Christum, quæ autem cognoscimus, ab alio non discimus.

Rursus: sicut nemo novit quæ sunt spiritus hominis nisi ipse homo, ita nemo novit quæ sunt spiritus Dei nisi ipse Deus: Igitur sicut seclusa revelatione, Angelus non cognoscit secreta cordium, eo quod humani sint cordis fœtus, ita pariter & non absimili ratione non cognoscit mysteria gratiæ, nisi ea Deus illi revelaverit. Hæc ratio traditur a D. Thoma ibidem, his verbis: " In Angelis est cognitio duplex, una quidem naturalis secun-

„ cundum quam cognoscunt res, tum per „ essentiam suam, tum etiam per species „ innatas. Et hac cognitione mysteria gra- „ tiæ Angeli cognoscere non possunt. Hæc „ enim mysteria ex pura Dei voluntate „ dependent. Si enim unus Angelus non „ potest cognoscere cogitationes alterius „ ex voluntate ejus dependentes, mul- „ to minus potest cognoscere quæ ex so- „ la Dei voluntate dependent. Et sic „ argumentatur Apostolus 1. Cor. 2. „ quæ sunt hominis nemo novit nisi spi- „ ritus hominis, qui in ipso est, ita & „ quæ sunt Dei, nemo novit nisi spiritus „ Dei. „

Rursus: si Angeli Dei cognoscerent mysteria, maxime per lumen beatificum: Atqui ne quidem visione qua Deus eos beatos facit cognoscunt mysteria gratiæ: & probatur: ea solum visione beatifica vident quæ vel sunt ipse Deus, vel necessariam habent cum illo connexionem, ut personas & attributa, illa quippe intra primarium visionis objectum præcontinentur: sed mysteria gratiæ, puta prædestinatio Sanctorum, alicujus peccatoris justificatio, neque sunt de objecto primario beatitudinis, neque necessariam habent cum Deo connexionem, sed ex mero Dei placito dependent: Igitur non nisi revelatione ab Angelis cognoscuntur, quocirca Angeli dicuntur purgari, illuminari, & perfici circa hujusmodi objecta, quatenus de his acquirunt & accipiunt a Deo scientiam. Ita colligitur ex D. Thoma ibidem: Est, *inquit*, & alia Angelo- „ rum cognitio, quæ eos beatos facit, „ qua vident Verbum, & res in Verbo. „ Et hac quidem visione cognoscunt my- „ steria gratiæ, non quidem omnia, nec „ æqualiter omnes, sed secundum quod „ Deus voluerit eis revelare, secundum „ illud Apost. 1. Cor. 2. Nobis autem re- „ velavit Deus per spiritum suum; Ita „ tamen quod superiores Angeli perspica- „ cius divinam sapientiam contemplantes, „ plura mysteria & altiora in ipsa Dei vi- „ sione cognoscunt, quæ inferioribus ma- „ nifestant, eos illuminando. Et horum „ etiam mysteriorum quædam a principio „ suæ creationis cognoverunt, quædam „ vero postmodum secundum quod eorum „ officiis congruit, edocentur. „

Fit satis objectionibus, contra primam conclusionem,

OBJICIES 1. Angeli cognoscunt res omnes naturales: sed futurum contingens est quid naturale: Igitur Angeli futura contingentia cognoscunt. Probatur major. Angeli rerum omnium naturalium species innatas habent quæ res nedum in genere, sed & in specie repræsentant. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Angeli cognoscunt res omnes naturales necessarias, concedo: liberas & contingentes, subdistinguo: si accedat revelatio. concedo: si non accedat, nego. Res aliæ sunt necessariæ, ut eclypses, tempestates, quæ ad motum siderum consequuntur: aliæ vero liberæ, ut illud futurum, Petrus disputabit, primi generis futura naturaliter cognoscunt beatissimi spiritus: secundi generis quoque, sed tantummodo in genere, hoc est, cognoscunt v. g. Petrum posse disputare: At num actu disputabit, pro facto, seclusa revelatione, non vident, quandoquidem illud futurum neque in se, neque in causis secundis determinatum est, unde tametsi Angelus comprehendat Petri voluntatem, non tamen cognoscit quid ipse Petrus facturus est, cum ipsa Petri voluntas nondum sit ad disputationem determinata: solus Deus hoc ipsum novit, quia solus scit quid in Petro facturus est: nisi igitur accedat revelatio qua Dei voluntas de disputatione futura aperiatur, Angelum semper quid Petrus faciet, latebit.

Ad probationem distinguo: Angeli rerum naturalium quæ sunt necessariæ, species habent innatas, concedo: Rerum contingentium, subdistinguo: generales, concedo: individuales, nego. Angeli totius universi receperunt species, puta terræ, siderum, &c. rerum vero contingentium non habent nisi universales, hoc est, species quæ eas possunt repræsentare quoties conditio apponetur, & per revelationem objectum Angelorum menti applicetur. Ex quo fit quod licet mensura Angeli, videlicet ævum sit omni superior tempori, attamen ab Angelis futura contingentia non cognoscuntur, quia etiam tempori futuro nondum coexistit futurum contingens: Nihil igitur de rebus con-

tingentibus Angelus videre potest in tempore futuro.

Utraque solutio est D. Thomæ hic q. 58. art. 6. ad 3. ubi respondet: " Licet „ species quæ sunt in intellectu Angeli, „ quantum est de se, æqualiter se habeant ad præsentia, præterita & futura: tamen præsentia, præterita & futura non æqualiter se habent ad rationes. „ Quia ea quæ præsentia sunt habent naturam per quam assimilantur speciebus „ quæ sunt in mente Angeli: Et sic per „ eas cognosci possunt. Sed quæ futura „ sunt, nondum habent naturam per quam „ illis assimilentur. Unde per eas cognosci non possunt. „ Ibidem ad 2. sic solvit argumenti probationem: " Licet intellectus Angeli sit supra tempus, quo „ mensurantur corporales motus: est tamen in intellectu Angeli tempus secundum successionem intelligibilium conceptionum: secundum quod dicit August. 8. super Genes. ad lit. quod Deus „ movet spiritualem creaturam per tempus. Et ita cum sit successio in intellectu Angeli, non omnia quæ aguntur „ per totum tempus, sunt ei præsentia. „

Instabis: Angeli sunt in æternitate: sed omnia patent in æternitate, etiam futura contingentia: Igitur ea cognoscunt Angeli.

Respondeo distinguendo minorem: omnia patent in æternitate si omnes adsint conditiones, concedo: si non adsint, nego. Mensura durationis non est sola ratio cognitionis rerum, sed & causæ primæ determinatio & voluntas, unde nisi accedat revelatio, etiam per visionem beatificam in Verbo futura contingentia non videntur. Et vero Petrus est in tempore præsenti cum Paulo: Ergo-ne cogitationes quæ latent in corde Pauli scit & videt, nisi aperiantur & manifestentur? Nullo modo. Ratio est quia licet Angeli essentiam divinam videant, non tamen futura contingentia, quippe quæ non habeant necessariam cum ea connexionem, nec ad objectum beatitudinis primarium spectent.

Urgebis: Ab actu ad posse valet consequentia: sed ipsi dæmones multa præsciunt futura contingentia, ut bellorum exitus, & similia, quæ vel oraculorum, vel etiam malorum hominum ore prænuntiaverunt. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: dæmones multa futura contingentia præsciunt, & prænuntiant conjecturaliter, concedo: certo & infallibiliter, subdistinguo, quia vel illuminantur ab Angelis bonis circa aliquos eventus, vel hujusmodi eventuum jam vident initia & sciunt quid & justitiæ divinæ ministri facturi sunt ad vindictam malorum, concedo: certo sciunt per virtutem naturalem & seclusa illuminatione, nego minorem & consequentiam. Non nisi conjecturaliter eventus contingentes norunt dæmones, ut observat S. Hieronymus in cap. 41. Isaiæ, unde inquit, ut plurimum mendacia jungunt veritati quam annuntiant: " Si aliquis, *inquit*, dixerit multa ab idolis esse prædicta, hoc sciendum, quod „ semper mendacium junxerint veritati, „ & sic sententias temperarent, ut seu „ boni, seu mali quid accidisset utrumque posset intelligi. „ Nonnunquam tamen quædam, Deo volente, ad vindictam malorum, certo sed per illuminationem sciunt & annuntiant, ut observat S. Aug. l. 4. de Trin. cap. 17. quandoque etiam eventuum conspicientes initia alias hominibus ignota prædicunt, inquit ibidem S. Aug. sed in hoc quid mirum?

Eadem responsione fit satis objectionibus quibus dicitur magos præstigiis dæmonum quandoque secreta cordium revelare: mere enim conjecturaliter penetrant hujusmodi decreta, quia inclinationem & temperamentum hominis perfecte cognoscunt; unde si Medici ex signis nonnunquam vel vitæ exitium, vel e contra ægroti sanitatem prænuntiant, a fortiori & subtiliori modo, inquit D. Thomas, hic art. 4. cogitationes hominis scire possunt dæmones, maxime vero cum humores & possint immutare, & ex immutatione effectus naturaliter consequentes valeant cognoscere.

Dices: Patres non semel asserunt Angelos suas vicissim cogitationes cognoscere. Ita propugnare videtur V. Beda l. 2. in Job cap. 7. Greg. l. 18. Moral. cap. 27. alias 31. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Angeli absque negotio suas vicissim cognoscunt secretas cogitationes, hoc est, faciliter id fit, nec corporis moles impedimentum affert, sicut in hominibus evenit, concedo: & hoc fit absque locutione, vel etiam seclusa

clusa revelatione, nego. Secreta cordis unius Angeli alteri potest duplici modo patere videlicet revelatione seu illuminatione qua Deus potest secreta cordis pandere: deinde locutione sicut homines inter se confabulando suam aperiunt mentem: istis seclusis modis, unus Angelus alterius secreta scutari nequit: Et vero tametsi omne physicum naturale contineatur naturaliter intra latitudinem objecti mentis angelicæ; non tamen morale naturale, non quidem defectu virtutis cuilibet Angelo innatæ, sed Deo sic ordinante & volente ut creatura libera sit, & cordis sui secreta nulli nisi ipsa volente pateat. Solutio est D. Thomæ hic art. 4. ad 1.

Repones: Ex hoc sequitur Angelum inferiorem illuminare superiorem, quatenus superior non cognoscit inferioris secreta donec illi ipse inferior aperiat. Absurdum consequens. Ergo & antecedens.

Respondeo negando sequelam, Angelus quippe inferior suam alteri loquendo & non illuminando aperit mentem: Nec mirum: plus requiritur ad illuminationem, quam ad locutionem: illa quippe fit modo quodam universali a Deo irradiante primum superiores Angelos, deinde inferiores per superiores, & vocatur revelatio. Locutio vero fit per simplicem mentis directionem. Sic respondet D. Thomas 22. q. 181. art. 4. ad 2. & q. 9. de verit. art. 5. ad 6.

Oppones contra secundam conclusionem. Dæmones Matth. 8. 29. clamabant ad Christum: *Venisti huc ante tempus torquere nos*. Igitur sciebant Christum. Ergo Angeli, seclusa revelatione, cognoscunt mysteria.

Respondeo distinguendo consequens: dæmones sciebant Christum conjecturaliter, concedo: hoc enim ex visis portentis & miraculis inferebant. Certo & infallibiliter, nego. Hoc ipsum colligitur ex D. Paulo qui 1. Cor. 2. de sapientia Dei in mysterio abscondita, ait: *Quam nemo Principum hujus sæculi*, scilicet dæmonum, *cognovit: Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*: hoc est, crucifigere non suasissent Judæis.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Angeli per vires innatas neque futura contingentia, neque cogitationes cordium, neque gratiæ mysteria cognoscunt.

PRIMO hæc omnia capita divinæ passim innuunt Scripturæ, Apostolus quippe 1. Cor. 2. ait neminem scire quæ sunt spiritus hominis, nisi ipse homo; neque similiter quæ sunt spiritus Dei nisi ipse Deus.

Secundo: Futura contingentia nec in seipsis, nec in causis secundis determinata sunt, sed in solo Deo qui solus scit quid sit ipse facturus: secreta vero cordium sunt quid immanens & latens in ipsa hominis voluntate. Idem a fortiori dicendum de mysteriis gratiæ: Igitur nisi accedat aut revelatio, aut locutio, Angelus hæc omnia cognoscere non valet.

Tertio: nequidem per visionem beatificam Angeli tria supradicta norunt. Ratio ea est, quia illa tantummodo in verbo vident, quæ sunt de essentia beatitudinis, & necessariam habent cum Deo connexionem: Porro neque futura contingentia, neque secreta cordium, neque omnia gratiæ mysteria talem habent cum Deo connexionem, unde requiritur aut locutio, aut illuminatio, seu revelatio, ut Angeli prædicta sciant & cognoscant.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametsi Angeli cognoscant res omnes naturales physicas, non tamen morales & contingentes. Morales quippe latent in voluntate creata, contingentes in divina.

Secundo: Verum quidem est species Angelis innatas repræsentare etiam singularia physica, non tamen moralia nisi accedat aut locutio, aut illuminatio: Ergone accipiunt scientiam a rebus creatis liberis & contingentibus? Minime. In suis enim innatis speciebus eas cognoscunt, sed ut per eas repræsententur, requiritur ut objecta eis applicentur, tunc enim ex ordinatione specierum facta ab Angelo, objecta per species illas innatas exprimuntur, & angelicæ subjiciuntur menti,

quæ eas tunc & apprehendit, & cognoscit. Igitur applicatio objecti ad species in Angelis requiritur, cujus defectu futura contingentia, secreta cordium & quædam gratiæ mysteria quæ fiunt ad extra nequidem in æternitate a beatis mentibus cognoscerentur: ea enim sola in Verbo vident mysteria quæ sunt ipse Deus, cætera utpote libera prorsus eos latent.

Tertio: Dæmones non nisi conjecturaliter prædicta aut noscunt aut noverunt: Si quando vero Patres asserant Angelos suos mutuo cognoscere cogitationes, unum solummodo intendunt, eorum cognitionem corporis mole nusquam aut retardari, aut præpediri. Sic propugnat D. Thomas hic art. 4. ad 1. his verbis: " Cogitatio unius hominis non cognoscitur ab alio, propter duplex impedimentum, scilicet propter grossitiem corporis, & propter voluntatem claudentem sua secreta. Primum autem obstaculum tolletur in resurrectione, nec est in Angelis: Sed secundum impedimentum manebit post resurrectionem, & est modo in Angelis. "

SECTIO TERTIA.

De operatione Angelorum ad extra.

PLURA operantur ad extra Angeli, cum teste Apostolo Heb. 1. Deus eos fecerit ad laudem & consolationem justorum, ad vindictam vero malorum suarum voluntatum ministros. Quia vero pro officiis ad extra adimplendis non semel apparuerint hominibus, quomodo hoc factum sit discutiendum & explicandum est, ut in hoc potissimum exteriores elucescant operationes. Unde sit

PUNCTUM PRIMUM.

Num Angeli quandoque vera assumpserint corpora.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod Scriptura sacra commemorat non semel factum; sic propugnari liquido potest maxime cum Scriptura sacra sit in sensu obvio juxta Augustinum intelligenda, cuum nullum inde sequitur inconveniens: Atqui res sic se habet, pro Angelis corpora assumentibus: Ergo &c. Probatur minor ex veteri Testamento: Genes. 18. legitur tres Angelos apparuisse Abrahæ, sanctum Patriarcham eorum lavasse pedes, immo & cœnam eisdem obtulisse: Deinde vero scribitur quosdam Angelos forma decoros Loth e Sodomis eripuisse: S. Raphaelem duxisse Tobiam apud Gabelum a quo recepit pecuniam Tobiæ debitam, Tob. 8. 9. 10. 11. 12. Quid memorem præcellentes Angelorum apparitiones in novo Testamento factas? Luc. 1. Gabriel Archangelus uti Patris æterni orator missus est ad Mariam Virginem ut illam Christi Matrem mox futuram esse prænuntiaret: Matthæus cap. 4. scribit dæmonem ipsum Christum usque ad pinnaculum Templi transtulisse: *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.* Non unus est etiam sermo apud sacros Evangelistas de Angelorum apparitionibus factis sanctis mulieribus quibus resurrectionem Christi annuntiabant, ut habetur Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. & Joan. 20. sed lavare pedes innuit corpus verum & sensibile; sed fungi oratoris officio apud mirabilem Virginem explicari sine corpore vix potest, similiter & de cæteris actitatis in aliis apparitionibus: Igitur nullum est inconveniens Angelos quandoque assumpsisse corpora.

Secunda: Quod unanimiter docent Patres, habetur ut doctrina Ecclesiæ, cui refragari nefas est: sed Patres unanimi veluti consensu asserunt Angelos assumpsisse corpora: Et probatur: Hoc ipsum scribit S. Athanasius serm. 4. contra Arianos; Augustinus l. 2. de civit. Dei cap. 6. Gregorius Magnus homil. 24. in Evangelia, & alii bene multi. Ergo &c.

Tertia: Non dedecet Angelos assumere corpora, cum in eis apparuerint. Ergo &c. Hæc ratio est D. Thomæ hic q. 51. art. 2. in argumento *Sed contra*, ubi sic habet: " Augustinus dicit l. 15. de civit. Dei, cap. 23. quod Angeli in assumptis corporibus Abrahæ apparuerunt. " In corpore art. sic concludit: " Cum igitur Angeli neque corpora sint, neque habeant corpora naturaliter sibi unita, ut ex dictis patet, relinquitur " quod

,, quod interdum corpora assumant . ,,

Quarta : Apparitio Angelorum non potest explicari de visione imaginaria : Igitur vere assumebant corpora . Probatur antecedens . In hujusmodi visione 1. nihil ad extra apparet, & solus qui hac gratia donatur, videt objectum, sed in visione Angeli Raphaelis qui Tobiam duxit in via, erat aliquid ad extra, siquidem sedebat in mensa cum Tobia : item nedum ab eo, sed a Gabelo, sed a Raguele videbatur ; ut habetur Tob. 7. & 9. Ergo &c. Hanc ulteriorem rationem assert pro conclusione, ibidem sanctus Thomas his verbis : " Dicendum, quod quidam dixe-
,, runt Angelos nunquam corpora assume-
,, re : sed omnia quæ in Scripturis divi-
,, nis leguntur de apparitionibus Angelo-
,, rum, contigisse in visione Prophetiæ ;
,, hoc est, secundum imaginationem, sed
,, hoc repugnat intentioni Scripturæ, il-
,, lud enim quod imaginaria visione vide-
,, tur est in sola imaginatione videntis .
,, Unde non videtur indifferenter ab om-
,, nibus . Scriptura autem divina sic intro-
,, ducit interdum Angelos apparentes, ut
,, communiter ab omnibus viderentur . Si-
,, cut Angeli apparentes Abrahæ visi sunt
,, ab eo, & tota familia ejus, & a Lo-
,, th, & civibus Sodomorum . Similiter
,, Angelus qui apparuit Tobiæ, ab omni-
,, bus videbatur, &c.

Solvuntur objectiones .

OBJICIES : Apparitiones Angelorum quæ in Scriptura referuntur, recte explicari possunt per visiones imaginarias . Ergo &c. Probatur antecedens . Primo quidem ex visionibus Ezechielis Prophetæ, sancti Joannis Evangelistæ, & sancti Joseph quæ factæ sunt in spiritu, per ordinationem phantasmatum . Secundo, ex eo quod Angelus non indigeat corpore, ut suas ejiciat operationes : Tertio demum, nunc non apparent in corporibus assumptis Angeli : Igitur nec præterito apparuere tempore .

Respondeo distinguendo, apparitiones aliquæ possunt explicari absque veritate corporis assumpti, quales fuerunt visiones Ezechielis Prophetæ, & sancti Joannis, concedo : omnes quales fuerunt illæ quæ & Abrahæ, & Tobiæ factæ enarrantur, nego propter rationes supra allatas : & sic patet solutio ad primam confirmationem .

Ad secundam, Angeli non indigent corporibus pro se, concedo : pro hominum utilitate, videlicet ut ad captum eorum ipsis Dei manifestent voluntates, nego .

Ad tertiam : Nunc non apparent Angeli ; quia opus non est, concedo : Et non possunt apparere si hoc ipsum Ecclesiæ utilitas exigeret, nego ; Non absimili ratione Patres dicunt priorum sæculorum cessasse miracula, sed iteratis vicibus fieri posse, si expostularet eadem Ecclesiæ utilitas, contendunt .

Instabis : Quod adversatur Patribus, uti quid verum propugnari non debet : Atqui Angelos vera assumere corpora negant Patres : Et probatur ; Epiphanius hær. 28. sic loquitur ; " Quomodo potest dæmon . . . . immundus & incorporeus corporea assumere ? quasi dicat hoc fieri non posse . Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa, asserit omnes Angelorum apparitiones esse imaginarias . Hieronymus in cap. 3. Habacuc dicit dæmones præsidere quidem æternis simulacris, sed intus esse non posse . Similia videtur proferre S. Bernardus serm. 75. in Cantica ; ita pariter Guillelmus Parisiensis parte secunda cap. 37. ita quoque & Albertus Magnus, &c. Ergo &c.

Respondeo negando minorem . Ad verba Epiphanii distinguo, & eo loci vult solum ille Pater dæmonem per corpus assumptum non posse generare filios, concedo ; Non posse assumere corpus ad quosdam actus locales operandos, ut loqui, nego . Ibi S. Epiphanius non agit de nuda assumptione corporum facta per Angelos, sed de ea quæ talis fit, ut per eam procreent homines ; ibi enim perstringit Gnosticos qui unum ex dæmonibus ex semine suscepto ab Elia Propheta liberos generasse effutiebant, sed hoc hæreseos monstrum impugnat, ea potissimum ductus ratione, quod impossibile sit spiritum purum generare .

Ad S. Damascenum utique distinguo ; Angelorum apparitiones sunt penes imaginationem, hoc est, cito transeunt, concedo ; sola imaginatio apprehendit Angelos, nego . In recentiori editione operum S. Damasceni legitur ; " Secundum ,, apparentiam, vel sicut apparet . ,, Unde

„ de vult solum dæmones apparere in corporibus.

Ad S. Hieronymum similiter distinguo, negat sanctus ille Doctor dæmones posse intus habitare in simulacris ut formas informantes, concedo: ut motores, qui utantur corpore veluti instrumento ad aliqua manifestanda, vel operanda, nego. Eatenus igitur Angeli sunt in corporibus, quatenus illa movent: Quod hæc sit mens Hieronymi, patet ex eo quod illud Prophetæ Abac. 2. 19. explicet: *Et omnis spiritus non est in visceribus ejus*. In idolis enim non est forma informans, sed dæmon movens.

Ad sanctum Bernardum dico, eum non dubitasse Angelos hominibus apparuisse in corporibus, cum hoc ipsum ibi asserat, sed an corpora sint illis naturaliter unita aut solummodo assumpta?

Denique Guillelmus excusandus videtur: namque ejus temporibus conclusio non erat ita clara & elucidata sicut nunc est. Quod spectat ad Albertum Magnum, totus est pro nobis ut constat ex prima parte ipsius summæ Theologiæ tract. 18. qu. 5. memb. 1.

Replicabis: In jure canonico cap. *Episcopi* q. 5. definitur, mulieres quæ dicebant se transferri in longinquas regiones super bestias ope dæmonum, seque gestare onera gravia, fuisse ex imaginatione deceptas. Concinit S. Augustinus lib. 18. de civ. cap. 18. ubi docet hæc & similia esse solum imaginaria, & sic utraque auctoritate exsufflatur assumptio corporum ab Angelis: Confirmatur num. 22. dicitur quidem Angelum movisse linguam asinæ Balaam, ut loqueretur, sed nullibi leges in Scriptura Angelos assumpsisse corpora; quinimmo omnes apparitiones fieri potuerunt ex sola motione corporum, quæ quidem Angelus ut simplex motor per aerem concussum exagitare potest absque corporis assumptione. Rursus confirmatur. Idem juris caput suam extendit censuram ad omnes alias visiones, his verbis: *Omnibus itaque publice annunciandum est, quod qui talia, & his similia credit, fidem perdit*. Ergo &c.

Respondeo utramque auctoritatem intelligendam esse de aliquibus visionibus, non de omnibus. Jam vero apparitiones quæ supra numerantur erant imaginariæ; illæ enim mulierculæ effutiebant se equitare cum Diana; hæc autem Dea nunquam extitit.

Ad auctoritatem Scripturæ dico Angelos non esse in corporibus, nisi ut membrorum motores ad suum peragendum officium, quam quidem possessionem tametsi Scriptura non explicet, nomine tamen assumptionis eatenus recte donatur, quatenus Angelorum apparitionis juxta gressum, loquelam & similia commemorat.

Ad ultimam probationem distinguo, qui credit creaturas in alias transformari ope dæmonum, fidem perdit, concedo: qui credit dæmones in corporibus assumptis apparere, nego antecedens & consequentiam. Solus Deus unam creaturam in aliam immutare potest, quocirca cæteræ transformationes ut fictitiæ habendæ sunt.

Insurges: Non est proportio inter corpus & Angelum, quippe qui sit superioris ordinis: Igitur Angeli non possunt assumere corpora. Confirmatur: Corpus ab Angelo assumptum est aereum: Igitur nec solidum, nec verum corpus.

Respondeo distinguendo: Non est proportio per modum formæ informantis, qualis est materiam inter & formam, concedo: Per modum motoris ad mobile, nego antecedens &c.

Ad confirmationem sic respondet S. Thomas hic q. 51. art. 2. ad 3. his verbis: " Licet aer in sua raritate manens non retineat figuram, neque colorem: quando tunc condensatur, & figurari & colorari potest, sicut patet in nubibus, & sic Angeli assumunt corpora, & ex aere condensando ipsum virtute divina, quantum necesse est ad corporis assumendi formationem. „

Si quæras quomodo secernendæ sint veræ apparitiones a metaphoricis? Respondeo apparitiones metaphoricas distingui in Scriptura ab aliis, quod fiant in spiritu: De aliis eas existimat esse veras S. Thomas, quum persona apparens omnium subjicitur oculis; puta quum puer in hostia consecrata apparens, ab omnibus conspicitur. Sic tradit 3. p. sin minus est tantum imaginaria. Gravior est difficultas distinguendi num bonus aut malus appareat Angelus, cum, teste Apostolo 2. Corinthios 10. ipse Satanas transfiguret se in Angelum lucis: Si tunc apparitio sit horrenda, & ad aliquid vel elatum

vel

vel turpe impellat; argumentum est, ait S. Franciscus Salesius, apparitionem esse emissionem ab Angelo malo; e contra vero si sit boni consilii & virtutis semen, seu impressio.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Angeli vera quandoque assumpserunt corpora.

PRIMO: Hoc ipsum passim sacra dicit Scriptura, ut Gen. 18. Tob. 8. Luc. 1. ubi variæ commemorantur Angelorum apparitiones.

Secundo: Id docent SS. Patres: imprimis sanctus Aug. l. 15. de civit. cap. 23. Greg. Magnus homil. in Evang.

Tertio: Angeli, utpote creaturis corporalibus superiores, dominantur eis; hinc & illas sibi ad utilitatem Ecclesiæ, & gloriam Dei possunt suæ operationi subjicere: Igitur & assumere corpora.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Esto quod quædam apparitiones fuerint imaginariæ, ut Ezechielis & Joannis Prophetæ, non tamen universim omnes. Cæterum quæ prioris fuere generis declarat Scriptura, & visiouis & non apparitionis nomine celebrantur. Sic Ezechiel. 1. habetur: *Aperti sunt cœli, & vidi visiones Dei*. Rursus Apoc. 1. Joannes ait: *Fui in spiritu in Dominica die, & audivi post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis, &c.*

Secundo: Ultro fatemur Patres quandoque asserere angelos malos non posse assumere corpora, sed intelligas velim, ad generandam prolem, quia nequeunt habere in corporibus assumptis actiones vitales, qualis est generatio; alias essent formæ informantes corpora, quod implicat, quippe qui sint entia completa; unde in hypothesi, corpus assumptum foret ens seucompositum per accidens.

Tertio: Tametsi non sit proportio entitativa inter ens mere corporeum, & pure spiritale, bene tamen habitudinis, quatenus inferiora subjiciuntur superioribus, & ab eis perfici queunt.

PUNCTUM SECUNDUM.

Utrum Angelus sit substantialiter præsens in corpore assumpto, & in eo vitales habeat operationes?

CONCLUSIO PRIMA.

Angelus est secundum substantiam suam præsens in corpore assumpto.

PROBATUR unico, sed efficaci ratiocinio. Angelus non potest concipi præsens corpori assumpto nisi vel per unionem hypostaticam, vel ut forma informans, aut mere assistens, vel tandem locum corporis interius occupando, ut ipsum corpus moveat: Sed tribus modis prioribus non est in corpore assumpto: Superest igitur ut in eo sit præsens secundum suam substantiam, quæ ibi inhabitet ad quosdam motus juxta ordinationem Dei operandos. Probatur minor quoad omnes partes. Primo quidem non est ibi præsens per unionem hypostaticam, quippe quæ superet omnem naturæ conatum; Angelus enim subsistentiam alterius creaturæ supplere nequit, cum sit finitus, & inter propriæ essentiæ suæ terminos conclusus & coarctatus. Neque ut forma informans; docent enim Philosophi duplicem formam non posse esse simul in eodem subjecto, alias foret compositum per accidens; maxime vero cum Angelus sit forma per se subsistens & completa: Neque etiam per meram assistentiam, ut quum Angelus Prophetam Habacuc transtulit ad locum Babylonis ubi Daniel erat in lacu leonum conclusus, Angelus enim in assumpto corpore operationes nedum exteriores quæ fieri possunt per assistentiam Angeli ut de obsessione dicitur, sed & interiores facit: Superest igitur ut sit præsens per realem in corpore positionem, ut quum Angeli apparuerunt Abrahæ &c. nec aliud ista corporum assumptio dicit.

Sic docet S. Thomas hic quæst. 51. art. 2. ad 2. his verbis: "Dicendum, quod „ corpus assumptum unitur Angelo, non „ quidem ut formæ, neque solum ut motori repræsentato per corpus mobile „ assumptum. Sicut enim a sacra Scriptu„ ra proprietates rerum intelligibilium sub „ similitudinibus rerum sensibilium de„ scri-

„ scribuntur, ita corpora sensibilia, divina „ virtute sic formantur ab Angelis, ut congruant ad repræsentandum Angeli intelligibiles proprietates. Et hoc est Angelum assumere corpus. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Angeli non habent in corporibus assumptis operationes vitales.

Probatur rationibus divi Thomæ.

PRIMA: Corpora assumpta ab Angelis, ut plurimum non vivunt, ut experientia non semel probavit de corporibus in patibulo suspensis, quæ dæmones quandoque ad illudendum hominibus assumpserunt. Igitur Angelus non habet in corpore assumpto operationes vitales: sin minus quodlibet corpus assumptum etiam mortuum viveret & quidem vita angelica: quod enim sequitur ut proprietas agentis, commune est omnibus quæ ab illo moventur: absurdum consequens: Ergo &c. Ista ratio est D. Thomæ qui hic q. 51. ex professo docet conclusionem art. 3. ubi sic argumentatur: " Corpora assumpta ab „ Angelis, non vivunt, ut supra dictum „ est. Ergo nec opera vitæ per eos exerceri possunt. „

Secunda: Actio vitalis promanat a potentia vitalis formæ: Sed Angelus non est forma vitalis hominis, alias esset utique & de essentia hominis, quod sane nullus dixerit: Igitur non nisi operationes communes & genericas quæ per motum localem fiunt, in corpore assumpto habere potest. Sic loquitur sanctus Doctor ibidem art. 3. " Dicendum, quod quædam cor„pora viventium habent aliquid commu„ne cum aliis operibus: ut locutio, „ quæ est opus viventis, convenit cum „ aliis sonis inanimatorum, in quantum „ est sonus: Et progressio cum aliis moti„bus, in quantum est motus. Quantum er„go ad id quod est commune utriusque „ operibus, possunt opera vitæ fieri ab „ Angelis per corpora assumpta: non au„tem quantum ad id quod est proprium „ viventium... Quia cujus est potentia, „ ejus est actio. Unde hic potest habere „ opus vitæ, quod non habeat vitam, „ quæ est potentiale principium talis actio„nis. „

Tertia: Angeli non assumunt corpora nisi ut operationes naturæ humanæ communes faciant, ut v. g. loqui ad manifestandum aliquid nomine Dei vel ut moveant aliquem localiter: Sed hujusmodi operationes non sunt vitales. Ergo &c. Sic loquitur ibidem sanctus Thomas art. 2. ad 1. " Dicendum, quod Angeli non indi„gent corpore assumpto propter seipsos, „ sed propter nos, ut familiariter cum „ hominibus conversando, demonstrent „ intelligibilem societatem, quam ho„mines expectant cum eis habendam in „ futura vita. Hoc autem quod Angeli „ corpora assumpserunt in veteri Testa„mento, fuit quoddam singulare judicium, „ quod Verbum Dei assumpturum esset cor„pus humanum. Omnes enim apparitio„nes veteris Testamenti, ad illam appa„ritionem ordinatæ fuerunt, qua Filius „ Dei apparuit in carne. „

Fit satis objectionibus contra secundam conclusionem.

OBJICIES: Non admittenda est deceptio, maxime in Angelis bonis: Atqui admitteretur si non habuissent operationes vitales, cum apparuerunt, & Abraham, & Loth, & Tobiæ, quando quidem comestio & similia præ se tulerunt in sensu obvio operationem vitalem; maxime vero cum S. Augustinus epist. 49. asserat Angelorum comestionem veram fuisse: Ergo &c.

Ad primum respondet divus Thomas hic quæst. 51. art. 3. his verbis: " Di„cendum, quod sicut non est contra ve„ritatem, quod in Scriptura intelligibilia „ sub figuris sensibilibus describuntur; quia „ hoc non dicitur ad astruendum quod „ intelligibilia sint sensibilia, sed quod „ per figuras sensibilium proprietates in„telligibilium secundum similitudinem „ quamdam dantur intelligi; ita non „ repugnat veritati sanctorum Angelorum, „ quod per corpora ab eis assumpta vi„deantur homines viventes, licet non „ sint. Non enim assumuntur nisi, ut per „ proprietates hominis, & opera hominis „ spirituales proprietates Angelorum, & „ eorum spiritualia opera designentur. „ quod non ita congrue fieret, si veros „ homines assumerent; quia proprietates „ eorum ducerent in ipsos homines, non „ in Angelos. „

San-

Sanctus Doctor ibidem præoccupat alias objectiones. Ad tertium ait Angelum in corpore assumpto non moveri localiter per se, sed per accidens, & ratione corporis transeuntis, ab uno loco ad alium. Idem docet 3. p. de corpore Christi in Eucharistia contento: quod per accidens ratione specierum quæ ad diversa loca deferuntur, utique moventur.

Ad secundum, expresse ait Angelum in corpore assumpto non sentire, eo quod hujusmodi operatio sit a principio conjuncto vitæ sensitivæ, quæ solum competit corpori anima informato. " Nullo mo-„ do est dicendum, quod Angeli per or-„ gana assumptorum corporum sentiant: „ nec tamen superflue sunt formata. Non „ enim ad hoc sunt, ut formata, ut per „ ea sentiatur, sed ad hoc, ut per hu-„ jusmodi organa, virtutes spirituales „ Angelorum designentur: sicut per ocu-„ lum designatur virtus cognoscitiva An-„ geli, & per alia membra, aliæ ejus „ virtutes. „ Concinit Dionysius lib. de cælesti Hier. cap. 15. his verbis: " O-„ culis eorum designatur perspicacissima „ eorum cognitio, naribus facultates di-„ scernendi inter oblationes Deo gratas, „ vel ingratas &c. „

Ipse Christus Luc. 24. totam solvit difficultatem, quum Discipulos sic alloquitur; *Palpate & videte; quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Quibus verbis duo habemus; scilicet Angelos esse incorporeos; deinde vero non habere carnem & organa sibi intrinseca, quibus vera fit comestio.

Ad auctoritatem D. Augustini respondemus S. Doctorem eo loci solummodo loqui de comestione facta a Christo post resurrectionem, quam quidem comparat cum Angelica in aliquo; in eo scilicet quod neutra fit necessitatis.

Instabis: Comestio tam repugnat beatorum corporibus quam Angelis; Atqui tamen Christus glorificatus vere manducavit cum discipulis, ut non semel referunt Evangelistæ, ubi de ejus, post resurrectionem apparitionibus, mentionem faciunt. Igitur & a pari Angeli in corporibus assumptis & comedere, & operationes vitales habere possunt.

Respondeo negando majorem, & paritatem. Ratio discriminis est, quod Christus tametsi glorificatus, haberet tunc corpus vitale, Angelus vero nonnisi assumptum habere possit: solutio est divi Thomæ hic qu. 51. art. 3. ad 5. his verbis: " Di-„ cendum, quod nec etiam comedere pro-„ prie loquendo, Angelis convenit, quia „ comestio importat sumptionem cibi con-„ vertibilis in substantiam comedentis. „ Et quamvis in corpus Christi post re-„ surrectionem non converteretur, sed re-„ solveretur in præjacentem materiam: „ tamen Christus habebat corpus talis na-„ turæ, in quod posset cibus converti: „ unde fuit vera comestio. Sed cibus as-„ sumptus ab Angelis neque convertebat-„ tur in corpus assumptum, neque corpus „ illud talis erat naturæ, in quod posset „ alimentum converti. Unde non fuit ve-„ ra comestio, sed figurativa spiritualis „ comestionis. Et hoc est quod Angelus „ dixit Tobiæ 12. cum essem vobiscum vi-„ debar quidem manducare & bibere; sed „ ego potu invisibi & cibo utor. Abraham „ autem obtulit eis cibos existimans eos „ homines esse, in quibus tamen Deum „ venerabatur, sicut solet Deus esse in „ Prophetis, ut Augustinus dicit lib. 16. „ de civit. Dei. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Angeli sunt corporibus substantialiter præsentes, in eis tamen operationes vitales exercere nequeunt.

PRIMUM patet, cum Angeli non sint in corporibus assumptis per unionem hypostaticam, quippe quæ vires naturæ transcendat: nec ut formæ informantes, cum sint entia completa, quæ intra proprios essentiæ limites sic coarctantur, ut sint alteri enti incommunicabiles, sed nec per meram assistentiam adsunt, quandoquidem actiones nedum extrinsecas, sed & intrinsecas ibi habent, ut loqui, movere linguam, diversis idiomatibus cogitata prodere. Superest igitur, ut Angelus sit præsens in corpore assumpto per suam substantiam.

Secundum æque constat, quia 1. Angeli mali quandoque assumunt corpora mortua seu cadavera. 2. Actio vitalis procedit a potentia vitali quæ non est in Angelo respectu corporis assumpti, alias Angelus esset de ejus essentia, quod implicat & esse, immo & dicere. 3. Spiritus Angelici

lici non assumunt corpora, nisi ut in eis quasdam operationes communes habeant: Sed vitales sunt homini essentiales. Ergo &c.

Synopsis objectionum adversus secundam conclusionem militantes.

PRIMO: Non est deceptio in apparitionibus Angelorum, quia non assumunt corpora ut ibi vitales habeant operationes, sed ut per actiones denotentur effectus spirituales, ad quod operationes locales sufficiunt.

Secundo: Verum quidem est Christum etiam beatum post resurrectionem vere comedisse, sed potentiæ vitales in corpore relictæ poterant sua iterum exercere munia: At in Angelo non est potentia vitalis ad manducandum; alias vel ipse corporeus evaderet, cum actio corporea, qualis est comestio ab intrinseco promanaret, actiones quippe sunt suppositorum.

Tertio: Nec ullum facessit negotium, quum S. Augustinus comparat comestionem Christi glorificati cum comestione Angelorum, comparatio quippe non est adæquata, ita ut utraque fuerit vera, sed solum quod neutra foret necessitatis.

ARTICULUS SEXTUS.

Num Angeli sint in loco, & quomodo?

SUPPONO mensuram tum esse, tum operationis Angeli esse ævum, non enim est tempus, aut æternitas: Non quidem tempus, cum sit mensura rei successivæ & corruptibilis: Neque etiam æternitas, quippe quæ sit mensura rei intransmutabilis, & secundum esse, & secundum operari. Superest igitur illam mensuram esse ævum, quod est mensura rei immutabilis quidem quoad esse, mutabilis vero quoad operationem: porro diversa operatur Angelus: modo enim invigilat saluti nostræ, modo etiam, ordinante Deo, peccatores punit; ut ille qui totum Sennacherib exercitum in blasphemiæ vindictam delevit.

Angelos esse in loco, nemo non novit, cum Scriptura sacra non semel testetur bonos in cœlis esse; quandoque etiam ad nos venire. Tota igitur difficultas est de modo occupandi locum, pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO.

Angelus est in loco per operationem.

Probatur multiplici ratione.

PRIMA hæc est: Angelus est in loco per contactum, & ratione quantitatis suæ virtualis: sed hæc non est quantitas dimensiva, qualis est corporis quantitas; superest igitur ut sit ejus operatio, qua quidem tangit locum.

Altera: per illud Angelus est in loco, per quod sit ei præsens, & ex quo ejus colligitur præsentia: Sed sit præsens per operationem: & ex ea colligimus esse in aliquo loco; quod non uno illustratur exemplo: Ut primum Angelus annuntiavit Manue Nativitatem Samsonis, cito evanuit. Quum dæmon nihil amplius operatur in Energumeno, certo concluditur hominem esse a possessione liberum. Ergo &c.

Tertia: Eodem modo raciocinari debemus de præsentia Angeli in loco, ac de præsentia animæ rationalis in corpore: Atqui quum anima nihil amplius ibi operatur, tum mors subsequitur, juxta illud Psal. 103. 29. *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.* Ergo &c.

Istæ rationes colliguntur ex S. Thoma, qui hic q. 52. art. 1. ait, alio modo Angelum esse in loco quam corpus; illud esse per contactum quantitatis dimensivæ: " Quæ quidem, *inquit*, in Angelis non " est; sed est in eis quantitas virtualis. " Per applicationem igitur virtutis Angelicæ ad aliquem locum, qualitercunque, " dicitur Angelus esse in loco corporeo. " Ut per operationem: ita ut non commensuretur loco, aut ab eo contineatur, ait sanctus Doctor; sed ut illum continens aliquo modo: Subdit enim: " Et secundum hoc patet, quod non oportet dicere, quod Angelus commensuretur loco, " vel quod habeat situm in continuo; hoc " enim convenit corpori locato, prout est " quantum quantitate dimensiva. Similiter etiam non oportet propter hoc quod " contineatur a loco. Nam substantia incorporea sua virtute contingens rem corpoream, continet ipsam, & non continetur ab ea. "

Di-

Diluuntur objecta.

OBJICIES: Prius est Angelum esse in loco quam in eo operari: Igitur non est in loco per operationem. Probatur Antecedens multipliciter. Primoquidem, prius est Angelum esse, quam operari: Secundo, ut agens operetur, debet prius applicari ad passum: Tertio, Angeli in Scripturis dicuntur accedere ad corpora, ut circa ea operentur: sic Matth. 4. devicto tentatore a Christo legitur: *Angeli accesserunt, & ministrabant ei*. Quarto, Angelus prompte transit, ideo dicitur in diversa loca operari: Igitur prius transit per loca, quam in eis operetur. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad primam probationem, nego consequentiam & paritatem. Ratio disparitatis est, quod Angelum esse, non sit suæ operationis effectus, cum a Deo habuerit esse, bene vero esse in loco.

Ad secundam probationem distinguo: agens corporeum prius debet applicari passo quam operari in eo, concedo: agens mere spirituale sicut est Angelus, nego. In eodem quippe instanti, & operatur, & applicatur loco; ratio disparitatis est divi Thomæ mox laudati; qui contendit Angelum non commensurari loco, sicut corpus.

Ad auctoritates distinguo: & hoc unum, tum Scriptura, tum Patres intendunt, scilicet Angelum per suum esse habere quod sit in actu primo versus loca, concedo: In actu secundo, nego: Quocirca dum dicuntur accedere ad aliquem locum, & alterum relinquere, hoc tantummodo designat operationum Angeli successionem: Cæterum Angelus transit in instanti per loca, quocirca non dicitur esse, nisi ubi operatur.

Instabis: Angeli sunt in quibusdam locis ubi non operantur: Ergo &c. Probatur Antecedens multis momentis: Primo quidem sunt in empyreo, ubi non operantur, hoc quippe fieri non posset, nisi per motum localem, empyreum autem non movetur localiter. Secundo, dæmones sunt alligati igni inferni, ubi certe non operantur, sed patiuntur. Tertio, S. Raphael, ut legitur Tobiæ 8. Asmodæum dæmonem alligavit in deserto Ægypti, ne ultra cuiquam noceret. Quarto, pueri e vita absque baptismo migrantes, sunt in Lymbis, ubi certe, eorum animæ quæ sunt spiritus nihil operantur: Denique Angeli custodes ubique comitantur homines, ut eorum invigilent saluti: Sed incredibile est illos semper circa clientes operari. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad primam probationem dico Angelos aliqua operari in empyreo, effundere aliquam subtilem lucem ex gloria interna redundantem, sic in corporibus glorificatis, egredietur fulgor illustrans locum.

Ad secundam, tertiam, & quartam probationem distinguo, & dæmones sicut pueri Lymborum sunt in loco violento, concedo: Unde non mirum si ibi solummodo patiantur. In loco connaturali, de quo solum movetur controversia, nego. Potest tamen dici eatenus ibi operari, quatenus cogitationum conflictu crucientur: Et hoc vocatur vermis inextinguibilis corrodens & pungens, capiunt enim se maxima sua culpa excidisse a gloria.

Ad ultimam respondeo nullum esse inconveniens Angelum, semper operari juxta clientem, cum ad eum venit; sed non est semper præsens, nisi adsit necessitas, ut propugnat D. Thomas. Non injucundum erit hic texere quæ operatur bonus Angelus quem habemus comitem & Patrem: de hoc momento sic loquitur Petavius lib. 2. de Angelis. cap. 6. eo loci docet quemlibet hominem suum habere Angelum custodem: " Qui illius sospitatis, educationis vitæ totius ac sempiternæ præsertim salutis curam gerat, qui dæmonum insidias & imminentia undique pericula propulset, animos ad virtutem faciat, timidos confirmet, mærentes recreet, laborantes adjuvet, lapsos erigat, opportuna monita suggerat, errantibus assistat, & eorum preces offerat Deo: postremo, qui perfunctis hujus vitæ casibus post obitum excipiat, & ad beatorum societatem transferat. "

Insistes: Si Angelus sit in loco per operationem sequitur tum nullibi esse, si ibi cesset operari: absurdum consequens: Ergo & Antecedens. Probatur minor. Tametsi Angelus non operetur, est tamen in aliquo loco determinato: Et probatur. Quod est finitum, est alicubi & concluditur loci terminis: sed Angelus est quid finitum. Ergo &c.

Re-

Respondeo negando minorem: Ad probationem, nego antecedens. Ad ulteriorem probationem distinguo: Angelus est quid finitum essentialiter, concedo: habet enim suæ essentiæ limites, quippequi non sit actus purus, sed componatur ex esse & existere: Est quid finitum localiter, nego. Non enim, ait sanctus Thomas, continetur a loco, sed potius ipsum præcontinet locum. Neque tamen diffitemur Angelum omnia simul loca continere, sed ad unum determinari, in quo sensu finitus etiam localiter dicendus est. Sed eum propugnamus non limitatum quatenus a loco quem occupat, non continetur, hinc non est in loco circumscriptive, sed solummodo definitive.

Replicabis: Operari in aliquo loco non est proprie in eo esse: Ergo &c. Probatur Antecedens. Sol agit in visceribus terræ ubi non est: Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem nego paritatem. Ratio discrepantiæ ea est, quod sol non agat in visceribus terræ immediate immediatione suppositi, sicut Angelus operatur, sed solum immediate immediatione virtutis.

Insistes: corpus Christi est realiter in Eucharistia præsens ad modum Spiritus: Atqui tamen ibi non operatur: Igitur a pari Spiritus angelicus non est in loco per operationem.

Respondeo 1. Christum suas in Eucharistia habere operationes. Et ibi cuncta videre & cognoscere. Quomodo hoc fiat? O altitudo.

Respondeo 2. negando paritatem. Ratio discriminis est quod corpus Christi in Eucharistia ibi habeat suam quantitatem extensam in ordine ad se, ex quo sequitur esse realiter in Eucharistia, tametsi ibi non operaretur. At vero Angelus nullam habet quantitatem formalem sive in ordine ad se, sive in ordine ad locum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Angeli sunt in loco per operationem.

PRIMO: Angelus est in loco per contactum, non quidem quantitatis formalis, cum sit incorporeus: Igitur per operationem quæ est quantitas ejus virtualis.

Secundo: Fit præsens per id quo occupat locum, & illum continet: sed hoc fit operatione, non enim est in loco circumscriptive, sed definitive. Igitur per operationem.

Tertio: Eodem prope modo ratiocinandum est de præsentia Angeli in loco, ac de præsentia animæ in corpore: Sed anima per operationem est in corpore; ut primum enim in eo non operatur, jam ibi esse desinit, juxta illud Psal. 103. *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.* Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Prius quidem est rem corpoream esse quam operari in loco, quia in eo est ratione quantitatis dimensivæ qua ab ipso loco circumscribitur, sed non idem dicendum de re mere spirituali quæ certe non comprehenditur a loco, sed potius illum ipsum comprehendit.

Secundo: Non negamus dæmones esse in inferno ubi non operantur, sed sunt in loco violento: potest tamen dici eatenus ibi operari, quatenus conflictu cogitationum cruciantur: & hoc vocatur vermis corrodens; capiunt enim se sua maxima culpa excidisse a gloria.

Tertio: Corpus Christi in Eucharistia præsens, non opus est operari, ut sit in illo loco, quia ibi est sacramentaliter & cum propria quantitate in ordine ad se: Sed numquid Christus in Eucharistia non habet operationes? Cæterum Angelus nullam habet quantitatem formalem, unde non est paritas.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Paterna Angelorum sanctorum, erga homines protectione & custodia.

SUPPONO dæmones totis viribus hominum saluti insidiari, ut passim in sacra legitur Scriptura. Gen. 3. diabolus sub specie serpentis Evam alloquitur, & peccare facit. Num. 22. Balaam instigatione dæmonis populum Dei maledicere tentat. Joan. 13. Malus spiritus immittit in cor Judæ perfidi, ut Christum traderet Judæis occidendum, & ut multa pauci

ctis absolvam. Psal. 27. peccata populi in deserto contra Deum & Moisen, immo & flagella inflicta in scelerum vindictam nominantur immissiones ab Angelis malis; ex his liquet dæmones, permittente Deo, exercere homines, & juxta Gregorium Magnum Homil. 16. in Evangelia eos tentare modo suggestione, modo delectatione, modo etiam consensu. Sed multo plures teste Scriptura 4. Reg. 6. sunt pro nobis, scilicet boni Angeli. Unde fit

CONCLUSIO.

Angeli sancti custodiunt homines, ut eos ad vitam æternam perducant.

Probatur hoc irrefragabili argumento.

QUOD Scriptura, quod Patres, quod Ecclesia & ipsa ratio Theologica annuntiant, hoc verissimum, & uti de fide tenendum est: Atqui ex his omnibus monumentis Angelos sanctos homines regere, defendere contra inimicos salutis & custodire habemus: Ergo &c. Probatur minor quoad omnes partes.

Primo, ex Scriptura sacra.

JACOB Genesi 48. 16. commemorat beneficia ab Angelis suscepisse, his verbis: *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis*. Rursus Exodi 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paravi*. Judith 13. Gratulatur se custoditam fuisse contra mundi pericula. Daniel 10. sanctus Michael Angelorum princeps, venit in adjutorium populo Dei: Tobiæ, 12. sanctus Raphael unus e septem qui astant coram Domino duxit Tobiam in via, tum incolumem reduxit ad propria: Psalmo 90. habetur: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. Ergo &c.

Sententia novi Testamenti.

HABETUR act. 7. *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum. &c.* Rursus cap. 12. Petrus ait: *Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum*. Celebris est locus Matth. 18. ubi Christus sic loquitur: *Angeli eorum in cœlis, semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est*. Maxime vero iste Heb. 1. *Omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis*. Quæ quidem omnes auctoritates probant Angelos cujuscumque ordinis invigilare hominum saluti; namque & Isaiæ 6. Unus Seraphim advolavit, ut labia Prophetæ calculo ignito mundaret, & probabilissimum est unumquemque hominem suum habere Angelum custodem. Ergo &c.

Secundo, ex sanctis Patribus.

Ex Græcis.

SANCTUS ATHANASIUS oratione 2. contra Arianos, sic loquitur: " Angeli quidem sursum, deorsumque commeantes, ministros se præbent. "

Origenes Homil. 11. in Num. egregium profert testimonium: " Ergo intelligitur, *ait*, esse & alius Pauli Angelus: sicut est Petri: & alius alterius Apostoli; & singulorum per ordinem. "

Eusebius lib. 4. demonst. Evang. cap. 6. similia profert his verbis: " Optimus, *inquit*, omnium regnator, ipse altissimus Deus universi, qui semper ea quæ seipsum deceant facit, ne absque certis principibus ac perfectis instar jumentorum irrationalium essent, qui in terra versabantur homines, tutores illis & curatores quasi quosdam armentorum Duces, atque Pastores, divinos Angelos dedit. "

Non absimili modo loquitur Basilius lib. 3. contra Eunomium, ubi sic habet: " Quod autem, *inquit*, unicuique fidelium adsit Angelus tamquam Pædagogus aliquis & Pastor, vitam gubernans, nemo contradicat, qui Domini verborum meminerit dicentis; ne contemnatis unum ex iis pusillis, quoniam Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est: Et Psalmista dicit castra metabitur Angelus Domini in circuitu timentium ipsum, & Angelus, qui eruit me a juventute mea; & cœtera id genus. "

Eidem assentiunt veritati Clemens Alexand. lib. 4. stromatum. Gregorius Nyssenus

senus lib. de vita Moisis: Chrysostomus Homil. 8. in Gen. Homil. 59. in Matth. & Homil. 3. in epistolam ad Coloss. Theodoretus q. 3. in Genes. Methodius apud Damascenum in Eclogis, & Didymus apud eundem.

Tertio, ex Patribus Latinis.

S. Hilarius comment. in cap. 18. Matth. sub initium, ita effatur: *Deum Angeli vident, & Angeli pusillorum præsunt fidelium orationibus. Præesse Angelos absoluta auctoritas est.*

S. Hieronymus exponens illud Matth. 18. *Angeli eorum in cælis &c.* dicit: " Magna est dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. "

S. Bernardus mira de hoc momento dicit serm. in Psalmum: *Qui habitat*: " *Angelis suis mandavit de te*: Mira dignatio, & vere magna dilectio charitatis.... Nempe Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.... Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia; fiduciam pro custodia. " Eamdem pertractat materiam Serm. 12. in Psalm. 90. & lib. 5. de consid. cap. 4. suffragatur Ambrosius lib. 2. in Lucam cap. 2. Ergo &c.

Quarto, ex rationibus Theologicis.

PRIMA: Qui sunt mobiles ad bonum & malum, indigent auxilio, ut faciant bonum: Atqui homines ad bonum, modo etiam ex innata pravitate flectuntur ad malum: Igitur ut bonum semper operentur, opus habent Angelo custode: Ista ratio est D. Thomæ hic q. 113. art. 1. his verbis: " Manifestum est autem quod in rebus agendis cognitio & affectus hominis multipliciter variari & deficere possunt a bono, & ideo necessarium fuit quod hominibus Angeli ad custodiam deputarentur, per quos regularentur & moverentur ad bonum. "

Secunda: Dæmones invigilant hominis perditioni, ut ostensum est: Igitur summæ convenit providentiæ, ut Angeli boni & nos custodiant, & pro nobis vicissim decertent. S. Thomas ibidem art. 2. ea de causa propugnat quemlibet hominem suum habere Angelum custodem: datur enim, *inquit*, Angelus ad quamlibet speciem rerum corporalium servandam; ut docet Gregorius Hom. 34. in Evangelia: ex quo concludit quemlibet hominem suum habere Angelum custodem, eo quod sit rebus corporalibus præcellentior & secundum animam incorruptibilis. Ecce verba divi Thomæ: " Providentia Dei comparatur ad singulos homines, sicut comparatur ad singula genera, vel species corruptibilium rerum: Sed secundum Gregorium diversi ordines deputantur diversis rerum generibus. Puta, potestates ad arcendos dæmones: virtutes ad miracula facienda in rebus corporeis. Et probabile est, quod diversis speciebus rerum diversi Angeli ejusdem ordinis præficiantur. Unde etiam rationabile est, ut diversis hominibus diversi Angeli ad custodiam deputentur. "

Tertia: Ecclesia non nisi de aliquo facto vero celebrat festivitatem: Sed secunda die Octobris in gratiarum actionem Angelorum custodum celebrat memoriam. Ergo &c.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES: Homines per vim liberi arbitrii sibi innatam sese possunt in appetitu boni, & fuga mali regere: Igitur incassum propter hoc admittitur custodia per sanctos Angelos.

Respondeo distinguendo, homines absolute loquendo possunt se regere, concedo: facile & absque periculo, nego, cum enim sint proni ab adolescentia ad malum, ut plurimum cæcutiunt in bono prosequendo: juxta illud Adagium: *Video bona proboque, deteriora sequor*: Solutio est divi Thomæ: Hic art. 1. ad 2.: " Dicendum, *inquit*, quod per liberum arbitrium potest homo aliqualiter malum vitare: Sed non sufficienter, quia infirmatur circa affectum boni propter multiplices animæ passiones: similiter etiam universalis cognitio naturalis legis, quæ homini naturaliter adest, aliqualiter dirigit hominem ad bonum, sed non sufficienter: quia in applicando universalia propria juris ad particularia opera, contingit hominem multipliciter

" citer

„ citer deficere, unde dicitur Sapientiæ „ 9. cogitationes mortalium timidæ, & „ incertæ providentiæ nostræ: & ideo „ necessaria fuit homini custodia Ange- „ lis. „

Instabis: Deus cuncta regit per se: Igitur inutilis est custodia Angelorum..

Respondeo distinguendo, Deus regit hominem per se quantum ad affectum voluntatis quam per infusionem gratiæ immutat ad bonum, concedo: quantum ad consilium & tutelam, nego. Ad hoc enim utitur ministerio Angelorum, qui & bona præbent consilia; & dæmones irruentes compescunt. Sic solvit difficultatem S. Thomas ibidem ad 2. " Deus, *ait*, cu- „ stodit hominem, sicut universalis in- „ structor, cujus instructio ad hominem „ pervenit mediantibus Angelis. „

Replicabis: Si Angeli boni sint custodes hominum, refundetur impiorum perditio in eos, velut propter insufficientem custodiam: absurdum consequens: Ergo & Antecedens.

Respondeo negando sequelam, cum enim homo sit sui juris, & Angelus non tollat ab eo liberum arbitrium, ideo, *perditio tua ex te Israel*, inquit Scriptura Oseæ 13. ab hac culpa se purgant vel ipsi Angeli, apud Jeremiam cap. 51. his verbis: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam*. Solutio est D. Thomæ ibidem ad 3. " Dicendum, *inquit*, quod „ sicut homines a naturali instinctu boni „ discedunt propter passionem peccati: „ ita etiam discedunt ab instigatio- „ ne bonorum Angelorum, quæ fit in- „ visibiliter per hoc, quod homines illu- „ minant ad bene agendum. Unde quod „ homines pereunt, non est imputandum „ negligentiæ Angelorum, sed malitiæ „ hominum. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Angeli sancti regunt, & custodiunt homines.

PRIMO: Exod. 23. habetur: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via*. Rursus Heb. 1. *Omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis*.

Secundo: Patres utriusque Ecclesiæ hoc ipsum docent: ex Græcis quidem, S. Athanasius orat. 2. contra Arianos. S. Basilius lib. 3. contra Eunomium: Ex Latinis vero SS. Hilarius comment. in cap. 18. Matth. tum Hieronymus comment. in idem caput.

Tertio: Hoc idem ex professo S. Thomas hic q. 113. art. 1. hac ratione probat quia homines ex innata pravitate potius ad bonum quam ad malum flectuntur, quocirca indigent Angelo qui eis det salutis consilia, & adversus pericula eos tueatur.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametsi homines ratione liberi arbitrii possint ad bonum se convertere, quia tamen ab adolescentia ad malum propensi sunt, indigent consiliario qui eis virtutem inspiret, & protectore, ne cedant tentationibus undique irruentibus.

Secundo: Aliud est Deum se solo posse cuncta facere, aliud de facto sic operari: Quia vero sapientia ejus omnia sic ordinavit, ut suarum voluntatum placita ministri præcellentes adimplerent, statuit: Sanctos Angelos salutis nostræ curam agere.

Tertio: Neque vero refundenda est in Angelos custodes impiorum perditio, quippequi & Angelis bona suadentibus, & ipsi Deo resistant, juxta illud Jerem. 2. *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti: Non serviam*.

ARTICULUS OCTAVUS

Ubi cætera S. Thomæ circa Angelos placita referuntur.

PRIMO: S. Doctor hic quæst. 52. art. 2. dicit Angelum non posse esse simul in pluribus locis, eo quod virtus ejus sit finita: art. 3. plures non posse esse simul in eodem loco; quia Angelus est per operationem, in loco, quem tangit: Igitur duo non sunt simul in eodem; quocirca inferendum est legionem dæmonum, de qua in Evangelio, sic intelligendam esse, ut fuerint in diversis partibus Energumeni. art. 2. contendit Angelum ab uno loco ad alium transire, etiam per-

transeundo medium si agat motu continuo: non minus e contra.

Secundo: q. 54. art. 1. & 2. docet Angelum non esse suum intelligere, quia non est actus purus, & ideo nec suum esse, ita q. 55. art. 1. docet Angelum cognoscere res naturales per species, non a rebus acceptas, sed sibi ingenitas: Art. 3. superiores Angelos intelligere per species magis universales; ex quibus deducitur eorum excellentia: hinc si quatuor requirantur ad quatuor objecta cognoscenda, pro inferiori Angelo, una aut altera sufficiet pro superiori. Q. 58. art. 1. ait Angelum non esse semper in actu intelligibilium, hoc enim soli Deo competit: posse quidem multa simul cognoscere in Verbo, sed non per species rerum, nisi aliqua species universalis plura simul repræsentet. Art. 3. Angelum non discurrere, sed videre conclusionem in principio. Art. 4. res non intelligere componendo, & dividendo: " Intelligit enim, „ *inquit*, composita simpliciter, & mo„ bilia immobiliter, & materialia im„ materialiter. „ Art. 6. duplicem distinguit in Angelis cognitionem, unam matutinam, vespertinam alteram. Prior est visio beatifica, posterior scientia infusa, & mysteriorum, & rerum naturalium: dicitur vespertina, hoc est, secunda & posterior.

Tertio: Q. 63. propugnat Angelos potuisse peccare, & quod de facto multi peccaverint, quia habent suum liberum arbitrium; quocirca possunt a bono deflectere; juxta illud Job. 4. 18. *In Angelis suis reperit pravitatem*. Art. 2. peccatum dæmonum fuisse superbiæ culpam, non enim peccata carnis conveniunt puris spiritibus. Art. 3. sic loquitur de peccato diaboli in sua conclusione: *Peccavit Angelus appetendo esse ut Deus, non quidem per æqualitatem, sed appetendo ut ultimum finem, quod virtute suæ naturæ consequi poterat: vel appetendo assequi beatitudinem propriis viribus, absque divina gratiæ auxilio*. In corpore vero ait nullam passionem ligasse voluntatem Angeli antequam peccaret, ut appeteret impossibile, sive esse Deum per naturam: Art. 6. tenet ut probabile Angelum in secundo creationis instanti peccasse, vel bonum fecisse. Art. 7. supremum Angelum, in prævaricatione etiam fuisse primum, quod quidem probat auctoritate divi Gregorii Homil. 34. in Evangelia. Art. 9. scribit multo plures Angelos stetisse, quam cecidisse. Juxta illud 4. Reg. 6. „ plures enim no„ biscum sunt quam cum illis. „ Quod exponitur de bonis Angelis: „ Quia, *in„ quit*, peccatum est contra naturalem „ inclinationem: Ea vero quæ contra na„ turam fiunt, ut in paucioribus acci„ dunt. „

Quarto: Q. 64. agit de pœnis dæmonum. Art. 3. dicit potissimum sitas esse in dolore de privatione Dei. Art. 4. ait quosdam in aere remanere ad diem usque judicii pro exercitatione hominum; quosdam vero concludi in inferno.

Quinto; Q. 106. docet Angelos superiores illuminare inferiores: Edocti enim immediate a Deo de mysteriis, cæteros edocent. Q. 107. ait Angelos sibi ad invicem loqui per directionem conceptuum, quocirca eo ipso quo suam dirigit unus Angelus voluntatem ad alterum; ille alter & non alius cognoscit cogitationes dirigentis. Art. 3. Hic est conclusionis textus: *Angeli non loquuntur Deo, ut illi quippiam manifestent, sed illi loqui dicuntur, vel consultando illius voluntatem de agendis, vel illius excellentiam demirando*.

Denique, q. 101. art. 1. dicit Angelum posse illuminare hominem: art. 2. ejusdem etiam posse immutare voluntatem per modum suadentis, aut passiones concitantis: porro ex Dionysio triplex est operatio angelica circa hominem, nempe purgatio, illuminatio, & perfectio. Purgare est tenebras expellere: Illuminare, est veritatem adaperire: perficere, est virtutem menti conjungere: quod quidem potest illustrari exemplo solis. Primo fugat umbras: Secundo ostendit objecta naturæ: deinde resultat cognitio in intellectu: sic proportionaliter & in moralibus per operationem Angeli in homine contingit.

DIS-

DISSERTATIO TERTIA.

DE

OMNIPOTENTIA DEI IN OPERE SEX DIERUM CIRCA CREATURAS MERE CORPORALES.



EUM optimum maximum esse hujus spectabilis mundi & universorum, tum visibilium & invisibilium conditorem nedum fides, sed ipsa docet ratio, ut fuse & probavimus tractando de existentia Dei, & de causa prima, eaque efficiente & creatrice; quia tamen non levis facessit difficultas circa creationis modum, operæ pretium est hic texere sanctorum doctorum sententiam productionis rerum ordinem. Variæ de hoc momento circumferuntur opiniones. Quidam existimant Deum cuncta creasse simul, ita ut sex dierum numerus sit penes iteratos conceptus nostros, id est aliter intelligimus terræ & cœli creationem, aliter lucis cæterarumque rerum productionem, quæ quidem omnia ideo plurimorum dierum spatio facta fuisse commemorat Moises, ut populus Judaicus admodum rudis cui loquebatur, facilius ab eo dicta, conscriptaque intelligeret. Quidam vero & non pauci contendunt opus creationis intelligendum esse sex diebus juxta communem usum & ad litteram computatis, factum & completum. Prima opinio est S. Augustini lib. 4. de gen. ad litt. cap. 22. & seq. lib. 11. de civ. Dei cap. 9. Altera vero S. Thomæ tribuitur 1. p. q. 66. & 67. Sed absque negotio istæ possunt conciliari sententiæ, propugnando Deum cuncta simul & in globo creasse, videlicet cœlum empyreum pro sede Beatorum, aquas, terram & abyssus, spatia quippe inferiora terræ apprime abysſus vocantur, sicut & profunditas & altitudo aquarum, deinde vero creatorem sua distinxisse & fecisse spatio sex dierum alia opera, dicere quid vetat? Utrumque enim Scriptura commemorat; quippe quæ dicat, & Deum cuncta creasse simul, & tamen eadem diverso temporis intervallo quædam alia fecisse, & omnia distinxisse. Quidquid sit, etiam in hac præsenti dissertatione Epicurum & Spinosam qui mundum a Deo optimo factum esse negant, iterum atque iterum insectari juvat. Enim vero contrarium claret ex Scriptura dicente Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram.*

Dogma de opere creationis a Deo optimo maximo quatuor momentis seu argumentis probari, & explicari potest.

Primo, quia Deus in principio creavit Angelos, cœlum, & terram & aquas.

Secundo, quia sex dierum spatio cætera produxit, & jam producta distinxit atque complevit.

Tertio, quia cuilibet diei quorumdam operum factura respondet.

Quarto, quia septimo die ab omni opere quod patrarat, quievit, & hunc sanctificavit atque benedixit.

ARTICULUS PRIMUS.

Num Deus in principio cælum, terram, aquas & Angelos simul creaverit?

NOMINE creationis intelligimus actionem quæ res e nihilo sua innata & omnipotenti virtute educit. Nomine operis creati concipimus ens in se completum & sua forma actuatum. Nomine cœli solum comprehendimus empyreum, nomine denique Angelorum spiritus simplices ab omni materia physica immunes,

& per se subsistentes sancti Doctores & Theologi intelligunt. Jam quæritur: Utrum hæc omnia simul & in principio creaverit Deus. De Angelis quæstio jam eliquata est. Unde fit

CONCLUSIO

Deus in principio cœlum, terram, aquas & omnia simul & in eodem instanti creavit atque produxit.

Probatur auctoritate & ratione.

SCRIPTUM est Gen. 1. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram; terra autem erat inanis.* Duo potissimum istis verbis indigitat Moises: primum quidem cœlum, & terram in eodem prorsus instanti fuisse creata, consequenter & aquas quæ sub cœlo sunt, maxime vero cum juxta plurimorum sententiam, cœli sint fluidi, illi saltem qui empyreo inferiores sunt: hinc & alias Scriptura de diluvio instituens sermonem Gen. 7. sic loquitur: *Cataracta cœli apertæ sunt: & facta est pluvia super terram &c.* Quod sane denotat aquas, vel esse cœlis coævas, vel ejusdem cum eis substantiæ, adeoque cum illis concreatas. Verum non una Scripturæ sententia asserit Deum cuncta simul & in globo creasse; namque Eccl. 18. 1. habetur, *qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Porro inter creaturas primitus creatas, non incongrue numerantur Angeli, cum enim sint omnium operum Dei ad extra entia perfectiora, Creator, utpote ipse perfectissimus, nedum in intentione, sed & in executione primos condi voluit, ut supra ostensum est.

Secundo, ex S. Doctoribus.

S. AUGUSTINI eam fuisse sententiam nemo non novit, hanc enim variis prodit in locis maxime lib. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 5. " Sed, *inquit*, „ illud quod dictum est: *in principio fecit* „ *Deus cœlum & terram*: Cœli & terræ „ nomine universa creatura significata „ est, quam fecit & condidit Deus. Ideo „ autem nominibus visibilium rerum hæc „ appellata sunt, propter parvulorum in„ firmitatem, qui minus idonei sunt in„ visibilia comprehendere. Prima ergo „ materia facta est confusa & informis, „ unde omnia fierent, quæ distincta, at„ que formata sunt, quod credo a Græ„ cis Chaos appellari. „ Similia dicit lib. 12. confess. cap. 3. 4. 5. 6. & 8.

D. *Thomas* hanc ex professo movet quæstionem 1. p. q. 66. art. 1. ubi docet materiam non informem, sed sua forma vestitam fuisse factam. Art. 2. ostendit cuncta ex una eademque informi materia creata fuisse, cum sit diversa in diversis. Art. 3. ait cœlum empyreum simul cum materia & cæterorum cœlorum orbibus fuisse productum: Art. 4. vero sic concludit veluti resumendo quæ in prioribus dixerat: " Respondeo dicendum „ quod communiter dicitur, quatuor es„ se primo creata, scilicet naturam an„ gelicam, cœlum empyreum, materiam „ corporalem informem & tempus..... „ Procedit autem prædicta enumeratio se„ cundum opinionem aliorum sanctorum „ ponentium quod informitas materiæ „ duratione præcessit formationem: & „ tunc pro illius duratione necesse est „ ponere tempus aliquod: aliter enim „ mensura durationis accipi non posset. „ „ Rursus art. 3. " Conveniens fuit, ut „ etiam a principio corporalis gloria in„ choaretur, in aliquo corpore, quod „ etiam a principio fuerit absque servi„ tute corruptionis, & mutabilitatis, & „ totaliter lucidum: sicut tota creatura „ corporalis expectatur, post resurrectio„ nem futura. Et ideo illud cœlum di„ citur empyreum, id est, igneum, non „ ab ardore, sed a splendore. „

Concinunt Philo in lib. de allegoriis Legis Mosaicæ. Procopius, Gazæus & Cajetanus in cap. 1. Gen. qui cuncta fuisse simul creata existimant. Quid vero sentiat de opere distinctionis, dicetur infra.

Tertio, ratione eaque multiplici.

PRIMA: Quæ in sacra narrantur Scriptura, sunt fide dignissima, ita ut ea in dubium revocare nefas sit: Sed auctor sacer asserit, Deum in principio creasse cœlum & terram: Igitur nomine cœli empyreum & cæterorum cœlorum orbes, nomine vero terræ elementum in quo

stamus

ſtamus & vivimus, creata fuiſſe intelligi nedum conveniens, ſed & neceſſe eſt.

Secunda. *Deus eſt agens perfectiſſimum*, inquit D. Thomas hic quæſt. 66. art. 1. *Unde de eo dicitur Deut. 32. Dei perfecta ſunt opera. Ergo opus ab eo creatum, nunquam fuit informe*. Igitur ex S. Doctore Deus in principio creavit cœlum & terram complete atque perfecto, hoc eſt, quodlibet ex his ſua forma actuatum.

Tertia: Agens infinita pollens virtute poteſt ſimul quæcumque vult, in inſtanti facere: ſed Deus infinitam habet virtutem: Igitur ſicut narratur, cuncta creavit ſimul & eodem tempore.

Quarta: Non poteſt dici Deum materiam informem & inviſibilem primo creaſſe, deinde vero ex ea cætera fuiſſe: Igitur cuncta ſimul creavit perfecta, tametſi commixta. Probatur Antecedens: Non una eſt omnium materia, ſed diverſa in diverſis, v. g. alia eſt cæleſtis, alia ſublunaris: Igitur cuncta ex materia informi & inviſibili coaluiſſe non dicendum eſt, iterum potius cuncta commemorata in perfectione creata fuiſſe aſſerendum. Hæc ratio eſt D. Thomæ qui hic art. 2. ſic loquitur adverſam rejiciens opinionem: " Sed contra, quæcumque conveniunt in „ materia, ſunt tranſmutabilia ad invi- „ cem, & agunt & patiuntur ab invi- „ cem; ut dicitur in 1. de generatione. „ Sed corpora cæleſtia & inferiora non „ ſic ſe habent ad invicem. Ergo eorum „ materia non eſt una. „

Quinta: Totus mundus lucidus creatus eſt: Igitur non informis & imperfectus, ſed completus: Igitur recte dicitur cuncta fuiſſe ſimul creata. Probatur Antecedens. Ex D. Thoma qui hic art. 4. hoc ipſum aſſerit, cujus hæc eſt concluſio, *conveniens fuit in principio mundi, corpus totaliter lucidum fuiſſe creatum, ubi inchoaretur beatorum gloria ſecundum corpus, quod cælum empyreum eſt appellatum*. Ergo &c.

Inferes Mundum unicum eſſe: tametſi enim multa ſint in rerum natura, eaque veluti immenſa, ut cęlum empyreum, firmamentum ubi apparent ſtellæ fixæ, & ipſæ ac planetæ in quantitate, vel ipſam terram plurimum excedant, iſta tamen omnia ſimul correlata ſunt, & ſicut ad unum concentum, ita & ad unicum mundum faciendum conſpirant: Namque unus eſt omnium finis, unus ad compoſitum iſtud complendum ordo, una totalis effectus ad creatorem relatio.

Productum fuiſſe mundum verno tempore non pauci exiſtimant. Revera quidem, terra hæc iſta tempeſtate decorata floribus, ſtipata plantis, circumſepta calamis & juncis virentibus, quæ ſuavem ſpirant undequaque odorem & amœnitatem, apparet, magnificentiam ſicut omnipotentiam Creatoris mirum in modum exhibet. Igitur probabiliſſimum eſt Deum ſicut amantiſſimum, ita & perfectiſſimum primo homini mox creato, tam mirabile dediſſe ſpectaculum, ut intelligeret Adam quod bonus ſit Dominus, & laudabilis nimis, & quod ſapientiæ ejus non ſit numerus.

Diluuntur objectiones.

OBJICIES. 1. Mundus non eſt factus in tempore: igitur nec tempus ipſum factum eſt, nec a fortiori cuncta ſimul. Probatur Antecedens, mundus ab æterno prodiit a Deo: ergo non eſt in tempore factus. Probatur Antecedens: Mundus dicitur factus in principio: ſed fieri in principio eſt fieri ab æternitate & in æternitate, illud quippe principium non de principio, eſt Deus. Ergo &c.

Reſpondeo negando Antecedens: ad primam probationem nego iterum Antecedens: ad ulteriorem probationem diſtinguo: mundus dicitur factus in principio, hoc eſt, in tempore & initio antequam & animalia, & homo ipſe ex limo formarentur, concedo: in Deo & ab æternitate, ſubdiſtinguo: cauſaliter, hoc eſt, cauſa mundi productiva ejuſque principium eſt ab æterno, concedo: Ratione ſui, nego. Mundus eſt effectus, qui quidem ſpectari poteſt dupliciter. 1. Ratione ſui: Secundo ratione cauſæ ex qua promanat: Primo modo conſideratus dicitur in tempore & initio factus; relative vero ad cauſam, factus in principio commemoratur, hoc eſt, efficacia Dei verbi quod eſt æternum, & per quod facta ſunt omnia, juxta illud Gen. 1. *Dixitque Deus, fiat lux, & facta eſt lux*: & iterum alia Scriptura Pſal. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt*.

Patres hunc exhibent iſtius ſententiæ, *in principio creavit Deus cælum & terram*,

 ſeu-

sensum. Irenæus, Tertullianus, Origenes qui asserunt Deum cuncta fecisse per suam Sophiam, suumque sermonem, fieri enim in verbo & per verbum idem est, cum de operibus ad extra agitur, quod ipse Joannes cap. 1. intonat: *Deus erat Verbum...... Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Concinit Basilius qui hom. 1. in Gen. ait: " Nomine „ principii etiam intelligi, artifex, „ verbum. „ Suffragatur Ambrosius lib. 1. in Exam. cap. 4. *In hoc ergo principio*, idest, *in Christo fecit Deus cœlum & terram*. Subscribit Augustinus lib. 1. contra adversarium Legis & Prophetarum cap. 11. " Aut ergo sic intelligendum est, „ quod scriptum est: in principio fecit „ Deus cœlum & terram, ut principium „ sit ex quo esse cœperunt: non enim Deo „ coæterna semper fuerunt, sed facta, „ initium ex quo esse inciperent, accepe- „ runt; aut certe quia in principio sibi „ coæterno fecit Deus cœlum & terram, „ hoc est, in unigenito Filio. „

Instabis. Quia Verbum dicitur in principio fuisse, juxta illud Joan. 1. *In principio erat Verbum*, recte colligitur ab æterno fuisse. Igitur a simili mundus ab æterno creatus dici potest, cum Moises eum dicat in principio creatum.

Respondeo 1. Nullo modo sequi ex verbis Moisis mundum esse ab æterno conditum: & vero si in verbo diceretur conditus, ab æterno, jam foret utique Deus, & produceret solummodo ad intra: Deus, inquam, namque quod est ab æterno non habet initium, adeoque est a se & improductum, hinc Patres Nicæni per æternitatem probant Verbi consubstantialitatem: quis autem umquam dixerit mundum procedere ad intra, cum sit sensibilis.

Respondeo 2. negando paritatem: Ratio discriminis est, quod Verbum procedat ad intra & necessario, quod sit Patri consubstantiale & a seipso, mundus vero est effectus creatus, & in illa creando Deus, inquit Propheta Psalm. 93. 1. *Libere egit*. Cæterum mundum creari in Filio & per Filium idem est juxta illud Joan. 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Hoc ipsum propugnat S. Aug. serm. 14. de diversis contra Manichæos, ubi dicit eandem esse vim verborum in Filio ac per Filium.

Urgebis: posita causa sufficiente, ponitur effectus: Atqui ab æterno Deus est causa plusquam sufficiens ad creandum mundum: Igitur ab æterno illum de facto condidit. Confirmatur: Deus ab æterno est in actu. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: posita causa necessario agente ad extra, ponitur effectus, concedo: libere agente, subdistinguo, ponitur effectus in tempore, & quando vult, concedo: ponitur ab æterno, nego. Porro Deus est causa in se quidem necessaria, hoc est, ens necessarium, sed libere agens: voluit autem mundum in tempore condere, maxime cum id creaturæ competat: Etenim qua ratione foret creatura, & quid a causa dependens factum, cum non daretur instans reale in quo verum esset dicere, nunc fit mundus, cum nullum haberet initium?

Ad confirmationem distinguo, Deus est semper in actu ad intra, concedo: namque ab æterno generat Verbum & spirat tertiam sanctissimæ Trinitatis personam: ad extra, nego. Neque enim ab æterno creavit mundum, neque in tempore producit creaturas omnes in infinitum possibiles. Ergo ne non actus purus? Absit dicere, immo, & cogitare, cum omnes omnino perfectiones in se ita eminenter complectatur, ut non tam habere perfectiones, quam esse ipsas perfectiones asserere fides doceat: Enimvero est ipsa bonitas, ipsa justitia &c.

Insistes. Convenit admodum causæ necessariæ & incorruptibili esse ab æterno. Sed mundus est causa necessaria, quippe qui assuetos habet in cœlis motus, in terra generationes, in tempestatibus indefessam successionem: est quoque incorruptibilis. Nam terra in æternum stat, & in individuorum alternationis generationibus servatur. Ergo &c.

Respondeo distinguendo, convenit causæ necessariæ & incorruptibili esse ab æterno, si sit per se & a se tum necessaria, tum incorruptibilis, concedo: sin minus, nego. Mundus est tantum a posteriori & per participationem ens necessarium; & incorruptibile, unde in tempore, ut ejus a prima causa salvetur dependentia, creari debuit.

Persistes. Tametsi mundus esset ab æterno, attamen & finitus & dependens esset, infinitas quippe penes durationem foret. Ergo non implicat contradictionem

nem mundum esse ab æterno; maxime vero cum non pauci, quoad entia permanentia salvo jure conditoris, in creaturam, ab æterno fieri potuisse autument.

Respondeo 1. Quæstionem præsentem non moveri de mera possibilitate, videlicet de eo quod fieri potuit, sed quod revera factum est, unde mundum juxta Moisis systema in tempore factum fuisse cum sanctis Doctoribus, & ut ipsa docet fides, propugnamus.

Respondeo 2. In hypothesi quod mundus esset ab æterno, vix concipi posset, quomodo finitum a causa suprema dependens foret, propter rationes modo allatas: & vero nullum haberet initium: A quo igitur & esse & agere acciperet? Si dicatur a Deo, jam igitur ad intra procederet, & non in tempore: & quod procedit ad intra, est Deus.

Iterum instabis: Mundus in tempore factus, supponit spatia ab æterno vacua. Igitur saltem aliquod in creaturis æternum agnoscendum est.

Respondeo negando Antecedens, spatium enim est realis corporis ab alio recedentis affectio, cum nulla sint ab æterno corpora, nullum quoque est ab æterno spatium vacuum, nisi imaginarium.

Objicies 2. Gen. 1. 2. habetur, *terra autem erat inanis & vacua:* sive invisibilis & incomposita secundum aliam litteram: per quod designatur materiæ informitas, ut dicit Augustinus lib. 12. Confess. cap. 12. Igitur non omnia simul creata sunt, sed prius materia informis & invisibilis formata est, deinde ex ea aliæ productæ sunt creaturæ.

Respondeo distinguendo Antecedens, terra erat vacua, hoc est nondum ornata & plantis & arboribus, concedo: hoc est invisibilis & absque forma, nego. Opera Dei sunt perfecta, materiam vero ut quid incompletum & absque forma creari foret summa effectus imperfectio, quæ in auctorem redundaret: Igitur per terram vacuam, tantummodo intelligit Moises terram nondum ornatam arboribus, plantis, reptilibus, aliisve animalibus quæ decursu dierum postea creata sunt. Nec isti adversatur sensui S. Augustinus, cum ubique propugnet cuncta simul & in eodem instanti reali fuisse condita, nec aliud prius & posterius in prima rerum productione nisi penes diversos Angelorum conceptus admittat, ut lib. 1. de Gen. ad litt. cap. 15. maxime vero lib. 12. Confess. cap. 29. ubi ait, non aliam esse in operibus creationis nisi originis dependentiam. Sic v. g. essentiam eatenus priusquam proprietates tametsi simul sint tempore, concipere juvat, quatenus accidens ad substantiam a qua dependet, consequi dicitur: eo prope modo & in eodem sensu sol prius radio concipitur: eadem & non absimili ratione terram inanem priusquam alia opera intelligi debere contendit. Num totus mundus etiam cum plantis, arboribus, piscibus aliisve, nulla excepta creatura, productus sit in instanti & absque reali dierum successione, articulo sequenti dicemus. Impræsentiarum dicere sufficit S. Augustinum nostræ suffragari assertioni, cum enim quæstio moveatur de instanti physico & reali, eo ipso quo cuncta in eadem temporis indivisibili mensura, creata fuisse propugnat, jure merito juxta tanti doctoris & aliorum mentem cuncta simul videlicet cœlum, terram & aquas, tametsi ad invicem veluti mixta, producta prædicemus.

Quod autem nomine terræ vacuæ & inanis intelligatur solummodo terra nondum ornata & variis decorata plantis, & animalibus, aperte dicit S. Thomas hic quæst. 66. art. 1. " Quantum, *inquit*, „ ex littera Genesis accipi potest, triplex „ formalitas deerat, propter quod dicebatur creatura corporalis informis. Deerat enim a toto corpore diaphano, quod „ dicitur cœlum, pulchritudo lucis. Unde dicitur quod tenebræ erant super „ faciem abyssi. Deerat autem terræ „ duplex pulchritudo. Una quam habet „ ex hoc quod est aquis discooperta, & „ quantum ad hoc dicitur, quod terra „ erat inanis & vacua, sive invisibilis, „ quia corporali aspectui patere non poterat „ propter aquas, undique eam cooperientes. Alia vero quam habet ex hoc est „ ornata herbis & plantis. Et ideo dicitur quod erat vacua & incomposita, id „ est, non ornata secundum aliam litteram. Et sic cum præmisisset duas naturas creatas, scilicet cœlum & terram, „ informitatem cœli expressit, per hoc „ quod dixit, tenebræ erant super faciem „ abyssi, secundum quod sub cœlo etiam „ aer includitur. Informitatem vero terræ,

„ ræ, per hoc quod dixit, terra erat ina-
„ nis & vacua. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus cuncta primum simul creavit, videlicet cœlum, & terram atque aquas.

PRIMO: quia sic pronunciat Scriptura; *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Sic hunc interpretantur locum SS. Aug. & Thomas.

Secundo: Deus est agens virtute infinita eaque omnipotenti præpollens, unde non sicut homines successionem temporis & fusa mensium, annorumve spatia & intervalla ad suum faciendum, & complendum opus exigit.

Tertio: opus informe & incompletum arguit summam in causa imperfectionem, quæ cum sit a Deo prorsus eliminanda, dicendum est Deum non terram inanem & incompletam primum creasse, deinde vero cætera ex ea; sed terram sua actuatam forma, similiter & regionem cælestem.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO. Tametsi terra & cœlum in principio facta commemorentur, non inde sequitur ab æterno fuisse creata: verum potius duo indigitat scriptor Canonicus, nimirum & causam agentem, & tempus in quo operata est: causam quidem quatenus Verbum est rerum principium, juxta illud Christi de se ipso loquens Judæis Joan. 8. 25. *Ego.... Principium, qui & loquor vobis.* Tempus vero, quatenus declarat rerum initium, *in principio*, hoc est opus suum Deus, a creatione cœli & terræ incepit.

Secundo. Incorruptionem mundi nullam pro eo arguere a parte ante æternitatem, cum ejusmodi dotem nonnisi Deo dante, & illum conservante habeat.

Tertio. Terra dicitur quidem inanis in Scriptura, sed in eo solum sensu quo, quum primum creata est, nondum erat ornata plantis & arboribus: similiter & tenebræ eatenus super faciem abyssi esse narrantur, quatenus cœlum nondum erat lumine perfusum, utrumque tamen videlicet cœlum & terræ elementum, erat in se completum & forma sibi convenienti actuatum.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Deus sex dierum decursu sua & fecerit, & distinxerit, & compleverit opera?

COELUM empyreum, simul cum aquis & terra primo Deum fecisse probavimus; nunc vero quæritur utrum alia nondum producta sex dierum decursu compleverit. Non una est pro hoc momento sententia. S. Augustinus in libris & locis modo citatis contendit, Deum cuncta simul ita in instanti fecisse, ut non detur prius & posterius in prima rerum productione nisi per mentem, ita ut diversitas dierum de quibus loquitur Moises, penes sit mentem angelicam, vel etiam humanam quæ ista omnia diversis exprimit conceptibus. D. Thomas e contra hic qu. 67. & seq. ex professo cum aliis multis sanctis Doctoribus alteram propugnat opinionem, cum quo sit

CONCLUSIO.

Deus sex dierum decursu opus creationis complevit.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

SIC legitur Gen. 1. *dixitque Deus: fiat lux; Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona; & divisit lucem a tenebris. Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem: factumque est vespere & mane dies unus. Dixit quoque Deus; fiat firmamentum in medio aquarum; & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum, cælum: & factum est vespere & mane dies secundus, &c.* Tam exquisita miraque diverso dierum spatio notata & distincta, profecto declarant Deum sex dierum decursu sua perfecisse opera; quem quidem sen-

sensum Moises ipse non obscure determinat duplici alio in loco, videlicet ibidem cap. 2. Quod post creationis historiam sic inchoat. *Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requievit die septimo ab universo opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum.* Certe si dies illi solum penes mentem existerent, quorsum sanctificare diem septimum specialiter? namque nec sanctificatio specialis, nec quies illi potius quam cæteris enumeratis præfigeretur, cum re unus & in se indivisibilis foret dies.

Est alter locus in quo suum aperit sensum Moises, nimirum Exod. 20. ibi Deus præcipit sanctificari diem Sabbati. Et hanc affert rationem Scriptor sacer, quia sicut ipse Deus creavit hunc mundum spectabilem sex dierum spatio, & septimo die requievit, sic etiam Judæos oporteat sex diebus laborare & septimo die quiescere: hoc & Ecclesia præcipit; ratio autem Moisis non ponderaret, si Deus omnia omnino simul creasset unico & indivisibili momento, nusquam vero sex dierum successione. Sic autem habetur in Exodo. *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo ... Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificavit eum.*

Secundo, ex Patribus.

THEOPHILUS Antiochenus lib. II. ad Autolycum, ait: " Homo qui in infirma „ mundi regione situs est, a terra ædifi- „ care incipit, nec nisi fundamento ja- „ cto tectum construere potest. Dei ve- „ ro in hoc potentia monstratur, ut in iis „ primo quæ non extant, creata omnia „ pro voluntate sua faciat. Quæ enim pe- „ nes homines impossibilia sunt, penes „ Deum possibilia sunt. Idcirco Propheta „ dixit, primo cœli fabricationem esse „ factam, quod tecti instar esset, lo- „ quens sic: *In principio fecit Deus cœlum*, „ hoc est per principium factum esse cœ- „ lum. „

S. Ambrosius lib. I. in exaem. cap. 7. quærentibus cur non initio ornatus congruos assurgentibus donaverit elementis Deus? respondet: " Potuit utique, sed ideo „ primo facta, postea composita decla- „ rantur, ne vere increata & sine prin- „ cipio crederentur, si species rerum ve- „ lut ingeneratæ ab initio, non postea „ additæ viderentur. Incomposita terra „ legitur, & iisdem a Philosophis æter- „ nitatis, quibus Deus, privilegiis hono- „ ratur. Quid dicerent, si ab æterno „ ejus pulchritudo vernasset? Remersa „ aquis describitur, velut cuidam princi- „ piorum suorum addicta naufragio: & ad- „ huc a nonnullis facta non creditur: quid „ si decorem primogenitum vindicaret? „ Suffragantur Hieronymus epist. 139. ad Cyprianum Basilius hom. 2. in exam. Gregorius Naziau. orat. 43. Gregorius Magnus lib. 32. moral. in Job. cap. 10. Beda in Exaem. D. Thomas hic quæst. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. ubi ex professo Patrum modo laudatorum subscribit sententiæ, tractans de opere cujuslibet diei, quod creationi cœli & terræ reali successione: distinctoque intervallo subsequutum est.

Tertio, probatur unico sed efficaci admodum raciocinio.

QUÆ ex voluntate Dei pendent, nobis manifestantur per Scripturam sacram: sed Scriptura mundum sex dierum realiter distinctorum decursu, factum & completum commemorat: & hoc ipsum ad litteram intelligere conveniens admodum apparet. Igitur dicendum est, mundum sex dierum intervallo, seu spatio fuisse conditum. In minore ubi posset aliqua reperiri difficultas duæ sunt partes. Prima quidem quod scriptor Canonicus mundum sex diebus factum completumque dicat; & hoc ita esse nemo non novit: altera vero quod verba Moisis prout sonant, & in sensu obvio intelligere convenientissimum sit, variis, luculentisque probatur rationibus.

Prima hæc est. Ibi Moises texit ad instructionem populi rudis, videlicet Judaici creationis historiam: sed historia rerum non metaphorice, sed litteraliter & in sensu obvio sumi & concipi debet, alias non factorum historia, sed Parabola foret, in sensu tantummodo spirituali intelligen-

telligenda : jam vero aliqua scateret deceptio, cum res fictitiæ pro veris exhiberentur; nec populus rudis hæc omnia nonnisi fusa explicatione & interpretatione, a Moise tamen nusquam data, capere potuisset. Igitur verba Prophetæ in sensu prorsus obvio intelligenda sunt.

Secunda: Ex scopo Moisis historiam creationis ad litteram explicari convenit. Ergo &c. Probatur Antecedens. Populum ad idololatriam propensum omni ab errore purgare volebat, & ne militiam cœli more Gentilium pro divinitate Israelitæ haberent, postquam dixit cœlum & terram facta in principio, firmamentum quod est stellarum & planetarum cœlum altero tempore factum enarrat, ut intelligerent quod factum est, non esse Deum: quod certe inquiunt Patres supra laudati, populus rudis admodum non ita facile potuisset concipere, si omnia omnino simul & eodem instanti in principio fuissent & creata & distincta; æterna quippe & improducta ea esse forsan existimasset. Ergo &c.

Tertia: Nisi verba Historici sacri in sensu intelligantur obvio, non una aut altera sed multiplex apparet in narratione factorum contradictio: sed omnis contradictio a Scriptura sacra prorsus eliminanda est. Ergo &c. Probatur major: terra dicitur inanis & vacua, & tamen secundum alteram opinionem in prima rerum productione erat plena & ornata. Jam vero Scriptura dicit suisse aliquando tenebras super faciem abyssi, sed & hoc nullomodo verum est, si omnia, nullis exceptis creaturis, simul facta sunt, jam enim tunc temporis in illa hypothesi lux fugans tenebras aderat. Quid plura? Cum Moises dixerit prius factam esse lucem quam firmamentum, & prius plantas quam astra, nulla certe ratio probabilis cur id ita factum sit, apparet. Immo si naturalem rerum ordinem & dependentiam spectemus, prius debuisset Moises narrare factum esse firmamentum, deinde astra, tum lumen, postea plantas & alia mixta, quandoquidem hæc ab illis dependent. Cum ergo hæc non fecerit, argumentum est, quod secutus sit eum ordinem in narrando, quem Deus ipse servavit in producendo.

Quarta: Tametsi intelligamus opus creationis sex dierum decursu factum & completum, nulla inde in Deum imperfectio potentialitatis redundat: hæc quippe labes ex parte creaturæ dependentis tota se tenet. Ergo &c. Probatur Antecedens. Deus est in se actus purus & omnibus perfectionum numeris absolutus, unde nihil deperdidit in productione rerum, quamvis cuncta ab ipso, exceptis peccatis, profluant: Nihil quoque acquirit, quia est omnia. Ab æterno mundum non produxit, sed in tempore: Ergo ne potentialitatis labes in ipso? Nusquam sane, quia non transit de potentia ad actum, cum creaturam aliquam producit, sed ejus actio in se æterna, incipit in tempore se extendere ad terminum in temporis mensura ponendum & producendum: sicut igitur, seclusa omnis defectus, omnisque imperfectionis labe, potuit mundum in tempore creare, ita & eumdem sex dierum spatio producere. Ergo &c.

Fit satis objectionibus.

OBJICIES: Moises cuncta simul, nullis exceptis creaturis, producta fuisse commemorat: Ergo sic tenendum & propugnandum est. Probatur Antecedens: Ait Legislator omne virgultum agri fuisse productum simul cum terra, quam in principio creatam fuisse ostendimus: sic enim habetur Gen. 2. *Istæ sunt generationes cœli & terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum & terram: & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret.* Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens: namque Moises creaturas omnes distinctis diebus factas fuisse & notat, & enarrat: Ad probationem distinguo, virgulta & herbæ cum terra concreata sunt, sed non aliæ creaturæ, ut animalia, cœlum planetarum &c. concedo: & cæteræ creaturæ simul cum terra concreatæ fuerunt, nego. Quasdam herbas cum terra productas esse non est inconveniens, ut indigitare videtur locus in objectione laudatus: attamen mentio fit de aliis plantis, sed intelligendum de iis quas terra innatis viribus postea produxit, quod certe subindigitat textus ille: *Antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret*: Ratio eo loci redditur, subdit

dit enim Moises: *Non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram*. Porro cum Moises jam jam dies sex distinxerat, cap. 1. ne tœdium pareret legentibus, eos, cap. 2. repetere noluit: sed non ideo exclusos haberi voluit.

Respondeo 2. ad eandem probationem iterum distinguendo: Moises dicit virgulta agri cum terra concreata fuisse, cum terra, potentia, quatenus terræ jam productæ virtus ea producendi inerat, concedo: producta sunt actu primo die cum terra, nego. Solutio colligitur ex D. Thoma qui hic q. 60. art. 2. ad 1. ait, herbas immobiliter terræ inhærere, unde cum ea fuisse concreatas probabilissimum est.

Instabis. Angeli primo die creati sunt: sed & homo eodem tempore creatus est. Igitur distinctio dierum non est nisi per mentem & per conceptum sive humanum, sive angelicum: quod autem homo simul cum Angelis productus sit, probatur. Job. 40. 10. legitur, *ecce, Behemoth, quem fecit tecum*. Per Behemoth intelligitur diabolus. Ergo &c.

Respondeo negando minorem: ad probationem, distinguo & per Behemoth intelligitur Elephans, concedo: & intelligitur diabolus, nego. Non pauci nomine Behemoth intelligunt Elephantem, & tunc sensus Scripturæ planus est, namque homo & bestiæ sexto die productæ sunt: si tamen cum nonnullis per Behemoth diabolum vis concipere, sensus est: ergo & te, & Angelum feci: ambo estis manuum mearum opera.

Urgebis: Eccli. 18. 1. habetur; *qui vivit in æternum, creavit omnia simul*. Ergo non successive.

Respondeo distinguendo: Deus cuncta creavit simul, hoc est, absque interruptione, concedo: hoc est, eodem instanti, nego. Quæcumque creata, absque mora facta sunt, unde ab initio & eodem tempore sex diebus producta commemorantur. Hoc sensu Mac. 19. 6. dicitur, *Deum ab initio creaturæ fecisse masculum & feminam*. Et Joan. 8. 44. *Diabolum ab initio fuisse homicidam*. Cæterum particula simul, ibi non tempus, sed collectionem creaturarum quæ totum creationis opus complent, significat. In hoc prope sensu Psal. 13. 3. legitur: *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*; & iterum alia Scriptura Psal. 48. 11. *simul insipiens, & stultus peribunt*.

Replicabis: D. Augustinus cuncta simul absque reali dierum distinctione producta fuisse contendit. Ergo &c.

Respondeo 1. Ambrosium, Basilium, aliosque percelebres Patres, non in ea fuisse sententia, ut S. Thomas hic quæst. 66. art. 1. refert, illisque pro hoc momento adhærere non dubitat.

Respondeo 2. distinguendo: & ipse Augustinus aliorum sententiam veluti probabilem laudat, concedo: & illam penitus abjicit, nego. Sic loquitur lib. 1. contra adversarium Legis & Prophetarum cap. 2. "Sive per cęlum & terram generaliter „ prius insimulata sit spiritualis corpora„ lisque natura: sive aliquid aliud quod „ hic, salva fidei regula, intelligi potest. „ Rursus lib. 12. Confess. cap. 17. "Nomine, *ajunt*, cęli & terræ totum „ illum visibilem mundum prius universali„ ter & breviter significare voluit, ut po„ stea digereret dierum enumeratione quæ „ si articulatim universa, quæ sancto Spi„ ritui placuit sic enuntiare. Tales quip„ pe homines erant rudis ille atque car„ nalis populus cui loquebatur, ut eis ope„ ra Dei non nisi sola visibilia commen„ danda indicaret. „

Repones: si cuncta primo die creata non sunt, sequitur verbum non esse rerum omnium causam, sed illarum solum quæ in principio, hoc est, in Filio & per Filium producta commemorantur: absurdum consequens, ergo & Antecedens.

Respondeo negando sequelam, maxime propter duo. 1. Quia in decursu operum Dei dicitur semper, *fiat*: nomine autem *fiat* intelligitur Verbum & sermo Dei: namque *fiat* est actus practicus intellectus Dei. 2. Nomine cæli & terræ comprehenditur operum Dei universitas, ita S. Augustinus lib. 1. contra adversarium Legis & Prophetarum cap. 10. tertiam addo negati rationem: in principio cęlum, terra & aquæ creata sunt, ex aquis vero pisces & aves, ex terra reptilia, animalia, & ipse homo. Igitur qua ratione Verbum est causa rerum in principio productarum, eadem prorsus & aliarum, quæ sex dierum decursu formatæ sunt, cum sit primum principium ex quo & cęlum & terra & aquæ facta sunt.

Insi-

Instes: firmamentum secundo die productum dicitur, ut dividat aquas ab aquis, & ibi nomine cœli donatur: cœlum vero in principio factum enarratur. Igitur & firmamentum, adeoque dierum diversitas penes conceptus diversos sunt.

Respondeo distinguendo illam Antecedentis partem: firmamentum vocatur cœlum sed distinctum ab eo quod in principio creatum est, concedo: ita ut sit idem, nego. Triplex distinguitur cœlum, videlicet aereum, in quo sunt aves, sydereum, in quo astra: Empyreum in quo beati resident. Firmamentum est cœlum secundum quod habet aquas intra se & supra se; hoc ipsum indicat Scriptor sacer, cum dicit: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis*. Factum est igitur secundo die in medio aquarum, & sic illas apprime dividebat, cum eas haberet infra & supra se, quod non obscure insinuat alia Scriptura Psal. 103. 3. *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus*. Et Psalm. 148. 4. *Aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, lauden: nomen Domini*, certum est aquas non esse super cœlum empyreum, cum sit omnium cœlorum altissimum, & beatorum sedes, ubi Apostolus vidit arcana quæ non licet homini loqui, quodque 2. Cor. 12. 2. vocat paradisum: Tum quia cœlum, quod dividit aquas ab aquis, est celum secundo die factum in quo quidem Deus quarto die posuit solem, & lunam. Ita censent Beda, Strabus, Alcuinus, Rabanus. Huic subscribit sententiæ S. Thomas hic quæst. 66. art. 3. ubi ex professo docet empyreum cum terra concreatum fuisse. Igitur quæ primo simul concreata leguntur, sunt cęlum empyreum, terra, abyssus, dicitur enim Gen. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi: & spiritus Dei ferebatur super aquas*. Porro abyssus, ut definit Boetius, est copiosa aqua, ad cujus fundum non facile penetrari potest. Nomine vero spiritus qui ferebatur super aquas, multi Patres Spiritum sanctum designari censent, ut Tertullianus lib. de Bapt. cap. 3. Basilius hom. 11. in Gen. Ambrosius lib. 1. in Exaem. cap. 8. quorum ratio ea est, quod omnis vita, omnisque motus & spiritus creaturæ a primigenio spiritu promanare debet. Addit D. Thomas, hic quæst. 66. art. 4. tempus cum cęlo & terra concreatum fuisse; alias, inquit, duratio vix concipi posset, quippe quæ supponat tempus a quo incipit.

Replicabis: convenit agenti omnipotenti sua in instanti complere opera: sed creator est omnipotens: Igitur absque reali sex dierum circulo cuncta simul & fecit, & complevit.

Respondeo cum Apostolo Rom. 11. *Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit?* In opere mundi tota ratio penes est opificis voluntatem. Non desunt tamen congruentiæ rationes cur Deus opus suum intra sex dies facere voluerit. Prima est, ut Deus illa successione triplicem mundi indigitaret statum, quorum primus est creationis, secundus distinctionis, tertius ornationis. Primo enim creavit cœlum, terram, & aquam. Secundo distinxit diem a nocte, lucem a tenebris, aquas ab aquis, mare ab arida. Tertio ornavit terram plantis, arboribus, animalibus, mare piscibus, aerem avibus, firmamentum stellis. In primo elucet Dei omnipotentia: in secundo sapientia: in tertio bonitas. Altera successionis ratio afferri potest, videlicet ut Deus ostenderet partim quid postularet natura rerum, partim vero quid finis ad quem conditæ sunt.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus opus creationis sex dierum spatio fecit & complevit.

PRIMO: Hoc ipsum ita factum fuisse enarrat Moises; Basilius vero, Ambrosius, S. Thomas sic intelligendum esse autumant.

Secundo: Hunc sensum ipsa ratio historiæ, quæ ad litteram & in sensu obvio intelligenda est, expostulat.

Tertio: Nullam inde sequi in Deo aut mutationis, aut potentialitatis labem, manifestum est, cum ejusmodi defectus in solam creaturam, quæ transit de non esse ad esse, refundantur.

Synopsis argumentorum in contrarium & responsionum.

PRIMO: Cum Scriptura cuncta simul crea-

creata commemorat, solummodo indigitat duo, videlicet & omnes creaturas esse ejusdem opificis opera, & eas eodem creationis tempore quod sex diebus comprehenditur, fuisse factas.

Secundo: Tametsi S. Augustinus aliam proponat pro isto momento sententiam, priorem tamen existimat probabilem: & illi subscribit S. Thomas perantiquorum Patrum innixus auctoritate.

Tertio: Cœlum, quod secundo die factum dicitur, est sydereum, nusquam vero empyreum, quod in principio cum terra & aquis concreatum est.

ARTICULUS TERTIUS.

De opere sex dierum in speciali.

PRIORES quæstiones instituí necesse duximus; quædam enim circa creationis causam & materiam in communi & in genere enucleanda erant, ut ex ordine claritas affulgeat major, operæ pretium est nunc, ut de his quæ singulis diebus fecit Creator, agamus.

SECTIO PRIMA.

De opere primi diei, videlicet de luce.

S. AUGUSTINUS lib. 11. de civ. Dei cap. 9. nomine lucis primo die a Deo factæ intelligit Angelos, immo & gratiam eis collatam, cæteri vero SS. Doctores Scripturam Gen. 1. de lumine corporali, & sensibili interpretantur; sive lux sumatur pro ignis elemento, cujus coruscatione & splendore mundus recens formatus illuminabatur, sive accidens physicum alicui inhærens subjecto. Unde fit

CONCLUSIO.

Lux primo die facta, lux corporalis & sensibilis fuisse censetur.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex sanctis Patribus & Doctoribus.

S. DIONYSIUS lib. de div. nom. cap. 4. ait: " A summo bono lumen proficiscitur, & imago bonitatis est: quam „ ob rem nomine luminis bonum laudatur, tanquam appareret primum exemplar in imagine. „ Subdit vero: " Hoc „ est illud lumen, tametsi tunc non erat „ figuratum, quod dixit divinus Moses „ distinxisse primum dierum nostrorum „ triduum. „

Gregorius Nyssenus l. in Exaem. in eadem versatur sententia, asserens lucem primo die creatam merum non fuisse accidens, sed ipsius elementum splendorem habens, cujus coruscatione primum illuminatus est mundus. Non abs re erit hic tanti Doctoris verba texere: " Quando „ conditus est orbis universus, *ait*, antequam singulæ partes ipsius apparerent, „ tenebris totus obtegebatur, quia splendor ignis, qui sub materia particularis „ latitabat, nondum effulserat. Etenim „ quemadmodum silices in tenebris obscure jacent, licet vim lucidam atque illustrantem naturaliter in se contineant, „ quippe quæ pariant ignem, si inter se „ collidantur, scintilla vero ab ipsis prolata, splendore illius ipsæ quoque cernuntur: Sic obscura cæcaque erant omnia priusquam perlucida, atque illustrans natura in apertum proferretur. „ Nam cum uno divinæ voluntatis motu „ nuper indistincta rerum universitas simul „ extitisset, omniaque elementa inter se „ concreta permixtaque essent, ignis qui „ ubique disseminatus erat, obscurus jacebat, materiæque impotentia supprimebatur. Verum quoniam vis ejus velox „ atque agilis est, simul atque rerum naturæ ad mundi constitutionem a Deo „ motus principium atque incitatio adhibita est, ante illa omnia quæ graviora „ sunt, exiliens, lumine cuncta illustravit... Quod scriptura sua magnus etiam „ Moses testatur, cum ait: dixit Deus, „ fiat lux. „

S. Basilius suum addit conclusioni calculum, hom. 2. in Exaem. namque illa Geneseos verba, *Fiat lux, & facta est lux*, sic explicat: " Tum fiebat dies cui ce„ denti non vicissim succedebat, non quidem secundum motionem solis, sed primigenia illa luce suum splendorem diffundente, seque rursum contrahente, „ idque pro mensura a Deo definita. „ Rursus suam aperit mentem. Et quidem clare hom. 6. in Exaem. hanc enim proponit & instituit quæstionem. *Si lucis or-*

tur solem anticipavit : cur nunc sol ut luceat super terram exortus dicitur ? Hæc nullam implicare contradictionem respondet : " „ Tunc enim, *inquit*, ipsa natura lucis pro- „ ducta est : nunc autem hoc solis corpus „ eo conditum est , ut illi primigenitæ „ luci vehiculum esset . „

Astipulatur Ambrosius l. 1. in Exaem. cap. 11. ponderans ista verba , *Fiat lux* , ait : " Plena vox luminis , non dispositio- „ nis apparatum significat , sed operatio- „ nis resplendet effectu . Naturæ opifex „ lucem locutus est , & creavit . „

Secundo, rationibus D. Thomæ .

S. THOMAS hic q. 67. ex professo probat lucem primo die a Deo factam fuisse sicut narrat Moises art. 1. ait : lucem illam non spiritualiter & metaphorice , sed vere & in sensu obvio lucem & esse , & nuncupari . Art. 2. contendit non esse corpus, eo quod in instanti juxta multorum sententiam per loca diffundatur & ea illuminet , bene vero corporis diafani & ignei affectum atque proprietatem habere , quod fusius probat art. 3. auctoritate Damasceni qui illam vocat qualitatem . Denique art. 4. docet primo die fuisse creatam, cujus non est una sed multiplex ratio.

Prima , tenebræ reales & corporales opus distinctionis in creatione rerum præcesserunt : Sed ante omnia tenebræ fugandæ erant & dissipandæ per lucem corporalem eis oppositam . Igitur lux corporalis primo die fieri debuit . Sic loquitur D. Thomas art. 4. " Præmissa autem fue- „ rat circa creaturam corporalem multi- „ plex informitas . Una quidem in hoc , „ quod dicebatur , terra erat inanis & „ vacua ; alia vero in hoc , quod dice- „ batur, tenebræ erant super faciem abys- „ si . Necessarium autem fuit , ut infor- „ mitas tenebrarum primo removeretur „ per lucis productionem propter duo . „ Primo quidem quia lux , ut dictum est , „ est qualitas primi corporis , unde secun- „ dum eam primo fuit mundus formandus . „ Secundo propter communitatem lucis . „ Communicant enim in ea inferiora cor- „ pora cum superioribus . Sicut autem in „ cognitione proceditur a communiori- „ bus , ita etiam in operatione . Nam „ prius generatur vivum quam animal , & „ animal quam homo , ut dicitur in lib. „ de generatione animalium . Sic ergo „ oportuit ordinem divinæ Sapientiæ ma- „ nifestari , ut prima inter opera distin- „ ctionis produceretur lux tanquam primi „ corporis forma , & tanquam commu- „ nior . „

Secunda : Illud primo debuit produci , per quod cætera manifestantur : Atqui per lucem cætera creationis opera manifestata sunt : Igitur ad productionem cœli & terræ , debuit immediate sequi lucis formatio . Ita D. Thomas ibidem : " Basilius , „ *inquit* , posuit tertiam rationem , quia „ per lucem omnia alia manifestantur . „

Tertia : Opus distinctionis a die inchoatur , sed dies a luce dicitur & formatur : Igitur primo die lux facta est . D. Thomas ibidem hanc affert rationem : " Potest , „ *ait* , & quarta ratio addi . . . quia dies „ non potest esse sine luce . Unde oportuit „ in prima die fieri lucem . „

His rationibus accedit , quod Ecclesia lucem primo die factam prædicet , his versiculis :

Lucis creator optime ,
Lucem dierum proferens ,
Primordiis lucis novæ
Mundi parans originem . Ergo &c.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES. Lux est qualitas accidentalis quam Deus in corporibus jamjam productis sparsit : sed accidens utpote substantia posterius primo produci non debuit . Igitur lux non fuit primo die producta .

Respondeo distinguendo minorem : lux non debuit ante cœlum & terram produci, concedo ; supposita cœli & terræ productione , nego . Dictum est Deum in principio cœlum & terram creasse : Deinde vero eadem secundum quasdam conditiones & affectiones quarum prima fuit lux , iterum formavit , unde in opere distinctionis primum tenet locum lux . Solutio est D. Thomæ qui hic q. 67. art. 4. ad 1. " Oportet , *inquit* , dicere quod ma- „ teria a principio fuerit creata sub for- „ mis substantialibus , postmodum vero „ fuerit formata secundum aliquas condi- „ tiones accidentales, inter quas primum „ locum obtinet lux . „

Instabis : Lucis diffusione fit dies ; sed dies

dies a sole promanat, qui tamen die solum quarto factus ponitur. Igitur idem dicendum de luce.

Respondeo 1. dies multos ante solis productionem enumerari Gen. 1. unde tres priores dies a nube quadam lucida promanasse non pauci autumant, quæ quidem lux adjuncta soli, qui quarto die factus ponitur, perfectiorem formavit diem, Hanc opinionem refert D. Thomas hic art. 4. ad. 2.

Respondeo 2. distinguendo minorem, dies perfectissimus a sole profluit, concedo: dies ut sic, subdistinguo: est a sole inchoato, concedo: a sole omnibus suis numeris absoluto, nego. Substantia solis jam inchoata erat primo die, & ab eo procedebat lux ut proprietas ab essentia, sed nonnisi quarto die perfecta & plene facta legitur. Sic respondet D. Thomas ibidem ad 2. " Et ideo, *inquit*, est dicendum, quod ut Dionysius dicit 4. cap. ,, de div. nom. quod illa lux fuit lux solis, ,, sed adhuc informis quantum ad hoc, ,, quod jam erat substantia solis: & habebat virtutem illumiuativam in com- ,, muni, sed postmodum data est ei specialis, & determinata virtus ad parti- ,, culares effectus, & secundum hoc in ,, productione hujus lucis effectus distincta ,, est lux a tenebris quantum ad tria. ,, Primo quidem quantum ad causam secundum quod in substantia solis erat ,, causa luminis, in opacitate autem terræ causa tenebrarum. Secundo, quantum ,, ad locum: quia in uno hemisphærio erat lumen, in alio tenebræ. Tertio, ,, quantum ad tempus: quia in eodem hemisphærio secundum unam partem temporis erat lumen: secundum aliam, tenebræ. Et hoc est quod dicitur, lucem ,, vocavit diem, & tenebras noctem. ,,

Urgebis: Nox & dies attenduntur penes corporis lucidi motum qui firmamento convenit; immo & solis circumlationem: sed firmamentum secundo die, sol vero quarto producta ponuntur & narrantur: Igitur non debuit poni in prima die productio lucis noctem & diem distinguentis.

Respond. dist. Nox & dies penes motum toti cęlo communem attenduntur, concedo: penes motum diversis corporibus cęlestibus appropriatum & specialem: nego. Duplex motus in cęlis distinguitur: alter omnibus cęlis communis, alter vero specialis pro planetis. Nox & dies primo motu fiunt, regulantur vero & distribuuntur in menses & annos speciali motu. Igitur apprime apponitur lux quæ diem a tenebris secernat, primo die facta. Sic ratiocinatur D. Thomas ibidem art. 4. ad 3. " Dicendum est, quod du- ,, plex est motus in cęlo. Unus commu- ,, nis toti cęlo, qui facit diem & noctem: ,, & iste videtur institutus primo die. A- ,, lius autem est qui diversificatur per di- ,, versa corpora. Secundum quos motus fit ,, diversitas dierum ad invicem & men- ,, sium & annorum. Et ideo in prima ,, die fit mentio de sola distinctione noctis ,, & diei, quæ fit per motum commu- ,, nem. In quarta autem die fit mentio de ,, diversitate dierum & temporum, & ,, annorum: cum dicitur: ut sint in tem- ,, pora & dies, & annos. Quæ quidem ,, diversitas fit per motus proprios. ,,

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Lux primo die facta est.

PRIMO, sic enarrat Scriptura, & eam in sensu obvio interpretantur SS. Patres Dionysius, Gregorius Nyssenus, Ambrosius & multi alii.

Secundo, quia primo die illud fieri debuit quo cætera creationis opera manifestantur, quod quidem munus lucis proprium esse, nemo non novit.

Tertio, quia dies creationis sex enumerantur, dies autem a luce fugante tenebras formatur: Igitur lucem primo die fieri convenit, ex qua dies ipse flueret & promanaret.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO, non negamus lucem esse corporis cælestis proprietatem, hinc inde solummodo sequitur cęlum lumini præextitisse, sed non diem, non firmamentum, aliaque sex dierum decursu producta.

Secundo, potuit quidem lux a substantia solis jam inchoata ortum suum ducere, sed non opus est, ut sol omnibus numeris absolutus eam duratione antecesserit.

Tertio, ultro concedimus diem a motu cę-

cœlo communi effluxisse, sed non a speciali quæ soli aliisque planetis, & cœlorum orbibus tribuitur: unde non inconvenienter lux primo die facta legitur.

SECTIO SECUNDA.

De opere secundæ diei, nimirum de firmamento.

QUIDAM nomine firmamenti Angelos intelligere voluerunt, quæ quidem sententia communiter rejicitur a sanctis Patribus. Auctores non ignobiles idem putant esse cœlum quod in creationis exordio creatum legitur, & secunda die commemorari censent, quod novum ipsi attributum sit officium dividendi aquas superiores ab inferioribus, ea est S. Joannis Chrysostomi sententia quam S. Thomas hic q. 68. art. 1. non improbabilem existimat, quæque ad sensum Scripturæ absque negotio accommodari potest, si dicatur Deum primo cuncta simul condidisse, alternatis vero diebus sua & distinxisse, & adornasse opera. Nonnulli per firmamentum concipiunt solum octavam sphæram & aerem: alii spatium aeris, in quo nubes condensantur. Communior opinio eaque magis divinæ arridens Scripturæ est, firmamentum esse cœlum sidereum, sive sit cœlum primo factum, deinde secunda die adornatum, & ad officium de novo peragendum accinctum: sive de facto productum sit ex aquis præexistentibus, quod probabilissimum est. Impræsentiarum controversia movetur maxime circa duo, videlicet, num secunda die factum sit cœlum corporeum? Deinde vero num aquæ superiores quas divisit ab inferioribus, sint veræ & ex natura sua aquæ. Pro quorum resolutione sit

CONCLUSIO PRIMA.

Cœlum corporeum nomine firmamenti donatum, secunda die factum est.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

GENESEOS 1. habetur: *Dixit quoque Deus: fiat firmamentum... vocavitque Deus firmamentum, cœlum, & factum est vespere & mane, dies secundus.* Eo loci loquitur Moyses de mundo corporeo, & si quis hoc ipsum de Angelis intelligere contendat, profecto nihil certi haberetur in historia quam Scriptor sacer de creatione texit: Et vero posset aliquis nomine cœli quod primo die creatum dicitur, etiam intelligere cælestes tantum spiritus, at inde periculum maximum veniret opus creationis mundi corporalis, quod quidem malo & non bono principio infulse admodum tribuunt Manichæi: Igitur cœlum vere corporeum secunda die productum esse, & liquet, & tenendum est.

Secundo, ex sanctis Doctoribus.

PATRES omnes huic suffragantur opinioni: tametsi pro natura firmamenti assignanda non nihil discrepent: Quidam enim firmamenti nomine totam hanc regionem, quæ a terra & aquis ad extremam usque mundi oram ac determinationem porrigitur, intelligendam volunt; alii vero, & probabilius cœlum sidereum. Ita Basilius hom. 3. in Exaem. Gregorius Nyssenus l. 1. contra Eunomium & alii de quibus multus est sermo apud D. Thomam hic q. 68. art. 1. Imprimis vero Theodoretus isti adhæret sententiæ q. 11. in Genesim quæ hunc præ se fert titulum: *Sit ne unum cælum, an duo?* Ac quam difficultatem sic respondet: " Cum ,, Scriptura divina doceat, in principio ,, Deum creasse cœlum & terram, deinde post lucis creationem secunda die ,, dicat firmamentum factum esse, inscitiæ plena videtur esse hujusmodi quæstio. Oportebat enim ex temporis ratione, & ipso creationis modo cœlorum diversitatem nosse, & unum luce prius, ,, alterum vero post lucem: Et illud quidem non ex aliqua alia materia, hoc ,, autem ex aquis creatum esse: nam inquit, *Fiat firmamentum in medio aquæ, & sit discernens inter aquam & aquam.* Deinde cum dixisset quod ad verbum res secuta est, hoc enim illa significant, *& factum est ita...* Tum postea docet quomodo facta sit. *Et fecit*, inquit, *Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum, vocavitque Deus firmamentum, cœlum.* At prius cœlum non est ,, appellatum firmamentum, sed cœlum ,, ab

„ ab initio vocatum est. Hoc enim ab „ ipsa re sortitum est appellationem. Si „ quidem cum ex aquarum fluida substantia compositum sit, & natura fluida „ condensata & consolidata fuerit, firmamentum nominatum est. Deinde quia sursum collocatum est, prioris cęli usum „ commodo nostro perficiens, cęli nomen sortitum est ...... Qui igitur „ non credit secundum esse cęlum, extra „ semitam rectam incedit: qui vero plures nominare conatur, adhæret fabulis, postposita divini spiritus doctrina. „ Pluraliter autem divina Scriptura cęlos „ nuncupat, dicens, *cæli cælorum*: „ quoniam hebraica lingua neque cœlum, neque aquam singulari numero novit appellare. „

His verbis hacque clara explicatione Theodoretus obvium sequitur & exhibet Scripturæ sensum. Namque de facto firmamentum in medio aquarum a principio creaturarum esse conditum, enarrat Moises: tum vero divisisse aquas ab aquis quis non capiat, eo ipso quo in medio aquarum productum esse statuit firmamentum, & probabilissime ex ipsis aquis coaluisse, cujus rei argumentum est, inquit Theodoretus, quod firmamentum primo appellatum sit ex condensatione & consolidatione illarum aquæ partium, quæ in cęlum sidereum, a multis crystallinum propter diaphaneitatem & claritatem nuncupatum, abierunt. Idem Pater videtur explodere sententiam eorum qui firmamentum ex aere & igne, multisque cęlis aggregatum esse arbitrantur. Quidquid sit, juxta mentem Theodoreti, ille a Spiritus sancti doctrina longe discedit, qui nomine firmamenti corporeum non intelligit cęlum: Ergo &c.

D. Thomas suum addit conclusioni nostræ calculum hic q. 68. art. 1. ubi ex professo docet firmamentum corporeum secunda die factum esse, & juxta Scripturam ita tenendum asserit: eo loci S. Chrysostomi laudat opinionem, qui firmamentum credit idem esse cum cęlo a principio factum, sed in novas distinctum perfectiones, novaque munia. Non minus ibidem approbat V. Bedæ & Strabi sententiam, qui cum Theodoreto istud cœlum credunt a cęlo in principio facto substantialiter distinctum, illudque sidereum. Recenset quoque placitum beati Augustini, qui existimat firmamentum nihil aliud esse præter partem aeris in qua condensantur nubes. Subditque omnem sententiam qua firmamentum propugnatur ut aliquid corporeum, nihil contra fidem defendere. Sic autem loquitur sanctus Doctor in corpore articuli.

“ *Respondeo* dicendum, quod sicut Augustinus docet in hujusmodi quæstionibus „ duo sunt observanda. Primo quidem ut „ veritas Scripturæ inconcusse teneatur. „ Secundo, cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita præcise inhæreat, „ ut si certa ratione constiterit hoc esse falsum, aliquis sensum Scripturæ esse asserere præsumat: ne Scriptura „ ex hoc verbo ab infidelibus derideatur, „ & ne eis via credendi præcludatur. „ Postea diversa Patrum circa hoc momentum placita refert, ad primum vero sic loquitur: „ Potest etiam dici aliud esse „ cęlum, quod legitur in principio creatum, & quod legitur secunda die factum, & hoc diversimode. Nam secundum Augustinum cęlum quod legitur „ primo die factum, est natura spiritualis „ informis. Cęlum autem quod legitur secunda die factum, est cęlum corporeum. Secundum vero Bedam & Strabum cęlum quod legitur primo die factum, est cęlum empyreum. Firmamentum vero quod legitur secunda die factum, est cęlum sidereum. „

Tertio, ex ratione eaque multiplici.

PRIMA sic exponitur. Cęlum secunda die factum eodem prope sensu aliquid corporale dicitur sicut sidera, namque quarta die sol & luna apponi cęlo leguntur, quod non potest intelligi nisi de firmamento & cęlo admodum corporeo, debet quippe magna esse proportio inter subjectum & formam, maxime vero si forma ei remaneter inhæreat: Igitur cum sidera facta sint ut cęlo tanquam innato infigerentur subjecto, dicendum est firmamentum esse corporeum, quia & siderum est subjectum.

Secunda: Firmamentum secunda die ideo productum enarratur, ut divideret aquas ab aquis, quod certe maxima materiæ mole fieri debuit, unde & in medio aquarum productum legitur, quæ qui-

dem aquæ erant etiam corporales, ut mox absque negotio probabitur. Igitur illud cęlum est corporale.

Tertia: Cœlum secunda die vere productum asserit Moyses: Igitur est corporale. Probatur consequentia. 1. Non possunt nomine istius cœli intelligi Angeli quia primo die, & ut quid invisibile conditum leguntur. 2. Quia juxta gravissimorum sententiam, firmamentum est cœlum stellarum, adeoque quid corporeum: tum quia nomine cęli intelligimur spatium extensum in longum, latum, & profuudum. Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Aquæ superiores ab inferioribus per firmamentum divisæ, sunt aquæ corporales, & secundum sensum litteralem sic nuncupantur.

Probatur auctoritate, & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

SIC intonat servus Dei Moyses Gen. 1. *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum; Et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita.* Attendas, quæso, benevole Lector Scriptorem Canonicum omnia observare ut veritatem creationis veræ & non metaphoricæ indigitet: ne enim Lector, vel intelligeret aquas spirituales, distinguit duplicis generis aquas, Videlicet eas quæ sub firmamento subjacent, ab his quæ sunt super firmamentum, quæ quidem si parabolice conciperentur, tota creationis historia ut quid fictitium haberetur, nec Deus hujusce spectabilis mundi Creator censeretur: sed absurdum consequens: Ergo & antecedens.

Secundo, ex sanctis Doctoribus.

AGMEN ducet S. Basilius, ait hom. 3. in Exaem. eos non esse audiendos qui aquas a firmamento divisas & separatas, metaphorice aquas intelligunt: " His „ igitur, *inquit*, & ejus generis senten- „ tiis, ut quæ somniis & anilibus con- „ ferendæ veniunt, fabellis relegatis, „ aquam nos ut aquam intelligamus. „

Eadem prorsus ratione insectatur Origenem Epiphanius epist. apud Hier. 60. ad Joannem Jerosolymitanum Præsulem: " Illas vero, *ait*, præstigias qui non sta- „ tim abjiciat, atque contemnat, dicen- „ te Origene de aquis quæ super firma- „ mentum sunt, non esse aquas, sed „ fortitudines quasdam angelicæ potesta- „ tis, & rursum aquas, quæ super ter- „ ram sunt, hoc est, sub firmamento, „ esse virtutes contrarias, id est, dæmo- „ nes? Et quomodo legimus, in diluvio „ apertas cataractas cęli, & aquas inun- „ dasse diluvii? Unde aperti sunt fontes „ abyssi, & totus mundus opertus est a- „ quis? Furor hominum junctus stultitiæ. „ Aquas a firmamento divisas ea ratione dicit corporeas Epiphanius, quia diluvii aquæ a cataractis firmamenti apertis, non ab aquis calore solis desuper attractis, prosilierunt. Revera quidem, non potuit sol tantum aquæ pondus in altum attrahere quæ sufficeret ad pluvias quadraginta diebus, & totidem noctibus prolabentes, totam sic inundantes terram, ut montium altissimorum culminibus præeminerent. Igitur repetendæ sunt aquæ diluvii ab aquis sub firmamento & super firmamentum quæ in alveis veluti in tot canalibus adjacent: sive sint in his sedibus fluidæ: sive etiam condensatæ, sed motione Angeli qui deo ordinante cęlorum regit machinam, dissolubiles.

In Basilii & Epiphanii versantur sententia Cyrillus Hier. Catech. 9. Ambrosius lib. 2. in Exaem. c. 3. Aug. lib. 2. in Gen. ad litt. c. 9. & alii non pauci. D. Thomas hic q. 68. art. 2. asserit aquas veras esse super firmamentum, & art. 3. ait firmamentum positum fuisse, ut aquas superiores ab inferioribus sejungeret: Quod quidem, *inquit*, intelligendum est de aquis corporalibus per distributionem accommodam juxta diversam Patrum opinionem. Sic art. 2. " Respon- „ deo dicendum, quod sicut dicit Augu- „ stinus 2. super Gen. ad lit. Major est „ Scripturæ hujus auctoritas, quam om- „ nis humani ingenii capacitas. Unde „ quomodo & quales aquæ ibi sint, eas „ tamen ibi esse minime dubitamus. „ Tum art. 3. " Sive per firmamentum in- „ telligamus cœlum in quo sunt sidera, „ sive spatium aeris nubilosum, conve- „ nienter dicitur quod firmamentum divi-

„ dit

„ dit aquas ab aquis, secundum quod per „ aquam materia informis significatur : „ vel secundum quod omnia corpora diaphana sub omni convenientia aquarum „ intelliguntur. Nam cęlum siderum distinguit corpora inferiora diaphana a „ superioribus. Aer vero nubilosus distinguit superiores aeris partem in qua generantur pluviæ, & hujusmodi impressiones ab inferiori parte aeris quæ aquæ „ connectitur: Et sub nomine aquarum „ intelligitur. „

His & non absimilibus explicationibus ostendit S. Doctor aquas a firmamento in superiores & inferiores divisas atque distinctas seu distributas, esse in omni catholica opinione corporales, quod enim vel in alveolis in parte superiori firmamenti continetur, vel est ipsa firmamenti, seu celi crystallini substantia, motione supremæ intelligentiæ veluti liquefacta, & in aquas fluidas resoluta, vel illa aeris pars in qua condensantur nubes, dicatur firmamentum nuncupatum ptopter spissitudinem aeris in illa parte, manet semper & aquas vere fuisse secunda die per firmamentum divisas, & esse corporales, Ergo &c.

Tertio, ex variis rationibus.

PRIMA: Non oportet scripturam in periculum mendacii venire: Sed nisi intelligamus aquas corporales & firmamento divisas, quoddam, absit dicere, apparet in scriptura mendacium, siquidem divisio non fit nisi inter entia realia: posito vero quod aquæ, de quibus mentionem facit Moises, non sint corporales, nulla nisi fictitia & meræ rationis divisio erit: quinimmo totum creationis systema, ut confictum omnibus videbitur. Igitur dicendum est aquas a firmamento secunda die divisas, esse corporales.

Secunda: Illæ aquæ ab Angelis sunt prorsus essentialiter & in natura distinctæ: Igitur sunt corporales. Probatur Antecedens. Omnia opera eatenus benedicunt Dominum, quatenus distinctam aliquam artificis in distinctis naturis produnt perfectionem: At nedum Angeli dicuntur benedicere Domino, sed & post Angelos aquæ quæ super cęlos sunt, suo ordine & post Angelos invitantur a Propheta Regio ad benedicendum Domino & hoc seorsim, & novo ab Angelis modo. Sic enim habetur Danielis 3. *Benedicite Angeli Domini Domino.... Benedicite cæli Domino.... Benedicite aquæ omnes quæ super cælos sunt Domino.... Benedicite sol & luna Domino.... Benedicite stellæ cæli Domino.... Benedicite omnis imber & ros Domino*. Et Psal. 148. *Laudate Dominum de cælis.... Laudate eum omnes Angeli ejus .... Laudate eum sol & luna: Laudate eum omnes stellæ & lumen. Laudate eum cæli cælorum; & aquæ omnes quæ super cęlos sunt .... Laudate Dominum de terra.... Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus....* Hoc est quæ sunt Verbi divini opera & effectus, quæque suis nutibus ordinem in motibus ab ipso præscriptum servant, & eius faciunt in omnibus voluntatem. Igitur seorsim & speciali modo ab Angelis prorsus diverso, aquæ quæ super cęlos sunt, laudant Dominum, adeoque sunt corporales, nusquam vero ipsi Angeli.

Tertia: Creator cuncta fecit in pondere & mensura propter naturæ bonum: Sed conveniens fuit aquas super cęlos & creare, & reservare propter duo; Primo quidem ad irrigandam terram ut fructus germinare queat: deinde vero ut sphæra ignis aquarum multitudine temperata, sidera ab exustione certa defendat. Prior ratio est S. Cyrilli Hierosolymitani Catechesi 9. " Cum e„ nim propter agriculturam opus esset a„ quis, constituit aquas supra cęlos, ut cum „ terra pluviarum irrigatione indigeret, „ paratum sit ad hoc cęlum. „ Alteram affert Severianus Gabalorum Episcopus orat. 2. de mundi creatione. Cum firmamentum ex eo nominatum dixisset, quod ex rariore ac dissoluta aquarum substantia Deus illud firmaverit, subjungit aquas bifariam fuisse divisas, ac dimidium earum supra cęlum a Deo collocatas esse: sic ibi loquitur: " Quia enim solis flammam & „ lunæ syderumque immensam multitu„ dinem excepturum, ne nimio calore „ solveretur ac exureretur, substravit cęlo „ convexo aquarum illa æquora, quibus „ quasi impinguaret atque leniret, ut „ in eum modum incendio illi resisteret, „ nec illo cremaretur. Nec vero exemplum „ deest: velut enim si lebetem igni impo„ nas, eique aquam injeceris, igni resi„ stit: sin autem illa desit, dissolvitur. „ Sic & Deus igni adversariam aquam commisit;

„ misit; ut cęlo ex aquis ejus convexa li-
„ nientibus, abunde suppeteret, quo dura-
„ ret ac incolume foret. „ Ergo &c.

Diluuntur objectiones adversus secundam conclusionem militantes.

OBJICIES: Aquæ elementa sunt corruptibilia: Sed nihil incorruptibile super cęlos admitti debet, cum suam ipsi cęlo alias incorruptibili, corruptionem communicaret; igitur non sunt aquæ veræ & corporales super cęlos.

Respondeo distinguendo: Aquæ sublunares sunt corruptibiles, concedo: aquæ super cęlos consistentes, nego. Ratio est, quia & subtiliores, & veluti gelu densatæ manent, unde a corruptione exutos intelligere quid vetat; cum corruptio & ex fluiditate, & ex mixtione cum vaporibus terræ contingat.

Urgebis: Aqua corporalis est corpus grave: Sed implicat corpus grave sursum manere, ut in loco innato: Igitur & aquas corporales super cęlos.

Respondeo distinguendo majorem, aqua corporalis sublunaris est corpus grave, quia multum habet de partibus terræ sibi admixtis, concedo: aqua levior, qualis est ea quæ super cœlos est, nego. Tum quia est ibi veluti in centro; Porro juxta tritum adagium: *Elementa non gravitant in centro*: Tum quia secundum opinionem satis probabilem aquæ illæ, vel sunt ipsa substantia cęli crystallini in aquas solubilis, sicut enim lapis adamantinus ex aqua subtiliori condensata coalescens, in aquam iterum solvi potest, quidni & firmamentum ex aquis productum, in aquas ordinante creatore, alternata vice redire posset? tum quia, ut tenet Augustinus lib. 2. de Gen. ad Litt. cap. 4. sunt partes aeris nubilosi & condensati. Solutio est D. Thomæ qui hic q. 68. art. 2. ad 1. ait: " Dicendum est, quod secundum
„ duas ultimas opiniones de aquis, &
„ firmamento patet solutio ex præmissis.
„ secundum autem primam opinionem
„ oportet ponere alium ordinem in ele-
„ mentis, quam Arist. ponit, ut quædam
„ aquæ spissæ sint circa terram: quædam
„ vero tenues circa cœlum, ut sic se ha-
„ beant illæ ad cœlum, sicut istæ ad
„ terram. Vel quod per aquam intelliga-
„ tur materia corporum. Cælestium,
„ puta firmamenti &c.

Instabis: Aquæ permanere non possunt super corpus rotundum, quandoquidem sunt fluidæ, unde motu aguntur perenni in longum, vel latum: Sed firmamentum est corpus rotundum: Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem, aquæ actu fluidæ corpori rotundo non subjacent, concedo: Aquæ condensatæ, potentia vero fluidæ, quales sunt aquæ quæ sunt super firmamentum, nego. Istæ igitur stare queunt super corpus rotundum, maxime vero cum non opus sit corpus in concavo rotundum, esse tale supra, sed sufficiat quod sit convexum. Sic respondet D. Thomas ibidem art. 2. ad 2. " Ad secundum,
„ etiam patet solutio ex præmissis secun-
„ dum duas ultimas opiniones. Secundum
„ vero primam respondet Basilius duplici-
„ ter. Uno modo, quia non est necessarium
„ ut omne quod in concavo apparet, sit
„ etiam supra rotundum, sed convexum.
„ Secundo, quia aquæ quæ sunt supra cę-
„ los, non sunt fluidæ, sed quasi glaciali
„ soliditate extra cœlum firmatæ. Unde
„ & a quibusdam dicuntur cęlum crystal-
„ linum. „

Persistes: Aquæ quæ divisæ dicuntur sunt ejusdem speciei: Sed aquæ supra cęlos existentes non sunt ejusdem naturæ cum aquis quæ sunt infra cęlos: Igitur aquæ superiores saltem non sunt corporales; inferiores enim esse sensibiles ultro fatentur omnes.

Respondeo distinguendo majorem, aquæ superiores in ea sententia quæ propugnat esse ipsam firmamenti substantiam & cęlum crystallinum, non sunt ejusdem speciei cum inferioribus, ita tamen quod sint corporeæ, cum ipsum cęlum ab auctoribus gravibus esse tale existimetur, concedo: si illæ aquæ secundam alteram sententiam sint ipse aer nubilosus qui firmamentum componit, nego: In hac quippe hypothesi firmamentum nihil est præter aerem nubilosum qui resolvitur in aquas, unde omnes aquæ, tum superiores quæ sunt in concavo cæli, tum aliæ quæ in convexo subjacent, sunt ejusdem prorsus naturæ.

Hæc responsio colligitur ex D. Thoma, qui hic q. 68. art. 3. ad 1. sic loquitur: " Ad
„ primum ergo dicendum, quod si per fir-
„ mamentum intelligatur cęlum side-
„ reum, aquæ superiores non sunt ejusdem
„ speciei cum inferioribus. Si autem per
„ firma-

„ firmamentum intelligatur nubilosus aer, „ tunc utræque aquæ sunt ejusdem speciei: & deputantur tunc duo loca aquis „ non eadem ratione: Sed locus superior „ est locus generationis aquarum, locus „ autem inferior est locus quietis aquarum. „ Rursus ibidem ad 2. explicat S. Doctor modum quo firmamento convenit dividere aquas ab aquis, dicens: " Si „ accipiantur aquæ diversæ secundum speciem, firmamentum dicitur dividere „ aquas ab aquis: non sicut causa faciens „ divisionem, sed sicut terminus utrarumque aquarum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Nomine firmamenti & aquarum intelligere debemus entia corporea.

PRIMO: Utrumque dicit scriptura, nec in alio potest explicari sensu absque, aut nugarum, aut mendacii seu fabulæ periculo.

Secundo: Sic intelligunt Patres: sic Basilius, sic Theodoretus, & post ipsos S. Thomas qui in hoc momento appellant ad fidei commendationem, aiuntque humanam mentem esse captivandam, cum Deus multo plura & possit, & faciat quam intellectu capere valeamus.

Tertio: Nomine firmamenti intelligitur creationis sensibilis terminus, unde aliquam mere spiritualem substantiam sub hujusce cęli nomine auspicari, est favere Manichæis, qui mundum hunc spectabilem non Deo optimo principio, sed malo & diabolo factum tribuunt. De aquarum corporeitate, non absimilis est ratio: addo cum Cyrillo Jerosolymitano corporales esse, ut terram in tempore opportuno irrigare valeant ad fęcunditatem.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Objicitur adversus secundam conclusionem aquas esse corruptibiles, adeoque nullas esse supra cęlos: Sed hoc pro sublunaribus terræ admixtis, non pro superioribus dicitur.

Secundo: Eadem distinctione explodimus argumentum ex gravitate desumptum: Et vero a gravitate eximuntur aquæ superiores, cum sint tenues & leviores, & juxta sententiam multorum sanctorum doctorum, non distinguantur ab ipsa firmamenti substantia.

Tertio: Dato quod aquæ superiores non sint ejusdem speciei cum aquis inferioribus, non inde sequitur non esse corporales: vel enim sunt ipsa cœli crystallini substantia, vel pars aeris nubilosi condensati.

SECTIO TERTIA.

De opere tertia diei. Videlicet de congregatione aquarum in unum locum & de productione plantarum.

DUO momenta hic pertractanda occurrunt: Unum de congregatione aquarum: Alterum de productione plantarum: de modo quo utrumque opus peractum est, fit inter auctores controversia. Pro quorum resolutione sit

CONCLUSIO PRIMA.

Deus, tertio die in unum congregavit terra locum aquas, videlicet in receptaculis, alveisque ad eas excipiendas & continendas in sinu terra & circa terram excavato.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

MOISES Genes. 1. opus tertiæ diei his verbis enarrare incipit: *Dixit vero Deus, congregentur aqua, quæ sub cælo sunt, in locum unum: Et appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam, terram: Congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod esset bonum.* S. Thomas hunc Scripturæ textum explanat triplex aquarum corpus distinguendo; unum confusum primo die sub nomine abyssi factum: alterum paulo distinctius secundo die factum seu digestum, quatenus firmamentum divisit aquas ab aquis, & quædam super cęlum, quædam vero infra steterunt: tertium aquas quæ sub cęlo remanserant terram cooperientes ab ipsa terra sejunxit, & in unum congregavit locum, hinc & ejusmodi aquæ maria nuncupavit.

S. Doctor sic loquitur hic q. 69. art. 1. " Formatio supremi corporis, *aquarum* ,, facta est prima die, & quia tempus sequitur motum cœli, tempus autem est ,, numerus motus supremi corporis : per ,, hujusmodi formationem facta est distinctio temporis, noctis, scilicet & diei, ,, secundo vero die formatum est medium ,, corpus, scilicet aquas, per firmamentum accipiens quandam distinctionem & ,, ordinem : Ita quod sub nomine aquæ ,, etiam alia comprehenduntur, ut supra ,, dictum est. Tertio vero die formatum ,, est ultimum corpus, scilicet terra : per ,, hoc quod discooperta est aquis, & facta est distinctio in infimo, quæ dicitur ,, terræ & maris. Unde satis congrue sicut informitatem terræ expresserat dicens, quod terra erat invisibilis vel ,, inanis : ita ejus formationem exprimit ,, per hoc quod dicit, & appareat arida. ,,

Secundo, ex sanctis Patribus.

S. Basilius Hom. 4. in Exaem. explicans ista Geneseos verba, *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum*, ait : " Scito hæc a prima illa Dei voce dependere. Illinc enim prima maria ad cursum motio indita aquis est. Ad omnem ,, de aquis commemorationem, primæ illius vocis immemor ne esto. *Congregentur aquæ*, oportebat eas decurrere, ,, suum ut occuparent locum : deinde locis sibi natura definitis restitutæ, in ipsis ut persisterent, neutiquam ultra progressuræ. ,,

S. Ambrosius similia profert de congregatione aquarum lib. 3. in Exaem. cap. 2. " Vox Dei, *inquit*, efficiens naturæ ,, est. Eam vocem effectu operationis implevit. Cœpit labi aqua & in unam confluere congregationem, quæ ante erat ,, diffusa per terras, & plurimis receptaculis inhærebat. Cursum ejus ante non ,, legi, motum ejus ante non didici; nec ,, oculus meus vidit, nec auris audivit. ,, Stabat aqua diversis locis, ad vocem ,, Dei mota est. ,, Ex his & similibus auctoritatibus liquet aquarum congeriem in unum locum tertia die revera factam fuisse.

Tertio, idem ratione comprobatur.

OPERA Dei tametsi hominibus secundum se impervia & abscondita, attamen verbo Dei & per effectus sensibiles manifestantur : Atqui scriptura congregationem aquarum tertia die factam fuisse dicit, experimentis vero, immo & oculis nostris videmus aquarum congeriem, tum in mari, tum in fluminibus, tum in locis terræ interioribus ubi Alveos aquarum esse non semel deprehendimus : tum denique in fontibus & puteis ubicumque effossis & apertis. Igitur luce clarius apparet congregationem aquarum in unum locum tertia die fuisse factam.

CONCLUSIO SECUNDA.

Eodem die Deus dedit terræ herbas & fructus producendi virtutem.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

HABETUR Gen. 1. *ait*, Deus, *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundum speciem suam : & vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere & mane, dies tertius.* Num terra tertia die receperit tantum & herbas, & plantas lignaque pomifera germinandi virtutem ? Num de facto his omnibus decorata & vestita, habens insuper vim similia producendi, primum apparuerit, est inter auctores sacros controversia. D. Thomas utramque opinionem refert, & credit probabilem. Tametsi de herba virenti tali tempore producta vix dubitet.

S. Doctor hic q. 69. art. 2. sic loquitur " Respondeo dicendum, quod sicut supra ,, dictum est in tertia die informitas terræ removetur. Duplex autem informitas terræ circa terram describebatur. ,, Una, quod erat invisibilis & inanis : ,, quia erat aquis cooperta. Alia, quod ,, erat incomposita, sive vacua, id est ,, non habens debitum decorem, qui acquiritur terræ ex plantis eam quodammodo vestientibus. Et ideo utraque informitas in hac tertia die removetur. Primo quidem per hoc quod aquæ congregatæ sunt in unum locum, & apparuit a-

„ rida. Secunda vero per hoc quod protulit „ terra herbam virentem, sed tamen „ circa productionem plantarum aliter „ opinatur Aug. ab aliis. Alii enim exposi- „ tores dicunt, quod plantæ productæ „ sunt actu in suis speciebus in hac tertia „ die: Secundum quod superficies literæ „ sonat. Aug. autem 5. super Gen. ad li- „ teram dicit, quod causaliter tunc dictum „ est produxisse terram herbam & lignum, „ idest producendi accepisse virtutem. „ Et hoc quidem confirmat auctoritate „ Scripturæ. Dicitur enim Gen. 2. istæ „ sunt generationes cœli & terræ, quando „ creatæ sunt in die quo Deus fecit cœlum „ & terram, & omne virgultum agri ante- „ quam oriretur in terra, omnemque „ herbam regionis priusquam germinaret. „ Ante ergo quam orirentur super terram, „ factæ sunt causaliter in terra. Confirma- „ tur hoc etiam ratione. Quia in illis pri- „ mis diebus condidit Deus creaturam ori- „ ginaliter, vel causaliter: a quo opere „ postmodum requievit, qui tamen post- „ modum secundum administrationem re- „ rum conditarum per opus propagatio- „ nis usquemodo operatur. Producere „ autem plantas ex terra ad opus propaga- „ tionis pertinet. Non ergo in tertia die „ productæ sunt plantæ in actu, sed cau- „ saliter tantum. Quamvis secundum alios „ dici possit, quod prima institutio spe- „ cierum ad opera sex dierum pertinet. „ Sed quod ex speciebus primo institu- „ tis generatio similium in specie proce- „ dat, hoc jam pertinet ad rerum admini- „ strationem. Et hoc est quod Scriptura „ dicit, antequam orirentur super ter- „ ram, vel antequam germinarent: id est, „ antequam ex similibus similia produce- „ rentur: sicut nunc naturaliter fieri vide- „ mus secundum viam seminationis. Un- „ de signanter Scriptura dicit, germinet „ terra herbam virentem & facientem „ semen: quia scilicet sunt productæ „ perfectæ species plantarum, ex quibus „ semina aliarum orirentur. Nec refert „ ubicumque habeant vim seminativam, „ utrum scilicet in radice, vel in stipi- „ te, vel in fructu. „

Secundo, ex Patribus.

DE productione, tum herbarum, tum plantarum & arborum, loquitur S. Augustinus libro 5. de Gen. ad. lit. cap. 4. " Quid sibi vult, quod sequitur, *cum factus est dies, fecit Deus cœlum & terram, & omne viride agri, antequam esset super terram, & omne fœnum agri antequam exortum est*, Quid est hoc? Nonne quærendum est, antequam essent super ter- „ ram, & antequam exorta sunt? quis „ enim non proclivius crederet, tum ea „ Deum fecisse, quum exorta sunt, non „ antequam exorta sunt, nisi admoneretur „ hoc divino eloquio, ita Deum fuisse an- „ tequam exorirentur, ut si ubi facta sint, „ invenire non possit, credat tamen ante „ facta quam exorta, quisquis huic scriptu- „ ræ pie credit, impie quippe non credit, „ seu pro sua sententia.

Altera, & probabilior est opinio Patrum qui terram herbis & plantis tertia die onustam fuisse autumant, ut animalia & ipse homo post hæc producenda, cibos quibus vescerentur ad vitam alendam haberent, maxime vero cum ex Scriptura constet perfectas arbores, maturis fructibus in paradiso ubi primo positus est Adam, refertas fuisse. Paradisus autem juxta communiorem sententiam tertia creationis die plantatus est. Unius S. Ambrosii verba hic in probationem subjicio. Sic loquitur lib. 4. in exaem. cap. 1. " Terram „ aspice quæ antequam sol prodiret, cœ- „ pit esse visibilis atque composita: Ger- „ mina ejus aspice anteriora solis lumi- „ ne. Anterior rubus quam sol, antiquior „ herba, quam luna. „

Tertio, ratione.

ORDO & veritas creationis tenenda sunt: sed & herbæ & plantæ dicuntur tertia die productæ: Igitur ita tenendum & propugnandum est, sive hoc intelligatur in sensu causali, ut vult B. Augustinus, sive in sensu formali & actuali, & probabilius juxta Basilii, Chrysostomi, & Ambrosii placitum.

Fit satis objectionibus.

OBJICIES contra primam conclusionem. Ubi non est locus, in quo recipiantur aquæ, ibi non potest esse aquarum Congregatio: Atqui non erat pro locatione ulteriori aquarum, distinctus locus ab eo qui factus est in Principio: Et probatur. Terra ante tertium diem erat ipsis cooperta aquis:

aquis: Igitur tunc temporis non potuit fieri, ut aquæ alio in loco per congregationem ponerentur.

Respondeo distinguendo minorem, non erat locus ulterior pro congregatione aquarum in sententia S. Augustini, qui quidem cuncta producta a principio, & aquas in eodem prorsus instanti in unum locum congregatas fuisse autumat, concedo: in sententia aliorum Patrum, nego. Basilius quippe aquas a principio velut quandam nebulam quæ terram cooperiebat, concipit, tertia vero die condensatione in unum confluxisse locum existimat. Cæterum terra præbuit partes concavas in quibus reciperentur aquæ eam cooperientes, eas vero quæ ad illam cingendam, quæque maria componunt, remansisse: unde in quacumque sententia, congregatio aquarum liquido explicatur.

S. Thomas hic quæst. 69. art. 1. sic solvit istud argumentum: " Ad secundum, „ *inquit*, patet solutio secundum Aug. „ quia non oportet dicere, quod terra „ primo esset cooperta aquis, & postmo„ dum congregatæ, sed quod in tali Con„ gregatione fuerunt productæ. Secun„ dum vero alios tripliciter respondetur, „ ut Aug. dicit 1. super Gen. ad lit. uno „ modo ut aquæ in majorem altitudinem „ sint elevatæ in loco ubi sunt congre„ gatæ. Nam mare altius est terra, ut „ experimento compertum est in mari ru„ bro: ut Basilius dicit. Secundo, ut di„ catur quod rarior aqua velut nebula ter„ ras tegebat, quæ congregatione den„ sata est. Tertio modo ut dicatur, quod „ terra potuit aliquas partes præbere con„ cavas, quibus confluentes aquæ recipe„ rentur. „

Urgebis: si congregatio aquarum in sensu obvio & ut litera sonat, teneatur, in unum quoque locum factam esse propugnandum est: sed hoc neque concipi, neque fieri potuit, cum non in uno sed multiplici contineantur loco, aliæ enim in sinu terræ, aliæ circa terram adjacent, nec habent aquæ subterraneæ continuitatem cum aquis maris: Igitur congregatio aquarum est tantummodo metaphorica.

Respondeo distinguendo, congregatio aquarum facta est in unum locum terminative, concedo: in unum locum formaliter, subdistinguo, hoc est, in locum a terra distinctum, concedo: a terra indistinctum, nego. Et sic destincta minore, nego consequentiam. Congregatio aquarum in unum locum facta duplici intelligitur modo: videlicet & quatenus omnia flumina, fontesque ad mare ex quo exiere, redeunt & veluti quiescunt, deinde vero quatenus a terra fixa distinguuntur, quandoquidem non sicut prius illam cooperiunt, sed, his recessis, apparuit arida ut dicit Moises.

Hæ solutiones colliguntur ex D. Thoma, qui ibidem art. 1. ad 3. sic respon„ det. " Dicendum, quod omnes aquæ „ unum terminum habent, scilicet ma„ re in quo confluunt vel manifestis, vel „ occultis meatibus. Et propter hoc di„ cuntur aquæ congregari in unum locum. „ Vel dicit unum locum non simpliciter, „ sed per comparationem ad locum ter„ ræ siccæ: ut sit sensus, congregentur „ aquæ in unum locum, idest, seorsum „ a terra sicca. Nam ad designandam „ pluralitatem locorum aquæ subdit, quod „ congregationes aquarum appellavit ma„ ria. „

Dices: Aquæ fluxum habent proprio pondere naturalem: Igitur superflua videtur aquarum congregatio, nec facta dicenda est tertia die, cum motus sit aquæ naturalis, adeoque virtute innata in unum eas confluxisse locum asserere oportet.

Respondeo distinguendo, aquæ condensatæ fluxum habent naturalem, concedo: aquæ leviores in nebulam formatæ, nego. Aquæ a Deo productæ duplicis sunt generis; quædam tenues sunt, quædam vero graves & condensatæ: illæ cooperiebant terram ad modum nebulæ, nec motum alium habebant nisi prout erat impetus ventis quibus unice competit agitare nubes: istæ vero, utpote densiores proprio pondere fluunt & refluunt quod & experimento non semel compertum est in aquis marinis. Sed dato aquas quæ terram a principio cooperiebant, fuisse densatas, jubente & volente Deo, in unum recessere locum, quibus etiam imposuit terminos creator, ut vel arenam littoris maris non transeant, ne ultra exuberantes inundent & terram, & habitatores.

Audiamus D. Thomam de hoc momento differentem. Ibidem art. 1. ad 4. ait: " Dicendum, quod jussio Dei naturalem „ motum corporibus præbet. Unde dici„ tur

„ tur quod suis naturalibus motibus fa-
„ ciunt velle ejus. Vel potest dici, quod
„ naturale esset, quod aqua undique es-
„ set circa terram, sicut aer undique es-
„ set circa aquam & terram: sed pro-
„ pter necessitatem finis, ut scilicet ani-
„ malia & plantæ essent super terram,
„ oportuit quod aliqua pars terræ esset di-
„ scooperta ab aquis. Quid quidem aliqui
„ Philosophi, & tribuunt actioni solis per
„ elevationem vaporum desiccantis ter-
„ ram. Sed sacra Scriptura attribuit po-
„ testati divinæ, non solum in Genesi,
„ sed etiam in Job 38. cap. ubi ex perso-
„ na Domini dicitur, circumdedi mare
„ terminis meis. Et Jerem. 5. me ergo
„ non timebitis, ait Dominus, qui posui
„ arenam terminum mari. „

Oppones adversus secundam conclusionem. Tribuli & spinæ intra plantarum genera comprehenduntur: Atqui solummodo post Adæ peccatum apparuere: Igitur non est verum dicere plantas tertia die fuisse productas. Probatur minor: legitur spinarum & tribulorum species in maledictionem peccati exortas fuisse. Ergo &c.

Respondeo negando absolute minorem: sicut enim serpentem ante peccatum extitisse constat, ita & dicendum de tribulis & spinis: sed neque reptilia venenosa, neque spinæ & tribuli ante peccatum habebant vim seu potius veluti feriendi potestatem, sicut, commisso peccato, habuerunt, cum omnia essent homini innocenti subdita, cui etiam ne læderetur, aderat providentia specialis: sed ut primum adversus Dominum rebellavit homo, cuncta quoque ipsi adversantia fuere ad vindictam juxta illud Sap. 5. 21. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*. Responsio est D. Thomæ qui ibidem art. 2. ad 2. sic fatur: " Dicendum, quod an-
„ te etiam illam maledictionem spinæ &
„ tribuli producti erant vel virtute, vel
„ actu, sed non erant producti hominis in
„ pœnam, ut scilicet terra quam propter
„ cibum coleret, infructuosa quædam &
„ noxia germinaret. Unde dictum est,
„ germinabit tibi. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus in unum locum congregavit aquas, deditque terræ vim producendi fructus; immo & herbis & plantis eam adornavit.

PRIMO: Ita factum esse enarrat Scriptura, multique gravissimi Patres, ut Basilius, & Chrysostomus sic interpretantur.

Secundo: Neque aquarum divisio in unum locum sine separatione aquarum superiorum ab inferioribus; neque productio plantarum realis absque vera efficentia intelligi possunt.

Tertio: Nisi Scriptura explicaretur de reali & vera tum aquarum divisione, tum herbarum atque plantarum productione, nusquam posset haberi Scripturæ sensus, sed unusquisque prout foret imaginationis impetus, de divinis quidquid sibi arrideret, crederet, quod est absurdum. Esto quod Auctores sacri non ignobiles in explicandis Scripturis Geneseos discrepent, omnes tamen & de vera divisione aquarum, & de reali productione plantarum conveniunt.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Tametsi aquæ ante divisionem forent in loco, ita ut universam & cingerent, & cooperirent terram, virtute tamen & imperio creatoris densatæ, recesserunt ex una parte terræ, & locum obtinuerunt tum circa, tum intra terræ arctiora spatia; quocirca merito dicuntur in unum congregatæ locum.

Secundo: Nec ullam facessit difficultatem quum in unum locum adunatæ prædicantur aquæ, quamvis omnes non habeant reciprocam continuitatem: unitas quippe loci sufficienter intelligitur respectu maris in quo veluti in termino adunantur: tum quia, hac facta divisione, non indiscriminatim ubique patebant aquæ, sed tantummodo in locis a Deo præfixis, ita ut appareret terra, pars sicca, unde & arida dicta est.

Tertio: Tribuli & spinæ ante peccatum utique e terra exurgebant, sed neque in tanta abundantia, seu copia, neque ut ferirent, sed ad ornatum, quatenus contraria juxta se posita magis elucescunt.

S E-

SECTIO QUARTA.

De opere quartae diei, ubi de luminaribus aliisque cælorum ornatibus, puta stellis tum fixis, tum errantibus.

NON est animus hac scrupulosa inquisitione perscrutari solis cæterorumque siderum naturam; sed solummodo num astra vere producta sint quarta die, uti narrat S. Moises. Porro inter sidera duo præ cæteris eminet, videlicet sol & luna, cum magis nobis appareant, tum quia magna est illorum virtus & efficacia in hæc inferiora, & hoc pluribus ex causis. Primo, quia excitant naturam hieme, ventis, & nubibus frigidis velut mortuam, ut ad vitam hominum alendam suos producat fructus. Secundo, quia eandem sopitam commovent, ut hominum utilitati cedant. Tertio, excitatam adjuvant in productione florum, plantarum, & animalium, ut cuncta homini cooperentur in bonum. Sol luminare majus dicitur, eo quod suapte natura sit lucidus, luna vero luminare minus quia suum a sole emendicat lumen. Quibus prælibatis, sit

CONCLUSIO.

Sol & luna, aliaque sidera vere & quidem convenienter quarta die producta sunt.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

SIC habetur Gen. 1. *Dixit autem Deus: fiant luminaria magna in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos; ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque duo luminaria magna; luminare majus, ut præesset diei; & luminare minus, ut præesset nocti; & stellas. Et posuit eas in firmamento cæli, ut lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere & mane, dies quartus.* Ergo &c.

Secundo, ex S. Patribus.

S. BASILIUS hom. 6. in exaem. ita factum esse propugnat, asserens quarta die *solare corpus illud quod primigeniæ lucis vehiculum foret, esse constitutum.* Suffragantur S. Chrysostomus homil. 6. in cap. 1. Genes. Theodoretus interrogatione 14. in Genes. ipse Augustinus lib. 2. de gen. ad litt. cap. 13. ait, astra quarto die accensa fuisse. Juvat ipsius hic verba texere: " Et quia, *ait*, sicut prius cœlum factum est, ita prius erat ornandum hujusmodi partibus suis, quarto die fiunt sidera, quibus super terram lucentibus habitatio quoque illustretur inferior. "

Tertio, ex D. Thomæ rationibus.

PRIMA sic exponitur. Ad opus magnificum tria concurrunt, primo quidem ejus substantia, quæ est primarius artificis supremi terminus: secundo partes quas ab invicem & distingui & secerni necesse est; tertio ejusdem operis ornatus, quo quemdam præ se ferat decorem ut intuentium alliciat oculos, ac placeat. Sed a principio fecerat cœlum, & terram Deus; secunda die firmamentum in medio aquarum; tertia die diviserat aquas ab aquis & terram desiccatam ornaverat herbis & plantis. Igitur conveniens erat, ut quarta die ornaret sideribus celos. Sic loquitur divus Thomas hic quæst. 70. art. 1. " Triplex opus intelligi potest, scilicet opus creationis; per quod cœlum & terra producta leguntur, sed informia. Et opus distinctionis, per quod cælum & terra sunt perfecta; sive per formas substantiales attributas materiæ omnino informi, ut August. vult; sive quantum ad convenientem decorem, & ordinem, ut alii Sancti dicunt. Et his duobus operibus additur ornatus, & differt ornatus a perfectione. Nam perfectio celi & terræ ad ea pertinere videtur, quæ celo & terræ sunt intrinseca. Ornatus vero ad ea quæ sunt a celo & terra distincta. Sicut homo perficitur per proprias partes & formas, ornatur autem per vestimenta, vel aliquid hujusmodi. Distinctio autem aliquorum maxime manifestatur per motum localem,

„ lem,quo ab invicem feparantur. Et ideo „ ad opus ornatus pertinet productio illarum rerum quæ habent motum in cœlo „ & in terra: ficut autem fupra dictum eft, „ de tribus fit mentio in creatione, fcilicet de cęlo, & aqua & terra. Et hæc „ tria etiam formantur per opus diftinctionis trium dierum. Primo die cœlum. „ Secundo die diftinguuntur aquæ. Tertio „ die fit diftinctio in terra, maris & aridæ. Et fimiliter in opere ornatus. Primo die, qui eft quartus, producuntur luminaria, quæ moventur in cœlo, ad „ ornatum ipfius. Secundo die, qui eft „ quintus, aves & pifces, ad ornatum medii elementi, quia habent motum in aere & aqua, quæ pro uno accipiuntur. „ Tertio die, qui eft fextus, producuntur „ animalia quæ habent motum in terra, ad ornatum ipfius. „ Quibus verbis explanat totam operis feriem & convenientiam D. Thomas, oftenditque ordinem rerum poftulaffe, ut quarto die cęli fideribus adornaretur. Igitur convenienter admodum quarto die aftra producta leguntur.

Secunda: Illa opera funt vere producta quarto die quæ prius non fuerunt concreata cum cęlis antea factis: Atqui fidera non fuerunt concreata cum cœlis, quandoquidem firmamentum non habet virtutem innatam producendi fidera, quippe quæ fint ipfo cęlo & virtute majora, & luce præftantiora. Igitur vere & realiter producta funt quarto die fidera. Ifta ratio eft D. Thomæ qui ibidem art. 1. ait: " Sciendum eft quod in productione lu„ minarium, non difcordat Augufti„ nus ab aliis Sanctis. Dicit enim lumina„ ria effe facta in actu non in virtute tan„ tum. Non enim firmamentum habet vir„ tutem productivam luminarium, ficut „ habet terræ virtutem productivam plan„ tarum. Unde Scriptura non dicit, pro„ ducat firmamentum luminaria, ficut „ dicit, germinet terra herbam viren„ tem. „

Tertia: qui fidera vere facta negaret, ne dum a fenfu Scripturæ genuino, fed & ab auctoris fcopo aberraret, namque Moifes quarto die ea dixit intentione facta, & hoc fpeciali ordine & diftinctione, ut populum fuum ad idololatriam propenfum, inftrueret, ne militiam cœli veluti divinitatem, ut multi Pagani, coleret & ofcularetur: Igitur aftra facta effe & creata quarto die tenendum eft. Hanc delibat rationem D. Thomas hic art. 2. his verbis: " Dicendum, quod ficut dictum „ eft fupra, creatura aliqua corporalis „ poteft dici effe facta vel propter actum „ proprium, vel propter aliam creatu„ ram, vel propter totum univerfum, vel „ propter gloriam Dei. Sed Moifes, ut „ populum ab idololatria revocaret, illam „ folam caufam tetigit fecundum quod funt „ facta ad utilitatem hominum. Unde di„ citur Deut. 4. Ne forte elevatis ocu„ lis ad cœlum videas folem & lunam, „ & omnia aftra cęli, & errore dece„ ptus adores ea & colas, quæ creavit Do„ minus Deus in minifterium cunctis gen„ tibus. Hoc autem minifterium explicat „ in principio Genefis &c. „

Proponuntur fimul & folvuntur argumenta in contrarium.

OBJICIES 1. Videtur inconveniens fi aftra in firmamento producta dicantur: Igitur fruftra ponitur ibi eorum productio. Probatur Antecedens. Aftra maxime fol & luna fuos habent motus, fuafque circulationes: fed firmamentum eft immobile: Et probatur: dicitur firmamentum a ftando, eo prope modo quo rupes firmæ prædicantur, quia immobiles. Ergo &c.

Refpondeo negando Antecedens. Ad probationem, nego firmamentum a ftando nominari, fed a foliditate; cum enim ex aquis creatum feu factum probabile fit, ex aquarum condenfatione & partium veluti gelu compactarum tenacitate, firmamentum feu cęlum cryftallinum nuncupatum eft, unde & movetur, & aftra ad ejus motum moveri nihil prohibet: quid plura? Planetæ nedum ad motum primi mobilis moventur, fed in proprio innatoque orbe volutantur, ut fuam decurrant Sphæram. Solutio ex B. Aug. colligitur.

S. Doctor lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 10. fic loquitur: " Nonnulli fratres quæftio„ nem movent, utrum ftet an moveatur „ *firmamentum*? Quia fi movetur, in„ quiunt, quomodo firmamentum eft? Si „ autem ftat, quomodo fidera, quæ in il„ lo fixa creduntur ab Oriente ufque ad „ Occidentem circumeunt? Quibus re-

fpon-

" pondeo, multum subtilibus, & laboriosis rationibus ista perquiri, ut vere " percipiatur utrum ita, an non ita sit: " quibus ineundis atque tractandis, nec jam " mihi tempus est, nec illis esse debet, " quos ad salutem suam, & Ecclesiæ necessariam utilitatem cupimus informari. " Hoc sane noverint, nec nomen firmamenti cogere, ut stare cœlum putemus: " firmamentum enim non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum & inferiorum aquarum vocatum " intelligere licet. Nec si veritas cœlum " stare persuaserit, impediri nos circuitu " siderum, ne hoc intelligere possimus. " Et ab ipsis quippe, qui hæc curiosissime & otiosissime quæsierunt, inventum " est, etiam cœlo non moto: Si sola sidera verterentur, fieri potuisse omnia, " quæ in ipsis siderum conversionibus animadversa atque comprehensa sunt. "

Repones: Sidera sunt veluti lucis vasa, & receptacula: sed lux prima die facta est: Igitur & siderum cœtus; nusquam vero quarta die.

Respondeo distinguendo, sidera sunt lucis perfectæ & per omnia refulgentis veluti vasa, concedo: astra quippe suis irradiationibus præsunt diei & nocti, ut illuminent terram. Astra sunt vasa lucis primigeniæ, quæ quidem lucebat, sed non ut irradiationibus in inferiora corpora certo determinatoque motu efflueret, nego. Determinatum irradiationis effluxum non habuit lux, nisi quarta die, hinc in creatione sidera dicuntur quoque quoad certos fulgoris & illuminationis effectus producta.

Sic censet S. Thomas qui hic q. 70. art. 1. ad 2. ait: " Dicendum, quod secundum Aug. nulla sequitur difficultas: " quia lux de qua prima die facta est mentio, fuit lux spiritualis: Nunc autem " fit lux corporalis. Si autem lux primo " die facta, intelligitur lux corporalis, " oportet dicere quod lux primo die fuit " producta secundum communem lucis naturam: Quarto autem die attributa est " luminaribus determinata virtus ad determinatos effectus: Secundum quod videmus alios effectus habere radium solis, " & alios radium lunæ, & sic de aliis. " Et propter hanc determinationem virtutis dicit Dionys. 4. cap. de div. nom. " quod lumen solis, quod primo erat informe, quarto die formatum est. "

Instabis: Atqui sidera non debuerunt quarta die produci, sed ad summum secunda die: Ergo &c. Eodem modo ratiocinandum est de sideribus comparative ad firmamentum sicut de plantis respective ad terram: sed plantæ productæ leguntur tertia die cum arida, hoc est, quando terra desiccata aquis apparuit. Igitur eodem prosus die quo factum est firmamentum, facta sunt quoque sidera.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem, distinguo: Eodem modo quoad aliquid ratiocinandum est de sideribus comparative ad firmamentum sicut de plantis per ordinem ad terram, concedo: eodem modo quoad omnia, nego. Comparatio in aliquo puncto sed non in omni reperitur. In hoc potissimum est convenientia, quod sicut plantæ terram, ita & sidera ornant firmamentum: sed discrepantia in virtute magna distinguitur, non enim firmamento inest producendi sidera vis & potestas, bene vero terræ suos producendi ornatus, videlicet herbas, arbores, & plantas. Unde D. Thomas hic qu. 70. art. 1. ad 3. ait: " Firmamentum factum est secunda die quantum ad " inferiorem partem. In firmamento autem posita sunt sidera quarta die quantum ad superiorem partem, ut totum " pro uno accipiatur, secundum quod sensui apparet. " Subdit vero ibidem ad 4. productionem plantarum præmitti luminaribus, ne rudiores crederent solem & lunam esse Deos a quibus cuncta inferiora ut a primis principiis promanant: " Dicendum, quod sicut dicit Basil. præmittitur productio plantarum luminaribus " ad excludendam idololatriam. Qui enim " credunt luminaria esse Deos, dicunt " quod primordialem originem habent " plantæ a luminaribus: quamvis, ut Chrysostomus dicit, sicut agricola cooperatur ad productionem plantarum, ita etiam & luminaria per suos motus. "

Oppones 2. Luminaria in signa dicuntur facta: sed hoc ad litteram, salva fide, intelligi non potest, cum astra nullam habeant in cor humanum potestatem: Igitur & luminarium productio mere spiritualiter & metaphorice intelligenda est.

Respondeo distinguendo majorem, luminaria sunt in signa & temporum, & corpora-

poralium transmutationum, concedo: in signa actuum humanorum, nego. Et distinguo minorem: Hoc in primo sensu, salvo fidei dogmate, concipi non potest, concedo: in secundo sensu, nego. Luminaria dividunt diem a nocte, & influunt in productionem tum plantarum, tum animalium, ex quo illud emanavit apud Philosophos sententiale effatum: *Sol & arbor generant arborem*: At solus Deus cor hominis quocumque voluerit inclinandi potestatem habet. Igitur nulla apparet implicantia, cum luminaria in signa temporum & corporalium transmutationum in cœlo posita enarrantur; foret vero maxima, si hoc ipsum respectu hominis libere agentis admitteretur. Hæc responsio est D. Thomæ ibidem art. 2. ad 1. " Luminaria sunt in signa corporalium ,, transmutationum, non autem eorum ,, quæ dependent ex libero arbitrio. ,,

Urgebis: Distinctio temporum & dierum incepit a primo die: Frustra igitur luminaria quarto die in firmamento posita dicuntur in signa temporum.

Respondeo distinguendo antecedens: Distinctio temporum communis & diurna quæ attenditur penes mane & vespere, & mensuram tum dierum, tum mensium & annorum, concedo: distinctio specialis quæ potissimum spectatur secundum diversas anni tempestates, quarum aliæ frigidæ sunt, aliæ vero calidiores, nego. Ista quippe ex influxu siderum maxime pendet, unde non immerito luminaria in signa temporum producta dicuntur. Sic censet D. Thomas art. 2. ad 3. " Dicendum, quod in prima die facta est ,, communis distinctio temporis per diem ,, & noctem secundum motum diurnum, ,, qui est communis totius cœli: qui potest intelligi incepisse primo die, sed ,, speciales distinctiones dierum, & temporum, secundum quod dies est calidior ,, die, & tempus tempore, & annus anno, fiunt secundum motus speciales stellarum, qui possunt intelligi quarto die ,, incepisse. ,,

Dices: Luna non præest nocti, maxime quum est prima, tunc enim nihil aut parum luminis habet. Igitur productio luminarium in sensu obvio & litterali non bene concipitur.

Respondeo lunam plenam & in se perfectissimam creatam fuisse, nemo non dubitavit, si opera a Deo promanasse perfecta cogitet, quod quidem non obscure indigitat Scriptura, cum ait Gen. 1. 31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat; & erant valde bona*. Porro lunam plenam præesse nocti certissimum est, cum tunc temporis ejus lux sicut dies illuminat atque coruscat. Solutio est D. Thomæ ibidem ad 5. " Dicendum quod luna quando est perfecta, oritur vespere, & occidit mane; & sic præest nocti. Et ,, satis probabile est, quod luna fuerit facta plena: Sicut & herbæ factæ sunt ,, in sua perfectione facientes semen: Et ,, similiter animalia, & homo. Licet ,, enim naturali processu ab imperfecto ,, ad perfectum deveniatur: simpliciter ,, tamen perfectum prius est imperfecto. ,,

Cæterum sanctus Doctor ibidem art. 3. observat luminaria neque esse animata ut plantas, neque habere vel leviorem vitæ etiam imperfectissimæ gradum, quia non ab intrinseco, sed mere ab extrinseco, ab aliqua intelligentia circa suos orbes, ab Oriente ad Occidentem moventur, quod enim solum proprio pondere, sed & insuper ab aliquo Angelo moveantur, patet, eo quod non ad unum locum in quo quiescant, sed ad multiplicem circumferantur: " Quod autem, *inquit*, corpora cælestia moveantur ab aliqua substantia apprehendente, & non solum ,, a natura, sicut gravia & levia, patet ,, ex hoc quod natura non movet nisi ad ,, unum, quo habito, quiescit. Quod in ,, motu corporum cælestium non apparet. Unde relinquitur, quod moventur ab aliqua substantia apprehendente. ,, Augustinus etiam cap. 4. dicit 3. de ,, Trinitate, corpora omnia administrari ,, a Deo per spiritum vitæ. Sic igitur ,, patet, quod corpora cælestia non sunt ,, animata eo modo, quo plantæ & animalia, sed æquivoce.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Astra convenienter quarta die producta enarrantur.

PRIMO: Hoc ipsum asserit Scriptura: hoc ita factum esse censent Basilius hom. 6. in Exaem. Theodoretus interrog. 14. in Gen. & alii permulti Patres.

Secun-

Secundo: Conveniens erat ut sicut terræ primum inani accessit tertio die ornatus, ita & cœlum veluti vacuum quarta die astris adornaretur.

Tertio: Quia non die secundo sidera concreta sunt cum firmamento, quod certe innatam non habet virtutem luminaria producendi, sicut habet terra herbas & plantas producendi. Igitur quarta die & hoc speciali providentia fuisse facta leguntur, ut homines ista distinctione intelligerent sidera tametsi speciosissima, non Deos, sed creaturas esse.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Firmamentum, non a stando & immobilitate, sed a condensatione & firmitate nuncupantur, unde nihil prohibet astra in ipso producto affigi, defendere, cum non eorum impediat motus, quin potius adjuvet.

Secundo: Asserimus quoque sidera esse lucis receptacula, sed abundantioris prima luce quam habuit a principio cœlum: Igitur astra recte dicuntur, non prima, sed quarta die creata.

Tertio: Sidera sunt quoque in signa, sed temporum & corporalium transmutationum, nusquam vero actuum humanorum: Porro distinguunt tempestates quæ ex eorum diversis influxionibus diversificantur, & ideo quarto die non incongrue producta leguntur, tametsi jam esset ordo dierum penes temporis mensurata intervalla. Luna plena & perfecta creata est: Igitur Moyses eam præesse nocti apprime notat.

SECTIO QUINTA.

De opere quintæ diei, videlicet de piscibus maris, & avibus cœli.

PISCES vocantur reptilia, quatenus eo prope modo moveantur in aquis, quo reptilia in terris, nempe supra pectus & ventrem. Aliqui tamen pisces pedibus gradiuntur, illi scilicet qui amphibia sunt, quique partim in aquis, partim in terra commorantur, ut crocodili, testudines, ranæ, &c. Per cete grandia de quibus multus est sermo in sacris Scripturis non unam aliquam piscium speciem intelligit Moyses, sed promiscue omnes pisces qui sunt grandiori corpore. Quia vox hebraica *bataninin*, significat dracones: quia vero dracones terrestres solent esse magni, ideo omnes magni pisces appellantur dracones, quocirca Latinus Interpres vertit, cete.

Quod spectat aves, dicuntur cœli aves, non quidem empyrei, aut firmamenti, sed ætherei, spatium enim inter terram & sphæram ignis multum aeris continet, qui eo subtilior evadit, quo superius ascendit. Quia igitur ad tertiam usque regionem eamque altissimam pervadit, immo & transcendit nubes, nomine cœli non sine fundamento donatur. Quibus prælibatis, quæritur, an convenienter productio piscium & avium quinta die assignetur? Pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO.

Productio piscium & avium convenienter facta est quinta die.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

MOYSES ita factum esse scribit: Igitur & convenienter, cum sapientia Dei attingat omnia a fine ad finem, & faciat suaviter. Probatur antecedens ex ipso Scripturæ contextu. Gen. 1. sic habetur. *Dixit etiam Deus: producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram sub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum. Benedixitque eis, dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: avesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere & mane, dies quintus.* Profecto non potest ordo tam exacte explicari absque rei veritate, quam historia de se prædicat, maxime cum cuncta in suo gradu & tempore alternatis vicibus digesta commemorat. Igitur & pisces maris, & aves cœli quinta die facta fuisse extra dubium est.

Secundo, ex ratione divi Thomæ.

Deus cuncta fecit summa cum sapientia, cujus proprium est omnia ordinare & ad hominis utilitatem, suamque propriam gloriam: Sed mare & cœlum æthereum indigebant ornatu, homines vero opus habebant nedum pro ordinata & moderata recreatione, verum etiam pro vita fovenda & sustentanda piscibus maris & volatilibus cœli: Igitur ornatis cœlo & terra, mare quoque & media regio debuerunt quinta die decorari & perfici tum piscibus, tum volatilibus. Ista ratio ex D. Thoma prodit, qui hic q. 71. sic loquitur: "Dicendum, quod sicut supra dictum est, opus ornatus per ordinem respondet ordini distinctionis. Unde sicut inter tres dies distinctioni deputatos, quæ est secunda, deputatur distinctioni medii corporis, scilicet aquæ: ita inter dies deputatos ad opus ornatus, media, idest quinta deputatur ad ornatum medii corporis per productionem avium & piscium. Unde sicut Moyses in quarta die nominat luminaria & lucem, ut designet quod quarta dies respondet primæ, in qua dixerat lucem factam: ita in hac quinta die facit mentionem de aquis & de firmamento cœli, ut designet, quod quinta dies respondet secundæ."

Num aves ex aquis coaluerint, non una est sententia: quidam e vaporibus terræ & aere densato factas esse autumant, multo plures credunt ex aquis, ut Basilius hom. 8. in Exaem. Chrysostomus hom. 7. in Genes. Cyrillus Alexandrinus l. 1. Glaphyrorum in Genes. Joannes Damascenus l. 2. de fide orthodoxa cap. 49. D. Thomas hic q. 71. ad 3. sed inter omnes Ambrosius l. 5. in Exaem. cap. 14. ubi sic loquitur: "Quoniam in nonnullis idem usus & species, ideo de aquis utriusque generis nativitas divina præceptione processit. Dixit enim Deus: producant aquæ reptilia animarum viventium secundum genus: & volatilia volantia super terras secus firmamentum cœli secundum genus. Non immerito igitur, quia de aquis genus utrumque producitur, natandi proprietas utrisque suppeditat." Cui concinunt quidem versiculi quos in hymno feria quinta canit Ecclesia:

Magnæ Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti,
Partim levas in aera.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Convenienter quinta die pisces maris & volucres cœli producti sunt.

PRIMO: Quia Scriptura sacra id verbis expressis dicit Gen. 1.

Secundo: Quia ex D. Thoma hoc ipsum expostulabat rerum ordo, & hominis utilitas.

Tertio: Basilius & multi alii Patres tenent aves aquis assurrexisse.

SECTIO SEXTA.

De productione animalium & reptilium super terram, simul & de hominis creatione.

PLATO in Timæo animalium productionem a primo & summo Deo demandatam esse diis secundis effutit. Lucretius l. 5. refert omnia animalia juxta Epicuri insanientis sententiam cuncta animalia in exordio mundi ex terra præ nimia fœcunditate, accedente siderum influxu & efficacia [illegible]uisse & fuisse producta: Quidam etiam inter Christianos circa formationem hominis nonnihil aberrant, existimando hominem ad imaginem Dei esse formatum nedum quoad animam, verum etiam penes corpus. Omnium errores hic debellare juvat. Unde sit

CONCLUSIO PRIMA.

Deus animalia & ipsum hominem sexta die formavit.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

MOISES de operatione sexti diei loquens, ait: *Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terræ, secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere suo.... Et* ait:

ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris & volatilibus cœli, & bestiis, universæque terræ, omnique repti li quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, &c.* Porro hanc historiam esse fide dignissimam fuse probavimus ubi de existentia unius Dei actitatum est, eo quippe loci testimoniis omni exceptione majoribus ostenditur contra Epicurum Deum solum & cuncta fecisse, & rerum omnium esse parentem & primam causam: Non absimilibus rationibus contra tum idololatrarum, tum Hæreticorum commenta non multiplex, sed unicum esse rerum primum principium ostensum est. Igitur relictis omnibus fabulis, tenendum simul & credendum est a Deo & animalia & reptilia, & ipsum hominem sexta die facta atque creata fuisse.

Secundo, ex divo Augustino:

PLURIUM Patrum accedit auctoritas, ut Basilii, Ambrosii, Chrysostomi, Bedæ in conclusionis confirmationem; unius Aug. sufficiat testimonium l. 3. de Gen. ad lit. cap. 14. Sanctus Doctor multus est in distribuendis operibus diei sextæ, aitque nedum animalia magna, sed & minutissima creata fuisse a Deo cujus potentia & magnificentia sicut in magnis, ita & minimis bestiis mirum in modum elucet: " Nonnulla etiam, *inquit*, de minutissimis animalibus quæstio est ... quorum omnium non possumus recte dicere Deum non esse Creatorem. Inest enim omnibus quoddam naturæ sui generis decus, sicut in his major sit admiratio bene considerantis, & laus uberior omnipotentis artificis: qui omnia in sapientia fecit ... creat minima corpore, acuta sensu animantia; ut majore attentione stupeamus agilitatem muscæ volantis, quam magnitudinem jumenti gradientis, ampliusque miremur opera formicarum, quam onera camelorum. " Postea subjungit quædam inter illa minima natura liter prodiisse vel ex radicibus plantarum quibus terræ continuantur, & exorta fuisse cum apparuit arida, quædam alia ex eadem prodiisse terra vi & influxu siderum coruscantium, & in inferiora agentium: Et hoc ex innatis artorum, plantarumve seminibus: quæ vero ex animalium putrefactione fiunt, ea ut patet tunc temporis non fuerunt creata, illa tamen Deum Auctorem qui generandi virtutem reliquit bestiis, habere constat.

Tertio, ex ratione divi Thomæ.

TRIPLEX corpus in mundo distinguitur, videlicet supremum, & est cœlum; medium, & est aqua; infimum, & terra vocatur: Sed conveniens erat & pro utilitate hominum, & pro gloria Dei, ut quodlibet suo donaretur ornatu: Igitur adornatis prioribus corporibus, consentaneum erat & ipsam terram adornare sexta die, hominem vero propter quem Deus mundum condiderat veluti palatium, extructa domo & parata, post omnia produceret. Hoc ipsum docet Gregor. Naz. orat. 28. ait hominem conditum fuisse velut mundum quemdam alterum in parvo magnum, Angelum alium, missum adoratorem, visibilis creaturæ spectatorem. Tum D. Thomas hic q. 72. ait his verbis: " Dicendum, quod sicut in die quinto ornatur medium corpus, & respondet secundæ diei: ita in sexto die ornatur ultimum corpus, scilicet terra, per productionem animalium terrestrium & respondet tertiæ diei. Unde utrobique fit mentio de terra. Et hic etiam secundum Aug. animalia terrestria producuntur potentialiter: Secundum vero alios Sanctos in actu. "

CONCLUSIO SECUNDA.

Homo factus est ad imaginem Dei penes solam animam.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

SIC legitur Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra: & creavit Deus hominem ad imaginem suam.* Duo potissimum observanda sunt in iis verbis: Primum quidem hominem fieri ad imaginem, & similitudinem Dei: Secundum vero creatum esse ut præsit & piscibus, & avibus & be-

& bestiis: Porro Deus non habet corpus; si igitur homo factus est ad similitudinem Dei, hoc intelligi debet penes animam, alias non esset magis ad imaginem Dei quam cæteræ creaturæ sublunares quarum corpora æque Dei in suo genere repræsentant omnipotentiam, quam corpus hominis, maxime vero cum multæ bestiæ superent hominem aut in sensu & fortitudine, aut saltem adæquent, & tamen non pisces maris, non aves cœli, non bestiæ agri ad imaginem Dei creatæ commemorantur, sed solus homo; quod argumentum est, hominem, non secundum corpus, sed tantum penes animam esse ad similitudinem & imaginem Dei productum.

Rationem alteram exhibet observatio secunda, quæ in ista forma explanatur: Homo præest piscibus, avibus & bestiis consilio, præest sapientia & industria, & non per corporis vires, cum nec adsit in profundo maris, nec volatu penetret cœlum æthereum, nec leonibus & elephantibus dominetur quantitate molis, & manuum fortitudine: Sed imago Dei penes consilii & sapientiæ imperium attenditur: Igitur homo factus est ad imaginem Dei, & hoc non secundum corpus, sed secundum animam. Ista ratio refertur a Theodoreto interrog. 20. in Gen. " Nonnulli, *inquit*, dixerunt, ad imaginem Dei creatum esse hominem, secundum facultatem dominandi, argumento clarissimo usi, ex eo quod Creator subjunxit. *Et dominetur piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, & universæ terræ, & omnibus serpentibus super terram*. Quemadmodum enim ipse omnium tenet imperium; ita & dedit homini dominium animalium irrationalium. "

S. Paulus 1. Cor. 15. 49. eidem suffragatur veritati his verbis: *Igitur sicut portavimus imaginem terreni*, (nempe hominis) *portemus & imaginem cælestis*. Eo loci Apostolus distinguit imaginem Dei ab imagine Adæ peccatoris, quod illa sit spiritualis & cælestis, quia & Dei spiritus: ista vero sit corporea & terrena, quia & hominis sensualis: Igitur esse ad imaginem Dei soli competit animæ quæ est spiritus. Hoc argumento perstringit apud Theodoretum interr. 20. in Gen. Origenes eos qui imaginem Dei in corpore sitam esse propugnabant: " Qui vero, *inquit*, asseret illud, *ad imaginem*, non in corpore consistere, sed in anima rationali, dogma statuet non contemnendum, comprehendens quæ facultates sint ipsius. Nam quæ in homine est facultas cognoscendi, judicandi, bene merendi, agendi quæ justa sunt, fortitudinis, & ut semel dicam, omnis boni effectrix, a Deo ipsi creata est ad imaginem. Quod autem non forma corporis, sed actiones repræsentent nobis imaginem Dei, aperte Apostolus dicit 1. Cor. 15. 49. *Quemadmodum portavimus imaginem terreni hominis ita portemus & imaginem cælestis*. Et imaginem quidem terrenam portat, qui secundum carnem vivit, & perficit opera carnis. Imaginem vero cælestis, qui spiritu actus carnis mortificat. "

Secundo, ex sanctis Patribus.

TERTULLIANUS lib. 2. contra Marcionem cap. 4. sic loquitur de creatione hominis: " Eam quoque bonitas, & quidem operantior operata est, non imperiali verbo, sed familiari manu: etiam verbo blandiente præmisso, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. " Tum cap. 5. " Neque enim facie & corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad uniformem Deum expressus est; sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, id est animæ, ad formam Dei spondentis &c. "

Clemens Alexand. l. 6. Strom. ait hominem ad imaginem Dei esse factum, non propter structuræ suæ figuram: Sed quoniam uti Deus ratione molitur omnia; sic homo qui perfecta cognitione præditus est, ex rationali facultate bonas & honestas actiones exequitur.

Atque Ambrosius lib. 6. in Exaem. c. 8. " Non ergo, *inquit*, caro potest esse ad imaginem Dei, sed anima nostra. "

Non omittendus S. Augustinus l. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 17. " Istam, *ait*, maxime quæstionem solent Manichei loquaciter agitare & insultare nobis quod hominem credamus factum ad imaginem & similitudinem Dei. Attendunt enim ad figuram corporis nostri, & infeliciter quærunt, utrum Deus habeat nares & dentes?, sed omnes

„ qui spiritaliter intelligunt Scripturas, „ non membra corporea per ista nomina, sed spiritales potentias accipere dicerunt. „ Tum subdit: "Sed tamen „ noverint in catholica disciplina spiritales fideles non credere Deum forma „ corporea definitum; & quod homo ad „ imaginem Dei factus dicitur, secundum „ interiorem hominem dici, ubi est ratio „ & intellectus. „

Concinunt cæteri Patres, ut Cyrillus Alex. l. contra Anthropomorphitas, sanctus Chrysostomus homil. de eo quod imaginem, quæ est ad similitudinem, homo per peccatum abjecit. Severianus Gabalitanus orat. 5. de mundi opificio.

Tertio, ex ratione, eaque multiplici.

PRIMA hæc est. Qui tenet hominem esse secundum corpus ad imaginem Dei factum, nonnihil Anthropomorphitis favet: Et vero, imago exprimit prototypum, alias neque foret, neque dicenda & nominanda esset imago, quocirca creaturas corporales S. Job vocat Dei, non imagines, sed vestigia: unde si corpus similitudo Dei poneretur, profecto aliqua corporis aut quantitas, aut affectio Deo ipsi inesset: sed non oportet in errores Hæreticorum impingere. Igitur tenendum est hominem solum penes animam ad Dei imaginem factum.

Secunda: Imago attenditur secundum id quod est in ente formale, & juxta finem ad quem tendit, & qua assecuta quiescit: Sed id quod est in Deo formale, est quod sit purus spiritus cuncta intelligens, cuncta consilio operans & faciens juxta illud Psalmi 135. *Qui fecit cælos in intellectu*: quod sui ipsius cognitione & amore sit beatissimus; quæ quidem omnia homo non corpore, sed cognitione & amore assequitur: Igitur non est nisi secundum animam ad imaginem Dei factus, quandoquidem sola anima intellectiva operationibus spiritualibus, videlicet cognitione & amore, id quod est in Deo formale attingit & exprimit.

Hæc ratio colligitur ex D. Augustino qui lib. 83. quæst. q. 51. ait: „ Ergo iste „ spiritus ad imaginem nullo dubitante factus accipitur, in quo est intelligentia „ veritatis: hæret enim veritati nulla interposita creatura. „

Tertia: Eatenus homo est ad imaginem Dei, quatenus participat id quod est in Deo singulare, ut ejus immensitatem & libertatem, hac quippe dote humana natura secernitur a belluis: Atqui homo solum animæ operatione intellectuali, ista donatur proprietate: Et probatur ex D. Ambrosio qui lib. 6. c. 8. in Exaem. ait: „ Non ergo caro potest esse ad imaginem Dei, sed anima nostra, quæ libera est, & diffusis cognitionibus atque consiliis huc atque illuc vagatur, „ quæ considerando spectat omnia. Ecce „ nunc sumus in Italia, & cogitamus ea „ quæ ad Orientales aut Occidentales partes spectare videntur, & cum illis versari videmur, qui in Perside sunt constituti, & illos videmus qui degunt in „ Africa: Si quos cognitos nobis ea terra susceperit, sequimur proficiscentes, inhæremus peregrinantibus, copulamur absentibus, & alloquimur separatos, defunctos quoque ad colloquium resuscitamus, eosque ut viventes complectimur... „ Ea igitur est ad imaginem Dei, quæ non „ corporeo æstimatur, sed mentis vigore, quæ absentes videt, transmarina visu novit, percurrit aspectu, scrutatur „ abdita, huc atque illuc uno momento „ sensus suos per totius orbis fines & „ mundi secreta circumfert, quæ Deo „ jungitur, Christo adhæret, descendit in „ infernum, atque ascendit, libera versatur in cælo. „

Respondetur objectionibus adversus primam conclusionem militantibus.

OBJICIES: Multa putredine fiunt & generantur: Igitur animalia quæ hac via nascuntur a Deo non sunt, adeoque non est verum dicere animalia sexta die fuisse producta.

Respondeo distinguendo consequens, animalia quæ fiunt putredine non sunt a Deo producta sexta die actu, & immediate, transeat, nam & eadem via generationis se prodere, ut patet de muscis, non semel compertum est: non sunt a Deo tunc temporis producta potentia, nego: Emanant quippe ab aliis entibus in quibus Deus reliquit ejusmodi bestias gignendi virtutem; & idem dicendum est de monstris, unde cuncta a Deo ut a prima causa procedere pro certo tenere debe-

debemus. Quædam tamen animalia non ex corruptione aliarum bestiarum sed plantarum procreantur, & ista sexta die fuisse producta non implicat. Solutio est D. Thomæ qui hic q. 72. ad 5. sic loquitur: " Dicendum, quod generatio unius
„ sit corruptio alterius, quod ex corru-
„ ptione ignobiliorum generentur nobi-
„ liora: non repugnat primæ rerum in-
„ stitutioni, unde animalia quæ generan-
„ tur ex corruptione rerum inanimata-
„ rum, vel plantarum, potuerunt tunc ge-
„ nerari: non autem quæ generantur ex
„ corruptione animalium, tunc potue-
„ runt produci, nisi potentialiter tan-
„ tum. „

Instabis: Atqui cuncta animalia, etiam ea quæ ex corruptione aliorum animalium non promanant, sexta die non fuere producta: Ergo &c. Probatur subsumptum: Quædam sunt nociva, ut leones: Igitur non nisi post peccatum in vindictam apparuere.

Respondet Aug. lib. 3. de Gen. ad lit. c. 15. ante peccatum a primo homine commissum ejusmodi animalia non fuisse nociva, quippe quæ erant homini innocenti subdita: & vero, commisso peccato, quædam creaturæ ordinatæ sunt a Deo modo ad flagellandum hominem reum & puniendum, modo etiam ad corripiendum in justitia, ut melior evadat. Serpentes enim tametsi nocivos, attamen ante peccatum extitisse nemo fidelis non credit, cum Evam a serpente deceptam fuisse constet: " Potuerunt ergo ista etiam
„ creata nihil nocere, si causa non exti-
„ tisset, vel terrendorum puniendorumque
„ vitiorum, vel probandæ perficiendæ-
„ quæ virtutis, quia & exempla sunt de-
„ monstranda patientiæ, ad profectum cæ-
„ terorum; & ipse sibi homo in tentationi-
„ bus certius innotescit, & juste salus illa
„ perpetua quæ turpiter amissa est per vo-
„ luptatem, fortiter recipitur per dolo-
„ rem. „

Respondet Theodoretus interrog. 18. in Gen. edit. Paris. Sirmundianæ 1642. Deum bestias quasdam & reptilia nonnulla veluti lora ad explodendam hominis socordiam & creasse & parasse, quæ tamen pro fervidis & sanctis feriendis non sunt instituta, cum multi justi nec quidquam mali in lacu leonum receperint, ut Daniel, sicut nec ex morsu viperæ, beatus Paulus: " Cum igitur, *inquit*, Dominus
„ Deus animadvertisset nos ad ignaviam
„ proclives, bestias & reptilia prius con-
„ didit, veluti lora quædam, & terricu-
„ lamenta: ut per ea nos terrens, ad se tra-
„ heret, atque ejus auxilium implorare-
„ mus. At quemadmodum qui perfectam
„ ætatem attigerunt, terriculamenta hujus-
„ modi, & lora contemnunt: sic qui in vir-
„ tute educati sunt, bestiarum incursus
„ minime formidant. Siquidem Adæ,
„ priusquam peccasset, assistebant bestiæ ob-
„ sequium deferentes. Et rursum ipsum
„ Noe ingredientem arcam leopardus, &
„ reptilium atrocissima quæque avium mo-
„ re sequebantur. Et Danieli aderant
„ leones, qui alioqui famelici, accedere
„ tamen ad eum non audebant, eo quod
„ in illo specimen quoddam divinam i-
„ maginem præ se ferens conspiceret.
„ Itidem vipera, quæ dentes injecerat in
„ manum Apostoli, cum nihil peccati te-
„ nerum, aut molle in eo reperisset, mox
„ resilit, & in ignem se conjecit, sup-
„ plicium quodammodo de se ipsa sumens,
„ quod corpus sibi nullatenus conveniens
„ adorta esset, „

Respondeo in forma, negando subsumptum: Ad probationem, distinguo, quædam sunt nociva per accidens, concedo: Per se, nego. Deus cuncta fecit tum adpulchritudinem, & integritatem universi, tum ad utilitatem hominis & ad propriam suam gloriam, unde usu moderato creaturis usus fuisset homo innocens, quocirca, nec plantæ venenosæ, nec animalia & reptilia ei nocuissent. Quinimmo etiam a lapsu Adæ, plantæ quæ in uno adversantur homini, in alio inserviunt puncto, & quorumdam remediorum compositionem instituunt: vipera morsu mortifera, pharmacum est contra ebibitum & haustum venenum. Hæc responsio colligitur ex D. Thoma qui ibidem quæst. 72. ad 6. sic solvit objectionem: " In
„ hoc mundo quidam audent multa repre-
„ hendere, quorum causas non vident. Mul-
„ ta enim etsi domui nostræ non sunt ne-
„ cessaria, in eis tamen completur uni-
„ versitatis integritas. Homo autem ante
„ peccatum ordinate fuisset usus rebus mun-
„ di. Unde animalia venenosa ei noxia
„ non fuissent. „

Diluuntur argumenta contra secundam conclusionem.

OPPONES: Deus est infinitus & incircumscriptus: Igitur ab homine exprimi & repræsentari non potest: Igitur homo ne quidem quoad animam ad imaginem Dei factus est.

Respondeo distinguendo consequens, homo non est factus ad imaginem Dei univoce & adæquate, concedo: Analogice, & quadam servata proportione, nego. Imago duplex distinguitur, univoca una, analoga altera. Prima habet nomen idem cum prototypo & eandem prorsus importat rationem atque naturam per omnia æqualem: secunda eodem quidem cum prototypo douatur nomine, sed habet rationem partim eandem, partim diversam: eandem quidem quatenus de natura prototypi participat: diversam vero quatenus talem naturam non ad æqualitatem, sed tantum ad mensuram habet. Filius Dei solus est in primo sensu imago Patris; homo nonnisi in secundo. Ita respondet S. Augustinus lib. 7. de Trin. cap. 6. his verbis. De homine ad imaginem Dei facto: " Sed quia non omnino æqualis fie-,, bat illa imago Dei, tanquam non ab ,, illo nata, sed ab eo creata hujus rei si-,, gnificandæ causa; ita imago est, ut ad ,, imaginem sit, id est, non æquatur pa-,, rilitate, sed quadam similitudine acce-,, dit.,,

Instabis: Creaturæ corporales participant quoque inadæquate naturam Dei, ejusque perfectiones, ut rationem entis, rationem bonitatis, immo & vitæ, ut plantæ & animalia: Atqui tamen, non dicuntur Dei imago: Igitur nec dicendus est homo.

Respondeo negando paritatem. Ea est discriminis ratio, quod creaturæ mere corporales non nisi perfectiones communes Dei exprimant, homo vero participat specificas & formales, nimirum rationes dominii, libertatis, intelligendi, & ideo ad imaginem Dei factus dicitur, animal vero ad summum ad similitudlnem quandam creatum appellatur. Solutio est D. Aug. qui enar. in Psal. 45. ait: " Meminis-,, se debemus, ad imaginem Dei nos es-,, se factos, nec alibi quam in ipso intel-,, lectu. Nam in multis rebus a bestiis ,, non separamur: ubi autem homo ad ,, imaginem Dei factum se novit, ibi ali-,, quid in se agnoscit amplius esse, quam ,, datum est pecoribus. Consideratis vero ,, omnibus rebus quas habet homo, inve-,, nit se eo proprie discretum a pecore, ,, quod ipse habeat intellectum. Unde ,, quosdam contemnentes in se quod pro-,, prium & præcipuum a conditore acce-,, perunt, increpat ipse conditor dicens, ,, nolite fieri sicut equus & mulus, qui-,, bus non est intellectus.,,

Objicies 2. Homo etiam secundum corpus ad imaginem Dei factus est, si secundum corpus exprimat Deum formaliter & proprie: Atqui res ita se habet: Et probatur: Apostolus 1. Cor. 11. 7. prohibet homini suam velare faciem, eo quod sit imago Dei, mulieri vero e contra velare injungit, quia est viri imago, & gloria, *Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago & gloria Dei est: mulier autem gloria viri est*: quæ ratio B. Pauli nulla esse videretur, ut homo suum non velet caput, nisi etiam secundum corpus foret Dei imago. Ergo &c.

Respondeo concessa majore, negando minorem. Ad probationem distinguo, prohibet Apostolus hominem velare caput, quia per se & ut persona est, primario repræsentat & exprimit imaginem Dei, concedo: ea ratione qua sit imago Dei secundum corpus, nego. Si verba ut literaliter sonant, sumerentur, inde profecto sequeretur hominem, ne quidem secundum animam, sed solummodo penes corpus cujus caput est pars præcipua, esse Dei imaginem, sensus enim hic redderetur, quia homo ad imaginem & similitudinem Dei creatus est, suum non debet velare caput, quod sane a mente Apostoli prorsus alienum est: Igitur potius dicendum hanc eximiam gerere imaginem penes animam & ut persona est, quæ potissimum attenditur secundum subsistentiam quæ homini ratione animæ rationalis competit: Porro in signum tam pretiosæ imaginis intus latentis prohibetur ne caput cooperiat, quatenus anima principaliter in capite residet: cæterum hoc ipsum significare apprime convenit capiti, in quantum est & sedes totius vitæ sensitivæ, & omnium operationum vitalium principalis causa: Eva vero non dicitur imago Dei reduplicative, ut ponitur in adjutorium

homi-

hominis in procreatione filiorum, cum hoc sit corporale, bene vero ut habet animam rationalem, & ad Deum intuitive videndum & possidendum ordinatur; Igitur jure merito debet suum velare caput in prima consideratione spectata, nusquam vero in altera.

Ista solutio colligitur ex D. Augustino qui lib. 12. de Trin. cap. 7. ait: " Sed „ videndum est quomodo non sit contrarium quod dicit Apostolus, non mulierem, sed virum esse ad imaginem Dei, „ huic quod scriptum est in Genesi: *Fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum, masculum & feminam fecit eos,* „ *& benedixit eos*. Ad imaginem Dei „ quippe naturam ipsam humanam factam „ dicit, quæ utroque sexu completur, „ nec ab intelligenda imagine Dei separat feminam. Dicto enim quod fecit „ Deus hominem ad imaginem Dei, fecit eum, inquit, masculum & feminam: vel certe alia distinctione, masculum & feminam fecit eos. Quomodo ergo per Apostolum audivimus, virum esse imaginem Dei, unde caput „ velare prohibetur, mulierem autem non, „ & ideo ipsa hoc facere jubetur? Nisi, „ credo, illud esset quod jam dixi, cum „ de natura humanæ mentis agerem, mulierem cum viro suo esse imaginem „ Dei, ut una imago sit tota illa substantia? Cum autem ad adjutorium distribuitur, quod ad eam ipsam solam attinet, „ non est imago Dei: quod autem ad virum solum attinet, imago Dei est, „ tam plena atque integra, quam in unum conjuncta muliere sicut de natura „ humanæ mentis diximus; quia etsi tota „ contempletur veritatem, imago Dei „ est: cum ex ea distribuitur aliquid, & „ quadam intentione derivatur ad actionem rerum temporalium, nihilominus „ ex qua parte conspectam consulit veritatem, imago Dei est: Ex qua vero „ intenditur in agenda inferiora, non est „ imago Dei. „

Repones: Epiphanius Hær. 70. pag. 815. ait non esse in anima hominis positam imaginem Dei: Pag. 816. hanc imaginem neque inesse homini, aut ratione virtutis cujus elicit actus, aut ratione Baptismi quem in Ecclesia suscepit. Omnes enim, qui unam ex his opinionibus tenent aliquam refellit; Igitur homo non fuit ad imaginem Dei etiam secundum animam, conditus. Probatur Antecedens. Epiphanius revincit priori adhærentes sententiæ, dicendo Deum, utpote infinitum non posse circumscribi ab anima & exprimi: " Sed isti, *inquit*, manifeste ad syllogismos confugiunt. Nam si propterea ad „ imaginem anima facta dicitur, ad imaginem dici omnino non potest. Deus „ enim infinitis præ anima partibus, eoque „ amplius, comprehensionem omnem, ut „ cogitationem effugit. „ Propugnantes secundam opinionem utique longe facit, quatenus qui unam callet virtutem, aliquo laborat vitio, quocirca ejus virtus ab exprimendo Deo deficit: " Nos nonnullos „ e confessoribus novimus, qui corpus & „ animam pro Domino suo tradiderunt, „ & in confessione, ac castimonia perseverantes sincerissimam fidem sibi compararunt, ac pietate, humanitate, religione præstiterunt, iidem tamen aliquo „ vitio effusi sunt, ut aut in convitia „ procliviores essent.... Quæ non nihil de „ justa virtutis mensura detrahunt &c. „ Tertiam denique sententiam convellere conatur exemplis Patriarcharum, qui tametsi imaginem Dei habuerint, non tamen ratione Baptismi quam nusquam susceperunt: " Jam vero, *ait*, qui in Baptismo, „ inesse dicunt imaginem vehementer „ aberrant. Nam nec Abraham Baptismo „ initiatus est, nec Isaac, neque Jacob.... „ Quid igitur? An imaginem illi Dei „ non habuerunt. „ Ergo &c.

Respondeo 1. Dato & non concesso S. Epiphanium in ea fuisse sententia, ut crederet imaginem Dei non esse in homine, profecto ei adhærere in hypothesi neque scripturæ, neque Ecclesiæ opinioni consentaneum foret, maxime cum sancti Doctores unius sint pro hoc momento labii.

Respondeo 2. S. Epiphanium pro virili defendere imaginem Dei inesse homini, tum ante Adami lapsum, tum etiam post peccatum: sic loquitur Hæref. 70. p. 814. n. 3. ant. Edit. " Ita porro credendum „ est imaginem in homine reperiri, ut „ in toto maxime, nec simpliciter resideat. Cæterum ubinam illa maxime sit, „ & qua parte compleatur, quod dictum „ est, ad imaginem, Deus novit, qui singulari hoc imaginis suæ beneficio hominum genus afficere voluit, Neque „ vero hanc ille perdidisse putandus est:

„ tametsi sine ullo rerum discrimine gra-
„ vissimis se sceleribus inquinans, divinæ
„ illud imaginis decus vile abjectumque
„ reddiderit. Quippe post Adamum ita
„ Deus Noemuni alloquitur: *Ecce dedi ti-*
„ *bi omnia tanquam oliva agri: macta, &*
„ *& comede... Quicumque effuderit sanguinem*
„ *hominis in terra, pro hujus sanguine illius*
„ *sanguis effundetur: eo quod ad imaginem*
„ *Dei hominem fecerim.* „ Genes. 9. 3.

Respondeo 3. S. Epiphanium eos qui hominem ad imaginem Dei esse secundum corpus dicebant insectari ibid. p. 815. n. 5. his verbis: " Nec minus & aliorum „ rejicienda sententia, qui corpus ad „ imaginem Dei esse factum prædicant. „ Nam qui fieri potest, ut quod aspectabile est, ei simile sit, quod videri non „ potest? Aut corporeum corporis experti? Aut quod contrectari potest, ei „ quod apprehendi nequit? „ In qua vero parte hominis sita sit imago Dei, non audet asserere, quia reputat ineffabile.

Respondeo 4. in forma distinguendo. S. Epiphanius negat imaginem Dei esse in homine simpliciter & adæquate, concedo: hoc enim soli Verbo competit: Analogice & ad mensuram, nego. In primo tantum sensu negat imaginem Dei esse in homine: Nec mirum, eo quippe loci debellat Audianos qui Deum terminis corporeis concludi volebant, quos ut refellat, ait, nequidem animam Deum exprimere posse quia terminus formæ & existentiæ circumscribitur, & intra ipsos corporis limites continetur; Deus vero est per omnia incircumscriptus. S. Epiphanius est sui ipsius interpres. n. 3. pag. 814. his verbis: " Ita porro credendum „ est, imaginem *Dei*, in homine reperi- „ ri, ut in toto maxime, nec simplici- „ ter resideat. „ Hoc est non adæquate imago Dei in homine residet. n. 4. pag. 815. " Nam si propterea ad imaginem „ anima facta dicitur, ad imaginem dici „ omnino non potest. Deus enim infini- „ tis præ anima partibus, eoque amplius, „ comprehensionem omnem, ac cogita- „ tionem effugit... Ipse enim cum om- „ nia comprehendit, tum a nullo com- „ prehenditur. „ Id est, anima imago Dei dici adæquate non potest, eo quod Deum comprehendere nequaquam valeat.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus sexta die & animalia, & reptilia, & ipsum condidit hominem.

SIC enarrat Moises Gen. 1. astipulantur Patres, imprimis S. Augustinus qui lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 14. dicens, omuium etiam minutissimorum animalium Deum esse conditorem. Hæc omnia sexta die convenienter fuisse creata asserit D. Thomas 1. p. q. 72. ea ductus ratione, quod corpus infimum, videlicet terra, suos sicut corpus medium & supremum debuit habere ornatus. S. Gregorius Naz. orat. 28. ait hominem fuisse conditum, ut rerum visibilium Regem Regi Regum subditum.

Homo factus est ad imaginem Dei secundum animam.

PRIMO: Hoc ipsum Scriptura indigitat dum ait hominem conditum esse, ut præesset piscibus maris, volatilibus cœli, & bestiis terræ, quod quidem imperium penes animam & ejus sapientiam atque virtutem intelligi necesse est, cum multa animalia, & reptilia hominem ipsum in fortitudine & sensu longe superent.

Secundo: Hanc Dei in homine imaginem secundum animam intelligunt Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 5. Clemens Alex. lib. 6. strom. S. August. lib. 1. de Gen. ad lit. cap. 17. & alii Patres.

Tertio: Ratio est, quia imago vera exprimit, id quod est in prototypo proprium & specificum: id autem quod Deo propriissimum censetur est gradus intellectivus, immensitas, libertas, amor; animam solam, nusquam vero corpus ad hæc pertingere nemo non novit; ipsa enim intelligit, ipsa vult & amat libere. Ipsa quoque participat immensitatem Dei, quatenus, memoria & cogitatione cuncta lustrat, omnia pervadit tempora.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Ultro fatemur nonnulla ex corruptione fieri, quædam vero animalia es-

se nociva : Sed non inde sequitur aliqua entia Deum non habere auctorem ; quæ enim ex corruptione animalium generantur, non nisi concursu generali Dei cooperantis producuntur : quæ vero nonnumquam nociva sunt, per accidens fit, & hoc in vindictam peccatoris : Porro Adamo innocenti cuncta erant subdita : Igitur nusquam nociva.

Secundo : Tametsi Deus sit infinitus, ejus tamen singulares perfectiones in anima hominis reperiri ad mensuram nihil vetat. Non eodem modo ratiocinandum est de animalibus, cæterisque creaturis corporalibus ; cum enim gradus duntaxat communes entis, vel etiam vitæ participent, Dei non imagines, sed vestigia nuncupantur.

Tertio : Neque vero quisquam negare debet mulierem etiam ad imaginem Dei creatam fuisse, unde si ad hominis imaginem non Dei facta dicitur ab Apostolo, loquitur sane S. Paulus de ea, ut assumitur in adjutorium generationis & rerum temporalium ac corporalium, sic explicat S. Aug. l. 12. de Trin. cap. 7. scripturæ verba. Cæterum homo ubique ad imaginem Dei secundum animam a SS. Patribus prædicatur.

Quarto : Ne levem quidem facessit S. Epiphanii auctoritas difficultatem, maxime vero cum Hær. 70. asserat contra Audianos hominem ad imaginem Dei factum, non tamen secundum corpus : Unde dum imaginem hanc pretiosam inesse animæ negat, intelligit solum in sensu adæquato, quatenus nulla creatura Deum infinito modo exprimere non valet.

ARTICULUS QUARTUS.

Quo sensu Deus requieverit die septimo & istum sanctificaverit diem.

QUIESCERE in duplici dicitur sensu, primoquidem cum agens de potentia prosilit in actum, quo peracto, postea ab operari cessat. Secundo, quatenus agens tametsi de se & in se semper in actu, fine operationis obtento, abstinet idem ultra facere, & operari ad extra.

Deum in priori sensu non posse quiescere fides docet, cum sit actus purus & sua visione suoque amore & æterno & perpetuo beatissimus. Quibus observatis jam ad solutionem quæstionis propositæ sit

CONCLUSIO PRIMA.

Deus convenienter dicitur die septimo quievisse.

PROBATUR unico sed evidenti ratiocinio. Ille convenienter dicitur requiescere, qui finem propositum in agendo perfecte assequitur : Atqui die septimo Deus finem in creatione sibi propositum assecutus fuerat : Igitur convenienter dicitur requievisse die septimo. Probatur minor : finis quem universorum conditor habuit, ille erat, ut creaturæ in suis respective ordinibus completæ & perfectæ essent, ut homo propter quem mundum hunc fecerat, foret & in natura & in donis & in cognitione perfectus : Atqui hæc omnia sex aliorum dierum spatio compleverat. Igitur die septimo finem intentum obtinuerat Deus. Probatur minor variis momentis.

Primo : Ex sacra Scriptura, Geneseos 1. habetur : *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. Quæ finis intenti assequutio, unde postea cap. 2. recte dicitur. *Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat : Et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.*

Secundo : Ex S. Augustino, qui lib. 4. de Gen. ad lit. c. 8. explicans ista verba, *requievit die septimo*, ait : " Quid restat „ nisi ut intelligamus, nisi forte creatu„ ræ rationali, in qua & hominem crea„ vit, in seipso requiem præbuisse post ejus „ perfectionem, per donum Spiritus san„ cti per quem diffunditur charitas in cor„ dibus nostris, ut illuc feramur appeti„ tu desiderii : quo cum pervenerimus re„ quiescamus. „

Rursus ibidem cap. 9. " Hoc quidem re„ cte intelligimus, quia verum est, & „ non magna intentione indiget, ut videa„ mur ita dicere requiescere Deum, „ cum nos requiescere facit, sicut dici„ tur cognoscere, cum efficit ut cognos„ camus. „

Rursus ibidem cap. 12. " Potest etiam „ intelligi Deum requievisse a condendis „ gene-

" generibus creaturæ, quia ultra jam non " condidit aliqua genera nova. "

Tertio: Suffragatur S. Thomas qui hic q. 73. art. 2. sic loquitur: " Quies pro- " prie opponitur motui, & per conse- " quens labori, qui ex motu consurgit. " Quamvis autem motus proprie acceptus " sit corporum, tamen nomen, *motus*, " etiam ad spiritualia derivatur duplici- " ter. Uno modo secundum quod omnis " operatio motus dicitur. Sic enim & di- " vina bonitas quodammodo movetur, & " procedit in res secundum quod se eis " communicat, ut Dion. dicit 2. cap. de " div. nom. Alio modo desiderium in il- " lud tendens quidam motus dicitur. Un- " de & requies dupliciter accipitur. Uno " modo pro cessatione ab operibus. Alio " modo pro impletione desiderii. Ut utro- " que modo dicitur Deus requievisse die " septima. Primo quidem, quia die septi- " ma cessavit novas creaturas condere. " Nihil enim postea fecit, quod non ali- " quo modo præcesserit in primis operi- " bus, ut dictum est. Alio modo secun- " dum quod rebus conditis ipse non indi- " gebat, sed se ipso fruendo beatus est. " Unde post conditionem omnium operum " non dicitur, quod in suis operibus re- " quievit, quasi eis ad suam beatitudinem " indigens: Sed ab eis requievit, utique " in seipso, quia sufficit sibi, & implet " desiderium suum. Et quamvis ab æter- " no in seipso requieverit, tamen quod " post opera condita in seipso requievit, " hoc pertinet ad septimum diem. " Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Convenienter dicitur, quod Deus septimum diem & benedixerit, & sanctificaverit.

PROBATUR isto argumento. Benedictio & sanctificatio diei non penes ipsum tempus, sed per ordinem ad creaturas spectatur, maxime vero propter tria, videlicet, 1. Quia se se conservandi multiplicatione individuorum virtutem acceperunt. 2. Quatenus Deo dicatæ sunt, ut ejus inserviant gloriæ. 3. In quantum auxilio gratiæ in Deum & tendere, & in ipso ut in ultimo fine quiescere debent, cujus quidem quietis habent in ipso Deo mirabile præ oculis exemplum, eo quod septimo die ab omni opere quod patrarat, quiescens, docuit nos ab operibus vacare servilibus & optimam eligere partem in ipso, in quo omne adimpletur desiderium, quiescendo: Atqui hanc ita delineatam benedictionem & sanctificationem Deus septimo contulit diei. Igitur convenienter ponitur Deum & benedixisse, & sanctificasse diem septimum. Probatur minor auctoritate & ratione.

Primo: Ex Scriptura sacra. Gen. 28. 1. habetur: *Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli.* Ecce prima benedictio: beneficium quippe magnum est creatio, sed novum priori additum sane conservatio, cum Deus nihil creaturæ debeat. Jam vero ibidem legitur hominem ad Dei imaginem factum secundum animam ut ostensum est, & hoc nedum ratione naturæ spiritualis, sed & gratiæ misericorditer in ipso creationis exordio concessæ, *Erat enim*, inquit Augustinus, *condens naturam & largiens gratiam*, cujus ope potuit homo in Deum sicut tendere, ita & in eo quiescere. Unde igitur merito subjungit Moises cap. 2. 3. *Et benedixit diei septimo; & sanctificavit illum.*

Secundo: S. Augustinus eam explicat diei sanctificationem lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 13. dicens ea ratione populo Judaico Deum injunxisse, ut ab operibus servilibus die Sabbati abstinens, ipsi soli oratione, & sacrificiis serviret, cui successit pro nobis Dominica dies, ita tamen ut non sicut populus carnalis uno duntaxat hebdomadis die, sed quotidie in novitate vitæ per opera religionis ambularemus: " Jam " vero, *inquit*, tempore gratiæ revela- " tæ, observatio illa sabbati, quæ unius " diei vacatione figurabatur, ablata est ab " observatione fidelium. In ea quippe gra- " tia perpetuum sabbatum jam observat, " qui spe futuræ quietis operatur quidquid " boni operatur, nec in ipsis bonis ope- " ribus suis, quasi habens bonum quod " non acceperit, gloriatur: ita enim tan- " quam diem Sabbati, hoc est, dominicæ " cessationis in sepultura suscipiens, at- " que intelligens Baptismi sacramentum, " quiescit a pristinis operibus suis, ut jam " in novitate vitæ ambulans, Deum in se " operari cognoscat, qui simul & opera- " tur & quiescit & creaturæ præbens con-

" gruam

„ gruam gubernationem, & apud se habens æternam tranquillitatem. „

Rursus ibidem cap. 15. " Nimirum ergo quia vitium est & infirmitas animæ, ita suis operibus delectari, ut potius in ipsis quam in se requiescat ab eis; cum proculdubio melius aliquid in illa sit quo ea facta sunt, quam ipsa quæ facta sunt: insinuatur nobis Deus per hanc scripturam, qua dicitur requievisse ab omnibus operibus suis, quæ fecit, nullo opere suo sic delectatus, quasi faciendi ejus eguerit, vel minor futurus nisi fecisset, vel beatior cum fecisset. Quia enim ex illo ita est quicquid ex illo est, ut ei debeat quod est, ipse autem nulli quod ex ipso est, debeat quod beatus est, sed rebus quas fecit diligendo præposuit: non sanctificans diem quo ea facienda inchoavit, nec illum quo ea perfecit, ne illis vel faciendis, vel factis auctum ejus gaudium videretur; sed eum quo ab ipsis in seipso requievit. Et ipse quidem numquam ista requie caruit, sed nobis eam per diem septimum ostendit: hinc etiam significans non percipi requiem suam nisi a perfectis, cum ad eam intimandam non deputavit diem, nisi qui perfectionem rerum omnium sequebatur. Nam qui semper est quietus, tunc nobis requievit, cum se requievisse monstravit. „

Rursus eundem explanat sensum quo nec in nobis, sed in Deo solo delectari, & quiescere per opera perfecta debemus, cujus nobis eximium dedit exemplum, cum expletis creationis operibus, quievit, & benedixit atque sanctificavit quietis diem: namque ille solus benedictionis & sanctificationis appellatur, in quo in Deo tanquam in fine ultimo quiescimus cum nihil ultra sit aut quærendum, aut desiderandum. Jam nunc audiamus S. Augustinum qui ibidem cap. 17. sic pergit: " Neque enim similitudo pia est, si velimus ita similes esse Deo, ut & nos ab operibus nostris requiescamus in nobis, sicut ipse requievit in se ab operibus suis. In quodam quippe incommutabili bono requiescere debemus, quod ille nobis est qui nos fecit.... Magnum est enim nobis ab illo extitisse, sed majus erit in illo requievisse. Sicut ipse non ideo beatus est, quia hæc fecit, sed quia etiam factis non egens, in se potius quam in ipsis requievit: Unde non operis, sed quietis diem sanctificavit, quia non hæc faciendo, sed eis quæ fecit non egendo, se beatum intimavit. „ Hanc S. Doctor reddit sanctificationis diei rationem, quia Deum se in se ipso quiescere, nos vero similiter in eo, est summa sanctitas & vera beatitudo. Jam igitur ex omni parte affulget benedictionis & sanctificationis diei septimæ summa, cum creaturæ completæ & multiplicationis virtutem haberent, tum eædem enarrarent gloriam Dei, nam quæcumque Deus fecerat, erant valde bona; effectus autem optimam causam prædicat esse perfectissimam. Denique homo in gratia conditus habebat quo in Deum amore tenderet, ut tandem assecutus in eo in æternum quiesceret.

Tertio: D. Thomas hic qu. 73. art. 3. ulteriori ratione eaque multiplici probat convenienter dici Deum benedixisse & sanctificasse diem septimum, quod quidem his explicat verbis: " Dicendum, quod, sicut supra dictum est, requies Dei in die septima dupliciter accipitur. Primo quidem quantum ad hoc quod cessavit a novis operibus condendis, ita tamen quod creaturam conditam conservat & administrat. Alio modo secundum quod post opera requievit in seipso. Quantum ergo ad primum competit septimæ diei benedictio: quia sicut supra dictum est, benedictio ad multiplicationem pertinet, unde dictum est creaturis quas benedixit, crescite & multiplicamini. Multiplicatio autem rerum fit per administrationem creaturæ, secundum quam ex similibus similia generantur. Quantum vero ad secundum competit septimæ diei sanctificatio. Maxime enim sanctificatio cujuslibet attenditur in hoc, quod in Deo requiescit. Unde & res Deo dicatæ, sanctæ dicuntur. „

Solvuntur objectiones.

OBJICIES 1. Contra primam conclusionem. Qui semper operatur, numquam quiescit: Sed Deus semper operatur, juxta illud Joan. 5. 17. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Igitur non est verum dicere creatorem die septimo requievisse.

Respondeo distinguendo: qui semper operatur

ratur creando non requiescit, concedo: qui semper operatur conservando creata, non requiescit, subdistinguo: hoc est aliquid semper facit, concedo: semper creat, nego. Quiescere dicitur dupliciter, primo quidem ab uno opere cessando, tametsi alia operetur agens: alio modo ab omni abstinendo actu: Isto Deus nusquam quiescit, tum ad intra, tum ad extra: ad intra quidem, nam est perpetua sui & contemplatione & amore beatus: ad extra vero quatenus suas in multiplicatione individuorum fovet creaturas, easque in esse quod dedit, conservat: priori tamen modo Deum requiescere constat, cum die sexta totum creationis opus compleverit, quocirca Moises ait Gen. 2. 2. *Requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.*

Solutio est D. Augustini qui lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 12. ait: " Potest etiam ,, intelligi Deum requievisse a condendis ,, generibus creaturæ, quia ultra jam non ,, condidit aliqua genera nova: deinceps ,, autem usque nunc, & ultra operatur ,, eorumdem generum administrationem, ,, quæ tunc instituta sunt non ut ipso saltem die septimo potentia ejus a cœli & ,, terræ, omniumque rerum quas condi- ,, derat, gubernatione cessaret, alioquin ,, continuo dilaberentur. ,, Tum pergit: " Proinde & quod Dominus, ait, *Pater* ,, *meus usque nunc operatur*: continuationem ,, quandam operis ejus, qua universam ,, creaturam continet, atque administrat, ,, ostendit. ,, Eodem prope modo D. Thomas hic quæst. 73. art. 2. ad 1. solvit argumentum.

Instabis: Requies opponitur motui & labori: sed Deus immotus manens & absque labore cuncta operatur: Igitur nullo modo quiescere dicendus est.

Respondeo distinguendo, requies opponitur motui quo aliquid novi fit, concedo: quo jam producta servantur, nego. Agens quiescit quum finem intentum obtinet, quod in productione effectus adimpletur, tunc enim cessat desiderium, unde quiescit producta servando: sic respondet D. Thom. ibidem art. 2. ad 2. " Dicendum, ,, quod requies non opponitur labori, sive ,, motui, sed productioni novarum rerum, ,, & desiderio in aliud tendenti. ,,

Repones contra rationem Aug. quies respicit agens: Igitur non probat S. Doctor Deum eatenus requievisse die septimo, quatenus nos in seipso quiescere facit.

Respondeo distinguendo Antecedens, quies spectat agens ut ultimum finem in quo cuncta quiescunt, concedo: ut finem intermedium, nego. Omnia Deus propter semetipsum ut ultimum finem operatus est, unde tametsi, nos quiescere faciat, & nostram beatitudinem ut finem intermedium & proximum intendat, quia tamen quies creaturæ in eo sita est, ut in illo veluti in fine ultimo adhæreat, ideo Deus in seipso dum operatur ad extra etiam quiescit. Ita D. Thomas ibidem art. 2. ad 3. his verbis: " Dicendum quod ,, sicut Deus in solo se requiescit, & se ,, fruendo beatus est, ita & nos per solam Dei fruitionem beati efficimur. Et ,, sic etiam facit nos a suis & nostris operibus in seipso requiescere. Est ergo ,, conveniens expositio, ut dicatur Deus ,, requievisse, quia nos requiescere facit. ,, Sed non est hæc sola ponenda, sed alia ,, expositio est principalior & prior. ,,

Objicies contra secundam conclusionem. Benedictio & sanctificatio diei seu temporis ad Deum refertur, cui omnia serviunt: sed nihil ex benedictione temporis Deo accedit: Igitur frustra ponitur Deum benedixisse diem septimum.

Respondeo distinguendo minorem, nihil gloriæ essentiali Dei advenit ex benedictione temporis, concedo: gloriæ accidentali, nego. Affulget quippe in Deo ex operibus summa gloria, quatenus creaturæ prædicant summam Dei potentiam, & ut in eo sicut in fine ultimo quiescant. Hæc responsio est D. Thomæ ibidem art. 3. ad 1. " Dicendum, quod non propter ,, hoc dies septimus sanctificatur: quia ,, Deo possit aliquid accrescere vel decrescere, sed quia creaturis aliquid accrescit per multiplicationem & quietem in ,, Deo. ,,

Repones. Benedictio facta est die quinta, cum dicitur Gen. 1. 31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, namque benedictio est diffusio bonitatis divinæ in creaturis: Igitur inconvenienter ponitur diem septimum a Deo fuisse benedictum.

Respondeo distinguendo, Deus benedixit quinta die creaturas eis esse præbendo, sexta vero die eisdem concedendo sese multiplicandi virtutem, concedo: & nullo modo benedixit septima die, nego. Ista

die cuncta quæ fecerat Deus creaturis, bona confirmavit, unde convenienter ponitur Deum benedixisse diem septimum. Solutio est D. Thomæ ibidem art. 3. ad 3. " Dicendum, quod bonum quod in singulis diebus commemoratur pertinet ad primam naturæ institutionem, benedictio autem diei septimæ pertinet ad naturæ propagationem. "

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus requievit die septimo ab universo opere quod patrarat, benedixit & sanctificavit diem septimum.

PRIMO QUIDEM de quiete, cum hoc ipsum asserat Scriptura sacra, hoc Augustinus, hoc divus Thomas qui illam in sensu obvio, intelligendam esse autumant. Ratio eorum duplex assignatur. Prima, quia Deus, elapsis sex diebus, nihil ultra creavit: secunda, quia in se ipso quiescens, in illo quiescere nos docuit.


Secundo: De benedictione & sanctificatione diei septimæ apertum est & Scripturæ & Augustini, & S. Thomæ testimonium: Quo sensu vero Deus benedixerit diem septimum, respondent SS. Doctores in eo quod creaturis se se multiplicandi Deus reliquerit virtutem: Quo sensu eumdem sanctificaverit diem? In eo maxime quod voluerit omnem hominem non in creatura, sed in Deo solo delectari, & quiescere præcipiat.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO: verum quidem est Deum semper operari etiam ad extra, sed gubernando & conservando creaturas, nusquam vero novas in se completas creando; tametsi enim quasdam producat, hoc nonnisi ex præsupposito subjecto agitur; unde vere dicitur quievisse ab omni opere quod patrarat: maxime vero cum ad hanc quietem non opus sit, ut ab omni cessaverit opere, sed tantummodo a creatione.

Secundo: Deus prioribus diebus etiam addidit benedictionem, sed esse, non propagationis, quæ die septima assignatur. Cæterum Deus neque benedicit, neque sanctificat creaturas aliquid de novo acquirendo, sed eas ordinando ad gloriam suam, ita ut in se ultimate quiescant, & hoc est sanctificare creaturam.



DIS-

DISSERTATIO QUARTA

DE

HOMINIS CREATIONE IN SPECIALI, EJUSQUE STATIBUS.



RIMUM hominem ex stupidis atomis sicut cætera naturæ individua coaluisse propugnabant Epicurei: hinc & absque ullo præ cæteris universis mundi partibus gratiæ & immortalitatis privilegio donatum esse effutiebant. In hunc profectò collimant errorem nonnulli impii qui ut promiscue suis indulgeant passionibus, totum hominem, etiam animam cum corpore dissolvi & perire autumant. Sed contra quod legitur Gen. 1. *Dixit Deus: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.*

Dogma de beneficiis & supra cæteras creaturas excellentia tum ante, tum post lapsum, homini concessis, eruitur ex multis argumentis & explicatur.

PRIMO: Homo conditus est in justitia originali.

Secundo: In eo felici statu gratia adjuvante & præmovente ad multa bona opera donatus est.

Tertio: Lapsus, Deo miserente, salvatus est.

Quarto: Gratia mediatoris Adamo & nepotibus concessa, status innocentiæ gratiam in ubertate & efficacia longe superat, non tamen liberum perimit arbitrium.

ARTICULUS PRIMUS.

Num primus homo conditus sit in justitia originali.

PRIMUM hominem a Deo Optimo Maximo fuisse conditum enarrat Moïses Gen. 1. his verbis: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.*

Evæ vero creationem ibidem cap. 2. delineat auctor sacer: Deum quippe sic loquentem introducit: *Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adjutorium simile sibi .... Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam; cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam.*

Ex eodem canonico scriptore hominem post alias creaturas fuisse productum constat: hanc affert rationem Greg. Naz. orat. 43. cum veluti totius naturæ Rex in orbem terrarum Adamus introduceretur, ordo rerum expostulabat, ut ante omnia regnum & subditi quibus imperaret, prævia rerum productione illi pararentur (prius, inquit, construendum erat palatium & postea Rex introducendus): " *Non enim* " (subdit Nyssenus) de opificio hominis " cap. 2. consentaneum erat, ut princeps " & rector existeret, antequam essent illa " quibus imperaret. "

Jam vero quod Adam totius generis humani caput constitutus sit expresse Scriptura declarat, his verbis Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: Et præsit piscibus maris, & volatilibus cœli & bestiis universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* Hoc ipsum expresse docent sancti Patres. In primis Basilius hom. 10. in exaemeron. Greg. Nyss. lib. de opificio hominis cap. 4. Chrysostomus

mus lib. 1. ad Stagirium, de quo momento hanc egregiam affert rationem, quia Deus voluit ut homo esset in terra quod ipse in cœlis est, ait enim: "Deum hoc „ in terris hominem esse voluisse, quod „ ipsemet in cœlis erat. „ Idest, ut sicut ipse caput ubique & præcipue in cœlis, ita & homo in terris per participationem divini dominii. Hoc denique docet ex professo D. Thomas hic 1. p. qu. 96. art. 1. & 2. quia sic statuerat Dominus Deus: non dominabatur quidem Angelis, inquit, art. 2. sed animalibus imperando, plantis vero libere & absque impedimento eis utendo. Quibus prælibatis jam sit

CONCLUSIO.

Primus homo conditus est in justitia & in paradiso terrestri collocatus.

Probatur hoc ratiocinio.

NOMINE justitiæ intelligimus statum, gratia sanctificante, virtutum omnium supellectili, scientia, rectitudine & immortalitate integrum & perfectum: Atqui primus homo conditus & positus est in illo statu bonorum istorum aggregatione perfecto: Igitur primus homo conditus est in justitia originali. Probatur minor quoad singulas partes.

De Gratia.

PRIMO: Quod Adam in prima sui productione donatus sit gratia habituali seu sanctificante ex sacra Scriptura colligitur. Namque Eccles. 7. 30. habetur: *Quod fecerit Deus hominem rectum*. Quæ quidem rectitudo in eo potissimum sita erat teste D. Thoma hic 1. p. quæst. 95. art. 1. cap. 2. & 3. ut mens & anima Deo, inferiores vero vires rationi subderentur: sed ex eodem S. Doctore illa rectitudo erat penes gratiam, enim vero si fuisset naturalis, inquit, post peccatum remansisset in homine, naturalia quippe remanserunt in dæmonibus ut Dionysius lib. de div. n. cap. 4. dicit: certum est autem hanc ordinationem per peccatum amissam fuisse: hoc ipsum docet Aug. lib. 13. de civ. cap. 13. *Posteaquam*, *inquit*, loquens de primorum parentum peccato, *præcepti facta transgressio est*, *confestim gratia deserente divina*, *de corporum suorum nuditate confusi sunt*. Hoc etiam quotidiana comprobat experientia: Igitur si primi parentes in rectitudine creati sunt, utique & in gratia sanctificante.

Secundo: Hanc eandem prædicat veritatem Apost. Eph. 4. quum dicit: *Renovamini autem spiritu mentis vestræ*, *& induite novum hominem qui secundum Deum creatus est*, *in justitia*, *& sanctitate veritatis*, sed justitia de qua loquitur B. Paulus, a gratia habituali profluit, hanc quipppe justitiam cum sanctitate conjungit, sanctitas vero & ab ipsa gratia, quippe quæ sit elevatio mentis ad Deum ut auctorem gloriæ: Igitur primus homo fuit conditus in gratia: alias incassum nos adhortaretur Apostolus ut novum hominem indueremus quod certe dici non potest. Cæterum loquitur de gratia primi hominis habenda quæ renovat: quomodo vero renovat, nisi justificando peccatorem & illum a peccatis quæ ejus maculant animam abluendo, qui quidem effectus soli gratiæ habituali formaliter & immediate tribuuntur: dicente Propheta Psal. 50. *Lavabis me*, *& super nivem dealbabor*. Ergo &c.

Tertio: Gratiam sanctificantem primo homini concessam fuisse non obscure indigitat Concilium Tridentinum Sess. 5. in decreto peccati originalis can. 1. his verbis: *Si quis non confitetur primum hominem cum mandatum Domini in paradiso fuisset transgressus*, *statim sanctitatem & justitiam in qua constitutus fuerat amisisse* ... *Anathema sit*. Ex Tridentino primus homo eam amisit justitiam & sanctitatem in qua creatus fuerat: sed dictum est justitiam & sanctitatem habitualem, qualis fuit ea quam transgressione præcepti amisit Adam, a gratia habituali promanare. Et probatur; illa justitia in eo maxime posita erat ut mens habitualiter Deo ut auctori gloriæ subjiceretur: sed hoc privilegium est a gratia sanctificante, quandoquidem est participatio naturæ divinæ, natura vero ex D. Thoma est principium motus & quietis. Ergo &c.

Quarto: D. Aug. lib. 12. de civ. cap. 9. loquens de privilegiis quibus natura angelica in creatione insignita est, ait: *Erat condens* (Deus) *naturam & largiens gratiam*. Sed idem prorsus, dicendum est & asserendum pro primo homine: Igitur si Angelus in gratia sanctificante creatus est, creatus quoque fuit in ea primus parens.

rens. Hanc minorem sic probat D. Thomas hic 1. p. quæst. 95. art. 1. *Homo & Angelus æqualiter ordinantur ad gratiam. Sed Angelus creatus est in gratia ... Ergo & homo creatus fuit in gratia.*

Quinto: Istam cæteris argumentis subjicio rationem. Qui creatus est innocens & absque peccato, ut Dei & amicus & filius, & ad finem supernaturalem elevatus, profecto creatus est in gratia sanctificante: Atqui homo cum iis omnibus dotibus, & ad hunc finem creatus est, quippe qui factus sit ad imaginem Dei, non vacuam & mere naturalem, sed vivam, ut passim innuunt Patres: Igitur & in gratia sanctificante conditus fuit, maxime vero cum factus sit ut totius hujusce mundi sensibilis caput, ut Rex cui animalia & cæteræ irrationales creaturæ subderentur, ut quid super omnes nedum in natura, sed in fine eminens.

De Virtutibus.

PRIMO manifeste sequitur ex modo dictis primum hominem donatum fuisse in prima sui productione tum virtutum, tum donorum Spiritus sancti egregia supellectili. Ex omnibus quippe Theologis, præsertim vero ex D. Thoma virtutes & dona consequuntur ad gratiam sanctificantem, sicut proprietates ad essentiam: sed ostensum est Adamum in gratia habituali fuisse conditum: Igitur protoparens tunc temporis omnium virtutum & donorum apparatu insignitus est.

Secundo: Hoc ipsum non semel innuit Scriptura sacra: namque Gen. 1. legitur hominem factum esse ad Dei similitudinem, sic enim habetur, v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: Quæ quidem similitudo virtutum apparatu fieri asserit. S. Bernardus serm. 1. de Annunt. *Ad imaginem & similitudinem Dei factus est homo: in imagine arbitrii libertatem, virtutes habens in similitudine.* Rursus alia Scriptura Eccl. 17. ait: *Deus creavit de terra hominem..... Et secundum se vestivit illum virtute.* Hæc verba ponderans Ambrosius lib. de Elia & jejunio cap. 4. dicit: " Opertus erat Adam virtutum ,, velamine priusquam prævaricaretur. ,, Igitur ex Scriptura juxta Sanctorum Patrum interpretationem, primus homo in prima sui productione gloriosam habuit virtutum supellectilem.

Concinit S. Augustinus qui serm. ad Cathec. cap. 2. de Adamo innocente disserens sic effatur: erat " pudicitia armatus, temperantia compositus, claritate ,, splendidus. ,,

D. *Thomas* hanc eandem propugnat veritatem hic 1. p. quæst. 95. art. 3. cujus ratio ea est. Homo factus est a supremo mundi opifice rectus: rectitudo ejusdem in eo sita est, quod mens Deo subjiciatur, rationi vero pars inferior; sed ista egregia ordinatio a virtutibus promanat: " ,, Virtutes, *inquit D. Thomas*, nihil ,, aliud sunt, quam perfectiones quædam, ,, quibus ratio ordinatur ad Deum, & ,, inferiores vires disponuntur secundum ,, regulam rationis. Ergo &c.

De Scientia.

PRIMO, tam aperte & manifeste sese explicat Scriptura sacra de infusione scientiarum in animam Adami, ut hoc revocare in dubium nefas sit. Sic enim legitur Ecclef. 17. de privilegiis scientiarum quæ primis parentibus concessit Deus; *Disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam Spiritus, sensu implevit cor illorum; & mala & bona ostendit illis.* Quibus verbis declarat Scriptor Canonicus nedum una aut altera scientia, sed omni prorsus, videlicet naturali & supernaturali donatos fuisse primos parentes.

Huic sententiæ suum addunt calculum sancti Doctores. Hugo Victorinus lib. 1. de sacram. p. 6. cap. 13. de hoc momento sic scribit; " Rerum omnium quæ cum homine, & propter hominem factæ sunt, ,, perfectam cognitionem hominem accepisse, nulli dubium esse debet, quantum videlicet vel ad animæ eruditionem, vel ad corporalis usus necessitatem pertinere videatur. ,,

Divus Thomas hic 1. p. quæst. 94. art. 3. duplicem pro nostra assertione affert rationem, unam in argumento, sed contra: alteram in corpore articuli. Prima sic se habet. Adam omnium rerum cognoscit naturam, quandoquidem ut legitur Gen. 2. omnibus animalibus imposuit nomen, nomen autem rei explicat essentiam; sic effatur; " Ipse (Adam) imposuit nomina animalibus, ut dicitur Gen. 2. ,, nomina autem debent naturis rerum congruere; Ergo Adam scivit naturas om-

,, nium

„ nium animalium, & pari ratione ha-
„ buit omnium aliorum scientiam. „

Alteram desumit ex obligatione quæ Adamo incumbebat posteros instruere tum de rebus naturalibus, quæ vitæ humanæ spectant institutum, tum de rebus supernaturalibus quæ ordinantur ad finem supernaturalem, quem amare & prosequi non nisi prævia cognitione nemo potest.

“ *Ad* gubernationem autem vitæ pro-
„ priæ & aliorum, non solum requiri-
„ tur cognitio eorum quæ naturaliter
„ sciri possunt, sed etiam cognitio eo-
„ rum quæ naturalem cognitionem exce-
„ dunt: eo quod vita hominis ordinatur
„ ad quemdam finem supernaturalem:
„ sicut nobis ad gubernationem vitæ no-
„ stræ necessarium est cognoscere quæ
„ fidei sunt. Unde & de his supernatu-
„ ralibus tantam cognitionem primus ho-
„ mo accepit, quanta erat necessaria ad
„ gubernationem vitæ humanæ secundum
„ statum illum. „

De immortalitate.

AD hujus quæsiti elucidationem, non abs re erit prænotare immortalitatem duplicem esse, unam essentialem, alteram vero participatam. Prima quidem est ab omni tum temporis, tum alterationis, tum vicissitudinis cujuscumque independentia, seu æterna, perpetua, & ex natura rei firmitas quæ competit enti a se: posterior vero est incorruptibilitas quædam participata quæ creaturæ advenit ex beneficio creatoris. Et hæc duplex est, una intrinseca, alia vero extrinseca. Intrinseca illa censetur quæ rei alicui convenit ex eo potissimum quod sit per naturam a Deo acceptam incorruptibilis, quippe qui careat corruptionis principiis quæ ex qualitatibus elementariis, & corporalibus originem ducunt: talis est anima hominis, tametsi enim possit a creatore annihilari, in se tamen, utpote mere spiritualis, ab omni qualitate sensitiva, & corruptibili immunis est. Extrinseca vero immortalitas ea est, quæ competit rei de se corruptioni subditæ, sed a qua præservatur per privilegium ab extrinseco profluens, videlicet vel a cibo aliquo qui energiam habeat, vel impediendi compositi resolutionem, quæ connaturaliter sequitur ad qualitates sibi contrarias, quæ agendo & reagendo solvunt compositum, vel restaurandi vires quæ innativo calore agente minuuntur, & tandem paulatim imminutæ totaliter deperduntur.

Certum est, & hoc fide indubitata tenemus, solum Deum esse essentialiter immortalem: certum est quoque purum spiritum, qualis est Angelus, & animam rationalem esse intrinsece ex natura a Deo utrique concessa immortales, unde totum controversiæ caput est de immortalitate hominis qui ex anima & corpore simul unitis constat. Ultro fatemur Adamum immortalitatis interioris & intrinsecæ gratia non fuisse donatum. Sed contendimus eum habuisse ex vi privilegii & ab extrinseco immortalitatem, ea tamen conditione, ut in illo perseveraret, modo præceptum de non manducando ex fructu vetito servaret. Quod quidem diversis tum auctoritatibus, tum rationibus probatur.

Primo: favet Scriptura, sic enim habetur de Deo creatore privilegia concedente primo parenti Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Quæ verba non obscure indicant donum immortalitatis concessum fuisse primo homini: cum enim immortalitas maximum sit naturæ divinæ attributum, ut Adam sui auctoris esset imago viva, conveniens fuit Deo & in immortalitate assimilari, præsertim vero cum naturale opificis desiderium est suum, quantum fieri potest, servare opus & imaginem. Rursus alia Scriptura Sap. 2. 23. de Deo, ait: *Deus creavit hominem inexterminabilem*. Si inexterminabilem, profecto a morte immunem, alias si morti subjicitur, incassum dicitur inexterminabilis. Rursus Gen. 2. Deum homini sic loquentem introducit Moises. *Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ex quo sequitur istud argumentum. Deus mortem comminatur in pœnam peccati: Igitur Adam innocens immortalis erat ante peccatum.

Secundo: S. Augustinus suffragatur. Sic enim de Adamo ante peccatum spectato loquitur lib. 7. de Gen. ad litt. cap. 25.
“ Corpus Adami ante peccatum, & mor-
„ tale erat, quia poterat mori, & im-
„ mortale, quia poterat non mori: Aliud
„ est enim non posse mori, sicut quaedam
„ na-

„ naturas immortales creavit Deus; aliud „ est autem posse non mori, secundum „ quem modum primus creatus est homo „ immortalis; quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ. „

Tertio: concinit D. Thomas hic 1. part. quæst. 97. art. 1. ubi ex professo eandem propugnat veritatem; cujus hanc affert rationem. In illo felici innocentiæ statu anima perfecte corpori & conjungebatur & dominabatur; ut igitur perfecta foret inter utramque hominis partem proportio, congruum erat & consentaneum, ut aliquid in perpetuum tantam servaret unionem: " Inerat animæ vis quædam supernaturaliter divinitus data, per quam „ poterat corpus ab omni corruptione „ præservare quandiu ipsa Deo subjecta „ mansisset. Quod rationabiliter factum „ est, quia enim anima rationalis excedit „ proportionem, corporalis materiæ, „ ut supra dictum est, conveniens fuit, „ ut in principio ei virtus daretur, per „ quam corpus conservare posset supra „ naturam corporalis materiæ. „

Quarto: Idem probatur hoc ulteriori ratiocinio. Mors advenire potest homini vel ex qualitatibus contrariis quibus constat compositum, vel innativo calore qui humidum radicale deficcat & postea penitus consumit, vel ex sævis belluis quæ nonnunquam vitæ nostræ insidiautur; vel ex ægritudine, dolore, aliisque miseriis: sed creator contra hæc omnia adversantia providerat remedia: Igitur primus homo immortalitatis privilegio donatus est. Probatur minor quoad singulas partes. Primo quidem ne passiones in exitium hominis irruerent, & qualitates ad invicem contrariæ qualis est v. g. calor, & humiditas, corpus obruerent & solverent, inerat ex gratia originali quædam virtus qua mens omnibus corporeis qualitatibus superior dominaretur, ut nedum qualitates materiales, sed & corporis affectiones seu passiones ad pondus & in debita temperie continerentur. Sic pronuntiat D. Thomas hic 1. p. quæst. 97. art. 1. *Quia enim anima rationalis excedit proportionem corporalis materiæ, conveniens fuit, ut in principio ei virtus daretur per quam corpus servare posset supra naturam corporalis materiæ*. Ibidem S. Thomas has animæ vires tribuit gratiæ interiori, qua sicut ipsa Deo, sic pars inferior superiori subjiciebatur. Unde 1. p. quæst. 81. art. 5. ad 2. ait: " Immortalitas & impassibili- „ tas primi status non erat ex conditio- „ ne materiæ, sed ex originali justi- „ tia. „

Erat quoque tunc fructus arboris vitæ, cujus suavitas & virtus talis erat, ut substantiam alere, & augere, & conservare, quinimmo & debilitatem in pristinum fortitudinis statum restituere valeret. Sic enim habetur Gen. 2. *Produxit etiam Dominus Deus lignum vitæ in medio paradisi*. In Hebræo textu, pro ligno vitæ, ponitur *lignum vitarum*. Eo quod esus hujusmodi escæ dies vitæ sic prolongasset, ut multorum hominum nunc sibi succedentium ætatem adæquasset. Sic exponit Cajetanus. Tum quia immortalitatis privilegium ad Adami nepotes fuisset transmissum: ut scribunt SS. Patres. Deus adhibuerat quoque potentissimum præsidium, ne fera aliqua homini noceret, cum omnium dux & magister Adam constitutus fuerat. Sic enim scriptum est Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram; & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis*. Mandaverat etiam Deus Angelis suis, ut custodirent hominem, ne forte vel ad lapidem offenderet pedem suum, vel ejus vita a malis bestiis impeteretur.

Neque quidquam timendum aut ex ægritudine, aut ex dolore habebat homo innocens, cum & ab omni miseria, & ab humorum intemperie, & a passionum indiscriminatim irruentium impetu ex quibus omnibus capitibus oriuntur morbi, immunis esset: Ait enim S. Augustinus passim contra Pelagianos: *Si detractis peccatis miseria perseveret, recte dicitur, perverti ordo universi*. Quinimmo, absque mortis necessitate, innocens Adam a via ad cælum transmeare potuisset. Sic censet, sic scribit Magnus Greg. cap. 4. Moral. cap. 26. " Ubi igitur post redemptionis tem- „ pus, carnis morte interposita, electi „ transeunt, illuc procul-dubio parentes „ primi, si in conditionis suæ statu per- „ stitissent, etiam sine morte corporis „ transferri potuissent.

De Paradiso Terrestri.

MOISES diserte describit locum amœnum

num in quo constitutus est homo innocens priusquam peccaret. Hanc Protoparentis sedem vocat paradisum voluptatis, arboribus consitum, fructibus visu pulcherrimis & ad vescendum maxime suavibus refertum. Fons irrigans superficiem terræ aderat. Ex eo motu perenni quatuor flumina egrediebantur. Ibi ver perpetuum, benignus solis aliorumve siderum aspectus & influxus: Ab eodem procul erant malæ bestiæ, frigus nullum, locus bonorum omnium sensibilium aggregatione perfectus. Sic habetur Gen. 2. *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat: Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave, &c.*

Hujus loci amœnitatem orat. de paradiso sic delineat S. Basilius: " Paradi-
,, sus locus erat deliciis omnifariam af-
,, fluens, omnem creaturæ sensibilis exu-
,, perans pulchritudinem; ob sublimitatem
,, loci in quo erat, nulla sui parte tene-
,, bras admittens, sed exorientium side-
,, rum splendore semper illustratus, in
,, quo nulla erat immodica ventorum vis,
,, nulla tempestatum procella, nullus hye-
,, mis horror; non nimia veris humiditas,
,, non torreus æstatis ardor, non molesta
,, & noxia autumni siccitas, sed tempera-
,, ta & pacifica omnium temporum inter se
,, consonantium unio; ita ut quod in qua-
,, que anni tempestate optimum & jucun-
,, dissimum est, in se haberet, veris amœ-
,, nitatem, ubertatem æstatis, autumni
,, hilaritatem, hyemis otium & quietem.,,

Adamus innocens in ea locatus est sede, sic enim Gen. 2. scriptum est: *In quo posuit hominem quem formaverat*. Sic propugnat S. Thomas hic q. 1. p. 102. art. 2. cujus ratio hæc est: Conveniens erat ut homo innocens propter Dei fruitionem factus, & ab omni mortalitatis exterminio immunis esset in loco amœno & admodum suavi, ubi nec aeris intemperies, nec ventorum procellæ, nec tempestatum inordinatio ejus nocerent vitæ, quippe qui non ex natura, sed ex providentia cuncta pro ejus conservatione ordinante esset immortalis.

Non defuerunt tamen qui asserere non dubitaverint nullum fuisse paradisum terrestrem; nonnulli saltem a cæteris terræ locis distinctum dixere. Sed eos debellat Epiphanius in Anchorato his verbis: " Si
,, non est paradisus sensibilis, non est,
,, fons, non ficus, non folia, non come-
,, dit Eva, &c. Sed veritas jam fabula-
,, ta est.,, Maxime cum Gen. 3. legamus Adamum propter peccatum ab eo voluptatis loco propulsum: Sic enim scriptum est v. 24. *Ejecitque Adam: & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.*

Eosdem Augustinus suo perstringit stylo censorio lib. 13. de civ. 21. " Nonnulli
,, locum illum paradisum, ubi primi ho-
,, mines fuisse dicuntur, ad intelligibilia
,, referunt, arboresque illas, & ligna
,, fructifera, in virtutes vitæ moresque
,, convertunt, tanquam visibilia & cor-
,, poralia illa non fuerint: sed intelligi-
,, bilium significandorum causa, eo mo-
,, do dicta vel scripta sint. Quasi pro-
,, pterea non potuerit esse paradisus cor-
,, poralis, quia potest etiam spiritualis
,, intelligi &c.,, Quibus verbis sanctus Doctor ostendit nihil prohibere ad litteram intelligi verba Moisis de paradiso terrestri, tametsi mystice quoque de vita virtutibus apparatu composita & de beatitudine Sanctorum intelligi queant.

Diluuntur objectiones.

OBJICIES contra primam conclusionis partem. Adamus non fuit in gratia conditus: Ergo &c. Probatur antecedens. Hoc privilegium soli Christo concessum est, juxta illud 1. Cor. 15. *Factus est primus Adam in animam viventem: novissimus autem in spiritum vivificantem.* Quibus verbis ostendit Apostolus primum Adam a secundo plurimum discrepare, maxime vero in eo quod in creatione tantummodo acceperit animam quæ dat corpori vitam: Christus vero spiritum vivificantem seu sanctificantem, qui quidem spiritus salutaris gratia sanctificans & dicitur & est, illi quippe soli convenit sanctificare formaliter animam.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo: creari & formari cum gratia substantiali soli novissimo Adam convenit, concedo: In gratia habituali, nego. Duplex gratia distinguitur, una substantialis & hypostatica, altera vero habitualis & sanctificans quæ a B. Pe-

tro dicitur divinæ participatio naturæ. Primam gratiam soli Christo secundo Adam convenire liquido constat ex definitione fidei, sed si sermo de secunda, eam fuisse Adamo coævam propter Scripturæ & Patrum testimonia tenendum est: Sensus igitur Apostoli est, Adam primo habuisse corpus ex limo terræ formatum, deinde vero animam viventem, ita ut corpus prius concipiatur secundum se & inanimatum, deinde vero anima quæ dedit illi vitam, unde primus homo prius animalis quam spiritualis fuit. E contra vero Christus in sua conceptione fuit primo spiritualis & secundum corpus & secundum animam, quia plenitudo divinitatis in ipso inhabitabat etiam corporaliter. Verbum unitum est simul & corpori & animæ, unde de illo non dicitur, prius id quod est animale, deinde id quod est spiritale, bene vero de Adam, Scriptura quippe duo in eius creatione secernit & separat, videlicet corporis ex limo formationem, composito vero & efformato corpore insufflavit ei spiritum vitæ. Sic enim habetur Gen. cap. 2. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.*

Solutio est D. Thomæ qui hic q. 95. art. 1. ad 1. sic respondet ad argumentum: " Dicendum, quod Apostolus illa ,, verba inducit ad ostendendum esse corpus ,, spiritale, sicut corpus animale: quia ,, vita spiritualis corporis incepit in ,, Christo, qui est primogenitus ex mor- ,, tuis, sicut vita corporis animalis incepit ,, in Adam. Non ergo in verbis Aposto- ,, li habetur quod Adam non fuit spiri- ,, tualis secundum animam, sed non quod ,, fuit spiritualis secundum corpus. ,,

Instabis: B. Augustinus in lib. qq. vet. & novi Testamenti q. 123. dicit Adam non habuisse Spiritum sanctum: Igitur primus homo nec in primo nec in secundo suæ creationis momento gratiam sanctificantem habuit.

Respondeo 1. in libro quæstionum veteris & novi Testamenti absurdos prorsus scatere errores, quales sunt isti q. 22. Eva non facta est ad Dei similitudinem. q. 2. Deus creavit hominem invidia diaboli; quocirca opus istud non esse Augustini fetum propugnant gravissimi Auctores, quandoquidem sanctus Doctor contrarium passim docet in suis libris.

Respondeo 2. distinguendo, Adam non habuit Spiritum sanctum, quoad primarium gratiæ effectum, nego: quoad ultimatum & plenarium, subdistinguo, tunc temporis & ex vi gratiæ justitiæ originalis, concedo: in fine vitæ, & vi gratiæ Mediatoris, nego. Duplex est gratiæ sanctificantis effectus, unus primarius, & est animæ sanctificatio: alter posterior, & vocatur gratia consummata, seu gloriæ consequutio: Adam in creatione non habuit quidem Spiritum sanctum seu gratiam quoad effectum plenarium & consummatum, hoc quippe post lapsum ex meritis Christi & per penitentiam fortitus est: At contendimus protoparentem habuisse spiritum sanctificationis, seu gratiam habitualem qua Dei & amicus, & filius adoptivus erat. Solutio est D. Thomæ ibidem art. 1. ad. 2.

Insistes: Gratia habitualis est principium meriti, unde ejus ope plurimum proficit anima: Sed Magister Sent. l. 2. Sent. dist. 24. ait Adam habuisse quidem auxilium quo poterat stare, minime vero illud quo poterat proficere: Ergo &c.

Respondet D. Thomas ibidem art. 1. ad 4. Magistrum loqui in sententia illorum qui primum hominem non in gratia sed in naturalibus tantum esse creatum contendunt: " Vel potest dici, *inquit*, ,, quod etsi homo fuerit creatus in gratia, ,, non tamen habuit quod ex creatione na- ,, turæ posset proficere per meritum, sed ,, ex superadditione gratiæ. ,,

Iterum urgebis: Ad hoc ut aliquis recipiat gratiam sanctificantem, quædam dispositio prævia requiritur, nimirum consensus ex parte recipientis, fit enim per gratiam habitualem quoddam spirituale & mysticum matrimonium inter animam & Deum: Igitur Adam in gratia non fuit conditus, sed præexistebat, ut antequam eam reciperet eidem consentiret.

Respondeo quosdam Theologos eo innixos principio propugnare Adam non in gratia habituali, sed in actuali fuisse creatum, ut tali adjutus auxilio eliceret actum amoris quo se ad Deum converteret, & reciperet gratiam sanctificantem.

Respondeo 2. distinguendo, ut aliquis recipiat gratiam sanctificantem requiritur consensus, ad melius & de via ordinaria, concedo: absolute, subdistinguo si sit pec-

sit peccator, adultus, concedo: sin minus, nego. Gratia sanctificans regenerativa vi & efficacia Baptismi confertur ulla absque prævia dispositione pueris nascentibus, tametsi peccato originali obstringantur: quidni a fortiori gratiæ habitualis donum collatum fuisset Adamo nascenti absque dispositione prævia, maxime cum non peccator a Deo aversus, sed innocens creatus sit? Neque vero necesse videtur admittere temporis moram, inter sanctificationem Adami & ejus creationem, cum vix possit certum assignari tempus in quo gratiam habitualem recepisset: Si quis tamen contendat in eodem instanti reali Adamum & consensisse gratiæ, & illam recepisse, nihil controversiæ relinquitur, cum huic sententiæ subscribere videatur S. Thomas ibidem art. 1. ad 5. ubi ad difficultatem sic respondet: " Cum motus voluntatis non sit continuus, nihil prohibet etiam in primo instanti suæ creationis primum hominem gratiæ consensisse. "

Oppones contra secundam conclusionis partem quæ spectat omnes virtutes quibus Adam donatum esse in prima sui productione asserimus. Quadam sunt virtutes morales quæ sunt ad cohibendum modo iram, modo timorem, modo intemperantiam, modo etiam ad detestanda & propellenda peccata, qualis est penitentia: Atqui non apparet hominem innocentem per omnia in se bene compositum habuisse ejusmodi virtutes, neque enim ira commotus erat, neque timore perterritus, neque gulæ vitio correptus, neque etiam ullo irretitus peccato: Ergo &c.

Respondeo 1. assertionem procedere de virtutibus quæ nullam important imperfectionem, unde concedere Adamo non habuisse virtutes præfatas, nihil vetat: Sed habuit Theologicas, habuit morales omnibus absolutas numeris; habuit dona & fructus Spiritus sancti, quod sufficit ad conclusionis veritatem.

Respondeo 2. distinguendo majorem, quædam sunt virtutes quæ sunt secundario ad refrenandum modo iram, modo timorem, & similes passiones atque excessus, concedo: & sunt primario ad ejusmodi compescendos motus, nego. Virtutes morales consistunt primario in præparatione bona animi circa finem, unde officium in eis potissimum est continere in rectitudine & subjectione vires inferiores cum anima, quocirca eas fuisse in Adamo nihil prohibet, tametsi enim ante peccatum nihil aut timoris, aut iræ, aut etiam gulæ excessus, vel corrigendum, vel propellendum haberet, opus tamen erat omnes appetitus in debito moderamine concludere, ad quod virtutes morales necessariæ sunt. Sic censet D. Thomas ibidem art. 3. in corp. & in responsione ad objectiones.

Instabis: Perseverentia est virtus simpliciter & absolute perfectissima: Atqui Adamum caruisse perseverantia nedum Augustinus asserit, sed & experientia comprobatum est. Igitur non habuit in creatione ullam omnino virtutem.

Respondeo distinguendo, perseverantia quæ est habitus quo homo elegit bonum semper faciendum, est virtus, concedo: perseverantia finalis quæ mortem cum charitate conjungit, nego. Est enim omnem supra virturem, videlicet summum Dei donum & graria consummata. Primam habuit Adam in primo suæ creationis exordio, inquit D. Thomas ibidem art. 3. ad 4. sed non secundam; ea namque solummodo ex meritis Christi decursu temporis illi concessa est.

Objicies contra tertium ejusdem conclusionis punctum, de scientia primis parentibus concessa. Error irrepsit in mentem & Adami & Evæ: Igitur protoparentes scientiarum habitus in creatione non receperunt. Probatur antecedens quoad utramque partem. Adam seductus est, credidit quippe mulieri dicenti quasi Deos evasuros si de fructu prohibito vescerentur: Mulier quoque ante ipsum Adam seducta est, ut habetur 1. ad Tim. 2. sed non in hoc solum puncto ignara apparuit, verum etiam cum serpentem loqui posse crediderit: Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens, error practicus irrepsit in mentem Adami & Evæ, concedo: speculativus, subdistinguo: supposito mentis vitio, concedo: non supposito, nego. Error alius est speculativus, alius practicus. Prior penes intellectum defectu scientiæ & cognitionis, contingit. Posterior vero attenditur maxime penes voluntatem, & ad ejus sequitur vitium. Præcessit elatio mentis seductionem & errorem, & ideo protopa-

rentes seducti dicuntur. Sic respondet D. Thomas hic art. 4. ad 1. subdit ad 2. mulierem potuisse credere serpentem potentia Dei extraordinaria locutum fuisse, adeoque non errasse, quippe quæ non putaverit hoc viribus innatis possibile reptili.

Urgebis: Adamus non cognoscebat cogitationes cordium: Igitur rerum omnium non habuit scientiam.

Respondeo distinguendo: Adamus non cognoscebat secreta cordium in particulari & in individuo, concedo: in genere & quatenus cognoscebat possibile esse proximum suum qualem vel talem posse habere cogitationem, nego. Et hoc sufficit ad rationem scientiæ rerum moralium quæ ab humana pendent voluntate. Sic solvit difficultatem sanctus Thomas ibidem art. 4. ad 5.

Repones contra immortalitatis privilegium Adamus mortuus est. Igitur non erat immortalis.

Respondeo concesso antecedente, distinguo consequens, Adamus non erat immortalis intrinsece & ex conditione naturæ, concedo: extrinsece & per Dei donum, nego. Quia vero Deus alligaverat hujusce privilegii dati conservationem obedientiæ primi hominis, ut primum Adam prævaricatus est, excidit ab immortalitatis gratia.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Adamus in sua creatione gratia sanctificante, virtutibus, scientiæ plenitudine & immortalitatis dono insignitus est.

PRIMO QUIDEM de gratia habituali constat ex illo Scripturæ testimonio Eccli. 7. *Inveni quod fecerit Deus hominem rectum*. Quæ rectitudo in eo sita erat, quod mens Deo, vires vero inferiores menti subjicerentur, quæ mutua partium obedientia & concordia, inquit S. Thomas, nonnisi per gratiam sanctificantem habentur: quod & indicat sacra Synodus Tridentina dicens Adam per peccatum amisisse sanctitatem & justitiam.

Secundo: Non minus claret protoparentem simul habuisse cum natura virtutes, cum ad gratiam veluti proprietates ad essentiam sequantur, & ad rectitudinem habendam, immo & componendam plurimum conducant.

Tertio: Ex Scriptura liquet primos parentes habuisse sibi scientiæ plenitudinem coævam: Sic enim Eccli. 17. legitur pro eorum dotibus a creationis exordio concessis: *Disciplina intellectus replevit illos, creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala & bona ostendit illis.* Hoc ipsum exigebat eorum status & conditio, quandoquidem erant sic instituti, ut cæteros edocerent homines tum de Deo colendo, tum de creaturis aliis utendis.

Quarto: Donatus est quoque Adamus immortalitatis privilegio, scriptum est enim Sap. 2. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem*. Ratio congruentiæ non una est. Homo erat ad gloriam immortalem & æternam ordinatus & elevatus. Porro status innocentiæ erat quædam beatitudinis inchoatio. Addo hominem ad similitudinem Dei factum esse, quæ quidem similitudo non modicum per immortalitatis dotem exprimitur.

Quinto: Adam ante peccatum in paradiso voluptatis collocatus est, ut habetur Gen. 2.

Synopsis solutionum ad objectiones.

PRIMO: Christus quidem eatenus primario factus est in spiritum vivificantem quatenus unio hypostatica in prima intentione agentis fuit, & ad corpus etiam sese extendebat: Sed nihil vetat primum hominem tametsi primario factum in animam viventem, eo scilicet sensu, quo Creator voluit animam primum vitam corpori naturalem conferre, nihilominus secundario factum esse penes animam in spiritum quoque vivificantem per gratiæ & virtutum dona. Si quis vero contendat eundem hominem neque habuisse Spiritum sanctum, neque datum illi fuisse ut proficeret, hoc solummodo intelligi debet de plenitudine gratiæ; namque perseverantiam finalem non nisi per Christi merita post lapsum & per pœnitentiam consecutus est.

Secundo: Non negamus Adamum in statu innocentiæ constitutum, caruisse quibusdam virtutibus moralibus quoad effectum secundarium; neque enim ejus fortitudo timoris, neque ejus temperantia gulæ

gulæ excessus tunc temporis compescendos habebat: Sed ejusmodi virtutes inerant ipsi secundum effectum primarium, videlicet ut vires inferiores in ordinatione & obedientia debita erga mentem continerent.

Tertio: Si deceptus & seductus est Adam, hoc sane non defectu cognitionis & scientiæ contigit, sed ex elatione interiori quæ peccatum præcessit in mente.

Quarto: Mors intravit quidem in mundum, sed quomodo? Respondet Apostolus per peccatum. Igitur ante peccatum non regnabat in Adamo, qui ex privilegio immortalitate donatus fuerat.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Adamus opus habuerit in statu innocentiæ auxilio præmovente ad actiones tum naturales, tum supernaturales faciendas.

JANSENIUS l. de gratia primi hominis & Angelorum cap. 20. insurgit adversus præmotionem physicam, eamque tanquam libertati humanæ infensissimam totis viribus impugnat, maxime ex professo. Ex quo liquet quantum Thomistæ discrepent a Jansenio & suis; isti tamen non semel D. Thomæ doctrinam, sed voce tenus, se tenere effutierunt. Sed non in uno momento Schola Angelica divisa & separata est a Janseniana. Iprensis quippe l. de g. Angelorum & primi hominis passim ex professo docet gratiam Adami innocentis non aliam fuisse, quam gratiam indifferentem & versatilem, a voluntatis nutu quoad efficaciam ita dependentem, ut necessitatem auxilii quo a primo hominis statu penitus exploserit, & abnegaverit, ut cap. 10. 11. 12. 13. 14. &c. Nos vero cum S. Thoma utramque gratiam sufficientem & per se efficacem, tum pro statu innocentiæ, tum pro statu naturæ lapsæ propugnamus: Totum igitur controversiæ caput impræsentiarum est, utrum Adam innocens opus habuerit ad agendum auxilio præmoventi. Pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO PRIMA

Adamus in statu innocentiæ opus habuit præmotione physica ad eliciendum actus bonos morales naturalis ordinis.

Probatur auctoritate & ratione D. Thomæ.

PRIMO: D. Thomas præmotionis physicæ necessitatem pro nostro statu colligit ex eo quod Deus sit prima omnium causa physica, hoc est, principium & esse & operari, nisi enim ipsa creaturæ actio reduceretur ad Deum, jam Deus non foret prima causa, quod est inconveniens: Sed Deus tam est causa prima respectu esse & operari hominis innocentis, quam hominis reparati. Igitur Adamus opus habebat præmotione physica ad actiones ordinis naturalis eliciendas, quandoquidem physice sicut quælibet alia creatura a Deo immediate dependebat, & quantum ad esse, & quantum ad motum & actionem. Sic loquitur sanctus Doctor in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. " Non posset vitari quin „ voluntas humana esset primum movens, „ si ejus actio in aliquod primum agens „ non reduceretur sicut in causam. „ Rursus in quæstionibus disputatis q. 3. de potentia Dei seu de creatione, art. 7. " Quia natura inferior non agit nisi mo„ ta, sequitur de necessitate quod Deus „ sit causa actionis cujuslibet rei natura„ lis, ut movens & applicans virtutis ad „ actionem. „

Secundo: Angelus scholæ probat præmotionis physicæ necessitatem pro statu præsenti ex eo quod omne quod movetur, ab alio movetur, quod enim est de se in potentia ad esse & operari debet ab aliquo superiori principio utrumque accipere ab eo quod sit semper in actu tum entis tum operationis, & cum non detur processus in infinitum, alias nihil moveretur, non moto quippe primo, neque medium & ultimum agens moverentur, deveniendum est ad illam primam causam quæ sit semper in actu, & est Deus. Atqui protoparens etiam innocens erat in potentia ad agendum, non enim erat semper in actu: quinimmo etiam secundum virtutem activam in creationis momento acceptam erat in potentia ad a-

gendum, illa quippe virtus non erat actus purus. Igitur primus homo indigebat præmotione physica, qua quidem reduceretur physice ad actum, cum de facto esset physice & realiter in potentia ad agendum. Audiamus D. Thomam qui 1. 2. q. 109. art. 2. ad 1. ait de homine: " Sed quod „ deliberet, vel non deliberet, etsi hu„ jusmodi etiamsi sit Dominus, oportet „ quod hoc sit per deliberationem præce„ dentem, & cum hoc non procedat in „ infinitum, oportet quod finaliter de„ veniatur ad hoc quod liberum hominis „ arbitrium moveatur ab aliquo exteriori „ principio, quod est supra mentem hu„ manam. „ Rursus 1. p. q. 103. art. 8. " Omnis inclinatio alicujus rei vel natu„ ralis vel voluntaria, nihil aliud est „ quam quędam impressio a primo agente.„

Tertio: Sanctus Doctor propugnat creaturam esse causam contingentem ad verum & bonum universale sese habentem: Sed ut plurimum cæcutire rationem in judicando de vero & bono, voluntatem nonnumquam titubantem esse circa boni electionem, ex quo duplici principio colligit sanctus Doctor necessitatem impressionis primæ causæ, quæ moveat rationem & voluntatem ad verum bonum in particulari agendum; contendit quippe ad hoc non sufficere virtutem activam creaturæ innatam, ea potissimum ductus ratione, quod illa virtus etiam contingens sit, & ad multa sese habeat. Sed ejusmodi rationes militant etiam pro primo homine, qui tametsi sanus foret, non ideo tamen de se ad verum & bonum actuale determinatus erat: ejus virtus quamvis integra, limitata tamen & ad varia objecta tendebat. Igitur indigebat aliquo exteriori principio infinite activo & efficaci quod illum ad verum & bonum etiam naturalis ordinis prosequendum applicaret: " Causa, *inquit D. Thomas*, 1. „ p. q. 19. art. 3. ad 5. quæ ex se est „ contingens, oportet quod determinetur „ ab aliquo exteriori ad effectum. „ Rursus in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. debellat eos qui ad hoc virtutem innatam sufficere contendebant: " Dicentes, *inquit*, quod „ voluntas etsi per se possit producere „ actionem sine influentia prioris agentis, „ non tamen habet esse a se sed ab alio, „ quod etiam exigitur ad rationem primi „ principii. Sed hoc videtur inconveniens „ quod a se non habet esse, a se agere „ possit, cum etiam per se durare non „ possit quod a se non est, omnis etiam „ virtus ab essentia procedit, & opera„ tio a virtute, unde cujus essentia ab alio „ est, oportet quod virtus & operatio ab „ alio sit, & præterea quamvis secun„ dum hanc rationem evitaretur quod es„ set primum simpliciter, tamen non „ posset vitari quia esset primum agens, „ si ejus actio in aliquid prius non redu„ ceretur sicut in causam. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Adamus innocens opus habebat præmotione physica ad eliciendos actus supernaturales.

Primo, ex Scriptura sacra.

Probatur auctoritate & ratione.

JEREMIÆ 30. legitur: *Applicabo eum, & accedet ad me*. Rursus Ezech. 36. 27. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Et iterum alia Scriptura, Isa. 26. 12. *Domine.... omnia opera nostra operatus es nobis*. Concinit novum Testamentum, Ephes. 2. 10. sic habetur: *Creati in Christo Jesu in operibus bonis*. Et iterum Philip. 2. *Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere*. Et adhuc, 1. Cor. 12. 3. *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*. Sed applicari a Deo; sed Deum facere ut in præceptis ejus ambulemus; sed omnia opera esse a Deo; sed creari in operibus bonis, hoc est accipere a Deo ut illa faciamus; sed Deum operari in nobis velle & perficere, & similes sententiæ indigitant gratiæ physicæ prævenientis & præmoventis necessitatem pro omni statu. Et probatur: primo quidem indigitare gratiæ prævenientis necessitatem nemo non novit. Quis enim dicet hominem viribus innatis naturalibus etiam innocentem, posse actum supernaturalem elicere, cum ejusmodi actus quatenus supernaturalis excedat in immensum virtutem naturalem, alias non esset supernaturalis? Addo gratiam illam prævenientem esse physicam, quandoquidem natura quæcumque, etiam integra est physice & intrinsece insufficiens ad talem actum producendum, quippe qui excedat physice vires naturales: Quid plura? Tametsi natura hominis integri

gri gratiam haberet sufficientem, ulterius tamen eatenus exigebat efficacem præmoventem, quatenus per primam habet tantummodo posse operari, unde cum sit in potentia ad agendum, debet formam seu gratiam uberiorem recipere qua de potentia reducatur & applicetur ad actum: Hoc ipsum innuunt Scripturæ oracula, nam applicare, & facere ut aliquis ambulet in præceptis, creare in operibus bonis, præbere velle & perficere, non est solummodo dare posse, sed & actu agere, quod quidem munus ex D. Augustino soli gratiæ per se efficaci ex D. Thoma præmoventi tribuitur. Igitur non sine gratia præmovente homo sanus actiones supernaturales elicere valebat.

Secundo, ex sanctis Doctoribus.

S. AUGUSTINUS primus occurrit l. 3. de Trin. cap. 4. num. 10. sic loquitur: „ Cum hæc omnia quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur, „ movens primitus invisibilia ministrorum, „ sive animas hominum, sive occultorum spirituum sibi subditas servitutes „ &c. „ Duo observanda sunt in verbis S. Doctoris, primum quidem Deum cuncta movere, ut qualibet creatura in suam exeat operationem: Ecce præmotio physica, motus quippe primæ causæ est physicus, quandoquidem ista causa est admodum physica: alterum vero annotandum, Deum prius movere nedum hominum animas, sed & occultorum spirituum sibi subditas servitutes videlicet Angelos bonos: Igitur ex sancto Doctore præmotio physica necessaria est etiam pro creaturis sanis, & ab omni peccato immunibus. D. Aug. lib. 12. de cor. & grat. cap. 9. est sui ipsius interpres, docet enim quod Angeli " Bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio creatoris habere possent. „ De homine vero sano eandem propugnat gratiæ promoventis necessitatem epist. 106. " Natura, „ *inquit*, humana, etiam si in illa integritate in qua condita est, permaneret, „ nullo modo seipsam, creatore suo non „ adjuvante, servaret. „ Quomodo & in quo sensu servaret, nimirum in esse & operari. Igitur ex D. Aug. primus homo indigebat gratia præmovente & applicante ad faciendum bonum a lege præceptum.

D. *Thomas* ex professo hanc adimplet provinciam, & probat necessitatem gratiæ præmoventis in omni statu, tum ad verum cognoscendum, tum ad volendum & operandum bonum 1. 2. q. 109. quam de necessitate gratiæ inscribit. Articulo quidem primo ad cognoscendum verum supernaturale necessariam dicit, quia, *inquit*, sicut res corporales particulares numquam actu moventur, tametsi formam & virtutem habeant a natura, donec moveatur causa universalis & primum mobile quod eas ad actionem applicet, a fortiori nulla creatura quantumvis spiritualis & perfecta non movebitur ad actum supernaturalem nisi per præmotionem primæ causæ, sicut, *inquit*, aqua nusquam calefit, nisi prius ab igne calorem accipiat: " Et ideo, *ait*, quantumcumque natura „ aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur „ perfecta, non potest in suum actum pro„ cedere, nisi moveatur a Deo: „ Articulo secundo eandem movet quæstionem de necessitate gratiæ præmoventis, ad volendum & patrandum bonum; eam autem asserit esse necessariam propter duo: Primo quidem ratione dependentiæ, quatenus omnis creatura a Deo dependet, sicut in esse, ita & in operari: Secundo vero ratione infirmitatis, ut sanet naturam peccato sauciatam: subdit vero necessariam esse homini sano propter dependentiam a Deo; quidquid enim operatur a prima causa movetur: homini vero ægroto & ratione dependentiæ, & ratione infirmitatis. Et sic quæstio clare a S. Thoma definitur: " Sic igitur, *ait*, virtute gra„ tuita superaddita virtuti naturæ indiget „ homo in statu naturæ integræ quantum „ ad unum, scilicet ad operandum & „ volendum bonum supernaturale. Sed in „ statu naturæ corruptæ quantum ad duo, „ scilicet ut sanetur, & ulterius ut bonum „ supernaturalis virtutis operetur, quod „ est meritorium .. „ Idem repetit art. 9.

Tertio, ex ratione ulteriori D. Thomæ eaque multiplici.

PRIMA, sic exponitur: Est de ratione essentiali primæ causæ, ut motus ejus precedat motum cujuscumque mobilis, alias non esset prima causa sed concausa: Atqui Deus est prima omnium causa: Igitur primus

mus homo indigebat gratia præmovente ad bonum supernaturale faciendum. Hæc ratio est D. Thomæ lib. 3. contra gentes cap. 149. ubi ex professo tractat de necessitate gratiæ prævenientis & adjuvantis num. 1. " Motio autem moventis, *ait*, " præcedit motum mobilis ratione & causa. Non igitur propter hoc datur nobis " auxilium divinum, quia nos ad illud per " bona opera promovemur: sed potius nos " ideo per bona opera proficimus, quia " divino auxilio prævenimur. "

Secunda: Deus nedum prima sed & universalis causa est: atqui ideo universalis celebratur, quia ab eo omnis causa habet ut bonum faciat actualiter, causa quippe prima immediate operationem spectat & tangit, unde si creatura innocens non dependeret immediate a Deo quantum ad operationem, sed solummodo quatenus dat posse & velle bonum, non vero ut illud ipsum faciat, ut quidam posuerunt, non esset causa universalis: Igitur gratia præmovens erat necessaria etiam protoparenti innocenti ad actiones supernaturales.

Hanc quoque rationem & dat & explanat Angelicus doctor ibidem num. 3. his verbis: " Et nullum agens particulare potest universaliter præcedere actionem " primi universalis agentis, eo quod omnis actio particularis agentis originem " habeat ab universali agente: sicut in " istis inferioribus omnis motus prævenitur a motu cælesti, sed anima humana ordinatur sub Deo, sicut particulare agens sub universali. Impossibile est ergo esse aliquem actum motum " in ipsa, quem non præveniat actio divina. Unde & Joan. 15. Dominus dicit: *Sine me nihil potestis facere*. "

Rursus ibidem 3. con. Gen. cap. 98. " Quidam non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare " possit absque præjudicio libertatis voluntatis, has auctoritates male explicare conati sunt, ut scilicet dicerent " quod Deus causat in nobis velle & perficere in quantum dat nobis virtutem " volendi, non autem sic quod faciat nos " velle hoc vel illud .... Quibus quidem auctoritatibus S. Scripturæ resistitur, dicitur enim Isa. 26. 12. *Omnia opera nostra operatus es nobis* .... Unde non " solum virtutem volendi a Deo habemus, " sed etiam operationem ... Deus non " solum dat rebus virtutem, sed etiam " nulla res potest propria virtute agere " nisi agat in virtute ipsius: ergo homo " non potest virtute voluntatis sibi data " uti nisi in quantum agit in virtute Dei. " Illud autem in cujus virtute agens agit " est causa non solum virtutis, sed etiam " actus, quod in artifice apparet in cujus virtute agit instrumentum etiam " quod ab hoc artifice propriam formam " non accipit, sed solum ab ipso applicatur ad actum: Deus ergo est causa in " nobis non solum voluntatis, sed etiam " volendi. "

Tertia: Hæc cæteris adjungitur: si præmotio non foret necessaria Adamo innocenti, maxime quia sufficienter salvarentur jura primæ causæ moventis per gratiam cooperantem, seu concursum simultaneum: Atqui non sufficienter per hunc salvarentur: Et probatur, concursus simultaneus est quid mere extrinsecum respectu causæ particularis agentis, influit quippe tantummodo in effectum: Atqui non solum effectus, sed & causa secunda dependet immediate a Deo & quantum ad rationem essendi, & quantum ad rationem operandi: Igitur Adamus tametsi perfectus & sanus, attamen opus habebat gratia præmovente, unde perperam illam impugnat Iprensis.

Quarta: Adamum habuisse Spiritus sancti dona constat, ea quippe ad gratiam habitualem in qua primus homo creatus est veluti proprietates ad essentiam consequuntur: istorum donorum Adam elicuisse actus absque dubio est: sed utrumque videlicet & donorum largitio, & eorumdem frequens exercitatio gratiam præmoventem astruunt, & supponunt. Igitur gratia per se efficax, & promovens fuit status innocentiæ apparatus. Major patet, omnes quippe sancti Doctores docent & Adamum habuisse gratiam sanctificantem, alii in primo, alii in secundo creationis momento: Sed & dona sancti Spiritus esse gratiæ habitualis proprietates ultro fatentur. Jam vero Adamum donorum actus habuisse nemo diffitebitur si attendat fuisse universi caput, cæteros in via Dei instruere ad illum spectasse, ad creatorem tum contemplatione, tum pietatis affectu sese convertisse. Probatur igitur minor ex D. Thoma qui 1. 2. q. 68.

q. 68. art. 1. 2. item 22. qu. 45. art. 2. & 5. ibidem 22. q. 8. art. 1. & 6. q. 9. art. 1. q. 52. art. 1. & 2. q. 123. art. 8. q. 58. art. 12. q. 19. art. 2. & 9. quatuor tribuit donis proprietates quibus nonnisi gratia præmovente & per se efficaci illustrantur. Prima. Donum reddit animam justi a Spiritu sancto ad bonum salutis facile mobilem. Secunda, donum tribuit animæ judicare de rebus divinis per quandam ad eas connaturalitatem. Tertia, perficit animam secundum Spiritus sancti lumen quod est infinitum, in quo discrepat a virtutibus infusis moralibus quæ illam solummodo secundum rationem & ejus usum movent. Hinc qui doni sequitur impressionem, bonum semper & ubique absque termino operatur, quod est vehementer amantium, quocirca ait Bernardus modum amandi Deum esse absque modo & termino. Quarta, donum semper habet voluntatis affectum sibi conjunctum, & in hoc mere, intellectualibus eminet virtutibus: Sed ad hos & similes actus perfectissimos eliciendos requiritur gratia efficacissima. Igitur & præmovens.

Quinta: Gratia efficax necessaria est ad eliciendum actum virtutis moralis infusæ, v. g. castitatis, fortitudinis, prudentiæ: Sed efficacissima & præmovens requiritur ad hoc ut hujusmodi actus eliciatur donorum Spiritus sancti motione & impulsu, idest, ita facile, ut per quandam connaturalitatem ad divina, & sæpissime, & cum fervore eliciatur. Igitur dona quæ habuit Adam & in quibus quandiu status innocentiæ perduravit, sese exercuit, argumenta sunt eum habuisse gratiam præmoventem ad bonum operandum.

Sexta: Hoc ipsum innuit & importat summus amor, altera status innocentiæ prærogativa: in hunc enim non semel quasi ex impetu prosiliisse Adam, ratio non una suadet: tum quia erat ab origine sanctus, ab origine ab omnibus immunis passionibus quibus homo infirmus in amando Deo irretitur: ab origine disciplina intellectus & scientia repletus: porro amor sequitur cognitionem, & tanto ferventior evadit quanto major est objecti amabilis cognitio. Quisnam igitur rerum æquus æstimator Adamum ex tota fortitudine suum amasse creatorem negaverit, quippequi & Deum summe amabilem perfecte cognoverit, maxime cum hoc exigeret justitia, hoc gratitudo, hoc debitum, nullumque ex parte carnis sanæ esset impedimentum? Tum quia juxta inconcussam D. Thomæ doctrinam contra gent. cap. 95. " Quanto aliqua sunt propinquiora „ moventi, tanto efficacius impressionem „ moventis assequuntur. „ Sed summus amor magnam adeoque præmoventem supponit gratiam, cujus impressione causetur; Quod quidem ex perfecti amoris proprietatibus dignoscitur. Ergo &c.

Doctor Angelicus opusc. 61. sic delineat proprietates istius amoris perfecti: " Fa- „ cit languere utiliter, quærere incessan- „ ter, operari indesinenter, sustinere „ infatigabiliter, appetere impatienter, „ currere velociter, audere vehementer, „ stringere inamissibiliter, ardere suavi- „ ter, assimilari totaliter. „ Quæ omnia ita naturæ etiam sanæ excedunt conatum, ut jam homo non sibi vivat juxta illud Apost. effatum ad Gal. 2. *Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus*. Huic amori tribuit D. Bernardus deificare animam, quatenus gratia amoris ita illuminatur anima, ita elevatur, & tantis prævenitur benedictionibus, ut perfecte fit cum Deo conjuncta quod mirum in modum paucis sed efficacissimis verbis explicat Apost. 1. Cor. 6. 17. dicens *qui autem adhæret Domino, unus spiritus est &c.* Igitur & ex amore summo, ex gratia originali, & ex donis cæterisque status innocentiæ dotibus recte colligitur primum hominem innocentem habuisse gratiam præmoventem, eamque efficacissimam, quod fuso calamo probat R. P. Massouillet Dominicanus to. 2. cui titulus D. Thomas sui ipsius interpres. dissert. 4. qu. 1. art. 1. & 2. specialiter vero q. 2. art. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & quæst. 3. art. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Fit satis objectionibus Novatorum qui pro systemate habent gratiam primi hominis fuisse solum sufficientem, Mediatoris vero efficacem.

OBJICIES 1. Hanc statuit S. Augustinus discrepantiam inter primum hominem & secundum: quod ille per liberum arbitrium stare posset: iste vero nonnisi per gratiæ auxilium: igitur systema au-

augustinianum pro gratia in eo situm est, quod gratia primi hominis foret solummodo sufficiens, & per propriæ voluntatis consensum evaderet efficax: e contra vero gratia istius sit per se efficax: Probatur minor ex D. Aug. qui lib. de corrept. & gratia cap. 10. num. 27. sic loquitur de Angelis bonis: " Cæteri autem per ,, ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt. ,, Idem prorsus dicit de gratia primi hominis cap. 12. nu. 34.

Respondeo 1. argumentum nimis probare: inde enim sequeretur Angelos sanctos, secluso gratiæ auxilio, in veritate stetisse: quod nemo cordatus dixerit, cum B. Aug. adaperte dicit ideo Angelos stetisse, quia præ cæteris magis fuerunt adjuti: nec quoque citra veritatis dispendium aliquis affirmaret primum hominem absque gratiæ prævenientis ope potuisse perseverare, cum vel ipsum boni initium in utroque statu non sit a natura, cum ejus excedat vires: Sed a gratia simul cum libero arbitrio.

Respondeo 2. distinguendo minorem, Angeli sancti per liberum arbitrium gratia actuali adjuti steterunt, concedo: absque gratiæ auxilio, nego. S. Aug. est sui ipsius interpres, cum ait fuisse magis adjutos. Discrimen igitur inter gratiam primi & secundi hominis non est nisi penes majorem efficaciam, & ad perseverandum & ad tentationes vincendas: Sed non penes minorem, & Deo & gratiæ subordinationem, cum in omni statu indigeat homo præmoveri efficaciter a Deo ad bene operandum.

Et vero ipse S. Aug. ibidem cap. 11. gratiam primi hominis non dicit versatilem, sed magnam: tunc discrimen ponit inter gratiam primi & secundi hominis, quod iste illam habeat beneficio mediatoris: quod illa indigeat ad vincendas tentationes carnis quibus carebat Adamus: Denique quod gratia potentiore ipsa gratia hominis innocentis indigeat, propter majores quas habet in præceptis Dei adimplendis difficultates. Hinc S. August. hic num. 30. non dicit gratiam Adami versatilem, sed non tam potentem quam gratiam mediatoris.

Sic intonat & incipit caput 11. " Quid ,, ergo? Adam non habuit Dei gratiam? ,, Immo vero habuit magnam, sed dispa- ,, rem. Ille in bonis erat, qui de boni- ,, tate sui conditoris acceperat: Neque ,, enim ea bona & ille suis meritis comparaverat, in quibus prorsus nullum pa- ,, tiebatur malum, sancti vero in hac vi- ,, ta, ad quos pertinet liberationis hæc ,, gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ,, ad Deum, *libera nos a malo*. Ille in il- ,, lis bonis Christi morte non eguit: istos ,, a reatu & hæreditario & proprio, il- ,, lius agni sanguis absolvit. Ille non opus ,, habebat eo adjutorio, quod implorant ,, isti cum dicunt: *Video aliam legem in* ,, *membris meis repugnantem legi mentis meæ*, ,, *& captivantem me in lege peccati*, *quæ est* ,, *in membris meis. Infelix homo? Quis me* ,, *liberabit de corpore mortis hujus? Gratia* ,, *Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*. ,, Quoniam in eis caro concupiscit adver- ,, sus spiritum, & spiritus adversus car- ,, nem, atque in tali certamine laboran- ,, tes ac periclitantes dari sibi pugnandi, ,, vincendique virtutem per Christi gra- ,, tiam poscunt: ille vero nulla tali rixa ,, de se ipso adversus se ipsum tentatus at- ,, que turbatus, in illo beatitudinis loco ,, sua secum pace fruebatur. ,,

Pergit nu. 30. " Proinde etsi non inte- ,, rim lætiore nunc, veruntamen poten- ,, tiore gratia indigent isti; & quæ poten- ,, tior quam Dei unigenitus Filius, æqua- ,, lis Patri & coæternus, pro eis homo ,, factus, & sine ullo vel originali, vel pro- ,, prio peccato ab hominibus peccatoribus ,, crucifixus? Qui quamvis die tertio re- ,, surrexit, numquam moriturus ulterius; ,, pertulit tamen pro mortalibus mortem, ,, qui mortuis præstitit vitam ut redempti ,, ejus sanguine, tanto actuali pignore ac- ,, cepto dicerent. ,,

Replicabis: Quum S. Aug. ait Angelos bonos magis fuisse adjutos, loquitur de gratia consummata & beatitudine. Igitur omnem gratiam per se efficacem eliminat S. Doctor a statu innocentiæ.

Respondeo hoc ipsum implicare in terminis, cum gratia adjuvans sit solum pro viatoribus, nusquam vero pro his qui sunt in termino: unde quum S. August. hic cap. 10. num. 27. loquitur de beatitudine, in duplici sensu illam intelligit, 1. quidem pro statu gratiæ 2. pro statu gratiæ permanentis quem Angeli stantes, habuerunt per liberum arbitrium adjutum stando in veritate: quam beatitudinem habuisset etiam Adam, si audivisset: deinde sermonem

monem facit de beatitudine consummata quæ fuit merces & corona beatorum Angelorum. Quos autem isti vi gratiæ per se efficacis in veritate steterint, affirmat S. Aug. his verbis: " Diabolus vero ,, & Angeli ejus, & si beati erant antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc ,, quod eorum adderetur beatitudini, si per ,, liberum arbitrium in veritate stetissent, ,, donec istam summæ beatitudinis plenitu- ,, nem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent, id est, ut magna per ,, Spiritum sanctum data abundantia caritatis Dei, cadere ulterius omnino non ,, possent. ,, Prima beatitudo est status gratiæ, secunda est permanentia in gratia, tertia est visio Dei, loquitur S. Aug. maxime de duabus prioribus pro homine innocenti num. 28. sic loquitur: " Sic & hominem ,, fecit cum libero arbitrio, & quamvis sui ,, futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori & miserum ,, non fieri in sua potestate esse sentiebat. ,, In quo statu recto ac sine vitio, si per ,, ipsum arbitrium manere voluisset, profecto sine ullo mortis, & infelicitatis ,, experimento, acciperet illam, merito ,, hujus permansionis, beatitudinis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beati, id est, ut cadere non posset ulterius, ,, & hoc certissime sciret. Nam neque ip ,, se posset etiam in paradiso beatus esse, ,, immo ibi non esset, ubi esse miserum non ,, deceret, si eum sui casus præscientia, ,, timore tanti mali miserum faceret. ,, Quia vero per liberum arbitrium Deum ,, deseruit, justum Dei judicium expertus ,, est, ut cum tota sua stirpe, quæ in illo adhuc posita tota cum illo peccaverat, damnaretur. ,,

Replicabis. S. Doctor ait gratiam Christi ipsa gratia primi hominis potentiorem: Sed ideo potentior quia efficax, altera vero minime, sed tantummodo sufficiens: Ergo &c. Confirmatur ibidem dum discrimen inter utramque gratiam statuit, silet efficaciam pro priori, sed eam a gratia mediatoris promanare docet. Magnam in eo sensu prædicat Adami gratiam quod sit gratia innocentiæ, quod innata seu Adam coæva, quod in subjecto admodum grato, quod absque concupiscentiæ cæterarumque passionum furentium oppositione: at semper altum est de efficacia gratiæ silentium.

Respondeo distinguendo minorem: gratia primi hominis pro perseverantia erat solummodo sufficiens, concedo: pro aliis actibus, nego. Claret ex dictis Adamum innocentem habuisse gratiam efficacem pro præcepto amoris adimplendo: & gratia Christi dicitur potentior respectu perseverantiæ, quandoquidem Adamus non habuit pro hoc momento, efficacem: Sed sicut impræsentiarum non concluditur reprobos non habuisse gratias efficaces, quod caruerint gratia perseverantiæ, cum non semel præcepta quædam adimpleverint, ita non negandum est Adamum habuisse gratiam efficacem pro aliis momentis, tametsi ad perseverandum in bono non habuerit.

Non abs re erit hic subnotare gratiam efficacem requiri ad quemlibet actum supernaturalem eliciendum, & diversos habere gradus; major quippe necessaria est ad actum amoris eliciendum dum urget tentatio, quam cum non exorbitat concupiscentia: ex quo principio sequitur gratiam Christi esse potentiorem Adamica, cum vincat opposita, etiam perseverantiæ finali.

Ad confirmationem distinguo: & S. Præsul non excludit gratiam efficacem ad amandum Deum, & divinorum contemplationi vacandum, concedo: & excludit, nego. Cap. 10. & alibi sua sufficienter circa istud controversiæ caput prodit mentem.

Diluuntur objectiones Jansenii contra præmotionem physicam.

Ne quis putet phantasma esse dicere Jansenium explodere & impugnare opinionem D. Th. circa præmotionem physicam pro omni statu, qua quidem schola ejus Angelica a qualibet alia secernitur: rationes Iprensis de Verbo ad Verbum afferre, & solvere juvat. Non est animus hic cæterorum Theologorum carpere de hoc momento sententiam, sed ostendere benevolo lectori Thomistas nullomodo coire cum Novatoribus in materia de auxiliis. Neque vero opus est hic texere omnia quæ proponuntur in scholis adversus præmotionem physicam, cum iterum atque iterum jam jam fecerim satis argumentis in contrarium; quocirca solis Jansenii rationibus, tametsi ex supra dictis solutæ maneant,

neant, & diruta ejus fundamenta, insistere consentaneum est, ut unicuique pateat intacta ex omni parte manere circa auxilium præmovens D. Thomæ placita.

Objicit multa Jansenius lib. de gratia primi hominis & Angelorum cap. 20. ubi ex professo debellat gratiam præmoventem, tum pro homine sano, tum pro Angelis, eamque septem rationibus exsufflare contendit, quippequi statui innocentiæ adversam credat: " Nam primo, *inquit*, prædeterminatio illa prorsus destruit „ totam illam differentiam gratiæ Adami & Christi, seu auxilii sine quo & „ adjutorii quo fit opus: quam tamen S. „ Augustinus firmissime, ut supra vidimus, stabilivit, & velut immobilem basim totius doctrinæ suæ posuit. Patet „ hoc ex eo, quod prædeterminatio illius „ naturæ sit, ut hoc ipso quo ponitur, „ ponatur actio, illa non posita, numquam „ fiat. „ Jam in forma sic reducitur istud argumentum. Gratia prædeterminans est auxilium quo: Sed ex B. Augustino gratia primi hominis non est auxilium *quo*, sed sed tantum *sine quo*, seu auxilium sufficiens. Igitur gratia præmovens ex mente Augustini neque Adamo innocenti data est, neque ei fuit necessaria.

Respondeo negando minorem. D. Augustinus lib. 12. de civ. c. 9. agnoscit auxilium *quo* pro Angelis bonis, qui, ipso teste, ideo non ceciderunt quia, *cadentibus illi amplius adjuti* sunt: si amplius adjuti sequitur manifeste gratiam habuisse præ cæteris majorem, adeoque efficacem seu auxilium *quo*, alias *non* fuissent magis adjuti, eum & malos habuisse ante lapsum gratiam sufficientem constet, & hoc ultro concedat Jansenius. De homine sano aperta est D. Augustini mens: namque lib. 14. de civ. cap. 13. asserit primum hominem habuisse gratiam non solum qua illustrabatur, ut videret quid faciendum erat, verum etiam qua *accendebatur ut amaret*. Certe soli gratiæ efficaci convenit accendere, non sufficienti, quæ teste Jansenio, solummodo ad liberi arbitrii cui subdita est, nutum operatur. Jam vero si ad rationes D. Thomæ attendatur, nemo non videbit auxilium quo præmovens fuisse in statu innocentiæ absolute necessarium, cum Deus ubique & per omnia respectu creaturæ sit & prima causa, & primus motor a quo mobile essentialiter dependet, tum in esse, tum in operari.

Instat Iprensis & secundo loco sic impugnat gratiam præmoventem pro homine sano: " Secundo, *ait*, quia prædeterminatio physica facit, ut liberum arbitrium non solum velle & operari possit, sed semper ut actu velit, & operetur, pro ut auctores ejus ex professo „ docent. Tale autem adjutorium stanti „ homini, aut Angelo datum non fuit, „ sed lapsis posteris reservatum. „ Ex Jansenio gratia efficax præmovens dat actu & velle & facere bonum: Sed tale adjutorium, inquit, neque homini sano, neque Angelo datum est, sed lapsis reservatum. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: auxilium quo actu homo velit bonum & faciat finaliter non est datum primis parentibus, sed lapsis reservatum, concedo pro hac parte, namque datum est bonis Angelis qui non solum habuerunt auxilium quo possint perseverare, sed & *quo* actu perseverarent, unde sibi ipsi contradicit Iprensis nec sibi constat. Adjutorium *quo* protoparentes possent bonum & facerent, nego: Habuerunt enim gratiam qua se se per fidem & amorem in prima vitæ aurora actu ad Deum converterunt, alias peccassent; omnis enim adultus ex D. Thoma, ut primum rationis usu potitur, Deum & agnoscere & amare tenetur; nemo tamen dixerit, peccatum Adami fuisse contra præceptum fidei & amoris, sed obedientiæ: Igitur præcepto amoris fecerunt satis, ad quod implendum necessaria erat gratia præmovens, quandoquidem teste D. Thoma omne quod movetur ab alio movetur.

Non aliud igitur auxilium negatum est Adamo innocenti quam illud quo actu perseveraret. Et certe per omnia contradictoria, alloquitur Jansenius, ut fucum faciat. Namque aliud est Adamum non habuisse gratiam efficacem, aliud, vero, illam gratiam non fuisse homini sano ad bonum faciendum necessariam. Obduratus caret gratia efficaci, ergo illa ad conversionem non opus habet: Lepida sane consequentia! dato igitur & non concesso primum hominem caruisse gratia efficaci præmoventi, eam non fuisse illi datam ad operandum salutis bonum colligi non debet, alias, ut ratione S. Thomæ utar, Deus non fuisset prima causa, sed solummodo con-

cau-

causa respectu actus fidei & amoris supernaturalis, quem protoparens in secundo creationis instanti elicuit.

Jansenium gratis & incassum adversus præmotionem recrudescere luce clarius constat. Revera quidem, ut probet gratiam præmoventem a statu innocentiæ eliminandam duo S. Augustini affert loca, quibus S. Doctor probat Adamum non habuisse perseverantiæ donum. Certe nemo de hoc dubitat, quæstio vero præsens non movetur de perseverantia, sed de gratia efficaci necessaria ad singula opera. Audiamus Iprensem ibidem pag. 74. edit. Rothomag. post verba in objectione laudata subdit: " tale autem adjutorium ,, stanti homini, aut Angelo datum non ,, fuit, sed lapsis posteris reservatum. ,, *Primo homini*, inquit Augustinus, *datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset*. Lib. de corr. & gr. cap. 12. & inferius: " Habens vir- ,, tutem liberi arbitrii, quamvis non de ,, futuro adjutorio Dei, sine quo non pos- ,, set perseverare, si vellet; non tamen ,, tali quo in illo Deus operaretur ut vel- ,, let. ,, Quis jam justus rerum æstimator non videt Jansenium nihil probare, quinimmo lectori illudere, cum ex ejus probationibus unum tantummodo sequatur, nimirum gratia perseverantiæ in felici statu caruisse Adamum?

Insistit Iprensis ibidem, & ad tertiam rationem pro impugnanda gratia præmovente gradum facit: Tertio, *inquit*, quia ,, prædeterminatio physica talis naturæ ,, est, ut non relinquatur in libertate ,, voluntatis eam amplecti, vel non am- ,, plecti, sed semper invicte facit, ut eam ,, voluntas amplectendo consentiat. Tale ,, autem non fuit adjutorium Adæ, aut ,, Angelorum, ut pote quod in libero ,, eorum arbitrio relictum fuit. ,, Ex Jansenio igitur illud adjutorium non est admittendum in statu innocentiæ quod voluntas nequit, aut accipere & ei consentire, aut rejicere & dissentire, quia invicte facit facere: Atqui talis est gratia præmovens: Igitur a statu innocentiæ prorsus explodi debet.

Respondeo 1. retorquendo argumentum: Sed neque gratia efficax Janseniana in statu naturæ lapsæ admittenda est, quandoquidem, ipso teste Iprensi, auxilium quo nullus rejicere potest, quia invicte facit facere, & sic Jansenius proprio confoditur telo, quippe qui illi gratiæ tribuat invicte facere, & talis naturæ illud dicat: *Ut non relinquatur in voluntate libertatis, eam amplecti, vel non amplecti*. Ex quo patet & clarius infra patebit Iprensem admittere pro statu nostro gratiam necessitantem.

Respondeo 2. Angelos bonos tametsi sanos & innocentes habuisse tamen auxilium quo, quia de facto magis adjuti ex S. Augustino steterunt. Audis Iprensem aperte contradicere S. Doctori quum ait auxilium *quo* non fuisse pro creatura sana.

Respondeo 3. negando minorem propter duo. Primo quidem, S. Thomas nusquam admisit prædeterminationem physicam, eam saltem qua voluntas ad unum ex necessitate determinatur, sed solummodo præmotionem physicam. Secundo, voluntas potest resistere præmotioni & dum offertur, illam videlicet rejiciendo: & cum datur, voluntas ea data & accepta agit quidem, sed quia vult & operari elegit: unde tametsi possit resistere, ei tamen non placet resistere. Quinimmo dum actu operatur eatenus non operari potest, quatenus ab operando cessare potest. Igitur libertas per omnia affulget sub dominio gratiæ præmoventis, voluntas quippe humana potest ei resistere & in sensu diviso, & quodammodo etiam in sensu composito. In sensu quidem diviso quatenus eam rejicere potest dum offertur; & cum agit, ab operatione desistere potest: in sensu vero composito saltem gratiæ: hoc est, cum actu recipit gratiam, potest ei resistere & non operari, tametsi hoc ipsum non faciat, quia & vult agere & operari ipsa elegit.

Hæc est Concilii Tridentini doctrina dicentis: sess. 6. can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo .... Neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere; mereque passive se habere; anathema sit*.

Eo loci loquitur de gratia per se efficaci, eaque præmoventi, impugnat enim gratiam præmoventem necessitantem Lutheri & Calvini, & contendit gratiam tametsi præmoventem, non tamen necessitare, quia liberum arbitrium etiam a tali

gratia

gratia motum ei resistere potest. Hæc sana S. Augustini sententia multis ab ipso celebratur in locis, maxime lib. de spir. & litt. cap. 34. ubi sic loquitur: " Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est. "

Observes velim, benevole lector, S. Doctorem loqui de gratia quæ actu movet, de ea nimirum quæ vocat peccatorem ad vitam, eam tamen gratiam talis esse naturæ affirmat cui resistere possit voluntas humana. Hæc est S. Thomæ catholica doctrina 3. contra Gen. cap. 68. ubi sic loquitur: " Dominium quod habet voluntas supra suos actus per quod in ejus potestate est velle & nolle, non excludit influentiam superioris causæ a qua est ei esse & operari, & sic remanet causalitas in causa prima quæ est Deus respectu motuum voluntatis. " Quibus verbis liquido constat, juxta mentem Angelici Doctoris voluntatem manere liberam cum gratia præmovente, quia manet sub ea suorum actuum domina. Revera quidem gratia præmovens non tollit sed astruit & fovet libertatem actualem, namque gratia præmovens solvit voluntatem a duplici vinculo, nempe potentialitatis & infirmitatis, dum eam præmovet & applicat ad agendum.

Urget Jansenius & quartam exponit rationem, qua gratiam præmoventem impugnare contendit. Ibidem enim, ait: " Quarto, quia prædeterminatio physica nunquam deseritur a voluntate, sed ipsa potius facit, ne a voluntate deseratur. Adjutorium autem Adami nullomodo istius conditionis fuit. " Ex his sequitur istud argumentum. Illa gratia non est in statu innocentiæ admittenda, quæ nec a voluntate deseritur, nec suspensa ab operatione manet, sed potius facit ut ab ipso libero arbitrio non rejiciatur: Atqui talis est gratia præmovens. Ergo &c.

Respondeo distinguendo, quæ a voluntate non deseritur etiam finaliter, concedo: quæ ad tempus non deseritur, nego. Et distinguo similiter minorem, talis est gratia præmovens, hoc est movet finaliter ad bonum, si dono perseverantiæ conjungatur, concedo: sin minus, nego. Duplex gratia præmovens distinguenda est: una ordinaria, altera extraordinaria & cum dono perseverantiæ conjuncta: prima potest deseri, minime vero altera; quia hæc gratia, inquit Aug. lib. de dono persev. cap. 1. est ipsa conjunctio mortis cum charitate. Unde graviter allucinatur Iprensis dum negat auxilium quo non fuisse datum primo homini, eo quod Augustinus passim dicat, Adamum habuisse auxilium *sine quo*, non *quo*, cum S. Doctor sit sui ipsius interpres dum addit, *sine quo* perseveraret, non *quo* perseveraret, namque excludit tantummodo a primo homine auxilium perseverantiæ, in statu innocentiæ quod Adam non habuit, nusquam vero auxilium *quo* ut sic, seu gratiam præmoventem ad actus tum fidei, tum spei, & dilectionis, quos Adam elicuisse certum est. Et vero, nonne S. Doctor asserit Angelos bonos præ cæteris magis fuisse adjutos, & Adam habuisse gratiam qua ardentius promovebatur in bonum? certe D. Augustinus auxilium *quo* clarius delineare non potuit.

Prosequitur & instat Iprensis ibidem & abnegat gratiam præmoventem: " Quinto, inquit, quia gratia prædeterminationis physicæ si non detur homini, non idcirco a culpa excusatur: alioquin peccatores omnes, qui justitiam deserunt & physica prædeterminatione ad perseverandum & juste vivendum carent, sine culpa caderent. Adjutorium vero Adami & Angelorum hujusmodi fuit, ut nisi eis datum fuisset, sine culpa cecidissent. " Jam sic ex Jansenio argumentari licet: ideo Adamus & Angeli mali sua culpa ceciderunt, quia auxilium habuerunt ad vitandum malum, & tamen ad illud propellendum gratia data non usi sunt: sed talis naturæ non est gratia præmovens, tametsi enim quis ea careat, sua tamen culpa prolabitur in peccatum cum legem transgreditur: Igitur gratia primi hominis in gratiam præmoventem non collimat.

Respondeo distinguendo majorem similiter: Et homo lapsus ideo peccat, quia gratiæ sufficienti quam habet, resistit, concedo: peccat etiamsi nullam habeat gratiam qua præcepta illi posibilia fiant & evadant, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Jansenius admittit gratiam sufficientem in statu innocentiæ seu auxilium sine quo primus homo perseverare non poterat, unde & merito subjungit Adam sua culpa peccasse, quia sua

culpa

culpa non perseveravit; negat vero & male pro statu naturæ lapsæ auxilium sufficiens quo præcepta fiant nobis possibilia: Igitur falsissimum est hominem in præsenti statu sua culpa non cadere, tametsi non habeat gratiam præmoventem, cum aliam habeat: verum potius ideo peccat, quia resistit gratiæ sufficienti interiori, quam habet, quæque illum excitat & compellit ad bonum faciendum, quocirca indignum se præbet gratia præmovente efficaci, qua actu bonum operetur, unde perditio tua ex te Israel.

Persistit Jansenius & gratiam præmoventem abnegat pro primo homine: " Sexto, ait ibidem, quia prædeterminatio illa physica destruit prorsus magnam illam libertatem & bene vivendi potestatem, quam Augustinus, Pontifices & Concilia nos in Adamo amisisse testantur, ut etiam fuse declaravimus supra. Nam illa libertas in eo sita erat, quod homo per liberum arbitrium sicut male vivere poterat, ita etiam bene: videlicet ut non esset necesse voluntatem illam bene vivendi per gratiam præparari, sicut nunc post lapsum necessariam, quando Deus per gratiam in homine operari debet, ut velit, & faciat. Quod si etiam tunc debebat per physicam istam prædeterminationem fieri, utpote cujus iste proprius effectus est quemadmodum auctores ejus tradunt, jam funditus illa Doctrina Augustini & Conciliorum labefacta corruet." In forma sic proceditur: opinio prædeterminationis opponitur Aug. SS. Patribus & Conciliis, circa libertatem, ergo &c. Probatur Antecedens. Libertas magna consistit in eo maxime quod liberum arbitrium habeat in se bene vel male agendi potestatem: sed hæc libertas teste Augustino, SS. Pontificibus & Conciliis amissa est per Adæ peccatum, illam tamen eandem propugnant assertores physicæ prædeterminationis. Ergo sententia de gratia præmovente adversatur Augustino &c.

Operæ pretium est animadvertere multa in verbis Jansenii quibus claret nos habere circa gratiam necessitantem conscientem reum. Primo quidem ex Jansenio magna & vera libertas in eo potissimum sita est, quod liberum arbitrium habeat bene vel male agendi potestatem: Secundo, Adamum innocentem eam ita habuisse, ut gratia præveniente qua præparatur voluntas a Domino, opus non haberet. Tertio: primum hominem hanc per peccatum amisisse libertatem: Igitur ex Jansenio non stat libertas indifferentiæ sub dominio gratiæ in præsenti, adeoque gratia mediatoris necessitat. Iprensis est sui ipsius interpres: sed non in eo solum cæcutit, verum etiam cum dicit gratiam qua præparatur voluntas a Domino non fuisse homini innocenti ad operandum bonum necessariam; cum enim actus supernaturalis excedat naturæ etiam sanæ vires, & causa secunda a prima in operando dependeat, manifestum est primum hominem opus habuisse gratia præveniente, immo & per se efficaci ad operandum salutis bonum; hanc quippe Concilium Arausicanum secundum Can. 10. exigit nedum pro peccatoribus, sed & pro justis ut suam operentur salutem. Falsissimum quoque est ex supra dictis de libertate, S. Augustinum, SS. Pontifices & Concilia propugnare liberum arbitrium peccato Adæ fuisse extinctum.

Respondeo ad argumentum negando Antecedens: ad probationem, nego utique minorem, est enim de fide definitum in Tridentino supra laudato, voluntatem motam a gratia, quantumvis efficaci, posse dissentire si velit. Unde Jansenius argumentatur ex falso supponente, videlicet gratiam præmoventem necessario compellere ad bonum, neque enim hominem innocentem, neque lapsum necessitat. Quin immo voluntas perfecte libera manet sub dominio gratiæ præmoventis. S. Aug. l. 2. de actis cum Felice Manichæo, ait: " Habet unusquisque in voluntate aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere quæ mala, & esse arbor mala."

D. Thomas 1. p. quæst. 38. art. 1. sibi proponit difficultatem, his verbis: " Liberum arbitrium est quod sui causa est, quod ergo ab alio movetur, non est liberum. Sed Deus movet voluntatem creatam, dicitur enim Proverb. 21. cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, vertet illud. Et Philipp. 2. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere. Ergo homo non est liberi arbitrii."

Ibidem, sic respondet ad argumentum: " Dicendum, quod liberum est causa sui

„ sui motus quia homo per liberum arbi- „ trium seipsum movet ad agendum : non „ tamen hoc est de necessitate libertatis „ quod sit prima causa sui , ad id quod „ liberum est . Sicut nec ad hoc quod „ aliquid sit causa alterius non requiri- „ tur , quod sit prima ejus causa . Deus „ igitur est prima causa movens & na- „ turales causas , & voluntarias: & sicut „ naturalibus causis movendo eas non au- „ fert quin actus earum sint naturales , „ ita movendo causas voluntarias , non „ aufert quin actiones earum sint volun- „ tariæ , sed potius hoc in eis facit , o- „ peratur enim in uno quoque secundum „ ejus proprietatem . „ Hoc ipsum con- „ firmat in compendio Theologiæ cap. „ 129. rursus quæst. 3. de malo art. 2. „ & iterum quæst. 22. de veritate art. „ 8. & adhuc opusc. 3. cap. 130. 3. con- „ tra Gent. c. 90.

Instat adhuc , & insurgit adversus gratiam præmoventem Jansenius ibidem quam esse a statu innocentiæ eliminandam sic asserit: “ Septimo , quia prædetermina- „ tio illa physica libero arbitrio merita , „ & eorum mercedem invicte donat . „ Ex Iprensi ideo prædeterminatio abneganda est primo homini quia tollit merita ; eatenus enim tollit , quatenus invicte eadem donat , hoc est , invicte per gratiam facto debetur merces , eo quod ex necessitate fiat: Atqui per gratiam præmoventem opus invicte & necessario fit . Ergo &c.

Respondeo primo retorquendo argumentum . Ergo ex Jansenio nulli operi hominis lapsi quantumvis justi debetur merces , quia gratia præsentis status ex Iprensi invicte movet : ubi autem nulla libertas , ibi teste Augustino nulla merces , quia nullum meritum . Sic loquitur S. Doctor lib. de grat. & lib. arb. cap. 2. “ Re- „ velavit autem nobis Deus per Scriptu- „ ras suas sanctas esse in homine li- „ berum voluntatis arbitrium.... Quia ipsa „ divina præcepta homini non prodes- „ sent , nisi haberet liberum voluntatis „ arbitrium , quo ea faciens , ad promissa „ præmia perveniret . „

Respondeo 2. negando iterum , atque iterum gratiam præmoventem necessitare liberum arbitrium . Ad id vero quod dicitur eam invicte movere liberum arbitrium , distinguo . Hoc est , infallibiliter propter efficaciam moventis , concedo : hoc est , necessario & non supposita voluntatis humanæ deliberatione , nego . Hanc solutionem ubique prodit S. Thomas 1. p. quæst. 83. art. 1. ubi asserit Deum movere creaturas secundum earum proprietatem , hoc est , naturales naturaliter , liberas vero libere . Audiendus est S. Doctor 1. 2. quæst. 109. art. 2. ad 1. “ Homo , *inquit* , est Dominus suorum „ actuum volendi & non volendi , pro- „ pter deliberationem rationis quæ potest „ flecti ad unam partem vel aliam . „ Rursus quæst. 3. de potentia quæ est de creatione art. 7. ad 13. “ Causa prima „ non ita agit in voluntate , ut eam de „ necessitate ad unum determinet , sicut „ determinat naturam , & ideo determi- „ natio actus relinquitur in potestate ra- „ tionis & voluntatis . „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Præmotio physica erat necessaria Adamo innocenti ad actiones tum naturalis , tum supernaturalis ordinis eliciendas .

PRIMO : Præmotionem fuisse in statu naturæ sanæ ad actus naturales producendos nemo non videbit , si cum S. Thoma attendat Deum esse primam causam , non solum respectu esse & subsistere rerum , verum etiam & respectu operari : Porro , seclusa præmotione , Deus non foret prima causa , sed tantummodo concausa , quinimmo , non posset vitari , ait , Angelicus Doctor , quin creatura esset primum sui actus principium .

Secundo : In ordine supernaturali gratia quoque præmovens erat homini innocenti ad operandam salutem absolute necessaria . Isaias enim differens de actibus supernaturalibus hominis tum sani , tum lapsi , ait , esse a Deo facta , ipsique tanquam primæ causæ tribuenda cap. 26. v. 12. *Omnia* , inquit , *opera nostra operatus es* . Deus ipse Jer. 30. ait , *applicabo eum* , *& accedet me* . Quæ verba denotant causalitatem primæ causæ non se tenere penes effectum , sed & penes causam secundam ; quocirca præter concursum simultaneum quo Deus attingit effectum , datur prævius quo causam secundam applicat & movet ad agendum .

Confirmatur ex D. Thoma 3. contr. Gen. cap.

cap. 49. motus primæ causæ præcedit motum mobilis ratione & causalitate; cujus ratio ea est, quod Deus sit causa universalissima & plena, a qua causæ particulares omne quod actualitatis & causalitatis inest eis, ab illa accipiunt. Cæterum gratia sufficiens & concomitans non sufficiebat etiam in Adamo ad operandum actu bonum salutis, tum quia se tenet solummodo ex parte actus primi & solum dat posse operari, tum quia voluntas quantumvis sana dependet immediate a Deo nedum in esse, sed & in operari, unde actu debet per gratiam efficacem eamque præmoventem applicari & moveri ad agendum.

Synopsis responsionum ad difficultates.

PRIMO: Falsum est doctrinam gratiæ præmoventis opponi sententiæ B. Augustini de auxilio *sine quo*, & auxilio *quo*. Ultro fatemur ejusmodi gratiam præmoventem esse auxilium *quo*: sed illud ipsum admisit Augustinus pro statu innocentiæ, si quod vero isti non absimile abnegavit primo homini, locutus est tantum de auxilio *quo* perseverantiæ, quam tunc temporis Adamum non habuisse omnes consentiunt.

Secundo: Perperam contendit Jansenius gratiam præmoventem libero adversari arbitrio, quandoquidem electionis & deliberationis amica est præmotio, illamque aut supponere aut adjuvare asserit S. Thomas.

Tertio: Nec plusquam proficit Iprensis dum gratiam præmoventem veluti merito bonorum operum infensissimam prædicat, cum potius sit meriti causa, & quippe quæ faciat ut jucunde & libere in præceptis Dei ambulemus.

ARTICULUS TERTIUS.

De statu naturæ lapsæ, & reparatæ.

DUO hic habemus pertractanda, unum de lapsu, alterum de reparatione. Unde sit

SECTIO PRIMA.

Num primus homo a justitia originali exciderit.

NOMINE naturæ lapsæ eam intelligimus conditionem, in qua homo bonis gratiæ & privilegiis spoliatus, miseriis omnibus, tum doloris, tum concupiscentiæ maxime vero mortis subditus remansit. An fuerit ille status, si quis negat, experientia illi comprobabit quotidiana. Quia tamen Pelagius Adami posteros his omnibus peccati effectibus obnoxios non esse, ausu temerario scripserit, ut peccatoris elationem pro virili compescamus, operæ pretium est hic ostendere protoparentem granditate peccati ad hunc infelicem transisse statum, in quo & homines nati ingemiscunt. Unde sit

CONCLUSIO.

Adamus a felici statu in quo creatus fuerat excidit per peccatum superbiæ, inobedientiæ simul & gulæ. Per omnia sauciatus, amisit justitiam originalem & pro se, & pro posteris.

VARIÆ sunt in hac conclusione partes quæ singillatim & probandæ nobis incumbunt. Primo quidem, quod Adamus a justitia originali exciderit. Secundo, quod hoc factum sit peccato inobedientiæ simul & gulæ, ac superbiæ. Tertio, quod Adam plurimum vulneratus sit. Quarto, quod & pro se, & pro nepotibus justitiam originalem amiserit.

§. I.

De lapsu Adami.

PROBATUR ista prima pars hoc brevi sed efficaci ratiocinio. Ille a felici statu in quo conditus fuerat excidit, qui in veritate non stetit, & factus est inimicus Dei: Atqui res sic se habet respectu protoparentis. Et probatur ex Scriptura sacra. Gen. 3. legitur Adamum non servasse præceptum, cujus adimpletioni alligata erat pretiosa in statu innocentiæ, & in ejus privilegiis permanentia. Evæ falsa propalanti & credidisse, & adhæsisse. *Vi-*

dit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro suo, qui comedit.

2. *Iratus* Deus de peccato & ingratitudine primum hominem convitiatus est. Audiamus objurgantem. Ibidem: *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei; ubi es? Qui*, ait, *vocem suam audivi in paradiso: & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me. Cui dixit: quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti?*

3. *Ut* primum peccavit Adamus, illico pudore præ nuditate sua affectus est, ita ut foliis arborum se se cooperire coactus sit: Quinimmo Deus ut primorum parentum parceret pudori, vestibus eos ex misericordia contexit. Ibidem: *Et aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata...... Fecit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.*

4. *Deus* judex imposuit pro peccato pœnas gravissimas. Ibidem: *Mulieri quoque dixit: multiplicabo aerumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries Filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adæ vero dixit, quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.... In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

5. *Sed* & peccatores e paradiso ejecit Dominus. Ibidem: *Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est. Ejecitque Adam: & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.*

Fusiori calamo eandem partem prosequi supervacaneum est. Lapsum quippe primi hominis miseriæ tum effrænatæ concupiscentiæ, tum ægritudinis & dolorum, tum mortis, quibus ex hinc illaqueatus permansit, sufficienter conclamant: hoc ipsum non semel ex probatione cæterarum conclusionis partium luce meridiana clarius apparebit.

§. II.

De qualitate peccati Adæ.

Primus homo peccavit peccato inobedientiæ, superbiæ & gulæ.

ILLE peccavit peccato inobedientię, superbiæ simul & gulæ qui Dei præceptum transgressus est, cujus vero trangressionis motivum fuit & elatio, & esca visu pulchra & ad gustandum suavis: Atqui Adamus transgressus est præceptum a Deo ipsi impositum, & ad transgressionem accesserunt elationis & sensualitatis circumstantiæ, veluti tot motiva & incentiva peccati. Igitur Adami peccatum fuit inobedientia, elatio simul & gula. Probatur minor variis multisque momentis.

Primo, auctoritate Scripturæ quæ sic lapsus protoparentis texit historiam Gen. 3. *Serpens erat callidior cunctis animantibus.... Qui dixit ad mulierem: cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? Cui respondit mulier ..... De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur: de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus; & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem: nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocumque die comederetis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut dii, scientes bonum & malum. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro suo, qui comedit.*

Concinit Apostolus qui de peccato Adæ loquens Rom. 5. ait: *Per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi.* In quo vero inobediens, & quo motivo fuerit, Scriptura jam laudata dicit, videlicet manducando fructum vetitum, ut, ejusmodi escæ & cibi esu, similis Deo evaderet, non ita quidem, inquit, D. Thomas 22. quæst. 163. art. 2. ut appetierit esse a se, nulla quippe passio ligabat intellectum prævaricantis, ut impossibile desideraret, sed maxime, ut propriis & innatis viribus, secluso Dei auxilio, & scientiam boni, & mali, & beatitudinem veluti naturæ suæ debitam compararet.

Secun-

Secundo, ex Patribus qui quidem certatim in eadem veritate confirmanda conveniunt. De inobedientiæ circumstantia quæ in Scriptura tam aperte declaratur, ut qui negaret, solem lucidum esse utique impugnaret. Juvat quorumdam textus, tum de superbia, tum de gula sermonem exprimentes hic enarrare.

D. *Augustinus* lib. 14. de civ. cap. 13. n. 1. sic differit de peccato Adæ explicans illa Eccli. 19. verba: *Initium.... omnis peccati superbia est*: " Quid est autem, *ait*, superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus? Perversa enim celsitudo est, deserto eo cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit, cum sibi nimis placet, cum ab illo bono incommutabili deficit, quod ei magis placere debuit quam ipse sibi. " Et supra ibidem de primis parentibus, ait: " In occulto autem mali esse cæperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. "

Assipulatur B. Gregorius lib. 34. mor. cap. 13. ubi interpretans verba illa Job: *Ipse est Rex super omnes Filios superbiæ*, de lucifero qui, inquit, fuit peccato suo omnium malorum initium, subdit: " Superbiam fuisse, quoque Adæ perditionis principium. De utroque peccatore videlicet de Angelo apostata, & primo homine, ait, initium omnis peccati superbia, per hanc enim ipse lucifer succubuit, per hanc se sequentem hominem stravit, eo etenim telo salutem nostræ immortalitatis impetiit, quo vitam suæ beatitudinis extinxit. " Rursus idem hom. 1c. in Evang. de superbia & gula tanquam de gladio ancipiti cui cessit & vulneratus est Adam, loquitur: " A reginne etenim nostra, inquit, superbiendo, inobediendo, cibum vetitum gustando, discessimus. "

Suffragatur D. Bernardus serm. 1. de adventu, his verbis: " Audistis fratres, quid hac nocte lectum est in Isaia, dicente Domino: principes tui infideles: vel ut alia translatio habet, inobedientes, socii furum. Revera enim principes nostri, Adam & Eva; principia nostræ propaginis, inobedientes & socii furum, qui quod Filii Dei est, serpentis, immo diaboli per serpentem consilio subripere tentant. "

His accedit D. Thomas. Qui ex professo eandem tenet sententiam, videlicet 2. 2. quæst. 163. art. 1. ubi ex professo docet peccatum Adami fuisse superbiam. Eo loci & inobedientiam. Non abs re erit hic proferre S. Doctoris verba; sic loquitur: " Primum peccatum hominis fuit in hoc quod appetiit quoddam spiritale bonum supra suam mensuram, quod pertinet ad superbiam. " Ratio quam ibidem affert S. Doctor ea est: homo innocens habebat partem inferiorem superiori perfecto subditam & ordinatam, ex quo concludit inordinationem emersisse, ex proprii boni æstimatione & elatione. Nemo tamen diffitebitur tentationem extrinsecam ex parte gulæ, quæ compelleret ad peccatum, adfuisse, cum de hac Scriptura expressam faciat mentionem.

Tertio, ex ratione. De lapsu primorum parentum totum ex Scripturis sacris colligimus: Atqui non alias referunt lapsus causas præter superbiam & gulam: omnesque protoparentes peccati inobedientiæ insimulant. Igitur peccatum primi hominis fuit præcepti transgressio & inobedientia, quæ tamen nomine peccati elationis & nonnumquam gulæ nuncupatur, eo quod & elationis, & sensualitatis tentationibus primi parentes cesserint.

Confirmatur: causa per effectus dignoscitur: sed effectus peccati Adæ est inobedientia seu adversus legem rebellio, quæ est appetitus inordinatus bonorum præsentium, maxime sensibilium, juxta illud 1. Joan. 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. Igitur peccatum primi parentis fuit, præter inobedientiam, penes elationem & gulam.

§. III.

De vulneribus per peccatum inflictis.

Primus homo per peccatum gravissime sauciatus est.

NOMINE vulnerum peccato protoparentis animæ inflictorum intelligimus ignorantiam, malitiam, ad malum pronitatem, rei sensibilis inordinatum appetitum, dolores, mortem, cæterasque miserias quibus subjecti nascimur, insuper & ju-

ſtitiæ originalis privationem & ad faciendum bonum difficultatem : Atqui peccatum hæc omnia induxit in hominem prævaricatorem: Igitur protoparens graviſſime per peccatum vulneratus eſt. Probatur minor multipliciter.

Primo, ex Scriptura ſacra. Iſa. 1. de homine per peccatum ſauciato legitur : *A planta pedis uſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas ; vulnus, & livor, & plaga tumens*. Chriſtus Dominus hoc ipſum explicat parabola hominis cujuſdam, qui incidit in latrones, qui & deſpoliaverunt illum, ſemivivo relicto. Luc. 10. *Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum : & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto*. Quam quidem parabolam interpretantur SS. Doctores de primo homine lapſo, qui ſua in Deum inobedientia amiſit & gratiam, & immortalitatem, cæteraſque ſtatus innocentiæ egregias dotes, ita ut actum foret penitus de illo, niſi pius & divinus Samaritanus, Filius ſcilicet Dei incarnatus curam ægri & lapſi præ nimia ſua charitate egiſſet.

Secundo : Idem innuit ſacra Synodus Tridentina quæ ſeſſ. 5. Can. 1. anathemate percutit eos qui dicunt primum hominem per peccatum non amiſiſſe juſtitiam & ſanctitatem. Suffragantur eidem veritati Patres. Irenæus lib. 3. adverſus hær. cap. 37. ait: " Sanctitatis ſtolam, ,, quam primus parens acceperat, amiſit ,, per inobedientiam. ,, S. Chryſoſtomus ſimilia loquitur quæſt. 16. in Gen. his verbis : " Primus homo fuit Angelus ,, Terreſtris in paradiſo, gratia indutus, ,, qua ſpoliavit eum diabolus. ,,

Tertio ratione D. Thomæ eadem minor probatur. Videlicet quod homo per peccatum graviter ſit vulneratus. Protoparens in juſtitia fuerat creatus, quæ quidem juſtitia in ſanctitate, in rectitudine, in appetitu ad bonum, in ſubordinatione partis ſuperioris ad Deum, inferioris vero ad rationem, ſita erat : ſed hanc juſtitiam granditate peccati amiſit Adam, unde hac ſublata, & gratiam, & virtutum glorioſam ſupellectilem, qua cuncta in eo admodum ordinata erant, utique amiſit, ex quo malo ſubſecuta eſt effrænata concupiſcentia, ira excandeſcens, ignorantia in intellectu, malitia & pravitas in voluntate, utriuſque appetitus iraſcibilis & concupiſcibilis exceſſus & rebellio, & cum his miſeriis magna ad bonum operandum difficultas, ad malum vero ſumma pronitas. Igitur peccatum omnes tum animi, tum corporis induxit in hominem miſerias. Doctor angelicus 1. 2. quæſt. 85. art. 3. hanc ex profeſſo explanat rationem quam ex venerabili Beda colligit : & ſic loquitur.

Reſpondeo : " Dicendum, quod per ju- ,, ſtitiam originalem perfecte ratio con- ,, tinebat inferiores animæ vires, & ip- ,, ſa ratio a Deo perficiebatur ei ſubje- ,, cta : hæc autem originalis juſtitia ſub- ,, tracta eſt per peccatum primi parentis, ,, ſicut jam dictum eſt : & ideo omnes vires ,, animæ remanent quodammodo deſtitutæ ,, proprio ordine, quo naturaliter ordi- ,, nantur ad virtutem : & ipſa deſtitutio ,, vulneratio dicitur naturæ. Sunt autem ,, quatuor potentiæ animæ, quæ poſſunt eſ- ,, ſe ſubjecta virtutum, ut ſupra dictum ,, eſt, ſcilicet ratio, in qua eſt pruden- ,, tia: voluntas, in qua eſt juſtitia : ira- ,, ſcibilis, in qua eſt fortitudo : concupi- ,, ſcibilis, in qua eſt temperantia. In quan- ,, tum ergo ratio deſtituitur ſuo ordine ad ,, verum, eſt vulnus ignorantiæ. In quan- ,, tum vero voluntas deſtituitur ordine ad ,, bonum, eſt vulnus malitiæ. In quan- ,, tum vero iraſcibilis deſtituitur ſuo ordine ,, ad arduum, eſt vulnus infirmitatis. In ,, quantum vero concupiſcibilis deſtituitur ,, ordine ad delectabile moderatum ra- ,, tione, eſt vulnus concupiſcentiæ. ,,

§. IV.

De peccato aliiſque miſeriis ab Adamo ad poſteros tranſmiſſis.

Probatur hæc ultima pars auctoritate & ratione.

PRIMO QUIDEM ex Scriptura ſacra. Sic enim habetur Iſa. 1. *Omne caput languidum, & omne cor mærens, a planta pedis uſque ad verticem capitis, non eſt in eo ſanitas : vulnus, & livor, & plaga tumens*. Quibus verbis Propheta dum omne caput dicit languidum a peccato, & miſeriis ipſum ſubſequentibus, neminem excipit. Celeberrimus eſt Auguſtini locus pro hoc momento de Apoſtoli ſententia Rom. 5. *Per inobedientiam unius hominis peccatores*

constituti sunt multi. Quocirca cum Julianus negaret peccatum inobedientia protoparentis subintrasse in mundum, ait illi Aug. " Quid quæris rimam, cum januam habeas apertam, per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. "

Secundo: Ex Concilio Carthaginensi, Milevitano, Romano sub Zosimo cæterisque ad Pelagianorum luem abstergendam adunatis quæ quidem cuncta & peccatum & per peccatum miserias omnes ab Adamo ad posteros transmissas esse definierunt, quin immo Tridentinum sessione 5. Can. 5. asserit concupiscentiam & peccati fomitem ad agonem usque in nobis permanere. Can. 1. anathemate percutit dicentes Adam per peccatum nec amisisse justitiam, nec incurrisse iram & indignationem Dei. Can. 2. sic loquitur: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini, asserit nocuisse; & acceptam a Deo sanctitatem & justitiam quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse .... Anathema sit*.

Tertio: Ex Patribus. B. Augustinus in variis operibus contra Pelagianos ex professo hunc debellat errorem, scilicet peccatum Adæ non transiisse ad nepotes. In libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ gratuitatem gratiæ adversus eosdem hæreticos obstrepentes defendit eo potissimum innixus principio, quod omnes homines in massa perditionis per peccatum Adæ conclusi sunt. Hoc quoque probat idem S. Doctor passim in aliis libris, ut in expositione Psalmorum. Explicans enim illud Psalmi 40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi*, ait: " Quid sanatur, si nihil est vulneratum, nihil sauciatum, nihil debilitatum, atque vitiatum? "

Concinit D. Bernardus dicens: " Cecidimus omnes in Adamo simul in lutum, & super acervum lapidum: unde & coinquinati sumus originali culpa, sed & collisi, & confracti, & in omnibus viribus graviter vulnerati. " Mitto cæteros Patres qui uno veluti calamo parabolam Evangelii de homine, a latronibus spoliato explicant de peccato & miseriis a primo homine prævaricante ad nos usque transmissis. Ergo &c.

Quarto ratione D. Thomæ quæ sic exponitur. Ille amisit justitiam originalem nedum pro se, sed pro nepotibus suis ipsi nepotes eam solummodo propter Patris obedientiam habuissent: Atqui cæteri homines justitia originali solummodo propter obedientiam Adami donati fuissent. Et probatur: illam habuissent titulo hæreditatis, & quia fuisset bonum paternum: Igitur eo ipso quo Pater prodigus sua dilapidavit peccando bona, nihil nisi miserias & peccatum Filiis potuit relinquere, dicente Christo: *Non potest arbor mala bonos fructus facere*. His adde experientiam quotidianam: nascimur, quippe, inquit, Apostolus natura Filii iræ. Concinit S. Thomas Angelicus Doctor lib. 1. 2. quæst. 185. art. 5. ubi ex professo hanc propugnat veritatem, & sic loquitur: " Subtracta hac originali justitia per peccatum primi parentis, sicut vulnerata est humana natura quantum ad animam, per deordinationem potentiarum, ut supra dictum est: ita etiam est corruptibilis effecta per deordinationem ipsius corporis, subtractio autem originalis justitiæ habet rationem pœnæ, sicut etiam subtractio gratiæ. Unde etiam mors & omnes defectus corporales consequentes sunt quædam pœnæ originalis peccati, & quamvis hujusmodi defectus non sint intenti a peccante, sunt tamen ordinati secundum justitiam Dei punientis. " Levioris sunt momenti argumenta in contrarium, quam ut fusiorem habeamus de hac veritate omnibus nota sermonem. Unam tamen aut alteram objectionem claritatis causa proponere & solvere, non abs re erit.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES contra primam conclusionis partem. Lapsus a passione contra legem rebellante procedit. Sed homini innocenti nulla inerat passio, cum & in gratia creatus sit, & omnibus esset virtutibus quibus ad bonum compellitur anima, stipatus. Igitur perperam dicitur Adamum in peccatum ruisse.

Respondeo distinguendo; lapsus a passione antecedente, vel concomitante ortum ducit, concedo: semper ab antecedente, subdistinguo, in nobis concedo: in Adamo innocente, nego. Passio eatenus est peccati principium, quatenus ad

malum inducit; sed hoc contingit dupliciter, videlicet & ad peccatum inclinando, & adversus rationem rebellando. Primo modo se habet antecedenter, juxta illud Jac. 1. 14. *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus; deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum autem generat mortem*; secundo modo consideratur, cum actu adest adversus & legem & rationem rebellio; quae quidem rebellio causam habet ab ipsa natura, quae, quia ex nihilo facta est, ad nihilum utique, & consequenter ad peccatum proprio tendit pondere. In nobis omnes istae causae ad peccatum concurrunt, passio scilicet & antecedens, & consequens: similiter & parvitas creaturae, quae ex nihilo educta, de se, nisi adjuvetur, ad nihilum abiit: in Adamo vero peccante passio, non quidem antecedens, sed concomitans locum habuit, sicut & creaturae innata defectibilitas.

D. Augustinus lib. 14. de civ. cap. 13. ex isto duplici principio protoparentis repetit peccatum. Primo quidem quia Adam ex nihilo sicut caeterae creaturae factus, de se ad nihilum & defectum tendebat: Secundo, quia rebellavit contra Dominum, & hac elatione concepit peccatum: peccato vero amisit justitiam originalem. De prima hujusce peccati causa sic discurrit num. 2. " Non ergo malum opus factum est, id est, illa transgressio, ut cibo prohibito vescerentur, nisi ab eis qui mali jam erant. Neque enim fieret ille fructus malus, nisi ab arbore mala. Ut autem esset arbor mala, contra naturam factum est: quia nisi vitio voluntatis quod contra naturam est, non utique fieret: sed vitio depravari, nisi ex nihilo facta natura non posset. Ac per hoc ut natura sit, ex eo habet quod a Deo facta est: ut autem ab eo a quo est deficiat, ex hoc quod ex nihilo facta est. " Ibidem S. Doctor assignat alteram lapsus Adami causam videlicet superbiam, his verbis: " Elatio autem quae in vitio est, eo ipso quo respuit subjectionem, & cadit ab illo, quo non est quicquam superius, & ex hoc erit inferius, & fit quod scriptum est: *Dejecisti eos, dum extollerentur*. Non enim, ait, cum elati fuissent; ut prius extollerentur, & postea dejicerentur: sed cum extollerentur, tunc dejecti sunt. " Quo sermone S. Augustinus designat pro causa lapsus primi hominis, non passionem antecedentem sed concomitantem.

Instabis: dictum est peccatum Adae fuisse gulae excessum. Sed hoc fieri non potuit absque passione antecedente, etenim gulae peccatum, a concupiscentia inordinata boni sensibilis promanat. Ergo &c.

Respondeo negando minorem: ad probationem, distinguo Antecedens, peccatum gulae in nobis a concupiscentia inordinata procedit, concedo: in protoparente, nego. Concupiscentia oritur in nobis, ex intrinseco eoque in radice vitiato principio quo in bonum sensibile & praesens inordinate tendit homo, quod sane non fuit in Adamo, nisi post peccatum: quomodo vero Adam prolapsus sit in tale peccatum dictum est modo, ubi de causis lapsus protoparentis; addo aliquid praeter illas causas concurrisse & ad peccatum primi hominis, videlicet tentationem extrinsecam quae fit per simplicem objecti propositionem, nusquam vero per appetitum vitiatum.

Urgebis: peccatum corrumpit bonum naturae: sed naturalia permanserunt in Adamo: immo & bonum morale, videlicet liberum arbitrium: Igitur non satis constat de lapsu Adae, saltem in grave & laetale peccatum. Ad summum venialiter de fructu vetito comedendo peccavit.

Respondeo, Adamum graviter inobediendo peccasse, cujus rei validissimum argumentum est praevaricationis pena omnium gravissima, cum amiserit & justitiam, & sanctitatem, ut declaravit Concilium Tridentinum: sanctitas autem non nisi per peccatum mortale; addo & immortalitas amittitur: & vero peccatum veniale neque charitatem, nec consequenter amicitiam inter Deum & hominem solvit, Deus autem cujus natura bonitas, homini innocenti, non tantam influisset poenam, ut amicum suum & ejecisset e paradiso voluptatis, & aerumnis omnibus pro leviori culpa in vindictam subdi statuisset.

Ad objectionem jam venio, & respondeo distinguendo. Peccatum corrumpit bonum morale, concedo: bonum physicum & naturale, nego. Bonum triplex in Adamo distinguendum est, physicum scilicet

licet

licet & naturale qualis est anima & ejus potentiæ, seu facultates intellectus & voluntas: morale puta pronitas & facilitas ad actus supernaturales, ad amorem Dei & similes: tertium quod boni moralis nomine utique celebratur, erat justitia originalis. Peccatum primum bonum intactum reliquit: imminuit secundum; tertium abstulit. Ita D. Thomas 1. 2. quæst. 85. art. 1. facta enim ista de triplici bono distinctione, subdit: " Primum igi-„ tur bonum naturæ, non tollitur, nec „ minuitur per peccatum: Tertium vero „ bonum naturæ totaliter est ablatum per „ peccatum primi parentis. Sed medium „ bonum naturæ, scilicet ipsa naturalis „ inclinatio ad virtutem diminuitur per „ peccatum: per actus enim humanos „ fit quædam inclinatio ad similes actus, „ ut supra dictum est: oportet autem „ quod ex hoc, quod aliquid inclinatur ad „ unum contrarium diminuatur inclinatio „ ejus ad aliud. Unde cum peccatum „ sit contrarium virtuti, ex hoc ipso „ quod homo peccat, diminuitur bo-„ num naturæ, quod est inclinatio ad „ virtutem. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Primus homo excidit 1. a statu innocentiæ per peccatum superbiæ & gulæ. 2. Graviter sauciatus est. 3. Amisit justitiam originalem & pro se & pro suis nepotibus.

PRIMUM, sufficienter Scriptura sacra declarat, cum Gen. 3. Deus primos parentes de inobedientia graviter reprehendit, tum pœna mortis punit peccatum, dum peccatores e paradiso voluptatis longe propellit.

Secundum quoque indigitat: namque de peccati motivo loquens, elationem commemorat. Hoc ipsum astruit D. Augustinus l. 14. de civ. Dei. Bernardus sermone 1. de Adventu, D. Thomas 2. 2. q. 163. art. 1.

Tertium enarrant SS. Doctores qui parabolam de homine qui plagarum multitudine semivivus relictus & spoliatus est, interpretantur de primo homine per peccatum sauciato. D. Thomas post Bedam 1. 2. quæst. 85. art. 3. quatuor numerat vulnera, scilicet ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, infirmitatem in appetitu irascibili, concupiscentiam inordinatam in concupiscibili.

Quartum denique claret juxta illud Isa. 1. *Omne caput languidum*. Et istud Apost. Rom. 5. 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*. Ratio quia peccator est arbor mala, qui quidem agens reduplicative ut peccator, non nisi fructus malos affert. Cæterum filius est hæres patris, non quidem justitiæ originalis, cum illam amiserit Adamus, igitur peccati: maxime vero quia Deus punit per omnia peccatorem, adeoque & in filiis qui sunt ejus bona.

Synopsis solutionum ad objectiones.

PRIMO: Tametsi passio non præcesserit Adæ peccatum, attamen concomitata est, cum teste B. Augustino l. 14. de civ. c. 13. inobedire, est superbire & sese per excessum extollere.

Secundo: Concedimus quidem tentationem intrinsecam non promovisse Adamum ad peccandum, bene tamen extrinsecam & quæ fit per simplicem objecti propositionem.

Tertio: Neque negamus peccatum corrupisse bonum naturæ morale, cum inordinationem & in animam, & in ejus potentias induxerit, ex qua subsecuta est, nedum infirmitas & difficultas ad virtutem exercendam, verum etiam tanta ad malum pronitas, ut homines nonnunquam cum malefecerint, lætentur.

SECTIO SECUNDA.

Utrum natura fuerit reparata?

Conclusio prima, eaque affirmativa.

HOMINEM esse reparatum conclamant utriusque Testamenti scripturæ, prædicaverunt Apostoli, annuntiat Ecclesia, Christus ipse edocet juxta illud Lucæ 19. *Venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat*. Rursus alia Scriptura 1. Joan. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*. De hoc momento agunt Theologi, in tractatu de Incarnatione, & gratia Christi. Ne tamen hic expectationi alienæ non faciam satis, tria potissimum hic tractare opus

opus est, videlicet de pœnitentia Adami, de gradu gratiæ Christi, & discrepantia a gratia status innocentiæ, deinde vero de concordia libertatis cum gratia Christi. Pro quorum resolutione sit

CONCLUSIO SECUNDA.

Adamus egit pro peccato pœnitentiam, & salvus est.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, ex Scriptura sacra.

LEGITUR Sap. 9. 19. hæc sententia: *Per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi Domine a principio*. Quod oraculum non obscure insinuat Adamum qui primus a principio creatus est, sapientia eatenus justificatum fuisse, quatenus ea illuminatus & instructus egit pro peccato pœnitentiam, & veniam per fidem Mediatoris charitate formatam impetrasse. Quod autem hic sit genuinus Scripturæ sensus, patet ex eo maxime quod Scriptor Canonicus claudens verbis allatis caput nonum, sic incipit fusius suam explicando mentem caput decimum. *Hæc illum, qui primus formatus est a Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum a delicto suo; & dedit illi virtutem continendi omnia*. Igitur Adamus egit pœnitentiam & salutem invenit. Hoc ipsum innuit Apostolus 1. Cor. 15. 22. his verbis: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*. Certe si omnes in Christo vivificantur, hoc potissimum de Adamo qui fuit omnium hominum caput intelligi debet. Hoc etiam denotant illa Geneseos verba c. 3. 21. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos*. Namque misericordia hæc fuit in peccatores, ut eorum nedum pudori, sed ipsi animæ parceret curam miserorum agens: Igitur protoparentes a periculo damnationis eripuit, maxime vero cum primi parentes fragilitate magis quam malitia in peccatum inobedientiæ prolapsi sint. Sic censent gravissimi Interpretes, ut Pererius l. 6. in Gen. Celeberrima est pro isto momento parabola de ove perdita quam bonus Pastor quæsivit, inventam vero super humeros imposuit, & duxit ad ovile. Sic enim scriptum est Luc. 15. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat donec inveniat eam? Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens: Et veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat*.

Hanc ovem esse genus humanum in massa perditionis relictum per peccatum, maxime vero Adamum qui primus aberrans, cæteros perdidit, esse nemo non novit. De protoparente Irenæus istam explicat similitudinem l. 3. ca. 37. aitque eos qui contradicunt saluti Adæ, consequenter dicere non invenisse Christum ovem perditam: Ergo &c.

Secundo, ex sanctis Patribus.

IRENÆUS iterum venit in veritatis testimonium, ac ibidem dicit quod Adamus: " Transgressionis fecit pœnitentiam: Pœ„ nitentibus autem largitur benignitatem „ suam Deus. „

Tertullianus in eadem versatur opinione, quippe qui l. 1. contra Marcionem c. 25. asserit Deum nec Adamum, nec Evam maledixisse: " Ut restitutionis candidatos, „ ut confessione relevatos. „

S. Hilarius non prætereundus est. In Psal. 119. sic loquitur: " Adam veniæ „ reservatus, & glorificatus in Christo „ est. „

D. Hieronymus suum eidem sententiæ addit calculum; explicans enim caput primum epistolæ ad Ephesios sic scribit: Adam „ e paradiso ejectus, per salvatorem revo„ candus erat. „

Gregorius Nazianzenus eidem subscribit veritati, orat. de Adam & Eva his verbis: " Utrumque serpens decepit, utrum„ que Christus passione sua salute dona„ vit. „

Alter Gregorius l. 6. epist. 29. alias c. 195. ait quod Adam: " Per pœnitentiam „ ad vitam rediit. „ Quid plura pro isto „ momento referam? Beatus Augustinus lib. 2. de pecc. merit. c. 34. de protoparentibus sermonem faciens, ait: "Post „ peccatum recte vivendo, merito credun„ tur per Domini sanguinem ab extremo „ supplicio liberati. „ Igitur Adam &

Eva

Eva pœnitentia ducti & veniam peccati, & felicitatem per merita Christi impetrarunt. De utroque loquimur ad mentem Patrum, nec relinquitur circa Evam ambigendi locus, cum de ea quoque Scripturæ laudatæ explicari debeant, quinimmo Hugo Victorinus ex illa Geneseos sententia cap. 3. v. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem...... ipsa conteret caput suum*, colligit Evam matrem nostram apud Deum gratiam invenisse, & alternata vice dæmonem quoque sua pœnitentia, & in bono perseverantia in æternum superasse.

Tertio ex ratione, eaque multiplici.

NON una est ratio pro salute protoparentum astruenda. Prima sic exponitur. Qui cum Christo resurrexerunt ut cum eo conglorificarentur, profecto & pœnitentiam pro peccato egerunt, & misericordia Dei per Christi merita salvati sunt: Atqui res sic se habet pro primis parentibus: Et probatur auctoritate Patrum. S. Athanasius serm. de Passione in ea versatur sententia. Suffragatur Epiphanius hær. 46. Subscribit D. Aug. epist. olim 99. ad Evodium: Idem docet Leo IX. in cap. *Hi duo* de consecr. dist. 1. tametsi solum Adam nominent, idem de Eva sensisse constat. Enimvero cum ipsa fuerit cum Adam primitiæ Creatoris, debuit utique cum viro esse primitiæ Salvatoris, qui sua redemptione veluti nova creatione restauravit omnia, purificans sanguine suo quæ in cœlis & in terris sunt.

Secunda: Adam matrimonio cum Eva ab ipso Deo copulatus, erat typus conjunctionis hypostaticæ Verbi cum humanitate, & iterum Christi cum Ecclesia, ut docet D. Thomas: Sed conveniens est typum consociari in gloria cum originali, maxime cum Christus Rex Regum suam amet imaginem, & eo venerit fine, ut illam proprio restauraret sanguine: Igitur recte propugnamus protoparentes gloria æterna fuisse, pœnitentia prævia, donatos.

Tertia hæc cæteris accedit: Ecclesia, teste Bellarmino, ab Adamo & Eva incepit, & his duobus constabat: Sed non est verisimile ita defecisse, ut in primis capitibus cessaverit, ita ut in peccato absque pœnitentia Adam & Eva perseveraverint, maxime vero cum peccato tantum fragilitatis a via recta aberraverint, de quo sane hominem timoratum cito-citius pœnitet. Ergo &c.

Quarta: Qui filios ad colendum ex toto corde Deum instruxerunt, profecto impœnitentes non permanserunt: Atqui Adam & Eva post lapsum filios docuerunt cultum divinum, Abel obtulit holocaustum ad quod respexit Deus: Enos ritu solemniori eundem coluit Deum: Noe obtulit sacrificium in odorem suavitatis: A quo enim Abel & alii justi hæc didicere, nisi a parentibus ad quos instruere filios & edocere spectabat? Ergo &c.

Quinta cæteris adjungitur. Deus non vult mortem peccatoris etiam impii, sed magis ut convertatur & vivat, ita enim habetur Ezech. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat?* Igitur nec probabile, nec bonitati divinæ consentaneum videtur, ita protoparentes dereliquisse, ut non fuerit eis & pœnitentiæ & veniæ locus. Igitur protoparentes egerunt pœnitentiam, & sapientia sanati meruerunt, & habuerunt vitam æternam.

Solvuntur objectiones.

OPPONES: Deus non pepercit Angelis apostatis: Igitur nec protoparentibus, cum sicut Angeli fuerant in gratia conditi: nec sine summa erga Deum ingratitudine leviori tentationi cesserint.

Respondeo negando consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est quod Scriptura sacra dicat priores impœnitentes & damnatos, e contra vero posteriores. Neque vero desunt convenientes pro disparitate rationes. Gregorius Magnus l. 4. Moral. cap. 9. non leviores affert ad compescendos quosdam Hæreticos iniqua de protoparentum salute rimantes: " Duas, " *inquit*, ad intelligendum se, creaturas " fecerat, angelicam videlicet & huma- " nam: utramque vero superbia percussit... " Sed una tegmen carnis habuit, alia ve- " ro nihil infirmum de carne gestavit: " Misertus ergo Creator, illam ad se de- " buit reducere quam in perpetratione cul- " pæ ex infirmitate aliquid constat ha- " buisse, & eo amplius debuit apostatam " Angelum repellere, quo cum a persi-

" stendi

„ flendi fortitudine corruit, nihil infir- „ mum ex carne gestavit. „ Ulterior hæc ratio afferri potest quod non esset in homine tanta cognitio boni, quanta inerat Angelo; iste quippe in instanti, ille vero nonnisi successive bonum amandum & malum fugiendum cognovit: hinc caro vel obnubilat, vel etiam deprimit mentem multa cogitantem, quod non habuit locum in Angelo; hinc iste ex malitia peccavit, ille vero ex fragilitate, quocirca sicut compassione, sic & misericordia dignus quodammodo.

SYNOPSIS ARTICULI.

Protoparentes de peccato egerunt pœnitentiam, & salvati sunt.

PRIMO: Hoc innuit sacra Scriptura.

Secundo: Hoc idem propugnat Greg. Mag. qui l. 4. Moral. quosdam Hæreticos contrarium sentientes perstringit.

Tertio: Protoparentes docuerunt filios modum colendi Deum, & ipsam ante prolem natam componebant Ecclesiam: Hæc & similia eorum fidei & pietatis consequenter & salutis argumenta sunt.

Quarto: Esto quod Deus non pepercerit Angelis, sed voluit misericordia commotus veniam concedere homini, qui magis ex fragilitate quam ex malitia peccaverat.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum gratia Christi gratia innocentiæ sit abundantior?

Conclusio prima, eaque affirmativa.

Probatur auctoritate & ratione.

PRÆNOTANDUM est gratiam posse pluribus modis considerari: Primo quidem in se, deinde vero intensive seu penes gradus suos, & extensive, seu quoad effectus: vel etiam per ordinem ad suam causam. Si spectetur in se & entitative, seu etiam specifice, vix aliquid discriminis erit inter gratiam Adami innocentis, & Adami lapsi sed reparati; utraque enim gratia si de habituali sermo sit, est participatio naturæ divinæ: si de actuali; utraque etiam est auxilium a Deo præstitum ad faciendum bonum supernaturalis ordinis, quod sane homo viribus a sola natura in se relicta profluentibus operari non valet, alias daretur substantia creata naturaliter supernaturalis, quæ secluso Dei auxilio posset & stare in bono, & vitam æternam veluti sibi debitam comparare; quod certe a mente catholica prorsus alienum est: Superbiam enim & ostentationem contrivit Deus Judex & in Angelis malis quos in inferos detrusit, & in primis parentibus quos in elationis vindictam e paradiso voluptatis ejecit, & morti aliisque subjecit miseriis.

De causa utriusque gratiæ aut nulla, aut parva admodum difficultas est: Certum est enim solum Deum esse causam principalem physicam cujuscumque gratiæ, juxta illud Psalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Christum vero esse causam gratiæ præsentis meritoriam definivit Concilium Tridentinum. Totum igitur controversiæ caput est de gratia operis, & quæritur utrum gratia Mediatoris sit abundantior, hoc est efficacior tum ad virtutem exercendam, tum ad perseverandum, tum etiam ad merendum & consequendam vitam æternam. De his & similibus momentis potissimum procedit conclusio, quam multis argumentis comprobare juvat.

Primo, ex Scriptura sacra.

NOMINE gratiæ auxiliantis præsentis status intelligimus gratiam omnem, præcipue vero actualem & operantem: Sed hæc, est gratia status innocentiæ abundantior. Et probatur ex Scriptura sacra quæ dicit Redemptionem Christi copiosam, abundantem, immo & superabundantem. Sic enim scriptum est Psal. 129. *Et copiosa apud eum redemptio*. Et Rom. 5. 15. *Non sicut delictum, ita & donum, si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia . . . . unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*. Quod malum fecerat delictum? Quæ ruinæ ab ipso in genus humanum inductæ? Norunt omnes esse amissionem & gratiæ, & juris ad vitam æternam: Porro hæc omnia restauravit Christus abundanter, immo & superabundanter, quandoquidem ex Apostolo

lo multo magis abundavit gratia quam peccatum, plus reddidit Christus quam amissum est, pretium utpote infinitum in valore in immensum excedit delictum, ut docent Theologi. Igitur gratia Mediatoris abundantior & efficacior est gratia hominis innocentis: alias delictum plus virium habuisset in nocendo, quam gratia Christi in sanando & redimendo. Quod autem hic sit germanus Scripturæ sensus ex ipso Christo constat, qui Joan. 10. totam quæstionem sic dirimit & definit: *Veni ut vitam habeant, & abundantius habeant*. Rursus alia Scriptura 1. Joan. 3. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*. Hoc est ut restituat gratiam per peccatum amissam: Sed hoc fecit Christus abundanter & superabundanter testibus Propheta Regio & B. Paulo. Igitur gratia Christi gratiam status innocentiæ in abundantia & efficacia plurimum excedit.

Confirmatur: ubi sunt plures potentissimæ causæ ad eundem effectum concurrentes, ibi profecto effectus in virtute major resultat, quam cum una ex his causis tantummodo operatur: Atqui plures causæ ad gratiam Mediatoris producendam, quam ad gratiam status innocentiæ concurrunt. Et probatur. Solus Deus istam produxit, juxta illud S. Augustini tritum effatum: *Erat condens naturam, simul & largiens gratiam*. Sed in gratia Mediatoris producenda non solum Deus, sed & Christus verus Deus & homo passione, tum & sanguinis effusione, gratiam operatur, juxta illud Apostoli 1. Cor. 6. *Empti enim estis pretio magno*. Ergo &c.

Secundo, ex divo Augustino.

SANCTUS ille Doctor hanc fuse adimplet provinciam passim in suis adversus Pelagianos & Semipelagianos operibus, sed ex professo in libris de corr. & gr. de præd. SS. & de dono perf. ubi ab effectibus dilucide probat gratiam Mediatoris sicut gratia protoparentis efficaciorem, ita & abundantiorem esse, quod quidem hoc probatur argumento. Illa gratia est abundantior gratia status innocentiæ quæ est potentior, quæ dat non solum posse bonum, sed operari, quæ cor durum emollit, quæ vincit omnes tentationes, quæ finaliter in bono perseverare facit, quæ est efficacia omnipotentissimæ providentiæ certum eligentis numerum secundum propositum, cujus ordo tam suavis & fortis est ut justis & electis omnia cooperentur in bonum, non sinens vasa misericordiæ confringi & in interitum abire, ita ut excessus, si qui sint & inveniantur in Prædestinatis, cedant per pœnitentiam in bonum: Atqui talis est gratia Mediatoris, istæ vero eximiæ dotes in illa solum, &c. non in gratia primi hominis reperiuntur: Igitur gratia Mediatoris est ista abundantior. Probatur minor ex D. Augustino quoad singulas partes.

Discrimen multiplex inter gratiam primi hominis & Mediatoris a divo Augustino & divo Thoma affertur: Ex quo affulget efficacia gratiæ Christi.

PRIMUM discrimen. Gratia primi hominis, erat gratia Creatoris, præsens vero est gratia Mediatoris qui nostram suscepit carnem, & ideo auxilium illo longe potentius. Ita Augustinus l. de corr. & gr. c. 11. n. 30. " Proinde, *inquit*, etsi
" non interim lætiore nunc, veruntamen
" potentiore gratia indigent isti, *lapsi scilicet homines*, & quæ potentior quam
" Dei unigenitus Filius, æqualis Patri
" & coæternus, pro eis homo factus...
" Deus ergo naturam nostram, id est,
" animam rationalem carnemque hominis
" Christi suscepit, susceptione singulariter mirabili vel mirabiliter singulari,
" ut nulli justitiæ suæ præcedentibus meritis Filius Dei sic esset ab initio quo
" esse homo cœpisset, ut ipse & Verbum
" quod sine initio est, una persona esset.
Gratia Adami erat lætior gratia quæ est per Christum, ista vero potentior & efficacior.

Secundum. Gratia status innocentiæ erat solum ad interim, *sine quo* homo non posset perseverare: Salvatoris vero auxilium *quo* de facto justus in bono finaliter perseverat. De gratia Adami sic loquitur D. August. ibidem c. 11. num. 31. " Tale
" quippe erat adjutorium, quod desereret
" cum vellet, & in quo permaneret si
" vellet; non quo fieret ut vellet. Hæc
" prima est gratia quæ data est primo A-
" dam: Sed hæc potentior est in secundo
" Adam. Prima est enim qua fit ut homo
" ha-

„ habeat justitiam si velit: Secunda ergo „ plus potest, qua etiam fit ut velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. „

Rursus c. 12. ibidem nu. 34. distinguit clarius adjutorium *sine quo*, & adjutorium *quo*; primum tribuit homini innocenti, alterum homini præsentis status per Christi merita: " Itemque ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium *sine quo* aliquid non fit, & aliud est adjutorium *quo* aliquid fit... Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est autem adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tale adjutorium datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur. „

Tertium. Gratia primi Adam erat ut plurimum veluti indifferens & sufficiens cui facile resistebatur: Secundi vero Adam, operante Christo, talis est, ut quamvis ei resisti possit, vulgo tamen, si sit auxilium *quo*, non resistitur, a nullo duro corde respuitur, quinimmo, ideo datur, ut cordis duritia penitus auferatur, ita ut secundum Augustinum & D. Thomam sit per se efficax; sic quippe tenent nostri Thomistæ & tota Schola Angelica. Audiamus de hoc momento S. Aug. qui ibidem cap. 12. n. 38. sic pronuntiat: " Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo, quamvis infirma non tam deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur, „ Rursus l. de Prædest. sess. c. 8. n. 13. " Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. „

Quartum: Gratia Creatoris dabat posse vincere tentationes, sed non talis erat, ut eas de facto superaret, cum Adamus innocens leviori cesserit tentationi, Mediatoris vero tanta est energia ut omnes etiam gravissimas compescere queat, & de facto compescat, atque superet. S. Aug. ibidem c. 12. n. 35. ita docet: " Ille, (*scilicet protoparens*) & terrente nullo, „ & insuper contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate: Isti autem, *homines lapsi*, non dico terrente mundo, sed sæviente ne starent, steterunt in fide; cum videret ille bona præsentia quæ fuerat relicturus, isti futura quæ accepturi erant, non viderent. Unde hoc nisi donante illo, a quo misericordiam consecuti sunt, ut fideles essent? „

Quintum. Gratia primi hominis tametsi magna, non erat tamen effectus Providentiæ quæ vellet cuncta ita ordinare, ut omnia ita cooperarentur in bonum, ut ipse lapsus cederet in bonum prævaricantis: e contra vero gratia Mediatoris tantæ est efficaciæ, ut ipsa mala cedant in bonum electorum, qui, ordinante Providentia, tametsi quandoque exorbitent mala, attamen ad meliorem redeunt frugem, & non damnantur. Hoc momentum fuse explanat Augustinus ibidem cap. 9. n. 23. „ Propter hoc Apostolus, cum dixisset. „ *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: Sciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono usque in finem non permanere, mox addidit, his qui secundum propositum vocati sunt. Hi enim in eo quod diligunt Deum, permanent usque in finem; & qui ad tempus inde deviant, revertuntur, ut usque in finem perducant, quod in bono esse cœperunt... Quicumque ergo in Dei providentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, justificati, glorificati sunt, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati, jam filii Dei sunt, & omnino perire non possunt. „

Rursus ibidem nu. 24. ait: " Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperantur in bonum; usquemodo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. Discunt enim in ipsa via justa cum tremore se exultare debere, non sibi arrogando tanquam de sua virtute fiduciam permanendi, hæc dicendo in abundantia sua: Non movebor in æternum. „ Ex his omnibus liquet quam latum sit discrimen inter gratiam

tiam Creatoris & gratiam Mediatoris, & quantum ista alteram in abundantia & efficacia superet. Sunt adhuc aliæ discrepantiæ quibus gratia præsentis status secernitur a gratia status innocentiæ. Unam aut alteram commemorat D. Thomas. Ex his iterum atque iterum affulget abundantia & excellentia gratiæ Christi.

Sextum: Gratia Adami eam solummodo habebat virtutem, ut hominem innocentem in justitia conservare posset: Gratia vero Christi, nedum posse sed actu conservare præbet, quinimmo justitiam amissam restituit, & restaurat, quocirca gratiæ sanativæ titulo donatur; tametsi enim non ita sanet hominem per peccatum originale sauciatum, ut nihil fomitis & concupiscentiæ remaneat, attamen & plene eum justificat, & ad mandata Dei adimplenda expeditum reddit. De ea sic loquitur Angelicus Doctor 1. 2. q. 109. art. 9. " Licet natura humana per gratiam sane-„ tur quantum ad mentem, remanet ta-„ men in ea corruptio & infectio quantum „ ad carnem. „ Verum gratia consummata præsentis status ita perfecte reintegrat hominem lapsum, ut etiam gloria æterna & immortali donetur, quam quidem energiam non habuit gratia primi hominis. Audiamus de hoc momento D. Thomam ibidem art. 10. ad 3. sic loquentem: " „ Etsi reparatio gratiæ Christi hic sit in-„ choata quantum ad mentem, nondum ta-„ men est consummata quantum ad car-„ nem, quod erit in patria. „

Septimum discrimen est penes meritum. Divus Thomas 1. p. q. 95. art. 4. hanc instituit quæstionem: Num opera hominis in nocentis fuerint efficaciora ad merendum quam opera hominis lapsi in charitate constituti. Non pauci in hoc graviter allucinantur existimantes tunc majus exurgere meritum, ubi est major operandi bonum difficultas; ex hoc inquit D. Thomas, sequeretur hominem post peccatum esse melioris conditionis quam antea: addo & inde sequi Christum & B. Virginem qui nullum ex radice peccati ad virtutem exercendam experiebantur impedimentum, non tantum habuisse adimplendo Dei præcepta meritum, quantum nos qui nonnisi cum magnis difficultatibus, & obstrepente concupiscentia, bonis operibus comparamus.

Omnia igitur distinguenda sunt cum Angelico Doctore, videlicet gratiam habitualem a qua veluti a primigenio fonte promanat meritum, & quantitatem operis quo comparatur meritum. Rursus, quantitas, ait D. Thomas, duplex est, una absoluta, & una proportionalis. Illa petitur ex entitate & mensura physica operis; sic qui dat centum nummos pauperi propter Deum majus habet meritum physicum quam qui dat solum unum assem, hoc est, plus dat: ista vero & a facultate & affectu personæ; hinc vidua quæ misit duo æra minuta in gazo-phylacium, eatenus plus fecit secundum sententiam Domini, quam illi qui magna munera obtulerunt, quatenus ista summa tametsi exigua, nihilominus magis ejus facultatem superabat. Centum quippe aurei minus sunt pro Rege divite, quam duo asses pro paupere, major inde affulgebat affectio, majorque charitas in vidua quam in Pharisæis divitibus qui multo plura dabant.

His præmissis & distinctis sic concludit sanctus Doctor: opera primi hominis efficaciora erant ad merendum, quam nostra, si pensetur ratio meriti, vel ex gratia, vel ex quantitate operis absoluta: si vero ex quantitate proportionali, minus efficacia erant: " Sic igitur dicendum, „ quod efficaciora fuissent hominis opera „ ad merendum in statu innocentiæ quam „ post peccatum, si attendatur quantitas „ meriti ex parte gratiæ quæ tunc copio-„ sior fuisset, nullo obstaculo in natura hu-„ mana invento. Similiter etiam si con-„ sideretur absoluta quantitas operis. Quia „ cum homo esset majoris virtutis, ma-„ jora opera fecisset. Sed si consideretur „ quantitas proportionalis, major inveni-„ tur ratio meriti post peccatum propter „ hominis imbecillitatem. Magis enim „ excedit parvum opus potestatem ejus qui „ cum difficultate operatur illud, quam „ opus magnum potestatem ejus, qui si-„ ne difficultate operatur. „ Ex his patet majus esse in præsenti statu meritum quam fuisset in statu innocentiæ, quatenus ex majori difficultate, exurgit ordinarie loquendo, major in Deum amor & affectus, majorque propter obstacula superanda in adimplendis mandatis conatus. Cæterum gratia Salvatoris eatenus adhuc excedit gratiam primi hominis in merito, quatenus non solum dat posse bene agere, sed & actu agere, immo & perseverare, ac

ac deinde gloriam assequi æternam. Quid plura? Gratia quæ homini lapso confertur, ex meritis Christi abundantibus & superabundantibus illisque infiniti valoris procedit, unde & in hoc sensu ex parte causæ superat meritum gratiæ status innocentiæ. Et sic per omnia distinguitur gratia Mediatoris ab alia.

D. Bernardus serm. super hæc verba Apocalypseos c. 12. *Signum magnum apparuit in cælo*. Totum hoc mysterium paucis sic explicat: " Vehementer vir unus & mulier una nocuere, sed gratias Deo, per unum nihilominus virum & mulierem unam, omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum: neque enim sicut delictum, ita & donum, sed excedit damni æstimationem beneficii magnitudo. Sic nimirum prudentissimus & clementissimus artifex quod quassatum fuerat non confregit, sed utilius omnino refecit, ut nobis novum formaret Adam ex veteri, & Evam transfunderet in Mariam. "

Lutherus in libro de servo arbitrio, Calvinus in Antidot. Concilii Tridentini ad sess. 6. c. 5. & post ipsos Jansenius in toto ferme libro 4. de grat. Sal. novum hoc statuunt discrimen inter gratiam primi hominis, & gratiam Mediatoris, quod velint primam ita subditam fuisse libero arbitrio, ut ei resistere posset Adam, e contra vero ista tantopere illi dominetur, ut ex necessitate ei ad bonum compellenti assentiatur, quippe qui liberum arbitrium granditate peccati penitus amissum autument. Tametsi ex præcedentibus ubi de concordia libertatis cum præscientia Dei & gratia prædestinationis confutati maneant, quia tamen hoc fictitium & falsum inter utramque gratiam auctoritate B. Augustini discrimen stabilire conantur, operæpretium est impræsentiarum ex professo dogma catholicum auctoritate Conciliorum, D. Augustini, nec non & Prosperi & D. Thomæ ejus interpretum astruere. Unde sit contra istos & similes Heterodoxos

CONCLUSIO SECUNDA.

Discrimen inter gratiam primi hominis & Mediatoris istud non intercedit, quod voluntas humana sub primæ gratiæ dominio libertate indifferentiæ & actus gauderet, sed sub secunda non perfruatur.

Probatur auctoritate, & ratione.

SUPERVACANEUM est hic texere varia Scripturæ loca ad veritatem conclusionis propugnandam, cum hoc factum sit supra: Sed quia Heterodoxi appellant ad S. Augustinum cujus mentem in hac quæstione assequi gloriantur, & præsumunt: ad Augustinum eos perducere necesse est, sed prius ostendendum rem esse de fide definitam in variis Conciliis quæ Lutheri, Calvini & consequenter Jansenii molimina confregere.

Concilium Tridentinum.

PATRES hujusce Synodi sess. 6. cap. 5. sic loquuntur: " Declarat præterea, (S. Synodus) ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando disponantur: ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris Litteris, cum dicitur, convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur, cum respondemus; Converte nos, Domine, ad te, & convertemur; Dei nos gratia præveniri confitemur. "

Rursus ibidem can. 4. " Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti,

" quo-

„ quoad obtinendam justificationis gratiam, „ se disponat ac præparet : neque posse „ dissentire si velit, sed veluti inani- „ me quoddam nihil omnino agere, me- „ reque passive se habere : anathema sit.„ Quibus textibus Concilium perfectam explicat sub dominio gratiæ Mediatoris libertatem, qua quidem homo potest & se præparare ad justificationem cooperando, & gratiæ vocanti & excitanti consentire vel dissentire ad nutum potest : contrarium vero dicere non solum non sinit sancta Synodus, sed talia audentes anathematis gladio confodit.

Concilium Senonense anno 1518, contra Lutheranos congregatum

NON absimilem Tridentinæ definitioni sententiam adversus Protestantes gratiam necessitantem propugnantes tulit. Sic intonat in Præfatione longe post initium : " In errorem Manichæi incidit „ Lutherus, dum nimis anxie & scrupulose devitat Pelagium : metuens nam- „ que liberum arbitrium cum Pelagio „ asserere, omne bonum opus quod est „ in homine Deo tribuit & divinæ gra- „ tiæ, nihil prorsus libero arbitrio: Sic- „ que tollens omnino liberum arbitrium, „ Lutherus factus est Manichæus, dum „ refugit esse Pelagianus. „ Igitur ex Concilio sapit Manichæismum propugnare gratiam Christi necessitantem.

Ex divo Augustino, sancto Prospero, & D. Thoma.

ILLUD inter gratiam primi hominis & gratiam mediatoris discrimen quod sub ista non remaneat libertas indifferentiæ & actus, est procul faciendum, quod omnino novum est, & a mente, tum S. Augustini, tum S. Prosperi, tum etiam D. Thomæ prorsus alienum est : Atqui tale est discrimen a Luthero, a Calvino & Jansenio celebratum : Igitur nedum explodendum, sed & abhorrendum est. Minor patet, & est ipsa Heterodoxorum sententia. Probatur igitur major ex sanctis Doctoribus mox laudatis.

Primas inter eos tenet sedes B. Augustinus, ipse autem per omnia & ubique propugnat libertatem indifferentiæ actus sub dominio gratiæ præsentis status ex professo quidem in tribus libris de libero arbitrio: rursus in libro de gratia & libero arbitrio, maxime cap. 2. nu. 3. & 4. ubi infinitis prope utriusque testamenti testimoniis hanc probat veritatem; quos quidem S. Doctoris textus differt. de concordia præscientiæ cum libertate humana laudavimus, mitto multos alios ne repetita ad nauseam usque displiceant, sed quosdam ex lib. de corr. & gr. ubi Augustinus de gratia efficaci tractat, excerptos, in medium proferre juvat, ut veritatis hostes intelligant Augustinum non esse pro eis.

S. Doctor in isto libro cap. 8. loquitur de gratia inter omnes gratias efficacissima, quam Christus pro Petro a Patre expostulavit, de gratia quæ est ita potens, ut moveat invicte & insuperabiliter, ad bonum : de gratia quæ est sic victrix & triumphans, ut nedum operari bonum, sed & in bono cæpto perseverare conferat : & tamen non solum libertatem per eam vel minimum offendi non dicit, quin potius ita adjuvari & perfici asserit, ut voluntas sub ejus dominio non tantum libera, sed & liberrima evadat. Sic scribit Augustinus n. 17. his verbis : " Nam „ quis ignorat, tunc fuisse perituram fi- „ dem Petri, si ea qua fidelis erat, vo- „ luntas ipsa deficeret; & permansuram, „ si eadem voluntas maneret ? Sed quia „ Prov. 8. sect. 70. *Præparatur voluntas a* „ *Domino*; ideo pro illo Christi non pos- „ set esse inanis oratio. Quando rogavit „ ergo ne fides ejus deficeret, quid a- „ liud rogavit, nisi ut haberet in fide LI- „ BERRIMAM, fortissimam volunta- „ tem ? Ecce quemadmodum secundum „ gratiam Dei, non contra eam LI- „ BERTAS DEFENDITUR VO- „ LUNTATIS. Voluntas quippe huma- „ na non libertate consequitur gratiam, „ sed gratia potius LIBERTATEM, „ & ut perseveret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. „

Rursus ibidem cap. 11. num. 31. totam dirimit quæstionem & veluti gladio ancipiti cunctis circa liberum arbitrium confodit & debellat hæreses asserendo quod tantum absit, ut gratia mediatoris, aut tollat libertatem, aut catenis plusquam ferreis vinciat, quin potius perditam, hoc est, debilitatam per peccatum reddit & reintegrat. Sic loquitur gra-

tiam primi hominis & Mediatoris delineando, utramque distinguendo & exponendo: " Prima est enim qua fit, ut homo habeat justitiam si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parva erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii, quoniam sic adjuvabatur, ut sine hoc adjutorio in bono non maneret, sed hoc adjutorium si vellet desereret: hæc autem tanto major est, ut parum sit homini per illam REPARARE PERDITAM LIBERTATEM, parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur ut velit."

Eo loci S. Augustinus loquitur de gratia efficaci mediatoris, de gratia quę non solum dat posse, sed & actu velle bonum, & tamen illa gratia pristinam libertatem reparari asserit. Quis jam æquus & cordatus rerum æstimator dixerit S. Doctorem distinguere gratiam protoparentis a gratia mediatoris, in eo quod sub illa maneat liberum arbitrium, sub ista vero sit extinctum, cum exprese S. Aug. contrarium propugnet, & in describendis gratiæ Christi ab alia discrepantiis, altum teneat de extinctione libertatis humanæ silentium?

Pergit S. Augustinus partes libertatis hominis lapsi sub dominio gratiæ operis defendere. Repetitis igitur gratiæ sanitatis & reparationis effectibus & discriminibus num. 33. pag. 76. subdit: " Major quippe libertas est necessaria adversus tot & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus. Hoc sanctorum martyria docuerunt." Ibi S. Doctor loquitur de libertate indifferentiæ, videlicet electionis, quippequi sermonem faciat de Martyribus qui blandiente & etiam terrente mundo gratia præventi simul & adjuti elegerunt potius mori, quam fidem Christi abnegare: " Isti, *inquit*, non dico terrente mundo, sed sæviente ne starent, steterunt in fide."

Denique ibidem cap. 12. num. 38. hoc statuit discrimen Augustinus inter gratiam primi hominis & gratiam mediatoris, quod per primam posset homo innocens se conservare in justitia: Secunda vero adjuvante, lapsus bonum invictissime velit & operetur, quia vult, hoc est, quia gratia corroborati illud eligunt homines lapsi faciendum: velle enim aliquid humano modo, est illud eligere: " Infirmis servavit, ut ipso donante invictissime quod bonum est, vellent." ait ibidem Aug.

S. Prosper est ejusdem labii lib. 2. de vocat. Gen. c.28.& sic loquitur: " Deus ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, ut etiam perseveraturis illam potestatem quæ potest nolle, non auferat."

D. Thomas idem sentit & docet quod lib. 1. art. 7. ad 2. his verbis: " Deus, *inquit*, movet omnia secundum modum eorum, & ideo divina motio a quibusdam participatur cum necessitate; a natura autem rationali cum libertate propter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita: & ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere." Videas velim, benevole lector, quomodo S. ille Doctor distinguat duplicem Dei motionem, unam qua agentia naturalia determinata ad unum necessario applicantur ad opus: alteram vero qua creatura rationalis cum libertate ad agendum compellitur, quia ad opposita se habet, ex quo colligit posse divinæ motioni resistere. Igitur fictitium est, immo & injuriosum illud discrimen inter gratiam primi hominis & gratiam mediatoris, quod illa moveret libere, ista vero compellat cum necessitate voluntatem humanam ad bonum.

Ex ratione.

Illud discrimen non est admittendum, quod tollit rationem meriti bonorum operum, quod præceptorum impositionem evacuat, quod correptionis & exhortationis locum adimit; quod denique naturam & essentiam gratiæ mediatoris offendit, & ne dicam penitus extinguit: Atqui tale est systema gratiæ necessitantis pro statu naturæ lapsæ: Igitur prorsus explodendum & rejiciendum. Probatur minor quoad singulas partes.

Primo: Meritum in eo maxime situm est, quod homo viator exardescentibus pas-

sioni-

fionibus allectus ad malum quod facere potest, attamen inspirante gratia bonum, illi assentiat & eadem adjuvante faciat & operetur juxta illud Eccl. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino*. Unde stabilita bona? Quia resistendo & concupiscentiæ & mundo, eligit abjectus esse in domo Dei sui, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum, ut dicitur, Psal. 83. Sed si gratia necessitat, jam sub ejus imperio non affulget electionis locus: Igitur nec consequenter meriti, quod sane ejusmodi auxilium necessitans prorsus evacuaret.

Secundo: Præcepta eatenus juste a Deo homini viatori imponuntur ad laudem & coronam, quatenus liberum est homini obedire, si fidelis est servus: Sed si gratia liberum adimat arbitrium, jam lex incassum proponitur adimplenda ad coronam, velit enim homo nec ne, semper faciet bonum ad quod ex virtute antecedente necessario compellitur; absente vero gratia in aliud ex necessitate prolabetur extremum, videlicet ad peccatum; unde ex utraque parte lex quæ declinare a malo, & facere bonum præcipit, erit inutilis. Hæc ratio est D. Augustini qui lib. de gr. & lib. arb. cap. 2. nu. 4. pag. 719. ait: " Quid illud quod tam multis locis „ omnia mandata sua custodiri & fieri „ jubet Deus? quomodo jubet, si non est „ liberum arbitrium &c. „ Igitur gratia necessitans legem fient inutilem, ita & in prohibendo malo injustam reddit, namque ut alibi dicit idem S. Doctor, quis peccat in eo quod vitare non potest?

Tertio: Datur semper in hac vita & correptionis, & exhortationis locus, ut ex professo docet August. in lib. de corr. & gr. ex quo culpam in hominem solum peccantem refundendam esse colligit, quatenus homo invitatus & excitatus ad bonum quod, adjuvante gratia, quæ urgente præcepto nemini deest, non operatur, satis suum demonstrat liberum arbitrium: " Nemo ergo, inquit idem S. Doctor „ lib. de gr. & lib. arb. cap. 2. num. „ 4. pag. 720. Deum causetur in corde „ suo, sed sibi imputet quisquis, cum pec- „ cat. „ Sed posita gratia necessitante, ad quid exhortatio ad bonum faciendum, malum vero vitandum? ipsa præsente sicut fiet semper primum, ita & absente, alterum necessario committetur. Ad quid correptio? Respondebit peccator tentatus, quando erit gratia, convertar ad Dominum, inutiles prorsus sunt & minæ & terrores: neque liber sum sub concupiscentia exardescente ad malum vitandum, neque sub imperio gratiæ quæ est a me penitus independens, ad operandum bonum. Ergo &c.

Quarto: Gratia mediatoris in eo potissimum consistit, quod sanet, non destruat, consequenter quod adjuvet liberum arbitrium sauciatum & non extinguat: Quod illud roboret & non frangat; quod non solum posse bonum, sed & illud velle & facere præbeat: quod exardescente passione & sæviente mundo faciat eligere quod pium & sanctum est; ita Augustinus, & D. Thomas supra laudati: Eo prorsus scopo Ecclesia expostulat pro filiis gratiam: *Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos*. Rursus. *Concede misericors Deus fragilitati nostræ præsidium*: Et iterum, *Præsta quæsumus omnipotens Deus: ut semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, & dictis exequamur & factis*. Non petit liberum arbitrium necessitatis jugo teneri, sed liberari a malo, sed adjuvari ad præceptum adimplendum: Sed libertate filiorum Dei in eligendo quod bonum est, donari. Igitur necessitas injuriosa est gratiæ mediatoris: quinimmo ejus destruit naturam, gratia quippe datur, ut cum libertate consocietur, juxta illud Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. *In sacris litteris cum dicitur, convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus: Converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur*. Ergo &c.

Solvuntur objectiones.

OPPONES, adversus primam conclusionem. Illa gratia non est gratia status innocentiæ abundantior, si ista multo plures habuit effectus: Atqui gratia primi hominis multo plures habuit effectus quam gratia Mediatoris: Et probatur. Primo justitiam originalem, immortalitatem, aliasque eximias dotes & privilegia sibi annexa habebat: Secundo nihil imperfectionis ex parte concupiscentiæ fluctuum homo experiebatur. Tertio, meritum præ-

cellens gratia innocentiæ addebat bonis operibus, tametsi enim gratia Christi glorium producat, ista tamen corona magis gratiam quam meritum spectat, teste Augustino qui lib. de corr. & gr. cap. 11. num. 31. pag. 768. sic loquitur: " Quæ „ futura erat & homini, *innocenti*, sicut „ facta est Angelis sanctis, merces me„ riti. Nunc autem per peccatum per„ dito bono merito, in his qui liberan„ tur factum est donum gratiæ, quæ „ merces meriti futura erat. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo, illa gratia est gratia mediatoris abundantior quæ plures habet effectus in omni genere, concedo: plures in aliquo tantum genere, nego: & sic distincta minore, nego consequentiam. Omnia argumenta solummodo probant gratiam primi hominis multo plures habuisse effectus extensive & in aliquo genere, quatenus justitia originalis & immortalitas ad illam consequebantur, sed profecto non in omni genere, & intensive, seu quoad gradum, quandoquidem solum posse perseverare conferebat; gratia vero Christi dat & velle, immo & actu perseverare: prima posse vincere tentationes præbebat: Secunda etiam terrente, quid dicam & sæviente mundo, inquit Augustinus lib. de corr. & gr. cap. 12. num. 35. eas in Martyribus superavit: Quid plura? Æternum gloriæ pondus nonnunquam, ut in electis, operatur. Quod nusquam fecit gratia status innocentiæ.

Ad secundum: tametsi gratia in præsenti statu contrarium ex parte passionum habeat, quia tamen sæpius, immo & toties superat, quoties homo ei obedit & assentitur, ex hoc mirabilis ejus efficacia ostenditur, quæ longe supereminet gratiæ protoparentis, qui, terrente nullo, inquit Augustinus, cessit tentationi.

Ad tertium: Dico quod meritum fuisset in statu innocentiæ fructus gratiæ, sicut est & in præsenti statu, aliter tamen & aliter. Gratia erat indebita primo homini, quandoquidem Deus non tenebatur hominem ad finem supernaturalem elevare, sed post lapsum est magis indebita propter peccatum, unde meritum est effectus gratiæ simul & misericordiæ: gratiæ quidem quæ est primum meriti principium, misericordiæ vero quæ reddidit jus ad gloriam per culpam amissum, cum e contra si Adamus in innocentia perseverasset, dubio-procul jure innato ratione justitiæ originalis, ad beatitudinem æternam donatus fuisset: In hoc prorsus sensu Augustinus dicit, quod gloria in statu innocentiæ merces fuisset meriti sicut fuit in Angelis bonis: nunc vero est donum gratiæ, hoc est, maxime, & magis gratiæ fructus quam meriti, quia & plurimum misericordiæ.

Instabis: Atqui omnimode gratia erat major: Et probatur. Meritum hujus gratiæ fuisset omnimode majus: Ergo &c. Probatur Antecedens. Ubi est major in operando bonum difficultas, ibi est & meritum majus, alias sequeretur hominem tepidum qui nec passionum æstibus commovetur, nec etiam amore magno accenditur, majora promereri præmia, quam alium qui concupiscentia, vel carnis, vel oculorum exæstuante agitatus, nonnisi, adhibita magna violentia, bonum operatur, quod tamen nemo sapiens dixerit: Igitur quantitas meriti gratiæ primi hominis nedum absolute, sed & proportionaliter atque omnibus modis erat major.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, nego Antecedens. Ad ulteriorem probationem distinguo: ubi est major in operando bonum difficultas, ibi est meritum excellentius secundum quid, concedo: simpliciter & absolute, nego. Dictum est quantitatem meriti absolutam repeti ex quantitate gratiæ, quantitatem vero proportionalem ex parte operantis magis Deum amantis: unde cum gratia secundum se spectata in homine innocente esset major, quippe quæ nullum in eo contrarium haberet, & cum justitia originali quæ in eximia omnium virtutum supellectili sita erat, præditus esset, certum est, *inquit*, D. Th. supra laudatus, quod meritum absolute loquendo fuisset protop. in statu innocentiæ majus; tum quia in hoc felici statu non fuisset tepiditatis locus, homo enim nullis passionum irretitus vinculis, facile amore Creatoris accensus fuisset, quem & ex toto corde, si fidelis permansisset, lubentissimo animo dilexisset: si tamen attendamus & ad concupiscentiam, & ad mundum cuncta pro amore Babylonis sine fine molientes, profecto qui, his allicientibus resistit, majus secundum aliquam

quam proportionem habet meritum.

Nec inde sequitur tepidi alicujus actionem bonam coram Deo plusquam opus hominis ferventis, alias vehementi passione quam tamen vincit, cruciati, ponderare, cum meritum in isto sit majus & ex parte principii, scilicet gratiæ, & ex parte operantis: sicut enim major est hominis amore Dei flagrantis charitas, ita & major conatus & tendentia in Deum. Unde non est paritas.

Urgebis: Meritum in Christo & Beatissima Virgine fuit & absolute, & proportionaliter majus, quam in cæteris justis; illi tamen neque passionum illecebris, neque carnis lucta ex peccato originali profluente, laborabant: Igitur meriti quantitas etiam proportionalis non desumitur ex difficultate & operis arduitate.

Respondeo cum S. Thoma meritum secundum se spectatum majus esse in iis in quibus gratia appetitus inferioris perfecte dominatur; sed dicitur proportionaliter majus, non precise propter difficultatem faciendi bonum, sed ex affectione operantis, qui tametsi pauper, ut vidua, de qua fit mentio in Evangelio, dat tamen id omne quod habet: quod quidem munus in comparatione eleemosynæ per divitem erogatæ, qui nihil incommodi in hoc patitur, est majus. Ex quo sequitur opera Dei-paræ in merito omnibus modis longe superasse cæterorum electorum merita: & vero tametsi esset pura creatura, tanto tamen Dei amore succensa erat, ut Deus Pater ad puritatem simul & humilitatem ejus respiciens matrem proprii Filii sui incarnati esse voluerit. Quoad Christi exemplum nemo non videt nullum hic facessere negotium; cum enim esset Deus & homo merita ejus nedum absolute & proportionaliter, sed & in immensum hominis, tum innocentis, tum lapsi reparati & justificati excedere & superare fide tenemus.

Cæterum Ista propositio, ubi est major in operando bonum difficultas & arduus admodum labor, ibi & majus omnimode meritum, locum habet maxime in viatoribus ad invicem comparatis, cum enim omnes & concupiscentia & passionibus graviter laborent, certum est enim qui carnem cum concupiscentiis ardenter & generoso animo crucifigit, majus apud Deum habere meritum quam alterum qui non nisi tepide diabolo & passionibus resistit.

Diluuntur inania adversus secundam conclusionem heterodoxorum commenta.

Objiciunt Lutherus & Calvinus, & post ipsos Jansenius Iprensis: homo lapsus nihil boni potest facere absque gratia: Igitur quoties adest, necessario bonum operatur: sin minus in contrarium, scilicet in peccatum innato concupiscentiæ pondere prolabitur. Hoc est apud eos palmare argumentum pro gratia necessitante astruenda, quod quidem fucato innixus fundamento Iprensis toto libro quarto de gratia Salvatoris, maxime a capite primo usque ad undecimum hoc statuit inter gratiam primi hominis & gratiam mediatoris discrimen; quod ista necessario compellat voluntatem ad bonum, illa vero nonnisi libere & prævia electione idem operaretur.

Respondeo primo: contrarium patet, tum ex his quæ exprofesso diximus in tractatu de scientia Dei, de libertate hominis sub dominio gratiæ Christi, tum ex probationibus, maxime vero ex definitione fidei Synodi Tridentinæ.

Respondeo 2. distinguendo, homo nullum bonum ordinis supernaturalis absque gratiç auxilio potest facere, concedo: bonum ordinis naturalis, nego. Homo tametsi lapsus potest tamen ex innata libertate bonum naturalis ordinis operari, ut dare pauperi motu compassionis eleemosynam. Ita definiere summi Pontifices Gregorius XV. & Pius V. adversus Baium. Unde nego consequentiam. Licet enim gratia sit necessaria ad opus salutis tum inchoandum, tum perficiendum, nemo tamen nisi Heterodoxus dixerit auxilium Dei tollere libertatem, cum potius eam adjuvet & roboret teste Augustino, eam sanet, teste D. Thoma qui subdit loco in probationibus citato Deum agentia movere conformiter eorum naturæ, necessaria esse determinata ad unum, necessario: libera vero, libere, & prævia electione. Cum denique contrarium de fide definierit Concilium Tridentinum in quo Patres asserunt nostræ libertatis nos admoneri, cum Deus, ait: *Convertimini ad me*: Respondemus, *Converte nos Domine ad te, & convertemur*: Unde ibidem sess. 6. can. 4. anathe-

mate percellit dicentes liberum arbitrium a gratia motum non posse dissentire si velit.

Instant : S. Augustinus nihil adversus fidem circa efficaciam gratiæ docuit : Atqui tamen hoc statuit inter gratiam primi hominis & gratiam Mediatoris discrimen, quod homo innocens posset perseverare & peccare, si vellet, e contra vero homo lapsus, sed reparatus sub dominio gratiæ non possit non perseverare, non peccare : Igitur ex Augustino gratia sanativa necessario compellit voluntatem ad bonum. Probant minorem variis sancti Doctoris auctoritatibus, maxime ex ipso libru de corr. & gr. desumptis ; cap. 12. de Adamo num. 32. pag. 768. sic loquitur : „ Posset enim perseverare si vellet : quod „ ut nollet de libero descendit arbitrio, „ quod tunc ita liberum erat, ut bene „ velle posset, & male. Quid erit autem „ liberius libero, quando non poterit ser- „ vire peccato? „ Ultima verba de homine lapso reparato profert, & hanc statuit inter ipsum & primum hominem discrepantiam, quod iste non possit peccare sub dominio gratiæ constitutus : ille veru poterat quatenus bene vel male velle fas ei erat, & hoc, inquit, promanabat a libero arbitrio, quod tunc temporis ad opposita sese habebat : nunc vero remanet quoque liberum, sed non tale & simile arbitrium, quod quidem inquiunt Novatores sufficienter salvatur eo ipso quo voluntarie operatur, tametsi necessario.

Alterum proferunt B. Augustini locum in quo S. Præsul ait Deum dimisisse & misisse primum hominem facere quod vellet : infirmis vero servasse ut ipso donante, quod bonum est invictissime vellent. Eo loci, aiunt, est inter utrumque hominem, sanum scilicet & infirmum discrepantia ab Augustino allata penes libertatem. Primus dimissus est ut faceret ad nutum quod vellet : Igitur non potest aliud esse discrimen nisi quod secundus homo sub gratiæ dominio nonnisi necessario velit bonum, quod primus deseruit. Si enim uterque liber libertate indifferentiæ censeatur, jam nullum subsistit inter hominem innocentem & lapsum reparatum discrimen, quod tamen est contra Augustini sententiam, qui ut suam de gratia necessitante, inquiunt, aperiat mentem, dicit hominem in præsenti statu Deo donante, invictissime velle bonum : si invictissime, profecto ex necessitate, alias non invictissime, non indeclinabiliter, sed declinabiliter, sicut in primo homine compertum habemus. Ibidem cap. 12. num. 38. sic loquitur S. Aug. “ Fortissimo quippe dimisit atque „ permisit facere quod vellet : infirmis „ servavit, ut ipso donante invictissime „ quod bonum est vellent. „

Respondeo 1. apertam sufficienter esse S. Aug. mentem pro libertate indifferentiæ actus ex auctoritatibus in probationibus adductis, cum dicat gratiam quæ dat fortissimam in bono voluntatem, simul & præbere *liberrimam*, cum eo loci verbis expressis asserat illam eandem gratiam *reparare perditam libertatem*. Cum liberum arbitrium in præsenti statu ad opposita sese habere probat variis multisque testimoniis ex utroque testamento depromptis. Et ne aliquis remaneat de sensu S. Doctoris ambigendi locus, audiamus iterum similia cum Tridentino pronunciantem l. de Spiritu & litt. c. 34. sic scribit : “ Pro- „ fecto ipsum velle credere Deus opera- „ tur in homine ; & in omnibus miseri- „ cordia ejus prævenit nos : CONSENTIRE „ AUTEM VOCATIONI DEI, VEL DISSEN- „ TIRE AB EA, PROPRIÆ VOLUNTATIS „ EST. „

Respondeo 2. negando minorem; ad primam probationem ex auctoritate B. Aug. deductam, distinguo : Et eo loci S. Præsul loquitur de patria in qua beati Deum felici necessitate compulsi diligunt, concedo : & loquitur de viatoribus, qui nedum voluntarie, sed cum indifferentia ad oppositum ipsum amant creatorem, nego. Loquitur quippe ut ex terminis patet, de immobilitate in bono quam nomine impeccabilitatis celebrat : Nec mirum, loquitur de ineffabili perseverentia in bono quod Adam deseruit, sed quod luculentius pro gloria capessenda virtute & efficacia gratiæ Salvatoris assequimur, in quo sane plurimum gratia mediatoris supereminet.

Duo igitur ad solutionem argumenti statuimus : Primo quidem S. Augustinum loqui de statu beatorum in quo est amor circa Deum necessarius : secundo de perseverantia finali quæ cum gloria consociatur. S. Doctor est sui ipsius interpres. Ibidem lib. de corr. & gr. cap. 11. n. 32. ubi de electis, ait, in patria Deum possidentibus : “ Quid erit liberius libero arbi-

trio,

„ trio, quando non poterit servire peccato? certe impeccabilitas solummodo „ spectat patriam. „ Rursus ibidem c.12. n. 33. loquitur de libertate primi hominis qui bonum cœptum deseruit: Et de libertate justorum qui finaliter perseverant in charitate, & sunt beati: " Prima ergo „ libertas voluntatis erat, posse non peccare; novissima erit multo major, non „ posse peccare: Prima immortalitas erat, „ posse non mori; novissima erit multo major „ non posse mori: prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere; novissima erit felicitas perseverantiæ. „ Quid clarius Augustinum loqui de statu beatorum quem homo reparatus efficacia gratiæ Christi assequitur? impeccabilitas quippe & immortalitas, non diffitentibus protestantibus, ad solam patriam pertinet, quam sufficienter exprimit S. Præsul vocando perseverantiæ felicitatem. Dum igitur ait hominem sub dominio gratiæ constitutum non posse peccare, loquitur de gratia patriæ, eaque consummata, non de ea quæ viatoribus perhibetur.

Ad ulteriorem probationem alia auctoritate S. Augustini innixam, respondeo distinguendo: homo reparatus, Deo donante finaliter & invictissime vult bonum, concedo: Deo donante in vitæ decursu, nego. Duplex gratia efficax distinguitur; una qua adjuvante aliquod bonum opus fit: altera qua finaliter fit & voluntas immobiliter figitur in bono: ista multarum gratiarum operis importat seriem, immo & providentiam extraordinariam attingentem omnia a fine usque ad finem fortiter, sed & ita suaviter, ut electis & diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum, & mors eo adveniat tempore, quo homo charitate flagrat & est justus. Ita Aug. ex professo in libro de dono perseverantiæ, maxime c. 1. ubi illam duplicem secernit gratiam efficacem, unam qua peccator resurgit, sed postea a justitia accepta novo peccato excidit: alteram vero quo perseverat usque ad finem; n.1. sic loquitur: " Asserimus „ ergo donum Dei esse perseverantiam, qua „ usque in finem perseveratur in Christo. „ Finem autem dico, quo vita ista finitur, in „ qua tantummodo periculum est ne cadatur. Itaque utrum quisque hoc munere acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, incertum est. Si enim priusquam moriatur, „ cadat, non perseverasse utique dicitur.

Extra dubium est S. Augustinum motionem invictissimam, indeclinabilem, & insuperabilem soli dono perseverantiæ tribuere, cum ipso teste voluntas mota per aliam gratiam possit resistere, nec isti adjutorio conveniat immobiliter figere liberum arbitrium in bono, alias non gratia ut sic, sed gratia finalis foret. Unde enim gratiæ perseverantiæ insuperabilis motio? non certe a gratia secundum se spectata, cui voluntas obniti potest, & nonnumquam obnititur, ejusque frangit impetum, sed a serie multorum auxiliorum in se connexorum, maxime vero a providentia extrinseca quæ causas extrinsecas ita disponit, ut mors accedat tempore quo peccator est de culpa vehementer contritus: Illudunt igitur Heterodoxi simplicibus cum gratiam mere interiorem insuperabilem & necessitantem ex Augustino propugnare contendunt: S. Præsul dum gratiam insuperabilem celebrat, loquitur de gratia perseverantiæ, quæ gloriam, & patriam in qua non est peccandi locus & facultas, annexam habet. Audiamus de hoc momento S. Doctorem lib. de corr. & gr. c. 12. n. 33. " Prima erat perseverantiæ potestas, bonum „ posse non deserere, novissima erit felicitas perseverantiæ, bonum non posse „ deserere. „ Ubi quæso, non possumus bonum deserere? Profecto in sola patria: & hoc ultro fatentur Lutherus, Calvinus & Jansenius. Rursus lib. de dono perseverantiæ c.6. n. 10. pag. 826. " Perseverantiam vero usque in finem, quoniam „ non habet quisquam, nisi qui perseverat usque in finem, multi eam possint „ habere, nullus amittere. „ Ecce ex mente S. Doctoris gratia insuperabiliter movens, ea scilicet quæ amitti non potest, cui nemo resistit, nec resistere valet; alias neque invictissima foret, neque perseverantiæ finalis gratia vocaretur. Nec mirum: qui est in termino impeccabilis est: Igitur Augustinus eo loci in objectione laudati loquitur solum de gratia perseverantiæ quam non habuit primus homo, quæ vero nunc sanctis per gratiam Christi confertur. Et hoc est inter gratiam primi hominis & gratiam mediatoris discrimen, quod statuit & prædicat a capite sexto libri de correptione & gratia usque ad caput decimum quartum, ut ostendat gratiam Salvatoris gratia protoparentis esse & abundantiorem, quocirca perpetuo & sine

fine asserit Adamum habuisse solummodo gratiam qua posset perseverare & non de ferere bonum; sanctos vero nunc ipso Christo donante, habere gratiam & qua faciant libere bonum, & qua bonum cœptum etiam terrente & sæviente mundo numquam deserant. Ita expresse & clarissime ex professo loquitur S. Præsul toto capite 11. & 12.

Mitto alias objectiones quas Novatores ex aliis beati Augustini auctoritatibus eruere tentant, cum his fecerimus plusquam satis in dissertationibus de libertate humana, & de ejusdem concordia cum præscientia Dei.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

PRIMO: Protoparentes egerunt pro peccato pœnitentiam & salvati sunt. Hoc ipsum innuit Scriptura sacra Sap. 9. maxime vero c. 10. ubi habetur sapientiam eduxisse a delicto Adamum: unde Irenæus lib. 3. c. 37. dicit: *Eos qui contradicunt saluti Adæ, consequenter dicere non invenisse Christum ovem perditam*. Suffragantur veritati Hilarius, Hieronymus, & alii multi Patres, & quidem merito, cum primi parentes unionem Christi cum humanitate nostra repræsentarent, & in eis primum incipiebat & consistebat Ecclesia, quæ Deo tanquam sponso conjungi expostulabat; tum quia pœnitentia justificati, filios cultum Deo debitum docere debebant. Ergo &c.

Secundo: Gratia mediatoris est gratia primi hominis & efficacior, & abundantior; juxta illud Christi Joan. 10. *Veni ut vitam habeant & abundantius habeant*. Ratio D. August. ea est. Gratia primi hominis dabat solum posse perseverare, Christi vero dat & actu perseverare, ita S. Doctor lib. de corr. & gr. cap. 11. & 12.

Tertio: Incassum Heterodoxi hanc statuunt discrepantiam inter gratiam primi hominis & mediatoris, quod gratia istius necessario compellat ad bonum: secus gratia Adæ: Tridentinum quippe de fide definivit sess. 6. cap. 5. & ibidem can. 4. liberum arbitrium motum libere consentire gratię vocanti & eidem posse dissentire si velit. Hoc ipsum astruit Senonense in præfatione: hoc S. Augustinus lib. de gr. & lib. arb. c. 2. lib. de corr. & grat. c. 11. ubi dicit gratiam Mediatoris humanam non destruere, sed restaurare libertatem. Hoc S. Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 28. hoc S. Thomas quodlib. 1. art. 7. ad 2. ubi asserit Deum sua gratia movere homines cum libertate. Hoc ipsum innuunt præcepta quæ Deus ad coronam observanda proponit: hoc denique ejus exhortationes, quas ad peccatores, ut convertantur ad se, dirigit, ubi enim nulla libertas, ibi nullus & meriti, & correptionis locus foret.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Tametsi Deus Angelo rebelli non pepercerit, non sequitur indulgentiam non concessisse primis parentibus, cum enim carnis infirmitate, inquit Gregorius, veluti quodam vestimento induti essent, fragilitate potius, quam malitia peccaverunt, hinc & venia præ Angelis apostatis multo magis donandi erant.

Secundo: Non negamus gratiam primi hominis in aliquo puncto gratia mediatoris fuisse lætiorem, videlicet quoad justitiam originalem & immortalitatem: Sed profecto non simpliciter & absolute: Quamvis enim gratia Christi sit in subjecto passionum illecebris commoto, attamen quod est mirabile, terrente mundo, sæviente concupiscentia, dat & posse operari bonum, immo & finaliter perseverare in bono, quod ultimum & novissimum ipsi peculiare est.

Tertio: In vanum Heterodoxi gratiam mediatoris necessitantem esse debacchantur: Nusquam hoc propugnavit Augustinus, sed potius contrarium, sitamen quandoque dicat hominem non posse sub dominio gratiæ peccare, non loquitur de gratia efficaci, ut sic, cum ei resisti posse lib. de spir. & lit. c. 34. asserat, sed de perseverantia finali adæquate sumpta, hoc est, ut importat non solum gratiarum actualium seriem quibus homo obniti valet, sed providentiam specialem extrinsecam quæ ita ordinat causas extrinsecas, ut mortem infligant illo potissimum tempore, quo homo de culpa dolet, & habet confessoris copiam, ut & lacrimis & salutari pœnitentia atque debita contritione sua deponat peccata. De perseverantia inquam finali quæ importat caritatis cum morte conjunctionem.

TRA-

TRACTATUS SEPTIMUS
DE
ULTIMO FINE HOMINIS,
Et de actibus per quos ad eum modo acceditur, modo etiam receditur.

PRÆFATIO.



UMMUM bonum esse ultimum hominis finem, nemo tam idiota, tam etiam barbarus, & bardus non novit, non sentit: Sed in Deo, a quo omne bonum advenirì conclamat S. Augustinus his verbis: *Quidquid Deo minus est, explere non potest*, situm esse hominis beatitudinem atque finem, idem sanctus Doctor egregie delineat lib. 2. de Symbolo ad Catechum. cap. 12. dum ait: " Non nostri „ dominabitur jam corruptio, immorta„ liter viventibus, & cum ipsa æterna „ vita manentibus. Neque enim indige„ bimus illic vestimento, ubi erimus im„ mortalitate vestiti: nec cibus nobis dee„ rit, quando ipse panis vivus, qui pro„ pter nos de cœlo ad terras usque de„ scendit, sui præsentia nostras animas „ satiabit: nec potus nobis deerit, præ„ sente fonte vitæ. Saturabit enim nos „ ab ubertate domus suæ, & torrente de„ liciarum suarum corda nostra rigabit. „ Æstus illic non patiemur: illic est enim „ refrigerium nostrum, qui nos sub umbra „ alarum suarum protexit & protegit. „ Frigus illic non patiemur: est enim ibi „ sol justitiæ, qui suo amore calefaciens „ corda nostra, radiis divinitatis suæ illu„ minabit oculos nostros, ut videant divi„ nitatem, æqualitatemque Patris, & Fi„ lii, & Spiritus sancti. Non ibi fatigabi„ mur: nobiscum enim erit virtus nostra, „ cui nunc dicimus: *Diligam te, Domine, virtus mea*. Non ibi dormiemus: non „ enim ibi sunt tenebræ quæ excludere „ possint permanentem diem. Nulla erit „ ibi negotiatio, nulla servitus, nullum „ opus. Et quid illic acturi sumus? Fortas„ se quod scriptum est: *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus*. Vacuitas ista con„ templationis, erit opus nostræ actionis: „ ut contemplantes delectemur, & dele„ ctabiliter contemplemur videre. Quid „ videre? Bona Domini. Quæ bona? Pos„ sumus exprimere illud: *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, &c.* „

Quia vero cæcutit homo corruptus non solum in assequendo bonum, verum etiam & in cognoscendo; ideo necessaria est Theologia moralis tum ad sanandos animi morbos, tum ad regulandum veram libertatem, tum etiam ad restituendam vitæ innocentiam. Ea enim scientia, atque sapientia est quæ certam hominis felicitatem & veram subindigitat pulchritudinem, quæ vitiis nihil turpius esse docet; quæ omnes continet in officio, privatos quippe dirigit, familias gubernat, requiem parat imperiis; quocirca jure merito societatis humanæ parens, legum magistra, sapientia Principum, justitiæ fundamentum, & recte vivendi norma dicitur, atque celebratur.

Si igitur, inquit unus e nostris Thomistis, ad locum unde exeunt flumina revertuntur, si rebus omnibus insitus centri amor, ad Deum tendat creatura rationalis necesse est, postquam ab eo primo principio egressa est, in ipso ultimo fine conquiescat. Verum quamvis finis ille nobis omnibus sui indiderit appetitum, quia nos Dominus fecit ad se, & inquietum est cor nostrum donec in ipso requiescat; quam-

quamvis etiam finis illius micantissima veritas, & justitia per se sit evidens, & in ea tenebras comminisci, sit tenebras in sole cogitare; Deus enim, ut ait Joannes, lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ: nihilominus veritatis circa morum potissima præcepta dignoscenda difficultas innata, & per peccatum in immensum aucta tanta est, ut in multarum rerum per se verissimarum notitia caliget; tam obliquata ratio, ut in contrarium errorem nonnunquam abeat; tam infirma, ut ex veritatis intuitu nullam in agendo infirmitatem, sed opinandi instabilitatem hauriat; tam offuscata concupiscentiæ nebulis, ut nullum ferme sit Christianæ Ethicæ caput, quod non fuerit in dubium vocatum, vel contrarii erroris turpi approbatione turpissime reprobatum. Quid ergo inter tot superstites ex primi peccati labe tenebras opus est factu; ne malum, bonum, & bonum, malum dicentes, a Propheta maledicamur? Finis ultimus verus, præ oculis semper habendus est, quia ut veridice dicit Augustinus: *Minus novimus quid Deo placeat, quia ipsum minus notum est nobis*. A quo si tantisper divertamus sicut nullum est tam dirum nefas, quod non alicubi gentium innoxium habeatur, ita nulla erit tam ridicula de fide sententia, nulla tam laxa de moribus opinio cui sanus non suffragetur patronus.

Errores circa mortalitatem & ultimum finem.

QUIDAM finem ultimum in divitiis reponunt. Quidam in fucatis sæculi honoribus. Quidam in voluptatibus obscœnis. Non pauci malum pro bono, & ultimo fine habent.

Teste Averroe, quingentæ circa finem ultimum & beatitudinem circumferuntur opiniones: etiam inter Theologos orthodoxos non una est circa bonitatem, & malitiam actuum humanorum sententia: sed ut in tanto opinionum conflictu, atque congressu securam ingrediamur viam, duce Angelico Doctore, ea quæ in *prima secunda*, & in *secunda secunda* de actibus humanis tum bonis tum malis, eorumque causis dici potest, breviter, & clare in quatuor dissertationibus juvat absolvere.

ORDO TRACTATUS.

Dissertatio prima erit de fine ultimo tum secundum se, tum in particulari.

Secunda: De constitutivo actuum bonorum & malorum.

Tertia: De principiis & causis peccatorum.

Quarta: De peccatis tum secundum se, tum in particulari.



DIS-

DISSERTATIO PRIMA

DE

FINE ULTIMO TUM SECUNDUM SE, TUM IN PARTICULARI SPECTATO.



ON omnes ſicut oportet de ultimo ſentiunt fine; ſiquidem peccatores ad ſpiritum erroris attendentes, malum pro bono habent. Sed contra quod dicitur Exodi 3. cap. *Veni: oſtendam tibi omne bonum*.

Dogma de ultimo hominis fine qui in bono ſitus eſt, variis argumentis & explicatur, & probatur.

Primo, quia ſolum bonum eſt finis in quo quieſcit creatura rationalis.

Secundo, quia creatura illa veluti finem in quo quieſcat, illud eligit.

Tertio, quia quotieſcumque creatura rationalis deliberate agit, toties propter bonum operatur.

Quarto, quia homo bonum ut ſuum finem ultimum ita proſequitur, ut duos fines totales, & adæquatos ſimul, & in eodem inſtanti appetere non poſſit.

Quinto, quia beatitudo objectiva in ſolo ſummo bono conſiſtit.

Sexto, quia viſione Dei illud ſummum bonum poſſidet.

Septimo, quia ad hanc poſſeſſionem omnes ſummi boni dotes conſequuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ſummum bonum ſit finis ultimus hominis.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur ratione, eaque multiplici.

PRIMA, illud eſt hominis finis ultimus, quod illum ultimate perficit: Atqui ſolum ſummum bonum ultimate perficit hominem: Ergo ſummum bonum eſt duntaxat finis ultimus hominis. Major patet, quodlibet enim agens ſuam exigit, & quærit perfectionem: Probatur minor: Inter bona quædam ſunt maxima, quædam minima, quædam utilia, quædam honeſta, quædam etiam jucunda: ſed iis omnibus creatura perficitur; utilibus quidem quibus in ſuo conſervatur eſſe; ſic cibo homo conſervat ſanitatem; jucundis, quibus in ſua innata congaudet exercitatione, qua etiam majorem perfectionis aſſequitur gradum: Sic ſtudio ſcientiæ comparantur: honeſtis, quibus propagatur genus humanum, quales ſunt nuptiæ: quædam vero ſunt maxima & jucunda in quibus omnis ratio boni comperitur, hinc Laureolus formalem hominis beatitudinem in gaudio reponit; & iſtud vocatur finis ultimus; quæ vero minora ſunt, habent rationem finis intermedii, cujus proprium eſt movere proxime & immediate ad agendum; ſic ſanitatis conſervatio movet immediate hominem ad cibum ſumendum: quod ſi ſuam propter Deum amet vitam, in ipſo ultimate

mate quiescit, juxta illud Apost. 1. Cor. 10. 31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Sanctus Augustinus istas paucis subindigitat rationes l. 2. de libero arbitrio cap. 19. ubi sic loquitur: " Virtutes, igitur, „ quibus recte vivitur, magna bona sunt: „ species autem quorumlibet corporum, „ sine quibus recte vivi potest, minima „ bona sunt. „ Et lib. de bono conjugali cap. 9. " Alia bona nobis Deum „ dare, quæ propter seipsa a Deo expe- „ ctanda sunt, sicut est sapientia, salus, „ amicitia, aliaque propter aliquid sunt „ necessaria, sicut doctrina, cibus, po- „ tus, somnus, conjugium . . . Quisquis „ vero eis propter hoc utitur, propter „ quod data, bene facit. „ Rursus in Psalmum 134. " Quam ergo bonum est, „ a quo sunt omnia bona? Omnino nul- „ lum invenies bonum, quod non ab il- „ lo sit bonum. „

Secunda sic procedit, finis ille censetur quem creatura rationalis appetit: quodlibet enim proprio tendit pondere ad pacis & finis locum, juxta illud Proverbium: *Singula suis ponderibus feruntur*: Atqui creatura rationalis bonum semper appetit, nusquam vero malum saltem ratione mali: Ergo &c. Probatur minor ex D. Thoma qui 1. p. q. 19. art. 9. sic habet: " Cum ratio boni sit ratio „ appetibilis ut supra dictum est, ma- „ lum autem opponatur bono: impossi- „ bile est quod aliquod malum in quan- „ tum hujusmodi appellatur, nec appe- „ titu naturali, nec animali, nec intel- „ lectuali, qui est voluntas. „

Tertia, finis est id in quo quiescit appetitus; sed quoties summum bonum desideratum assequimur, toties quiescit appetitus, quod certe quotidiana comprobat experientia: Ergo &c. Minoris veracitas colligitur ex D. Augustino qui lib. 8. de civitate Dei cap. 3. ita loquitur: " Finis „ autem boni appellatur quo quisque cum „ pervenerit, beatus est. „ Et enarratione 2. in Psalmum 26. " *Credo videre bo-* „ *na Domini in terra viventium*: O bona „ Domini dulcia, immortalia, incompa- „ rabilia, sempiterna, incommutabilia! „ Et quando vos videbo, o bona Domi- „ ni? Credo videre, sed non in terra mo- „ rientium. *Credo videre bona Domini in* „ *terra viventium*. Eruet me Dominus a „ terra morientium: qui propter me di- „ gnatus est suscipere terram morien- „ tium. „ Quinam est autem finis ille quo satiatur appetitus nisi qui ex natura sua perficit subjectum? Quocirca omnis possessio boni quædam est beatitudo; inchoata quidem, si bonum creatum est & limitatum; perfecta vero, si bonum est summum, & omnibus numeris absolutum.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES 1. Finis voluntatis est id omne quod appetitur: Atqui non bonum solum, verum etiam & malum sæpius immo & sæpissime appetitur: Igitur non bonum solum est finis hominis. Probatur minor. Primo quidem ex illo Geneseos 8. *Proni sunt sensus hominis ab adolescentia ad malum*. 2. Ex D. Augustino l. 2. Confessionum cap. 6. testatur se in quodam pomorum furto solummodo amavisse malum. Ergo &c.

Respondeo dist. minorem, quandoque malum sub ratione boni apparentis, est utique finis hominis, conced. sub ratione mali, nego. Ita D. Thomas 1. p. q. 19. art. 9. Non negamus autem malum quandoque esse hominis agentis finem, quatenus peccator in creatura veluti in ultimo fine conquiescit: sed profecto non sub ratione mali, verum potius sub ratione jucundi, aut perutilis.

Ad auctoritatem sancti Augustini eadem est responsio; Augustinus enim peccator suam volebat apud socios commendare & industriam, & audaciam in furto: namque ut ipse pœnitens testatur ibidem cap. 9. pudebat se non esse impudentem.

Instabis: Sanctus Bernardus serm. 6. ait parvulorum dæmonem diligere malum ut malum, videlicet hominum damnationem: Ergo &c. Confirmatur: Dum aliquos perdit homines, ipsius augentur supplicia, sicut e contra ad introitum electorum in paradiso augentur gaudia Angelorum Custodum, ipso Christo dicente, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente: Ergo &c.

Respondeo distinguendo. Satan diligit malum ut malum est hominibus, concedo, ut malum est sibi, nego: in hominum repor-

probatione suo in Christum concepto odio facit satis, quocirca malum hominum ut sibi quoddam bonum appetit.

Ad confirmationem distinguo: Et passionibus obcæcatus Satan non attendit ad sui cruciatus augmentum, concedo, & attendit, nego. Non una comprobat experientia creaturam rationalem, bonum apparens ita inhiare, ut non attendat aut ad labores, aut etiam ad mala sibi infligenda propter prioris executionem: Sic latrones nonnunquam etiam, præsente patibulo, furantur; sic quoque Mercatores multa subeunt in mari pericula ut ad suum pergant scopum: Igitur non mirum si dæmones, spretis pœnarum laboribus, ut odio in Christum indulgeant, homines ejus membra perdere satagant.

Oppones 2. Eadem est potentia ad extrema sibi contraria: Igitur sicut bonum, ita & malum pro fine potest voluntas humana habere.

Respondeo distinguo Antecedens: Eadem est potentia circa opposita, sed diversimode, concedo. Eodem modo, nego. Voluntas quidem humana pro innata libertate fertur in bonum, & in malum; sed in bonum illud prosequendo, in malum vero illud fugiendo: quotiescunque enim in isto conquiescit, eatenus habet malum pro fine, quatenus ex perverso judicio speciem boni induit. Solutio est D. Thomæ 1. 2. q. 8. art. 1. ad 1.

Urgebis: ut voluntas creata sit formaliter libera, requiritur, ut utrumque extremum formaliter sumptum spectare possit: igitur malum reduplicative, ut malum spectare potest.

Respondeo distinguendo Antecedens. Ut voluntas sit formaliter libera, debet utrumque respicere extremum, prosequendo unum, & fugiendo alterum, concedo. Utrumque amore prosequendo, subdistinguo, malum ut proponitur ab intellectu obcæcato ut bonum, concedo: sin minus, nego. Objectum voluntatis est solummodo bonum, hinc malum nonnisi sub ratione boni diligere potest: Sic gulosus vinum etiam cum excessu, tamquam optimum bonum sumit, & sic de cæteris peccatoribus.

Persistes: Intellectus versari potest circa falsum uti falsum est: igitur & voluntas circa malum, ut malum est.

Resp. neg. paritatem: ratio discriminis est quod unica sit intellectus operatio, videlicet intellectio, ex quo sequitur quod sicut verum ita & falsum intelligere, & comprehendere possit; sed non sic de voluntate ratiocinandum est, cum enim formaliter sit potentia libera, duplicem habet operationem, videlicet fugæ, & prosecutionis: ista attingit bonum, illa vero versatur circa malum.

Insistes: Si voluntas non potest habere malum pro fine, multa inde sequuntur absurda: Primo quidem non relinquetur merito locus, quod quidem in eo situm est, ut homo qui potest transgredi, non transgrediatur. Secundo, in hypothesi nullum erit peccatum, si quidem ad peccandum requiritur quod voluntas feratur circa malum, ut malum est, quocirca qui occideret hominem putans occidere aprum, non peccaret; quippequi occisionem formaliter, ut est quid malum, non operaretur. Ergo &c.

Respondeo negando aliqua subsequi absurda: non primum quidem; namque qui non transgreditur præfert bonum virtutis quod carni veluti malum apparet, bono sensualitatis, seu potius malo quod quamdam, passione titillante, boni speciem induit: sed neque secundum; licet enim non appetat malum sub ratione mali, sufficienter tamen illud cognoscit, ut malum est, & ideo peccat sibi indulgendo, juxta illud psalmistæ effatum: *Noluit intelligere, ut bene ageret*. Ad exemplum tandem non est paritas; cum enim de ignorantia invincibili eo loci agatur, scilicet de qualitate objecti, ideo occidens hominem putans occidere aprum, non peccat.

Dices: Qui peccat ex malitia pura, appetit malum qua malum, nam in hoc peccatum malitiæ, a peccato fragilitatis secernitur. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens, & ejus probationem: peccatum enim malitiæ in hoc a peccato fragilitatis distinguitur, quod peccans ex malitia peccatum suo prosequitur amore, quatenus formaliter, & primario est transgressio legis, alter vero peccatum, ut bonum sensibile primo, & per se appetit, ita ut si sensualis posset sibi indulgere sine offensa Dei, hoc ipsum ultro vellet. Ita divus Thomas qui passim dicit peccantem ex malitia aversionem Dei primario appetere, peccantem vero ex fragilitate, conversionem ad creaturam.

SY-

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Summum bonum est finis ultimus hominis.

PRIMO: Quia nihil ultra desiderari potest; quippe quod omnem habeat perfectionem.

Secundo: Quia illud appetit creatura rationalis, nec appetitus, utpote a natura inditus, frustrari debet.

Tertio: Quia in eo ultimate quiescit anima.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET DIFFICULTATUM.

PRIMO: Creatura appetit quidem malum, sed non qua malum.

Secundo: Esto quod voluntas humana sit libera, ut malum sub ratione boni apparentis prosequi possit, non tamen sub ratione mali.

Tertio: Intellectus non est formaliter liber, sed tantum radicaliter, hinc sicut bonum, sic & malum considerat: voluntas humana e contra solummodo malum sub ratione boni appetere valet.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum homo ex innato pondere, & sua natura agat propter finem?

CONCLUSIO.

Proprium est creaturæ rationali agere propter finem.

Probatur luculentissimis rationibus.

PRIMA sic se habet: illi proprium est agere propter finem, cui competit agere, & per rationem & per voluntatem; nam ipsa ratio discurrit de bono præcepto, voluntas vero ex prævia deliberatione sese ad bonum veluti ad finem, in quo quiescat, accingit, & movet: Atqui creatura rationalis utroque modo quærit, & se movet ad finem: igitur proprium est homini agere propter finem. Ista ratio est divi Thomæ qui hic 1. 2. q. 1. art. 1. sic loquitur in argumento, sed contra: " Omnia quæ sunt in aliquo genere, derivantur a principio illius generis, sed finis est principium in operabilibus ab homine: ut patet per Philosophum in secundo Physico. Ergo homini convenit omnia agere propter finem." Quibus verbis sanctus Doctor duo potissimum indigitat, videlicet bonum præconceptum movere ad sui prosecutionem: deinde vero voluntatem sese ad illud movere, ut in ipso tanquam in suo perfectivo quiescat.

Secunda: Maxime competit creaturæ rationali esse sui actus domina: Sed istud dominium in eo affulget quod & moveatur a fine atque alliciatur, & se per amorem ad illud determinet, & moveat assumendo media quibus bonum tanquam præconceptum finem assequatur & possideat; in hoc enim a creaturis mere corporeis quæ ex innato pondere tendunt ad centrum, a bellu is vero quæ sunt ad unum determinatæ, secernitur: Ergo &c. Ista ratio est divi Thomæ ibidem art. 2. in corpore his verbis: " Considerandum est, quod aliquid sua actione, vel motu tendit ad finem dupliciter. Uno modo, sicut se ipsum ad finem movens ut homo. Alio modo, sicut ab alio motum ad finem: sicut sagitta tendit ad determinatum finem ex hoc quod movetur a sagittante, qui suam actionem dirigit in finem. Illa ergo quæ rationem habent, se ipsa movent ad finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium, quod est facultas voluntatis & rationis." Ergo &c.

Tertia: Agere propter finem est illud appetere quod allicit voluntatem, & in eodem conquiescere veluti in fine ultimo: Sed hoc maxime convenit creaturæ rationali. Ergo &c. Probatur minor. Finis alius est intermedius, alius vero ultimus: Primus est bonum proprium quod immediate allicit, & movet agens ad operandum; sic homo sumit cibum propter sanitatem conservandam: posterior est bonum universale in quo ultimate quiescit appetitus: Sed in hoc homo distinguitur a bellua quæ est ad bonum proxime movens determinata, quod non sistat in primo fine, sed ulterius progrediatur ex eo quod solum bonum infinitum, & universale cognoscat perfecte satiare. Ergo &c. Ita D. Thomas ibid. q. 1. art. 1. & 6. in corp.

Sol-

Solvuntur objectiones.

OBJICIES : Amor beatitudinis est actus humanus, per illum enim homo a brutis maxime secernitur: Sed ille amor non est propter finem: Et probatur; amor ille est necessarius, quippequi ex deliberatione non procedat. Ergo &c.

Respondeo nego minorem, ad probationem distinguo; amor ille est necessarius si sit de beatitudine in communi, concedo. Si de beatitudine in particulari, nego. Homo ex innata inclinatione & proprio pondere appetit esse beatus, adeoque & beatitudinem in communi: Sed nonnisi ex deliberatione prævia, appetit, & quærit beatitudinem in particulari: cujus rei argumentum est quod non una sit circa beatitudinem in particulari sententia, quidam enim in divitiis & creaturis illam reponunt, quidam vero in Deo optimo maximo. Cum autem visione beatifica possidetur, tunc quiescit perfecte appetitus, nec aliquid ultra quærit.

Instabis: Intentio finis est actus humanus: Atqui tamen non est propter finem, siquidem est indeliberatus: igitur homo in suis actibus non agit propter finem. Confirmatur. Sed neque gaudium, & delectatio, seu in fine obtento complacentia sunt propter finem, tametsi rationem actus humani sibi vindicent: Ergo &c.

Respondeo negando minorem ad probationem distinguo: intentio finis non est actus deliberatus formaliter, & actualiter, transeat, nam ut plurimum intendimus finem ex prævia electione, & deliberatione circa illum assequendum: non est virtualiter, nego; namque includitur in proposito quod inest homini ad quærendum suum proprium bonum. Cæterum intentio finis inchoative est propter finem: hæc est enim actus humani œconomia: 1. Cognitio finis. 2. Ejusdem finis intentio, seu volitio. 3. Electio mediorum ad finem assequendum. 4. Usus activus mediorum 5. Fruitio. 6. Gaudium, & delectatio ex possessione finis resultantia: quocirca isti duo ultimi actus sunt etiam saltem terminative, propter finem; sicut enim amor desiderii est propter finem, sic & amor complacentiæ in finis possessione: namque voluntas sese movet circa bonum possessum, scilicet appetendi illud semper & sine intermissione possidere: & sic patet solutio ad confirmationem.

Urgebis: Causa est prior effectu: Sed finis est id quod est postremum, quandoquidem nonnisi per actus comparatur. Igitur non est causa finalis actus humani, seu homo non agit propter finem.

Respondeo distinguendo minorem: finis possessus est id quod est postremum, concedo. Nam possessio habetur per actum humanum. Finis possidendus, nego: Revera quidem bonum præcognitum, & desideramus, & volumus, hinc ut apprehensum movet appetitum ad illud quærendum, & sic finis appetendus est prior in intentione, ac principium in agibilibus; ideo enim agit homo ut finem conceptum, & prævolitum assequatur. Solutio est divi Thomæ qui hic q. 1. art. 1. ad 1. sic respondet ad argumentum: " Dicendum, quod finis etsi sit postremus in executione, est tamen primus in intentione agentis: & hoc modo habet rationem causæ."

Persistes: Belluæ agunt propter finem, & media convenientia, cæteris propulsis, eligunt ad finem assequendum. Igitur non convenit homini ex natura sua tanquam aliquid sibi proprium agere propter finem.

Respondeo distinguendo Antecedens; belluæ agunt propter finem materialiter, concedo; formaliter, nego. Bruta animantia sunt ad unum determinata, nec se movent per deliberationem circa finem & media, sed solummodo ex instinctu; cujus rei illud est irrefragabile argumentum quod eumdem semper tendant in finem, eademque ad illud assequendum media assumant, aves v.g. eodem modo speciei suæ nidificant, sed homo non unum habet finem in suis actionibus, modo alterum, modo unum eligit, & hoc sæpius per media quæ ex se non sunt convenientia, sed per suam industriam evadunt utilia, puta cum medicus febrim excitat, ut lethargiæ, & paralyseos, ægritudinem avertat: solutio est divi Thomæ ibidem art. 2. his verbis: " Illa ergo quæ rationem habent, se ipsa movent ad finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium, quod est facultas voluntatis, & rationis. Illa vero quæ ratione carent, tendunt in finem propter naturalem inclinationem quasi ab alio

„ alio mota ; non autem a se ipsis, cum „ non cognoscant rationem finis : & ideo „ nihil in finem ordinare possunt, sed solum in finem ab alio ordinantur: nam „ tota irrationalis natura comparatur ad „ Deum sicut instrumentum ad agens principale, ut supra habitum est : & ideo „ proprium est naturæ rationali, ut tendat in finem, quasi se agens, vel ducens „ ad finem. Naturæ vero irrationalis quasi „ ab alio acta, vel ducta, sive in finem „ apprehensum sicut bruta animalia : sive „ in finem non apprehensum, sicut ea quæ „ omnino cognitione carent. „ Quibus verbis clare probat, & docet sanctus Doctor belluas non agere formaliter propter finem, ut fusiori calamo edocent Philosophi in Moralibus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Creaturæ rationali proprium est agere propter finem.

PRIMO : Agit per rationem & electionem, hinc cognito fine, illum prosequitur.

Secundo : Creatura spiritalis est domina sui actus: Igitur apprehensa & discussa ratione finis, illum uti talem respicit, & prosequitur.

Tertio : Proprium est creaturæ intelligenti a fine allici, eundem prosequi, & possidere.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Tametsi creatura rationalis appetat necessario beatitudinem in communi, non tamen in particulari.

Secundo : concedimus apprehensionem finis & intentionem non esse actus deliberatos : Sed aliter ratiocinandum est de electione mediorum, & judicium de fine amplectendo.

Tertio : Non negamus belluas agere propter finem, non tamen reduplicative ut finem : hinc manet solam creaturam rationalem agere propter finem.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum homo semper agat propter finem in actionibus deliberatis, & humanis.

ACTIO duplex distinguitur. Una humana, altera hominis. Prior illa est quæ fit ex deliberatione, & electione finis. Posterior quæ absque deliberatione, & electione finis, qualis est dormitio, & actus primo primus, quæ fit ex prima apprehensione etiam in vigilia.

Subnotare etiam necesse est aliquem posse agere propter finem in genere, & in particulari: seu in individuo : in genere quidem cum homo suam quærit beatitudinem nihil determinando in quo illam reponat; in particulari vero cum illam eamdem quærit in tali, vel tali bono, vel vero, vel etiam tantummodo apparenti. Rursus quandoque homo agit propter finem ultimum explicite, puta cum actu cogitat de fide; quandoque tantum implicite, ut si actu non cogitat de fide, sed prius cogitaverit, quod quidem dicitur habere intentionem virtualem de fide: denique caput controversiæ non est de fine intermedio, seu de bono proxime movente, sed de fine ultimo, de illo scilicet in quo ultimate conquiescit appetitus: jam sit

CONCLUSIO

Homo deliberate agens semper agit propter finem ultimum.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA sic deducitur: omne agens operatur propter bonum sui perfectivum, & satiativum ut in illo, sicuti in beatitudine, quiescat : atqui hujusmodi bonum est finis ultimus; si enim ulterius progreditur jam non esset finis ultimus sed solum intermedius : Igitur homo qui sese movet ex prævia cognitione in bonum sui perfectivum agit in actionibus humanis propter finem ultimum: hæc ratio est divi Augustini qui libro 13. de Trinitate c. 5. sic loquitur : " Quoniam verum est, quod „ omnes homines esse beati velint ; id- „ que unum ardentissimo amore appetant, „ & propter hoc cætera quæcumque ap- „ petunt. r,

Boetius vero lib. 3. de consolat. Philosophiæ, Prosa 2. ait: " Omnis mortalium ,, cura quam multiplicium studiorum la- ,, bor exercet, diverso calle procedit, ,, sed ad unum tamen beatitudinis finem ,, nititur pervenire. ,, Tum divus Thomas hic art. 7. " Quantum igitur ad rationem ,, ultimi finis, omnes conveniunt in appe- ,, titu finis ultimi, quia omnes appetunt ,, suam perfectionem adimpleri, quæ est ,, ratio ultimi finis, ut dictum est. Sed ,, quantum ad id, in quo ista ratio inve- ,, nitur, non omnes conveniunt in ultimo ,, fine. ,,

Secunda: Nulla causa inferior sese potest movere nisi prius mota a prima, debet enim reduci de potentia ad actum per id quod est semper in actu: atqui finis in genere morali est prima causa in agibilibus, sicut causa efficiens in agibilibus physicis est prima causa. Ergo &c. Hæc ratio est divi Thomæ hic art. 6. ubi ex professo nostram propugnat sententiam, pro qua asserenda duplicem affert rationem. Primam quidem ex eo quod homo appetat sub ratione boni bonum sui perfectivum veluti finem, quo obtento, quiescit; alteram vero quia ultimus finis eodem modo se habet in movendo moraliter appetitum, sicut se habet in aliis motionibus primum movens: " Manifestum est autem, in- ,, quit, quod causæ secundæ moventes, ,, non movent nisi secundum quod mo- ,, ventur a primo movente: unde secun- ,, da appetibilia non movent appetitum ,, nisi in ordine ad primum appetibile, ,, quod est ultimus finis. ,,

Tertia. Quod est de se indifferens ad bonum & malum debet ab ulteriori principio determinari ad aliquid certum: atqui actio humana est de se ad bonum & malum indifferens, adeoque ad actum talis, vel talis speciei debet in individuo determinari, quod quidem munus soli fini præconcepto competit juxta illud tritum adagium: *quidquid faciant homines, intentio judicat omnes*. Ergo &c. Hac ratio egregia est divi Thomæ hic art. 2. his verbis: " Dicendum, quod omnia agentia ,, necesse est agere propter finem. Cau- ,, sarum enim ad invicem ordinatarum si ,, prima subtrahatur, necesse est alias sub- ,, trahi: prima autem inter omnes causas est ,, causa finalis, cujus ratio est, quia materia ,, non sequitur formam, nisi secundum ,, quod movetur ab agente; nihil enim ,, reducit se de potentia in actum, agens ,, autem non movet nisi ex intentione fi- ,, nis: si enim agens non esset determi- ,, natum ad aliquem effectum, non magis ,, ageret hoc quam illud. Ad hoc ergo ,, quod determinatum effectum producat, ,, necesse est quod determinetur ad aliquid ,, certum, quod habet rationem finis: hæc ,, autem determinatio sicut in rationali ,, natura, per rationalem fit appetitum, ,, qui dicitur voluntas. ,,

Solvuntur objectiones.

OBJICIES 1. multæ actiones ab homine procedunt absque eo quod de fine cogitet, ut movere pedem, fricare barbam: igitur homo non agit semper propter finem ultimum.

Respondeo distinguendo consequens: homo non agit semper propter finem ultimum in actionibus hominis, in eis scilicet quæ absque prævia tum deliberatione, tum electione fiunt, concedo: in actionibus humanis, quæ ex intentione finis producuntur, nego. Sic respondet ad difficultatem sanctus Thomas hic artic. 1. ad 3. his verbis: " Dicendum, quod hujusmodi actiones ,, non sunt proprie humanæ: quia non ,, procedunt ex deliberatione rationis quæ ,, est proprium principium humanorum ,, actuum. Et ideo habent quasi finem i- ,, maginatum, non autem per rationem ,, præstitutum. ,,

Instabis. Atqui homo etiam in actibus humanis sæpius non agit propter finem ultimum; ergo nulla solutio. Probatur subsumptum. Primo quidem actiones jocosæ non sunt propter finem, quando quidem de illo non cogitatur secundum se: a fortiori peccata venialia. Ergo &c.

Respondeo hæc omnia solummodo probare illas actiones non esse propter finem ultimum in particulari, bene vero in communi, cujus intentio de se includitur in actione humana; ita colligitur ex divo Thoma hic quæst. 1. art. 6. ad 3. " Di- ,, cendum, quod non oportet ut semper ,, aliquis cogitet de ultimo fine, quando- ,, cumque appetit vel operatur: sed virtus ,, primæ intentionis quæ est respectu ulti- ,, mi finis manet in quolibet appetitu cujus- ,, cumque rei: etiamsi de ultimo fine actu ,, non cogitetur: sicut non oportet, quod

„ qui vadit per viam, in quolibet passu „ cogitet de fine. „

Respondeo 2. negando Antecedens. Ad primam probationem distinguo: Actiones jocosæ non sunt propter finem particularem, nego; ordinantur enim ad bonum ipsius ludentis prout sunt delectantes, vel requiem præstantes; ad finem in communi, subdistinguo: formaliter & actu, concedo: virtualiter, nego. Dictum est ex divo Thoma finem ultimum includi in quolibet agente, quatenus omne agens maxime si deliberatè agat, suum quærat perfectivum, suamque beatitudinem: solutio colligitur ex D. Thoma ibidem ad 1. his verbis: " Actiones ludicræ non ordinantur ad aliquem finem extrinsecum: „ sed tantum ordinantur ad bonum ipsius „ ludentis: prout sunt delectantes, & vel „ requiem præstantes. „

Ad secundum exemplum distinguo; peccata venialia non ordinantur ad finem particularem, nego. In eis enim sibi indulget homo: propter finem communem, subdistinguo: explicite, concedo: implicite, nego. Duo sunt inconcussa, primum quidem: hominem suam in omnibus & quærere, & appetere beatitudinem: sed ut plurimum errat in mediis, ut illam assequatur: sic qui peccat venialiter prætermittit finem ultimum verum, & particularem scilicet finem ultimum, sed distrahitur; & ideo peccat venialiter. Ita D. Thomas art. 7. his verbis: " Dicendum, quod de ultimo fine possumus „ loqui dupliciter: uno modo secundum „ rationem ultimi finis; alio modo secundum id, in quo finis ultimi ratio invenitur. Quantum igitur ad rationem „ ultimi finis, omnes conveniunt in appetitu finis ultimi: quia omnes appetunt suam perfectionem adimpleri, quę „ est ratio ultimi finis, ut dictum est. „ Sed quantum ad id, in quo ista ratio „ invenitur, non omnes homines conveniunt in ultimo fine: nam quidam appetunt divitias tanquam consummatum „ bonum, quidam vero voluptatem &c. „ Ex quo principio sequitur hominem sæpius peccare, tametsi propter finem ultimum semper agat, eo quod finem particularem in bono creato reponat.

Urgebis. Atqui si homo agat semper propter finem ultimum in communi, jam non peccabit: Ergo &c. Probatur subsumptum; conatus circa finem intermedium & particularem mensuratur secundum conatum versus finem in communi; sicut enim causa secunda non influit in effectum nisi dependenter a causa prima: nec in moralibus nisi dependenter a fine in communi, qui est principium in agibilibus. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum: ad probationem distinguo, & causa secunda detorquet influxum primæ causæ, concedo: & in pravum nusquam detorquet finem, nego. Sicut igitur in ordine physico causa secunda detorquet influxum primę causæ, ex quo sequitur defectus, qui quidem non in primam sed in secundam causam refunditur, ut patet in tibia claudicante, sic & in moralibus, nam suam homo appetit semper beatitudinem in communi, sed ut plurimum hujusmodi finis influxum determinat in malum: ergo ne in omnibus actionibus deliberatis non agit propter finem ultimum? minime. Sed quandoque finem ultimum ponit in bono apparenti: quod autem agat semper propter istum finem dicit Augustinus lib. de Trinitate cap. 3. his verbis: " Quidquid enim aliud „ quisquam latenter velit, ab hac voluntate quæ omnibus hominibus satis nota „ est, non recedit. „

Replicabis. Datur actus indifferens in individuo: Igitur datur actus humanus qui non est propter finem ultimum: probatur Antecedens: voluntas utpote libera, potest agere propter finem ultimum vel non, & de facto ex ipso Evangelio dantur actiones otiosæ, quę quidem otiosæ appellantur quia indifferentes sunt, & ad aliquem finem nondum determinatæ.

Respondeo negando Antecedens, omnis enim actio humana, vel est propter finem bonum supernaturalem qualis est eleemosyna solo compassionis motivo præstita, vel absolute propter finem malum: si primum, est laudabilis; si secundum, e contra vituperabilis est.

Ad probationem distinguo, & quia voluntas est libera eligit aut bonum aut malum finem, concedo: & non agit propter finem, nego. Eo enim ipso quo operatur ut libera, ex prævia deliberatione, & electione agit, adeoque propter finem, & beatitudinem in communi, quam ex innata inclinatione quisque appe-

appetit; & propter beatitudinem in particulari, quam quidem homo in bono quandoque vero, quandoque etiam falso, & apparenti reponit.

Ad id quod dicitur actiones humanas in Evangelio nonnunquam ut otiosas haberi, distinguo: & ea potissimum ratione sic nuncupantur ex eo quod non sint ad vitam ordinatæ, concedo: eo quod aliquo careant fine, nego. Quidquid, secluso vitæ æternæ scopo, fit aut nihil, aut parum est & semper otiosum, ac superfluum, ipso Christo dicente Matth. 16. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, anima vero suæ detrimentum patiatur?*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Homo in actibus deliberatis agit semper propter finem.

PRIMO. Agit semper propter bonum alliciens: Igitur & propter finem.

Secundo: Causa secunda ut prius mota per primam agit: sed in actibus deliberatis bonum verum ut apparens semper movet potentiam, quocirca finis dicitur principium in agentibus. Ergo &c.

Tertio: Quod est de se indifferens, ad multa ab aliquo determinari debet: sed voluntas humana talis est, datur actus indifferens in individuo. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM,

ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Verum est hominem non agere semper propter finem in actionibus hominis, secus vero in actionibus humanis.

Secundo: Dato & non concesso actiones jocosas non esse semper propter finem in particulari, bene tamen propter finem in communi, puta propter sanitatem, vel fovendam, vel recuperandam: ergo ne homo nusquam peccabit si agat semper propter finem? Absit dicere, si agat propter finem malum.

Tertio: non datur actus indifferens in individuo, omnis quippe actio vel est bona vel mala potest tamen dari bona bonitate morali, quæ non sit meritoria, v.g. dare eleemosynam motu compassionis.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum homo possit habere simul duos fines ultimos, & totales.

CUM finis sit principium in agibilibus, & mensura actuum humanorum tam bonorum, quam malorum, quærimus num idem homo eodem tempore possit habere plures fines ultimos, & totales? Pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO NEGATIVA.

Probatur argumentis Theologicis.

PRIMUM sic efformatur: finis ultimus ille est cui omnia quæ sunt in potestate hominis, subjiciuntur; ultimus quippe finis affectui hominis prorsus dominatur, juxta illud ad Philipp. 3. de gulosis: *Quorum Deus venter est*. Atqui non possunt dari simul duo supremi Domini voluntatis quibus omnes subjiciantur affectus; eo enim ipso quo partim uni, partim alteri famularetur voluntas, non forent supremi: Igitur homo non potest habere simul duos fines totales; ita ex professo divus Thomas hic quæst. 1. art. 5. quod quidem probat ea Christi auctoritate Matth. 7. *Nemo potest duobus Dominis servire*.

Secundum: Finis totalis ille dicitur in quo quiescit appetitus rationalis: sed si eodem tempore darentur duo adæquati fines, in neutro quiesceret appetitus; Et probatur, quiesceret voluntas in uno ut supponitur: non quiesceret, quandoquidem ulteriorem desideraret, ergo &c. Ista ratio est D. Thomæ, his verbis: "Oportet igitur quod ultimus finis ita impleat totum hominis appetitum, quod nihil extra ipsum appetendum relinquatur: quod esse non potest si aliquid extraneum ad ipsius perfectionem requiratur. Unde non potest esse quod in duo sic tendant appetitus, ac si utrumque sit bonum perfectivum ipsius.

Tertium: non dantur duæ primæ causæ; alias jam non essent primæ: sed finis ultimus in agibilibus est primum principium movens, & quidem adæquate; quocirca appetitus tendit ad unum bonum; quatenus unam quærit beatitudinem; non

enim datur multiplex. Igitur homo nequit habere simul eodem tempore duos fines totales, sic pronunciat sanctus Thomas ibidem: " Sicut, *inquit*, in processu rationis principium est hoc quod ,, naturaliter cognoscitur, ita & in processu rationalis appetitus qui est voluntas, oportet esse principium id quod ,, naturaliter desideratur: hoc autem oportet esse unum, quia natura non tendit nisi ad unum: principium autem ,, in processu rationalis appetitus est ultimus finis, unde oportet id, in quod ,, tendit voluntas sub ratione ultimi finis, esse unum. ,,

Fit satis objectionibus.

OBJICIES, ex Aug. lib. 19. de civ. Dei. Quidam ultimum hominis finem posuerunt in quatuor, scilicet in voluntate, in quiete, in bonis naturæ, & in virtute. Igitur homo potest habere plures fines totales. Confirmatur: Idololatræ plures simul colunt Deos: igitur habent simul plures fines totales; quilibet enim Deus habet totam boni rationem, alias non esset Deus. Ergo &c.

Respondeo distinguendo Antecedens: & cuncta allata se habent respectu appetentis per modum unius finis totalis, concedo: multiplicis, nego. Nonnumquam contingit hominem, unum tantummodo bonum creatum habere pro ultimo fine, ut cum luxuriosus, aliis prætermissis delectationibus, solummodo cogitat de venereis, nonnunquam etiam multa simul appetit, nec quiescit donec omnibus perfruatur. Ex quo sequitur eum qui simul appetit honores v. g. carnis spurcitias, plura simul committere peccata mortalia, non secus ac ille qui occidit proximum, & crumenam subripit, quippe qui in his omnibus quærat beatitudinem. Sic respondet D. Thomas ibidem ad 1. his verbis: " Dicendum, quod omnia illa plura accipiebantur in ratione unius boni perfecti ex his constituti, ab his qui in eis ,, ultimum finem ponebant. ,, In eo sensu explicat sanctum Augustinum.

Ad confirmationem, distinguo similiter: & Idololatræ omnia fucata numina pro unico, eodemque fine totali habent, concedo: pro multiplici, nego. Dividunt Idololatræ Deos, eisque diversa tribuunt; videlicet Baccho, vinum: Mercurio furtum; cæteraque bona sensibilia quæ per modum unius finis totalis appetunt, in quo tandem quiescunt: & ideo quilibet ille fucatus Deus non habet boni plenitudinem, alias apud Paganos non multiplex, sed sicut apud Christianos unus foret verus Deus.

Instabis: Quiplura committit simul peccata mortalia, profecto duos fines ultimos simul habet; sin minus unum tantummodo committeret peccatum. Ergo &c. Probatur Antecedens: in tantum aliquid peccatum mortale evadit in quantum voluntas quiescit ultimate in creatura: igitur non multiplex, sed unicum esset peccatum.

Respondeo negando Antecedens. Propter rationes jamjam allatas. Ad probationem distinguo, in tantum aliquid peccatum mortale evadit, in quantum aliquid quiescit in creatura, & avertitur a lege, concedo: quia præcise quiescit in creatura, nego. Formale peccati desumitur ex transgressione legis, cum autem v. g. fur, & homicida duo transgrediatur præcepta tametsi in duobus bonis apparentibus per modum unius finis quiescat, attamen duo peccata mortalia committit: nec inde sequitur non quiescere in creatura; sed potius duobus modis conquiescit, primo quidem occidendo, deinde vero & furando.

Insistes. Peccatum mortale a veniali discrepat, in eo quod homo suum reponat finem ultimum in creatura quæ est peccati letalis objectum: igitur necesse est hominem in quolibet peccato mortali plures fines totales, & adæquatos habere.

Respondeo distinguendo: Peccatum mortale in eo situm est quod peccans habet suum proprium bonum pro fine ultimo per contemptum & ipsius Dei, & ejus legis, concedo: solummodo per conversionem ad creaturam, nego. Duo sunt ex mente D. Thomæ in peccato mortali distinguenda, videlicet conversio ad creaturam, & aversio a Deo: posterius est formale peccati mortalis, quocirca cum homo duo simul committens peccata mortalia, duplici, & iterato modo avertatur a Deo, eo quod alternata vice infringat legem, unicum tamen habet finem ultimum ad quem tendit per diversas creaturas: in quibus veluti in unico bono adæquato quiescit

scit: & in hoc secernitur peccatum mortale a veniali; in isto quippe homo nec legem positive transgreditur, sed illam solummodo mittit: neque in creatura ut in fine ultimo, sistit.

Persistes: certum est juxta omnium Theologorum placita, hominem qui peccat mortaliter, suum ultimum finem reponere in bono creato: Igitur cum peccans v. g. peccato occisionis, & furti, duplicem habeat pro objecto finem, videlicet duplicem creaturam, duos quoque habere fines totales liquet. Confirmatur: illa duo peccata subordinantur ad invicem, quandoquidem occisio est propter furtum: Igitur non implicat hominem in hac hypothesi habere simul duos fines ultimos.

Respondeo distinguendo Antecedens. Qui peccat mortaliter unicam habet creaturam pro fine ultimo, duplicem vero cum duo committit peccata mortalia, concedo: secus, nego. Qui sistit in una creatura suum ultimum reponit finem in ea: si vero duplicem habeat pro objecto creaturam, citra dubium est primam veluti finem intermedium ordinare ad alteram in qua quiescit, ut cum aliquis occidit hominem, ut ejus habeat crumenam, primo quidem peccat mortaliter, quatenus in creatura quiescit; sed addo eatenus duplex committere peccatum quatenus est duplex prævaricatio seu duplicis præcepti transgressio; adeoque duplex seu iterata aversio a creatore, altera scilicet per occisionem, altera vero per furtum. Neque vero ex hoc concludendum est peccatum mortale cum altero conjunctum, aliquid de sua gravitate amittere, cum sit iterata aversio a bono incommutabili.

Ad confirmat. dist. creaturæ sunt ab invicem subordinatæ, sed una alteram non excludit a ratione peccati, cum aliquis duplex transgreditur præceptum, concedo: altera non excludit aliam in ratione finis ultimi, nego. In hypothesi qua homo occidit proximum ut ejus subripiat pecuniam, duo peccata mortalia committit quidem, sed impossibile est eum duos habere fines totales, cujus rei argumentum est quod peccans ordinet occisionem hominis ad furtum faciendum, quocirca quiescit in creatura quam duplici medio prosequitur; ita D. Thomas artic. 5. ad 2. " Dicendum, quod & si plura accipi possunt quæ ad invicem opositionem non habeant: tamen bono perfecto opponitur quod sit aliquid de perfectione rei extra ipsum."

Urgebis. Homo antequam eligat pro fine ultimo aliquam creaturam, potest plures eligere, & ex innata libertate, in qualibet quiescere: sic aliquis potest sistere in dignitate Regis, & nihil ultra in isto gradu appetere. Idem Rex, multis obtentis divitiis, potest similiter ita quiescere in eis ut alios non inhiet thesauros. Ergo &c.

Respondeo distinguendo. Et in iis Rex nonnisi unicum finem adæquatum habet, concedo: & plures habet fines ultimos, nego. De ratione boni quod habet rationem finis ultimi est, quod perfecte satiat appetitum; sed ut primum aliquis præter honores appetit divitias, jam in divitiis veluti in fine ultimo non sistit; implicat hominem quamtumvis liberum plures simul in eadem actione habere fines totales. Sic respondet ibidem sanctus Thomas ad 3. " Dicendum, inquit, quod potestas voluntatis non habet ut faciat opposita esse simul, quod contingeret, si tenderet in plura disparata, sicut in ultimos fines."

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Homo nequit agere simul propter duos fines totales & ultimos.

PRIMO: Hoc patet ex illo Christi oraculo Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis servire*.

Secundo: In hypothesi non essent fines ultimi: essent ut supponitur: & non essent, quia uno obtento, alter in desideriis foret.

Tertio: Non dantur duæ primæ causæ physicæ: igitur nec in moralibus.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Ultro concedimus multa bona simul appeti, sed subordinata, hinc se habent per modum unius finis totalis.

Secundo: Qui duo diversi generis peccata committit, reus est duplicis peccati, non quod duos habeat fines totales,

cum unam respiciat creaturam, sed quia diversas leges transgreditur.

Tertio: Si tamen aliquis quiesceret successive in diversis creaturis, jam duos haberet fines totales, sed non simul.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum Deus sit finis ultimus hominis.

Ex bono, vel malo fine actus humanus bonus, vel malus evadit; quocirca ordo rerum postulat, ut peractis quę sunt de fine ultimo in genere, nunc de eodem in particulari tractemus: unde sit

CONCLUSIO.

Deus solus est objectiva hominis beatitudo.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA sic exponitur. Beatitudo objectiva teste Boetio est bonorum omnium aggregata perfectio: sed illa in solo Deo reperitur juxta illud Exod. 3. Dei ad Moisen: *Veni, ostendam tibi omne bonum.* Et istud Psalm. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ.* Et istud aliud Psalm. 72. *Quid enim mihi est in cęlo? Et a te quid volui super terram.* Ergo &c.

Tum sanctus Augustinus lib. 12. de civitate Dei cap. 1. ait: " Dicimus itaque ,, immutabile bonum non esse, nisi unum ,, verum Deum beatum: ea vero quæ fecit, bona quidem esse, quod ab illo, ,, veruntamen mutabilia, quod non de ,, illo, sed de nihilo facta sunt . . . . . ,, Quod cum ita sit, huic naturæ, quæ ,, in tanta excellentia creata est, ut licet sit ipsa mutabilis, inhærendo tamen incommutabili bono, id est, summo Deo, beatitudinem consequatur; ,, nec expleat indigentiam suam nisi utique beata sit: eique explendæ non sufficiat, nisi Deus; profecto non illi adhærere, vitium est. ,, Rursus lib. 19. cap. 26. " Ut vita carnis anima est, ita ,, beata vita hominis Deus est, de quo ,, dicunt sacræ Litteræ Hebræorum: Beatus populus, cujus est Dominus Deus ipsius. ,,

Secunda: Beatitudo est bonum universale infinitum & ita plenum, ut omnes prorsus satiet hominis appetitus: Atqui solus Deus est tam admirabile bonum: Et probatur Gen. 15. ait Deus: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Hinc & Psalmista alloquens Deum, ait: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 2. art. 8. de hoc gravi momento sic loquitur; " Dicen- ,, dum, quod impossibile est beatitudinem ,, hominis esse in aliquo bono creato, ,, beatitudo est enim bonum perfectum, ,, quod totaliter quietat appetitum: alioquin non esset ultimus finis si adhuc ,, restaret aliquid appetendum. Objectum ,, autem voluntatis quæ est appetitus humanus, est universale bonum, sicut objectum intellectus est universale verum. ,, Ex quo patet quod nihil potest quietare voluntatem hominis nisi bonum universale; quod non invenitur in aliquo ,, creato, sed solum in Deo, quia omnis ,, creatura habet bonitatem participatam. ,, Unde solus Deus voluntatem hominis ,, implere potest; secundum quod dicitur ,, in Psalm. 102. *Qui replet in bonis desiderium.* In solo igitur Deo beatitudo ,, hominis consistit. ,,

Ad fusiorem hujusce rationis explicationem, observandum est quadruplicem inesse homini appetitum, videlicet appetitum magnitudinis, scientiæ, voluptatis, & æternitatis: Atqui in solo Deo illa desideria eatenus perfecte complentur, quatenus justi Deo perfruuntur: & vero in cœlis prior satiatur appetitus, scilicet honoris juxta illud Psalmistæ Psal. 118. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.* Satiatur quoque scientiæ desiderium; omnes quippe beati omnium rerum callent scientiam, ipso Deo sic pronuntiante, apud Jeremiam 31. *Vir non docebit ultra proximum . . . . Omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum.* Satiatur etiam voluptatis ordinatæ appetitus, sic enim habetur in Psalm. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Demum vita donantur æterna; scriptum est de sanctis: *In perpetuas fulgebunt æternitates.* Ergo &c.

Tertia ratio quæ a D. Thoma quæst. 2. in septem articulis exponitur, illa est; beatitudo objectiva non sita est in aliquo bono creato: ergo relinquitur quod in solo

Deo

Deo sit. Probatur Antecedens ab enumeratione bonorum creatorum.

Primo quidem, non consistit in divitiis juxta illud proverb. 22. *Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ:* Et istud Christi Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et rursus cap. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus .... Et veni, sequere me.* & iterum cap. 6. *Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur.*

D. Thomas art. 1. in argumento *sed contra* hoc ipsum explanat, his verbis: " Bonum hominis in retinendo beatitudinem magis consistit, quam in emittendo ipsam: sed sicut Boetius in 3. de consolatione dicit, divitiæ effundendo magis quam coacervando melius nitent; siquidem avaritia semper odiosos, charos facit largitas: Ergo in divitiis beatitudo non consistit. " Ratio est quia, inquit ibidem sanctus Doctor, beatitudo est bonum, & finis in quo quiescit homo; sed profecto non quiescit in divitiis, quippe quæ ad aliud ordinantur: naturales quidem ut cibus, & potus ad fovendam vitam, artificiales vero, ut pecuniæ, ad habendum necessaria ad vitam.

Secundo, beatitudo hominis non est posita in honoribus, cum ipse Christus prædicet & humilitatem, & mortificationem ad beatam vitam capessendam; sic enim scriptum est Matthæi 5. *Beati pauperes spiritu, scilicet humiles, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Rursus ibidem: *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me: gaudete, & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Et adhuc Jacob. 5. *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt &c.* Tum. D. Thomas hic artic. 2. in argumento *sed contra*, sic procedit: " Beatitudo est in beato, honor autem non est in eo qui honoratur: sed magis in honorante, qui reverentiam exhibet honorato.... Ergo in honore beatitudo non consistit. " Quam quidem rationem paucis infra sic explicat, quatenus honor supponit excellentiam in subjecto, quippe quæ sit eius manifestatio, ex quo concludit honorem consequi ad beatitudinem, sed non esse ipsam beatitudinem.

Tertio. Non consistit in fama, & gloria; hoc ipsum probat S. Doctor ibidem art. 3. in argumento *sed contra*, ubi sic loquitur: " Beatitudo est verum hominis bonum: sed famam seu gloriam contingit esse falsam: ut enim dicit Boetius in lib. 3. de consolatione, plures magnum sæpe nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt: quo quid turpius excogitari potest? nam qui falso prædicantur, suis ipsi necesse est laudibus erubescant: non ergo beatitudo hominis consistit in fama seu gloria. " Christus ipse non in uno loco increpat homines quod vanam hominum gloriam exquirant. Matth. 6. habetur: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Et ibid. cap. 16. loquens de his qui vanam de suis operibus expetunt gloriam, ait: *Amen dico vobis quia receperunt mercedem suam.*

Quarto. Neque sita est beatitudo in potestate temporali; cum ipse Christus consulat cuncta relinquere, ut homo sit beatus. Ratio est, quia potestas in hoc mundo quantumvis magna limites habet, neque a tristitiæ & timoris aculeis immunis est; beatitudo autem cunctam excludit anxietatem, ita D. Thomas art. 4. in argumento *sed contra*, ubi sic loquitur: " Beatitudo est quid perfectum, sed potestas est maxime imperfecta: ut enim dicit Boetius lib. 3. de Consol. Potestas humana sollicitudinum morsus expellere, formidinum aculeos vitare nequit: & postea potentem censes cui Satellites latus ambiunt? Qui quos terret, ipse plus metuit. Non igitur beatitudo consistit in potestate. "

Quinto, neque posita est fœlicitas aut in aliquo corporis bono, aut in voluptate, juxta illud Christi Joan. 6. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam eternam.* Rursus Matth. 22. *In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei.* Et iterum Rom. 14. *Non est enim regnum Dei, esca & potus: sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto*, Sanctus Thomas ibidem art. 5. dicit beatitudinem non esse repositam in bonis corporis, quippe quæ nobis sint cum belluis communia, & ipsæ in hoc excedant homines, sic inquit: " Homo .... superatur ab elephante in diuturnitate vitæ: a Leone in fortitudine. " Porro beatitudo hominis " illum

illum super animalia elevat art. vero 6. probat ultimum hominis finem in voluptatibus nusquam inveniri: & hoc propter tria: Primo quidem, eo quod tristem reddant hominem, vel propter earum brevitatem, & fragilitatem, vel etiam propter cruciantes conscientiæ stimulos: in iis namque caro adversus spiritum, & vicissim spiritus adversus carnem insurgit. Secundo, quia voluptates corporales, vel ipsis brutis animantibus sunt communes. Tertio, delectatio ut sic non est beatitudo, sed illam supponit, & eam consequitur; namque est gaudium de bono possessu.

Sexto, denique finis hominis ultimus ne quidem consistit in virtutibus, aliisve animæ bonis, ita D. Thomas ex professo ibidem art. 7. in argumento *sed contra*, ubi sic loquitur: " Id, in quo constitui-„ tur beata vita, propter se diligendum „ est: sed homo non est propter se ipsum „ diligendus, sed quidquid est in homi-„ ne, est diligendum propter Deum, „ ergo in nullo bono animæ beatitudo „ consistit. „ Hæc est igitur D. Thomæ luculentissima ratio quod bona animæ innata qualia sunt potentiæ, & facultates naturales, qualia sunt habitus virtutum tum intellectualium, tum moralium, & ipsa gratiæ bona ordinentur ad bonum infinitum ac summum sibi comparandum in quo quiescit appetitus: Igitur concludendum est cum sancto Thoma cuncta bona creata etiam honesta non esse ultimum hominis finem, maxime vero cum Ecclesiastici 1. habeatur, omnia, si gratiam, & virtutes supernaturales excipias, esse vanitatem.

D. *Augustinus* epist. novæ edit. 155. cap. 1. ulteriorem pro eodem momento rationem affert: videlicet quod virtutes morales hominem a miseriis, aliisque vitæ calamitatibus saltem non omnino liberent, atque solvant: " O nimium, in-„ quit, superba jactantia! si beata vita „ est in cruciatibus corporis, cur non in „ ea manet sapiens, ut fruatur? Si au-„ tem misera est, quid, obsecro te, nisi „ typhus impedit ne fateatur, ne oret „ Deum, ne justo, & misericordi suppli-„ cet, qui potens est & vitæ hujus ma-„ la vel avertere, vel mitigare, vel ad „ ea tollenda fortitudine armare, vel ab „ eis omnimodo liberare, & post hæc „ vere beatam vitam dare, quo nullum „ malum admittatur, & ubi summum bo-„ num numquam amittatur? „

Solvuntur objectiones.

OBJICIES. In domo Domini, ipso teste Evangelio, mansiones multæ sunt: Igitur non est una beatitudo objectiva in solo Deo reponenda.

Respondeo primo, ex illa Evangelii sententia sequi Deum solum esse ultimum hominis finem, siquidem non de alio objecto loquitur ipse Christus, quam de Deo Patre, immo est sui ipsius interpres cum Joan. 17. ait: *Hæc est autem vita æterna: ut cognoscant te, solum Deum verum*. Et illud beati Philippi ad Christum: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*. Concinit D. Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ cap. 8. " Deus nobis est summum „ bonum. Neque infra remanendum no-„ bis est, neque ultra quærendum: alte-„ rum enim periculosum, alterum nul-„ lum est. „

Respondeo 2. distinguendo Antecedens; & eo loci loquitur Christus de beatitudine formali, concedo; de objectiva, nego. Formalis est actus visionis qui diversos habet gradus, & intentiones, quo enim quis plus amavit, eo fortiorem, & robustiorem Dei possessionem, atque visionem habet; quas quidem diversas mansiones explicat Apostolus exemplo stellarum, quæ tametsi in lumine objectivo conveniant, non tamen in lumine intensivo; *Stella enim*, *inquit*, *a stella differt in claritate*. Hoc est, secundum gradum.

Instabis. Ille non est finis ultimus hominis qui ab illo possideri non potest; atqui Deus non potest ab homine possideri; Igitur in nullo sensu Deus non est finis objectivus hominis; probatur minor: qui est finitus non potest possidere infinitum, & in illud tendere; Atqui Deus infinitus est, humo vero finitus. Ergo &c.

Respondeo negando minorem; ad probationem distinguo. Non potest possideri ab homine modo infinito, concedo; non potest possideri modo finito, nego; tametsi homo sit in se finitus, habet tamen appetitum ad objectum infinitum, quatenus habet pro objecto omne verum; quocirca appetitus hominis dicitur extrinsece, &

& objective infinitus; quia tamen tendentiam physicam nonnisi finitam ad Deum habet, finito etiam modo possidet Deum; actus quippe moralis specificatur & a principio a quo fluit, & a conatu in objectum: ex quo sequitur actum humanum non esse infinitum, etiam si habeat pro objecto summum, & infinitum bonum.

Insistes. Ut intellectus creatus posset possidere Deum finito etiam modo, deberet esse proportio non solum habitudinis, verum etiam & entitatis inter se, & Deum: Atqui talis non reperitur, quandoquidem Deus est ens a se, & illimitatum, e contra vero intellectus creatus. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: debet esse proportio generica entitativa, concedo: specifica, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam: duplex distinguitur proportio entitativa; una scilicet generica, specifica vero altera; prima consistit in participatione naturæ Dei secundum immaterialitatis, & intellectualitatis gradum, secunda vero in communicatione univoca cum Dei natura. Ista quidem nulli convenit creaturæ propter rationem in objectione laudatam, bene vero illa, siquidem creatura rationalis est secundum animam spiritualis: & sicut intellectus divinus habet pro objecto verum, & voluntas summum bonum; sic & intellectus creatus ac voluntas hominis: ex quo fit esse habitudinem creaturæ rationalis ad Deum, ut ad ultimum finem, & possidendum, & assequendum.

Persistes: Atqui hujusmodi proportio entitativa generica non sufficit ad fundandam proportionem habitudinis inter hominem, & Deum ut ultimum finem possidendum. Ergo &c. Probatur subsumptum: est proportio entitativa generica inter lapidem, & ipsum Deum, & major adhuc inter oculum corporeum, & Deum; lapis quippe participat aliquem entis divini gradum, oculus vero etiam adumbrat cognitionem: Atqui tamen nullus dicet Deum posse videri, & possideri, vel a lapide, vel ab oculo corporeo. Ergo a pari nec homo potest Deum possidere.

Respondeo negando subsumptum, ad probationem, nego utramque paritatem: non enim omnis proportio generica inter finem ultimum, & creaturam pro possessione Dei sufficit, sed proxima, & quidem in gradu spiritualitatis ad hoc requiritur: porro nullus, nisi in Philosophia hospitem se probaverit, arbitrabitur istam tum in lapide, tum in oculo corporeo adinveniri; quandoquidem inest solum lapidi proportio remotissima, & remota admodum in oculo cum Deo immediate possidendo. Quis enim non videat lapidem esse visionis incapacem & oculum corporeum tametsi cognoscitivum solummodo attingere corporalia, juxta illud tritum adagium: *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*; hoc est, potentiam corpoream, & quantitate molis extensam, objecta tantum materialia, eaque extensa ex ordine suo respicere.

Replicabis, intellectus creatus suis innatis viribus suum attingit objectum: Atqui implicat intellectum creatum viribus suis Deum possidere. Ergo &c.

Respondeo distinguendo. Intellectus creatus viribus suis potest suum objectum connaturale attingere, concedo. Objectum supernaturale, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam: Si homo fuisset in puris conditus habuisset Deum pro objecto, & ultimo fine, ut auctorem naturæ, eumque, secluso gratiæ auxilio, sub isto respectu, potuisset possidere: quia vero in præsenti statu ad finem supernaturalem elevatus est, indiget gratia ut suum ultimum assequatur finem; at non inde sequitur nunc esse deterioris conditionis. Namque ex divo Thoma hic 1. 2. q. 5. ad 2. nobilioris conditionis est natura quæ potest consequi summum bonum modo perfectissimo, tametsi exteriori opus habeat auxilio; hujus rei argumentum est quod habeat finem supernaturalem qui in immensum excedit naturalem.

Urgebis: Appetitus finitus, finito satiatur bono, quippequi ultra suam non tendat Sphæram: atqui appetitus creaturæ est finitus: Ergo &c. Confirmatur: homo comparatur ad totum universum sicut pars ad totum; sed pars ad totum ordinatur veluti ad finem in quo sistat: igitur homo nonnisi finitum, & limitatum habet finem, videlicet bonum omnium bonorum creatorum aggregatione perfectum.

Respondeo distinguendo major. appetitus rationalis, & Angeli est finitus Physice & intrinsece, concedo, extrinsece nego.

go. Eatenus autem infinitus extrinsece dicitur, quatenus ejus objectum est omne verum, sicut & voluntatis omne bonum: Hinc quotidiano probatur experimento hominem, uno adepto, alterum ultra desiderare; potest enim sese extendere ad id omne quod habet rationem boni, sic pronuntiat sanctus Augustinus epist. 55. novæ edit. cap. 10. his verbis: " Animæ ad ea quæ amant, propterea uniuntur, ut perveniendo requiescant: Et multa quidem per corpus delectant, sed non est in eis æterna requies, nec saltem diuturna; & propterea, magis sordidant animam, & aggravant potius, ut sincerum ejus pondus, quo in superna fertur, impediant. Cum ergo anima se ipsa delectatur, nondum re incommutabili delectatur; & ideo adhuc superba est, quia se pro summo habet, cum superior sit Deus. " Et iterum lib. 1. confessionum cap. 1. hæc verba dirigit ad Deum: Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.

D. Thomas quæst. 2. art. 8. ad 3. sic solvit difficultatem: " Dicendum quod bonum creatum non est minus quam bonum, cujus est homo capax, ut rei intrinsecæ, & inhærentis: est tamen minus quam bonum cujus est capax, ut objecti quod est infinitum: bonum autem quod participatur ab Angelo, & a toto universo, est bonum finitum, & contractum.

Ad confirmationem distinguo maj. homo se habet ad universum veluti pars ad totum totalitate corporis, & operis finiti, concedo: totalitate finis, nego. Aliquid dicitur totum tribus modis. Primo quidem ratione sui quatenus est in sua natura completum: alio modo cum omnes alicujus operis refert, & complectitur rationes, seu perfectiones: denique cum est totum in omni genere; ita ut dispersa in inferioribus, in se uno habeat & adunet: quodlibet individuum est totum priori modo: mundus secundo, Deus vero ultimo, & ideo solus finis ultimus creaturæ rationalis. Ita divus Thomas ibidem: " Dicendum quod si totum aliquod, non sit ultimus finis, sed ordinetur ad finem ulteriorem, ultimus finis partis non est ipsum totum, sed aliquid aliud: Universitas autem creaturarum ad quam comparatur homo, ut pars ad totum, non est ultimus finis, sed ordinatur in Deum sicut in ultimum finem: unde bonum universi non est ultimus finis hominis, sed ipse Deus. "

Repones. Illud debet censeri, & haberi pro fine ultimo in quo sistit hominis appetitus: Atqui experientia comprobatur homines in quibusdam bonis creatis quiescere; & probatur multis momentis. Primo quidem non pauci infinitis prope comparatis thesauris, nihil amplius desiderant; *pecuniæ* enim, ut habetur Eccl. 10. 19. *obediunt omnia*. Secundo, nonnulli multis obtentis honoribus quos ardenti prosecuti fuerant amore, nihil ultra quærebant, dicitur enim de Aman quod unum solummodo pro sua suprema felicitate inhiabat, videlicet a Mardochæo honorari; & de facto Deo assimilantur homines per honores juxta illud 1. ad Timoth. 2. *Soli Deo honor, & gloria &c.* Quidam gloriantur in sua potestate, nihil ultra appetere videntur, ut scribit auctor canonicus de Assuero. 4. Non semel reperiuntur homines qui finem ultimum reponant in delectationibus terrenis, & voluptatibus; ipso dicente Apostolo de eis, *quorum Deus venter est*. Ergo &c.

Respondeo 1. ad hæc omnia distinguendo. Et homo, obtentis bonis, quæ desideravit extra Deum ad tempus in iis quiescit, & hoc non omnimode, concedo. In iis veluti in ultimo fine absque ulteriori desiderio quiescit, nego. Tametsi peccator in creatura veluti in ultimo fine sistat, intus tamen aliquid ultra concupiscit: hinc qui affluit divitiis, inhiat honores: qui cæteris in potestate præeminet, longam vitam ab omni immunem miseria expostulat: quinimmo peccator in fruitione creaturæ quam supremam putaverat felicitatem, se illusum animadvertit, magis evadit inquietus, quod vel ipse Horatius tametsi paganus de divite pronuntiat his verbis:

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, &c.

Respondeo 2. negando minorem: ad primam probationem respondet D. Thomas hic q. 2. art. 1. ad 1. his verbis: " Om-

" Omnia corporalia obediunt pecuniæ, ,, quantum ad multitudinem stultorum ,, qui sola corporalia bona cognoscunt, ,, quæ pecunia acquiri possunt. Judicium ,, autem de bonis humanis non debet ,, sumi a stultis. ,, Subdit ad 2. bona spiritualia, & animæ in quibus consistit finis ultimus non emi auro, & argento, quod ipse Apostolus dixit Atheniensibus, divinitatem, & summum bonum non esse æstimandum auro, & argento, &c.

Ad secundam probationem respondet divus Thomas ibidem art. 2. honores consequi ad beatitudinem, quatenus sunt excellentiæ sanctorum argumentum, nusquam vero esse ipsum ultimum hominis finem, sic enim ait ad 2. " Dicendum ,, quod honor debetur Deo, & excellentissimis in signum, vel testimonium ,, excellentiæ præexistentis, non quod ,, ipse honor faciat eos excellentes. ,, Anxietas Aman de qua fit in objectione mentio, eius arguit superbiam, sed non probat fuisse in honoribus beatum, cum præter divitias, & honores, tum a principibus Persarum, tum ab ipso Rege illi præstitos, vel leviorem adhuc ab extraneo observantiam non sine magna animi commotione ulterius expectaret.

Nec plus virium habet contra assertionem nostram tertia instantia, cum potestas creata non sit summum bonum, sed illud supponat; immo ea ut plurimum male utantur homines, ex quo perverso usu, si a servitute ad extra, non tamen ad intra propter passiones quæ multas animæ afferunt amaritudines, solvuntur, Ita respondet D. Thomas hic ibidem art. 4. ad 1. ubi sic loquitur: " non sufficit ,, ad beatitudinem, quod homo assimiletur Deo quantum ad potestatem, nisi assimiletur ei quantum ad bonitatem. ,,

Assuerus in sua quidem gloriabatur potestate, sed ut observat ipsa Scriptura hæc jactantia eum a miseriis vitæ non liberavit, cum ex paratis sibi insidiis in periculum vitæ venerit.

Ex iisdem principiis patet solutio ad ultimam probationem: voluptas quidem, & delectatio consequuntur ad bonum in quo homines suum ultimum reponunt finem. Ita D. Thomas ibid. art. 6. ad 3. his verbis: " Non sequitur quod delectatio ,, sit maximum, & per se bonum, sed ,, quod unaquæque delectatio consequatur id quod est per se, & maximum ,, bonum. ,,

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus est beatitudo objectiva.

PRIMO: Scriptura sacra hoc sæpius indicat. Scriptum est enim Exod. 33. *Ostendam omne bonum tibi*, Psal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Secundo: Solus Deus potest omnes appetitus hominis satiare, desiderium quidem magnitudinis, juxta illud 1. Joan. 3. *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Desiderium voluptatis, sic enim habetur Psalm. 35. *Torrente voluptatis potabis eos*. Desiderium scientiæ, vel ipse Deus Jerem. 31. ait: *Non docebit ultra proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, a minimo eorum, usque ad maximum*. Desiderium denique æternitatis, hæc enim est pro omnibus sanctis promissio Isa. 5. *Justi autem in perpetuum vivent.*

Tertio: Subscribit S. Augustinus epist. 155. Subscribit & S. Thomas hic quæst. 2. ubi in septem articulis probat beatitudinem non reperiri in divitiis, honoribus, multo minus in fastidiosis voluptatibus, cum enim bona creata sint quid finitum, uno obtento, aliud desideratur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Multæ quidem mansiones commemorantur in Scriptura, sed ibi est sermo de beatitudine formali, non de objectiva, quæ unica est scilicet in Deo.

Secundo: Tametsi non sit proportio entitativa inter Deum & hominem, est tamen habitudinis, sicut perfectivi ad perfectibile, hinc Deus potest possideri.

Tertio: Appetitus hominis finitus quidem est intrinsece, sed non extrinsece, igitur bono finito satiari nequit.

AR-

ARTICULUS SEXTUS.

De actu quo finis ultimus possidetur.

SOLUTA quæstione de fine ultimo objectivo, alteram instituunt Theologi de fine ultimo formali, quem quidem nomine formalis beatitudinis celebrant, quæque proprie loquendo est actus quo finis ultimus possidetur perfecte. Porro non unus est ille actus; alius enim ab intellectu procedit, & vocatur visio: alius vero, & quidem multiplex a voluntate profluit, qualis est amor, & gaudium. Jam quæritur quinam inter illos felicitatis fons, atque primigenia origo pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO.

Beatitudo formalis consistit in visione Dei.

Probatur multiplici argumento Theologico.

Primum argumentum.

SIC exponitur: in illo actu formaliter consistit beatitudo, de quo & Scriptura, & Patres loquuntur, in quo in suis sermonibus, atque sententiis beatitudinem actualem reponunt: Atqui res sic se habet: Ergo &c. Probatur minor multis momentis: Scriptura Ioannis 17. sic loquitur: *Hæc est vita æterna: Ut cognoscant te solum Deum verum*. Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*. Et Joannis 14. *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*. Igitur ex Scriptura sacra. Hæc est vita æterna scilicet visio, & cognitio Dei, hæc est beatitudo, ut homines Deum videant, & intueantur. Sanctus Augustinus in quodam loco ait, sanctos etiamsi cætera ignorarent, esse ipsa contemplatione Dei beatissimos, ut legere est lib. de Spiritu, & littera cap. 33. & lib. 1. de Trinitate cap. 9.

Subscribunt Patres. Benedictus XII. sic sanctorum definit sortem beatam: " Nec ,, non definimus quod ex tali visione, & ,, fruitione eorum animæ sunt vere beatæ. ,, Et Concilium Viennense in Clementina *ad nostrum* adversus Begardos qui affirmabant animam non indigere lumine gloriæ, ait animam indigere lumine gloriæ ad videndum Deum, eoque beate perfruendum. Sanctus Ambrosius lib. de Officiis cap. 2. sic loquitur: " Scriptura ,, divina vitam beatam in cognitione posuit divinitatis. ,, Sanctus Chrysostomus suum addit calculum Homilia 80. in Joannem, dicendo omnem requiem consistere in visione Filii Dei. Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 3. contra Julianum ait: " Hominum felicitas est habere ,, summam contemplationem. " His accedunt sanctus Irenæus lib. 4. cap. 37. sanctus Gregorius Nazianz. orat. 1. & 10. sanctus Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 16. sanctus Bernardus Sermone 4. in solemnitate omnium sanctorum, & D. Thomas q. 3. art. 8. & posteriori, probat formalem beatitudinem sitam esse in visione, eo quod nos assimilet Deo, & perfecte nostrum impleat desiderium: tunc enim quiescimus cum videntes effectum, videmus & causam.

Secundum argumentum.

BEATITUDO formalis secundum omnes Theologos est ultimi finis, & assecutio, & possessio: Sed per actum visionis Deum beati possident: Ergo &c. Probatur minor. Primo quidem quia ut beatitudo consistit in assimilatione cum Deo, solius enim intellectus est assimilare; ideo enim Verbum est Filius, & non Spiritus sanctus quia procedit, ut simile, procedit vero in similitudinem naturæ eo quod via cognitionis, & intellectionis a Patre promanet. Secundo, sicut ager possidetur per dominium, ita & summum bonum per visionem, & hoc propter tria; namque intellectus est veluti os quo creatura spiritualis cibum illum æternum sumit; fide viatores panem de cœlo descendentem accipiunt: igitur visione, atque cognitione eodem adaperte aluntur Sancti: præterea per actum intellectus objectum redditur præsens. Ita Divus Thomas in quartum quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2. his verbis: " Per visionem Dei fit qua- ,, si quidam contactus Dei ad intelle- ,, ctum, cum omne cognitum sit in co- ,, gnoscente secundum quod agnoscitur; ,, & ideo ultimus finis hominis est in ,, actu intellectus.

S. Augustinus hanc præclaram reddit ra-

rationem cur Dei visio sit assecutio ultimi finis quod sit inter omnes actus humanos præstantissimus : sic loquitur lib. 83. quæstionum quæst. 35. " Nemo igitur " beatam vitam novit, & miser est quoniam si amanda est sicuti est, hoc est eam nosse quod habere. Quæ cum ita sint, quid est aliud beate vivere, nisi æternum aliquid cognoscendo habere ? Æternum est enim de quo solo recte fiditur, quod amanti auferri non potest ; idque ipsum est, quod nihil sit aliud habere quam nosse. Omnium enim rerum præstantissimum est quod æternum est : & propterea id habere non possumus, nisi ea re qua præstantiores sumus, id est, mente. Quidquid autem mente habetur, noscendo habetur. " Revera quidem nullus voluntatis actus potest habere rationem possessionis : non quidem desiderium, quippe quod fit de re absente, non delectatio, & gaudium, quæ bonum non possident, sed possessum supponunt, & de fruitione congaudent ; non amor etiam amicitiæ, ille enim abstrahit a bono præsenti, & ab senti, & solummodo tendit in bonum amici prout est in se. Cæterum voluntas omnibus suis actibus non potest nisi velle objectum, velle vero non est habere illud, ut pronuntiat D. Thomas hic qu. 3. art. 4.

Tertium Argumentum.

QUOD est radix cæterorum, illud censetur essentiale, atqui visio est radix omnium perfectionum quarum aggregatione homo est beatus, & ultimum perfecte possidet finem : Ergo &c. Probatur minor ab enumeratione partium.

Prima beatitudinis dos, est amor necessarius Dei : quanta quippe felicitas ! nec posse averti a Deo & esse cum illo ineffabili charitatis vinculo conjunctum ; porro amor duplex necessarius distinguitur, alter necessarius quoad specificationem, alter vero quoad exercitium : prior ille est qui a potentia semper ad bonum determinata procedit : posterior vero qui etiam a potentia ad actum bonum spontanee, & voluntarie determinata profluit : uterque autem eatenus est a visione, quatenus est a judicio determinato, & ad bonum respiciendum, & ad bonum actu amplectendum : porro intellectus creatus lumine gloriæ perfusus, videt totam in Deo beatitudinem, quocirca judicat necessario amandam ; libertas enim ad oppositum inest tantummodo, cum bonum propositum, vel defectu perfectionis alicujus in se, vel ex passione corrumpente judicium rationis non allicit, quæ miseriæ non inveniuntur in beatitudine, hinc intellectus movet necessario voluntatem ad bonum tale prosequendum ; voluntas vero inebriata ab ubertate domus Dei, & felici experientia sentiens, bonum omne delectamentum in se habens, applicat intellectum ad videndum, & possidendum Deum: rapitur igitur quia ejus capacitas ad bonum adæquatur, impletur, immo & inundatur a Deo clare viso.

Altera beatitudinis egregia dos est gaudium juxta illud Christi apud Matthæum cap. 25. ***Intra in gaudium Domini tui***, sed gaudium ex charitate, & bono possesso procedit, adeoque primitus a visione beatifica fluit, juxta tritum axioma : ***nihil amatum quin præcognitum.***

Tertia, est impeccabilitas, sed hæc perfectio habet visionem pro causa primaria : quatenus intellectus judicat Deum esse summum bonum, adeoque semper esse ei adhærendum : peccatum autem est aversio a Deo : igitur impeccabilitas a visione sicut proprietas ab essentia emanat.

Quarta, est in beatitudine perpetuitas juxta illud 1. Petri 1. ubi ille Apostolus vocat beatitudinem nostram hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, immarcescibilem, & Matth. 25. Christus promittit gaudium quod nemo tollet.

Reliquas animæ beatæ dotes passim delineant Patres. Beatus Augustinus tract. 51. in Joannem lætabundus exclamat : " Quem honorem majorem accipere poterit adoptatus, quam ut sit ubi est unicus ; non æqualis factus divinitati ; sed consociatus æternitate? " Eadem mellifluis, & Seraphicis delineant verbis beatitudinis privilegia divus Bernardus epist. 114. Gregor. Nazianz. orat. 140. p. 640. Irenæus lib. 3. cap. 37.

Mitto alios Patres qui certatim, & amorem & impeccabilitatem, & in bono perpetuum confirmationem prædicant, & hoc juxta Scripturæ effata, secundum illud Sap. 5. ***Justi autem in perpetuum vi-***

vivent, & illud Matthæi 6. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur.*

De Beatitudine corporis gloriosi, ejusque præclaris dotibus.

Primo quidem de Resurrectione.

PRIMAS tenet sedes resurrectio, & iterata corporis cum anima beata conjunctio. Istud dogma fidei est omni acceptione dignum, quod utriusque testamenti paginæ præcontinent: quod propugnant utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ Patres, quod denique ratio Theologica confirmat: Atqui res sic se habet: & probatur.

Ex Scriptura sacra.

Ex veteri testamento. Prophetæ istam prænuntiant veritatem: Isaiæ 26. habetur: *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate qui habitatis in pulvere.*

Ezechiel resurrectionem corporum vidit sub figura ossium in campo conclusorum, quæ, resumpta carne, reviviscere cœperunt. Danielis 12. legitur: *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium.*

Ex novo Testamento. Ipse Christus adversus Sadducæos hanc defendit veritatem Matth. 22. *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur: Sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. De resurrectione autem mortuorum, non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob: Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Et B. Paulus 1. Cor. 15. *Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.*

Ex sanctis Patribus.

Ex Græcis primus occurrrit sanctus Justinus qui sic de Christo loquitur Apologia 2. " Duplicem siquidem ejus adventum, & præsentiam prænuntiarunt Sancti vates, unam quidem jam exhibitam, ut despecti, & passionibus subjecti hominis: Secundam autem quando e cœlis cum gloria, & Angelica militia sua adveniet, aderitque: cum omnium qui unquam extitere, mortalium corpora suscitabit.

Idem egregie docet Irenæus lib. 5. adversus hæreses cap. 2. " Nostra corpora ex ea, *scilicet Eucharistia*, nutrita, & reposita in terram, & resoluta in ea, resurgunt in suo tempore, verbo Dei resurrectionem eis donante in gloriam Dei Patris. "

Athenagoras istorum insistens vestigiis lib. de resurrect. mortuorum, variis multisque momentis propositam probat veritatem his verbis: " Atqui vires Dei sufficere ad corporum restitutionem indicat, vel ipsorum procreatio: si enim hominum corpora cum non essent, condidit eorumque principia, unde originem trahunt, procreavit: etiam quomodocumque dissoluta cum eadem facilitate restaurabit. "

Ex latinis. Tertullianus ex professo librum de resurrectione carnis composuit, & cap. 2. sic perstringit Sadducæorum errorem: " Nunc autem ad alios Sadducæos præparamur, partiarios sententiæ illorum. Ita dimidiam agnoscunt resurrectionem, solius scilicet animæ; aspernati carnem, sicut & ipsum Dominum carnis. " Immo Gentiles non nihil adumbrasse resurrectionem carnis dicit, ut hæreticorum errorem omni argumentorum genere confutet, initio enim ejusdem libri ait de paganis: " Defunctis parentant; & quidem impensissimo officio, pro moribus eorum, pro temporibus exculentorum; ut quos negant sentire quicquam, escam desiderare præsumant. "

Idem Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 7. Luculentissima ratione probat corporum resurrectionem, eo quod laborum, passionum animæ, & meritorum fuerit consors: ex quo quidem principio concludit ad justitiam summam pertinere, ut corpora Sanctorum in gloria cum animabus consocientur; maxime vero cum fuerint, teste Evangelio, & Apostolo, Dei templum, juxta illud Christi Joan. 2. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud.* Quod intelligitur de resurrectione corporis Christi.

Sub-

Subscribunt sancti Ambrosius toto lib. 2. de fide resurrectionis, Hieronymus epist. 61. ad Pammachium, Augustinus lib. 20. de civitate Dei cap. 20. sanctus Gregorius lib. 14. Moralium in Job. cap. 27. divus Thomas 3. parte supplementi quæst. 75. art. 1.

Inter dotes corporis gloriosi est corporum impassibilitas qua quidem ab omni & defectu, & corruptione immunia erunt, juxta illud Apocal. 31. *Non erit amplius neque luctus, neque clamor erit ultra*. Hanc dotem describit, & probat ibidem divus Thomas quæst. 82. art. 1. in argumento, *sed contra*.

Altera corporum gloriosorum dos erit subtilitas, cujus quidem virtute in brevi Sancti ab uno loco ad alium decurrendo medium in instanti se transferent locum ita D. Thomas ibidem quæst. 83. art. 1. in argumento, *sed contra*.

Confirmatur: agilitas in eo sita est ut corpus possit facile ab uno loco transire in alium ita ut gravitas, & pondus carnis minime obstet, juxta illud Sapientiæ 3. *Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*. Ita D. Thom. hic q. 84. art. 1.

Tertia dos est penetrabilitas qua corpora gloriosa absque negotio sibi subdent cætera corpora, illa partiendo. 2. Sicut absque divisione, ita absque diminutione: sic corpus Christi penetravit lapidem sepulchri, ut docent unanimiter SS. Patres. Idem Dominus, januis clausis, apparuit discipulis post resurrectionem.

His omnibus accedit claritas, vel fulgor, quo fulgebunt sancti septempliciter, ut sol unius diei, sicut legitur in Apocalypsi. D. Thomas hic quæst. 85. art. 1. de illa claritate in argumento, *sed contra*, sic loquitur: " Dicitur Matth. 13. Justi „ fulgebunt sicut sol in regno Patris eo„ rum; & Sap. Fulgebunt justi & tanquam „ scintillæ &c.„ Pergit ibid: " Prætere„ rea 1. Cor. 15. dicitur, seminatur in „ ignobilitate, surget in gloria; quod ad „ claritatem pertinet: ut patet per sequen„ tia, ubi corporum resurgentium glo„ riam comparat claritati stellarum. Er„ go corpora Sanctorum resurgent luci„ da. „

Fit satis objectionibus adversus formalem animæ beatitudinem militantibus.

OBJICIES 1. Christus servum fidelem compensandum alloquens Matth. 16. ait illi: *Intra in gaudium Domini*: Igitur beatitudo formalis sita est in gaudio & amore, seu complacentia de Deo possesso. Confirmatur. Sic explicat B. Augustinus l. 10. Conf. cap. 22. his verbis: " Et ipsa „ est beata vita gaudere ad te, de te, „ propter te. „ Et rursus sermone 53. de tempore: " Charitas est summum præ„ mium in cœlo quia in perenni gau„ dio, nihil gratius, nihil dulcius ha„ bent Sancti perfecto amore Dei. „ Ergo &c.

Respondeo 1. hæc & similia solummodo unum notare, videlicet beatitudinem integralem in his omnibus repositam esse, quippe quæ sit bonorum omnium perfecta aggregatio: Sed agimus impræsentiarum de beatitudine formali quæ eatenus in visione Dei astruitur, quatenus est cæterarum radix & origo.

Respondeo distinguendo consequens, beatitudo perfecta, & integralis includit voluntatis actus, concedo: in his precise sita est, nego. Ad confirmationem similiter dist. cum, ut ex probationibus liquet, assecutio ultimi finis, teste D. August. fiat per visionem: Sic loquitur lib. 83. quæstionum qu. 35. " Omnium enim rerum „ præstantissimum est quod æternum est: „ Et propterea id habere non possumus, „ nisi ea re qua præstantiores sumus, id„ est, mente, quicquid autem mente ha„ betur, noscendo habetur. „

Quod autem sanctus Doctor a visione pro hac sententia non discedat, patet ex ipsis locis pro objectione laudatis, ubi mentionem facit utique de visione: namque postquam dixit: " Et ipsa est beata vita, gau„ dere de te. „ Subdit cap. 23. Beata „ quippe vita est gaudium de veritate. „ Similiter post verba allata sermone 53. de tempore subjungit: " Quem quia præsen„ tem vident, suavius diligunt, dulcius „ fruuntur. „

Instabis: Beatitudo est summi boni assecutio, & cum eodem intima unio: sed, teste Augustino, l. 8. de Trinitate cap. 10. Amor est junctura, duo aliqua copulans, vel copulare appetens: Ergo beatitudo for-

formalis consistit in actu amoris.

Respondeo distinguendo majorem: Beatitudo formalis est summi boni assecutio physica, & effectiva, concedo: affectiva, & tantummodo ponderativa, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Duplex est summi boni possessio altera physica, & effectiva, eaque fundata in præsentia objecti: altera vero affectiva quæ est pondus in amatum. Prima tribuitur visioni, namque proprium intellectus est assimilare sibi objectum, quæ quidem assimilatio fit modo per speciem expressam ut in creatis, modo etiam per simplicem objecti cum intellectu eodem unionem, ut in eadem visione, altera vero tribuitur voluntati: quæ quidem non attrahit objectum, sed exit ad illud, juxta istud adagium: *Amor meus pondus meum*. Et istud Christi Matth. 6. 21. *Ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit*. Quocirca actus amoris Dei perfectissimus dicitur extasis. Cæterum voluntatis est appetere bonum; intellectus vero illud præsens reddere. Sic etiam appetitus sensitivus, finem quidem sensibilem concupiscit, sed per semetipsum non acquirit, bene vero per sensus externos, scilicet per tactum, & gustum; Igitur non ejusdem est potentiæ assequi, & frui, seu potius amare & gaudere.

Urgebis: Beatitudo formalis est possessio ultimi finis sub ratione summi boni; sed summum bonum est objectum voluntatis; Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem; Beatitudo formalis est possessio ultimi finis, sub ratione boni præsentis, concedo; sub ratione boni affective moventis, nego. Summum bonum potest considerari duplici modo. Primo quidem ut movens, & excitans voluntatem ad sui possessionem; deinde vero ut præsens; primo modo est objectum voluntatis, juxta illud Exodi 33. *Ego ostendam omne bonum tibi*. Posteriori vero objectum intellectus, qui quidem respicit summum bonum, ut summam veritatem, quod enim respiciat bonum sub isto respectu, experientia comprobatur quotidiana, nihil quippe voluntas amat, nisi prius intellectus judicaverit bonum esse verum: quocirca scriptum est: *Os justi meditabitur sapientiam*. Igitur cognitio est veluti creaturæ intellectualis, quo cibus cælestis felicitatis assumitur ut gustetur.

Persistes: Atqui assecutio perfectissima eaque effectiva summi boni voluntatem spectat: Ergo &c. Probatur subsumptum 1. ex sacra Scriptura Joannes epistola 1. cap. 4. ait: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Quibus verbis liquet objectum reddi animæ præsens per amorem. 2. Transformatio in Deum quam & quamdam deificationem vocat sanctus Bernardus, fit quoque per actum voluntatis scilicet amicitiæ, juxta illud sancti August. effatum l. 4. Confessionum cap. 6. " Bene quidam „ dixit de amico suo, dimidium animæ „ meæ. „ Ex quo sequitur assimilationem fieri per amorem; Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo. Objectum fit præsens per amorem affective, concedo; effective, nego. Hujus rei argumentum, & quidem validissimum est quod amor omnis sive concupiscentiæ & desiderii, sive etiam amicitiæ & complacentiæ supponat objectum, vel apprehensive præsens ut in amore desiderii qui sequitur ad repræsentationem objecti convenientis, in amore vero complacentiæ & amicitiæ, cum amicitia supponat in objecto bonum illud reddens congruum dilectionis motivum, & complacentia fit de bono possesso; Igitur supponit assecutionem boni, ad quam sequitur ejusdem boni fruitio; constat enim prius aliquem possidere objectum bonum, quam illo eodem perfrui.

Ad confirmationem ex auctoritate S. Augustini eadem est solutio; non ita tamen quod unio affectiva non sit realis, sed talis dicitur relative ad voluntatis affectum, effectiva vero simpliciter nominatur physica, eo quod sit assecutio objecti, & possessio realis ad quam sequitur amor juxta illud tritum axioma: *Nihil amatum, quin præcognitum*. Quocirca S. Thomas 1. p. q. 26. art. 2. ait; " Beati- „ tudo significat bonum intellectualis na- „ turæ; id autem quod est perfectissimum „ in qualibet intellectuali natura est intel- „ lectualis operatio, unde cujuslibet natu- „ ræ intellectualis creatæ Beatitudo con- „ sistit in intelligendo. „

Quid plura? Transformatio est solummodo affectiva, & per amorem, fitque per exitum animæ ad objectum, juxta illud adagium; *Amor meus pondus meum*. Sed

Sed assimilatio per intellectum eatenus altera nobilior est, quatenus causatur per præsentiam summi boni advenientis animæ. Sic enim habetur 1. Joan. 3. 2. *Similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicut est*.

Reponet: Atqui transformatio per amorem assimilatione per intellectum præstantior est: Probatur subsumptum. Intellectus limitat objectum cum illud recipit, voluntas vero e contra, quippe quæ exeat ad objectum, & in summo bonorum omnium Oceano manens, veluti absorbeatur. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem, distinguo: Assimilatio quæ fit per intellectum cum objecto creato est limitata, concedo: cum objecto increato, nego. Hæc est discrepantia inter utramque assimilationem quod illa quæ fit ab objecto creato, fiat per speciem impressam, & expressam; impressam quidem quæ est vicaria objecti fœcundans intellectum ut naturam objecti exprimere queat; expressam vero quæ est imago formata de objecto intellecto. Porro in cœlis neutra datur de Deo, non prior quidem cum Deus sit objectum infinite supra materiam, adeoque semetipsum immediate intellectui creato uniens: sed neque posterior, cum nullus intellectus creatus Deum dicere, & exprimere valeat, alias illum comprehenderet, quod fidei prorsus adversatur.

Objicies 2. Beatitudo formalis pertinet ad nobiliorem potentiam: sed voluntas est potentia, vel ipso intellectu præstantior: Et probatur. 1. ex sancto Thoma qui 1. p. q. 82. art. 3. hoc expresse dicit. 2. Illa potentia est intellectu nobilior, cujus objectum est perfectius, cujus virtus efficacior est, cujus demum proprietates sunt præstantiores: Atqui res sic se habet: Et probatur: namque voluntatis objectum est bonum actuale & existens; objectum vero intellectus est verum & bonum dumtaxat speculativum. Jam vero si de efficacia sermo sit, voluntas movet intellectum ad exercitium, simulque eum ad actum applicat: Quid plura referam? Voluntas per suum erga Deum amorem est formale meriti principium: addo libertatis fons & origo: Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad primam probationem distinguo. Voluntas ex sancto Thoma nobilior est intellectu secundum quid, & in via, concedo: omnimode, & in genere physico, nego. In via quidem ubi peregrinamur per fidem a Domino nonnisi speculative Deum per cognitionem obscuram possidemus, voluntas utpote practica, et effectiva adeoque cæteris animæ potentiis inferioribus dominans, est intellectu quodammodo perfectior, tum quia est totius meriti principium; tum quia est via practica ad salutem, & hoc unum probant cæteræ rationes: sed non idem dicendum pro statu patriæ, in quo intellectus physice & clare admodum attingit Deum, & hoc contemplatione atque visione ita practica, ut ex ipso actu, infinitæ prope fluant & perfectiones, & delectationes quæ non solum inundant animas Sanctorum, verum etiam ut verbis Prophetæ utar: *Inebriabuntur*, inquit, *ab ubertate domus tuæ*; Psal. 35. D. Thom. est sui ipsius interpres: ibid. enim in corpore sic loquitur: " Simpliciter intellectus sit " altior & nobilior voluntate. Secundum „ quid autem & per comparationem ad „ alterum, voluntas invenitur interdum „ altior intellectu, ex eo scilicet quod „ objectum voluntatis in altiori re invenitur, quam objectum intellectus. Sicut si dicerem, auditum esse secundum quid nobiliorem visu, in quantum „ res aliqua, cujus est sonus, nobilior est „ aliqua re, cujus est color, quamvis color sit nobilior, & simplicior sono. „

Ad primam confirmationem distinguo, objectum voluntatis in ratione entis nobilius est objecto intellectus, in via, concedo, in patria, nego. In eo sensu objectum voluntatis est nobilius, quia tendentia voluntatis in illud est experimentalis, & ideo Apost. 1. Cor, 13. ait: *Fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas*. Namque conatus intellectus in bonum cognitum non est semper practicus: bene vero in patria: potest enim dici objectum intellectus etiam in via eminere super objectum voluntatis.

Ad secundam probationem distinguo similiter; voluntas movet intellectum ad actum, & vicissim ab intellectu movetur quoad specificationem, quatenus proponit voluntati objectum amandum, & finem, concedo: & non movetur, nego.

Ad tertiam probationem distinguo, ut supra, & hoc solummodo probat voluntatem in viatoribus esse secundum quid intellectu perfectiorem, concedo : esse talem simpliciter, & absolute, nego. Cæterum intellectus est primum libertatis principium ; quandoquidem libertas ex indifferentia objecti, ex indifferentia intellectus, & voluntatis promanat : objecti quidem, quatenus non habet totam boni rationem, ex quo sequitur non esse necessario amabile ; intellectus qui judicat esse tale, illudque libere amandum proponit ; voluntatis demum quæ nonnisi ab intellectu directe amat, & consequenter libere si intellectus objectum libere prosequendum proponit : jam vero quis primarium libertatis fontem minus perfectum dicet causa libertatis posteriori quæ est voluntas?

Persistes : Atqui voluntas est potentia intellectus simpliciter perfectior : Ergo &c. Probatur subsumptum. Actus voluntatis est actu intellectus præstantior : Ergo &c.

Probatur antecedens multis momentis : 1. Ex D. Thoma qui ista Canticorum verba explanans : *Meliora sunt ubera tua vino*, ait : " Contemplatio, ut de ea „ loquuntur Theologi, magis consistit in „ sapore quam in sapere, & magis in „ dilectione, & dulcedine, quam in „ contemplatione. „ 2. Seraphim inter Angelos sunt perfectissimi ea potissimum ratione quod majori erga Deum amore flagrent, quocirca Seraphim quod idem est ac amor, nominantur. 3. denique præmium, & corona amori dantur, & quidem majora juxta majorem amoris gradum : Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, nego antecedens : ad ulteriorem probationem distinguo : & D. Thomas eo loci loquitur de actu amoris a viatore elicito, concedo : de actu comprehensoris, nego. Sanctus Doctor hunc ipse prodit sensum 1. 2. q. 3. art. 5. his verbis : " Si beatitudo hominis est ope- „ ratio, oportet quod sit optima opera- „ tio hominis : optima autem operatio „ est quæ est optimæ potentiæ, respectu „ optimi objecti : optima autem potentia „ est intellectus . . . . Ideo ultima, & „ perfecta beatitudo quæ expectatur in „ futura vita, tota consistit in contem- „ platione. „ Et clarius 2. 2. q. 27. art. 4. " Secundum hoc ergo dicendum est „ quod dilectio quæ est appetitivæ virtutis „ actus, etiam in statu viæ tendit in „ Deum. 1. ex ipso derivatur ad alia : „ & secundum hoc charitas Deum im- „ mediate diligit, alia vero Deo me- „ diante : in cognitione vero e conver- „ so quia scilicet per aliam Deum co- „ gnoscimus sicut causam per effectus, „ vel per modum eminentiæ, aut nega- „ tionis. „ Ratio D. Thomæ cur actus amoris in via prævaleat actui intellectus, est, quia hic cognoscimus Deum tantummodo per effectus, & hoc obscure ; immo magis per negationem quam per affirmationem ut dicit Dionysius ea ductus ratione quod Deus sit plusquam id omne quod viatores aut intelligunt, aut capiunt, quas quidem umbras & imperfectiones eliminat visio Dei intuitiva.

Ad primam confirmationem distinguo : & Angeli primi ordinis vocati sunt Seraphim ab amore viæ, concedo : ab amore patriæ, subdistinguo ; cujus prima origo fuit intellectus, concedo ; cujus non fuit prima origo, nego.

Ad secundam confirmationem dico coronam, & præmium spectare personam ; sicut enim actiones sunt suppositorum, ita & præmium ; unde non sequitur ex corona quæ datur operi meritorio, actum voluntatis in nobilitate actum intellectus excedere.

Dices : Ille actus est perfectior actu intellectus, cujus oppositus est inter omnes pessimus : Atqui odium Dei oppositum actui amoris est peccatum majus infidelitate quæ opponitur actui cognitionis ad intellectum pertinentis : Ergo &c.

Respondeo 1. actum privationis Dei esse inter omnes actus malos nequissimum, quatenus privatio Dei, in hac vita, est aversio a Deo in qua formaliter situm est peccatum, in patria est simpliciter omnium malorum maximum & radix cæterorum ; nemo quippe diffitetur pœnam damni esse maximam.

Respondeo 2. distinguendo majorem. Ille actus est præstantior in bonitate cujus actus oppositus, est pessimus tam in ordine morali, quam physico, concedo : in ordine morali tantum, nego : & sic distincta minore, nego consequentiam. Esto quod odium Dei propter malum peccatoris affectum,

fectum, & conatum in aliquo, excedat infidelitatem; non tamen in ordine physico, maxime si agatur de termino in quo reprobi physice, & realiter privantur summo bono.

Proponuntur objecta contra dogma resurrectionis corporum, & solvuntur.

OBJICIES. Job cap. 14. legitur: *Lignum habet speciem; si præcisum fuerit rursum virescit, & rami ejus pullulant. Si senuerit in terra radix ejus, & in pulvere mortuus fuerit truncus illius: ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quasi cum primum plantatum est; homo vero cum mortuus fuerit, & nudatus, atque consumptus, ubi, quæso, est?* Igitur ex Job corpora non resurgent, alias nulla esset discrepantia inter lignum emortuum, quod iterum revirescit; si corpus utique per resurrectionem reviresceret.

Respondeo distinguendo consequens. Corpus non resurget ut primum emortuum est, concedo: in certo tempore, & momento quod Pater æternus posuit in sua potestate, nego. Beatus Job increpat impios, & deterret a peccato eo quod corpus cui per fas & nefas inserviunt, redigendum est in pulverem, & in eo diu permanere, cum e contra lignum ad odorem aquæ potest cito citius germinare. Quod autem hic sit genuinus Job sensus ibid. scribit hominem resurrecturum, non tamen donec atteratur cœlum: igitur, solutis igne elementis, fiet in consummatione sæculorum resurrectio, quod idem Propheta confirmat his verbis: *Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.*

Instabis: Psalmo 1. Propheta absolute & simpliciter abnegat resurrectionem his verbis: *Ideo non resurgent impii in judicio:* Ergo &c.

Respondeo distinguendo: non resurgent impii in resurrectionem vitæ, concedo: in resurrectionem judicii, nego. Ita habetur Joannis 5. cap. *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii.* Et ait Apostolus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur;* hoc est, impii non immutabuntur per gloriam, sed improbi, & obdurati manebunt.

Insistes. Atqui nullo modo resurgent corpora: Ergo &c. Probatur subsumptum; a privatione ad habitum non datur regressus. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem, distinguo: non datur regressus naturaliter, concedo: virtute divina, nego. Sic respondet Tertullianus l. de resurrectione carnis, cap. 11. his verbis: " Ex nihil Deus molitus est cuncta, poterit carnem in nihilum productam exprimere de nihilo; sive de materia modulatus est alia, poterit & carnem quoque dehaustam evocare de alio: & utique idoneus est reficere qui fecit; quanto plus est fecisse, quam refecisse, initium dedisse quam reddidisse. " Revera quidem ut scribit S. Gregorius l. 6. Moralium: " Difficilius est creare quam restaurare. "

Persistes: Mors corporalis inducta est per peccatum sicut mors spiritualis, quæ est separatio a Deo; sed de morte spirituali nunquam redit homo ad vitam post sententiam damnationis: igitur nec de morte corporali ad vitam corporalem erit regressus.

Respondeo negando paritatem: disparitas in eo est quod peccatum mortale in quo reprobus moritur, non est ulterius delebile, in inferno quippe nulla est redemptio pro eis qui propria voluntate peccaverunt, & cum pertinacia in peccato defuncti sunt. At vero mors corporalis inducta est in mundum peccato primi hominis, quod quidem etiam posteris tribuitur: sed Christus, teste Apostolo, delebit chirographum mortis, etiam corporalis, cujus quidem effectus reservatur in consummatione sæculorum adimplendus. Solutio est D. Thomæ hic quæst. 75. art. 1. ad 5. sic loquitur: " Dicendum quod mors corporalis introducta est per peccatum Adæ quod est morte Christi deletum; unde pœna illa non manet in æternum: sed peccatum mortale quod mortem æternam per impœnitentiam inducit, ultra non expiabitur: & ideo mors illa æterna erit. "

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Beatitudo formalis consistit in visione Dei.

PRIMO: sic habetur in Scriptura 1. Joan. 3. *Similes ei erimus quia eum videbimus sicuti est*. Et istud Joan. 14. *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.*

Secundo: Sic docent Patres, Chrysost. hom. 80. in Joan. Cyrillus Alex. lib. 3. contra Julianum, Augustinus lib. 83. qq. q. 35.

Tertio: Visio Dei est radix omnium bonorum; ex eo quippe quod Sancti Deum vident, similes Deo evadunt, in ipsum mystice transformantur, intrant in gaudium Domini.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Amore quidem, Sancti quadam transformatione deificantur, sed non formaliter, solus enim intellectionis actus assimilat intelligentem cum eo quod intelligit.

Secundo: Ex eo quod ad amorem spectet unire corda, sequitur solum amorem esse de integritate beatitudinis, minimo vero beatitudinis essentiam, cum non sit formaliter assimilativus.

Tertio: Non negamus Sanctos intrare in gaudium Domini: sed nemo cordatus dixerit gaudium esse beatitudinem formalem, quippe quod ad ipsam resultet beatitudinem, seu Dei possessionem, & illam supponat.



DIS-

DISSERTATIO SECUNDA.
DE
CONSTITUTIVO ACTUUM BONORUM ET MALORUM.



ON una est Theologorum sententia circa istud momentum: quidam enim actus humanos, & non absque fundamento, existimant specificari etiam a circumstantiis quæ modo augent actus bonitatem, modo etiam aggravant malitiam: variant maxime circa actus mali naturam: nonnulli quippe etiam in positivo connotante objecti dissonantiam reponunt: quidam vero & melius atque communiter in privativo. Certum est inter actus humanos alios esse bonos, alios vero pessimos.

Istud dogma quatuor potissimum argumentis explanatur, & probatur.

Primo: Quia actus humanus quicumque speciem ab objecto circumstantiis vestito desumit.

Secundo: Quia bonitas moralis consistit in ordine intrinseco ad legem æternam, & summum bonum.

Tertio: Quia actus malus, seu peccatum consistit formaliter in privatione rectitudinis.

Quarto: Quia actus interior, & exterior, seu bonus, seu malus, sunt ejusdem speciei.

ARTICULUS PRIMUS.

Num actus humanus quicumque sit, suam desumat speciem, & naturam per ordinem ad objectum circumstantiis vestitum.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur variis rationibus Theologicis.

PRIMA sic exponitur: idem est constitutivum, & distinctivum; sed actus humani distinguuntur per ordinem ad objecta, ut circumstantiis adornata: Et probatur multis momentis.

Primo quidem ex Scriptura sacra Oseæ 9. habetur de peccatoribus: *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt*. Et Joannis 3. *Omnis qui male agit, odit lucem*. Christus vero proditorem sic allocutus est: *Amice, ad quid venisti?* In his omnibus peccatum determinatur per ordinem ad objectum, immo & ad circumstantias, quod ipse Christus indigitat verbis subsequentibus: *Osculo tradis Filium hominis?* Bonitas vero passim etiam describitur in sacris paginis per ordinem & ad objectum, & ad circumstantias, ut cum Christus Dominus ait: *Quod uni ex fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis*. Et istud ejusdem Domini oraculum: *Esurivi, & dedistis mihi manducare*. Quibus verbis, Christus exaltat eleemosynam propter suum amorem exhibitam.

Secundo: Tum ex D. Thoma qui hic 1. 2. in tota quæstione 18. nostram fuse probat conclusionem, maxime vero ex professo artic. 2. cujus hæc est conclusio: " Sicut prima rei naturalis bonitas est „ ex forma, quæ dat speciem rei, ita bo- „ nitas

„ nitas prima moralis est ex objecto con- „ venienti : & simili modo de malitia „ morali censendum est. „ Igitur ex D. Thoma sicut homo, v. g. habet speciem ab anima rationali, ita actus humanus ab objecto consono, vel dissono. Nec mirum, moralitas noo consistit solum in eo quod actus a potentia libera procedat, verumetiam ut docet D. Thomas qu. 18. art. 10. ex convenientia, vel disconvenientia ad regulas morum, maxime vero ad legem : Porro ex eodem sancto Doctore finis, & objectum sunt idem ; sic enim ait qu. 7. art. 4. " Voluntatis au- „ tem motivum, & objectum est finis : „ & ideo principalissima est omnium cir- „ cumstantiarum illa, quæ attingit actum „ ex parte finis. „ Quibus verbis docet circumstantias tametsi accidentales, & extrinsecas etiam pertinere ad objectum, & ad speciem moralitatis constituendam coocurrere.

Tertio : Idem S. Thomas q. 18. docet actionem humanam esse bonam, vel malam ex fine; art. 6. ex professo ait actum habere speciem boni & mali ex fine, sic enim loquitur in argumento *Sed contra* : Actus humani habent speciem a fine : „ Ergo bonum & malum quod accipitur „ secundum finem, diversificat speciem „ actuum. „ Ex quo quidem emanatum est apud Theologos morales istud adagium: *Quidquid agant homines, intentio judicat omnes*. Hinc concludunt finem esse principium in agibilibus, hoc est, causam actus; quatenus finis movet ad sui prosecutionem.

Altera ratio hæc est : illud debet censeri constitutivum actus cujuscumque humani, io quo omnes communiter Theologi, & sancti Doctores illud reponunt : atqui constitutivum illud ex tendentia ad objectum consonum, vel dissonum ad regulas morum deducunt ; & consequenter etiam ex circumstantiis, quandoquidem juxta hujusmodi gradus, & qualitates objectum evadit modo consonum, modo dissonum : actus bonus vel malus, adeoque circumstantiæ io ratione objecti imbibuntur : Ergo &c.

Audienda sunt de hoc momento auctoritates : Primo quidem ex Scriptura, Psalmista ait : *Si inimicus meus maledixisset mihi ... sustinuissem utique, tu vero homo unanimis ... qui mecum dulces capiebas cibos*, *&c.* Ex quibus verbis liquet peccati malitiam desumi ex objecto quidem dissono, non nude, & secundum se spectato, sed ingratitudinis circumstantia vestito.

Deinde S. Chrysostomus hom. 49. in Matth. delineat scelus Herodis cæde S. Joannis Baptistæ patratum ex temporis circumstantia : " Quando, *inquit*, gra- „ tias Deo agere oportebat, qui eum illo „ die in lucem produxit, tunc nefandis- „ simam cædem committit. „

Subscribit Hieronymus epist. increpatoria ad Fabianum Diaconum qui virginem quandam sacram e Monasterio Bethlehemitico ad stuprum, fugamque sollicitaverat : " Infelicissime, *ait*, mortalium tu „ speluncam illam in qua Dei Filius na- „ tus est, & veritas de terra orta est, & „ terra dedit fructum suum, de stupro „ condicturus ingrederis. „

Sanctus vero Leo, sermone 7. de Passione Domioi scelus Judæorum amplificat, ex eo quod mortem Christi tempore paschali moliti sint : eo enim loci sic loquitur: " Quando qui ornare templum, " mundare vasa, victimas providere, & „ legitimis purificationibus sacratiorem „ diligentiam adhibere debuerant, parri- „ cidalis odii furore concepto, ad unum „ opus vacant, & in unum facinus simi- „ li crudelitate conjurant. „

D. Thomas hic quæst. 18. art. 10. quærit utrum aliqua circumstantia constituat actum moralem in specie boni, vel mali, & hæc est ejus conclusio : " Quan- „ docunque aliqua circumstantia respicit „ specialem ordinem rationis, pro, vel „ contra ex tali circumstantia constitui- „ tur aliqua species moralis actus in bo- „ nitate, vel malitia. „ Et de facto, opposita aliqua circumstantia essentiali, vel gravi, sæpius actus mali immutatur species : sic qui furatur in Ecclesia committit essentialiter diversum ab eo qui furatur in platea publica, ita D. Thomas ibidem in argumento *sed contra*, his verbis : " Locus est circumstantia quædam; „ sed locus constituit actum moralem in „ quadam specie morali ; furari enim ali- „ quid de loco sacro est sacrilegium : er- „ go circumstantia constituit actum mora- „ lem in aliqua specie boni vel mali. „ Porro circumstantiæ isto comprehenduntur versiculo : *Quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*.

Tertia

Tertia ratio. Posita tendentia in objectum, consonum vel dissonum, & omnibus vestitum circumstantiis, in individuo est determinate bonus, vel determinate malus. Ergo &c. Probatur Antecedens: omnis actus eo ipso quo est humanus est propter finem ut dictum est supra, in hoc enim distinguitur ab actu hominis, qui seclusa mentis deliberatione fit, quippe qui ex imaginatione aliqua procedat: sed actus est determinate malus ex fine malo, bonus vero ex debito fine. Ergo &c.

Non prætereundi sunt sancti Patres, & sancti Doctores. Sanctus Hieronymus ista verba Matth. 12. *Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem Deo in die judicii*. ponderans, ait: " Si de verbis otiosis „ redditur ratio, quanto magis de operibus? „ Qua sententia astruitur omnem actionem humanam esse determinate aut bonam, aut malam.

Huic subscribit opinioni sanctus Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 2. explicans enim ista verba Deuteronomii: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ait: " Quando Deus dicit ex toto „ corde, nullam partem vitæ reliquit, „ quæ vacare debeat, & quasi alteri locum dare. „ Epist. 19. dicit: " Ca„ vendum est ne quædam facta hominum „ media dicamus inter recte facta, & pec„ catum. „

Celeberrimus est alter ejusdem sancti Doctoris locus ex lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. excerptus, ubi sic loquitur. " Quanquam voluntas mirum si po„ test in medio quodam ita consistere, ut „ nec bona nec mala sit; aut enim justi„ tiam diligimus, & bona est; & si ma„ gis diligimus, magis bona; si minus, „ minus bona est; aut si omnino non di„ ligimus, non bona est, quis vero dubitet „ dicere voluntatem nullomodo justitiam „ diligentem, non modo esse malam, sed „ etiam pessimam voluntatem? Si ergo vo„ luntas aut bona est, aut mala, & utique „ malam non habemus ex Deo, restat „ ut bonam voluntatem habeamus ex „ Deo. „

Sic docet S. Thomas ex professo hic quæst. 18. art. 9. in argumento *sed contra*, his verbis: " Sed contra est quod di„ cit Gregorius in homilia quadam; o„ tiosum verbum est quod utilitate recti„ tudinis, aut ratione justæ necessitatis, „ aut piæ utilitatis caret: sed verbum o„ tiosum est malum, quia de eo reddent „ homines rationem in die judicii, ut di„ citur Matth. 12. si autem non caret „ ratione justæ necessitatis, aut piæ uti„ litatis, est bonum, aut malum: pari „ ergo ratione, & quilibet alius actus, „ vel est bonus, vel est malus: nullus „ ergo individualis est indifferens. „

In corpore Articuli fusius sese explicat: " Cum, inquit, rationis sit ordinare, a„ ctus a ratione deliberativa procedens, „ si non sit ad debitum finem ordinatus, „ ex hoc ipso repugnat rationi, & habet „ rationem mali; si vero ordinetur ad „ debitum finem, convenit cum ordine „ rationis, unde habet rationem boni; „ necesse est autem quod vel ordinetur, „ vel non ordinetur ad debitum finem, „ unde necesse est omnem actum hominis „ a deliberativa ratione procedentem in „ individuo consideratum, bonum esse, „ vel malum; si autem non procedit a ra„ tione deliberativa, sed ex quadam ima„ ginatione, sicut cum aliquis fricat bar„ bam, vel movet manum, aut lapidem, „ talis actus non est proprie loquendo mo„ ralis, vel humanus, cum hoc habeat „ actus a ratione: & sic erit indifferens „ quasi extra genus moralium actuum ex„ istens. „

Diluuntur objecta.

OBJICIES. Datur actus moralis ad aliquod tendens objectum, a quo tamen non habet speciem: Igitur actus humanus non habet speciem, & formam ab objecto: Probatur Antecedens. Datur actus indifferens qui nec bonus, nec malus est, ita censet sanctus Hieronymus epist. 89. his verbis: Bonum est continentia, malum est „ luxuria, inter utrumque indifferens am„ bulare, egerere alvi stercora, capitis na„ ribus purgamenta projicere, sputis rheu„ mata jacere, hoc non est bonum, nec „ malum; sive enim feceris, sive non „ feceris, nec justitiam habebis, nec in„ justitiam. „

Confirmatur: Bonum morale pertinet ad virtutem, malum vero ad vitium: sed datur etiam actio humana, quę nec virtuosa est, nec etiam mala, et vitiata, ut ad Balnea pergere.

 Respon-

Respondeo 1. haec & similia duo tantummodo probare posse, vel dari aliquas actiones hominis indifferentes, quæque quandam, & objecto indifferenti moralitatis speciem suscipiunt, ut pede propellere lapidem in via occurrentem, quæ quidem actio, teste D. Thoma, ex quadam imaginatione profluit, vel etiam dari actionem humanam, quæ non est meritoria, & supernaturalis, qualis est exhibitio eleemosynæ, motu compassionis, in quo quidem sensu quodammodo dicitur indifferens, quatenus nec vitæ æternæ præmio, vel etiam vituperio digna est. Sed certum est omnem actionem humanam, & deliberate factam esse bonam moralitate supernaturali, vel naturali, aut prorsus esse malam; talis quippe actio ad finem bonum, scilicet, ad auctorem, aut gratiæ, aut naturæ referri debet; a quo fine si recedat, mala citra dubium censenda est.

Respondeo 2. negando Antecedens. Ad probationem distinguo. Et Beatus Hieronymus loquitur de actione hominis, concedo: de actione deliberata subdistinguo: & potest esse indifferens secundum quid, hoc est, fieri non propter motivum supernaturale, sed tantum naturale: concedo: simpliciter, & absolute, nego. Quod sit ejus mens, patet ex verbis in probationibus laudatis; ait enim sanctus Doctor quod de verbis otiosis redditur ratio: Igitur ex eo potissimum actio quæ nullomodo est propter Deum vitiosa, & pœna digna censetur, seu pœnæ reatum inducit.

Ad confirmationem, nego dari actionem humanam in individuo quæ nec sit bona moraliter, saltem moralitate naturali, nec vitiata. Solutio est D. Thomæ hic quæst. 18. artic. 9. ad tertium, his verbis: " Dicendum, quod omnis finis a „ ratione deliberativa intentus pertinet „ ad bonum alicujus virtutis; nam hoc i„ pso quod aliquid agit ordinate ad sub„ stentationem, vel quietem sui corpo„ ris, ad bonum virtutis ordinatur in eo, „ qui corpus suum ordinat ad bonum vir„ tutis: & idem patet in aliis. „ Ex quibus S. Thomæ verbis luce clarius apparet omnem actionem humanam eo ipso quo humana est, & propter aliquem finem, etiam pede compulsare lapidem ad jocum, fieri debere propter Deum, vel ut auctorem gratiæ, vel ut saltem ut autorem naturæ, ordinando scilicet delectationes licitas & ad debitum finem tum intermedium, tum ultimum: intermedium quidem ut si quis det eleemosynam compassionis motivo: deambulet vero, & ludat propter sanitatem, aut conservandam, aut restaurandam; ultimum vero, scilicet propter finem sic colligitur ex Apost. 1. ad Corinth. 10. his verbis: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Et divus Thomas quæst. 2. artic. 2. ad 2. ait: " Institutor naturæ delectationes apposuit „ propter operationes. „ Igitur non ut passioni indulgeamus, sed ut naturæ indulgendo melius operemur, delectationes exquirendæ sunt.

Insistes. Quædam actiones sunt ex specie bonæ, tametsi nullum habeant determinatum finem bonum, aut malum: igitur & potest dari in individuo actio quæ nec sit bona, nec etiam mala, maxime vero cum qualibet species habeat aliquod individuum: igitur si actio specifice sumpta potest esse nec bona, nec mala, poterit & eamdem in individuo habere sortem. Probatur antecedens. Multis exemplis: in usu coniugali verbi gratia, quandoque uxorati nec de bono, nec etiam de malo cogitant fine, non quidem de malo cum actus ex natura sua sit a creatore institutus, tum ad propagationem, tum ad conservationem generis humani: neque etiam de bono absolute cum non semel eveniat eos non cogitare de sacramento, & de fine supernaturali in omnibus actionibus exquirendo. 2. Non desunt qui teneant dari posse actum indifferentem in individuo, & de facto aliquis, ut suam exerceat libertatem potest ex professo neque de bono, neque etiam de malo fine cogitare: quocirca conscientia ex sententia probabili potest absque peccato sic agere, & hoc isto illustratur exemplo: qui non restituit ignorans se teneri propter aliquas occurrentes ad restitutionem difficultates, non peccat etiamsi non restituat. Ergo &c.

Respondeo negando consequentiam: tametsi enim detur aliqua species moralitatis objectiva per modum indifferentiæ, non tamen in individuo; ratio discriminis est quod species attendatur penes objectum ut ab

ab intellectu & cognitum, & consideratum, quod autem intellectus speculatur, & voluntati proponit ad amandum, vel fugiendum, non semper executioni mandatur, maxime vero ex eo quod sæpius eveniat objectum ut circumstantiis vestitum spectare: sed actio in individuo est hic, & nunc facienda, hinc homo debet agere propter finem determinate bonum, ut ostensum est; sin minus cito aderit peccatum.

Ad primum exemplum respondeo uxoratos in usu matrimonii rectum debere habere finem, qui quidem ex sancto Thoma situs est potissimum in duobus, videlicet intendendo prolem, tum justitiæ satisfacere. Sic loquitur in 4. distinct. 26. & 31. " Duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt: scilicet causa procreandæ prolis, & debiti reddendi, alias semper est ibi peccatum ad minus veniale." Et D. Aug. lib. de dono conjugali cap. 6. & 7. " Reddere debitum conjugale, inquit, nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem, est culpa venialis."

Concinit Magnus Gregorius lib. 32. Moralium cap. 20. & sic loquitur, " Tunc solum conjuges in admixtione sine culpa sunt, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur: *Unde necesse est (addit tertia parte Pastoralis admonitione* 28.) " Ut crebris exhortationibus moneantur, ut defleant quod pulchram copulæ speciem admixtis voluptatibus fœdant." Hoc ipsum indigitat Propheta Regius, his verbis: *Nolite fieri sicut equus, & mulus quibus non est intellectus*. Quocirca sanctus Augustinus lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 4. " Male utitur qui bestialiter utitur, ut sit ejus intentio in voluptate."

Ad secundum exemplum, nego opinionem propugnantem dari posse actum indifferentem in individuo, esse veram: & hoc propter duo. Primo quidem quia ex præcepto, & naturali, & positivo omnes nostras actiones ad Deum referre debemus: naturali quidem, postulat enim lex naturalis, & recta ratio ut ad eum tanquam ad finem ultimum referamus, quæ ab eo accepimus: Porro cuncta a Deo optimo bona suscipimus: positivo vero, namque scriptum est Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Quod quidem præceptum Christus Dominus Matth. 22. renovavit: quod demum Apost. 1. ad Corinth. cap. 10. sic explanat: *Sive ergo manducatis, sive bibitis . . . . Omnia in gloriam Dei facite*. Altera ratio ea est quod actus humanus in individuo sit semper cum aliquo fine determinato qui si sit alius a Deo citra dubium malus est adeoque, & actus.

Ad ulterius exemplum de restitutione, nego paritatem; aliquis enim propter aliquas circumstantias, vel etiam sufficientis cognitionis defectu potest ignorare sese ad restitutionem teneri: at vero nullus potest ignorare præceptum naturale quale est præceptum amoris Dei quo tenemur ad bonorum universorum auctorem omnia referre.

Persistes: Atqui homo non tenetur omnes suas actiones ad Deum ut auctorem naturæ, vel gratiæ ordinare. Ergo &c. Probatur subsumptum; præceptum amoris est affirmativum: sed præceptum affirmativum non obligat pro semper; in hoc enim a negativo discrepat. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum: ad probationem distinguo minorem. Præceptum affirmativum non obligat explicite, concedo: implicite, nego. Non opus quidem est ut homo semper de Deo actu cogitet, sed sufficit ut habeat virtualem intentionem Deo placendi: ut si quis quam primum expergefactus est, cuncta in die facienda offerat Deo; tunc enim cæteræ actiones virtute prioris illius intentionis rectæ evadunt, nisi accedat peccatum mortale quo quidem prima bona intentio solvitur, eo quod homo ultimum in creatura reponat finem in Dei contemptum: sed præceptum negativum, obligat explicite, & actu pro semper, quatenus actu & semper debemus a peccato abstinere.

Urgebis. Hæc est discrepantia inter actum imperatum, & elicitum, videlicet quod elicitus v. g. amoris debeat esse propter Deum, a quo si recedat, malus ipso facto evadit; imperatus vero non sic. Debitum Matrimoniale v. g. potest reddi contra concupiscentiæ tentationes, sicut & eleemosyna fieri solo compassionis motivo: igitur non opus est actiones fieri propter Deum.

Respon-

Respondeo concesso antecedente distinguo consequens. Quædam actiones possunt fieri immediate propter finem intermedium honestum, ut duo probant exempla allata, concedo: possunt fieri non ultimate propter Deum, nego. Discrimen igitur est inter actionem imperatam, & elicitam, quod illa habeat pro fine intermedio, & motivo proximo bonum creatum, elicita vero bonum increatum, & pro motivo proximo, & pro fine ultimo: sed certe nisi actiones imperatæ ultimate terminentur ad Deum, induunt reatum & culpæ, & pœnæ propter rationes in probationibus laudatas.

Replicabis. Omissio indifferens v. g. recitationis Breviarii neque est bona, neque mala: Ergo &c.

Respondeo, non esse malam si adhibita omni diligentia, & facto examine, non potest vinci: sed certe tunc non est indifferens, cum homo se ipsum examine probet, num satisfecerit officio, hac enim voluntate velle censetur officii recitationem, & ad summum omissio est Indifferens solum specifice, & non in individuo: sed non eodem modo ratiocinandum est si absque examine debito aliquis pertranseat officii recitandi præceptum, a fortiori si omissio est voluntaria formaliter in actu positivo illum antecedente; puta si aliquis omittat missam, vacando aut negotiis, aut ludo, animadvertens horam audiendi missam a mente dilabi posse; idem dicendum de recitatione Breviarii, cum aliqui terunt tempus vel in ludo, vel in mensa, & ad extremum diei tempus remittunt; in qua hypothesi experimento comprobatur, aut memoriam, aut opportunitatem, aut attentionem præ fatigatione deficere.

Instabis: Ex his sequitur actiones omnes infidelium esse peccata. Ergo &c. Probatur Antecedens: nullomodo cogitant de Deo in suis operibus. Ergo &c.

Respondeo negando sequelam, ut fuse in tractatu de gratia probatum est: ad probationem distinguo, infideles non cogitant de Deo ut auctore gratiæ, concedo: ut auctore naturæ, subdistinguo; explicite, concedo: implicite, & saltem aliquando, nego. Sanctus Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. 3. ait, actiones infidelium ut plurimum esse peccata, eo quod propter malum agant finem: sed non negat quandoque esse bonas non solum ex officio, sed etiam ex fine, ut si quis daret eleemosynam motu compassionis ductus, quandoquidem Deus ut auctor naturæ includitur implicite in illo motivo, sic enim est satisfacere juri naturali, & dictamini conscientiæ bonæ, quod est lumen a Deo promanans, juxta illud Ps. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Et iterum Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*.

Dices. Inter articulos Joannis Hus damnatos a Patribus Concilii Constantiensis, hæc reperitur propositio num. 16. *Omnia opera sunt bona, aut mala*. Igitur ex Concilio dantur media, scilicet indifferentia.

Respondeo negando consequentiam, & dico Joannem Hus fuisse proscriptum non ea præcise ratione quod actiones humanæ essent, aut bonæ, aut malæ: sed potius quia ex eo quod essent sic, & tales, una esset necessario bona, altera vero necessario mala prout erat impetus delectationis, aut cœlestis, aut terrenæ, quæ quidem illatio humanum prorsus evacuabat liberum arbitrium.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Actus humanus quicunque sit, suam desumit speciem & naturam ex objecto circumstantiis vestito.

PRIMO: Actus humani distinguuntur inter se per ordinem ad objecta ut circumstantiis vestita, ut colligitur ex Scriptura sacra. Osee 9. & Joan. 3. sed idem est constitutivum & distinctivum. Ergo &c.

Secundo: Hanc veritatem suo muniunt calculo SS. Patres. S. Chrysostomus homil. 49. in Matth. S. Hieronymus Epistola increpatoria ad Fabianum Diaconum, & Tractat. in Psalm. 16. Sanctus Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana, cap. 2. item epist. 19. Ex professo S. Thomas hic quæst. 18. art. 9. in argumento, *sed contra* & fusius in corpore articuli.

Tertio: Non una est assertionis ratio. Sed præcipua hæc est. Omnis actus humanus est determinate bonus, vel malus, sed bonitatem, vel malitiam suam desumit ex objecto circumstantiis vestito, & per hoc distinguitur ab actu hominis. Ergo &c.

SY-

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO : Tametsi dentur quædam actiones indifferentes in individuo, quales sunt, propellere pede lapidem in via occurrentem, non inde sequitur quod actus humanus suam non desumat speciem ex objecto circumstantiis vestito. Istæ enim actiones sunt actus hominis qui ex quadam imaginatione profluunt, nec referuntur ad bonum, vel malum finem : actus vero humani fiunt ex matura deliberatione, & eo ipso referuntur ad finem, qui si bonus est, bonus erit actus, si vero malus, utique mala erit actio. Nec aliter censet S. Hieronymus, loquitur enim de actione hominis loco citato.

Secundo : Nec urget quod dictum est, quosdam esse actus quos agentes non referunt ad bonum, vel malum finem, cum de eo minime cogitant. Qualis est actus conjugalis ut sæpe evenit ; eo enim ipso quo uxorati non intendunt finem peccant saltem venialiter, inquit D. Thomas, & ante illum S. Gregorius. Qui quidem finis situs est ex eodem S. Doctore in duobus, scilicet in intentione habendi prolem, & justitiæ satisfaciendi.

Tertio : Licet præceptum de referendis suis actionibus ad Deum sit affirmativum, obligat tamen semper saltem implicite, id est, licet homo non teneatur de Deo actu cogitare, tenetur tamen virtualem habere intentionem Deo placendi, quæ intentio provenit ex priori intentione actuali qua homo suas ad Deum refert actiones.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum bonitas actus humani sita sit in ordine reali ad objectum bonum, ut optimis vestitum circumstantiis maxime fine honesto & recto.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur D. Thomæ rationibus.

PRIMUM : Bonitas alia est essentialis, & est divina, alia participata quæ utique multiplex est, nimirum una physica, quæ consistit in entitate, seu natura habente in se quidquid illi convenit : altera vero relativa, & moralis quæ desumitur ab alio a quo dependet : sed ista de qua est impræsentiarum controversia, reposita est in relatione intrinseca ad objectum omnibus vestitum circumstantiis. Ergo &c. Probatur minor ex D. Thoma qui hic quæst. 18. artic. 1. sic loquitur in conclusione : " De ratione boni „ est ipsa essendi plenitudo. „ Id est, ut habeat id omne quod ad bonam actionem moralem concurrit, puta quod actio ratione dirigatur, quod sit conformis legi, quod ex bona intentione circa finem procedat, quocirca sanctus Doctor ibidem in corpore, *ait* : " Dicendum est quod „ omnis actio in quantum habet aliquid „ de esse, in tantum habet de bonitate: „ in quantum vero deficit ei aliquid de „ plenitudine essendi, quæ debetur actio- „ ni humanæ, in tantum deficit a boni- „ tate, & sic dicitur mala ; puta si de- „ ficiat ei, vel determinata quantitas se- „ cundum rationem, vel debitus locus, „ vel aliquid hujusmodi. „ Et art. 2. " Et „ ideo sicut prima bonitas rei naturalis „ attenditur ex sua forma quæ dat spe- „ ciem ei, ita & prima bonitas actus „ moralis. Attenditur ex objecto conve- „ nienti. „ Et ibidem ad 3. " Ex hoc „ dicitur actio bona quæ bonum effectum „ efficere potest, & ita proportio actio- „ nis, est ratio bonitatis ipsius. „

Alterum, ex testimoniis divi Thomæ argumentum illud est : finis est principium in agibilibus simul & forma ; principium quidem quatenus bonitas apprehensa movet ad sui amorem, & prosecutionem : forma vero quatenus dat speciem actui : atqui hoc fit, & contingit ex tendentia, & ratione ad objectum omnibus imbutum circumstantiis, & cum directione ad finem conjunctus : Igitur bonitas actus moralis consistit in ejusmodi relatione : probatur minor ex sancto Thoma qui ibidem quæst. 18. art. 2. docet bonitatem, & malitiam actus humani desumi ex objecto, ex circumstantiis, ut probat art. 3. denique ex fine, & art. 4. sic loquitur : " Actiones autem huma- „ næ, & aliæ quorum bonitas dependet „ ab alio, habent rationem bonitatis ex „ fine a quo dependent propter bonita- „ tem

,, tem absolutam, quæ in eis existit. Sic ,, igitur in actione humana bonitas quadruplex considerari potest, una quidem ,, secundum genus pro ut est actio: quia ,, quantum habet de actione, & entitate, ,, tantum habet de bonitate, ut dictum ,, est: alia vero secundum speciem, quæ ,, accipitur secundum objectum conveniens: tertia, secundum circumstantias, quasi secundum accidentia quædam: quarta, autem secundum finem, ,, quasi secundum habitudinem ad bonitatis causam. ,,

Tertium argumentum sic procedit: bonitas actionis moralis potissimum desumitur ex consonantia, vel dissonantia ad legem; quædam enim sunt peccata solummodo quia prohibita, ut fornicationis desiderium, & ad objectum, finem, & circumstantias; non enim semel contingit actionem malam ex objecto non esse peccatum de effectu cognitionis, & intentionis finis, ut cum aliquis occidit hominem putans occidere aprum. Et juxta omnes Theologos circumstantiæ graves, & essentiales immutant peccati speciem: Sed ista consonantia, & dissonantia iuxta relationem, & tendentiam ad illa omnia a quibus dependet mensuratur: ergo &c. Porro actum humanum ab his omnibus pendere ex professo docet sanctus Thomas hic quæst. 19. ex quo concludit bonitatem, aut malitiam ex omnibus habere. Art. 1. ait bonitatem desumi ex obiecto quatenus ab eo actus habet speciem: Art. 3. pendere ex ratione cui appetitus subiici debet & sic loquitur in argumento, *sed contra*: Hilarius dicit in decimo de Trinitate: " immoderata est omnis susceptarum voluntatum pertinacia, ubi non ,, rationi voluntas subiicitur: Sed bonitas ,, voluntatis consistit, in hoc quod non sit ,, immoderata: Ergo bonitas voluntatis ,, dependet ex hoc quod sit subiecta rationi. ,, Art. 4. ait bonitatem moralem pendere ex lege æterna quæ est prima ratio agibilium, iuxta illud Ps. 41. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, subdit D. Thomas, quasi diceret; lumen rationis quod in nobis est tantum potest nobis ostendere bona, & nostram voluntatem ordinare, in quantum est lumen vultus tui: quod & probat in argumento, *sed contra* auctoritate D. Augustini libro secundo contra Faustum cap. 27. his verbis: " Peccatum est dictum, vel factum, vel ,, concupitum aliquid contra æternam legem; sed malitia voluntatis est radix ,, peccati: Ergo cum malitia bonitati ,, opponatur, bonitas voluntatis dependet ,, a lege æterna. ,,

Eamdem explanationem dat ibid. art. 9. ubi ex professo docet bonitatem moralem pendere ex conformitate ad bonitatem divinam, quæ cum sit & primum, & summum bonum, nihil est bonum nisi per ordinem ad ipsum, iuxta illud tritum axioma: *Quod est per se primo tale, cætera non sunt talia nisi per ordinem ad illud*. In argumento, *sed contra* sic pronuntiat D. Thomas: " Dicitur Matth. 16. non sicut ,, ego volo, sed sicut tu vis: quod dicit ,, quia rectum vult esse hominem, & ad ,, Deum dirigi, ut S. August. dicit in ,, Enchiridio. Rectitudo autem voluntatis est bonitas eius: Ergo bonitas voluntatis dependet ex conformitate ad ,, voluntatem divinam. ,, Denique ibidem argumento. 1. dicit eandem bonitatem pendere ex intentione finis, quod sic probat in argumento *sed contra*. Sanctus Augustinus 3. Confessionum dicit quod intentio remuneratur a Deo: Sed ex eo aliquid remuneratur a Deo, quia est bonum; Ergo bonitas voluntatis ex intentione finis dependet.

Solvuntur objectiones.

OBJICIUNT: actus moralis est quid Physicum, & absolutum, & huius conditionis est bonitas: Igitur bonitas moralis non consistit in relatione ad obiectum, ut variis adornatum circumstantiis: confirmatur ex divo Thoma art. 1. sic loquitur ad 3. " Ipsa proportio actionis ad effectum est ,, ratio bonitatis ipsius. ,, Sed proportio est aliquid physicum, & absolutum, ut patet in duobus lignis, quorum quodlibet habet eamdem quantitatem, & extensionem in longum, latum & profundum: Ergo &c.

Respondeo distinguendo Antecedens: actus moralis moraliter sumptus est quid physicum, & absolutum, concedo. Formaliter, nego. In actu eleemosynæ duo sunt attendenda, videlicet eductio pecuniæ e crumena, & eiusdem pauperi erogatio, deinde vero motivum: primum est quid physicum, & absolutum, est enim actus vitalis,

& mo-

& motus physicus de se indifferens ad bonum, vel malum; posterius vero puta motivum amoris Dei, & non superbiæ determinat actum physicum ad moralitatem bonam, quæ certe consistit in tendentia & ordine ad legem Dei, ex quo resultat bonitas moralis.

Ad confirmationem distinguo: proportio actionis ad effectum secundum judicium prudentiale est ratio bonitatis moralis, concedo: Proportio physica, nego. Certum enim est eundem actum physicum posse induere rationem bonitatis, & malitiæ: eleemosyna quippe, ut isto hæreamus exemplo, potest fieri, vel propter Deum, vel propter vanam gloriam; quocirca, jus provinciale non statuit esse bonam, nisi sit propter objectum bonum, & in circumstantiis, & in fine.

Ad exemplum quantitatis, nego paritatem: ibi enim proportio attenditur penes materiam physicam: contra vero in proportione morali.

Instabis: Relatio est quid rationis, sed bonitas actus moralis est quid reale, igitur non consistit in ordine ad objectum, ut bonis vestitum circumstantiis.

Respondeo disting. Relatio actus ad obiectum est rationis secundum quid, concedo: in se nego. Habet quidem aliquid rationis quatenus intellectus prudentialis concipit ordinem rectum ad regulas morum: Sed de facto est connotatio & intrinseca actui fundata in tendentia, & ordine reali ad objectum regulis morum consonum, & sic distincta minore, nego consequentiam.

Persistes. Quandoqne bonitas in omissione consistit, ut siquis omittat vindictam propter amorem Dei: Sed tunc non est relatio & tendentia ad obiectum bonum: Ergo &c. Probatur; inde sequeretur quod bonitas moralis esset extra actum moralem: absurdum consequens; ergo & Antecedens. Probatur: primo quidem quia bonitas moralis dependet a lege, quæ est quid actu intrinsecum ab humano judicio dependens. 2. Quia relatio resultat ad actum: Ergo &c.

Respondeo negando sequelam. Ad primam probationem distinguo; lex, & circumstantiæ sunt aliquid intrinsecum, & accidentale actui morali, si considerentur obiective, concedo: sunt quid extrinsecum, & accidentale, nego. Lex v. g. nemine cogitante, subsistit; actus vero bonus illam extrinsece connotat per modum conformitatis & tendit ad illam, unde teste divo Thoma hic q. 18. & 19. a. 4. ad 2. " Quamvis finis sit causa extrinseca, ta„ men debita proportio ad finem, & rela„ tio in ipsum inhæret actioni. „

Ad secundum distinguo; relatio resultat, posito fundamento reali, concedo; non posito, nego. Bonitas terminative quidem est quid relativum, sed formaliter reponitur in tendentia, & ordine reali ad obiectum ad quem resultat relatio, sic v. g. Pater terminative dicit relationem Paternitatis ad Filium; non tamen in eo formaliter consistit ratio Patris, sed in regeneratione activa ad actum redacta ad quam reducitur relatio; ex quo sequitur bonitatem realem esse quid physicum secundum materiale, quid reale, & nemine cogitante subsistens, secundum formale, videlicet secundum tendentiam ad obiectum regulis morum consonum, & terminative etiam quid relativum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Bonitas actus humani sita est in ordine reali ad objectum bonum, ut vestitum optimis circumstantiis maxime fine honesto & recto.

PRIMO, Quia talis bonitas, est bonitas moralis quæ desumitur ab alio a quo dependet, sed bonitas de qua impræsentiarum movetur quæstio reposita est in relatione intrinseca ad objectum omnibus vestitum circumstantiis: Ergo &c. Ita divus Thom. hic q. 18. art. 1. in conclus. " De ratione boni est ipsa essendi pleni„ tudo. „

Secundo: Finis est principium in agibilibus simul & forma; principium quidem in quantum bonitas apprehensa movet ad sui amorem, forma vero in quantum dat speciem actui, quæ quidem omnia ortum habent ex tendentia ad obiectum omnibus imbutum circumstantiis, ita D. Tho. ibid. art. 2.

Tertio: Actio moralis in tantum est bona, vel mala, in quantum consona est legi, vel dissona, nam peccata quædam sunt prohibita quia a lege vetita: Sed ista consonantia & dissonantia actionis ad legem iuxta relationem & tendentiam mensura-

furatur: Ergo &c. Sic censet D. Th. hic qu. 19. art. 1. sic S. Hilarius lib. 10. de Trinitate.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Actus moralis est quid physicum & absolutum si moraliter sumatur, minime vero si formaliter. Nam sub isto respectu determinatur a motivo ad moralitatem bonam, quæ consistit in tendentia, & ordine ad legem Dei. Et sic patet solutio ad locum divi Thomæ.

Secundo: Verum quidem est relationem esse quid rationis secundum quid, nimirum quia intellectus prudentialis concipit ordinem rectum ad regulas morum: Sed est quid reale quatenus fundatur in tendentia & ordine reali ad objectum regulis morum consonum.

Tertio: Licet bonitas moralis consistat in relatione ab objectum bonum, non sequitur quod sit extra actum moralem, quia tantummodo dependet a lege in quantum actus bonus illam extrinsece connotat per modum conformitatis, & quantum ad illam tendit. a D. Tho. hic q. 18. & 19. art. 4. ad 2.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum actus malus formaliter consistat in aliquo privativo.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA sic exponitur. Quod consistit in aversione a Deo in tenebris, & in privatione rectitudinis, profecto essentiam habet ab hujusmodi rectitudinis privatione: atqui peccatum talis est naturæ: igitur formaliter consistit in privatione. Probatur minor variis, tum Scripturæ, tum etiam sanctorum Doctorum testimoniis. Jeremiæ 2. habetur: *Duo mala fecit populus: me dereliquerunt fontem aquæ vitæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas.* Certe nemo non novit illius peccati gravitatem, & malitiam in eo consistere quod Israel suum dereliquerit Dominum. Conversio quippe ad creaturam de se indifferens est ad bonum, & malum, nec ab alio fonte quam ab aversione, & Dei, & legis suam desumit deformitatem. Hinc qui utitur creatura propter bonum finem, non peccat: igitur ex Scriptura peccatum consistit formaliter in aversione Dei, & derelictione, quod quidem certatim divinæ innuunt Scripturæ, maxime liber Danielis ubi propheta retundit peccatum seniorum in piam Susannam concupiscentium, in eo quod suam a cælo averterent faciem.

S. Dionysius de divinis nominibus cap. 4. ait, " Malum quemadmodum sæpe „ diximus, infirmitas, imbecillitas, ac „ privatio est: Malum est non existens. „

Astipulatur Magnus Gregorius lib. 4. Moralium cap. 15. ubi expendens illud Job. 3. *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est conceptus est homo*, inquit: " Homo in die nascitur, sed in „ nocte concipitur, quia nequaquam ad „ delectationem peccati rapitur, nisi per „ voluntarias mentis tenebras infirmetur, „ ante enim cæcus in mente fit, & post- „ modum se reprobæ delectationi sub- „ sternit. „

D. Thomas ubique suam circa istud momentum clare aperit mentem 3. p. q. 86. art. 4. ad 2. sic loquitur; " Culpa mor- „ talis utrumque habet, aversionem a Deo, „ & conversionem ad bonum creatum: sed „ aversio a Deo est sicut formale, con- „ versio autem ibi est sicut materiale: „ remoto autem formali cuiuscumque „ rei, tollitur species, sicut remoto na- „ turali, tollitur species humana, & „ ideo ex hoc ipso dicitur culpa mortalis „ remitti, quod per gratiam tollitur men- „ tis aversio a Deo simul cum reatu pœ- „ næ æternæ. „

Rursus 1. 2. q. 71. art. 6. in corp. ait: " Peccatum nihil aliud est quam actus „ humanus malus. Quod autem aliquis „ actus sit humanus, habet ex hoc quod „ est voluntarius quasi a voluntate elici- „ tus . . . . habet autem actus humanus „ quod sit malus ex eo quod caret debi- „ ta commensuratione. „ Idem dicit 2. 2. qu. 10. art. 3. his verbis: " Omne „ peccatum formaliter consistit in aver- „ sione a Deo. „

Secunda hæc est: tale est peccatum qua-

lis est peccati causa, sed causa peccati non est efficiens, sed deficiens: Ergo peccatum consistit formaliter in privationis rectitudine.

S. Augustinus utique & passim debellat hoc principio Manichæos, illisque probat creaturas sensibiles a malo Deo, & principio non profluere & quod malum in privativo consistat: ex quo concludit creaturas, utpote quid positivum, a Deo Opt. Max. promanare, hoc ipsum innuit lib. 12. de civ. Dei cap. 7. his verbis: ,, Nemo quærat causam efficientem humanæ pravitatis, non enim est efficiens, ,, sed deficiens quia nec illa affectio est, ,, sed defectio.

Hanc egregiam rationem explanat D. Thomas hic quæst. 63. art. 2. & sic loquitur: " Peccatum nominat ens, & actionem cum quodam defectu; defectus autem ille est ex causa creata scilicet libero arbitrio, in quantum deficit ab ,, ordine primi agentis, scilicet Dei, unde iste defectus non reducitur in Deum ,, sicut in causam, sed in liberum arbitrium: sicut effectus claudicationis reducitur in tibiam curvam, sicut in causam; ,, non tamen in virtutem motivam a qua ,, tamen causatur quidquid est motionis in ,, claudicatione, & secundum hoc Deus ,, est causa actus peccati, non tamen est ,, causa peccati; quia non est causa hujus ,, quod actus sit cum defectu. ,,

Tertia, horrendum est dicere Deum esse peccati auctorem, juxta illud Tridentini sess. 6. can. 6. *Si quis dixerit mala opera ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie & per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ quam vocatio Pauli, anathema sit.* Sed si peccatum reponeretur essentialiter in aliquo positivo, videretur Deus, quod absit nequidem cogitare, auctor peccati: Ergo &c.

Probatur minor. Omne positivum est ens, omne vero ens est a Deo: ens enim, inquit D. Thomas 1. p. " Unum, ,, verum, bonum convertuntur: tametsi ,, enim quorumdam sententia peccatum ,, consistat in positivo solum obliquato; ,, istud tamen est positivum, adeoque & ,, ens, sub quo respectu mali naturam nequit induere: Ergo &c.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES 1. actus malus est actui virtuoso contrarius, juxta illud B. Augustini: *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam:* Atqui sola entia positiva contrarie opponuntur; igitur peccatum consistit formaliter in positivo, videlicet in tendentia ad objectum dissonum.

Respondeo distinguendo majorem. Actus bonus & malus contrarie opponuntur penes finem, concedo, penes essentiam, nego. Duo in actu malo consideranda sunt: nimirum tendentia in objectum, & finem: deinde vero penes effectum ab illa tendentia productum: actus bonus consistit in positivo, & juxta tendentiam quæ est causa, & juxta bonitatem tendentia productam; sicut enim tendentia actualis producitur a conclusione demonstrativa, ita & bonitas moralis, a tendentia in objectum regulis morum consonum: sed non sic in actu malo: in eo quidem est tendentia, sed in objectum malum, & secundum hoc contrarie opponitur actui bono, cujus & objectum & finis optima sunt, sed quod producitur a tendentia mala, est defectus rectitudinis, adeoque & privatio.

Hanc tradit solutionem D. Thomas opusculo 2. cap. 144. ubi ait: " Nomine ,, mali nihil aliud intelligitur, quam pri- ,, vatio esse perfecti. ,, Et postquam cap. 113. demonstravit impossibile esse quod malum sit aliqua natura, vel actus, vel potentia, vel compositum, ex actu & potentia, cap. 116. descendit ad malum morale, & proponit sibi hoc argumentum: " Considerandum igitur restat quomodo ,, bonum & malum dicuntur contraria. ,, Et sic respondet: " Sciendum est igitur ,, quod sicut naturalia consequuntur speciem a forma, a qua omnia moralia ,, dependent: sicut autem in naturalibus ,, uni formæ adjungitur privatio alterius, ,, puta formæ ignis privatio formæ aeris: ,, ita in moralibus uni fini adjungitur ,, privatio finis alterius; cum igitur privatio perfectionis debitæ sit malum, in ,, naturalibus formam accipere, cui adjungitur privatio formæ debitæ, malum ,, est, non propter formam, sed propter ,, privationem ei adjunctam, sicut igniri ,, ma-

„ malum est in ligno, & in moralibus „ etiam inhærere fini cui adjungitur pri„ vatio finis debiti, malum est, non pro„ pter finem, sed propter privationem „ adjunctam, & sic duæ actiones morales, „ quæ ad contrarios fines ordinantur, se„ cundum bonum, & malum differunt, „ & per consequens contrarii habitus dif„ ferunt bono, & malo, quasi differentiis „ existentibus, & contrarietatem ad in„ vicem habentibus, non propter priva„ tionem ex qua dicitur malum, sed pro„ pter finem, cui privatio adjungitur. „

Ex his S. Thomæ verbis claret actum bonum & malum contrarie opponi juxta tendentiam in diversum finem cui privatio adjungitur. Licet enim privatio non sit actus sed entis defectus, ratione tamen tendentiæ malæ a qua producitur, habet contrarietatem saltem mediatam cum actu bono.

Dices: Ergo formale & essentia peccati est mera resultantia ad tendentiam in objectum, & finem dissonum; sed absurdum est essentiam actus humani in quadam resultantia reponere: Ergo &c.

Respondeo negando sequelam: Aversio enim a Deo, & a lege formaliter intenditur in peccato; quocirca homo malus dicitur prævaricator; quia vero sic evadit per defectum, non mirum est si privatio non resultet simpliciter, sed per se producta ab actu bono: sicut e contra bonitas producatur ab actu malo; quis autem sanæ mentis dicit effectum ad actionem agentis consequentem fieri per resultantiam?

Instabis: Habitus bonus & malus consistunt in positivo, & contrarie immediate opponuntur: igitur & idem dicendum de actu bono & malo. Confirmatur; talis est effectus, qualis causa: Ergo &c.

Respondeo negando paritatem, habitus enim tum bonus, tum etiam malus est tendentia in objectum, adeoque uterque positivus, sed malus terminatur ad defectum, & privationem, hinc & dispar est ratio.

Ad confirmationem distinguo: talis est effectus bonus, qualis est causa, concedo: effectus malus, nego: Iste enim producitur per tendentiam in objectum malum, quæ tendentia eo ipso quo a fine deficit, inducit in subjecto rectitudinis privationem, & cum eo reatum culpæ & pœnæ; quocirca tametsi in aliquo conveniat cum tendentia, scilicet in obliquatione, non tamen in omnibus, quia prorsus deficit ab ente positivo: hoc ipsum innuit Propheta Regius cum de suo peccato loquens, ait: *Ad nihilum redactus sum, & nescivi*.

Insistes: Actus odii Dei, & mendacii rectitudinis non sunt susceptivi: Igitur contrarietas in peccatis non est penes rectitudinis privationem.

Respondeo distinguendo: hujusmodi actus reduplicative ut sunt odium Dei, & mendacium, non sunt rectitudinis susceptivi, concedo: si considerentur secundum se, nego. Tales actus possunt considerari tripliciter: primo quidem ut sunt actus vitales & physici: 2. ut is homo quærit suam in communi beatitudinem, fugiendo scelerum vindicem, & mendacio sua commoda quærens; denique ut sunt contra legem: possunt priori modo suscipere bonitatem, & malitiam, quandoquidem motu linguæ v. g. ad Deum blasphemandum potest uti peccator ad eundem benedicendum, sub quo respectu potest esse bonus, vel malus: sed neque secundo modo consideratus malus est, namque ex proprio pondere, & ex jure avito quærit suam homo in communi beatitudinem: sed evadit malus eo ipso quo illam reponit in odio Dei & mendacio; unde ex parte fit peccatum, quatenus est rectitudinis privatio.

Persistes: Odium Dei est per se peccatum, & independenter ab omni lege: in hoc enim discrepat ab actibus malis qui sunt peccata, quia prohibita, hoc est quia contra legem patrata: igitur independenter a privatione rectitudinis odium Dei est peccatum.

Respondeo distinguendo: odium Dei non est peccatum independenter a lege positiva & scripta, transeat: independenter a lege naturali, nego. Lex positiva & scripta prohibet odium Dei, & ideo convenit ille actus malus cum aliis qui sunt tales propter legem: sed & insuper naturali prohibetur lege: & ideo non solum inducit privationem rectitudinis, sed & præ cæteris peccatis majorem, quatenus est contra jus naturæ dictantis Deum omnibus modis ut & Patrem, & ut benefactorem redamandum.

Replicabis: Privatio se habet solummodo con-

consequenter ad actum odii : igitur ante privationem jam est actus odii.

Respondeo distinguendo consequens : se habet consequenter, & etiam quodammodo concomitanter, immo & antecedenter ad actum, concedo : solummodo consequenter, nego. Actus talis peccati potest triplici modo considerari. Primo quidem juxta agentis finem, deinde juxta attendentiam obliquatam quæ est ejus fundamentum. Tandem vero ut effectus ab actu productus : primo modo eatenus antecedenter se habet, quatenus peccator sese a Deo avertere intendit : secundo modo concomitanter; namque actum producit, quo a Deo discedit : hinc illa tendentia ad objectum dissonum essentialiter connotat aversionem, & ejus privationem. Tertio vero consequenter : sic per defectum pupillæ cæcitas in oculo producitur, & hoc, organi læsione & dissolutione : quod ipsum contingit in ordine morali per actum peccaminosum; hanc insinuat solutionem D. Thomas hic q. 75. art. 1. his verbis : " Provenit defectus ,, ordinis in actu ex defectu directionis ,, in voluntate : voluntas sine adhibitio- ,, ne regulæ rationis, vel legis divinæ ,, est causa peccati. ,,

Urgebis : Si peccatum formaliter in privatione consistit, tria potissimum sequuntur absurda : primo quidem omnia peccata esse omissionis delicta, cum cuncta in carentia debitæ rectitudinis reponantur. 2. Et esse æqualia. 3. Tandem Deum punire homines pœnis æternis pro nihilo, videlicet pro privatione rectitudinis quæ nihil prorsus est : sed hæc omnia non sunt admittenda : Ergo &c.

Respondeo negando sequelam quoad omnes partes; quoad primam quidem, latum est enim discrimen inter peccatum commissionis, & peccatum omissionis, primum enim est contra præceptum affirmativum & per cessationem actus a lege præcepti : alterum vero est contra præceptum negativum, & per actum exprofesso adversus legem factum, lex v. g. ait non furaberis; hinc qui furatur, actum positivum contra legem elicit : Ergo-ne furtum consistit in actu positivo ? Fundamentaliter hoc verum est, sed non formaliter.

Ad secundam partem nego quoque inde sequi omnia peccata esse æqualia, quippe quæ suscipiant magis & minus juxta majorem, vel minorem tendentiam in objectum dissonum : Et vero qui deliberata malitia odio habet Deum, magis ab illo & recedit & avertitur, quam ille qui solum ex fragilitate, & sibi indulgendo per creaturæ possessionem peccat : quocirca juxta inconcussum D. Thomæ principium, privatio moralis suscipit majus & minus per oppositum, hoc est, per actum quo aliquis tendit in objectum dissonum; hinc hic q. 18. art. 8. ad 1. vocat peccatum privationem in fieri : id est, illam mensurat secundum majorem vel minorem tendentiam in objectum pravum : neque vero etiam sequitur Deum punire peccatores pro nihilo : cum nihilum morale repetitis actibus producatur; tum quia illa privatio moralis, & a Deo optimo aversio, est grande scelus, & nefandum crimen.

Repones : Peccatum omissionis specie differt a peccato commissionis : sed non aliter quam quod in privatione, alterum vero quod in privatione consistat : Et probatur. Peccatum commissionis nullum habet actum, ideo omissionis dicitur : Ergo &c.

Respondeo negando minorem : juxta responsionem mox datam : Ad probationem distinguo; peccatum omissionis nullum habet actum directum, transeat : mediatum, & indirectum, nego. Peccatum omissionis est voluntarium, quod contingit dupliciter; primo quidem per actum positivum, & directe contra legem, ut cum aliquis dicit nolo audire Missam, quando urget præceptum; vel cum sibi potius indulgere vult laborando, aut ludendo tempore quo scit, vel advertit urgere præceptum; deinde vero cum neque advertit, neque cogitat de obligatione præcepti, & tempore illud adimplendi : priori modo omissio est voluntaria ratione actus contrarii : posteriori modo ratione voluntatis, quatenus non vult animadvertere, & examine debito de tempore præceptum adimplendi vincere ignorantiam : Ex quo sequitur istam posteriorem omissionem, tametsi in actu indirecto volitam, esse peccatum, namque est volita in actu indebitæ & intempestivæ occupationis. Ita colligitur ex D. Thoma hic 1. 2. quæst. 71. art. 5. his verbis : " Ad ,, secundum dicendum quod aliquid di-

„ citur voluntarium non solum quia ca-
„ dit super ipsum actus voluntatis, sed
„ quia in potestate nostra est, ut fiat,
„ vel non fiat, ut dicitur 3. Ethicorum,
„ unde etiam ipsum non velle potest di-
„ ci voluntarium, in quantum in pote-
„ state hominis est velle, & non velle.„

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Actus malus formaliter consistit in aliquo privativo.

PRIMO, hoc certatim divinæ innuunt Scripturæ, maxime liber Danielis ubi Propheta retundit peccatum seniorum in eo quod suam a cœlo averterant faciem. Item Jerem. 2. habetur: *Duo mala fecit populus, &c.*

Secundo: Astipulantur Patres. S. Dionys. lib. de div. nominibus. S. Greg. lib. 4. Moral. c. 15. super illa verba Job. *Pereat dies in qua natus sum*. Et D. Th. ex professo 3. p. q. 86. art. 4. ad 1.

Tertio: Si peccatum reponeretur in aliquo positivo, Deus esset auctor peccati quod absit dicere.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Quamvis actus malus sit actui virtuoso contrarius, tamen etiam juxta B. Aug. sententiam idem sunt penes essentiam, id est, penes tendentiam: sed quod tendentia illa sit in objectum regulis morum dissonum; inde sequitur quod consistet in privativo, id est, in defectu rectitudinis ad bonum finem.

Secundo: Etiamsi peccatum in privativo consistat, nulla tamen sequuntur absurda, 1. quia peccatum commissionis est contra præceptum affirmativum quod non obligat semper. 2. Quia cum diversa sit tendentia, id est, quod sit major vel minor, inde sequitur quod non sint peccata æqualia.

Tertio: Licet peccatum consistat in privativo, tamen Deus non damnat peccatores pro nihilo, quia eo ipso quo peccant, avertuntur a Deo quod est maximum scelus.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum actus humanus interior & exterior sint ejusdem speciei.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur multis rationibus.

PRIMA sic deducitur: bonitas & malitia actus moralis desumitur, ut supra ostensum est ex objecto variis vestito circumstantiis, & ex fine præconcepto: sed totum hoc negotium formaliter perficitur per actum interiorem, videlicet per apprehensionem & obiecti & finis: per iudicium de his omnibus; hinc bonitas & malitia per actum intellectus practici respergitur in actu exteriori: Ergo &c. Probatur minor auctoritate Scripturæ, & sanctorum Doctorum. Genes. 22. legitur Deum sic allocutum fuisse Abraham: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti unigenito Filio propter me, benedicam tibi*. Ex quo liquet totum actionis pondus, & meritum non fuisse circa actum exteriorem, quippe qui, iubente Deo, suspensus fuerit, sed penes promptam in obediendo intentionem & voluntatem: quod indigitat S. Chrysost. homil. 47. in Genesim, ubi verba prædicta expendens, ait: " Quantum ad voluntatem cruenta-
„ verat dextram Patriarcha, & per cu-
„ tem pueri immiserat gladium, perfe-
„ ctumque obtulerat sacrificium: & id-
„ circo Dominus quasi sacrificio reipsa
„ consummato laudat iustum. „

Celeberrimus est Matthæi locus pro nostra conclusione cap. 5. ubi sic loquitur Christus: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Quæ verba ponderans D. Aug. lib. 1. de libero arbit. c. 3. ait: " Si cui
„ etiam non contingat facultas concum-
„ bendi cum coniuge aliena, planum ta-
„ men aliquo modo sit id eum cupere, &
„ si potestas detur facturum esse, non mi-
„ nus reus est, quam si in ipso facto de-
„ prehenderetur. „ Et divus Bernardus ep. 77. his verbis: " Quid planius? Quod
„ voluntas quæ pro facto reputatur, ubi
„ factum excludit necessitas. „ Denique ipse Christus Dominus totam definit quæstionem, cum discipulorum suorum a Pha-
risæis,

risæis, quod non lotis manibus manducarent, partes suscipiens ait: " *Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem; ex corde enim exeunt malæ cogitationes, adulteria.*

Secunda: expressio viva & realis alicujus rei non ponit cum ea in numero, in ordine morali, sed quid unum specifice & individualiter censetur; sed actus exterior est viva, & realis expressio actus interioris, eo prope modo quo verbum a lingua prolatum nihil aliud importat preter verbi mentis expressionem, & isto principio innixi Theologi Filium Dei qui est viva Patris expressio, ejusque Verbum, docent esse Patri consubstantialem, & unum cum illo in natura: igitur actus exterior moralis nullam essentialem addit aut bonitatem, aut malitiam super actum interiorem: hoc ipsum apparet in vidua quæ duo tantummodo minuta propter paupertatem misit in gazophylacium, ut refertur Lucæ 21. cujus tum munus Salvator longe antepofuit magnis divitum eleemosynis, quatenus voluntas in illa fuit major obediendi Dei Israel præceptis quam in Pharisæis & Scribis ditioribus: unde vero actus exterior tanti ponderis? Non certe ex materia, sed ex actu interiori, cujus erat expressio; ita S. Apostolus 2. ad Corinth. 8. ubi sic loquitur ad stimulandam fidelium erga pauperes charitatem: *Ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est: Secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet.* S. Cyprianus hanc explanat veritatem tractatu de operibus, & eleemosynis, his verbis: " Viduam „ cum videret Dominus, non de patri- „ monio, sed de animo opus ejus exami- „ nans & considerans non quantum, sed „ ex quanto dedisset, dixit vidua ista di- „ vitibus misit in dona Dei. „ Hoc ipsum innuunt communiter Theologi, qui docent cum S. Th. pauperem posse habere in summo gradu liberalitatem, & erga egenos charitatem, tametsi illi deficiant non dando; & hoc propter bonam voluntatem; igitur bonitas & malitia formalis actus interioris cum exteriori conjuncti tota repetitur ab interiori.

Tertia: Actus humanus physice consideratus, immo & extrinsece, indifferens est ad bonum & malum. Sic aliquis potest ensem movere vel contra fratrem, vel contra patriæ inimicum: sed determinatio actus exterioris ad bonum aut malum tota repetitur & ex objecto & intentione finis, quibus quidem sublatis, ut si inter dormiendum aliquis ense confoderet amicum, neque bene, neque male faceret formaliter. Igitur bonitas aut malitia actus exterioris nihil addit essentiale supra bonitatem & malitiam actus interioris. Revera quidem malitia & bonitas non resident in actu exteriori, sed in actu interiori: cuius rei argumentum est quod potentia executiva nihil minuat, aut addat essentialiter de præmio, aut pœna; alias qui vi impediret aliquem ad eleemosynam pauperi elargiendam paratum, impediret huiusce voluntatis meritum quod certe nullus ex Catholicis dixerit: Ergo &c.

Divus Thomas hic quæst. 20. variis articulis propositam explanat, & probat veritatem. Articulo quidem primo ubi ex professo docet bonitatem & malitiam exteriorem actuum humanorum prius residere in voluntate quam in actu exteriori, & sic loquitur in argumento *sed contra*. S. Augustinus dicit in lib. 1. retractatationum capit. 9. " Quod voluntas „ est qua peccatur, & recte vivitur: Er- „ go malum & bonum morale per prius „ consistit in voluntate. „

Articulo secundo docet bonitatem & malitiam exterioris actus repeti ex bonitate vel malitia voluntatis, & sic loquitur. " Si igitur voluntas sit bona, & ex ob- „ jecto proprio & ex fine, consequens est „ actum exteriorem esse bonum. Sed non „ sufficit ad hoc quod actus exterior sit „ bonus bonitate voluntatis, quæ est ex „ intentione finis: Sed si voluntas sit mala „ sive ex intentione finis, sive ex actu „ volito, consequens est actum exterio- „ rem esse malum. „

Articulo tertio ex professo & specialiter probat eandem prorsus esse bonitatem & malitiam actus interioris & exterioris, & sic loquitur: " Quando actus exterior est „ bonus vel malus solum ex ordine ad „ finem, tunc est omnino eadem bonitas „ & malitia actus voluntatis quæ per se „ respicit finem, & actus exterioris qui „ respicit finem mediante actu volunta- „ tis. „ Ergo &c.

Solvuntur objectiones.

Objicies: Scriptura passim loquitur de actibus malis exterioribus tanquam specialem malitiam præ se ferentibus: igitur actus exterior non est ejusdem speciei cum actu interiori. Probatur antecedens multis momentis. Primo quidem Deus non nisi propter actus exteriores malos increpat Judæos v. g. propter idololatriam. 2. Pœnas eidem populo specialiter propter actus malos exteriores inflixit, ut judicandum est exemplo captivitatis tum Ninives, tum Babylonis, maxime vero consummatione desolationis Jerusalem per Titum & Vespasianum propter Christi mortem. 3. Quia de facto actus interior malus est propter exteriorem, & ab eo denominatur: Sic qui habet voluntatem furandi, ideo peccat quod ille actus interior essentialiter ordinetur ad furtum extrinsece & realiter committendum. 4. Denique peccatum definitur per actum exteriorem, juxta illud Augustini: *Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*. Ita ut SS. Doctores actum interiorem ab exteriori nusquam divellant, eo quod tendentia in illum, speciem det peccato; quod autem dat speciem, habet specialem malitiam.

Respondeo 1. hæc omnia unum tantummodo probare, actum exteriorem malum importare quidem malitiam, & deformitatem, sed ab actu interiori indistinctam, ut ex probationibus liquet; quandoquidem malitia non in actu exteriori potentiæ executivæ subjectatur, cum non nisi sit extrinsece libera, & ut a voluntate mota, sed tantum in voluntate.

Respondeo 2. negando antecedens: Ad primam probationem distinguo: & Scriptura sese attemperat ad captum humanum, concedo: etenim loquitur ut plurimum de actibus humanis exterioribus tum pro malitia explicanda, tum pro exhibenda pœna, ut homines sensibiles facilius a peccatis deterreat, tum quia hoc modo peccatores maxime vincuntur, tum quia etiam actus exterior ut plurimum habet sibi adjunctum scandalum: de actu exteriori loquitur tanquam distincto ab actu interiori inducente malitiam, nego. Cæterum falsum est Christum increpasse Judæos solummodo propter exteriorem peccati actum, cum sepius damnaverit Scribas & Pharisæos, propter malas eorum cogitationes, eo quod eorum voluntas inveniretur & in jejuniis, & eleemosynis, quocirca eis dicebat: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

Ad secundam probationem similiter distinguo: magnas Deus inflixit Judæis pœnas propter actus exteriores malos simul & indivulse propter interiores, concedo: propter actus exteriores præcise, subdistinguo: eo quod aliquam accidentalem addant malitiam, concedo: eo quod essentialem subjiciant, nego. Dictum est malitiam repeti etiam ex circumstantiis quibus nonnunquam actus intenditur, & si est malus accedit quædam accidentalis malitia, quædam vero bonitas si sit laudabilis. Ita colligitur ex divo Thoma in secundum, distinct. 40. q. 1. art. 3. his verbis: " Actus exterior nihil ,, adjungit ad præmium essentiale: tantum ,, enim meretur qui habet perfectam voluntatem aliquod bonum faciendi, quantum ,, si illud faceret, ut si facit unum actum ,, quantum si faceret multos, voluntate æqualiter perfecta manente, ad præmium ,, autem accidentale ordinatur per bonitatem, quæ est ipsius actus exterioris secundum se: & ideo actus exterior adjungit aliquid ad præmium accidentale. ,, Idem dicendum a contrario de actu humano; sed neque mirari quisquam debet si, aucta malitia, accidentaliter augeatur, & pœna.

Ad tertiam non absimili modo distinguo. Actus interior malus & propter exteriorem illative, concedo: hoc est, ex eo quod actus exterior sit malus, sequitur interiorem esse malum formaliter, nego; nam teste D. Thoma supra citato hic artic. 3. " Actus voluntatis se habet ut formale ,, ad actum exteriorem: ex formali & ,, materiali fit unum. ,,

Ad quartam & ultimam probationem patet solutio ex S. Augustino qui commemorat actum interiorem simul cum exteriori; ait enim peccatum esse: *Dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*. Solutio est quoque D. Thomæ hic quæst. 72. artic. 7. ad 3. his verbis: " Dicendum quod peccata cordis & oris ,, non distinguuntur a peccato operis, ,, quando simul cum eo conjunguntur, sed ,, prout quodlibet horum per se invenitur. ,,

„ tur. „ Id est, quando invenitur peccatum sine aliis, & peccatum oris sine peccato operis : Sicut pars motus non distinguitur a toto motu quando motus est continuus, sed solum quando motus sistit in medio.

Instabis: Quæ prohibentur diversis præceptis, diversam quoque præcontinent malitiam : Atqui quandoque actus interior & exterior diversis prohibentur præceptis : Et probatur : de venereorum peccato interiori, est eadem lex ac de furto : " Alterius sponsam, nec rem cupies alienam. „ De exteriori vero diversa : *Non furaberis, non fornicaberis* : Ergo &c.

Respondeo distinguendo : quæ diversis prohibentur præceptis, diversam habent accidentalem malitiam, concedo : diversam essentialem, nego. Nec mirum; cum enim homo in quibusdam sit pronus ad malum, maxime ad libidinem & thesauros, Christus ut homines ab istis peccatis patrandis deterreret, alternato præcepto, & venerea, & furta prohibuit : Cæterum quædam peccata de se ita horribilia sunt ut non opus fuerit duplici præcepto ea prohibere, quandoquidem de eorum gravitate homines sufficientem habeant notitiam. Solutio est D. Thomæ 2. 2. quæst. 122. art. 6. ad 4. ubi sic loquitur : " Dicendum quod homicidium secundum se non est concupiscibile, sed magis horribile, quia non habet de se rationem alicujus boni, sed adulterium habet rationem alicujus boni, scilicet delectabilis, furtum habet etiam rationem alicujus boni, scilicet utilis : bonum autem habet de se rationem boni alicujus concupiscibilis; & ideo fuit specialibus præceptis prohibenda concupiscentia furti & adulterii, non autem concupiscentia homicidii. „

Repones : S. Augustinus l. 13. de Trin. c. 6. ait : " Mala voluntate, vel sola quisque miser efficitur; sed miserior potestate qua desiderium malæ voluntatis impletur. „ Sed non foret miserior nisi actus specialem adderet actui externo malitiam : Ergo &c.

Respondeo negando absolute minorem. cum enim actui externo adjunctæ sint censuræ, pœnæ civiles, & ut plurimum infamia, ac propriorum bonorum dilapidatio, haud dubie homo per actum peccati externum sit miserior.

Urgebis : D. Thomas hic q. 20. art. 4. asserit actum externum interno subjicere protervitatem, sic enim habet : " Si autem loquamur de bonitate actus exterioris quam habet secundum materiam, & debitas circumstantias, sic comparatur ad voluntatem ut terminus & finis; & hoc modo addit ad bonitatem vel malitiam voluntatis ; Ergo &c.

Respondeo distinguendo. Actus exterior addit interno malitiam specialem objectivam, & mere materialem, concedo : formalem, nego. Quandoque objectum est de se malum, ut occidere hominem; quandoque etiam ex circumstantiis, ut occidere in Ecclesia : Sed ratio formalis malitiæ attenditur penes & rationem & voluntatem; hinc ista omnia unicum formale objectum & adæquatum constituunt, sicque in una & eadem malitia adunantur. Divus Thomas est sui ipsius interpres hic art. 3. in loco pro probatione laudato. Rursus ibidem art. 1. ad 1. his verbis : " Dicendum quod actus exterior est objectum voluntatis, in quantum proponitur voluntati a ratione ut quoddam bonum apprehensum & ordinatum per rationem, & sic est prius bonum quam actus voluntatis : in quantum vero consistit in executione operis, est effectus voluntatis, & sequitur voluntatem. „

Insistes : Peccatum speciem habet ab actu exteriori ; ideo enim voluntas furandi est mala, quia dicit ordinem ad furtum actuale : igitur actus exterior specialem habet malitiam ab interiori distinctam : maxime vero cum sit effectus malæ voluntatis : porro causa & effectus distinguuntur.

Respondeo distinguendo : Actus exterior dat speciem peccato indistinctam ab actu exteriori, concedo : distinctam, nego. Et vero licet sit effectus malæ voluntatis in ratione executionis, habet tamen modum causæ in ratione motivi & intentionis quatenus pecuniæ præsentes movent potentiam : quocirca actus interior & exterior adunantur in voluntate. Sic respondet D. Thomas hic quæst. 20. art. 3. his verbis : " Quando aliquid derivatur ab uno in alterum secundum analogiam vel proportionem : tunc est tantum unum numero, sicut a sano quod est in corpore animalis derivatur sanum

„ num ad medicinam . . . . & hoc modo a „ bonitate voluntatis derivatur bonitas „ actus exterioris, & e converso scilicet se- „ cundum ordinem unius ad alterum . „

Replicabis : Actus interior & exterior diversa habent principia, & ut plurimum subjecta : igitur inducunt diversam bonitatem & malitiam ab actu interno: Probatur antecedens. Actus externus v. g. temperantiæ a virtute temperantiæ & appetitu sensitivo, procedit ; internus vero a voluntate : actus ille externus subiectatur quoque in parte concupiscibili, internus vero in rationali, abstinendi scilicet voluntate, cum sit propositum abstinendi a venereis propter Deum. Ergo &c.

Respondeo distinguendo : & hæc omnia probant solummodo actum externum esse diversi generis, concedo : diversæ speciei, nego. Actus enim externus a voluntate procedit a qua imperatur, quatenus appetitus concupiscibilis non movetur nisi prius motus & imperatus a voluntate. Solutio est D. Thomæ hic art. 3. ad 1. " Di- „ cendum quod illa ratio probat quod „ actus interior & exterior sunt diversi „ secundum genus naturæ, sed tamen ex „ eis sic diversis constituitur unum in ge- „ nere moris. „

Instabis: Atqui actus exterior addit bonitatem essentialem interno si sit bonus; e contra vero malitiam si sit malus: Ergo &c. Probatur subs. multis argumentis & exemplis. Primo quidem accedens ad sacramenta, realiter majorem suscipit frugem eo qui illa solum habet in voto. 2. Qui vitam pro Christo dat, est martyr, sed non qui solummodo habet voluntatem subeundi mortem pro Christo: & ille Laureola martyrii donatur, secus vero posterior, ergo &c. Præmium autem diversum correspondet diversæ actus bonitati : de actibus vero malis non una est probatio : Primo quidem, qui negat fidem extrinsece coram tyrannis peccat mortaliter, tametsi non discredat. 2. Censuræ affixæ sunt actibus exterioribus,quod quidem innuit specialem inesse eis malitiam. 3. In confessione aperiendi sunt actus exteriores & eorum circumstantiæ : Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum propter rationes in probationibus allatas.

Ad primum exemplum pro actibus bonis distinguo, qui suscipit Sacramentum realiter, eatenus majorem percipit frugem, quatenus Sacramenta operantur ex opere operato, concedo : præcise ratione diversæ bonitatis actuum hominis, nego : namque operatio sacramenti importat actum interiorem simul & exteriorem, alias si interior deficeret, v. g. contritio in sacramento Pœnitentiæ, aut perfecta, aut saltem imperfecta, gratia non produceretur. Quid plura dicam ? Votum Sacramenti est actus diversus a susceptione Sacramenti, omnes quippe norunt pœnitentiam, ut virtutem distingui a pœnitentia, ut sacramento : hinc non mirum si actus exterior, & interior in susceptione sacramenti maiorem importet bonitatem sicut & maiorem frugem afferat, quam votum interius extrinsece expressum, videlicet ore, & lingua.

Ad secundum pro eodem momento exemplum distinguo similiter, & eodem modo ratiocinandum est de martyrio realiter suscepto relative ad votum, concedo. Sunt enim diversi actus, tum interiores, tum exteriores ; & martyrium, ut docent Theologi, causat gratiam ex opere operato, quatenus est realis imitatio passionis Christi, quocirca martyrium habet actum interiorem, & exteriorem diversum a voto : Secus, nego. Quidam tamen existimant actum interiorem voti martyrii esse eiusdem speciei cum actu interiori amoris connotante actum externum quo aliquis ad internecionem usque propugnat Christi fidem, & in hac hypothesi martyrium addere præmium duntaxat accidentale quod Laureolæ nomine celebratur. Hoc ipsum colligitur ex divo Thoma qui in 2. distinct. 40. q. 1. art. 3. sic loquitur : " Actus exterior nihil adjun- „ git ad præmium essentiale : tantum „ enim meretur quia habet aliquam perfe- „ ctam voluntatem aliquod bonum faciendi „ quantum si faceret illud, ut si facit „ unum actum, quantum si faceret mul- „ tos, voluntate æqualiter perfecta ma- „ nente, ad præmium autem accidentale „ ordinatur per bonitatem, quæ est ipsius „ actus exterioris secundum se, & ideo „ actus exterior adiungit aliquid ad præ- „ mium accidentale. „ Sed hoc intelligere videtur sanctus Thomas de actu interiori, & exteriori eiusdem virtutis, unde prior solutio magis ponderat pro susceptione reali, & sacramenti, & martyrii, certum est enim realem utriusque su-

sce-

sceptionem majorem afferre frugem, & gratiam quam simplex utriusque votum.

Ad alia de actibus malis exempla sic respondemus: ad primum quidem distinguendo, & professio fidei obligat tempore persecutionis, concedo, juxta illud Christi: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*: Et non obligat, nego. Peccat igitur mortaliter ille qui abnegat fidem coram Tyrannis. Porro ista negatio habet actum interiorem adjunctum quo quis non vult obedire præcepto, & sic objectio ne minimum quidem urget.

Ad secundum dico pœnas civiles, & etiam Ecclesiasticas affixas esse actibus exterioribus non quod addant novam super actum internum malitiam, sed quia actus externus scandalum prælet, & pacem tum civium, tum fidelium turbat: & ideo pœnis exterioribus leges arcent malos.

Ad tertium distinguo: & est præceptum Ecclesiæ actus exteriores explicandi, concedo: & non est, nego. Porro obediendum est Ecclesiæ, maxime vero quia actus exteriores notificant interiores, hinc & gravissimas detegunt peccatorum circumstantias, quæ si occultæ manerent, difficile admodum esset rectum proferre de peccatis aut absolvendis, aut retinendis judicium.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Actus humanus interior & exterior sunt ejusdem speciei.

PRIMO: Quia habent idem objectum & eundem finem juxta illud Matth. 5. *omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam &c.*

Secundo: Ita censent SS. Patres S. Chrysost. Hom. 47. in Genes. D. Aug. lib. de libero arbitrio cap. 3. D. Bernardus epist. 77.

Tertio: Rationibus divi Thomę inter quas hæc primum tenet locum, omnis actus est a voluntate bona, vel mala: ergo actus tam interior quam exterior sunt ejusdem speciei; ita Angelicus Doctor hic q. 20. art. 2.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Deus quidem pœna mulctavit actus exteriores malos; ergo ne approbavit actus interiores perversos? minime. Cum & ipse damnaverit, increpando scribas & Pharisæos propter eorum malas cogitationes.

Secundo: Dato quod actus exterior & interior mali diversis prohibeantur præceptis, hoc factum est ut homo ad ista peccata patranda pronus deterreretur. Ita D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 6. ad 4.

Tertio: Actus interior & exterior diversa habent quidem principia. Sed hoc arguit diversitatem generis, non speciei.

ARTICULUS QUINTUS.

De virtutibus, tum in genere, tum in speciali.

VIRTUS multiplicem habet acceptationem. Primo quidem, accipitur late pro quacumque perfectione ad operandum ordinata, in quo sensu a Philosopho vocatur dispositio perfecti ad optimum, id est, ad recte operandum instituta; in quo quidem sensu sanitas, & robur sunt virtutes, quatenus ad agendum conferunt. 2. Strictius, pro facultate ad operandum expedita; quo pacto calor, virtutes vegetativæ, & nutritivę, aliaque id genus dicuntur virtutes naturales. Quandoque virtus denominatur ab objecto circa quod versatur, sic Philosophus illam vocat ultimum potentiæ: & hoc modo quod credimus, fides nuncupatur; juxta illud symboli divi Athanasii: *Hac est fides Catholica quam nisi quisque crediderit &c.* Nonnumquam etiam a divo Augustino vocatur bonus usus liberi arbitrii: denique proprie, & stricte sumitur pro aliqua vi, & facultate, quæ inest creaturæ rationali ad bene operandum, & de virtute in ista acceptatione impræsentiarum agimus.

De essentia, subjecto, & proprietatibus virtutum.

QUÆRES 1. Num virtus sit habitus, & qualis.

Respondeo 1. Virtutem esse habitum; ita divus Thomas quæst. 55. art. 1. his verbis: " Potentia dicitur determinatur perfecta „ secundum quod determinatur ad suum „ actum. Sunt autem quædam potentiæ, „ quæ secundum se ipsas sunt determina„ tæ ad suos actus, sicut potentiæ natu„ rales activæ: & ideo hujusmodi poten„ tiæ naturales secundum se ipsas dicun„ tur virtutes, potentiæ autem rationa„ les, quæ sunt propriæ hominis, non „ sunt determinatæ ad unum, sed se ha„ bent indeterminate ad multa: deter„ minantur autem ad actus per habitus, „ & ideo virtutes humanæ habitus sunt. „ Habitus, inquam, quatenus sunt per modum cujusdam naturæ quæ est principium motus, & optimæ quietis.

Respondeo 2. Virtutem esse habitum operativum, quandoquidem determinat potentiam ad talem, vel talem actum, temperantia, v. g. ad stimulos carnis compescendos. Sic docet D. Thomas ibidem art. 2. ex professo, ubi in argumento, *sed contra* sic loquitur: " Virtus unius cuiusque „ rei est quæ opus ejus bonum reddit. „ Deinde ejus sequitur conclusio: " Virtus „ humana, cum sit perfectio potentiæ in „ ordine ad opus, oportet ipsam esse ha„ bitum operativum. „

Respondeo 3. Virtutem a S. Thoma post S. Augustinum sic definiri hic art. 4. cujus est hæc conclusio: " Virtus est bona qua„ litas seu habitus mentis, qua recte vivi„ tur, & qua nullus male utitur, & „ quam Deus in nobis sine nobis opera„ tur. „ Quam quidem definitionem in corpore explicat, his verbis: " Notandum „ quod habituum operativorum aliqui sunt „ semper ad malum sicut habitus vitiosi. „ Aliqui vero quandoque ad malum: si„ cut opinio se habet ad verum, & fal„ sum: virtus autem est habitus semper „ se habens ad bonum, & ideo ut di„ scernatur virtus ab his, quæ semper se „ habent ad malum, dicitur qua recte „ vivitur, ut autem discernatur ab his „ quæ se habent quandoque ad bonum, „ quandoque ad malum, dicitur, qua nul„ lus male utitur; causa autem efficiens „ virtutis infusæ, de qua definitio da„ tur, Deus est, propter quod dicitur, „ quam Deus in nobis sine nobis opera„ tur: quæ quidem particula, si aufera„ tur, reliquum definitionis erit commu„ ne omnibus virtutibus, & acquisitis, „ & infusis. „

Quæres 2. Quodnam sit subjectum virtutis.

Respondeo 1. cum D. Thoma hic quæst. 56. art. 1. virtutes residere in potentiis animæ, quod triplici probat ratione, his verbis: " Dicendum quod virtutem per„ tinere ad potentiam animæ, ex tribus „ potest esse manifestum: 1. Quidem ex „ ipsa ratione virtutis, quæ importat per„ fectionem potentiæ: perfectio autem est „ in eo cujus est perfectio. 2. Ex eo quod „ sit habitus operativus, omnis autem o„ peratio est ab anima per aliquam po„ tentiam. 3. Ex hoc quod disponit ad „ optimum: optimum autem est finis, „ qui vel est operatio rei, vel aliquid „ consecutum per operationem a potentia „ egredientem, unde virtus humana est „ in potentia animæ, sicut in subjecto. „

Respondeo 2. Virtutes speculativas, immo & morales practicas intellectuales, quales sunt infusæ, subjectari in intellectu: morales vero tum acquisitas tum infusas, quæ sunt tales pure, & simpliciter, in voluntate. Primum, docet D.Th. hic ar. 3. cujus ratio hæc est: virtus intellectualis inhærere debet potentiæ cuius est perfectio, & quam determinat ad operationem: Sed virtus intellectualis, tum mere speculativa, tum vero practica est perfectio intellectus, illumque ad operationem determinat, v. g. intelligentia ad cognoscendam conclusionem in principio, sapientia supernaturalis, & infusa ad cognoscendum Deum per altissimas causas, & illum redamandum. Ergo &c.

Alteram partem docet ex professo D. Thomas. Ibidem art. 6. quod quidem probat ex eo quod virtutes mere morales ad voluntatem pertineant, quæ eatenus est primum moralitatis principium quatenus ad ipsam spectat tendere in bonum, vel malum finem: cum igitur virtutes simpliciter morales inclinent modo ad bonum honestum naturalis ordinis si sit acquisita, modo ad bonum supernaturalis ordinis si

sit

sit infusa, necessario in voluntate subjectantur.

Respondeo 3. Virtutes morales aliquas, tum acquisitas, tum infusas residere in parte concupiscibili & irascibili, non quidem præcise, ut sunt partes sensitivæ, sed ut ratione diriguntur, & voluntate moventur: ad voluntatem enim spectat imperare inferioribus partibus: & cum sit specialis difficultas superanda a parte irascibili in arduis, certe in ea reponenda est fortitudo, temperantia vero in concupiscibili, ut ejus componat motus. Ita D. Thomas hic art. 4. his verbis: "Dicendum quod irascibilis, & concupiscibilis dupliciter considerari possunt uno modo secundum se, in quantum sunt partes appetitus sensitivi, & hoc modo non competit eis quod sint subjectum virtutis. Alio modo possunt considerari in quantum participant rationem per hoc quod natæ sunt rationi obedire, & sic irascibilis, vel concupiscibilis potest esse subjectum voluntatis humanæ. Sic enim est principium humani actus in quantum participat rationem, & in his potentiis necesse est ponere virtutes. Quod enim in irascibili, & concupiscibili... nihil aliud est quam quædam habitualis conformitas istarum potentiarum ad rationem."

Quæres 3. Quænam sint virtutum proprietates.

Respondeo 1. Virtutes morales consistere in medio, sicut & intellectuales. Primum docet S. Thomas hic quæst. 64. artic. 1. in argumento, *sed contra* his verbis: "Philosophus dicit in 2. Ethicorum quod virtus moralis est habitus electivus in medietate existens." Conclusio ejus hæc est: "Quia virtutis moralis bonitas ex conformitate ad regulam rationis æstimari debet a qua recedere non contingit, nisi per excessum, vel per defectum: recte dicitur quævis moralis virtus in medio, seu mediocritate consistere." Et vero aliquis potest esse, vel prodigus, vel etiam avarus: igitur inter utrumque mediat liberalitas art. 3. probat S. Doctor virtutes intellectuales etiam medium tenere, quatenus debent habere mensuram rationis a qua recedi potest, vel per passiones intellectum obnubilantes, vel etiam defectu cognitionis sufficientis. Non sic ratiocinandum de virtutibus Theologicis, nemo quippe potest nimis, aut credere, aut sperare in Deum, aut etiam illum amare, & laudare, ratio est quia objectum virtutum Theologicarum est, tum in veritate, tum in bonitate infinitum; unde, inquit D. Thomas hic art. 4. Cum homo non possit adæquare tantum objectum, non potest per excessum in illud tendere; sic Eccles. 43. habetur: *Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis*. Et in prosa sacramenti Eucharistiæ: *Quantum potes tantum aude, quia major omni laude, nec laudare sufficis*. Et D. Bernardus dicit modum amandi Deum esse sine modo.

Respondeo 2. Virtutes morales in statu perfecto esse adinvicem connexas; de infusis liquet; sacra quippe Synodus Trident. definit consequi ad gratiam justificationis sicut proprietates ad essentiam: de acquisitis vero res quoque certa est; & sane si aliqua deficit, jam prudentia quæ omnes regularet, etiam a medio deficit; hinc experimento comprobatur hominem in peccato mortali habituali degentem, non habere puram, & simpliciter simplicem virtutem moralem etiam circa materiam in qua non peccat. Sanctus Thomas hic q. 65. nostram probat assertionem in argumento, *sed contra*, his verbis: Ambrosius "dicit super Lucam: connexæ sibi sunt concatenatæque virtutes, ut qui unam habet, plures habere videatur. S. Augustinus etiam dicit in 6. de Trinitate quod virtutes quæ sunt in animo humano, nullo modo separantur ad invicem. Et S. Gregorius dicit 22. Moral. quod una virtus sine aliis, aut omnino nulla est, aut imperfecta, & Tullius dicit in 2. de virtutibus quæst. si unam virtutem confessus es te non habere, nullam necesse est te habiturum."

Docent quoque communiter Theologi morales unum actum virtutis heroicum producere omnes virtutes morales acquisitas, eo enim ipso quo est heroicus, subdit sibi perfecte subjectum, adeoque reddit illum expeditum ad omne bonum.

De divisione virtutum.

VIRTUTES aliæ sunt intellectuales, aliæ morales: aliæ vero Theologicæ. Intellectualis illa est quæ perficit intellectum in ordine ad verum; moralis quę voluntatem & ap-

& appetitum afficit ad attingendum bonum honestum; Theologica vero quæ circa Deum univoce occupatur.

Intellectualis subdividitur in intelligentiam, sapientiam, scientiam, prudentiam, & artem. Nec mirum, duplex est verum, speculativum unum, practicum alterum. Porro speculativum quandoque ex prima terminorum apprehensione comprehenditur, & circa illud versatur intelligentia, seu habitus primorum principiorum; quandoque cognoscitur ex discursu, vel per altissimas causas, & ad hoc datur sapientia, vel per causas ordinarias, & ad hoc datur scientia. Verum autem practicum quandoque dicitur tale, vel per conformitatem ad appetitum rectum, & legi consonum, & hoc habetur per prudentiam, vel respicit solummodo rectitudinem extrinsecam, & intrinsecam idealem, & ad hoc ponitur ars. Cæterum habitus intellectualis practicus dicitur Synderesis, seu conscientia, & est dictamen rationis experimentale circa aliquid faciendum, a quo si receditur, reclamat, & mordet conscientia.

Virtutes morales circa passiones refrænandas quandoque occupantur, ut fortitudo, & temperantia, quandoque etiam & rationem, & appetitum dirigunt, ut bene agat & in omnibus servet medium, qualis est prudentia, & justitia. Istæ quatuor virtutes Cardinales nuncupantur, eo quod sint aliarum virtutum origines, & cardo a quo vita humana honesta tota dependet.

Virtutes morales, aliæ sunt acquisitæ, aliæ vero infusæ: acquisitæ illæ dicuntur quæ labore, & industria comparantur, quæque bonum naturalis ordinis, vel jucundum, vel utile, vel honestum respiciunt; posteriores vero quæ a solo Deo dependent, & quarum actus imperantur a charitate, & ad auctorem gratiæ, ut ad bonorum omnium auctorem referuntur. Catechism. Rom. pag. 2. titulo de Baptism. nu. 30. de his sic loquitur: " Huic, *inquit*, ideſt gratiæ additur nobilissimus „ virtutum omnium comitatus, quæ cum „ gratia divinitus infunduntur. „

Denique virtutes Theologicæ tres numerantur, scilicet fides, spes, & charitas: fides qua credimus in Deum; spes qua ab ejus bonitate speramus beatitudinem: Charitas qua illum ex toto corde, & tota anima, & tota fortitudine amamus.

De Donis Spiritus sancti.

DONUM Spiritus sancti sumitur in duplici sensu. 1. Quidem late pro eo quod a Spiritu sancto in ordine ad salutem procedit: & in isto sensu omnes gratiæ dicuntur Spiritus sancti dona: deinde vero stricte, & definitur a S. Thoma q. 68. art. 1. perfectio secundum quam homo redditur facile mobilis a Spiritu sancto circa ea quæ spectant & Dei honorem, & nostram salutem. Ibidem subdit esse dispositionem qua anima perficitur secundum lumen Spiritus sancti quod est infinitum, in quo a virtute morali etiam infusa discrepat, quod virtus moralis perficiat hominem lapsum solummodo secundum rationem elevatam, cujus quidem lumen finitum est; ex quo manifeste sequitur hominem ope donorum Spiritus sancti ad summum perfectionis gradum pertingere. Hinc idem sanctus Doctor art. 2. docet ex professo dona Spiritus sancti esse summe necessaria ad salutem consequendam. Art. 4. dicit dona Spiritus sancti esse habitus, quia sicut virtutes inclinant hominem ad bonum morale, sic & dona ad Deum, & quidem infinito quasi modo.

Istorum donorum perfectionem delineat propheta Regius Ps. 32. his verbis: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Deinde Apost. Ro. 8. ubi sic loquitur: *Qui spiritu Dei aguntur, Filii Dei sunt*: glossa loco *aguntur*, dicit *non reguntur*: Plus est enim agi quam regi: agi enim dicimus aliquem vix agentem, regi autem quasi jam aliquid agentem, qui ideo regitur ut recte agat. Sed aguntur non quod nihil per se agant, sed quod ut aliquid agant, impetu gratiæ impelluntur.


S. Thomas loco laudato donorum sic delineat eminentiam: " Manifestum est autem, quod virtutes humanæ perficiunt „ hominem secundum quod homo natus „ est moveri per rationem in his, quæ interius, vel exterius agit: oportet igitur „ inesse homini altiores perfectiones secundum quas sit dispositus ad hoc quod divinitus moveatur: & istæ perfectiones „ vocantur dona, non solum quia infunduntur a Deo, sed quia secundum ea „ homo disponitur, ut efficiatur prompte „ mobilis ab inspiratione divina, sicut di-

„ ci-

„ citur. „ Isa. cap. 5. *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii*. Porro vocantur dona Spiritus sancti eo quod a Spiritu sancto cui nomen Spiritus, & nomen doni tribuitur, promanant: & quia ex amore spirante, & ponderante, & veluti ex spiritu cordis Dei procedunt: tum quia etiam ipso Dei halitu anima per hujusmodi dona inspiratur, ipsis adornatur, & amplectitur Deum quasi sponsum osculantem se, & osculo oris sui spiritum ei immittentem, ut perficiantur, & eleventur virtutes ad sublimem operandi modum.

Dona 7. numerantur juxta illud Isaiæ 11. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*.

D. Thomas hic art. 4. hunc probat numerum ex eo quod ratio speculativa & practica his septem donis indigeat ad dirigendam perfecte animam ad Deum: his etiam pro eodem momento perficitur virtus appetitiva animæ, sic loquitur S. Doctor: "„ Ad apprehensionem igitur veritatis perficitur ratio per intellectum: practica „ vero per consilium: ad recte autem judicandum speculativa quidem per sapientiam, practica vero per scientiam perficitur. Appetitiva autem virtus in his „ quidem quæ sunt ad se ipsum, perficitur per fortitudinem periculorum: contra concupiscentiam vero inordinatam „ delectabilium per timorem. Secundum „ illud proverbiorum 16. *In timore Domini declinat omnis a malo*, & in Ps. 118. „ *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*. „ Et sic patet quod hæc dona extendunt se ad omnia ad quæ se extendunt virtutes tam intellectuales quam morales.



DIS-

DISSERTATIO TERTIA.
DE
PRINCIPIIS ET CAUSIS PECCATORUM.



ULTA sunt peccatorum principia, pluresque causæ quæque ex peccato Originali fluunt, & ortum habent: videlicet concupiscentia, ignorantia, & innata ad malum pronitas, juxta illud Genes. 8. *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*. Deinde habitus iteratis actibus malis partus; quia vero oritur habitus iste vitiosus a tribus prioribus enumeratis principiis: pro more Theologorum æquum duximus in præsenti dissertatione, quasdam quæstiones movere circa ignorantiam, & concupiscentiam; ante quas tamen quæstiones, aliquid de vitio dicere, non abs re erit.

ORDO DISSERTATIONIS.

QUÆRITUR 1. Num vitium opponatur virtutibus. 2. Utrum ignorantia excuset a peccato. 3. An omnes motus sensualitatis sint peccata?

SECTIO PRIMA.

Utrum vitium opponatur virtutibus.

VIRTUTES aliæ sunt morales, aliæ vero Theologicæ, ut dictum est supra, rursus morales, quædam sunt acquisitæ, quædam vero infusæ, & supernaturales, & de his omnibus quæstio procedit, pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO.

Vitium opponitur immediate virtutibus acquisitis.

Probatur ratione, eaque multiplici.

PRIMA hæc est: Illi habitus opponuntur qui se mutuo ab eodem pellunt subjecto, & quorum actus non possunt esse simul: Atqui res sic se habet, ut consideranti patebit, nemo quippe potest eodem tempore esse simul & castus, & incontinens: elicere simul actum temperantiæ, & intemperantiæ. Ergo &c.

D. *Thomas* hic q. 71. art. 1. nostram ex professo probat assertionem in argumento, *sed contra* his verbis: " Dicit S. Augusti-
„ nus in libro de perfectione justitiæ,
„ quod vitium est qualitas, secundum
„ quam malus est animus: virtus autem
„ est qualitas, quæ facit bonum haben-
„ tem. Ergo vitium contrariatur virtu-
„ ti. „ Et rursus in corpore his verbis:
" Tria inveniuntur opponi virtuti, quo-
„ rum unum est peccatum, quod opponitur
„ sibi ex parte ejus, ad quod virtus ordi-
„ natur: Nam peccatum proprie nominat
„ actum inordinatum, sicut actus virtutis
„ est actus ordinatus, & debitus: Secun-
„ dum autem quod ad rationem virtutis
„ consequitur, quod sit bonitas quædam,
„ opponitur virtuti malitia; sed secundum
„ id quod directe est de ratione virtutis,
„ opponitur virtuti vitium: vitium enim
„ unius cujusque rei esse videtur, quod sit
„ disposita secundum quod convenit suæ
„ naturæ. Unde S. Augustinus dicit in 3.
„ de libero arbitrio quod perfectioni na-
„ turæ deesse perspexeris, id voca vi-
„ tium. „

Secunda: Dictum est supra habitus distin-

stingui penes & objecta, & tendentiam in objecta: Sed tendentia vitii est in objectum regulis morum dissonum: e contra vero tendentia habitus boni: quæ quidem sunt prorsus contraria: quod innuit S. Thomas modo laudatus cum ait vitium in hoc opponi virtuti, quod sit dispositio mala: Ergo &c.

Tertia: Illud contrariatur virtuti, & ei opponitur, quod est, contra naturam, hoc est, contra formam hominis constitutivam, scilicet rationem, namque naturale est homini agere juxta rationem quæ ipsas regulat virtutes morales: Sed vitium est contra rationem; sic docet S. Thomas ibid. ex professo art. 2. in argumento, *sed contra*, his verbis: " S. Augustinus dicit „ in 3. de libero arbitrio: omne vitium eo „ ipso quod vitium est contra naturam est. „ Et rursus in corpore: " Virtus huma„ na, quæ hominem facit bonum, & opus „ ipsius bonum reddit, in tantum est se„ cundum naturam hominis, in quantum „ convenit rationi: vitium autem in tan„ tum est contra naturam hominis in quan„ tum est contra ordinem rationis.

Concinit Boetius asserendo homines habitibus malis, & vitiis ad belluarum dejici ordinem, hæc refert ex Platonicis libris de consolatione: " Avaritia fervet „ alienarum opum violentus raptor, lupo „ similem dixeris; ferox atque inquietus „ in litigiis linguam exercet, cani com„ parabis; insidiator occultus subripuisse „ fraudibus gaudet, vulpeculis; executor „ iræ intemperans fremit, Leonis animam „ gestare credatur. Pavidus est, & non „ metuenda formidat; cervis similis ha„ beatur; segnis, & stupidus torpet, asi„ num existima: Levis, & inconstans „ studia permutat; ab avibus parum distat: „ fœdis, immundisque libidinibus mer„ gitur, sordida suis voluptate detine„ tur. „

S. Basilius sermone de ira, ut fideles a tanto deterreat peccato, dicit iratum hominem similem esse serpenti qui pungit, & mordet; Leoni, qui discerpit prædam, aliisque ferocissimis bestiis.

Ex his sequitur opponi saltem mediate, & virtutibus moralibus infusis, & etiam Theologicis: moralibus quidem quatenus circa eamdem materiam cum acquisitis versantur, & diversum tantummodo habeant motivum, quocirca repetitis actibus malis sibi oppositis deperduntur: Theologicis quoque eamdem propter rationem, docet enim S. Thomas fidem ipsam nonnunquam amitti obcæcatione, & in malo pertinacia, sicut & repetitis actibus qui ex vera malitia directe fiunt in Dei contemptum: nemo etiam rerum æquus æstimator negabit charitatem quæ est virtus Theologica alternatis vitii odii Dei actibus cito citius evacuari: Ergo &c.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES contra primam rationem: unum, & idem non habent duo contraria, cum ista diversas habeant leges, & diversa subjecta, sic gula opponitur temperantiæ, sed non fortitudini: Sed virtuti contrariantur peccatum, & ejus malitia: igitur vitium non est virtuti contrarium.

Respondeo distinguendo, unum, & idem diversa non habent contraria sub eodem respectu, concedo: sub diverso, nego: & concessa minore distinguo consequens: vitium non contrariatur virtuti, sub eodem respectu ac peccatum, concedo: sub diverso, nego. Peccatum opponitur virtuti, ut est mali operativum: malitia ut est bonitatis privatio: vitium vero ut est dispositio ad malum, sic respondet D. Thomas quæst. 71. art. 1. ad 1. his verbis: " Dicendum quod illa tria „ non contrariantur virtuti secundum „ idem, sed peccatum quidem contra„ riatur secundum quod virtus est ope„ rativa boni: malitia autem secundum „ quod est bonitas quædam, vitium au„ tem proprie secundum quod est vir„ tus. „

Instabis: Virtutes quamdam important perfectionem potentiæ: Sed vitium nihil nominat ad potentiam pertinens: Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: vitium nihil nominat ad vitium pertinens per modum formæ essentialis, concedo; per modum formæ dispositivæ ad malum, nego: Et sic contrariatur virtuti quia non solum est principium agendi, sed etiam dispositio ad malum: ita D. Thomas ibidem ad 2. his verbis: " Dicendum quod „ virtus non solum importat perfectio„ nem potentiæ quæ est principium agen„ di: sed etiam importat debitam dispo„ sitio-

,, sitionem ejus cujus est virtus; & hoc ,, ideo, quia unumquodque operatur se- ,, cundum quod actum est: requiritur er- ,, go quod aliquid sit in se bene disposi- ,, tum quod debet esse boni operativum, ,, & secundum quod virtuti vitium oppo- ,, nitur.

Objicies 2. contra tertiam rationem: Quod est naturale non est contra naturam: Sed vitium est homini lapso quid naturale juxta illud Sapientiæ 12. *Erat enim naturalis malitia eorum*. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem, vitium est homini lapso quid naturale quatenus habitus in quandam transit naturam, juxta illud tritum axioma: *ab assuetis non fit passio*: concedo. Ergo est quid naturale, ut a natura profluens, subdistinguo, ratione inclinationis malæ quæ est peccati Originalis effectus juxta illud Apostoli *sumus natura Filii iræ*, hoc est, a conceptione, & pro ut *ly* naturale idem est ac habere ab initio, concedo: ergo est quid naturale ita ut sit primi hominis constitutio, nego: nam Deus ab initio fecit hominem rectum.

Instabis: Quod est naturale, a natura intrinsece promanat: Sed vitium a natura non promanat: Ergo &c. Probatur minor. Quod est contra naturam non potest transire in habitum, est enim quid violentum; sic nusquam datur habitus in lapide, ut ascendat sursum: Sed vitium est habitus: Ergo &c.

Respondeo negando minorem, ad probationem distinguo, quod est contra naturam adæquate, non transit in habitum, concedo: inadæquate, nego: & sic distincta minore, nego consequentiam. Duæ sunt in homine partes, una superior quæ est ratio, altera inferior, eaque sensitiva: vitium est quidem contra rationem: Sed ut plurimum arridet parti sensitivæ, ut intemperantiæ habitus. Unde non implicat vitium transire in habitum. Ad exemplum lapidis nego paritatem, ratio discriminis est quod ascensus sursum respectu lapidis est quid violentum, & non conferente passo; vitium vero est quid spontaneum, & conferente parte sensitiva, immo & libera cum accedit consensus, ex quo fit quod repetitione actuum paritur habitus malus; solutio est divi Thomæ ibidem articulo secundo ubi sic solvit argumentum: " Dicendum quod Philosophus loquitur ,, ibi de his quæ sunt contra naturam se- ,, cundum quod esse contra naturam op- ,, ponitur ei quod est esse a natura, non ,, autem secundum esse contra naturam ,, opponitur ei quod est esse contra natu- ,, ram, eo modo quo virtutes dicuntur ,, esse secundum naturam in quantum in- ,, clinant ad id quod naturæ conve- ,, nit. ,,

Instes: Quod est contra naturam invenitur in paucioribus: Atqui tamen vitia reperiuntur in multis secundum illud Matthæi 7. *Lata est via quæ ducit ad perditionem*, & multi vadunt per eam, inquit D. Thomas hic art. 2. Ergo &c.

Respondeo distinguendo, quod est contra naturam adæquate in paucis invenitur, concedo: quod est tantum inadæquate & secundum rationem, nego: cum enim homo vulneratus sit maxime in voluntate, & in parte sensitiva, idcirco multi viam quæ ducit ad perditionem, sequuntur: Ita divus Thomas ibidem ad 3. sic solvit argumentum: " Dicendum quod in homi- ,, ne est duplex natura, scilicet rationa- ,, lis, & sensitiva: Et quia per operatio- ,, nem sensus homo pervenit ad actus ra- ,, tionis, ideo plures sequuntur inclina- ,, tiones naturæ sensitivæ quam ordinem ,, rationis: plures enim sunt qui asse- ,, quuntur principium rei, quam qui ad ,, consummationem perveniunt: Ex hoc ,, autem vitia & peccata in hominibus ,, proveniunt, quod sequuntur inclinatio- ,, nem naturæ sensitivæ contra ordinem ,, rationis. ,,

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Vitium opponitur immediate virtutibus acquisitis.

PRIMO: Quia virtus & vitium sese mutuo ab eodem pellunt subjecto, nullus enim potest eodem tempore esse simul temperans & intemperans. Ita D. Tho. hic q. 71. art. 1.

Secundo: Virtus & vitium penes sunt objecta & tendentiam in objecta, sed objectum vitii, & tendentia in idem objectum sunt prorsus contraria & objecto virtutis & tendentiæ in illud: Ergo &c. Ita D. Tho. ibid.

Tertio: Quia vitium est contra rationem: atqui quod est contra rationem opponitur vir-

virtuti: Ergo &c. sic docet S. Tho. sancti Augustini auctoritate suffultus ibid. art. 2. in argum. *sed contra*.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Licet vitium non contrarietur virtuti sub eodem respectu ac peccatum, tamen semper illi opponitur in quantum scilicet disponit ad malum. Sic respondet D. Tho. ibid. art. 2.

Secundo: Vitium non est homini lapso ita naturale quod non sit etiam contra naturam, ratione scilicet inclinationis perversæ quæ est peccati Originalis effectus, nam Deus ab initio fecit hominem rectum, ac proinde vitium erat ei naturale.

Tertio: Ex eo quod vitium reperiatur in multis, inde non sequitur quod sit eis connaturale: Sed tantummodo quod homines proni sint in malum ex voluntate per peccatum vulnerata.

SECTIO SECUNDA.

Utrum ignorantia excuset a peccato?

AD elucidationem quæstionis prænotandum est voluntatem esse rationalis animæ facultatem, quæ, duce intellectu, fertur in bonum, & malum prout est judicii practici impetus. Quam ob causam dicitur appetitus rationalis, seu spiritalis, ea potissimum ratione quod etiam habeat pro objecto bonum spiritale, in quo secernitur a parte sensitiva & inferiori, quæ ad bonum duntaxat sensibile & inclinatur, & tendit. Voluntatis duplex distinguitur actus, elicitus unus, imperatus alter, prior ille est qui a voluntate immediate procedit; qualis est Dei amoris actus: posterior nonnisi mediate, ut cum aliquis porrigit manum, ut det pauperi expostulanti eleemosynam propter Deum; voluntas quippe imperat inferioribus potentiis, ut illi obediant & in hoc sensu suorum actuum dicitur domina, quocirca imperium voluntatis in cæteras facultates nihil aliud est præter actionem per quam movet potentias ad agendum. Porro imperium duplex etiam recensetur, videlicet politicum seu civile, & aliud despoticum, seu etiam herile; civile illud est cui facultas potest resistere, herile vero e contra.

Atque certum est voluntatem non imperare potentiis quibusdam inferioribus; videlicet nutritivæ, augmentativæ, & generativæ; neque enim in voluntatis potestate positum est ut nutritio fiat, vel non fiat; Idem dicendum de cremento, & de generatione, cum nequidem mater sciat pro certo momentum in quo fiat conceptio, sed hoc ex conjectutis quibusdam opinetur. Porro voluntas sibi ipsi, ut ita dicam, despotice imperat, quatenus sibi ipsi aliquem imperanti actum non resistit; potentiis vero inferioribus politice, puta imaginationi & appetitui sensitivo; sæpius enim pars inferior superiori obnititur, juxta illud Apostoli effatum: *Sentio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ ... Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio.*

Non abs re erit hic advertere voluntatem movere intellectum ad exercitium; ipsam vero voluntatem vicissim ab intellectu moveri & quoad speciem, & etiam quoad exercitium; quoad speciem quidem cum proponit hoc vel illud objectum amore prosequendum, quoad exercitium vero dum eandem determinat voluntatem ad aliquod objectum in particulari, & actu vel fugiendum, vel amandum; quæ quidem actio intellectus dicitur judicium practicum, & mens moralis.

Observandum est secundo duo distingui a Theologis ad moralitatem spectantia, quibus secernitur bonus actus a malo, videlicet voluntarium, & involuntarium; voluntarium definitur id quod a principio interno cognoscente singula in quibus est actio, procedit; dicitur a principio interno in quo quidem voluntarium discrepat a violento, quod est a principio extrinseco non conferente passo, ut cum aliquis per vim detruditur in carcerem. Additur, a principio cognoscente singula, in quo voluntarium secernitur a spontaneo, quia spontaneum etiam belluis ratione destitutis convenit, minime vero voluntarium.

Porro voluntarium duplex est, aliud scilicet generaliter sumptum, & ut dicit id omne quod a voluntate ex prævia cognitione effluit, sive sit necessarium, quo sensu beati amant Deum voluntarie, tametsi ex necessitate; sive liberum, seu abstrahendo ab utroque. Aliud est stri-

cte sumptum, & dicitur voluntarium liberum, quod quidem ex prævia deliberatione, & electione semper fit; ex quo liquet omne liberum esse voluntarium, sed non e contra.

Jam si de involuntario loquamur, duplex utique distinguendum est, scilicet involuntarium negative, quod non fit secundum voluntatis inclinationem, & non est positive volitum, qualis est locutio hominis dormientis; & involuntarium positive, quod fit a principio externo contra inclinationem voluntatis, immo & reluctantis, ut conjectio hominis in vincula, & dicitur etiam coactum, seu violentum. Cæterum involuntarium dicitur de agentibus cognitione præditis, violentum vero de inanimatis, sic motus lapidis sursum projecti, dicitur violentus. Quid plura adjiciam? Omne voluntarium tametsi fiat ex necessitate, quandoque dicitur liberum, sed latissime sumptum, & quatenus liberum solam a coactione immunitatem importat: at vero voluntarium liberum stricte, & in propria acceptione spectatum dicit, tum a coactione, tum etiam a necessitate exemptionem.

Certum est ea quæ fiunt per vim non esse peccata, quandoquidem non sunt voluntaria, nemini enim imputatur ad culpam teste Augustino quod invitus operatur & facit. Observes velim voluntatem non posse cogi quoad actus elicitos, immo nec ad imperatos. Ad elicitos quidem quatenus est semper domina sui vel consensus, vel dissensus: quoad imperatos etiam, & hoc propter eamdem prorsus rationem, cum actus ea solum ratione dicatur imperatus, quatenus ab elicito ortum ducit; Petrus enim v. g. potest motivo vel superbiæ, vel etiam amoris Dei ductus pauperi eleemosynam erogare.

Neque minus verum est illa quæ fiunt ex metu gravi cadente, ut ajunt Theologi, in virum constantem, non esse peccata, ut si quis omittit jejunium cum aliquis sub interminatione mortis proxime imminentis jejunare prohibet; tunc enim actio est prorsus involuntaria; quod si metus non fit ita gravis, sed tantum mixtus ex voluntario, & involuntario, puta cum aliquis emittit votum dandi summam pecuniæ pauperibus ut a Deo optimo obtineat propriæ vitæ conservationem quam ingruente tempestate credit perdere, tunc enim promissio stat pro voto, & propositum fuit sufficienter liberum.

Difficultas multo magis celebris est de ignorantia & concupiscentia, impræsentiarum agimus de ignorantia quæ duplex distinguitur, alia scilicet vincibilis quæ adhibita diligentia superari potest, alia vero invincibilis, quæ, adhibita omni sollicitudine, vinci non valet, rursus ignorantia in genere triplex est, nimirum juris naturalis, juris positivi, & facti, cum ignoratur vel jus naturale, vel jus positivum tam divinum quam humanum, quod in quibusdam fundatur legibus, vel factum, puta si quis manducans carnem die Veneris, judicat manducare piscem. Denique ignorantia subdividitur in antecedentem, concomitantem, & subsequentem. Antecedens ea est quæ nec directe nec indirecte volita est, estque causa facti, qualis est ignorantia ejus, qui amicum occidit putans se occidere aprum: concomitans illa censetur quæ nec volita, nec causa facti est, talis est ignorantia in eo qui occidit inimicum putans se occidere feram, quæ quidem ignorantia est causa facti indirecte; si enim inimicum ibi delitescere cognovisset, ipsum adhuc ut supponitur occidisset, denique subsequens ea censenda est quæ volita est directe, & explicite in se, puta cum aliquis non vult intelligere ut bene agat, vel etiam indirecte, & in alio, ut cum aliquis voluntarie incumbit ludo, tempore quo urget præceptum audiendi missam.

Quibus prælibatis, tria quæruntur. Primo quidem num ignorantia voluntaria sit peccatum in se. 2. Num ignorantia involuntaria juris positivi, & facti excuset a peccato. 3. Num ignorantia involuntaria juris ipsius naturalis excuset a peccato. Pro quorum resolutione sit

CONCLUSIO PRIMA.

Ignorantia voluntaria quæcumque, est peccatum in se.

Probatur triplici ratione Theologica.

PRIMA sic habet: illud est peccatum quod inducit reatum pœnæ, tum temporalis, tum etiam æternæ: Atqui omnis ignorantia voluntaria inducit utrumque reatum;

tum; pœnæ quidem temporalis si sit levior, æternæ vero si sit gravissima. Et probatur ex D. Thoma qui hic q. 79. art. 2. hoc ipsum ex professo probat in argumento *sed contra*, his verbis: " Nihil meretur pœnam nisi peccatum: sed ignorantia meretur pœnam secundum illud 1. ad Cor. 14. *Si quis ignorat, ignorabitur*. Ergo ignorantia est peccatum.

Concinit passim sacra Scriptura. Levitici 4. habetur: *Si anima peccaverit per ignorantiam &c.* num. 15. *Quoniam culpa est omnis populi per ignorantiam &c.* Sed vel ipsa ignorantia dicitur peccatum; ait enim David Psalm. 24. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*. Rursus 1. Isaiæ 5. *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*. Id specialiter de Sacerdotibus annuntiat Oseas 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*. Ipse vero Christus de Sacerdote supina & voluntaria laborante ignorantia, ait: *Cæcus cæcum ducet, & ambo in foveam cadent*.

Altera. Peccatum illud censetur pro quo postulatur a Deo venia, & ad expiationem offertur Sacrificium: sed veniam pro peccatis ignorantiæ expostulat homo juxta illud Psalmistæ effatum Psalm. 24. *Delicta juventutis meæ &c.* Et pro ejus expiatione offertur Sacrificium dicente Apost. Hebr. 9. *Semel in anno solus Pontifex non sine sanguine quem offert pro sua, & populi ignorantia*. Hinc Augustinus lib. 1. operis imperfecti cap. 105. ait: " Necesse est ut peccet qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facit, de quo genere malorum Deus rogatur ubi dicitur delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. " Ergo &c.

Tertia sic procedit: quod est contra legem, & uti tale reprobatur, est peccatum formaliter in se: Atqui ignorantia vincibilis & subsequens est contra legem, quatenus homo negligit quod scire tenetur, & a præcepto adimplendo sese absque causa excusat. Ergo &c. Ita D. Thomas ibidem art. 2. his verbis: " Ignorantia autem vincibilis est peccatum si sit eorum quæ aliquis scire tenetur. " Rursus art. 3. in argumento *sed contra*: " Augustinus dicit in libro de libero arbitrio, quod quædam per ignorantiam facta recte improbantur: sed solum illa recte improbantur, quæ sunt peccata: Ergo quædam per ignorantiam facta, sunt peccata, non ergo ignorantia omnino excusat a peccato. "

CONCLUSIO SECUNDA.

Ignorantia invincibilis facti, & juris positivi, etiam divini, excusat a peccato.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA hæc est: quod est involuntarium non imputatur homini ad pœnam, in hoc enim homo est amore, vel odio dignus, in eo quod sciens, & volens vel bonum, vel etiam malum operatur, juxta illud Ecclesiastici: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit*. Et alia Scriptura: *Noluit intelligere, ut bene ageret*. Hinc & reprobatus est Saul eo quod sciens præceptum Domini non obedierit in cæde Amalech, immo contra verbum Domini, meliora sibi, & ipsum Regem servaverit: Atqui ignorantia invincibilis tum facti, tum juris omnem fugit cognitionem, ergo non est peccatum, ita D. Thomas ibidem art. 2. cujus hæc est conclusio: " Ignorantia quæ studio superari non potest atque ob id invincibilis dici solet, nullum est peccatum, sed tantummodo vincibilis si sit eorum quæ quis scire tenetur, non illorum quæ scire non tenetur.

Secunda, quod est peccatum imputatur homini ad pœnam: sed quod facit vel omittit homo ex ignorantia invincibili, non ei imputatur ad pœnam, neque etiam ad culpam, & hoc propter duo: primo quidem ex eo quod Deus impossibilia non jubeat, eo ipso quo aliquis ignorat invincibiliter præceptum, impossibile est quod illud impleat, juxta illud axioma *ignoranti nulla cupido*. 2. Quia ipso teste Jansenio citra contemptum legis præceptum omittit, quomodo enim actum legi dissonum eliceret cum illam absque culpa ignorat, ex quo concludit ignorantiam invincibilem aut facti, aut juris positivi excusare a peccato: Ergo &c.

Tertia, quæque de jure positivo divino procedit, hæc est, quod ipse Christus, & Apostolus excusant a peccato, de facto non est peccatum: sed Christus & Apo-

stolus ignorantiam invincibilem de fide in Christum v. g. excusant a peccato in iis qui incarnationem invincibiliter ignorant, nec aliquid de ea audire potuerunt. Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

Scriptum est Joan. 15. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo .... Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Quibus verbis Christus imputat Judæis ad peccatum quod non crediderint, ea potissimum ratione quod illum scirent, & ejus vidissent opera quibus seclusis ipsa testante veritate incarnata peccata non habuissent, ex quo liquet ignorantiam invincibilem juris positivi, etiam divini, excusare a peccato. Sic concludit Augustinus explanans verba Christi tractatu 89. in Joan. his verbis: " Hoc est autem quia „ non crediderunt in Christum qui pro„ pterea venit ut credatur in eum. Hoc „ peccatum, si non venisset, non utique „ haberent. „ Et postea ibidem: " Re„ spondeo illos habere excusationem non „ de omni peccato suo, sed de hoc pec„ cato quo in Christum non crediderunt, „ ad quos non venit, & quibus non est „ loquutus. „ Quibus verbis sanctus Præsul excusat Gentiles a peccato infidelitatis eo quod nihil de Christo audissent, secus vero Judæos propter rationem oppositam.

Apostolus Rom. 10. eosdem propter ignorantiam invincibilem excusat, his verbis: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem adient sine prædicante? quomodo autem prædicabunt, nisi mittantur? ... Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi.* Quod etiam explicat Augustinus Tractatu 89. in Joannem asserens ideo eos non peccare, quia legem non contempserunt, namque post verba jam laudata subdit pro excusatione eorum ad quos non venit, aut loquutus Christus non est: " Sed utrum hi qui cum audi„ rent contempserunt, vel etiam restite„ runt, nec tantum contradicendo, sed „ eos a quibus audierunt odiis prosequen„ do, in eis deputandi sunt, & postea „ istis certe ad quos venit, & quibus „ loquutus est Christus non habent de „ magno infidelitatis peccato illam ex„ cusationem, quam possunt dicere, non „ vidimus, non audivimus. „ Igitur a contrario juxta inconcussa D. Augustini principia qui invincibiliter ignorant Christum, nihil in contemptum legis operantur, & pro hac parte a peccato excusantur.

CONCLUSIO TERTIA.

Ignorantia invincibilis juris naturalis etiam excusat a peccato.

HÆC conclusio est contra Jansenium, & iisdem probatur argumentis quibus supra, maxime ex eo quod etiam, teste Jansenio, id quod fit ex ignorantia invincibili citra contemptum legis sit illicitum & malum. Probatur tamen breviter ex multis incommodis quę manifeste ex Doctrina Jansenii sequuntur.

Primo: Inde sequitur hominem nonnumqnam agere contra propriam conscientiam; fieri enim potest quod revera secundum legem naturalem illicitum est & malum, id ipsum aliquis putet esse licitum, ut quidam Gentiles faciunt cum parentes suos occidendo, credunt obsequium illis præstare, illos a miseriis vitæ salvando.

Secundo: Inde etiam sequitur incredibili animæ perplexitas; multi enim plæbeii ignorant quædam esse contra jus naturale, immo inter Theologos, non una est sententia circa quædam peccata; quorum alii existimant ea esse contra jus naturale, alii vero e contra.

Tertio: Opinio contraria jugum maximum imponit, cum in ista hypothesi in aliquid incognitum ferri teneantur homines, & nonnulla operari quæ ignorant esse facienda, quod manifeste opponitur ipsi Christi Domini loquelæ dicentis: *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Ergo &c.

Solvuntur objectiones contra secundam, & tertiam conclusionem.

OBJICIES contra secundam conclusionem: ignorantia quæ est aliquo modo volita non excusat a peccato: sed datur ignorantia juris divini, in se quidem, & proxime invincibilis; & tamen quodammodo volita. Ergo &c. Probatur minor

nor. Primo quidem, in Adamo; deinde vero ex eo quod Evangelium, per omnem terram fuerit publicatum, quod quidem sufficere videtur, ut quis sit culpabilis, tametsi multi in vastissimis Turcarum regionibus saltem ex plebejis, & rusticis nihil unquam de Christo audierint: Ecce quomodo ignorantia est indirecte volita nempe in Adamo, seu propter peccatum Originale: tum ex eo quod sonus Apostolorum in omnem exierit terram. Hoc totum confirmatur ex illo Rom. 10. ubi Apostolus ait: *Quomodo credent ei quem non audierunt?* Paucis deinde interjectis subdit: *Sed dico, numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Quibus verbis quasi indigitat sanctus Paulus ignorantiam invincibilem juris divini circa Christum non carere culpa, ex eo quod disseminatum sit ubique Evangelium. Ergo &c.

Respondeo negando minorem quoad utramque partem; tametsi enim peccatum Adami, ad posteros transmissum, sit causa ignorantiæ, & peccatorum actualium, non inde sequitur ignorantiam juris divini esse indiscriminatim volitam: quandoquidem ad hoc non sufficiat legem iterum, atque iterum per omnem terram fuisse promulgatam, sed ut quilibet illam audiat, & sciat; quomodo vero scient sine prædicante, & Barbari, & Sylvestres homines?

Ad probationis secundam partem distinguo: & eo loci Apostolus loquitur de Judæis quorum perstringit infidelitatem, ea ratione prorsus a peccato non immunem quod prædicatum apud eos fuisset Evangelium, concedo: & loquitur de gentilibus, subdist. de his qui aliquid de Christo audierant, concedo: de aliis qui nec audierant, nec audire poterant, sicut ad hæc usque tempora compertum est de hominibus in sylvis enutritis, vel etiam de aliis permultis plebeiis, & rusticis apud quos, inundante decursu temporum infidelitate, non pervenit Verbum Dei, tametsi potuerit a multis sæculis innotescere eorum patribus, nego. Quod autem verba Apostoli juxta distributionem accommodam acceptanda sint, hoc unum maxime probat quod ejus temporibus nondum in rigore logicæ loquendo, per omnem omnino terram disseminatum fuerit Evangelium, ut liquet exemplo Galliarum quæ fidem Christi a discipulis Apostolorum secundum versus sæculum acceperunt: hæc solutio colligitur ex D. Augustino qui lib. de natura & grat. cap. 2. sic interpretatur Apostolum: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum:* " Sed antequam hoc inciperet ,, fieri, antequam denique usque ad fines ,, totius orbis terræ prædicatio ipsa perveniat, quoniam non desunt adhuc ul- ,, timæ gentes, licet, ut perhibetur, pau- ,, cissimæ, quibus hoc nondum fuerit præ- ,, dicatum. ,, &c.

Sanctus Præsul ubique, & ulla absque restrictione docet quamcunque ignorantiam invincibilem, non esse culpabilem, juris quidem naturalis lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. positivi vero Tractatu 89. in Joannem: denique & ignorantiam facti epist. 113. ubi sic loquitur adversus Donatistas: " Quomodo fideles toto orbe ,, diffusi criminum traditionem cognoscere ,, poterant, quod accusatores etiamsi no- ,, verant, tamen eis ostendere non vole- ,, bant? hos ergo ab hoc crimine innocentes esse, nempe ipsa ignorantia fa- ,, cillime ostendit, cur ergo innocentes ,, falsis criminibus accusantur, quia cri- ,, mina aliena, seu falsa, seu vera ne- ,, scierunt? ,,

Oppones contra tertiam conclusionem multa Scripturæ loca in quibus pro omni ignorantia & objurgatio & pœna adest, de qua citra omnem limitationem justi veniam a Deo expostulant: igitur ignorantia juris naturalis, tametsi invincibilis non caret culpa. Probatur antecedens multis, variisque exemplis.

Primo quidem. Genes. 20. Abimelech punitur eo quod Saram sibi in uxorem sumpsisset, tametsi esse Abrahæ sponsam prorsus ignoraret: sic enim habetur: *Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi, en morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum. Abimelech autem eam non tetigerat, & ait, Domine num gentem ignorantem, & justam interficies?*

Secundo: Eliphaz Themanites ignorabat, & quidem invincibiliter sancti Jobi innocentiam dum eum increpabat, & tamen ipse a Domino corripitur cap. 42. his verbis: *Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz*

Themanitem, iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos quoniam non estis loquuti coram me rectum, sicut servus meus Job.

Tertio: Lucæ 12. servus ignorans voluntatem Domini sui dicitur tamen fecisse digna plagis, quocirca pœnis mulctatur.

Quarto: Judæi pietatis, & Religionis specie ducti parentibus succurrere negligebant, ut victimas Deo immolandas emerent, ut habetur Matthæi 15. denique ipse Propheta Regius Psal. 24. cujuscunque generis ignorantiæ a Deo expostulat veniam dicens: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.*

Quid plura adjiciam? Levitici 5. recipiuntur sacrificia pro ignorantia, nec textus sacer distinguit inter ignorantiam vincibilem, vel invincibilem, juris naturalis vel positivi: immo Sacerdos orat pro eo qui errore detentus, aliquid contra legem fecerit, sic enim habetur v. 17. *Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ lege Domini prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam &c.* Tum v. 19. subdit: *Orabit pro eo Sacerdos, quia nesciens fecerit, & dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Domino.* Ergo &c.

Respondeo 1. Hæc, & similia nec minimam quidem facessere difficultatem, quippe quæ procedunt de jure positivo, & de factis quorum ignorantiam invincibilem excusare a peccato, vel ipse fatetur Jansenius. Caput autem controversiæ est de jure naturali.

Respondeo 2. distinguendo. Et exempla Scripturæ pro ignorantia vincibili juris positivi, et facti pœnas & objurgationes inducunt, concedo: pro ignorantia invincibili, nego. Scriptura est sui ipsius interpres, cum referat sacrificia offerenda pro ignorantia legis, quam quisque scire tenebatur, vel etiam de qua edoceri quisque poterat, sic enim Levitici 5. habetur: *Anima si peccaverit, per ignorantiam feceritque ex his quæ Domini lege prohibentur &c.* Hoc ipsum patet ex facto Abimelech qui Saram Abrahæ sponsam esse suspicari poterat, eo quod vel ipse familiaritatem quamdam honestam inter utrumque, cum servis suis non nihil animadverterat: quocirca Rex de facto poterat maturius, & fundatius inquirere, adeoque raptus Saræ culpa non vacabat. Eadem potest afferri responsio ad factum Jobi cujus innocentiam, & sanctitatem ex ejus patientia absque negotio Eliphaz, & alii conspicere poterant. Audis objectiones procedere de jure positivo, & de factis quæ adhibita diligentia cognosci poterant, ad majorem tamen claritatem ad singula breviter respondemus.

Ad primum quidem iterum aliter distinguendo: & Abimelech flagellis correptus est, tum ut deterreretur a peccato in proximum, tum etiam ut intelligeret Israelitas velut Dei amicos pluris esse faciendos, & summopere venerandos, concedo: & flagellatus est præcise propter peccatum ignorantiæ invincibilis circa factum, nego.

Ad secundum exemplum, præter solutionem supra datam alteram subjicimus ita distinguendo: Eliphaz Themanites correptus est ut sciret quantum sapientia Jobi suæ præmineret, concedo: præcise propter ignorantiam facti invincibilem, nego. Cæterum non dicitur flagellatus, sed solummodo correptus, hoc est, edoctus.

Ad tertium, eodem modo distinguo: servus fecit digna plagis eo quod neglexisset eius scire voluntatem cui consequenter culpa sua restitit, concedo: eo quod invincibiliter Domini ignorans voluntatem non obedierit, nego.

Ad quartum, etiam distinguo: veniam a Deo expostulat David pro omnibus ignorantiis, eo quod homo sepius de peccatis patratis non recordatur, *in multis*, enim, inquit, B. Joannes, *offendimus omnes*. Vel etiam de ignorantia quorumdam factorum contra legem quem non satis attendens, sæpius in prævaricationem labitur homo, concedo: veniam expostulat propter ignorantiam invincibilem, nego. Et de facto ex loco Levitici laudato sacrificia offerebantur, pro expiatione peccatorum ignorantiæ contra legem, quam quisque tenetur scire, vel saltem de ea edoceri, & vero v. 17. capitis 5. Levitici habetur: *Anima si peccaverit per ignorantiam feceritque unum ex his quæ Lege Domini prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam*. Deinde v. 19. *Orabit pro eo, quia nesciens fecerit*. Hoc est, contra legem.

S. Augustinus lib. de libero arbitrio cap.

cap. 18. Psalmistam de ignorantia vincibili facti explicat, his verbis: " Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus; ait enim Apostolus, misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci, ait, & Propheta delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. " Mitto factum Jonatæ qui 1. Regum cap. 14. morte damnatus est eo quod mel gustasset contra Patris imperium sibi ignotum. Namque sancti Doctores respondent non Jonatam, sed Saulem peccasse qui leviori animo præceperat a cibo abstinere.

Instabis. Atqui Scriptura intelligi debet etiam de ignorantia invincibili juris naturalis. Ergo &c. Probatur subsumptum: interpretatio Scripturæ juxta Patrum sententiam explicari debet: Atqui ex sanctis Doctoribus non modicum apparet ignorantiam invincibilem juris naturalis non excusare a peccato: & probatur. Ista propositio Cælestii quæ est septimum capitulum reprobatum, hæc est: *Oblivio, & ignorantia non subjacent peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem*. Ut refert sanctus Augustinus lib. de gest. Pelag. cap. 18. quæ quidem propositio, teste eodem sancto Doctore, proscripta est in Synodo Diospolitana, his verbis: " Quid ad hæc lecta sunt capitula dicit præsens Pelagius Monachus? Hoc enim reprobat sancta Synodus, & sancta Dei Catholica Ecclesia.. " Sed ista intelligitur de ignorantia invincibili, ut ipsi præpositionis termini præ se ferunt: *Quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem*. Quæ autem secundum necessitatem contingunt ex ignorantia invincibili procedunt, alias non secundum necessitatem fierent. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum: ad probationem distinguo: propositio Cælestii proscripta est eo quod esset de omni ignorantia, tam vincibili quam invincibili, immo & de ignorantia juris positivi, addo etiam & facti, concedo: eo quod intelligeretur de ignorantia invincibili, nego. Quod autem hæc solutio sit ad mentem Concilii non unum est argumentum. Primo quidem, ista propositio ita commovit Patres, ut non expectata Cælestii responsione, dixerint, reprobat sancta Synodus. 2. Vel ipse Pelagius eam defendere non ausus est, sed Patres exasperatos esse animadvertens sic respondit, inquit Augustinus ibidem cap. 19. " Quæ dicit, inquit, non esse mea, inter quæ istud non fuit secundum judicium sanctæ Ecclesiæ reprobo, anathema dicens omni contravenienti, & contradicenti Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Doctrinis. " 3. Ipse Sanctus Augustinus, ibidem c. 18. debellat propositionem Celesti veluti de ignorantia juris positivi, & Legis, quandoquidem pro isto momento utitur auctoritate ipsius Legis, eo quod dicat David, delicta juventutis meæ ne memineris, & ignorantias meas, & cum in Lege sacrificia pro ignorantia, sicut pro peccato offerantur.

Nec plus virium habet quod additur, Cælestium de ignorantia quæ est a voluntate secundum necessitatem loqui; sic enim distinguo: quædam ignorantia juxta mentem Cælestii erat secundum necessitate aliquam & improprie dictam, concedo: juxta necessitatem simpliciter simplicem, et absolutam, nego. Secundum placita Pelagianorum cuncta erant homini etiam citra gratiam possibilia, cunctaque ad salutem capessendam facilia, neque enim admittebant in homine concupiscentiam inordinatam, neque etiam ad aliquod salutis opus gratiæ necessitatem requirebant, quocirca eam ignorantiam appellabant invincibilem, quando non erat facile vincibilis, rejecta scilicet omni inter agendum difficultate. Hoc ipsum colligitur, ex D. Augustino qui libro de natura & gratia cap. 17. sic loquitur: " Tractat etiam iste de peccatis ignorantiæ, & dicit: *Hominem prævigilare debere ne ignoret: ideoque esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit negligentia sua, quod adhibita diligentia scire debuisset*. Dum tamen omnia potius disputet quam ut oret, & dicat: *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua*. Psal. 118. Aliud est enim non curasse scire, quæ negligentiæ peccata etiam per sacrificia quædam Legis videbantur expiari; aliud intelligere velle, nec posse, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit. Unde admonemur a Deo petere sapientiam, *qui dat omnibus affluenter*, utique his omnibus qui sic petunt, & tan-

* *Lucat Theol. Tom. II.*

„ tantum petunt, quomodo, & quantum „ res tanta petenda est. „ Eo loci connotat sanctus Præsul Pelagium non aliud ignorantiæ peccatum admittere, quam illud quod ex negligentia evenit in eo, qui omnia scire & facere non satagit, tametsi hoc sit in ejus potestate. Sanctus Doctor ibidem etiam indigitat quædam esse difficilia, & redarguit Pelagium quod Dei auxilium non invocaret, ut sciret, & faceret, quæ viribus innatis nec scire, nec operari potest. Ex quo manifeste sequitur Pelagianos eam solam ignorantiam invincibilem prædicare, quæ contingit in his quæ spectant salutem, & hoc quia difficilia sunt, non tamen impossibilia in suo sensu. Quippe qui omnem exploderent gratiam.

Replicabis. Sanctus Augustinus in loco mox laudato docet Pelagianos admittere peccata ignorantiæ: sed dubio-procul illa solummodo reponunt in ignorantia invincibili, propter quod tamen ab Ecclesia proscripti sunt. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: admittebant Pelagiani peccata ignorantiæ invincibilis quæque ex sola negligentia profluerent, concedo: quæ etiam contingerent in necessariis, subdistinguo, in necessariis secundum phantasiam suam conceptis, concedo: juxta sensum catholicum, nego. Quod autem Pelagius non alia admiserit ignorantiæ peccata, patet ex sua ad Demetriadem Virginem epistola, quæ extat apud D. Augustinum in appendice tom. 2. ubi cap. 9. suam clare circa istud momentum prodit mentem, his verbis: " Impossibile est enim ei quemquam placere, cui quid placeat, ignorat: fierique potest, ut etiam obsequendi voto offendat, cui quomodo obsequi debeat, ante non didicit: & ut majus est voluntatem Domini facere, quam nosse, ita prius est nosse quam facere. „ Et clarius lib. de natura, & gratia cap. 17. tractat etiam ipse Pelagius de peccatis ignorantiæ &c. Ergo &c.

Urgebis. Qui perniciose agunt, incurrunt reatum culpæ, & pœnæ: sed qui agunt ex ignorantia invincibili contra legem, reatum culpæ, & pœnæ incurrunt, tametsi non tantum quantum qui ex malitia deliberata operantur. Ergo &c. Probatur minor ex sancto Augustino qui enarratione in Psalmum 35. sic loquitur: " Non unum hominem, sed genus hominum iniquorum dicit, qui sibi adversantur, non intelligendo ut bene vivant: non quia non possunt, sed quia nolunt. Aliud est enim quando quisque conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non potest, sicut dicit quodam loco Scriptura: quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*. Aliud autem quando perniciosius agit adversum se ipsum cor humanum, ut quod possit intelligere, si bona voluntas accederet, non intelligat: non quia difficile est, sed quia voluntas adversa est. Hoc autem fit dum amant peccata sua, & oderunt præcepta Dei. „ Ergo &c.

Respondeo negando minorem; ad probationem distinguo, & eo loci loquitur sanctus Præsul de ignorantia vincibili, quippe qui loquatur de iis qui nolunt ad legem attendere ut bene agant, concedo: & loquitur de ignorantia invincibili, nego. Unum tantummodo intendit sanctus Augustinus, ut ex contextu liquet, scilicet prævaricantem Legis ex supina negligentia, qua non vult edoceri, ut bene agat, magis reum esse, quam eum qui vel ex animi levitate, vel etiam ex carnis infirmitate peccat; in illo lapsus dicitur peccatum malitiæ, in isto vero, infirmitatis.

Insistes: Sanctus Augustinus epist. 194. dicit omnem peccatorem esse inexcusabilem, & juste damnari etiam eos qui invincibiliter Christum ignorant. Ergo &c.

Respondeo, Sanctum Præsulem in isto, & superiori loco de ignorantia juris positivi sermonem instituere, de quo jure non est impræsentiarum controversia.

Respondeo 2. distinguendo: & sanctus Augustinus vult etiam infideles negative juste damnari propter peccatum originis, & peccata actualia, concedo: præcise propter ignorantiam invincibilem de Christo, nego. Ibidem est sui ipsius interpres, quandoquidem eo loci distinguit duo hominum genera quorum alii sunt inexcusabiles, quia intellexerunt, & non obedierunt, quales erant Judæi de quibus Christus, ait, Joan. 15. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*. Alii vero qui non potuerunt audire, sed habeat

habent peccatum originale, vel saltem peccata actualia propria voluntate commissa: " Ac per hoc, *subdit Augustinus*, „ inexcusabilis est omnis peccator, vel „ reatu originis, vel additamento etiam „ propriæ voluntatis. „

Dices, contra priorem difficultatem de propositione Cælestii damnata: prorsus Pelagiani loquebantur de ignorantia omnino invincibili; & hoc propter duo: Primo quidem sanctus Hieronymus illam confutando propositionem in Dialogis Attici, & Critobuli, inducit Critobulum, hoc est, Pelagium de responsione Attici, sic conquerentem Dialogo 1. " Rogo quæ „ est ista justitia, ut in peccato tenear „ erroris, cujus reatum non habet con- „ scientia? Nescio me peccasse, & eius rei „ quam nescio, pœnas luo? Et quid plus „ faciam, si sponte peccavero? „ Igitur ibi agitur de ignorantia invincibili; namque Hier. potuisset absque negotio solvere difficultatem respondendo Pelagianos movere controversiam de ignorantia vincibili, quod tamen non fecit. Immo ad judicia Dei incomprehensibilia recurrit. Ergo &c.

Respondeo distinguendo auctoritatem sancti Hieronymi; & sanctus Doctor merito recurrit ad judicia Dei, concedo: & absque fundamento ad hoc consugit caput, nego. Pelagiani in isto versabantur errore, quod ignorantiam invincibilem dicerent in iis quæ magnam facessebant difficultatem, nec secluso gratiæ auxilio poterat vinci; quod quidem auxilium cum negarent, non debuit sanctus Doctor ad eos perstringendos distinguere ignorantiam vincibilem ab invincibili, quandoquidem invincibilem in adulterino prorsus sensu prædicarent; sed ad gratiam cujus adjutorio præcepta Dei tametsi ardua fiunt nobis possibilia per sufficientem quidem in actu primo, tum in actu secundo per efficacem, non attendebant: Porro cum ista offeratur, sed propter resistentiam non detur: cur unus cedat tentationi, non adimpleat præceptum urgens, alter vero non cedat sed adimpleat? Respondet ibidem Hieronymus: " A me quæ- „ ris, quare figulus aliud vas fecit in ho- „ norem, aliud in contumeliam: & non „ vis acquiescere Paulo pro suo Domino „ respondenti: *O homo tu quis es qui re-* „ *spondeas Deo*! „ &c.

Urgebis: D. Aug. lib. de natura & gratia c. 17. duplicem distinguit ignorantiam, alteram vincibilem quæ ortum habet ex hominis negligentia; alteram vero invincibilem quæ adjunctam habet impotentiam: Atqui tamen utramque esse peccato obnoxiam pronuntiat: sic enim loquitur: " Aliud est enim non curasse scire, „ quæ negligentiæ peccata etiam per sa- „ crificia quædam legis videbantur ex- „ piari: aliud intelligere velle, nec pos- „ se, & facere contra legem, non in- „ telligendo quid fieri velit. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo: & eo loci loquitur S. Augustinus de ignorantia vincibili quæ impotentiam habet adjunctam in sensu Pelagianorum, concedo: in sensu catholico, nego: namque sanctus Doctor in libro laudato debellat Pelagianos, qui quidem, ut non semel dictum est, ignorantiam invincibilem dicebant reperiri in iis, quæ seclusa gratiæ ope, fieri non poterant, quocirca ipso facto impotentiam habere adjunctam asserebant; & consequenter a peccato excusari, alias inquiebant, si hujusmodi ignorantia foret peccatum, hic defectus, quod absit dicere, in Deum refunderetur quatenus homo tenetur aliquod adimplere præceptum, quod viribus suis innatis nusquam facere posset: sed in sensu catholico, quod possibile est auxilio gratiæ, non censetur impossibile, iuxta istam S. Thomæ regulam, quod per amicum possumus etiam veluti per nos posse censemur; Deus autem nedum amicus, sed & Pater est.

Sanctus Præsul merito distinguit duplex peccatorum genus, aliorum scilicet qui ex negligentia deliberata peccant contra legem; cæterorum vero qui jam volunt intelligere legem virtute gratiæ sufficientis, sed nondum possunt potentia conjuncta cum actu quæ promanat a gratia efficaci, quam debent petere non solum ut possint legem intelligere, sed & actu intelligere, immo & adimplere. Sanctus Doctor ibidem suum sic prodit sensum: " Unde admonemur a Deo petere sa- „ pientiam, *qui dat omnibus affluenter*, „ utique his omnibus qui sic petunt, & „ tantum petunt, quomodo & quantum „ res tanta petenda est. „ Cæterum luce clarius patet sanctum Præsulem loqui de ignorantia iuris positivi, nusquam ve-

ro de ignorantia legis naturalis de qua solum procedit lis & quæstio.

Respondeo 2. dato & non concesso S. Augustinum loqui de ignorantia invincibili, distinguo; illa quoque est obnoxia peccato secundum quid, & in radice, concedo: simpliciter & in se, nego. Pelagiani ut refert S. Doctor lib. de dono perseverantiæ cap. 11. contendebant ignorantiam & concupiscentiam esse quid naturale, & nullo modo vitium: " Quam „ miseriam, *inquit*, nolunt Pelagiani ex „ iusta damnatione descendere, negantes „ originale peccatum, quamvis ignoran- „ tia & difficultas, etiamsi essent homi- „ nis primordia naturalia, nec sic cul- „ pandus, sed laudandus esset Deus. „ Ut autem eos perstringat & eis probet dari peccatum originale, contendit ignorantiam & concupiscentiam esse quidem peccata, sed materialiter & in radice, quatenus non erant de prima hominis constitutione, easdem vocat peccatum secundum quid & ut eius verbis utar, malum, sed non in se peccatum. Sic loquitur l. 6. contra Julianum cap. de baptizato: " Om- „ ni enim peccato caret, non omni ma- „ lo. Quod planius ita dicitur, omni „ reatu omnium malorum caret, non om- „ nibus malis . . . Nunquid caret igno- „ rantiæ malo, per quod a nescientibus „ innumerabilia perpetrantur mala? „ Quod autem concupiscentia non sit etiam peccatum in se, sic pronuntiat lib. 1. de nuptiis cap. 25. his verbis: " Dimitti „ concupiscentiam carnis in Baptis. non „ ut non sit, sed ut in peccatum non im- „ putetur. Quamvis autem reatu suo iam „ soluto, manet tamen. „

Idem ex professo docet lib. 6. contra Julianum cap. 17. " Nos autem, *inquit*, „ qui eam malam dicimus, & manere „ tamen in baptizatis, quamvis reatus „ eius non quo ipsa erat rea; neque enim „ aliqua persona est, sed quo reum ho- „ minem originaliter faciebat, fuerit re- „ missus atque evacuatus. „

Persistes: Quod est malum in opere, & malum aliquis putat esse bonum, nihilominus peccatum est: Atqui istud peccatum ex ignorantia invincibili fit, quandoquidem homo prævaricans secundum conscientiam operatur. Ergo &c. Probatur maior: Primo quidem ex S. Augustino qui epist. ad Publicolam 154. ait: " Si „ quis autem bonum putaverit esse quod „ malum est & fecerit, hoc putando uti- „ que peccat. Et ea sunt omnia peccata „ ignorantiæ, quando quisque bene fieri „ putat, quod male fit. „ 2. Ex S. Thoma qui quodlibeto 3. art. 10. quærit an discipuli sequentes diversas opiniones magistrorum, excusentur a peccato erroris, & respondet in rebus ad finem & mores pertinentibus non excusari, si erroneam sequantur opinionem, alioquin, ait, immunes a peccato fuissent qui secuti sunt opinionem Arii: Ergo &c.

Respondeo negando minorem: Ad probationem dico utrumque sanctum Doctorem de ignorantia vincibili sermonem habere; Aug. quidem de ignorantia facti qua aliquis dubitat num caro manducanda fuerit idolis immolata quæ certe dubitatio inquisitione facile solvitur. Ibidem enim, ait: " Si quis dubitat de aliqua carne, „ utrum immolatitia sit, & non est im- „ molatitia, si eam cogitationem tenue- „ rit, quod immolatitia non sit, & ea „ vescatur, non utique peccat. „ S. Thomas loquitur quoque de ignorantia vincibili, scilicet iuris positivi, dum universim pronuntiat, illud quod agitur contra legem, semper esse peccatum, statim enim subiungit: " Qui ergo assentit opinioni „ alicuius magistri contra manifestum „ Scripturæ testimonium sive contra id „ quod publice tenetur secundum Eccle- „ siæ auctoritatem, non potest ab erroris „ vitio excusari. „ Et rursus quodlibeto 8. " Potest esse, *ait*, quod in tali casu „ aliquis adhibeat diligentiam, inquirens „ an licitum sit habere plures præben- „ das. „ Ergo &c.

Repones: Inter regulas Juris hæc legitur n. 13. *Ignorantia facti, non Juris excusat*. Igitur saltem ignorantia Juris tametsi invincibilis non excusat a culpa.

Respondeo distinguendo consequens. Ignorantia Juris nusquam immunis est a culpa in foro externo, concedo: ut si quis crederet licitum esse homicidium, & ignoraret esse malum: Rex enim publice attendens paci ad maiora impedienda mala punit quod fit etiam ex ignorantia Juris: e contra vero ignorantia facti apud homines culpa vacat; ut si quis intendens occidere aprum occidat hominem. Ignorantia Juris etiam invincibilis non excusat a peccato in foro interno, nego.

Pra-

Propter rationes in probationibus allatas.

Dices: Ut ignorantia sit peccatum, sufficit quod fuerit in Adamo volita, quandoquidem, vel ipse ebrius in ebrietate blasphemans, peccat. Ergo &c.

Respondeo negando antecedens: Ad probationem nego paritatem, quia blasphemia fuit eatenus propria voluntate facta, quando homo voluit ebrietatem, juxta illud inconcussum principium: *Qui vult causam, vult quoque effectum*.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ignorantia voluntaria est peccatum in se, excepta tamen ignorantia invincibilis juris positivi, & juris naturalis.

PRIMO: Omnis ignorantia voluntaria inducit reatum pœnæ tum temporalis, tum æternæ, & hæc ratio est D. Thom. qui hic q. 76. art. 2. hoc ipsum ex professo probat in argumento *sed contra*.

Secundo: Quia ipse Christus & Apostolus excusant ignorantiam invincibilem Juris positivi a peccato ut habetur Joan. 15. *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Quare non habent? Quia lex Evangelica promulgata fuerat.

Tertio: Ignorantia invincibilis Juris positivi est involuntaria: sed involuntarium non imputatur homini ad pœnam: Ergo &c. Ita D. Thomas ibid. art. 2.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Quando Apostolus quorumdam perstringit infidelitatem, & eam a peccato non excusat, loquitur de Judæis, ad quos prædicatum fuerat Evangelium, quique Christo credere poterant, minime vero de Gentilibus, saltem de iis qui nihil unquam de eo audierant, inter quos sunt homines in sylvis enutriti, vel plebeii & rustici apud quos non pervenit verbum Dei. Ita Apostolum explicat D. Aug. lib. de nat. & grat. cap. 2.

Secundo: Omnia Scripturæ loca in quibus pro ignorantia pœnæ deputantur Genes. 20. Job 42. & Matth. 15. intelligenda sunt de ignorantia vincibili Juris positivi & legis, minime vero de ignorantia invincibili juris naturalis; de qua hic est controversia. Et in isto sensu propositionem Cælestii ab Ecclesia Dei Catholica reprobatam impugnat D. Augustinus l. de gestis Pelagii cap. 18.

Tertio. Non magnum facessunt negotium diversæ Augustini sententiæ tum ex epist. 194. tum ex lib. de nat. & grat. cap. 17. deptomptæ, vel enim istis in locis loquitur de ignorantia invincibili juris positivi, vel loquitur in sensu opposito Pelagianis, qui existimabant ignorantiam invincibilem a peccato excusari; sed quam ignorantiam quæ per gratiam Dei superari poterat. Quod auxilium non admittebant, & in hoc erant Hæretici.

SECTIO TERTIA.

Utrum omnes motus sensualitatis sint peccata?

CAPUT controversiæ est de motibus circa objecta illicita, quæ talia sunt vel ex objecto, vel etiam ex excessu quo appetunt; ut si quis citra necessitatem de cibis & alimentis sumeret; tunc enim cibus alias licitus evaderet objectum illicitum. Subnotandum est quoque hic quæstionem moveri de actibus humanis quicumque sint. Porro motus sensualitatis sunt in triplici differentia: quidam dicuntur primo-primi eo quod omnem antevertant rationis usum: alii primo-secundi seu semideliberati eo quod ex aliqua rationis directione, nonnihil concurrente voluntate, fiant: tertii generis ii sunt qui ex perfecta deliberatione & electione prævia eliciuntur.

Ultro conveniunt Theologi, motus sensualitatis circa illicita esse peccata vel mortalia, vel leviora juxta majorem, vel minorem materiæ gravitatem; mortalia quidem, si appetitus, imperante ratione & voluntate, fertur ad illicita toto corde, ita ut agens in creatura veluti in fine ultimo quiescat; lethale enim peccatum nihil aliud est quam hujusmodi conversio: venialia vero tantum evadunt peccata sensualitatis, si materia sit levissima; puta si quis vel de cibo, vel etiam de potu citra necessitatem sumat, non ita tamen ut absorbeatur penitus ratio, nec grave inde sequatur incommodum. Subscribunt sancti Do-

Doctores, & concedunt actus sensualitatis primo-secundos esse tantum peccata venialia, eo quod non adsit sufficiens deliberatio, & voluntatis consensus ad objecti licita complectenda; quia tamen adest & aliqua rationis aurora, & quidam etiam voluntatis conatus ac consensio dum eliciuntur, non vacant culpa. Tota igitur difficultas est de motibus primo primis quos omnes inter peccata annumerant Lutherus art. 2. & 3. inter eos qui a Leone X. proscripti sunt, & Calvinus l. 3. institutionum parte decima & sequentibus; isti enim nequam propugnant tentationes, & concupiscentiæ etiam actus primo-primos esse peccata mortalia, quæ tamen Baptizatis propter fidem in Christum non imputantur: contra quos sit

CONCLUSIO.

Motus primo-primi sensualitatis non sunt peccata.

Probatur multis momentis.

Primo quidem ex Scriptura.

HABETUR Eccli. 18. *Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere*. Igitur concupiscentiæ motus non sunt peccata donec accedat consensus. Sic hunc locum explanat S. Aug. l. 5. contra Jul. cap. 7. nu. 30. his verbis: " Etsi enim ,, non hic perficiunt bonum quod volunt ,, ut non concupiscant: faciunt tamen bo- ,, num, ut post concupiscentias suas non ,, eant. ,, Vel ipse Apostolus suum tradit sensum Rom. 6. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*. Augustinus l. 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 27. observat Apostolum non dixisse non sit peccatum, sed ne regnet peccatum per approbationem, & consensum voluntatis; & expresse addidisse ne obediatis ejus concupiscentiis, quia obedientia voluntatis consensus præstatur. Non enim si bona & licita essent, eis obedire prohiberet Apostolus, dicens: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus*. Rursus Matth. 15. habetur: *Non quod intrat in os coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem . . . Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, hæc sunt quæ coinquinant hominem*. Igitur ex ipsa Christi sententia illi solum sensualitatis actus sunt mali qui sunt deliberati, & a corde, seu a voluntate procedunt.

Secundo, ex Concilio Tridentino.

ILLA sacra Synodus sess. 5. quæstionem explicat simul & definit his verbis: " ,, Manere autem in baptizatis concupi- ,, scentiam, vel fomitem, hæc sancta Sy- ,, nodus fatetur & sentit: quæ cum ad ,, agonem relicta sit, nocere non consen- ,, tientibus, & viriliter per Jesu Christi ,, gratiam repugnantibus, non valet: ,, quinimmo, *Qui legitime certaverit, co- ,, ronabitur*. Hanc concupiscentiam, quam ,, aliquando Apostolus peccatum appellat, ,, sancta Synodus declarat Ecclesiam Ca- ,, tholicam nunquam intellexisse peccatum ,, appellari, quod vere & proprie in re- ,, natis peccatum sit; sed quia ex pecca- ,, to est; & ad peccatum inclinat: *Si quis ,, autem contrarium senserit, anathema sit*. ,, Qua quidem definitione sancta Syno- ,, dus proscribit sententiam Protestantium: Ergo &c.

Tertio ex sanctis Doctoribus.

SANCTI PATRES, docent conclusionem, ut S. Basilius lib. de Constitutionibus Apostol. Ambrosius lib. de Jacob & beata vita cap. 1. Hieronymus epist. ad Demet. non longe a fine. Augustinus passim, in primis l. 1. de civ. cap. 25. ubi ait motus primo primos non esse magis peccata in adulto vigilante quam dormiente. Rursus epist. 200. edit. ant. dicit neminem postulare a Deo ut hujusmodi motus dimittat, quasi essent delicta. In priori loco sic loquitur: " Illa concupiscibilis ,, inobedientia . . . quanto magis absque ,, culpa est in corpore non consentientis. ,, In posteriori vero: " Quamvis insint, ,, dum sumus in corpore mortis hujus, ,, desideria peccati, si nulli eorum adhi- ,, buimus assensum, non esse, unde di- ,, ceremus Patri nostro qui est in cœlis, ,, dimitte nobis debita nostra. ,, Quod autem hoc ratiocinium maxime probet asser-

tio-

tionem; patet ex eo quod, si concupiscentiæ indeliberati motus forent peccata, necesse esset petere ut Deus ipsam a nobis amoveret concupiscentiam, quod nullus tamen dixerit, cum remaneat in nobis ad exercitium & victoriam, adeoque & ad meritum.

Concinit D. Thomas qui non in uno loco asserit motus primo-primos, & similes miserias inesse nobis ex mala necessitate propter peccatum originale; incassum reponunt Heterodoxi hujusmodi motus fuisse in Adamo voluntarios, quandoquidem declarat sancta Synodus Tridentina concupiscentiam ut sic non esse nisi radicaliter peccatum, nusquam vero actu, si ei resistatur. Sanctus Thomas in 2. distinct. 10. q. 1. art. 2. sic loquitur de hoc momento: " Oportet quod secundum hoc quod aliquid ,, rationem culpæ habet, secundum hoc ,, ratio voluntarii in ipso reperiatur; sicut autem est quoddam bonum quod respicit naturam, & quoddam quod respicit personam; ita etiam est quædam ,, culpa naturæ, & quædam personæ: ,, unde ad culpam personalem requiritur ,, voluntas personæ sicut patet in culpa ,, actuali, quæ per actum personæ committitur; ad culpam vero naturæ, id ,, est, originale peccatum, non requiritur nisi voluntas in natura illa. ,, Ergo &c.

Quarto, ex rationibus Theologicis.

PRIMA sic se habet: Concupiscentiæ motus nusquam est peccatum, nisi vel ipsa concupiscentia pepererit delictum: sed non concipit & parit peccatum nisi accedat consensus voluntatis. Hæc ratio est D. Aug. lib. 6. contra Julianum c. 15. n. 49. ubi explicans illud D. Jacobi 1. *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus, deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*, ait: " Profecto ,, in his verbis partus a pariente discernitur. Pariens enim est concupiscentia, partus, peccatum: sed concupiscentia non parit, nisi conceperit; non concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum ,, perpetrandum obtinuerit volentis assensum. ,, Ergo &c.

Secunda: Quod est materia meriti non est peccatum. Sed motus concupiscentiæ primo-primi, inserviunt ad meritum, si eis resistatur, juxta illud Dei ad Apostolum 2. Cor. 12. de hoc conquerentem: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur*. Et istud Eccli. 31. *Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino*.

Tertia: Lex Dei non obligat ad impossibile, & teste Augustino nullus damnatur pro eo quod vitare nequit: Sed si motus primo-primi forent peccata formaliter, contrarium contingeret. Ergo &c.

Diluuntur objecta.

OBJICIES: Illud est peccatum formaliter quod habet annexum reatum culpæ & pœnæ: Atqui motus concupiscentiæ etiam primo-primi utrumque annexum habent, Apostolo 2. Cor. 1. dicente: *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me*. Porro illud a quo petimus liberari est peccatum formaliter. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem dico Apostolum non postulasse solvi a peccato quod ex motibus indeliberatis concupiscentiæ contraxisset, sed a malo ex concupiscentia stimulante promanante.

Instabis: Concupiscentia dicitur mala Jacobi 1. & S. Augustinus passim isto nomine illam designat: Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: Concupiscentia est mala in radice, videlicet in peccato Adami a quo profluit, concedo: in se, subdistinguo, materialiter & quatenus ad malum inclinat, concedo: formaliter & in se, nego. Hic est sensus Aug. hinc ex illa Juliano probat peccatum originale ab Adamo transmitti in posteros.

Urgebis ex D. Thoma hic q. 74. art. 3. ad 5. concupiscentia est saltem peccatum veniale. Ergo &c. Probatur antecedens. Sic loquitur sanctus Doctor: " Motus sensualitatis rationem præveniens est peccatum veniale: Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo. Et sanctus Doctor eo loci loquitur de motibus secundo-primis qui admixtam habent rationis advertentiam, concedo: de motibus primo-primis, ne-

nego: quia tamen illi non habent plenam, ideo nonnisi peccata venialia eis reputat.

Replicabis: Tametsi motus primo-primus sit in objectum sensibile impetus, dirigitur tamen ratione: Igitur omnia requisita habet ut sit peccatum formaliter. Probatur antecedens. In hoc differt a motu sensualitatis qui contingit in somno. Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens. Dirigitur ratione apprehensiva, concedo: ratione indicativa, & eligente, nego. Porro ut fert adagium, apprehensivum non est mendacium, & cum desit sufficiens advertentia, & consequenter deliberatio, ejusmodi actus non est peccatum formaliter. Ad probationem non unum est discrimen inter actum sensualitatis qui evenit in somno, & alterum qui fit in vigilia; prior enim a natura ut natura promanat; alter vero a natura ut rationali, sed non sufficienter ratiocinante.

Persistes: Nemini licet complacere in motibus primo-primis concupiscentiæ: Igitur sunt peccata formaliter.

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Ratio est quod complacere est consentire peccato, hinc nusquam licitum est approbare & consentire motibus sensualitatis, sed non inde sequitur esse in se peccata.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Motus primo-primi sensualitatis non sunt peccata.

PRIMO: Solum quod ex corde exit, coinquinat hominem ut habetur Matth. 15. Idest quod est voluntarium: sed motus primo-primi non sunt voluntarii: Ergo &c.

Secundo: Concilium Tridentinum sess. 5. can. definit concupiscentiam manere usque ad agonem, non tamen ejus motus esse peccata donec accedat consensus.


Tertio: Hoc ipsum propugnant SS. Patres: Ambrosius l. de Jacob & beata vita cap. 1. Hieronymus epist. ad Demetr. Aug. lib. de civ. can. 25.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Concupiscentia quandoque a Patribus vocatur peccatum, sed intelligas velim late & materialiter, quatenus ad peccatum inclinat.

Secundo: Apostolus petit quidem a Deo non superari a concupiscentia, sed non ut peccato formali.

Tertio: Ultro fatemur nemini licitum esse complacere in concupiscentiæ libidine, si hoc enim esset, amaret peccatum.



DIS-

DISSERTATIO QUARTA
DE
PECCATIS TAM IN GENERE, QUAM IN PARTICULARI.



PELAGIANI humanæ indulgendo naturæ, eam ab omni originis reatu immunem proclamarunt: Ex quo quidem errore a multis aliis defectibus, puta ignorantiæ & concupiscentiæ immunis evadit. Sed contra quod dicit Apostolus Rom. 5. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt mali*.

Dogma de existentia peccatorum quatuor circiter modis recte & explicari, & probari potest.

PRIMO quidem agendo de definitione & divisione peccatorum.

Secundo: De existentia peccati originalis.

Tertio: De ejus ad omnes, excepta beatissima Virgine, extensione.

Quarto: De ejus essentia, subjecto & effectibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De definitione, divisione, comparatione, & quantitate peccatorum.

QUÆRES 1. Quid sit peccatum?

Respondeo 1. Peccatum in genere definiri a beato Augustino, lib. 22. contr. Faust. cap. 27. dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei, quæ quidem definitio est optima, cum includat aliquid omnibus actibus humanis commune, nam & actus virtutis etiam est quid modo dictum, modo factum, vel concupitum; per reliqua verba secernitur peccatum a bono opere, quod enim fit contra legem Dei non obscure indigitat Propheta Psal. 118. his verbis, *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*: quæ verba ponderans Augustinus, ait: " Si prævaricantes sunt ,, peccatores omnes terræ, nullum est uti- ,, que sine prævaricatione peccatum. ,, Concinit D. Th. qui hic 1. 2. q. 71. art. 6. idem dicit: & hoc probatur ratiocinio, peccatum essentialiter est actus deformis regulis morum: Sed hoc ipsum stare non potest nisi sit essentialiter contra legem: Ergo &c. Probatur minor: Regulæ morum duæ sunt; Heterogenea, & remota, & est Lex æterna: altera vero homogenea & proxima: & est ratio. Atqui peccatum eatenus dicitur actus difformis regulis morum, quatenus est contra legem Dei æternam a qua omnis vitæ honestæ institutio promanat, & contra rationem quæ dictat superiori obediendum esse: Ergo &c.

Peccatum mortale etiam dicitur & quidem essentialiter offensa Dei, juxta illud ipsius Dei apud Jeremiam 2. *Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas*. Ex hoc oraculo liquet duo potissimum in peccato mortali includi; videlicet aversionem a Deo istis distinctam verbis, *me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*: Deinde vero inordinatam ad creaturam conversionem, quod & posteriora verba, *& foderunt sibi cisternas dissipatas* denotant: Sed id quod est capitale, est aversio a Deo, ejusque contemptus; quinimmo ex illa tantummodo irreverentia, conversio ad creaturam fit mala, quandoquidem hujusmodi secundum se spectata non est malum, puta manducare, nubere & similia, sed quatenus est conversio contra legem, ut Presbiter, qui refragante castitatis voto, inivit cum aliqua femina connubium: Igitur peccatum mortale essentialiter est offensa Dei.

Pec-

Peccatum Veniale definitur id quod est præter legem, seu actus præter legem elicitus. Quod sit actus, convenit cum actibus bonis, quod sit præter legem, decit ab actu bono, & secernitur a peccato mortali quod directe & absolute est econtra legem.

Quæres 2. Quotuplex sit peccatum?

Respondeo Multiplex esse, variasque subire divisiones.

Dividitur 1. Peccatum in Originale & personale. Primum est quod derivatur ab Adamo per seminalem propagationem in posteros, secundum vero quod propria patratur voluntate.

Dividitur 2. In habituale & actuale: istud est ipse actus dissonus regulis morum, illud vero est macula relicta in anima ab ipso actu humano malo.

Dividitur 3. In mortale & veniale: mortale est mors animæ, privatio gratiæ sanctificantis, virtutum supernaturalium, & donorum Spiritus sancti, & aversio ab ultimo fine; veniale vero est actus factus præter legem Dei, unde cum non sit contra, nullam importat privationem, sed solum charitatis refrigerium, unde solvit Dei cum homine amicitiam, & ideo veniale solummodo nuncupatur.

Dividitur 4. In peccatum omissionis, & commissionis, commissio eatenus dicitur mala, quatenus aliquid fit positive contra legem, omissio vero quatenus omittitur actus a lege imperatus, ut si quis die Dominica non audiat missam.

Dividitur 5. In peccatum superabundantiæ & defectus; prius illud est quod per excessum recedit a medio virtutis, qualis est prodigalitas, posterius ab eodem recedit medio per defectum, qualis est avaritia.

Dividitur 6. In peccatum carnale & spirituale a quibus abstinendum esse monet Apostolus 1. Cor. cap. 2. his verbis: *Emendemus nos ab omni inquinamento corporis & Spiritus*. Primum situm est in delectatione carnali, ut gula & luxuria, secundum vero in delectatione spirituali, ut superbia & invidia. Illud plus habet de conversioue quam de aversione, istud contra plus de aversione quam de conversione, unde quoad culpam gravius est. Sed carnale majorem habet creaturæ adhæsionem, inquit, D. Gregorius; hanc rationem D. Thomas affert hic qu. 73. art. 5. ad 3. quia carnalia peccata, inquit, magis subterfugiunt rationem & discursum, eo quod sint circa delectationem tactus & gustus brutis animantibus communium; quocirca peccator actuum carnalium repetitione fit veluti bellua. Juxta illud Psal. 48. de prævaricatore, *Homo . . . comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*.

Dividitur 7. In peccata quorum alia in Deum facta sunt: alia circa proximum, alia etiam circa se ipsum: in primo genere ea continentur quibus homo a Deo recedit ejusque amore, & reverentia: talia sunt blasphemiæ, hæresis & sacrilegia: in secundo, odia, & bonorum proximi dilapidationes; quoties enim homo non servat erga fratrem justitiam & charitatem, toties in proximum peccat, & in humauam societatem cujus est membrum. In tertio, ea facinora quæ homo patrat recedendo ab ordine tum rationis, tum virtutis quibus proprias debet compescere & regulare passiones. De illa divisione diserte tractat D. Thomas hic 1. 2. q. 72. art. 4.

Dividitur 8. In peccata cordis, oris & operis. Priora sunt desideria mala quæ concipiuntur in corde; oris, quæ lingua complentur; operis, quæ factis enormibus. D. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 25. edit. nov. istos peccati gradus delineat dicendo: " Namque suggestione, delectatione, consensu, & defensionis audacia perpetratur *peccatum*: fit enim suggestione per adversarium, delectatione per carnem, consensu per spiritum, defensionis audacia per elationem. "

Dividitur 9. In peccata ex infirmitate, ignorantia, & malitia commissa: illa dicuntur ex infirmitate patrata, quæ, gravi compellente tentatione, fiunt, illa ex ignorantia, quæ neglectis mediis, quibus vinci possent, committuntur: illa vero ex malitia quæ plena libertate & ex deliberato proposito, nulla titillante passione, patrantur. Priora juxta Theologorum mentem dicuntur esse contra personam Patris, cui tribuitur potentia, altera contra personam Filii, cui appropriatur scientia, alia contra Spiritum sanctum, cui bonitas & amor ex vi suæ processionis tribuuntur.

Dividitur 1. In peccata propria & aliena. Peccatum proprium illud censetur quod

quod ab ipso peccante committitur: Alienum vero quod fit ab alieno; sed & alteri imputatur, quatenus fuit proximo peccandi occasio, vel etiam causa, puta si quis fratrem ad vindictam compellat.

Denique dividitur in peccatum capitale & minus principale: istud nonnisi ad unam tendit malitiam: illud est multorum origo: sic cupiditas dicitur 1. Cor. 16. *Radix omnium malorum*. Sive per cupiditatem intelligatur inordinatus temporalium amor, quia in omnibus peccatis imbibitur, cum omne peccatum sit inordinata conversio ad bonum commutabile, sive per cupiditatem intelligatur perversa & specialis propensio naturæ corruptæ ad bona corruptibilia. Etiam passim in Scripturis sacris superbia dicitur initium omnium malorum, eo quod in omnibus bonis temporalibus comparandis, sit finis peccatoris. Est enim elatio qua prævaricator a cæteris hominibus secerni complacet. Hinc de Angelo Apostata legitur Isa. 14. *Ascendens super altitudinem nubium, similis ero altissimo*. De Antichristo vero futuro 2. Thess. 2. *Adversatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus*. Hinc Eccli. 15. habetur: *Initium omnis peccati est superbia*.

Nihilominus septem vulgo assignantur vitia capitalia, quippe quæ sint aliorum multorum origo; videlicet superbia, avaritia, luxuria, gula, acedia, ira, & invidia: ad quorum evidentiam observandum est, hominem amare naturaliter, immo & in omnibus quærere felicitatem: Porro de ratione felicitatis est bonum perfectum & excellens; bonum sufficiens, & bonum delectabile: excellentiam autem ambit superbia, sufficientiam appetit avaritia in divitiis, eam promittentibus: delectationem quærunt luxuria & gula; laborem quo perturbatur sollicitas, refugit acedia: & bonum alienum quo propriæ excellentiæ singularitas ingreditur, ægre fert invidia, illudque cum impetu & vindicta extinguere tentat ira.

Quæres 3. Utrum peccata sint ad invicem connexa.

Suppono 1. Tria in peccato distinguenda: videlicet id quod est Physicum; Deinde id quod est morale quod in tendentia ad objectum regulis morum dissonum consistit: ultimo loco est ipsius rectitudinis privatio.

Suppono 2. Peccatum posse considerari duplici modo, videlicet active, seu ut actus est, deinde passive, & ut est alicujus personæ offensa. Priori modo subjectatur in peccatore, posteriori vero in persona læsa juxta illud adagium, *honor est in honorante, offensa in offenso*.

Jam respondeo 1. Peccata mortalia in hoc puncto convenire quod sint Dei offensa & injuria, ejusque gratiæ privatio quatenus singula hominem ab ultimo fine avertunt.

Respondeo 2. Quædam vitia esse ad invicem connexa, puta superbia & invidia fornicatio & adulterium & cæteræ carnis spurcitiæ; ubi enim est eadem materia, & idem prorsus motivum; ibi est quædam relatio & connexio: Atqui in multis peccatis eadem occurrit materia, idemque motivum: Et vero quorsum aliquis pulsatur invidia, nisi quia timet ne proximo subjiciatur? fornicator, & adulter solummodo de passione sensibili satisfacienda cogitant, tunc & molles ejusdem surfuris homines sensuales. Ergo &c.

Peccata mortalia conveniunt inter se quantum ad quatuor, videlicet quantum ad aversionem a Deo & pœnæ æternæ reatum: Deinde quantum ad amissionem gratiæ, & charitatis, tum & Spiritus sancti donorum. 3. Quantum ad ingratitudinem: & hoc ex contemptu Dei, dum servus offendit Dominum; creatura creatorem; Filius amantissimum Patrem: Deinde quoad suspensionem meritorum, juxta illud Ezechielis 18. *Si autem averterit se justus a justitia sua.... Omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur*: Eo enim ipso quo aliquis ab amicitia Dei discedit, jam præmium de bonis operibus antea actis non suscipit præmium: Porro quodlibet peccatum mortale quadruplicem illum effectum producit.

Respondeo 3. Omnia peccata non esse ad invicem connexa, ita D. Thomas hic q. 73. art. 1. Ratio S. Doctoris duplex recensetur: Prima est, quod peccata quandoque sunt contraria, & opposita, ut prodigalitas, & avaritia: altera, quia non semel contingit objecta formalia esse prorsus diversa, ut experientia probat in peccatis spiritus, & in peccatis carnis.

Re-

Respondeo 4. Peccata secundum quantitatem, & qualitatem esse diversa; Juxta quantitatem quidem, quæ est diversa, secundum conatum in objectum dissonum, qui quandoque remissus, quandoque etiam vehemens est, secundum quod passio magis, vel minus exardescit; secundum qualitatem vero juxta diversa objecta, & circumstantias speciem immutantes; sic furari, est peccatum, & offensa proximi; furari vero in Ecclesia est sacrilegium.

Atque vero subnotandum est circumstantias esse in triplici differentia, quasdam levissimas, quasdam graves, quasdam gravissimas, juxta minorem, vel majorem oppositionem cum virtute & præcepto. Priores sunt ita accidentales, ut non augeant malitiam, posteriores e contra, ut si quis pauperis subripuerit bona, tertiæ immutant speciem, ut liquet in furto in Ecclesia patrato.

Non prætereundum est peccata spiritualia esse carnalibus graviora, quippe quæ habeant magis de aversione a Deo, alia vero magis de conversione ad creaturam, quæ tamen si transit in habitum, magnopere periculosa evadit, quatenus peccator abominabilis factus sicut ea quæ diligit, indiscriminatim ruit in quæcumque alia peccata: Quocirca ille malus habitus recte dici potest spiritus immundus de quo Christus Luc. 11. loquitur in Evangelio, quia assumptis aliis septem spiritibus se nequioribus, cuncta subvertit animæ bona; & tunc ultima hominis fiunt peiora prioribus.

Dices: quodlibet peccatum mortale in privatione consistit, sed privatio non suscipit maius, & minus: Igitur omnia peccata lethalia sunt æqualia.

Respondeo distinguendo minorem, privatio physica, non suscipit maius & minus, concedo: moralis, nego. Privatio duplex distinguenda est, una physica, moralis altera, illa in indivisibili sita est, scilicet in amissione formæ physicæ, talis est privatio vitæ in cadavere; ista attenditur secundum relationem ad aliud, nempe ad tendentiam in obiectum dissonum regulis morum, quæ cum sit maior, vel minor, etiam ex hac parte privatio suscipit maius, & minus: Igitur etiam ex hac parte non una est peccati malitia & deformitas, tum essentialis, tum accidentalis, essentialis quidem cum obiecta a quibus specificantur actus mali, sint formaliter diversa: accidentalis vero, cum actus malus diversos suscipiat intentionis gradus.

SYNOPSIS ARTICULI.

PRIMO: Peccatum in genere spectatum a divo Augustino definitur dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei.

Secundo: Morale est offensa Dei, quippe quod sit aversio a Deo & conversio ad creaturam, ut habetur Jerem. 1.

Tertio: Veniale est id quod est præter legem Dei.

Quarto: Originale quod ab origine, seu ab Adam per seminalem propagationem traducitur, personale vero quod propria voluntate committitur.

Quinto: Aliud est actuale, aliud vero habituale: illud est actus regulis morum dissonus, istud macula in anima relicta ex actu malo.

Sexto: Peccatum dividitur etiam in peccatum commissionis & omissionis. Primum est actus contra legem, secundum, commissio legis &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum detur peccatum Originale.

PRIMO parentes peccasse peccato inobedientiæ, vel ipsi Heterodoxi fatentur: Sed num peccatum Adæ transmissum fuerit, & transmittatur quotidie ad posteros, est controversiæ caput inter Pelagianos, & catholicos. Illi contendebant peccatum inobedientiæ nonnisi parentibus nocuisse, humanam vero naturam in omnibus sanam a nativitate esse, quippe quæ, inquiebant, sit a Deo, hinc citra Manichæorum hæresim qui nuptias dicebant malas, & a malo Deo profluere, contrarium propugnari non posse credebant: Sed contra dogma catholicum est. En conclusio subsequens.

CON-

CONCLUSIO.

Peccatum Adæ nedum imitatione, ut ponunt hæretici: Sed & realiter transfunditur ad posteros.

Probatur multis momentis.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex veteri Testamento sumitur.

NONNISI ex peccato Originali pronitas omnibus innata ad malum promanare potest: Remedium contra tale peccatum in lege naturæ parvulis datum, circumcisio vero inscripta ipsum indigitant: sic & conceptio immunda, etiam a justis parentibus promanat; denique vel ipsa mors a primo om nium homine in omnes diffusa, & seminata: Atqui hæc omnia mala partium in sacris antiqui testamenti paginis pro omnibus ex mala hæreditate astruuntur: Ergo &c. Probatur minor ab enumeratione.

1. *Geneseos* 6. ita habetur: *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum in omni tempore: & ut quidam legunt, a pueritia sua*, & juxta aliam lectionem, *omni die*.

Tum ibidem cap. 17. 14. *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*. Quæ verba ponderans Innocentius III. capite *Majores*. Dicit quod apud nos est Baptisma, erat & pro Judæis circumcisio. Concinit S. Cyprianus epist. 64. qui apud Augustinum lib. 2. contra Julianum cap. 6. num. 18. sic loquitur: " Et vide ,, quomodo Judæus circumcisionem non ,, differt propter comminationem, quia ,, omnis anima quæcumque non fuerit ,, circumcisa die octavo exterminabitur de ,, populo suo: Tu autem, *inquit*, non ma-,, nufactam circumcisionem differs, quæ ,, in expoliatione carnis in corpore per-,, ficitur, ipsum Dominum audiens dicen-,, tem, Amen, Amen dico vobis, nisi ,, quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ,, Sancto, non intrabit in regnum cœlo-,, rum. ,, Hac auctoritate eo loci probat adversus Julianum, S. Augustinus ex necessitate circumcisionis, & Baptismi peccatum originale.

2. *Job*. 14. Clarissime peccatum originale demonstratur, his verbis: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Sed unde fluit immunditia, nisi a peccato originali, cum vel ipsi parentes generantes, quandoque justi reperiantur; hinc Septuaginta vertunt: *Nemo mundus a sorde nec infans, cujus est unius diei vita super terram*.

3. *Celeberrimum* est testimonium David 15. qui de sua conceptione loquens Ps. 50. v. 7. *Ecce enim*, ait, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: Quæ verba ponderans S. Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 3. sed præsertim B. Aug. l. 2. contra Jul. c. 3. n. 5. ait: " Omnes sub peccato nascimur, quorum ,, ipse ortus in vitio est, sicut habes le-,, ctum, dicente David, *Ecce enim in ini-,, quitatibus conceptus sum, & in delictis ,, peperit me mater mea*. ,, Subjungit Augustinus alloquens Julianum: " Hic sane ,, omnia simul vestra argumenta subver-,, sa sunt; si enim omnes sub peccato na-,, scimur, quorum ipse ortus in vitio est: ,, cur mihi ex hoc objicis, quod dicam ,, Diabolum hominum creatorem, cum ,, hoc dicere me videas, quod ille dixit ,, qui hominum creatorem diabolum esse ,, non dixit? Si quoniam hominis ortus ,, in vitio est, ideo dicit David: *Ecce e-,, nim in iniquitatibus conceptus sum & in ,, delictis peperit me mater mea*, Nec ac-,, cusat vox ista nuptiale consortium, ,, sed originale peccatum. ,, Rursus in Psalm. 50. ait, de Jesse viro justo & conjuge ipsius: " Quid est quod se dicit ,, in iniquitate conceptum, nisi quia tra-,, hitur iniquitas ex Adam? ,,

4. *Sapient*. 12. Iterum indigitatur peccatum originale his verbis: *Non ignorans quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum: semen enim erat maledictum ab initio*.

5. *Eadem* astruitur veritas Eccl. 25. ubi sic habet: *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur*: Sed unde iniquitas naturalis? Unde maledictio ab initio in parvulis rat ione nondum institutis? Unde morimur omnes per Evam nisi a peccato originali?

Hoc ipsum innuit S. Augustinus, qui ista Eccli. verba explicans: *Jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris*

tris eorum. Lib. 2. contr. Julianum cap. 1. num. 3. ait: Imponi si jugum grave ,, super filios Adam a die, sicut scriptum ,, est Eccl. 40. Nativitatis eorum usque ,, in diem sepulturæ in matrem omnium, ,, sub quo jugo imago ejus adteritur, aut ,, ipse nullo vel originali, vel proprio ,, præcedente peccato, aut quilibet alius, ,, ipso imponit invito. Nec perfectio est ,, desperanda virtutis, per ejus gratiam, ,, qui ex origine vitiatam mutare potest & sanare naturam.,, Eo loci probat Augustinus peccatum originale ex necessitate gratiæ sanantis.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex novo depromitur Testamento.

UBI est mutuus consensus in utroque Testamento pro dogmate, tunc veritas extra omne dubium lucescit: Atqui novum Testamentum pro astruendo peccato originali cum veteri prorsus consentit: Ergo &c. Probatur minor variis textibus.

1. *Joannis* 1. Legitur, *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi*. Quæ verba sancti Patres infra citandi intelligunt maxime de peccato originali, quod una voce propter ejus in omnes homines diffusionem, peccatum mundi vocant, ad quod delendum, *misit Deus*, ait Apostolus Gal. 4. *Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret*. Hoc est sub lege peccati originalis: ea enim fuit lex, ut si Adam peccaret, mors in omnibus hominibus regnaret, etiam in eis qui nondum peccati actualis capaces sunt. Sic ipse Apostolus legem interpretatur Rom. 4. his verbis: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*. Quæ verba explicans D. Thomas lectione 4. his verbis: " Regnavit, id ,, est, potestatem suam exercuit in homines.... Etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ qui actualiter peccavit..... ,, Nam sicut per Adam peccatum, & mors ,, in mundum intravit, ita per Christum ,, intravit justitia, & vita.,,

2. *Insignis* est locus Rom. 5. ubi sic habetur. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius inobedientiam justi constituuntur multi*. Pelagiani ut istam exsufflarent sententiam dicebant verba Apostoli intelligenda esse de transfusione peccati Adæ in posteros per imitationem, quatenus omnes peccantes Adami prævaricationem imitantur: Sed eos revincit D. Thomas hic lectione 3. his verbis: " Dicit Augustinus contra eos: si de introitu peccati actualis, qui est per imitationem, hic Apostolus loqueretur, non ,, diceret peccatum per hominem in hunc ,, mundum introisse, sed magis per diabolum, quem peccantes imitantur. 2. Secundum illud sapientiæ. 2. ,, Invidia diaboli mors introivit. Est ergo intelligendum quod per Adam peccatum in hunc mundum intravit, non solum ,, imitatione, sed etiam propagatione, id est, ,, per carnis originem vitiatam, secundum illud Ephes. 2. v. 3. Eramus natura ,, Filii iræ, hoc est ab origine, adeoque ,, voluntate aliena, & propria, consequenter per peccatum.,,

3. *Rursus* 2. Cor. 5. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est: Ergo omnes mortui sunt*; sed quomodo omnes mortui, nisi per peccatum Adæ? Nam parvuli e vita migrantes, nusquam alterius peccati noxii sunt. Sic S. Augustinus docet lib. 6. contra Julianum cap. 4. num. 8. " Ac per hoc, *unus*, inquit, *pro omnibus mortuus est, ergo* ,, *omnes mortui sunt*: Ostendens fieri non ,, potuisse, ut moreretur, nisi pro mortuis. Ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus ,, est unus. Impingo, inculco, infercio ,, recusanti: accipe, salubre est, nolo ,, moriaris. Unus pro omnibus mortuus ,, est: Ergo omnes mortui sunt. Vide ,, quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus ,, mortuus est.,,

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex traditione Patrum.

Primo, ex Patribus Græcis.

SANCTUS IRENÆUS primus nobis occurrit lib. 4. cap. 5. apud Augustinum l. 1. contra

contra Julianum cap. 3. num. 5. sic loquiquitur: " Non aliter salvari homines ab ,, antiqua serpentis plaga, nisi credant in ,, eum, qui secundum similitudinem ,, carnis peccati in ligno Martyrii exalta-,, tus a terra, omnia traxit ad se, & vivifi-,, cavit mortuos. ,, Deinde Augustinus alloquens Julianum sic loquitur: " Vides ne ,, antiquum hominem Dei quid de antiqui ,, serpentis plaga senserit? Quid de simili-,, tudine carnis peccati, per quam sanatur ,, plaga serpentis in carne peccati? Quid ,, de Protoplasti peccato per quod alli-,, gati fueramus? ,,

Tum beatus Justinus qui dialogo cum Tryphone p. 315. dicit Christum neque baptizatum, neque circumcisum, neque passum fuisse pro semetipso, sed ut peccati mortem quæ regnavit ab Adamo in omnes, deleret, sic loquitur: " Ad omnem ,, eum, *scilicet Christum*, non ideo venisse ,, pro comperto habemus, quod vel baptis-,, mi lavatione, vel Spiritus in specie co-,, lumbæ adventu opus ei fuerit, sicuti ,, nec nasci, & circumcidi, & crucifigi ,, propter functionis hujusmodi indigen-,, tiam sustinuit, sed humani generis cau-,, sa, quod per Adam in mortem, & frau-,, dem, seductionemque serpentis concide-,, rat, ut interim propriam se mali-,, gne agentis cujusque culpam ta-,, ceam. ,,

Sequitur Clemens Alexandrinus lib. 3. Strom. " Restat ergo eis, *ait*, ut vide-,, tur, consequenter, ut dicat malam esse ,, generationem, non solum eam quæ est ,, corporis, sed etiam eam quæ est animæ ,, propter quam etiam corpus. ,, Quomodo autem generatio mala, nisi ratione peccati originalis juxta illam Job sententiam a Clemente eo loci laudatam, *Nullum esse a sorde mundum, nec si sit quidem una dies vita ejus*. Ergo &c.

Origenes suum addit calculum. Homil. 12. in Levit. pag. 102. Col. 2. edit. Paris. 1519. sic loquitur: " Omnis qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione efficitur. Propter quod & ,, scriptura dicit: Nemo mundus a sorde, ,, nec si unius diei fuerit vita eius. Hoc ,, ipso ergo quod in vulva matris est positus, ,, & quod materiam corporis ab origine ,, paterni seminis; sumit, in Patre & ,, in matre contaminatus dici potest. ,, Pergit: " Omnis ergo homo in Patre & ,, Matre pollutus est; solus vero Jesus, ,, Dominus meus in hac generatione mun-,, dus ingressus est, in Matre non est pollu-,, tus. ,, Eamdem propugnat veritatem Homil. 8. in Levit. pag. 89. Col. 2. eandem pro utroque sexu docet veritatem. Rursus ho. 3. in Cantica Cant. pag. 343. Col. 1. Rursus Homil. 14. in Lucam tom. 2. pag. 141. Col. 2. lib. 5. In epist. ad Rom. pag. 342. lib. 4. cont. Celsum pag. 190.

Accedit Gregorius Naz. orat. in natali Christi: ibi sic loquitur apud Augustinum lib. 1. contra Julianum cap. 5. num. 15. " Sicut in Adam omnes mortui sumus, ,, ita & in Christo omnes vivificemur: ,, cum Christo ergo nascamur, & cum ,, Christo crucifigamur, & consepeliamur ,, ei in mortem, ut cum ipso etiam re-,, surgamus ad vitam..... Ubi enim abun-,, davit peccatum, superabundavit gra-,, tia: ut quos gustus ligni vetiti conde-,, mnavit, Christi crux gratia largiore justi-,, ficet. ,, Subjicit Augustinus perstringens Julianum: " Audis omnes uno corde, ,, uno ore, una fide id ipsum dicere, & ,, hanc esse catholicam fidem non dissonan-,, te contestatione firmatam. ,,

Concinit Basilius Serm. 1. Ibidem apud S. Augustinum num. 18. " Si jejunasset a ,, ligno Eva, non isto indigeremus jeju-,, nio. Non enim opus habent valentes ,, medico, sed male habentes: Ægrota-,, vimus per peccatum, sanemur per pœ-,, nitentiam. Pœnitentia vero sine jejunio ,, vacua est .... Quia non jejunavimus, ,, decidimus de paradiso; jejunemus ergo, ,, ut ad eum redeamus. ,, Tum S. Augustinus eumdem debellans hæreticum ait: " Audis quod isto non indigeremus jejunio, ,, si homo jejunii legem non fuisset in pa-,, radisi felicitate transgressus; & negas ,, peccato illorum hominum obnoxios cæ-,, teros nasci. ,,

Non prætereundus S. Joannes Chrysostom. apud eundem August. quem ibidem cap. 6. num. 24. sic loquentem inducit: " Audi ,, jam, Juliane, quid etiam Joannes cum ,, cæteris catholicis Doctoribus dicat: ,, ad Olympiam scribens, quando ,, enim Adam peccavit, illud grande pec-,, catum, & omne genus humanum in ,, commune damnavit, de merore penas ,, luebat. ,, Addit Augustinus: " Quid ,, dici potest expressius? Quid ad ista

 ,, res-

„ respondes? si Adam grandi peccato suo „ omnes genus humanum in commune damnavit, numquid nisi damnatus parvulus „ nascitur? „

Celeberrimum est testimonium Episcoporum Orientalium qui in Concilio Diospolitano congregati varios Pelagii errores proscripsere, inter quos, hic est, secundus: *Quod peccatum ipsius Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum*. Tertia, & *quod infantes nuper nati, in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem*. Quarta, & *quod per mortem, vel prævaricationem Adæ, non omne genus humanum moriatur: & quod non per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat*. Quinta, *infantes, etiamsi non baptizantur, vitam habere possunt*.

Secundo, ex Patribus Latinis.

AGMEN ducet S. Cyprianus qui epist. 64. ad Fidum, apud S. Aug. lib. 1. contr. Jul. cap. 3. n. 6. sic loquitur: " Porro „ autem si gravissimis delictoribus, & „ in Deum multum ante peccantibus, „ cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, & a Baptismo atque gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum „ Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? „ qui ad remissam peccatorum accipiendam, hoc ipso facilius accedit, quod illis remittuntur non propria sed aliena „ peccata. „

Tum Reficius Augustodunensis Episcopus ibidem, apud S. Aug. n. 7. de Baptismo agens hæc, ait: " Hanc igitur principalem esse in Ecclesia indulgentiam „ neminem præterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ nostræ facinora prisca debemus, „ ibi & veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus. „ Subjicit S. Aug. " Audis antiqui criminis pondus, „ audis prisca facinora, audis cum sceleribus ingenitis hominem veterem. & audes „ adversus hæc ruinosam construere novitatem? „

Accedit Olympius Hispanus ibidem n. 8. apud eundem Aug. " Si fides, *inquit*, umquam in terris incorrupta mansisset, „ ut vestigia defixa tenuisset, quæ signata deseruit, numquam Protoplasti „ mortifera transgressione vitium sparsisset in germine, ut peccatum cum homine nasceretur. „ Tum sic resumit „ Aug. " Una est enim omnium catholica fides, qui per unum hominem peccatum intrasse in mundum, in quo omnes „ peccaverunt, uno corde credunt, ore „ uno fatentur. „

Tertullianus suffragatur lib. de Resur. carnis cap. 49. " Sicut, *ait*, portavimus „ imaginem Choici, portemus etiam imaginem supercœlestis; poravimus enim „ imaginem Choici per Collegium transgressionis, per consortium mortis, „ per exilium paradisi. „ Deinde vero „ lib. de anima, cap. 40. " Omnis anima eo usque in Adamo censetur, donec „ in Christo recenseatur: tandiu immunda, quandiu recenseatur: peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis Societate. „

S. Hilarius apud S. Aug. lib. 1. cont. Julia. c. 3. n. 9. " Vivere se, *inquit*, in hac vita non reputat; quippe qui dixerat, „ ecce in iniquitatibus conceptus sum, „ & in delictis peperit me mater mea. „ Scit sub peccati origine, & sub peccati lege esse natum. „

S. Ambrosius, ibidem apud eundem n. 10. " Omnes in Adam morimur, quia „ per unum hominem peccatum intravit „ in mundum, & per peccatum mors, „ & ita in omnes homines pertransiit, „ in quo omnes peccaverunt. Illius igitur culpa, mors omnium est. Tum relatis aliis Patrum auctoritatibus cap. 4. num. 11. sic alloquitur Aug. Julianum: " Nunc & mihi objice originale peccatum „ dissimula ab istis, finge te nescire „ quid dicant, & sanctæ Ecclesiæ tot, „ tantisque doctoribus, qui vita optime „ gesta debellatisque suorum temporum „ erroribus, gloriosissime de hoc sæculo „ antequam vos ebulliretis... Securus insulta. „

Pro coronide sit vel ipse Aug. qui hunc Pelag. errorem insectatur tribus in libris de peccat. merit. & remis. Tum lib. de perfectione justitiæ, lib. de peccato orig. ex professo, in duobus libris de nup. & concup. deinde in sex adversus Julia. Et iterum in sex aliis operis imp. contra eundem, ubi ejus respondet obiectis: immo & passim in aliis operibus, ut in epistolis. Jam

Jam sic concludimus. Nemo citra temeritatem constanti Patrum traditioni refragari potest: sed ex PP. traditione liquet dari peccatum originale. Ergo &c.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Depromitur ex decretis SS. Pontificum & Conciliorum.

AD summos Pontifices & Concilia spectat determinare credenda: sed definiere dari peccatum originale. Ergo &c.

Summi Pontifices.

INNOC. ann. 417. I. tribus acceptis ex Africa epistolis, quibus certum eum faciebant hujus regionis Præsules de Pelagianorum erroribus, Romæ adunavit Concilium, in quo quidem eos damnavit tum & suum addidit calculum definitionibus Africanorum Patrum ad quos tres vicissim conscripsit epistolas. Una sic habet: " Illud vero quod eos vestra fraternitas asserit prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine Baptismatis gratia posse donari, perfatuum est: nisi enim manducaverint carnem Filii hominis; & biberint sanguinem ejus non habebunt vitam in semetipsis: qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum Baptismum velle cassare, cum prædicant eos habere quod in eis creditur nonnisi baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere, non renasci fateantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse. „ Eo loci S. Pontifex retorquet argumentum contra Pelagianos, qui quidem ultro fatebantur Baptisma esse necessarium ad ingressum in regnum cœlorum, nusquam vero ad delendum peccatum originale, & quibus concludit, non opus esse Baptismate, si nec ad delendum peccatum originale, nec ad vitam æternam habendam valeat.

Zosimus Papa Innocenti insistens vestigiis, apud S. Aug. epist. 190. ad Optatum, ait: " Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis: per ipsum enim renascimur spiritaliter, per ipsum crucifigimur mundo: ipsius morte, mortis ab Adam omnibus nobis introducte, atque transmissæ universæ animæ, illud propagatione contractum Chirographum rumpimus, in quo nullus omnino natorum, antequam per baptismum liberatur, non tenetur obnoxius. „ Non prætereundus Cœlestinus qui Romæ, congregata Synodo adversus Nestorium, ibi etiam Pelagianos isti faventes suo perstrinxit stylo censorio. In sua ad S. Cyrillum Alex. epistola sic loquitur: " Legimus quam bene teneas originale peccatum, qualiter ipsam naturam asseris debitricem & eum debitum reddere, qui descendit de genere debitoris. Qui tecum faciunt qui sunt hæc negando damnati? Ejicerentur denique, si tibi quoque similiter displicerent. „

Tertio, ex Conciliis.

CUNCTA, tum Romæ, tum in Africa, tum in Palastina adversus Pelagianos obstrepentes adunata, eorum, ne uno quidem excepto, damnant circa peccatum originale errores. Instar omnium Conciliorum sit plenarium totius Africæ, tum Ephesinum & Tridentinum.

Primum ann. 418. can. 2. sic loquitur: *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere eos Originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod,* ait, *Apostolus, per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit.*

Concinit Ephesinum ann. 431. in epist. Syn. ad Cœlestinum Papam, sic loquuntur Patres: " Perlectis in sancta Synodo commentariis Actorum in condemnatione impiorum Pelagianorum, & Cœlestianorum, & quæ a pietate tua de ipsis decreta, & constituta sunt, indicavimus & nos ea solida firmaque permanere debere, & idem omnes tecum statuimus, eos pro condemnatis habentes. „

Expressius Tridentinum sess. 5. can. 2. *Si quis*, ait, *Adæ prævaricationem sibi soli, et* non

non ejus propagini asserit nocuisse, & acceptam a Deo sanctitatem & justitiam quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit.

Rursus, can. 3. *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est & propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius Mediatoris Domini nostri Jesu Christi ... Anathema sit.*

Rursus can. 4. *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum, baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti .... Sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam .... Anathema sit.*

QUARTUM ARGUMENTUM.

Ex ratiocinibus Theologicis D. Augustini, & sancti Thomæ eruitur.

ABSQUE temeritate negari non potest quod astruitur a sanctis Doctoribus omni exceptione majoribus : sed peccatum originale sic astruitur, scilicet a SS. Augustino & Thoma. Ergo &c. Probatur minor eorum rationibus.

Prima, sic exponitur: eodem modo ratiocinandum est de gratia, justificatione, & vivificatione per secundum Adam, scilicet Christum, ac de morte inducta per primum : Atqui non sola imitatione, sed realitate, & transfusione gratiæ omnia in Christo vivificantur : Igitur cum eadem sit lex contrariorum, omnes, si beatissimam excipias Virginem, in Adam, per communicationem realem ejus peccati moriuntur, hanc egregiam affert rationem S. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 15. n. 19. ubi infert omnes justificari in Abel, & a Christo nato omnes in proditore Juda mori, si justificatio per Christum, & mors per Adam penes imitationem spectetur, cum Abel justitiæ, Judas vero e contra iniquitatis dederint exempla : " Nam, „ *inquit* August. si sola imitatio facit „ peccatores per Adam, cur non etiam „ per Christum sola imitatio justos facit ? „ *Sicut enim per unius delictum in omnes* „ *homines ad condemnationem*, sic & per „ unius *justificationem*, *in omnes homines* „ *ad justificationem vitæ*, proinde isti, *unus* „ *& unus* non Adam & Christus, sed „ Adam & Abel constitui debuerunt. „

Secunda : Ignorantiis permultis ipsi obnoxii sunt vel adolescentes baptizati, multa quippe ignorant de Deo, & multa de præceptis : sed hæc obcæcatio vulgaris ex innata obcæcatione promanans peccatum originale indigitat, ita ut, si non baptizentur pueri invalescunt tenebræ. Ergo &c. Hanc urget rationem S. Doctor ibidem cap. 24. n. 35. " Ego, „ *inquit* Christus, lux in sæculum veni, „ ut omnis qui crediderit in me, non „ maneat in tenebris.... Proinde parvu„ li, si per Sacramentum quod ad hoc „ divinitus institutum est, in credentium „ numerum non transeant, profecto in „ his tenebris remanebant. „

Idem n. 36. explicans ista verba Joannis : *Illuminat omnem hominem venientem in mundum*. Ait, hoc fieri in pueris per Baptismum : tum 37. idem peragi in adultis per gratiam interiorem, asserit, & sic loquitur : " Audit quippe homo „ dicentem vel hominem, vel Angelum; „ sed ut sentiat & cognoscat verum esse „ quod dicitur, illo lumine, intus mens „ ejus adspergitur, quod æternum ma„ net, quod etiam in tenebris lucet : „ sed sicut sol iste a cæcis, quamvis „ eos suis radiis quodammodo vestiat, „ sic ab stultitiæ tenebris non compre„ henditur. „ Iterum repetit ex ignorantiis innatis peccatum originale S. Augustinus ibidem pag. 37. n. 66. & in probationem affert illa Davidis verba : *Delicta juventutis & ignorantiæ meæ, ne memineris*.

Tertia : Redemptio est absolute necessaria, ut detur Deo ad apices juris pro peccatis satisfactio : quod quidem nedum Scriptura, sed & omnes docent Patres : sed hoc intelligitur maxime pro remissione peccati originalis, unde Joan. 1. dicitur, *peccatum mundi*. Ergo &c.

Ista ratio est D. Augustini ibidem cap. 26. n. 39. ubi sic loquitur de necessitate Baptismi per Christum mediatorem : „ Porro quia parvulos baptizandos esse „ concedunt, qui contra auctoritatem „ uni-

„ universæ Ecclesiæ, procul-dubio per „ Dominum, & Apostolos traditam venire non possunt: concedant oportet „ eos egere illis beneficiis Mediatoris, „ ut abluti per sacramentum, charitatemque fidelium, ac sic incorporati Christi corpori, quod est Ecclesia, reconcilientur Deo. „ Eo loci S. Doctor probat peccatum originale ex necessitate & Baptismi, & redemptionis, tum n. 40. fusius explicat argumentum ex redemptione petitum, quod variis Scripturæ locis comprobat, ut isto S. Lucæ oraculo: *Non veni vocare justos, sed peccatores*. Et Lucæ 15. *Venit enim Filius hominis quærere, & salvare quod perierat*. Et Joan. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Idem argumentum redit pro eodem momento pag. 29. 535. 537. & 538.

Quarta: Antequam Baptisma conferatur parvulis & fiunt exorcismi, ut ab anima pueri expellatur diabolus: sed si in eo peccatum originale non esset, nequaquam diabolus possideret animam pueri. Ergo &c. Ista ratione probat S. Augustinus ibidem cap. 34. n. 62. peccatum Adami ad posteros transfusum: " Quid, „ *inquit*, de ipsa forma sacramenti loquar? Vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum parvulum afferret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli „ non tenetur? Ipse certe mihi fuerat „ responsurus pro eodem parvulo quem „ gestaret, quia pro se ille respondere „ non posset. Quomodo ergo dicturus erat „ eum renuntiare diabolo, cujus in eo „ nihil esset? „

Quinta: Quæ multas alias complectitur, hæc est, infirmitas & necessitas gratiæ quæ adjuvat, pudor & verecundia ab Adami lapsu, concupiscentia & partis inferioris rebellio, perpetuus passionum conflictus, aliæque miseriæ quæ in omnibus reperiuntur, & a quibus nonnisi per gratiam mediatoris nemo solvitur, arguunt peccatum originale, & statum naturæ lapsæ demonstrant, cum ante Adami peccatum nulla ex his incommodis adessent. Ergo &c. Ista ratio multiplex traditur a S. Augustino.

Primo quidem, de ignorantia & infirmitate, ac necessitate gratiæ lib. 2. de peccat. merit. & remis. cap. 17. n. 26. sic loquitur: "Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus „ bonum, vel ab opere malo abstinendum. „ Ut autem innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei „ est; quæ hominum adjuvat voluntates. „

Secundo, de pudore & inobedientia ibidem cap. 22. n. 36. ait: " Nudi erant, „ & non confundebantur. Animam quippe rationalem naturali verecundia non „ pudet, quod in carne in cujus servitutem ius potestatis accepit .... Sed „ nobis pudendum est, quod imperio nostro caro nonservit, quia hoc fit per infirmitatem quam peccando meruimus, vocaturque peccatum habitans in membris nostris. „

Tum de concupiscentia lib. 2. contra Julianum cap. 5. fuso calamo describit stimulum carnis, quem patiebatur Apostolus, quique inducit ad peccatum actuale, nisi gratia compescatur num. 13. ait: " Paulus, ait: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, „ *& captivantem me in lege peccati*. Qualem voluptatem dicat hoc loco iste „ Doctor, in promptu est, quia ut intelligeremus, adhibuit Apostoli testimonium dicentis, video aliam legem in „ membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege „ peccati. „ Deinde n. 16. concludit sic perstringendo Julianum: " Habes ne ad „ ista quod dicas? Ecce unde illa confusio; ecce unde contextio & succentio „ foliorum, ecce unde in posteris originale peccatum. „

Tertio, lib. de conflictu Passionum etiam in iustis, ibidem pag. 530. c. 3. n. 7. 7. sic loquitur: " Ac ne quisquam in his „ verbis Episcopi Gregorii hostiliter urgentem carnem, tanquam ex contraria „ natura mali, secundum Manichæorum „ insaniam suspicetur; etiam ipse vide „ quemadmodum suis fratribus, & condoctoribus concinat, docens non ab alio „ adversus carnem spiritum concupiscere, nisi ut suo utrumque revocetur auctori post gravissimum in hac vita rei „ utriusque conflictum, in quo laborat omnium vita sanctorum: in libro quippe Apologetico. „ *Illorum vero*, inquit Gregorius Nazianzenus, *Verborum nondum facio mentionem, tribus intra nos metipsos propriis vitiis ac passionibus impugnamur, & die noctu-*

nectuque ignitis stimulis corporis humilitatis hujus, & corporis mortis urgemur &c.

Ex his infert S. Augustinus hominum, etiam sanctissimorum vitam a peccato & imperfectionibus immunem non esse: tum ex hac justitiæ imperfectione iterum concludit, & probat peccatum originale, quod in concupiscentia tum oculorum, tum carnis, & in superbia radica tum, ad agonem usque etiam in sanctis veluti in semine vitiato quantum ad effectum remanens, seipsum prodit in hominum vita. Sic fatur S. Augustinus lib. 2. de peccat. merit. & remis. cap. 13. n. 19. ubi de omnibus hominibus etiam justis sermonem facit: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* " Non „ sunt sine peccato; nec quisquam eorum „ tam arroganter insanit; ut non sibi pro „ suis qualibuscumque peccatis dominica „ oratione opus esse arbitretur. „

Denique de morte temporali inducta pro peccato originali, ut pœna, sic scribit ibidem cap. 31. n. 51. " Hinc & ipse Do„ minus mori voluit, ut quemadmodum „ de illo scriptum est, Hebr. 2. *Per mor„ tem evacuaret eum, qui potestatem habe„ bat mortis*, id est, *diabolum, & libera„ ret eos, qui timore mortis per totam vitam „ rei erant servitutis.* Hoc testimonio satis „ etiam illud monstratur, & mortem „ istam corporis principe, atque auctore „ diabolo, hoc est, ex peccato accidisse, „ quod ille persuasit, neque enim ob a„ liud potestatem habere mortis verissime „ diceretur: unde ille qui sine ullo pec„ cato, vel originali, vel proprio morie„ batur, dixit quod paulo ante comme„ moravi: *Ecce veniet princeps mundi*, id „ est, diabolus, qui potestatem habebat „ mortis, *& in me nihil inveniet*, id est, „ peccati, propter quod homines mori „ fecit. „ Idem urget argumentum in libro toto de perfectione justitiæ hominis.

Alter Doctor egregius est D. Thomas, qui lib. 2. quæst. 81. ex professo probat peccatum originale, maxime art. 1. & hoc duplici argumento, primo quidem ex auctoritate Apos. Rom. 5. Deinde vero ex eo quod sicut in posteros justitia originalis, si Adam non peccasset, transmissa fuisset ad posteros, ita ex lege contrariarum transmittitur peccatum. Ideo enim transmissa fuisset justitia, quia omnes homines sunt in Adamo veluti unus homo; pari & consimili illatione transmitti debet peccatum quam rationem urget iterum cuntra Pelagianos lect. 3. in cap. 5. epist. ad Rom. hic autem art. 1. in arg. *sed contra*, sic loquitur: " Sed contra est „ quod Apostulus dicit Rom. 5. per unum „ hominem peccatum in hunc mundum „ intravit, quod non potest intelligi per „ modum imitationis, vel incitationis, „ vel propter hoc quod dicitur Sap. 2. in„ vidia diaboli mors intravit in orbem „ terrarum: restat ergo, quod per origi„ nem a primo homine peccatum in mun„ dum intravit. „ Rursus in corp. art. " Secundum fidem catholicam est tenen„ dum, quod primum peccatum pri„ mi hominis originaliter transit in „ posteros, propter quod etiam pueri „ mox nati deferuntur ad Baptismum „ tanquam ab infectione aliqua culpæ „ abluendi. „

Solvuntur objectiones Pelagianorum, ex scriptura desumpta.

OBJICIUNT Ezech. 18. habetur: *Anima quæ peccavit, ipsa morietur: Filius non portabit iniquitatem Patris.* Sed si peccatum Adæ ad posteros transeat, jam Filii portabunt iniquitatem Patris, Ergo &c.

Respondeo distinguendo, Filius non portabit iniquitatem Patris singularem, concedo: communem & publicam, nego. Iniquitas in Patre duplex distinguitur una scilicet personalis seu singularis, altera vero capitalis & publica. Propheta de priori loquitur, & sensus est Filium non esse reum peccati blasphemiæ v. g. quod committeret Pater, at vero portat iniquitatem quam Pater reduplicative ut familiæ caput patrat, hinc non solum in se sed & in suis bonis, videlicet Filiis pœnas criminis luit. sic & Mater & Filii & nepotes exulant propter scelus Patris adversus regiam majestatem commissum: a fortiori, propter Adami peccatum Filii hominum eiiciuntur foras, donec per Christum reconcilietur: solutio colligitur ex D. Augustino lib. 6. contr. Jul. cap. 25. num. 82. ubi recensita Ezech. sententia alloquens Heterodoxum, ait: " Nam „ intel-

„ intelligis hanc esse promissionem Testamenti Novi, & spiritalis hereditatis ad alterum sæculum pertinentis. Id enim agit gratia redemptoris, ut paternum chirographum deleat, & unusquisque pro se rationem reddat. Cæterum quam multa sint divinarum testimonia litterarum, quæ parentum peccatis obligant Filios, numerare quis possit? Cur enim peccavit Cham., & in ejus Filium Canaan vindicta prolata est? Cur pro peccato Salomonis Filius ejus diminutione regni punitus est. „

Reponunt: Rom. 5. non omnes, sed tantummodo plures per peccatum Adæ dicuntur constituti peccatores. Igitur Adami peccatum non transit ad nepotes, sin minus non ad unum aut alterum, sed ad omnes prorsus transmitteretur.

Respondeo distinguendo, & vox *multi* iidem sonat ac omnes, concedo: secus, nego. Hæc interpretatio habetur, vel in ipsa scriptura: namque Luc. 7. 47. Christus in gratiam Magdalenæ pœnitentis, ait: *Remittuntur ei peccata multa*. Hoc est omnia, ut ultro fatentur, vel ipsi hæretici. Hoc utique patet ex versu præcedenti Rom. 5. ubi habetur: *Igitur, sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*. Audis unum delictum omnibus mortem afferre & condemnationem.

Solutio est quoque D. Aug. qui lib. 6. contr. Jul. cap. 24. nu. 80. sic respondet: " Cum vero *multos*, quod dixit postea, non vis intelligi *omnes*, quod prius dixerat, *ideo existimans dictum fuisse multos, ne omnes intelligerentur*: Poteris hoc dicere, & de semine Abrahæ, cui promissæ sunt omnes gentes ..... Quod autem dictum est, in semine tuo benedicentur omnes gentes: &, Patrem multarum gentium posui te: easdem omnes, multas; & easdem multas, omnes esse demonstratum est. Ita etiam cum dictum est. Per unum in omnes transiisse peccatum; & postea, per unius inobedientiam peccatores constitutos multos: ipsi sunt multi, qui & omnes. „

Instant: Atqui solum de aliquibus, nusquam vero de omnibus loquitur Apostolus. Ergo &c. Probatur subsumptum. Si de omnibus sententia Apostoli foret intelligenda, omni tempore peccatum Adæ hominibus fuisset imputatum: Atqui res non ita se habet juxta illud Rom. 5. 13. *Usque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset*. Rursus ibidem: *Regnavit mors ab Adam, usque ad Moysen*. Igitur postea non regnavit, scilicet peccatum quod eo loci nomine mortis nuncupatur.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem nego minorem. Ad ulteriorem probationem distinguo illam partem, usque ad legem quoddam peccatum actuale non imputabatur, concedo: originale, nego. Eo loci Apostolus loquitur de quibusdam peccatis actualibus, scilicet de concupiscentiæ desideriis, quæ ut peccata defectu cognitionis non habebantur, donec lex, ut ipse, ait, pronuntiaret, *non concupisces*, nusquam vero de peccato originali, cum sicut in lege naturæ sic & in Mosaica esset pro illo abstergendo remedium. Ultima objectionis verba hanc indicant solutionem, habetur enim, *sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen*. Subdit vero *etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*. Hoc est propria voluntate & actualiter. Quænam est igitur illa mors quæ regnavit in pueris, nisi peccatum originale? S. Augustinus lib. 6. contr. Jul. cap. 4. num. 9. locum Apostoli interpretatur de peccato quodam actuali, quod non imputabatur, donec per legem cognitum est: " *Peccatum autem*, inquit, *non deputabatur, cum lex non esset*. Erat quidem peccatum, sed non deputabatur, quia non cognoscebatur: *per legem enim*, sicut alio loco dicit, *cognitio peccati*. *Sed regnavit mors ab Adam, usque ad Moysen*: quia nec per Moisen, idest, nec per legem regnum ejus ablatum est. Regnavit autem & in his, qui non peccaverunt. Quare igitur, si non peccaverunt? Audi quare: *in similitudinem*, inquit, *prævaricationis Adæ, qui est forma futuri*. Dedit enim ex se formam posteris suis, quamvis peccata propria non habentibus, ut peccati paterni contagione moverentur; qui per ejus carnalem concupiscentiam gignerentur. „ *Sed non sicut delictum*, inquit, *ita & donatio. Si enim ob unius delictum multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in multis*

abun-

abundavit. " Multo magis utique abundavit, quia in quibus abundavit, temporaliter moriuntur. " In hoc dubio procul superabundant quod vita æterna morti temporali succedet, & pro miseriis torrente voluptatis potabit eos Dominus.

S. Thomas locum objectum de peccato actuali intelligit: immo & de peccato originali quod ante legem naturæ, non ita cognoscebatur ut imputaretur; adveniente vero Lege Mosaica quædam peccata alias abscondita, magis aperta & manifestata sunt. Sic loquitur comm. in cap. 5. epist. ad Rom. lect. 4. " Peccatum erat in mundo, quod quidem potest intelligi de lege naturæ, & de lege Moisi: similiter & de peccato actuali, & de peccato originali. Peccatum enim originale erat in parvulo usque ad legem naturæ, idest usque ad usum rationis, per quem homo hujusmodi leges advertit Psal. 50. *In peccatis concepit me mater mea*. Nec tamen cessavit hoc peccatum lege naturali adveniente in homine, sed magis excrescit per additionem peccati actualis... Quamvis autem lex peccatum non aufert, peccati tamen cognitionem fecit, quod antea non cognoscebatur: Unde subdit: *Peccatum autem non imputabatur*. Quod quidem planum est, si intelligatur de lege naturali. Quamvis enim peccatum originale fit in parvulo ante legem naturalem, & reputetur a Deo, non tamen imputatur ei apud homines. Si autem intelligatur de lege Moisi, planum est quantum ad aliqua peccata actualia, quod non imputabantur ante legem, sicut illa quæ specialiter sunt per legem prohibita. " Et sic patet responsio ad alium B. Pauli textum.

Urgent: Filios fidelium in hoc a cæteris secernit Apostolus quod ab ortu sancti sint, juxta illud 1. Cor. 7. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*. Igitur non datur peccatum originale: sin minus, vel ipsi Christianorum filii immundi ab ortu forent, quod tamen videtur esse contra Apostolum.

Respondeo distinguendo: Apostolus secernit filios Christianorum ab aliis quod a nativitate sancti sint, sanctitate legali & extrinseca, concedo: intrinseca, nego. Ut primum parentes sunt fideles, eorum filii per relationem quam habent ad eos, extrinsece sunt sancti, hoc est pertinent ad pios parentes & indirecte ad Ecclesiam, quæ compellit parentes ut ad regenerationis lavacrum suos adducant filios: sed certe non sunt sancti sanctitate interiori donec baptizentur.

Reponunt, quilibet reddet Deo rationem in extremo judicio solum de peccatis quæ patravit, ut habetur 2. Cor. 5. *Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*. Sed peccatum Adæ respectu posterorum est alienum: Igitur nulli nisi Adæ imputatur.

Respondeo distinguendo minorem, peccatum Adæ respectu nepotum est alienum physice, concedo: non enim propria voluntate ab eis committitur: est alienum moraliter, nego. Voluntas enim membrorum censetur in voluntate capitis concludi, hinc S. Thomas comm. in cap. 5. epist. ad Rom. ait quod omnes homines sint in protoparente, unus homo. Quia vero propria voluntate illud originis peccatum non patrarunt, ideo de eo præcise non reddent rationem, bene vero illud Baptismatis lavacro abstergi neglexerint.

S. Augustinus l. 6. contra Julian. cap. 10. revincit Juliani argumentationem his verbis: " Quod autem Apostolum dixisse commemoras: omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria corporis sui prout gessit sive bonum, sive malum... Evangelica est & ipsa sententia dicendo, omnes nos manifestari oportet, ut recipiat unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum, nihil voluit intelligi medium. Vide ergo quam importune nobis parvulum de alieno peccato reportare malum, ut velis eum de alieno recte peracto reportare bonum, non qualecumque, sed Dei regnum. Alienum quippe opus fuit, cum peccavit in altero. "

Objectiones Pelagianorum sancto Augustino proposita, & ab eodem soluta.

OPPONUNT: Sicut omnes in Adam moriuntur, sic & omnes in Christo vivifican-

ficantur : Igitur posita redemptione, non regnat amplius maledictio Adami, per peccatum originale.

Respondeo distinguendo ; omnes in Christo vivificantur per Baptismum, & per resurrectionem generalem a laqueo mortis solventur, concedo : ante redemptionis applicationem, nego. Sic respondet S. Augustinus l. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 30. n. 49. his verbis : " Quomodo „ ergo plus nobis nocuit ille peccando, „ quam iste profuit redimendo, cum per „ illius peccatum temporaliter moriamur, „ per istius autem redemptionem non ad „ temporalem vitam, sed ad perpetuam „ resurgamus? Nostrum ergo corpus mortuum est sine peccato, ut fuso sanguine sine culpa omnium culparum chirographa delerentur, quibus debitores qui „ in eum credunt a diabolo antea tenebantur, & ideo, hic est, ait, sanguis „ meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. „

Instant : Si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocuit : Ergo & Christi justitia etiam non credentibus prodest : sed absurdum consequens : Ergo & antecedens.

Respondeo distinguendo : etiam justitia Christi prodest non credentibus ut ex ejus misericordia habeant Baptismum & fidem, concedo : prodest non credentibus, ut sine Baptismo habeant vitam æternam, nego. Solutio est D. Aug. qui l. 3. de pecc. merit. & remiss. c. 3. n. 6. sic loquitur : " Qui non crediderit, condemnabitur : Postremo quod sine peccato „ imago Dei non admittatur ad regnum „ Dei, quoniam nisi quis renatus fuerit „ ex aqua & Spiritu, non potest introire „ in regnum Dei : Atque ita vel in æternam mortem sine peccato præcipitetur, vel quod est absurdius, extra Regnum Dei habeat vitam æternam. „

Insistunt : Deus præscivit quidquid est in homine : sed si prævidit hominem in peccato concipiendum, non debuit eum creare, alias, quod absit vel etiam cogitare, foret causa peccati : Ergo &c.

Respondet S. Aug. l. 2. de nup. & concup. cap. 16. n. 31. " Sicut enim de ipsius „ diaboli malitia novit ille quid agat & „ quod agit, iustum est & bonum, quamvis sit, de quo agit, iniustus & malus : nec eum propterea creare noluit, „ quia malum futurum esse præscivit : „ ita de universo genere humano, quamvis nullus hominum sine peccati sorde „ nascatur, bonum ille qui summe bonus „ non operatur, alios faciens tanquam „ vasa misericordiæ, quos gratia discernat ab eis, qui vasa sunt iræ. „

Ad probationem nego sequi ex propagatione peccati Adæ ad posteros Deum esse peccati auctorem, cum peccatum non habeat causam efficientem, sed solum deficientem. S. Augustinus l. 2. de nupt. & concup. dicit peccati propagationem fieri ex semine vitiato, quod a parte inferiori supremæ non subdita profluit : " Neque hoc ideo dixerim quod alius putandus sit præter summum & verum „ Deum, vel humani seminis, vel ipsius „ hominis Creator ex semine : sed hoc „ tranquillæ de hominis obedientia membrorum ad nutum voluntatis exiisset, „ si peccatum non præcessisset. Neque „ nunc agitur de natura seminis sed de vitio. Illa quippe habet Auctorem Deum, „ ex isto autem trahitur originale peccatum : nam si semen ipsum nullum habet „ vitium, quid est quod scriptum est in libro Sapientiæ. *Non ignorant quoniam nequam natio illorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum*, semen enim „ erat maledictum *ab initio* : nempe de „ quibuscumque dicat ista, de hominibus „ dicit : Quomodo est ergo cuiuslibet „ hominis malitia naturalis, & semen benedictum maledictum ab initio, nisi ad „ illos respiciatur quod per unum hominem peccatum introivit in mundum, „ & per peccatum mors : & ita in omnes homines pertransit in quo omnes „ peccaverunt? „

Concinit S. Thomas lec. 3. in cap. 5. epist. ad Rom. " Licet, *inquit*, in semine „ non sit anima, est tamen in semine „ virtus dispositiva corporis ad animæ receptionem, quæ cum corpori infunditur, etiam ei suo modo conformatur, „ eo quod non receptum est in recipiente, „ per modum recipientis, & exinde videmus quod filii similantur parentibus „ non solum in defectibus corporalibus, „ sicut leprosus generat leprosum, & podagricus podagricum, sed etiam in defectibus animæ, sicut iracundus iracundum, „ & amentes ex amentibus nascuntur, „ quam-

„ quamvis pes qui est subjectum podagræ „ non sit in semine, nec anima quæ est „ subjectum iræ vel amentiæ, est tamen „ in semine virtus formativa corpora- „ lium membrorum, & dispositiva ad ani- „ mam.„ Neque vero inde sequitur Deum esse causam alicujus defectus: tametsi enim semen secundum se & ut ens, sit a Deo, non tamen formaliter ut vitiatum.

Insistunt: Saltem sequitur nuptias esse malas, cum semen vitiatum inserviat ad formationem prolis. Ergo &c.

Respondet S. Augustinus ad hoc argumentum duobus in libris de nuptiis & concupiscentia conscriptis bonas esse nuptias. Primo quidem ante peccatum, cum sint a Deo institutæ juxta illud Gen. 2. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ*. Post peccatum vero, dicente Apostolo, de Matrimonio, Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. Lib. 1. cap. 5. dicit nuptias non esse vituperandas propter annexam in usu delectationem, quippe quæ ad bonum finem dirigi possit, immo vel ipsam concupiscentiam in se spectatam non esse malam, modo intra justos limites coarctetur; hoc ipsum cap. 8. n. 9. probat his verbis: " Voluntas in connubiis fide- „ lium non eo fine determinatur, ut tran- „ situri filii nascantur in sæculo illo, „ sed ut permansuri renascantur in Chri- „ sto. Quod si prævenerit, merces erit de „ conjugio plenæ felicitatis: si autem non „ prævenerit, pax erit conjugibus bonæ „ voluntatis. Hac intentione cordis qui „ suum vas possidet, id est, conjugem suam, „ procul-dubio non possidet, in morbo de- „ siderii, sicut gentes quæ ignorant „ Deum: sed in sanctificatione & honore, „ sicut fideles, qui sperant in Deum. Illo „ quippe concupiscentiæ malo utitur ho- „ mo, non vincitur, quando eam inordina- „ tis atque indecoris motibus æstuantem „ frænat & cohibet, neque nisi propagini „ consulen, relaxat atque adhibet, ut spi- „ ritualiter regenerandos carnaliter gignat, „ non ut spiritum carni sordida servitute „ subjiciat. Sic Patres sanctos ex Abraham „ & ante Abraham, quibus Deus quod ei „ placuerint perhibet testimonium, usos „ fuisse conjugibus, neminem oportet du- „ bitare christianum, quando quibus- „ dam etiam singulis plures habere conces- „ sum est, ubi ratio fuit prolis multipli- „ candæ, non variandæ appetitio volupta- „ tis.„ Ibi observat n. 10. multas mulieres, quandoque uni viro concessas, non e contra multos viros uni mulieri.

Rursus loquitur de fine & usu Matrimonii l. 1. de nuptiis & concupiscentia c. 15. num. 17. & ait hujusce commercii usum, nequidem esse peccatum veniale, si Creatoris fine adimpleatur, evadere vero veniale si aliquis accedat ad mulierem turpi libidinis causa; mortale prorsus si accedat tanquam ad non suam. In eodem libro mira dicit de pudicitia conjugali & de Matrimonio cap. 11. n. 12. ait Matrimonium potissimum consistere in unione casta cordium, & quandoque esse verum Matrimonium, tametsi vir ex conjuge non suscipiat prolem, quod eleganter probat de Matrimonio sancti Joseph cum immaculata & beatissima Virgine: Denique l. 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 26. sic loquitur: " Nuptiæ institutæ „ sunt causa ignorandi, non peccandi.„

Insistunt: Non potest concipi quomodo peccatum traducatur per semen vitiatum: Ergo &c. Probatur antecedens. Peccatum residet non in corpore, sed in anima quæ extra duci non potest: Atqui anima a Deo creatur munda. Ergo &c.

Respondeo concedendo quidem transmissionem peccati originalis esse mysterium & fidei digna: Porro ex unione animæ cum corpore resultat, primo quidem ex inobedientia primi hominis, deinde ex maledictione. Ita sanctus Augustinus libro 5. contra Julianum cap. 4. num. 18. his verbis: " ut ergo & anima, & caro pa- „ riter utrumque puniatur, nisi quod nas- „ citur, renascendo emundetur: Profecto, „ aut utrumque vitiatum ex homine tra- „ hitur, aut alterum in altero tanquam „ in vitiato vase corrumpitur, ubi occul- „ ta justitia divinæ legis includitur. Quid „ autem horum sit verum, libentius disco „ quam dico. Ne audeam docere quod „ nescio. Hoc tamen scio, id horum esse „ verum, quod fides vera, antiqua, ca- „ tholica, qua creditur & asseritur ori- „ ginale peccatum.„

Ad probationem distinguo, peccatum originale non est in semine formaliter, concedo: virtualiter, & dispositive, nego. Sic respondet sanctus Thomas 1. 2. q. 81.

q. 81. art. 1. ad 2. his verbis: " Etsi anima non traducatur, quia virtus seminis non potest causare animam rationalem, movet tamen ad ipsam dispositive. " Et ibidem ad 3. " Etsi culpa non sit actu in semine, est tamen ibi virtute humanæ naturæ, quam comitatur talis culpa. " Ibidem sanctus Doctor lect. 3. in c. 5. epist. ad Romanos explicat quomodo culpa originalis sit voluntaria in Adamo, & mediate in nobis & ait hoc contingere quatenus naturæ humanæ sumus membra, & participatione speciei plures homines sunt unus homo, & quomodo membra corporis sint capacia peccati, licet peccatum resideat in sola voluntate a qua moventur: " Similiter, *inquit*, a voluntate Adæ, qui fuit principium humanæ naturæ tota inordinatio naturæ habet culpæ rationem in omnibus ad quos pervenit quantum ad hoc quod susceptivi sunt culpæ. " Quod isto illustratur exemplo: sicut defectus exercitus omnibus militibus tribuuntur, tametsi a Generali & Duce culpa primordialiter promanet, in quantum omnes & singuli moventur ut ab uno principio, scilicet a Duce. Ita similiter dicendum de peccato originali respectu descendentium ex Adamo.

Ibidem subdit loquens de natura peccati originalis: " Est autem hic defectus carentia originalis justitiæ quæ erat primi homini divinitus collata, non solum ut erat persona quædam singularis, sed etiam ut erat principium humanæ naturæ, ut scilicet eam simul cum natura in posteros traduceret: & ideo simili modo amissionem hujus originalis justitiæ per peccatum ad posteros transmittit habentem in eis rationem culpæ, ratione jam dicta. "

Reponunt: Adam pœnitentiam egit de peccato ut habetur Sap. 10. & suam agnovit uxorem solum facta pœnitentia: Igitur nullum peccatum posteris communicavit: Confirmatur: Non communicavit alia peccata actualia, si quæ commisit: Igitur nec peccatum inobedientiæ peccati originalis dicendum est causa.

Respondeo distinguendo; & in parte sanctificato remansit languor & contagio peccati quæ ad filios transivit; concedo: & non remansit, nego.

Ad confirmationem nego paritatem: Primum omnium peccatorum fuit capitale; pactum enim quoddam inierat Deus cum natura humana ut justitia ab Adamo ad posteros transmitteretur, si de fructu vetito non comedisset; sin minus e contra, sublato autem innocentiæ deposito per primum peccatum, cætera utpote personaliter, filiis non tribuuntur, sic & nec ipsa justificatio Adæ quæ erat ipsi personalis.

Utraque solutio est D. Thomæ lect. 3. in cap. 5. epist. ad Rom. his verbis: " Ex hoc autem patet quod licet primum peccatum primi parentis per originem traducatur in posteros, alia tamen ejus peccata, vel etiam aliorum hominum in filios non traducuntur, quia per solum primum peccatum sublatum est bonum naturæ, quod erat per originem naturæ traducendum; per alia vero peccata subtrahitur bonum gratiæ personalis, quod non transit ad alios posteros, & inde etiam est quod quamvis peccatum Adæ deletum fuerit per suam pœnitentiam, juxta illud Sap. 10. *Eduxit illum a delicto suo*, non tamen pœnitentia delere potuit peccatum posterorum, quia ejus pœnitentia fuit per actum personalem quia ultra ejus personam non se extendebat. Et propter hoc est unum tantum originale peccatum. "

Insurgunt: Pater sanctificatus non potest gignere filium peccatorem: Igitur nec Adam sanctificatus sicut & cæteri alii Patres sanctificati, filios nonnisi immaculatos gignunt; arbor quippe bona fructus edit bonos, e contra vero mala; hinc latum est discrimen inter parentes qui hoc utuntur mundo tanquam in eo non sint, & inter impios qui multa patrant peccata in generationis commercio.

Respondeo distinguendo antecedens, si Pater gigneret filium ut renatus, prolem immaculatam produceret, sicut de facto contigisset in statu innocentiæ, concedo: si gigneret ut natus ex Adam, nego. Sic respondet S. Augustinus l. 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 18. n. 20. his verbis: " Propter hanc ergo fit ut etiam de justis, & legitimis nuptiis filiorum Dei, non filii Dei, sed filii sæculi generentur, quia & ii qui generant, si jam regenerati sunt, non ex hoc generant quod filii Dei sunt, sed ex quo adhuc filii sæculi. " Dominica quippe sententia est:

Filii

Filii hujus saeculi generant, & generantur. Lucae 20. v. 34.

Ad probationem distinguo; arbor bona bonos fructus dat, si operetur quatenus bona, concedo: si quatenus in radice mala, nego. Sed quomodo, *inquies*, virtus generativa contagionem quae est mere accidens & quid corporale inducit in animam, cum accidens a subjecto sit inseparabile; peccatum autem in anima residet, & anima patris non transit in filium.

Respondet S. Thomas 1. 2. q. 81. art. 1. ad 2. his verbis: " Dicendum quod etsi ,, anima non traducatur, quia virtus seminis non potest causare animam rationalem, movet tamen ad ipsam dispositive, unde per virtutem seminis traducitur humana natura a parente in prolem, & simul cum natura naturae infectio: ex hoc enim fit iste, qui nascitur, consors culpae primi parentis, quod naturam ab eo sortitur per quamdam generationum motionem. ,,

D. Augustinus ad hanc difficultatem lib. 5. contra Julianum cap. 18. sic respondet: " Hoc diceres, *inquit* Juliano, si malum ,, concupiscentiae de parente non perveniret ad prolem, cum vero sicut sine illo nemo seminatur, ita sine illo nemo nascatur: Quomodo dicis eo non ,, pervenire quo transiit? ,, Ex quibus liquet semen tametsi corporale communicare dispositive contagionem, istamque in prolem transire: nec mirum; ut accidens physicum transit dispositive ad alium, formaliter vero ut est accidens morale, & ut quid maledictum.

Ad ulteriorem probationem ex comparatione facta, nego paritatem, qui enim peccant in usu Matrimonii contrahunt ex hoc maculam personalem peccati actualis quod non reperitur in sanctis conjugatis, sed non vituperatur copula carnalis in prioribus praecise ut copula, sed ut res modo inordinato facta, & sic valet comparatio quantum ad peccati originalis propagationem. Ita Augustinus lib. 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 20. ubi sic loquitur: ,, Ad haec respondeo non solum filios ex ,, conjugio, verumetiam ex adulterio bonum aliquod esse secundum opus Dei ,, quo creati sunt. Secundum autem originale peccatum, in damnatione nasci ,, ex Adam primo, non solum si de adulterio, verumetiam si de conjugio generentur, nisi in Adam secundo, qui est ,, Christus, regenerentur... non ergo isto ,, nomine, idest, usu naturali, conjugalis ,, est laudata commixtio, sed immundiora, & sceleratiora flagitia denotata ,, sunt, quam si illicite & feminis, sed ,, tamen naturaliter uterentur. ,,

Obstrepit Julianus, & sic argumentatur apud Augustinum ibidem cap. 18. n. 47. " ,, Non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat ille qui ,, condidit: per quas rimas inter tot praesidia innocentiae, peccatum fingis ingressum? ,, Ex quo infert peccatum ab Adamo nonnisi imitatione transfundi ad posteros sicut peccatum Luciferi transivit ad caeteros Angelos Apostatas; alias, *inquit*, foret injustus Deus.

Respondet S. Augustinus ibidem his verbis: " Quid quaerit, rimam latentem, ,, cum habeat apertissimam januam? Per ,, unum hominem, ait Apostolus; per ,, unius delictum, ait Apostolus, per inobedientiam unius hominis, ait Apostolus. Quid quaerit amplius? Quid quaerit apertius? quid quaerit inculcatius? ,,

De Angelis malis non est paritas, cum a Lucifero seminali propagatione non fluxerint, sicut homines promanant ab Adam. Neque est ex propagatione peccati originalis in Deo injustitia, qui tanquam justus Judex punit peccatum capitis in membris, & patris in filiis, sicut quotidiano probatur argumento hoc ipsum fieri a Regibus, cum caput familiae suis sceleribus Reipublicae perturbat tranquillitatem.

S. Augustinus sermone 294. alias 14. cap. 7. ultimam instantiam sic solvit: " ,, Ego, *inquit*, istam quaestionem profundam sentio, & ad ejus fundum rimandum vires meas idoneas non agnosco; ,, libet me & hic exclamare quod Paulus: O altitudo divitiarum! Parvulus ,, non baptizatus pergit in damnationem, ,, Apostoli enim verba sunt: *Ex uno in condemnationem*. Non satis invenio dignam ,, causam, quia non invenio, non quia non ,, est. Ubi ergo non invenio in profundo ,, profundum, attendere debeo humanam ,, infirmitatem, non damnare divinam auctoritatem. ,, Ergo &c.

Sol-

Solvuntur objectiones ex Patribus.

Ex Clemente Alexandrino.

OBJICIES: Qui propellit ab infante unius diei execrationem Adæ, ille profecto non agnoscit peccatum originale in pueris: Atqui sic propugnat Clemens Alexandrinus l. 3. Stromatum pag. 468. his verbis: " Dico ergo nobis ubi fornicatus „ infans natus? Vel quomodo sub Adæ „ cecidit execrationem, qui nihil est operatus? „ Ergo &c.

Respondeo 1. opponendo Clementem Clementi, namque lib. 4. Strom. pag. 538. agnoscit regenerationem spiritualem infantium per Baptismum, adeoque agnoscit & peccatum originale. Sic loquitur: " Ostendens quod nos tales esse vult, „ quales etiam genuit ex matrice aquæ: „ generatio enim excipiens generationem „ vult immortales reddere per profectum. „ Rursus lib. 3. Strom. pag. „ 463. " Sic ergo nos rursus conversos „ vult effici ut pueros, eum qui vere pater est agnoscentes, ut qui simus regenerati per aquam, cum hæc sit alia satio „ in creatione. „

Respondeo 2. distinguendo: ex Clemente infans non cadit sub execrationem Adæ præcise vi generationis, concedo: ratione inobedientiæ, nego. Ibi Clemens debellat Hæreticos qui dicebant Matrimonium, seu generationem esse diaboli opus; quocirca retorquet argumentum, concludendo si generatio corporis est mala, utique est & animæ creatio, quod tamen adversarii non concludebant. Eos igitur perstringit ostendendo infantem non cadere sub execrationem Adæ præcise ratione generationis nuptialis, quæ secundum se spectata est a Deo, sed ut est corrupta per Adæ peccatum. Quod autem hic sit genuinus S. Doctoris sensus patet ex verbis immediate sequentibus: " Restat ergo, „ *inquit*, eis ut videtur, consequenter ut „ dicant malam esse generationem, non „ solum eam quæ est corporis, sed etiam „ quæ est animæ, propter quam etiam „ corpus. „

Instabis: Qui negat puerum in peccato concipi, negat quoque peccatum originale: Atqui sic docet Clemens ibidem ubi nonnisi mystice, & typice verba David Psal. 50. *In iniquitatibus conceptus sum*: sic enim loquitur Clemens: " Quando dixit „ David; in peccatis conceptus sum, & „ in iniquitatibus concepit me mater mea; „ dicit prophetice quidem matrem Evam, „ sed Eva fuit mater viventium, etsi in „ peccatis fuit conceptus; sed non ipse in „ peccato. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Homo ex Clemente non concipitur in peccato præcise ratione generationis nuptialis, maxime vero cum parentes ut plurimum sint justi, concedo: ratione contagionis ab Adam transmissæ, nego. Hoc ipsum non obscure indigitat Clemens, dum ait Prophetam ad matrem Evam, quæ fuit omnium malorum origo, respexisse.

Urgebis: Qui innuit solam libidinem & concupiscentiam a primis parentibus ad posteros transmissam, ille profecto non agnoscit peccati originalis propagationem; Atqui sic prædicat Clemens Alexandrinus; ibidem enim l. 2. Str. pag. 468. sic loquitur; " Non accusat eum qui dixit, cre„ scite & multiplicamini, sed primas im„ pulsiones, & motus ex generatione, „ per quos Deum non cognoscimus, dicit „ impietates. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo, & per libidinem, effrænatosque concupiscentiæ motus, indigitat Clemens peccatum originale, concedo; sunt enim ejus effectus; & non indigitat, nego. Instantia tota est pro conclusionis veritate. Et vero sanctus Clemens revincit Hæreticos Manichæismum ex parte profitentes: dicit nos non agnoscere Deum in libidine & concupiscentia prava; generatio enim sic considerata non est a Deo, bene vero secundum se spectata.

Ex Tertulliano.

OPPONES: Qui dixit parvulos recens natos esse innocentes, profecto non agnoscit in eis peccatum originale: Atqui sic scribit Tertullianus lib. de Baptismo cap. 18. his verbis: " Ait quidem Dominus, „ nolite illos prohibere venire ad me, „ veniant ergo dum adolescunt, veniant „ dum discunt, dum quo veniant doceantur; fiant Christiani, cum Christum „ nosse potuerint, quid festinat innocens „ ætas ad remissionem peccatorum? „ Ergo &c.

Respon-

Respondeo 1. opponendo Tertullianum Tertulliano qui splendide agnoscit peccatum originale ad omnes transmissum lib. de anima cap. 40. ubi sic loquitur: " Omnis anima eo usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tandiu immunda, quandiu recenseatur: Peccatrix autem quia immunda recipiens ignominiam ex carnis societate."

Respondeo 2. in forma: Qui agnoscit parvulos innocentes seu immunes tum a peccato originali tum a propriis delictis, agnoscit infantes ab omni sorde mundos, concedo: Immunes tantum a peccatis actualibus & personalibus, nego: Et sic distincta minore, nego consequentiam. Tertullianus eo loci loquitur de parvulis quorum Baptisma volebat procrastinari ad adultam usque aetatem ut notat Pater Alexander dissert. 21. saeculi 5. pag. 297. quam consuetudinem vel ipsa Ecclesia Africana non in uno Concilio improbavit: & ipsa auctoritas pro objectione allata ipsius Tertulliani prodit mentem his verbis: " Fiant Christiani cum Christum nosse potuerint." Hoc est dum erunt adulti: Igitur ex eo parvuli erant tantummodo secundum quid innocentes, videlicet immunes a peccatis actualibus, nusquam vero a macula originali.

Instabis: Ea ratione Tertullianus vult non esse baptizandos pueros quia sunt innocentes: sed hoc argumentum nihil probaret, si peccato originali fuissent maculati: Ergo &c.

Respondeo 1. ultro nos confiteri rationem Tertulliani esse quidem leviorem, & non satis accuratam: attamen sufficienter probare Tertullianum intelligere his vocibus: *Fiant Christiani cum Christum nosse potuerint*: solummodo immunitatem a peccatis actualibus, cum vel ipse dicat: " Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum." Igitur actualium, cum unum sit originale.

Respondeo 2. distinguendo: quia sunt innocentes, idest, minus peccatores comparative ad adultos nondum baptizatos, concedo: absolute, nego. Prae oculis habebat catechumenos Tertullianus, non solum peccato originali, verumetiam & actuali contaminatos, quique nonnisi praevia Catechismi lectione, & mysteriorum instructione atque poenitentia baptizabantur, quod magis aequum & Christo dignum ducebat Tertullianus quam baptizare parvulos cognitionis mysteriorum incapaces: Dicebat igitur: " Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum." Erat enim tenacissimus istius disciplinae, quae aliquibus perduravit saeculis, citra necessitatem, & mortis periculum, nonnisi adultos baptizare, maxime vero cum solemnitas Catechismi respectu lactentium fieri non posset.

Urgebis: Qui dicit Filios Christianorum a Paganorum prole distinctos in eo quod essent sancti procreati, secus vero Filii Ethnicorum citra dubium non agnoscit peccatum originale, alias nihil probaret: Sed Tertullianus sic docet lib. 4. de anima cap. 39. " Sic & omnibus geniis deputantur, quod daemonum nomen est. Adeo nulla ferme nativitas munda est, utique Ethnicorum. Hinc enim, & Apostolus, ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari, *ait*, tam ex feminis praerogativa, quam ex institutionis disciplina." Ergo &c.

Respondeo distinguendo, ex mente Tertulliani Christianorum Filii sunt sancti, hoc est, ex matrimonio, ut sacramento procreati, & absque superstitione nati, immo & ad sanctitatem designati, quae quidem omnia deerant paganis, concedo: sunt sancti sanctitate intrinseca absque baptismo, nego. Tertullianus est sui ipsius interpres, cum sanctitatem ab Apostolo celebratam, pro filiis Christianorum nondum baptizatis refundat in feminis praerogativam, quae ex sancta institutionis disciplina promanat:

Ibidem enarrat immunditiam nativitatis filiorum Ethnicorum ex variis superstitionibus conflatam, sic enim loquitur: " Cui enim hominum non adhaerebit spiritus nequam, ab ipsa etiam janua Nativitatis animas occupabundus, vel qua invitatus tota illa puerperii superstitione? Ita omnes idololatria obstetrice nascuntur, dum ipsi adhuc uteri infulis apud idola confectis, redimiti genimina sua daemoniorum candidata profitentur: dum in partu Lucinae & Dianae ejulatur: dum per totam hebdomadam Junoni mensa praeponitur."

Rursus ibidem explicat sanctitatem prolis Christianae ante baptismum solum per baptismi designationem; " Caeterorum, inquit, immundi nascerentur *Filii Chri-*

„ *stianorum*, quasi designatos tamen sanctitati ac per hoc etiam saluti, intelligi volens fidelium filios, ut hujus spei pignore matrimonii, quæ retinenda censuerat patrocinaretur: Alioquin meminerat Dominus definitionis: Nisi quis nascitur ex aqua & Spiritu, non ibit in regnum Dei, id est, non erit sanctus. „ Igitur ex Tertulliano nulla est in pueris sanctitas intrinseca sine Baptismo.

Ex Origene.

OBJICIES: Qui nomine mundi in quem intravit peccatum, intelligit solummodo impios, & perditos homines, infantes vero a macula grandis peccati per peccatum Adæ inducti, excipit: Atqui ita censet Origenes lib. 5. commonit. in epistolam ad Rom. pag. 343. Col. 2. his verbis: " Arbitror quod mundum „ hic terrenos quosque, & in terrena con„ versatione permanentes designet; ho„ mines vero eos dicat, qui jam se inci„ piunt agnoscere, & scire quod ad ima„ ginem Dei facti sunt. „

Respondeo 1. Commentaria Origenis in Epistolam ad Romanos non esse satis accurata, quippe quæ fuerint interpolata a Rufino qui de hæresi Pelagiana in suspicionem venerat: quandoquidem in Concilio Carthaginensi Cælestius dixit se ab eo accepisse propagationem peccati non esse, & hoc auctore S. Augustino lib. 2. de peccato Originali cap. 3.

Respondeo 2. opponendo Origenem Origeni qui variis in locis prædicat peccatum originale, maxime in Homilia 8. in Levit. pag. 89. Col. 2. Item homilia 12. in Levit. pag. 102. Col. 2. Rursus homilia in cantica canticorum pag. 343. Col. 1. & iterum Homil. 14. in Lucam tom. 2. pag. 142. Col. 2. & adhuc lib. 5. in epist. ad Rom. pag. 342. Col. 2. his verbis: " Si ergo Levi qui generatione „ quarta post Abraham nascitur, in lum„ bis Abrahæ fuisse perhibetur, multo „ magis omnes homines qui in hoc mun„ do nascuntur, & nati sunt, in lumbis „ erant Adæ, cum adhuc esset in Para„ diso, & omnes homines cum ipso, vel „ in ipso expulsi sunt de paradiso ..... „ Et ideo recte Apostolus dicit: sicut e„ nim in Adam omnes moriuntur, ita & „ in Christo omnes vivificabuntur. „ Neque ergo ex serpente qui ante mulie„ rem peccaverat, neque ex muliere „ quæ ante virum in prævaricatione fa„ cta est, sed per Adam ex quo omnes „ mortales originem ducunt: dicitur in„ troisse peccatum, & per peccatum mors „ sed hic nimirum est unus homo, & „ per quem peccatum introivit, per peccatum mors. „ Ex quibus liquet locum paulo duriorem, vel etiam obscuriorem facile per clariorem explicari.

Respondeo 3. Et Origenes eo loci afferens sensum allegoricum non excludens obvium, concedo: et excludit, nego. Perditi homines per Antonomasiam dicuntur de mundo corrupto: Sed ad eundem pertinent infantes, non quidem ratione peccati actualis, bene vero ratione originalis. Ita Origenes qui ibidem pag. 344. Col. 1. omnia distinguendo, sic loquitur: " Videtur mihi „ quod hic homines illos sentiat, qui jam „ rationis capaces sunt, & naturalibus le„ gibus parent: Illam vero ætatem quæ „ nondum ad capacitatem rationis acces„ sit, non tam homines, quam mundum „ appellaverit. „ Incassum igitur Jansenius Yprensis tom. 2. lib. 6. c. 17. prædicat Origenem favisse Pelagianis peccatum originale abnegando.

Instabis: Qui propugnat mortem non nisi animæ, & hoc per imitationem prævaricationis Adæ inductam fuisse per primorum parentum inobedientiam, haud-dubie abnegat peccatum originale: Atqui sic docet Origenes ibidem pag. 344. Col. 2. ubi explicans illa verba Apostoli: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt*, subdit: " Ille „ tunc tyrannus, idest mors peccati, quæ „ per prævaricationem primi custodis ir„ repserat, regnabat super omnes illos qui „ ad eum simili, ut ille, prævaricatione „ declinaverunt. „ Ergo &c.

Respondeo ut supra, & Origenes eo loci afferendo sensum allegoricum non excludit obvium, concedo: secus nego. Et hoc propter duo, primo quidem quia ibidem pag. 348. Col. 1. asserit mortem corporis quam vocat omnibus communem, irrepsisse in mundum; namque mors animæ non regnat in justis, sic loquitur: " Sufficere forsitan „ potest secundum simplicem expositionem, „ ut dicamus condemnationem esse delicti, „ communem hanc mortem quæ omnibus „ venit, & veniet etiamsi justi videan„ tur. „

„ tur. „ 2. Quia ibidem pag. 345. Col. 1. ait omnes homines: " Habere in semetipsis similitudinem prævaricationis „ ejus, non solum ex semine, sed ex institutione susceptæ. „ Quid plura? Pag. 348. Colum. 1. distinguit peccare, & peccatorem esse. Omnis quidem in Adam peccaverunt: Sed non omnes propria voluntate peccatores facti sunt: " Aliud est peccare, aliud peccatorem esse. „ Omnes enim potest fieri ut peccaverint, etiamsi sancti fuerint, quia nemo „ mundus a sorde, ne si unius diei fuerit vita ejus. „

Urgebis: Origenes docet Christum multo plures ad vitam evocasse, quam Adamum ad mortem; sic enim loquitur pag. 348. Colum. 1. " Illud tamen observandum est, quod non dixit in omnes homines in condemnationem mortis, sed „ tantummodo in condemnationem, quo „ scilicet in omnibus probet multo abundantius esse donum quam delictum. „ Igitur ex Origene non datur peccatum originale: alias delictum æque pateret ac donum.

Respondeo distinguendo, eo sensu donum in plures abundavit quam delictum quatenus redemptio sese extendit etiam ad Adam, qui non contraxerat peccatum originale, concedo: Ita ut per hoc elimine-tur peccatum originale ad omnes transfusum, nego: Origenes est sui ipsius interpres; ibidem enim pag. 346. Col. 2. ait: " Sic ergo plures Christus reducit ad vitam, quam Adam ducit ad mortem, „ quia etiam ipsum Adam, qui cæteris „ causa extitit mortis, Christus revocavit ad vitam. „

Exponitur mens S. Athanasii, Optati Milevitani, & S. Hieronymi.

OBJICIES 1. Qui dicit miserias, mortem, & cæteras peccati pœnas solum ad posteros Adæ fuisse traductas, minime vero ipsum peccati reatum, videtur abnegare peccatum originale: Atqui S. Athanasius sic propugnat: Ergo &c. Probatur minor: orat. 4. contra Arianos sic loquitur: " Permulti fuere viri sancti puri omnis criminis. Si quidem Jeremias ex utero sanctificatus fuit. Et „ Joannes dum adhuc a gravida matre gestaretur, exultavit in utero ad vocem „ Deiparæ Virginis, mors tamen æque „ regnavit ab Adam usque ad Moysen, & „ in eos qui non peccaverant ad similitudinem prævaricationis Adæ. Atque ita „ manserunt homines nihilominus mortales & corruptibiles, capaces iterum affectionum naturæ. „ Ergo &c.

Respondeo 1. Opponendo Athanasium Athanasio. S. Doctor orat. 2. contra eosdem Heterodoxos agnoscit peccatum originale his verbis expressis: " Sicut enim „ prævaricante Adamo in omnes homines „ peccatum dimanavit, ita quoque Domino homine jam facto, & serpentem „ evertente, in omnes homines illiusmodi vigor transmeavit. „

Respondeo 2. negando minorem: Ad probationem distinguo: Et S. Athanasius loquitur solum supposita sanctificatione in utero, concedo: Excludendo peccatum originale, nego. In eo duntaxat sensu ait peccatum originale in aliquibus sanctis non regnasse ab origine extrinseca ad Nativitatem consequente, eo quod in utero sanctificati, in mundo absque peccato nati sunt, sed non ab origine intrinseca, quippequi in peccato concepti fuerant. Ista solutio ex duobus potissimum liquet: Primo quidem ab exemplis Jeremiæ & S. Joannis Baptistæ in utero ex gratia & privilegio sanctificatorum. Secundo quia ibidem orat. 4. dogma de peccato originali propugnat: Sic enim loquitur: " Quemadmodum enim in Adam ex terra derivati morimur, ita denuo ex aqua & „ Spiritu Sancto regenerati in Christo omnes vivificamur. „ Eo loci S. Athanasius asserit nos omnes in Adam mori, quod certe intelligit, de morte spiritali per peccatum originale, maxime cum ibidem asserat nos regeneratione, hoc est, abstersione a peccato originali in Christo vivificari.

Respondeo 3. S. Doctores velle solum a corruptione Adæ quantum ad peccatum actuale quosdam sanctos ex privilegio non fuisse immunes, nusquam vero vel ipsum peccatum originale abnegasse, eo enim ipso quo propugnat miserias ad omnes transire, implicat illum negare peccatum originale, cum ipsæ sint quid ad prævaricationem Protoparentum consequens. Hinc Augustinus quandoque dicit, debellando Pelagianos quantum ad istud caput, si, detractis peccatis, miseria perseveret,

severet, recte dicitur perverti ordo universi.

Oppones 2. ex Optato: qui propugnat Adæ posteros Patris iniquitatem non portare, certe non credit culpam originalem inesse hominibus nascentibus: Atqui sic propugnat Optatus. Et probatur. Lib. 7. num. 1. hæc scribit: " Quamvis ab ipsis ad vos videatur hæreditaria macula esse transmissa: tamen in hoc titulo non potestis rei esse cum Patribus vestris secundum judicium Dei, qui locutus est per Ezechielem prophetam, dicens; anima Patris mea est; & anima Filii mea est: anima quæ peccat, sola punietur. " Audis Optatum præoccupare responsionem dicendo, videri quidem culpam Adæ transmitti ad Nepotes, sed de facto non transire, quod probat illo Dei oraculo: Non potestis rei esse cum patribus vestris secundum judicium Dei &c. "

Confirmatur. Nedum auctoritate Ezech. probat filium non portare iniquitatem Patris, sed & ab exemplis: Ibidem enim subdit: " Quæ res jam ex antiquis sæculis, in ipsis natalibus mundi probata est, dum non pertinuit ad Seth filium Adæ, Patris admissum. " Si admissum a Protoparente peccatum non pertinuit ad Filium, citra dubium est, Optatum in ea mente fuisse, quod non detur peccatum originale, alias sibi contradiceret. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo, & eo loci loquitur Optatus de peccatis actualibus Patris quæ ad filios non transeunt, concedo: de peccato originali, nego. Optatum loqui de peccatis actualibus ex multiplici constat capite: primo quidem ex eo quod ibi agat de peccatis traditorum: sic enim loquitur in verbis paululum objecta antecedentibus: " Igitur quia tradere peccatum est, videant parentes vestri quid id judicio Dei respondeant, vestrum tamen, quia aliis temporibus estis, peccatum esse non potest. " Secundo in verbis prioribus ait: " Quamvis ab ipsis *parentibus*, ad vos videatur hereditaria maculam esse transmissa. " Certe ibi non obscure agnoscit peccatum originale. Expressius l. 4. num. 6. " Nam neminem, *inquit*, fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamvis de parentibus Christianis nascatur, sine spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum, ab homine excludi, & separari.

Nec plus virium habet instantia petita ex Ezechielis contextu, cum sit totus pro nobis. Ibi enim propheta non nisi de peccatis actualibus loquitur, quas iniquitates filius innocens non portat, sic enim habetur cap. 18. *Si genuerit filium, qui videns omnia peccata Patris sui quæ fecit, timuerit & non fecerit... Hic non morietur in iniquitate Patris sui.... Filius non portabit iniquitatem Patris &c.*

Eadem est responsio ad confirmationem, nam tametsi non in plurali, sed in singulari loquatur Optatus, dicens: " Non pertinuit ad Seth filium Adæ, Patris admissum. " Vox enim, *admissum*, sumitur collective & in genere, seu universaliter pro quocumque actuali peccato: hinc idem sonat ac omne propria voluntate contra legem Dei commissum; quo quidem sensu ex S. Augustino peccatum actuale, est, omne dictum, factum aut concupitum contra legem Dei.

Repones 3. Ex auctoritate Hieronymi qui videtur peccatum originale abnuere: Ergo &c. Probatur Antecedens. 1. In Epitaphio Paulæ ad Eustochium cap. 12. sic loquitur: " Si quæris, cur infans a dæmone corripiatur, qui peccata non habuit: aut in qua ætate resurrecturi sumus cum diversa ætate moriamur: ingratis suscipies, judicia Dei abyssus multa. " Si S. Doctor admitteret peccatum originale, non ad inscrutabilia Dei judicia, sed ad peccatum originale recurrendo solvisset quæstionem, quod tamen non fecit. 2. In commentariis super epistolam ad Rom. quæ tribuuntur Hieronymo multa ibi circumferunt quæ Pelagianismum sapiunt: Ergo &c.

Respondeo 1. Hæc & similia ex D. Hieronymo deprompta parum urgere, cum S. Doctor passim asserat dari peccatum originale; in primis lib. 2. contra Jovinianum cap. 1. his verbis: " Tenemur rei in similitudinem prævaricationis Adam. Unde & David, ecce, ait, in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis concepit me mater mea. "

Respondeo 2. Quæstionem a S. Doctore motam in sensu obvio non procedere de peccato originali, sed potius de actuali: cum

enim per peccata propria voluntate commissa homo in diaboli, cujus evadit servus, incidat laqueos, mirum est infantem ab omni peccato actuali immunem, immo & ab originali per sacrum regenerationis lavacrum, nihilominus a dæmone quandoque vexari: cum igitur de hoc non appareat causa, merito hoc ipsum refundit Hieronymus in occulta Dei judicia.

Ad confirmationem dico commentaria laudata fuisse in multis deflorata a quodam Pelagiano, qui inter alia quædam adversus peccati originalis existentiam dissеminare non erubuit.

Discutitur sententia Basilii, Gregorii Nysseni, & Arnobii Junioris.

OBJICIES 1. Ex S. Augustino lib. 1. contra Julianum cap. 5. objiciebant Pelagiani locum subsequentem veluti Basilii fœtum, in quo ait, peccatum non esse substantiale, adeoque nec originale. Igitur non datur peccatum originale: dicit enim Basilius: " Substantiale quidem malum non esse, sed ipsam substantiam sine ,, malitia quæ accidit, jam esse non posse. Si autem accessit, & principium ,, accessionis non substantiam habuit, sed ,, voluntatem. ,, Ex quibus verbis concludebant Heterodoxi Basilium, peccatum solum actuale, quæ propria voluntate committitur, admisisse.

Ibidem, in eodem Basilii libro habetur: si peccatum originale detur, impossibile est corpus fieri castum: quod sic probant. Corpus originali peccato fœdatum est corpus substantialiter corruptum: Sed corpus substantialiter corruptum non potest castum evadere, quod quidem implicat. Ecce verba ex Basilio excerpta. " Si castitas virtus est, corpus vero substantialiter malum esset, impossibile erat castum corpus inveniri, quia corpus turpitudinis, virtutis non fieret corpus. ,, Ergo &c.

Respondeo 1. Non satis constare num liber a Pelagianis in objectione laudatus, sit S. Basilii genuinum opus: nam ex quodam libro contra Manichæos, qui non extat, loca objecta fuisse excerpta graves propugnant auctores, tametsi Maldonatus hac in parte deceptus dicat hunc librum esse homiliam, cui nunc est titulus apud Basilium.

Respondeo 2. distinguendo, peccatum non est naturale, hoc est, a natura hominis in sua prima constitutione positi, concedo: non est naturale, pro ut vox *naturale*, idem sonat ac ab origine contractum, nego. Et sic funditus evertitur Pelagianorum argumentum, qui ut fucum facerent, malum substantiale sumebant pro eo quod ab ipsa natura promanat. Accessit igitur naturæ ex prævaricatione Adæ, hinc merito Basilius debellando Manichæos, qui Deum mali auctorem non sine blasphemia faciebant, negat malum esse quid substantiale. Solutio est D. Augustini, qui ibidem sic solvit difficultatem: " Ista ita recte dixit sanctus Basilius, ut etiam de ipso malo, quod per ,, Adam intravit in mundum. Et per omnes homines pertransiit, bene possit intelligi, quia & ipsum accessit naturæ ,, humanæ. Non enim sic erat primitus ,, condita, & principium accessionis non ,, substantiam habuit, sed voluntatem. ,, Quibus verbis liquet peccatum originale accessisse naturæ, & habere pro causa non voluntatem nascentis, sed Adæ prævaricantis.

Ad confirmationem similiter distinguo, si peccatum originale detur ut quid naturæ intrinsecum & essentiale, corpus inquinatum non potest fieri castum, concedo: si sit solum quid accidentale & accessorium, nego. Hæc S. Augustinus ibidem respondet: non mutatur igitur naturæ substantia per regenerationis lavacrum, sed sanatur & perficitur; & vi gratiæ ad suam primævam, inquantum fieri potest, revocatur originem juxta illud Psal. 102. *Renovabitur ut aquila juventus tua*, cæterum S. Basilius agnoscit peccatum Adæ ad omnes ejus filios transmissum Homil. 1. de Jejunio, præsertim vero in constitutionibus Eccles. cap. 4. " Quod autem, ,, *ait*, quæ Adæ dictata fuerant, ea omnibus etiam dicta sint, qui ab eo sint ,, oriundi, ex hoc liquido perspici potest, ,, quod cum illum tantummodo, tum nominatim Deus morte mulctasset, quando dixit, terra es, & in terram reverteris: Nihilominus tamen omnes, ,, quotquot ab eo originem duxere, ejusdem similiter una cum eo calamitatis ,, participes extitere. ,,

Oppones 2. S. Gregorius Nyss. orat. de infantibus dicit eos nequidem ab initio pec-

peccatum habere: " At puellus infans
" simplex, *ait*, omnisque malitiæ ex-
" pers, nullo etiam nunc oculorum ani-
" mi morbo participatione lucis officiente
" in eo quod naturale est versatur, sanita-
" te, quæ per purgationem contingit non
" indigens, quippequi nec ab initio quidam
" prorsus in animum morbum admisit. "
Ergo &c.

Respondeo distinguendo, & eo loci Gregorius loquitur de peccato actuali quod infans nondum commisit, concedo: Et a puero peccatum originale excludit, nego. Solutio vel ex ipsis Greg. terminis liquet, cum ait puerum esse malitiæ expertem, nemo enim non capit, malitiam ex solo peccato actuali emanare, cum in eo potissimum sita sit, quod quis cognoscens bonum, sancto resistendo spiritui, malum faciat. Hoc ipsum sanctus Stephanus Act. 7. Judæis exprobrat, dicens: *Vos semper Spiritui sancto restitistis*. Quod autem non sit relictus circa mentem de peccato orig. Greg. Nyss. ambigendi locus, non ex uno evincitur loco; maxime ex orat. ad Catech. c. 33. præcipue vero ex comm. Psalmos cap. 8. " Hæc
" accurate magnus Apostolus patefecit, ut
" & alia multa & præter cætera illud:
" Quemadmodum in Adam omnes mori-
" mur, sic in Christo omnes vivificamur. "
Rursus ibid. cap. 16. " Sordes autem homi-
" nis peccatum est, quod una cum huma-
" na editur natura, quoniam in peccatis
" concepit me mater mea. "

OBJICIES 3. Auctoritatem Arnobii junioris, qui terminis expressis peccatum a puero excipit; illud Psal. 50. *Et in peccatis concepit me mater mea*, explicans de peccatis matris, dubio-procul abnegat peccatum originale: Atqui sic scribit Arnobius comm. in Psal. in 50. in Bib. PP. tom. 15. pag. 417. Ecce verba: " Non enim di-
" xit cum iniquitatibus, aut cum pecca-
" tis genuit me mater mea, sed in iniqui-
" tatibus conceptus sum, & in peccatis ge-
" nuit me mater mea. Dicendo enim ma-
" trem in suis iniquitatibus cum concepis-
" se, & in peccatis sæculi peperisse, si-
" gnavit, quia omne peccatum corde con-
" cipitur, & ore consummatur. Hic au-
" tem qui nascitur sententiam Adæ habet,
" peccatum vero suum non habet. " Ergo &c.

Respondeo 1. auctoritatem istius Arnobii esse dubiæ fidei, quippequi hæreseos Pelagii fuligine conspersus viris doctis appareat, quod absque negotio conjici potest ex ejus comm. in Psalm. 91. ubi prædestinationis mysterium evertit iis verbis: " numquam probatis Deum per electio-
" nem personæ unum velle, recusare
" alium. " Similia profert in Psal. 103. 108. 120. & 126. His accedit quod ille Arnobius non nisi post S. Augustini ætatem vixerit, quippequi de libero arbitrio & prædestinatione adversus B. Augustini discipulos scripserit, & consequenter post definitiones Concilii Diospolitani, Milevitani, & Romani, ubi iteratis anathematibus percussi sunt Pelagiani; hinc in objectione refellenda pluribus non est laborandum, dato enim quod Arnobius ille fidem peccati originalis tentaverit, prorsus abjiciendus est; potest tamen benigne explicari, quocirca

Respondeo in forma sic distinguendo. Et Arnobius excludit solummodo peccatum actuale a puero, concedo: Originale, nego. Quod autem in loco pro objectione laudato loquatur tantum Arnobius de peccato actuali, ex definitione illa quam affert de peccato, liquet, quum ait, ideo peccatum in matrem refundendum esse, " quia, *inquit*, omne peccatum corde
" concipitur, & ore consummatur. "
Hinc nihil probaret si de peccato originali sermonem institueret: Jam vero quod istud non explodat peccatum claret ex illis subsequentibus verbis: " Qui na-
" scitur, sententiam Adæ habet. " Quomodo? Nisi per peccatum originale ad seipsum transmissum; sin minus, ne minimum quidem haberet Adæ sententiam, ut propugnabant Pelagiani, qui nec peccatum originale, nec miserias, ut quid ad illud consequens agnoscebant. Igitur Arnobius in istorum non versabatur sententia. Ad id vero, quod subjungit ille quinti sæculi auctor de puero. *Peccatum vero suum*, scilicet Adæ, *non habet*: Distinguo, peccatum actuale, hoc est, propria voluntate non peccavit, sicut Adam, concedo: peccatum suum per seminalem propagationem non contrahit, nego. Igitur non propria voluntate reus est puer, sed voluntate Adami; quia vero non sola imputatione peccati Protoparentis, sed vere & intrinsece reus est, in isto sensu peccatum originale suum recte dicitur.

Discutitur sententia S. Chrysostomi.

OPPONES: S. Chrysostomus homil. ad Neophytos apud S. Augustinum lib. 1. cap. 6. num. 21. contra Julianum ait: " Hac de causa etiam infantes baptizamus, ,, cum non sint eo inquinati peccato, ut ,, eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, ,, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus ,, membrum sint. ,, Igitur ex S. Chrysostomo duo potissimum sequuntur; primo quidem infantes non esse peccato originali maculatos, quippequi loquatur in singulari. Adeoque intelligat non esse tali peccato coinquinatos; secundo Baptismum parvulis conferri non ut habeant sanctitatem, sed sanctitatis augmentum, & adoptionis atque hæreditatis honores.

Respondet ibidem S. Aug. ad argumentum, primo quidem opponendo Chrysostomum Chrysostomo num. 24. ubi sic ait: " Audi jam, Juliane, quid etiam Joannes ,, cum cæteris Catholicis dicat, ad Olympiam scribens, quando enim Adam peccavit, inquit, illud grande & omne genus hominum in commune damnavit, ,, de mærore pœnas luebat. ,,

Rursus num. 26. iterum laudat locum Chrysostomi ex homilia ad Neophytos, ubi verba ad Julianum interpolata, sic reddit: " Venit semel Christus, invenit nostrum Chirographum paternum, quod ,, scripsit Adam, ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus ,, peccatis. ,, Prosequitur Augustinus: " ,, Numquid contentus fuit dicere, paternum Chirographum, nisi adderet nostrum? Ut sciremus antequam fœnus ,, peccatis nostris posterioribus augeremus, ,, jam illius Chiographi paterni ad nos ,, debitum pertinere. ,,

Iterum adhuc laudat pro eodem momento Chrysostomum Homil. 1. in epist. ad Romanos cap. 5. ubi ipse locum Apostoli, *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*, de peccato originali intelligit: " Lege etiam quemadmodum exponat idem ipse vir sanctus, ,, eumdem ipsum Apostoli locum, ubi ,, scriptum est, per unum hominem peccatum intravit in mundum; ubi enim ,, luce clarius in hujus fidei Catholicæ veritate versatur, quodque totum quia longum est, huic operi intexere, pauca inde contingam. ,, *Manifestum*, inquit, *quoniam non ipsum peccatum quod ex legis transgressione, sed illud peccatum ex Adæ inobedientia, hoc erat quod omnia contaminavit*, &c.

Respondet 2. Idem Augustinus ad eamdem objectionem num. 22. Julianum deflorasse locum S. Chrysostomi; nec haberi in textu originali, peccato non inquinatos, sed in plurali; hoc est, eos non habere peccata actualia, & allato textu Græco subdit, quod est latine, *ideo & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes*, vides certe eo loci non haberi, parvulos non coinquinatos esse peccato, sive *peccatis*; sed non *habere peccata*: intellige propria. Unde in forma sic cum Augustino respondemus: Ex Chrysostomo infantes baptizantur, ut peccato alieno mundentur, concedo: A propriis, nego. Ad alteram consequentiam distinguo, ex S. Chrysostomo parvuli baptizantur, ut sanctitas addatur remissioni peccati originalis, concedo: ut sanctitas addatur sanctitati, nego. Et de facto in plerisque codicibus habetur: *Ut detur, vel addatur sanctitas*.

Urget Julianus: " Si S. Chrysostomus ,, intelligeret peccatum deleri per Baptismum, loquendo de prærogativis ,, Baptismi etiam sermonem haberet de ,, remissione peccati: Atqui etiam tacet. Ergo &c.

Respondeo negando minorem, cum in eadem homilia dicat: " Venit semel Christus, invenit nostrum Chirographum ,, paternum, quod scripsit Adam. Ille ,, initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis. ,, Cæterum si S. Chrysostomus eo loci peccati originalis absterssionem sileat, sufficit ut illam alibi commemoret.

Instat Julianus, ibidem nu. 22. " At ,, inquies, cur non ipse addit *propria*? ,, Sed isto vocabulo tota fuisset soluta controversia: Igitur illud retinendo Chrysost. intelligit baptismum valere solummodo ad remissionem peccatorum actualium. ,,

Respondeo distinguendo. Et hoc ipsum non erat necesse, concedo: & erat necessarium, nego. Nullum erat in Ecclesia catholica dubium baptisma conferri parvulis pro remissione peccati origialis, nec aliis

aliis quomodocumque laborare peccatis; sic respondet ibidem S. Augustinus: " „ Cur putamus, *ait*, nisi quia disputans „ in catholica Ecclesia, non se aliter in- „ telligi arbitrabatur, tali quæstione nul- „ lus pulsabatur, vobis nondum litiganti- „ bus securius loquebatur. „

Dices: vacuum est S. Chrysostomi ratiocinium, si intelligant infantes solummodo non habere peccata actualia, ut probet Baptisma non dari in remissionem peccatorum: potuissent enim retorquere argumentum adversarii: ex te datur in remissionem peccati originalis, & in remissionem actualium. Ergo &c.

Respondeo negando sequelam; quæstio enim mota inter S. Chrysostomum, & alios quosdam contendentes baptismum conferri solum propter peccata actualia, eos recte debellat probando esse tantummodo in remissionem peccati originalis, & ut addatur istius remissioni sanctitas atque justitia.

Urgebis: Ille non agnoscit peccatum originale, qui ait, nihil inde absurdi sequi, si dicatur homines mortales effectos esse ex uno: atqui sic docet sanctus Chrysostomus homil. 10. in cap. 5. epist. ad Romanos: " Quid igitur hoc loco, ver- „ bum hoc, *peccatores*, significat? Mihi „ videtur tantumdem significare, quantum „ illud supplicio obnoxii ac mortis rei. „ Confirmatur; per vocabulum *peccatores* S. Chrysostomus intelligit tantummodo, *mortales*. Ergo &c.

Respondeo 1. loca obscura per lucidiora explicari.

Respondeo 2. textum in objectione laudatum mentem S. Chrysostomi non complecti, sed potius referre cujusdam Judæi objectionem, qui negabat justitiam per Christum conferri, sicut e contra iniquitas ab Adam in omnes reguaverat.

Respondeo 3. distinguendo: & S. Chrysostomus vult probare justitiam Christi per notiora, videlicet per pœnas, & miserias, quibus clare admodum manifestatur peccatum originale, a quibus solvimur per justitiam Christi: utrumque enim dilucide ostendit Judæo, concedo: & eo loci negat peccatum originale, nego. Cæterum per vocabula, *peccatores constituti sunt multi*, supponit homines non aliunde ex Adamo peccatores, quam per peccatum originale. S. Chrysostomus est sui ipsius interpres & ibidem sic loquitur: " Adversus Judæum constituta pugna est, „ ambigentem ac dividentem quam per „ unum justitiam factam esse vult: idcir- „ co cum ostendit, & supplicium ex uno „ in omnes derivatum fuisse, qua id de „ causa acciderit, nondum addidit, „ &c. „

Urgebis: Ille existimat nonnisi propter honores Baptismum parvulis conferri, qui ibidem asserit nihil nocumenti eis advenisse ex peccato Adæ: atqui sic propugnat his verbis: " Quod si quis vestrum „ quærat dicere, id dicemus, quod non „ solum nihil nocumenti accepimus a „ morte hujusmodi, & condemnatione, „ si sapuerimus, sed mortales effecti lu- „ crum etiam facimus. „ Rursus ho- „ mil. 17. num. 1. ad Corinth. dicit hominem non perire propter Adamum: " „ Quid ergo, ais, faciam ego? Propter „ illum pereo, certe non propter illum; „ neque enim tu mansisti non peccans, „ sed si non idem peccatum, alterum cer- „ te admisisti: alioqui autem, neque a „ supplicio accepisti damnum, sed lucrum. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: nihil nocumenti patitur parvulus a peccato Adæ ad mortem æternam consummatum, si adjuvante Christi gratia, in justitia perseveret, concedo: nihil nocumenti absolute, nego. Nocumentum duplex secernitur, aliud est amissio justitiæ originalis: aliud vero interitus consummatus per reprobationem; primum omnes patiuntur homines: secus alterum propter redemptionem. Chrysostomus loquitur in secundo sensu, ibi enim sic loquitur de redemptionis effectibus explicans illa Apostoli verba: *Non sicut delictum ita & donum*: „ Cum hisce autem, seu potius an- „ te hæc ipsa & plura alia attulit bo- „ na. Hinc enim tum martyrum coro- „ næ, tum Apostolorum præmia. Ita Abel „ justificatus est, ita Abraham, mactato „ Filio, ita Joannes propter Christum In- „ teremptus, ita pueri tres, ita Daniel: „ si enim voluerimus, non modo mors, „ sed ne ipse quidem diabolus nocumento „ esse nobis poterit. „ Eadem est ad confirmationem responsio.

Persistes: Qui peccati Adæ nocumentum nonnisi ad corporis corruptionem extendit; profecto de nocumento peccati ori-

ginalis quantum ad animam nullum habet sermonem: atqui sic docet S. Chrysostomus homil. 39. in epist. 1. ad Corinth. ubi explicans ista Apostoli verba: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*. Subjicit: " Quid? ,, omnes-ne dic, quæso, mortui sunt in ,, Adam morte peccati? .... Quid vero, ,, dic, rogo, omnes-ne vivificabuntur in ,, Christo? Et ubi sunt qui abducuntur in ,, gehennam? Nam si hoc quidem dictum ,, est, de corpore, stat quod dicitur: Si ,, autem de peccato & justitia, nequa- ,, quam. ,, Ergo &c.

Respondeo negando minorem: Ad probationem distinguo, non omnes mortui sunt per Adam, ut in morte permaneant in æternum, concedo: non omnes mortui sunt spiritualiter, nego. In eodem prorsus sensu loquitur S. Chrysostomus, sicut antea, & vult redemptionem plurimum valere ad justitiam. Hujus rei argumentum irrefragabile affert de justitia Noe & Job qui per fidem in Christum salvati sunt: " Quid? omnes-ne, dic quæ- ,, so, mortui sunt in Adam morte pec- ,, cati? Quomodo ergo Noe justus in ge- ,, neratione sua? Quomodo Abraham? Quomodo Job? Quomodo alii omnes? ,,

Respondeo 2. distinguendo eandem probationem: & eo loci revincit S. Doctor Manichæos qui hec Apostoli verba, *in Christo omnes vivificabuntur*, explicabant tantummodo de resurrectione spirituali, quippequi negarent corporalem, eos autem illo debellat argumento a notiosi: peccatum Adæ induxit mortem corporalem, Christus vero omnia restaurabit, hinc & resurrectionem variis probat rationibus, ex eo quod Corinthiis de illa dubitantibus probare satagat, maxime illo ratiocinio 1. cor. 15. *Quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est. Si autem resurrectio mortuorum non est: neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est. Ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.*

Replicabis: Atqui S. Chrysostomus ibi peccatum originale exsufflare contendit. Ergo &c. Qui probat non omnes mortuos esse morte peccati, ex eo quod Noe fuerit justus in generatione sua, videtur peccatum originale prorsus explodere, sin minus dixisset Noe in ortu quidem inquinatum, in vitæ vero decursu sanctum, quod tamen non dixit. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum, ad probationem distinguo: Et eo loci loquitur de morte æterna, concedo: de morte per peccatum originale in conceptione inductâ, nego. Vult solum S. Doctor omnes tametsi in Adam mortuos, non tamen omnes perire in æternum, cum multi sint electi qui finaliter in gratia per redemptionem habita, perseverent: & in dicti probationem, affert exemplum nedum Noe, sed & S. Job quem non ignorabat Chrysostomus dixisse, *neminem mundum esse a sorde, etiamsi sit infans unius diei*. Igitur S. Doctor dari peccatum originale non abjudicat.

De mente Theodoreti.

OBJICIES: Ille peccatum originale negat, qui contendit vim peccandi non esse naturalem, posito enim hujusmodi peccato, homo ex se tendit ad malum; juxta illud Gen. 8. *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescientia sua*. Atqui sic sensit Theod. & probatur. Comm. in Psalm. 50. ait: " Per hæc omnia discimus non peccati ,, naturalem vim. ,, Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem, propugnat Theodoretus homini non inesse ex natura sua secundum se spectata vim naturalem peccandi, concedo: ex natura per peccatum sauciata, nego. Natura hominis potest considerari dupliciter, primo quidem secundum se, deinde vero ut per peccatum in origine vitiata. Priori modo non habet vim naturalem peccandi, cum in prima sui institutione fuerit sana: posteriori habet illam vim naturalem, hoc est, ab origine. Theodoretus loquitur solum in priori sensu; & ipse est sui ipsius interpres: " Nam si ita se habe- ,, ret, *inquit*, a supplicio liberi esse- ,, mus. ,, Hoc est, si vis peccandi foret de natura & essentia hominis, cum Deus non puniisset morte & miseriis, sed ideo homines his flagellat pœnis, quia iniquitatem Patris ad nepotes transmissam videt. Hinc propugnat Theodor. nuptias non esse peccata, & conceptionis hominis vitium refunden-

fundendum esse, non quidem in Matrimonium, sed potius in Adæ peccatum. Sic pergit: " Non igitur, ut quidam suspicati sunt, nuptias accusat, & Matrimonium iniquitatem vocat, sicut nonnulli stulte putarunt, sic illud intelligentes: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Sed transgressionem in principio a primis parentibus patratam in medium profert, & illam harum undarum fontem fuisse dicit. Si enim illi, *inquit*, non peccassent, penam peccati, mortem non accepissent. "

Instabis: Atqui Theodoretus posteris Adæ peccatum originale abjudicat: Ergo &c. Probatur subsumptum: Ibidem ait, pœnas quidem peccati Adæ ad nepotes transmissas, minime vero peccatum: " Quoniam peccaverunt, interitui traditi sunt, mortales vero facti, tales procrearunt filios; talesque illos concupiscentiæ & timores, & voluptates, & mœrores, & iræ, & invidia secutæ sunt. " Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem distinguo, dicit pœnas, ex peccato originali profluentes ad nos transmitti, concedo: non supposito peccato originali, nego. Cum pœnæ, qualis est mors, & quales sunt miseriæ solum, teste Apostolo Rom. 5. per peccatum intraverint in mundum, non potuit Theodoretus unum ab alio divellere. Quod autem supponat peccatum, ut miseriarum causam, est sui ipsius interpres ibidem, ubi, ait: " Peccatum majores nostros invasisse, & inde viam quandam, & tramitem per progeniem effecisse. " Quod quidem probat illis Apostoli verbis: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt*. Insignis est locus Theodoreti comm. in c. 5. ejusdem Epistolæ ad Rom. ibi sic loquitur: " Dicit itaque divinus Apostolus, quod cum Adam peccavisset, mortalis propter peccatum factus esset, utrumque ad genus pervenit. "

Urgebis: Ibidem comm. in cap. 5. ad Rom. expresse ait, homines, non propter Adæ peccatum, sed suum pœnis & mortalitatis subjici: Igitur abnuit peccatum originale.

Respondeo distinguendo antecedens, homo viator subjicitur pœnis propter peccatum suum, hoc est, propter peccatum quod non est mere extrinsecum & imputatum, sed vere intrinsecum, concedo: Ita ut vox illa *suum* excludat peccatum originale, nego. Sic enim ibidem loquitur: " Ad omnes enim homines mors pervasit, quatenus omnes peccaverunt. " Quomodo vero omnes, ut pueri, qui usum liberi arbitrii nondum habent, peccaverunt, nisi in Adam? Cæterum loca obscura per clariora explanantur, cum autem constet clare admodum Theodoretum libr. 5. hær. fab. & comm. in cap. 5. epistolæ ad Roman. propugnare peccatum originale, nihil adversus dogma catholicum, ex locis objectis sequitur.

Replicabis: Atqui Theodoretus, per istam vocem, *suum*, excludit peccatum originale in pueris: Ergo &c. Probatur subsumptum lib. 5. hær. fab. cap. 18. sic argumentatur ad hominem adversus Massallianos obstrepentes: " Non enim, ut amentes putant Massalliani, novaculam tantum imitatur Baptismus præcedentia auferens peccata, hoc enim ex superabundanti largitur. Si enim hoc solum opus erat Baptismatis, quorsum infantes baptizamus, qui peccatum nondum gustarunt? " Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem distinguo, & eo loci loquitur de peccatis actualibus, concedo: de peccato originali, nego. Et hoc propter duo: Primo quidem hanc solutionem indicat ipse Theodoreti textus, seu voces illæ: *Qui peccatum nondum gustarunt* manifestant. Non enim peccatum originale ab infante gustatur, cum gustare importet cognitionem simul & amorem boni sensibilis: Igitur ibi est sermo de peccato actuali. Secundo, hoc ipsum annuntiat controversia mota inter Theodoretum & Massallianos, quæ dubio-procul erat de peccatis actualibus, quippe qui dicerent Baptismum instar novaculæ peccata præterita abstergere.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur peccatum originale.

PRIMO: Hoc astruit utrumque Testamentum vetus quidem in quo Gen. 17. circumcisio datur in remedium peccati originalis:

ginalis: in Novo vero Rom. 5. ubi dicitur mortem per unius inobedientiam intrasse in mundum. Quod Patres de peccato originali, ne uno quidem dempto, interpretantur. Ut Origenes homil. 12. in lev. Greg. Naz. orat. in natali Domini. Aug. in libris contra Julianum &c.

Secundo: Hoc ipsum de fide definierunt omnia Concilia contra Pelagianos adunata: tum Tridentinum sess. 5. can. 2. 3. & 4.

Tertio, Ratio suffragatur. Eodem modo ratiocinandum est de morte Christi pro redemptione, ac de morte quæ per peccatum intravit in mundum: sed Christus mortuus est pro omnibus, ut mortuos vivificaret: Igitur omnes per peccatum originale, si excipiat BB. Virginem, quæ a peccato redemptionis beneficio præservata est, mortui sunt.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Equidem Filius non portat iniquitatem Patris sui peculiaris, bene tamen totius naturæ Patris, & capitis sic Deo ordinante.

Secundo: Quando Patres dicunt pueros recens natos non habere peccata, loquuntur de actualibus quæ propria voluntate committuntur.

Tertio: Esto quod nec puer nascens, nec parentes peccaverint; habemus, *inquit Jnfano Augustinus*, januam apertam, per quam peccatum in mundum intravit, Rom. 5. *Per unius delictum in omnes in condemnationem &c.*

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum peccatum originale ad omnes homines sese extendat?

POST Augustinum lubenti & ardenti animo asserimus, nos, quum de peccato agitur, nequidem indirecte de Beatissima Virgine loqui, quippe eximiis dotibus supra omnes creaturas, etiam Angelicas donatam fuisse propugnant Patres, eamque prorsus immaculatam annuntiat Ecclesia, ut fuso calamo tractat. de incarnatione, agendo de ejus intemerata conceptione, demonstrabimus. Quæstio igitur præsens solum movetur de cæteris hominibus, inter quos annumerantur multi, tum fide, tum pietate, tum sanctitate perillustres.

CONCLUSIO PRIMA.

Peccatum originale ad omnes homines quantumvis sanctos, sese extendit.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod clare admodum annuntiat Scriptura sacra, hoc ipsum firmiter tenendum est: Atqui res sic se habet: Ergo &c. Minor sequitur ex dictis, nihilominus probatur ex illo celebri Apost. loco Rom. 5. *In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Si omnes peccaverint, citra dubium est mortem illam, quæ ad omnes pertransiit, esse peccatum.

Altera hæc est: quod de fide definitum est, in dubium revocari non debet: atqui Ecclesia in Conciliis adunata de fide definivit peccatum originale ad omnes homines pertransire: & probatur. Concilium Arausicanum 2. can. 2. sic loquitur: *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & ejus propagini asserit nocuisse; aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti, per unum hominem peccatum &c.*

Insignis est Concilii Tridentini definitio sess. 5. can. 5. his verbis: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod verum & proprium peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.* Audis Concilium asserere per Baptismum remitti peccatum originale. Supponit igitur esse in omnibus:

Tertia: Illud est admittendum, si negantes & a Patribus, & a Conciliis perstricti sint: sed ut primum Pelagius, & post ipsum Julianus & Celestius negarunt peccatum originale, a Patribus, in primis ab Augustino variis in libris confutati sunt,

sunt, tum in Concilio Diospolitano, Milevitano, & Romano damnati sunt, maxime vero ab Innocentio I. & Zosimo summis Pontificibus, ac demum ab omnibus catholicis ut hæretici habiti sunt. Ergo &c.

Quarta: Omnes indigent redemptione ut vivificentur: sed si peccatum originale ad omnes non se extenderet, ea ad hoc non indigerent. Et probatur ex D. Thoma, qui hic 1. 2. quæst. 81. art. 3. docet ex professo conclusionem hoc ratiocinio: " Omnes homines ...... ex " Adam derivati, peccatum originale ex " Adam contrahunt, alioquin non omnes indigerent redemptione, quæ " est per Christum; quod est erroneum. "

Quinta: Quæ moventur per malum principium, ex ejus motione malum contrahunt: sed omnes homines ab Adam peccatore & vitiato per seminalem propagationem moventur. Igitur ab illa radice vitiata peccatum contrahunt. Ista ratio ulterior est D. Thomæ ibidem, ubi sic pergit: " Sic ex peccato primi parentis " traducitur culpa originalis in posteros, " sicut a voluntate animæ per motionem " membrorum, traducitur peccatum " actuale ad membra corporis. Manifestum " est autem quod peccatum actuale traduci potest ad omnia membra, quæ nata " sunt moveri a voluntate; unde & culpa " originalis traducitur ad omnes illos, " qui moventur ab Adam motione generationis.

Fit satis objectionibus.

OBJICIES: pœna peccati Patris non transit in filios innocentes, sic enim habetur Exod. 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris*. Igitur peccatum originale in vindictam peccati actualis non transit ad posteros.

Respondeo distinguendo antecedens, secundum justitiam humanam peccatum Patris non transit in Filios, concedo: juxta divinam, subdistinguo, si agatur de particularibus, concedo: de capite, nego. Ex decreto Dei justitia ab Adam in posteros transire debebat, eo quod esset omnium caput, quandoquidem omnia membra influxum accipiunt a capite, & ab eo moventur; cum autem eadem sit lex contradictoriorum, amissa pro omnibus per peccatum Adami justitia originali, culpa ad omnes transiit.

Instabis: Eodem modo ratiocinandum est de pœna ac de culpa: sed pœna ad omnes non transiit, namque Jeremias & S. Joannes Baptista absque peccato nati sunt. 2. Quidam nec mortui sunt, nec morientur; ut Henoch, & Elias. Ergo &c.

Respondeo negando minorem: Ad probationem dico Jeremiam & S. Joannem fuisse in peccato conceptos, ex privilegio vero in utero sanctificatos. Ad alia exempla S. Thomas ibidem art. 3. ad 1. sic respondet juxta suam sententiam: " Dicendum, quod probabilius & convenientius tenetur, quod omnes illi qui " in adventum Domini reperientur, morientur, & post modicum resurgent. " Juxta sententiam aliorum, subdit: " Et " si non moriantur, est tamen in eis reatus " mortis: sed pœna auferetur a Deo, qui " etiam peccatum actualium pœnas condonare potest. "

Urgebis: Nemo dat quod non habet: sed baptizatus v. g. generans, non habet peccatum originale: Igitur ab eo non transit ad filium.

Respondet D. Thomas ibidem art. 3. ad 2. " Dicendum, quod peccatum originale per Baptismum aufertur reatu, " in quantum anima recuperat gratiam " quantum ad mentem: remanet tamen " peccatum originale actu quantum ad fomitem, qui est inordinatio partium inferiorum animæ & ipsius corporis, secundum quod homo generat, & non secundum mentem, & ideo baptizati traducunt peccatum originale: non enim " parentes generant in quantum sunt renovati per Baptismum, sed in quantum " retinent adhuc aliquid de vetustate primi peccati. "

Insistes: Eadem est ratio de extensione gratiæ redemptionis, ac de extensione peccati Adami, immo, ut habetur Rom. 5. gratia abundavit: atqui tamen gratia Christi ad omnes non se extendit, cum multi nequidem baptizentur. Ergo &c.

Respondeo negando minorem: Ad probationem distinguo, multi non baptizantur defectu causarum secundarum, concedo: defectu Christi, nego. Ejus quippe gratia

tia ad omnes sese extendit, ut probabitur infra tract. de gratia; sufficienter vero providit puerorum saluti, quatenus Baptismum instituit in aqua; & omnibus, etiam paganis licitum sit baptizare. Quod autem abundet gratia mediatoris ex eo patet, quod nedum peccatum originale, sed & actuale abstergat, & sternat ad gloriam introitum. Solutio est D. Thomæ ibidem art. 3. ad 3. " Dicendum, „ *inquit*, quod sicut peccatum Adæ traducitur in omnes qui ab Adam corporaliter generantur; ita gratia traducitur in omnes qui ab eo spiritualiter „ generantur per fidem, & Baptismum, „ & non solum ad renovandam culpam „ primi parentis, sed etiam ad renovandum peccata actualia, & ad introducendum in gloriam. „

Repones: Omne peccatum est voluntarium: sed infans nihil voluntarii habet in conceptione sua pro peccato, vel patrando, vel contrahendo. Ergo &c.

Respondeo distinguendo, omne peccatum actuale est voluntarium, concedo: originale, subdistinguo, est voluntarium in sua prima causa, scilicet in Adamo, concedo: in puero, iterum subdistinguo: moraliter, & hoc sufficit, concedo: secus, nego. Adam voluntarie peccavit, quia vero voluntas membrorum censetur in voluntate capitis conclusa, ideo eatenus contrahimus peccatum, quatenus ex radice vitiata procedimus: si ulteriorem quæras rationem, est ipsa voluntas Dei, qui voluit filios iniquitatem Patris portare.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Peccatum originale si excipias Christum & BB. Virginem, ad omnes homines sese extendit.

PRIMO: Sic habetur Rom. 5. sic definitum est in Conc. Arau. 11. can. 2. sic in Trid. sess. 5. can. 5.

Secundo: Ut primum aliqui hanc negaverunt veritatem, eos Patres insectati sunt, & ut Hæretici a Catholicis habiti sunt.

Tertio: Omnes homines a voluntate Adami moventur, ut a voluntate capitis, ex quo concludit S. Thomas hic 1. 2. qu. 81. art. 3. omnes contrahere peccatum originale, quippe qui a voluntate vitiata censeantur moveri, & corporaliter a materia corrupta coalescere.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Quandoque Deus ex privilegio quosdam ab aliquibus peccati Adami sequelis liberavit, sed non ab ipsius peccati propagine, si Christum, & Deiparam excipias.

Secundo: Tametsi quidam Baptismo priventur, non inde sequitur redemptionem non abundare: cum Christus sufficienter providerit saluti infantium, maxime cum ejus gratia deleat peccatum & originale, & actuale, immo & diligentibus Deum aperiat cœlos.

Tertio: Neque vero aliquod facessit negotium quod Catholicus generet filios; non enim generat ut baptizatus, *inqui D. Thomas*, sed ut ab Adam peccatore procreatus; hinc proles peccatum originale contrahit.

ARTICULUS QUARTUS.

De essentia, subjecto & effectibus peccati originalis.

QUÆRES 1. Quid sit peccatum originale?

Respondeo 1. peccatum originale non esse quandam substantiam, omnis quippe substantia est a Deo ut habetur Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Sed peccatum non est a Deo: igitur non est substantia.

Respondeo 2. non esse utique concupiscentiam, corruptionem naturæ, & cujuscumque pœnæ reatum, siquidem hæc & similia sunt effectus ad peccatum consequentes, & non ipsum peccatum: Isti rationi accedit hæc altera; quod peccatum originale totaliter remittatur per Baptismum, pœnæ vero & miseriæ remaneant: Sic enim habetur Psalm. 50. *Lavabis me, & super nivem dealbabor*, Et Rom. 5. *Sicut enim ... Et per unius obedientiam justi constituentur multi*. Tum cap. 8. *Nihil ergo damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*. Concinit Concilium Trident. sess.

sess. 5. can. 5. *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in Baptismate confertur reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam asserit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud tantum radi & non imputari, anathema sit.*

Respondeo 3. peccatum originale non esse morbidam quandam qualitatem, cum ex Conciliis peccatum originale per Baptismum prorsus auferatur. Nec refragagatur S. Augustinus dicens l. 1. de nupt. cap. 25. de peccato originali: " Non „ enim, substantialiter manet; sicut ali- „ quod corpus, aut spiritus, sed affectio „ est quædam malæ qualitatis sicut lan- „ guor. „ Eo quippe loci non de peccato, sed de concupiscentia carnis quæ ad peccatum consequitur, instituit sermonem.

Respondeo 4. peccatum originale non esse Adæ peccatum nobis imputatum, & quid mere extrinsecum, quandoquidem juxta Concilii Tridentini definitionem peccatum originale est nobis quid intrinsecum & proprium; anathemate enim percellit eos qui existimantes illud peccatum nihil aliud esse præter Adæ peccatum nobis imputatum, & per Baptismum ulterius nobis non imputari. Sess. 5. can. 3. ait: *Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, esse unicuique proprium.*

Respondeo 5. peccatum originale esse privationem justitiæ & rectitudinis originalis qua pars superior Deo, inferior vero superiori subjiciebatur. Sic docet S. Th. hic 1. 2. q. 82. art. 3. ubi ait privationem speciem habere a forma cui opponitur, cum autem justitia originalis sita foret in subjectione animæ ad Deum, partis vero inferioris ad animam, juxta legem oppositorum, dicendum est peccatum originale in privatione rectitudinis, seu obedientiæ partis superioris Deo, materialiter vero in rebellione radicali partis inferioris ad superiorem consistere; hinc ex D. Thoma, infans nascens non concupiscit actu, sed est concupiscibilis, quocirca peccatum originale ibidem art. 1. reducit ad habitum, qui sit non quidem ut habitus scientiæ, sed ut quædam inordinata dispositio. Art. 2. ait esse unum in omnibus peccatum orignale, quia eadem est relative ad Adamum causa, eadem vero in omnibus inordinata dispositio; ex his art. 4. concludit peccatum istud esse æqualiter in omnibus, maxime ex eo quod in omnibus eadem sit rectitudinis & justitiæ originalis privatio.

Quares 2. Quodnam sit peccati originalis subjectum?

Respondeo 1. cum S. Thoma hic q. 83. art. 1. residere in anima, quia omnis culpa animam pro subjecto habet: In semine vero sicut in instrumento cujus virtute producitur natura humana ab Adam profluente: " Cum anima, *inquit*, possit esse subjectum culpæ; caro autem „ de se non habeat quod sit subjectum „ culpæ, quidquid pervenit de corruptio- „ ne primi peccati ad animam, habet „ rationem culpæ: Quod autem perve- „ nit ad carnem, non habet rationem „ culpæ, sed pœnæ. Sic igitur anima „ est subjectum peccati originalis, non „ autem caro. „ Subdit sanctus Doctor peccatum illud prius esse in anima, quam in potentiis, quia anima est primarius generationis terminus. Tum art. 3. Idem peccatum prius voluntatem quam cæteras potentias afficere asserit, eo quod inclinatio ad malum, & eidem adhæsio sit quid voluntati proprium. Demum art. 4. ait potentias sensitivas peccato originali esse præ cæteris animæ facultatibus corruptas, quippe quæ inserviant generationi qua natura corrupta ab Adamo derivata traducitur. Hæc est conclusio: *Quamqua omnes animæ potentiæ originali peccato sint infectæ: vis tamen generativa, vis concupiscibilis & sensus tactus, quia illum actum, per quem corruptio traducitur, concurrunt, sunt cæteris potentiis magis infectæ.*

Si quæras quomodo traducatur peccatum originale? Respondetur ex unione animæ cum corpore corrupto: sicut enim aqua tametsi limpidissima, eo tamen ipso quo infunditur in luto turbida evadit, sic anima rationalis quamvis relative ad Deum ut ad causam efficientem, optima sit, quia tamen producitur in corpore corrupto, ex unione cum carne vitiato, resultat peccatum originale: namque natura secundum Philosophum est principium motus & quietis, cum igitur homo non sit neque anima solum, neque corpus solum, ex partium unione profluit inclinatio & motus ad malum, seu peccatum in anima.

Quares

Quæres 3. Num alia Adami peccata in posteros transfundantur?

Respondeo negative, Scripturæ enim, Patres & Concilia de solo peccato originali loquuntur. Scripturæ quidem: ex uno quippe peccato judicium in condemnationem factum esse dicit Apostolus Rom. 5. his verbis: *Judicium quidem ex uno in condemnationem*. Tum subdit: *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituuntur multi*. Patres vero; in primis S. Cyprianus epist. 59. quæ est ad Fidum: " Infans, recens " natus, *ait*, nihil peccavit, nisi quod " secundum Adam carnaliter natus con- " tagium mortis antiquæ prima nativita- " te contraxit. " Hæc Cypriani verba laudant Hieronymus dialogo 3. contra Pelag. Augustinus lib. 1. contra Jul. cap. 3. Demum Concilia adversus Pelagianam pravitatem adunata de uno solum Adami peccato ad posteros transfuso sermonem instituunt. Sic tenet Ecclesia in Concilio Tridentino congregata sess. 5. can. 5.

Quæres 4. Quinam sint peccati originalis effectus?

Ante responsionem suppono Adamum fuisse in justitia originali constitutum, juxta illud Eccli. 7. *Fecit Deus hominem rectum*: quæ quidem rectitudo in tribus potissimum sita erat: 1. Quod homo per gratiam & charitatem Deo subjiceretur: 2. Quod vires inferioris appetitus rationi perfecte obedirent: 3. Quod corpus animæ sic submitteretur, ut anima nunquam per ægritudinem aut lassitudinem corporis a suis operationibus obeundis impediretur. His prælibatis

Respondeo 1. hominem per peccatum originale amisisse justitiam originalem, hoc est, gratia gratum faciente, charitate, cæterisque donis fuisse spoliatum. Sic tradit S. Aug. l. de natura & gr. cap. 19. ubi sic perstringit Pelagium peccatum originale abnegantem: " Videte, quæso, " quomodo nesciens nitatur evertere me- " dicinalium eloquiorum voces saluberri- " mas. Ego dixi, Domine, miserere " mei, sana animam meam, quia pecca- " vi tibi. Quid sanatur si nihil est vulne- " ratum, nihil sauciatum, nihil debilita- " tum, atque vitiatum. " Suffragatur Concilium Arausic. 11. can. 1. *Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est, secundum corpus & animam in deterius dicit hominem commutatum: sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur Scripturæ dicenti*, &c.

Respondeo 2. cum sancto Thoma hic q. 85. bonum naturæ, quod est inclinatio naturalis ad virtutem, fuisse peccato Adami debilitatum. Hoc ex professo probat sanctus Doctor art. 1. isto argumento: " Di- " citur Luc. 10. Homo descendens a Je- " rusalem in Jerico, idest, in defectum " peccati, expoliatur gratuitis, & vul- " neratur in naturalibus, ut Beda expo- " nit: Ergo peccatum diminuit bonum " naturæ. "

Respondeo 3. peccatum Proto-parentis quatuor vulnera animæ inflixisse, videlicet ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, infirmitatem in parte irascibili, concupiscentiam vero in concupiscibili. Sic propugnat sanctus Thomas ibidem art. 3. " Dicendum, *inquit*, quod " per justitiam originalem perfecte ratio " continebat inferiores animæ vires: & " ipsa ratio a Deo perficiebatur, ei subjecta. Hæc autem originalis justitia sub- " tracta est per peccatum primi parentis, " sicut jam dictum est: & ideo omnes vi- " res animæ remanent quodammodo de- " stitutæ proprio ordine, quo naturaliter " ordinantur ad virtutem: & ipsa desti- " tutio vulneratio dicitur naturæ. Sunt " autem quatuor potentiæ animæ quæ pos- " sunt esse subjecta virtutum, ut supra di- " ctum est, scilicet ratio, in qua est pru- " dentia: voluntas, in qua justitia: ira- " scibibilis, in qua est fortitudo: concu- " piscibilis, in qua est temperantia. In " quantum ergo ratio destituitur suo or- " dine ad verum, est vulnus ignorantiæ: " In quantum vero voluntas destituitur or- " dine ad bonum, est vulnus malitiæ: " In quantum vero irascibilis destituitur " suo ordine ad arduum, est vulnus infir- " mitatis: In quantum vero concupiscen- " tia destituitur ordine ad delectabile mo- " derantum ratione, est vulnus concu- " piscentiæ.

Respondeo 4. mortem, defectus, morbos, & alias miserias esse utique peccati Adæ effectus, quatenus sublata per illud justitia originali qua incorruptionis & immortalitatis privilegio donabatur, omnia in deterius abierunt. Sicut igitur sublata columna qua fulcitur domus, ruit totum ædificium, sic & ablata justitia originali pri-

primi hominis felix status periit; quod quidem innuit Apost. Rom. 5. his verbis : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*. Sic docet ex professo S. Thomas ibidem art. 5.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Peccatum originale est privatio justitiæ originalis, subjectum est homo : ejus vero effectus sunt ignorantia in intellectu &c.

PRIMUM patet cum privatio speciem habeat a forma cui opponitur : peccatum hominem spoliavit justitia & rectitudine qua anima Deo, pars vero inferior animæ subjiciebantur. Sic propugnat S. Thomas hic 1. 2. q. 82. art. 3.

Secundum utique, dicente Apostolo, Rom. 5. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moisen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri*. Igitur peccatum originale subjectatur in homine quatenus ab Adamo naturam vitiatam habet. Ita de fide definitum est in Concilio Trid. sess. 5. Principaliter est in anima, quia inclinatio ad malum a voluntate promanat.

Tertium denique verissimum est, videlicet hominem per peccatum gravissime vulneratum fuisse, cum omnes potentiæ amiserint ad virtutes sui perfectivas ordinem. Ex quo vulnus consecutum est in intellectu, in voluntate, in parte irascibili & concupiscibili, ut docet S. Thomas hic 1. 2. q. 85. art. 3. sed & mors, aliique defectus in mundum per peccatum Adami intraverunt, ut dicit Apostolus Rom. 5. quia sublata unione cum primo vitæ principio, natura ad corruptionem & nihilum deflectitur, ut propugnat D. Thomas ibidem art. 3.

Non omittendum quod textus sacer de hoc momento refert Gen. 3. *Mulieri quoque dixit : Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus suos : In dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adæ vero dixit : Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es : quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*



Finis Tomi secundi.



